

COMMENTARIA
IN
SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,
SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,
ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

JOS. MAX. PERONNE


CANON. DIOECESIS SUSSIONENSIS, OLIM SCRIPTURÆ SACRÆ PROFESSOR



EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSEANT

TOMUS UNDECIMUS
IN ISAIAM PROPHETAM



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—
M DCCC LXXV

SANCTISSIMÆ TRINITATI

DEO UNI ET TRINO.

Tibi, o sacrosancta Trinitas, et trina Unitas, offero meum, imo ex asse tuum refero reddoque tertium hoc trinumque in Prophetas opus. A te principium tibi desinet. Tuus sum ab utero, ubi me formasti ad imaginem et similitudinem tuam. Tuus ab ortu, ubi in nomine tuo baptizatus et renatus sum. Tuus a primo rationis usu, ubi te fide, spe et charitate, quas mihi in baptismo indideras, colere cœpi. Tuus ab adolescentia, ubi tuo instinctu, tribus Religionis votis me tibi volens lubensque astringi. Tuus a juventute, ubi sacerdos tuo munere consecratus, unam trinamque Christi victimam, tibi quotidie ad hanc usque diem quasi juge sacrificium immolavi. Tuus a viro, ubi hosce meos labores et fructus quos mihi donasti, tibi dicavi; omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem, tuæ gloriæ consecravi, optavique ut omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud quam continua laus tua. « Te enim decet hymnus in Sion, et tibi reddetur votum meum in Jerusalem, » *Psal. LXIV*; imo vero tibi silet hymnus in Sion, ut ait Psalter: quia omnis laus nostra, præ te tuaque majestate, merum mutumque est silentium. Accipe trinam tui in meis hisce Commentariis imaginem, menti manuique meæ a te impressam. Edidi Pentateuchum, Paulum, Prophetas, puta Legem, Evangelium (hujus enim præco est Paulus), Prophetiam. Lex te Patrem legislatorem representat: Evangelium te Filium incarnatum: Prophetia te Spiritum Sanctum, qui locutus es per Prophetas. Trimembre pariter est opus: Isaias refert te, o Pater æterne, quem vidit sedentem in celso et augusto divinitatis throno! Jeremias calamitosissimus, ut ait Isidorus Pelusiota, te, o Christe, patientem adumbrat! Ezechiel te, o Spiritus alme, in Apostolos et fideles effundendum vaticinatur! Tua sunt, tua sunt, o sanctissima Trinitas, quæ es Pater luminum, fons omnis triadis, origo et causa omnium quæ fuerunt, sunt, erunt, et esse possunt! Tu menti meæ ab olim te revelasti, ut te unum æstimarem et quærerem, cætera omnia velut exilia, inania et fugacia flocci ducerem et fastidirem. Talia enim ea reperit rex, mortalium Deo giudice sapientissimus, qualia et pronuntiavit, dicens: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » *Eccle. i*. Docuit me Doctor Gentium omnia arbitrari ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Auribus meis intonat Isaias: « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.

Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, etc. : verbum autem Domini nostri manet in æternum, » *Isaiæ* XL, 6. Insonat mihi crebro illud Psaltis regii : « Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra, » *Psal.* XLV, 11. Quocirca aulas et auras fugio, silentium et secessum mihi jucundum, aliisque non inutilem sequor cum S. Basilio, Gregorio, Hieronymo, cujus sanctam Bethlehem ab eo in Palæstina sollicite quæsitam, ego Romæ inveni. Olim junior egi Martham, nunc in devexa ætate magis Magdalenam ago et adamo, memor brevis ævi, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ mihi fida amica, tota terra est charior, adeoque cœlum terrestre videtur, quale S. Bernardo visa est) silentis et solius sum incola : cellicola et musæi sacri assecla, cœlicola esse contendo ; sanctæ contemplationis, lectionis, scriptionis otium, imo negotium persequor ; Deo uni et trino, ejusque oraculis et inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo ; ad Christi pedes sedeo, ut ab ore ejus pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. Quid enim dignius, quid salubrius, quid sapientius, quid divinius, quam illi uni intendere, a quo omnia, ut dicas sapiasque cum Psalte : « Mihi autem adhærere Deo bonum est? » *Psal.* LXXII, 28, illi totum vacare, illi placere, illum cogitare, imitari, sequi : illum diligere, illum sonare more, ore et amore ; illum unum vita, lingua et corde laudare ; illum manu, calamo et mente celebrare? Hoc Angelorum continuum est opus, hic vitæ cœlestis prægustus, hæc æternæ beatitudinis inchoatio ; nimirum Deo uni et trino contemplando fruendoque insistere, eique cum Seraphinis præ stupore et veneratione oculos pedesque velantibus, jugiter concinere : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth : plena est omnis terra gloria ejus ; » atque cum Apostolo exclamare : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! » o sacra Trinitas, et trina unaque deitas, quam incomprehensibilis, quam investigabilis es ut in confessione veræ sempiternæque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. Ex te, per te, in te sunt omnia : « Totus Pater, ait S. Augustinus, in Filio et Spiritu Sancto est : totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est : totus quoque Spiritus Sanctus in Patre est et Filio : nullus eorum extra quemlibet ipsorum est : quia nemo alium aut procedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, » S. Augustinus *De Fide ad Petrum*, lib. I, cap. 1 ; S. Athanasius in *Symbol.* Tanti enim est Filio gigni, quanti Patris gignere ; tam augustum Spiritui Sancto spirari, quam Patri et Filio spirare : spirando enim eandem numero accipit essentiam et majestatem, quam habet Pater et Filius. « Te ergo unum in substantia, Trinitatem in personis, confitemur. » Te invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, salus nostra, honor noster, o beata Trinitas. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sempiterna sæcula. Te Deum Patrem ingenitum, te

Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuum Trinitatem, toto corde et ore confitemur et benedicimus. Verum quibus te elogiis celebrem, quibus nominibus compellem? conceptus vocesque hominum et Angelorum in immensum transcendis, et caliginem habitas inaccessibilem, ideoque magis casto, ut ait S. Dionysius, es veneranda silentio, quam exili depressæ mentis celebranda eloquio. Tu Numen *τριπρόσωπον*, Triformis relatio, Divinitatis triangulus, Natura trigemina, Majestas trisagia, Trias *τρισμακάρια*, Tripartita hypostasis, Personarum ternio, Triumviratus (ut ita dicam) *δμούσιος*. Quibus ideis, parabolis, similitudinibus te repræsentem? Omne nostrum simile, tuo multum est dissimile. Omne tui in terris vestigium, tantum a te distat quantum creatura a Creatore, umbra a corpore, nihilum ab ente, finitum ab infinito. Si infantibus balbutire licet, adeoque congruit; si ima summis, humana divinis componere; si nostris mentibus te per nostros conceptus, species, formas, licet admodum difformes, aliquatenus effingere; tu Tridigitus *παντοκράτωρ*, Deus trimegistus, Speculum trifaciale, Mens tripotens, Parelius trilustris, Sol trifulgidus, Anima tricorpor, Fulmen trisulcum, Gladius triceps, Arbor trifida, Triphyllum paradisi, Ignis triflammeus, Lampas trilucens, Dioptra triquetra, Concentus *τρίφωνος*, Triglyphum elegantiæ, Tricolon pulchritudinis, Trigonum alpha, Triglotton eloquentiæ, Tribraichium potentiæ, Trivium sapientiæ, Trioculus providentiæ, Arx *τρίεμβολα*, Triclinium ambrosiæ, Triremis abyssi, Tripodium æternitatis, Trivertex celsitudinis, Triculmen gloriæ, Tridens creationis, Tripes substantiæ, Tristegum cœlorum, Triradius lucis, Iris tricolor, Manus *τριδάκτυλος*, Fons *τρίτομος*, Frons tricornis, Hasta tricuspis, Adamas trigemmis, Funis trinodis, Licium trilix, Trimodium entis, Tristrophon essentiæ, Trimetrum latriæ, Tricoronis imperii, Tripolis universi, Tricosmus magnificentiæ ὧ; Trinus Jehova, Trinum α et ω.

Tu rerum, tu principium, tu terminus idem;
 Filius, æterno proles æquæva parenti;
 Amborum communis amor, cœli aurea flamma,
 Spiritus ignipotens, implens ardoribus orbem.
 Unum numen, idem tribus, et tribus, una voluntas,
 Majestas, natura eadem, tribus una potestas.

Alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud. Et vice versa, hi tres unum sunt; non tamen unus. Quælibet enim persona, per se una est, ideoque unus: sed unum, sive unitas essentiæ est in tribus personis, et in singulis, integra. Explosus est jampridem, et in seipsum illusus sponte dissiliit Abailardi error, qui in SS. Trinitate ponebat gradus personarum, contra quem sublimiter S. Bernardus: « Ille, inquit, digne, pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, ubi totum est summum: nil distans, ubi totum est unum: nil hians, ubi totum est integrum:

nil denique imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Filius et Spiritus Sanctus. Totum Filius, quod et ipse et Pater et Spiritus Sanctus. Totum Spiritus Sanctus, quod et ipse et Pater et Filius. Et totum, unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis : nec enim verum summumque bonum quod sunt, inter se particulariter dividunt; quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt, » *Epist. 19 ad Innoc. Pontif.* Quod admirans et profunde venerans S. Augustinus : « Soli tibi, inquit, o Trinitas, integre nota es ; Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis et superinenarrabilis, et superinaccessibilis, superincomprehensibilis, superintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem essentiam supercelestium animorum : quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum, » in *Soliloquiis* cap. xxxi.

Porro licet SS. Triadis opera, æque ac natura, potentia, mens et voluntas sint indivisa, tamen ob affinitatem proprietati personæ cujusque congruentem, recte Patri, ait D. Thomas I part., *Quæst XLV*, art. 6, attribuitur omnipotentia ; filio omniscientia, quia ipse est Verbum et idea Patris ; Spiritui Sancto summa et immensa bonitas, quia ipse est notionalis amor Patris et Filii. Rursum : « In Patre, ait S. Augustinus, est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium ; connexa omnia propter Spiritum Sanctum, » lib. I *De Doctr. Christ.* cap. v. Insuper Patri ascribitur æternitas, Filio veritas, Spiritui Sancto charitas ; Patri providentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto ordo et unio ; Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui Sancto conservatio ; Patri prædestinatio, Filio redemptio, Spiritui Sancto sanctificatio ; Patri vocatio, Filio justificatio, Spiritui Sancto glorificatio ; Patri purgatio, Filio illuminatio, Spiritui Sancto perfectio ; Patri præterita, Filio præsentia, Spiritui Sancto futura ; Patri principium, Filio medium, Spiritui Sancto finis et terminus. Nam, ut ait S. Bernardus serm. 80 *in Cant.* : « Sanctissima Trinitas loca omnia continet, et quæque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum ; tempora sub ea transeunt, non ei : futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur. » SS. Trinitas enim est immensitas, cui omnis locus, summus, medius, imus ; et æternitas, cui omne tempus præsens est et coexistit, ac consequenter præteritum ei non præteritum, sed præsens est ; futurum ei non futurum, sed præsens est. Quocirca perfecta Trinitatis cognitio, plena sapientia et vita æterna est : cui proinde suspirans S. Gregorius Nazianzenus in hymno ad Deum, ita canit :

O viva Trinitas! te unum canam monarcham,
Origo cui nec ulla est, versio nec ulla :

Idem, *orat.* 40, SS. Trinitatem vocat « trium infinitorum infinitam conjunctionem. Vix unum, inquit, animo concepi, cum tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cum ad unum statim sublimis feror, etc. Unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam. » Nam, ut idem ait in carmine *de Spiritu Sancto*, in SS. Triade est monas, ideoque monarchia, quæ concordiam; non polyarchia, quæ discordiam, lites et bella gignit. Toto ergo corde et ore celebremus triadem, adoremus monadem, benedicamus Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Jam vero SS. Trinitas seipsam Christo et nobis multipliciter communicavit, et trinitatem quamdam operata est, ac in dies operatur et communicat. « Tres sunt, ait S. Joannes, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt, » *epist.* I, cap. v, 7. Et S. Bernardus: « Sicut in illa singulari divinitate, trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione (in Christo) trinitas est in substantiis, in persona unitas. Et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit trinitatem: ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus, opus mirabile, opus singulare inter omnia et super omnia opera sua. Verbum enim, et anima, et caro, in unam convenere personam; et hæc tria unum, et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, » *serm.* 3 *in Vigil. Nativit.* Benedicta sit ergo sancta Trinitas, atque indivisa Unitas; confitebimur ei, quia in Christo magnam fecit nobiscum misericordiam suam.

Creaturæ vero pendent a SS. Trinitate, sicut radius a sole. Pater enim est, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur: Filius, ex quo omnis filiatio, progenies et propagatio: Spiritus Sanctus, ex quo omnis amor, omnis gratia, omnis liberalitas, omne donum. In homine autem, ait S. Bernardus, « est Trinitas creatrix, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio et voluntas. Et est trinitas, in quam cecidit impotentia, cæcitas, immunditia. Est trinitas, per quam resurgit fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum: est et spes veniæ, gratiæ et gloriæ: est et charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, » *serm.* 1 inter parvos. Pari modo S. Augustinus, lib. XI *De Trinit.*, sub finem, docet SS. Trinitatem sui imaginem expressisse in anima et tribus ejus potentiis: « Hæc, inquit, tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Quocirca hæc tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia: « sicut in Deo tres

personæ, sunt una vita, una mens, una essentia divina. Idem, initio lib. XII, ostendit vestigium SS. Trinitatis esse in corpore et in quolibet sensu, verbi gratia in visu, inquit, sunt tria, scilicet res visa, ipsa visio, et animi intentio. Et cap. v et xx, docet in solis justis esse perfectam Dei imaginem. « Hi enim soli, ait, vivunt secundum trinitatem interioris hominis, » quæ sita est in fide, spe et charitate. Jam sicut memoria parit intellectionem, intellectio amorem; et sicut fides parit spem, spes charitatem: ita Pater generat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Rursum, imago aut vestigium SS. Trinitatis, ab ea impressum est soli; nam sicut sol spargit radios, radii calorem: ita Pater ex se spargit Filium, Filius cum Patre Spiritum Sanctum. Insuper arbori; sicut enim arbor ex radice profert ramum, ramus cum radice profert fructum: sic Pater profert Filium, et per Filium ac cum Filio Spiritum Sanctum. Imago est in Adamo, uti insinuat Nazianzenus *orat.* 39. Adam enim fuit ingenitus, quia formatus a solo Deo, qui mox ex Adamo plasmavit Evam; Adam deinde ex Eva procreavit Seth: ita Pater est ingenitus, Filius ab eo genitus, per quem et cum quo producit Spiritum Sanctum. Imago est in anima, quæ eadem est in capite, collo et pectore, et ex capite per collum influit, et spiritus animales traducit in pectus: similiter enim eadem divinitas est in Patre, Filio et Spiritu Sancto, quæ ex Patre per Filium influit, et communicat se Spiritui Sancto. Imago est in oculo et speculo. Sicut enim idem objectum, verbi gratia idem numero, homo, per sui speciem est et apparet quasi triplex in tribus speculis, et in tribus oculis: ita eadem deitas est et apparet trina in tribus personis. Imago, eaque clarissima et præclarissima, est in venerabili Eucharistia. Sicut enim idem numero Christus existit in tribus hostiis consecratis, et hostiæ realiter a se invicem distinguuntur, cum tamen essentiam habeant plane eandem, nimirum idem corpus Christi: ita eadem essentia divina existit in tribus personis, quæ in ratione personæ realiter differunt, cum essentiam habeant eandem et individuum. Imago est in catena, ait S. Basilius, *epist.* 43 *ad Greg. Nyssen.* « Sicut enim, qui unius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul et alterum insertum attrahit: ita et hic qui Spiritum trahit, ut Propheta inquit, per ipsum, et Filium, et Patrem, una simul attraxerit. Hic enim nove et insolite est conjuncta discretio » notionum et proprietatum personalium, « ac discreta conjunctio » personarum in eadem numero essentia. Imago, ait idem ibidem, est in iride: sicut tres colores faciunt in circulo cœlesti iridem: ita tres personæ in deitate faciunt Triadem, puta unum Trinumque Deum. Denique SS. Trinitatis imago est quilibet spiritus, et quodlibet corpus: in spiritu enim trinitas est, natura, potentia, operatio: in corpore, materia, forma, proprietas. Vis amplius? Omnia in trinitate, puta in numero, pondere et mensura, creavit et ordinavit Deus. Quocirca Plato in *Timæo* censuit mundum factum esse per cubum ternarii, puta per viginti septem (cubus numerorum est, cum numerus primum in se, deinde in productum ducitur et

multiplicatur, ut ter tria sunt novem, ter novem sunt viginti septem), in quo omnis harmonia et consonantia consistit. Hinc et primitus Angelos trinis ordinibus distinctos, in trinis æque hierarchiis creavit, ut in eis primam sui, puta SS. Triadis, imaginem exprimeret. Nam ter tria sunt novem, ter novem sunt viginti septem, qui est cubus ternarii.

Da, Domine, ut in hisce tui vestigiis, ac præsertim in tui imagine, quam animæ nostræ impressisti, jugiter te intueamur. Da ut in memoria nostra, semper præsentem habeamus nostrum prototypum, Patrem æternum, ut ubique ejus recordemur et memoremur. Da ut in intellectu, verbo mentis nostræ, Verbum primævum, a quo omne verbum nostrum, cogitemus et sapiamus. Da ut in voluntate et amore nostro, Spiritum Sanctum, qui fontalis noster est amor, perenniter diligamus, ut in ea ipse quasi in templo suo sancto habitare, eamque ad omne bonum agere et impellere dignetur.

Hæc ineffabilia tua, o SS. Trinitas, mysteria Prophetæ a te revelante primi didicerunt, primi enuntiarunt, primi scripto posteris tradiderunt. Vidit Isaias Deum, non tantum qua unum, sed et qua trinum, visione illa admirabili et inexplicabili, in augusto solio residentem, ideoque pariter Sera- phinos trisagio eum salutantes et adorantes audivit. Idem crebro discit do- cetque, Patrem Filio incarnato communicasse Spiritum Sanctum : « Ecce, inquit, servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo ani- ma mea : dedi Spiritum meum super eum, » cap. XLII, vers. 1. « Et nunc Do- minus Deus misit me, et Spiritus ejus, » cap. XLVIII, vers. 16. Et : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, » cap. LXI, vers. 1. Jeremias ab eodem sua, quæ proloqueretur ora- cula accipiens, obstupescens suam, trino suspirio et lamento, SS. Trinitati confitetur infantiam : « A, a, a, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum, » cap. I, 6. Idem, trina terræ objurgatione, monet eam, ut trini Dei sui vocem audiat : « Terra, terra, terra, audi sermonem Domini, » cap. XXII, 29. Idem : « Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum, » cap. XXXI, 22. Et mox de Spiritu Sancto : « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam (quod est opus Spiritus Sancti) : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, » vers. 33. Ezechiel vidit SS. Trinitatem in curru gloriæ, quatuor Cherubinis stipatam, super thono sapphirino residen- tem, trina specie, hominis, electri et ignis. « Statura quoque erat rotis, et alti- tudo, et horribilis aspectus : et totum corpus oculis plenum, etc. Spiritus enim vitæ erat in rotis, » cap. I, 18. Idem assidue a Deo audit : « Fili hominis, hæc loqueris, » hæc vaticinaberis, ut repræsentet Filium Dei quasi legatum a Patre missum ad homines. Spiritus Sancti vero meminit, cum ait : « Et spiritus leva- vit me, adduxitque in Chaldæam, » cap. XI, 24. Et : « Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, » vers. 19. Et : « Dabo vobis cor

novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, » cap. xxxvi, 26. Daniel tribus pueris in fornace Babylonica, repræsentat SS. Triadem, cujus ope in igne illæsi manserunt, cap. iii : quocirca eidem hymnum insignem concinuerunt, cap. vii, 9. Idem : « Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei, etc. Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur ; et regnum ejus, quod non corrumpetur. Horruit spiritus meus, » vers. 9-15. Et rursum : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungetur Sanctus sanctorum, » cap. ix, 24. Ungens enim est Pater ; unctus, puta Christus, est Filius ; unctio et oleum est Spiritus Sanctus. Tua ergo, imo de te sunt, o SS. Trinitas, hæc oracula, quibus te Prophetis revelasti, teque per eosdem nobis depinxisti. Da ut te in iis cognoscamus, revereamur, amemus, colamus. Da ut quicumque hasce in eos commentationes lecturi sunt, ex iis in tui amorem et venerationem accendantur. Te negant et lacerant Saraceni et Turcæ in Asia, schismatici in Africa, hæretici in Europa, pagani in India. Eia, Domine, tua virtute et gratia finem accipiant hæresis, schisma, mahometismus, paganismus : adveniat regnum tuum, sanctificetur nomen tuum sanctum tota Asia, Africa, Europa, India ; ut totus orbis te confiteatur, te laudet, te celebret ; ut omnes in idipsum uno ore parique concentu, jugiter tibi modulemur « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Gloria Patri, qui nos creavit : gloria Filio, qui nos suo sanguine redemit : gloria Spiritui Sancto, qui nos sua gratia sanctificavit. Gloria Patri, qui nos prædestinavit : gloria Filio, qui nos justificavit : gloria Spiritui Sancto, qui nos beabit et glorificabit. Atque hac fide et laude, mereamur te frui in cœlo, et in te vitam, regnum et gloriam æternam (quæ utique tu es) possidere tibi cum hierarchiis cœlestium spirituum, cum myriadibus, inquam, Angelorum, in omnes æternitates jubilemus : Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, uni et trino, in sæcula sæculorum. O sacra Trinitas, o trina Unitas, o una immensitas immensa charitas, chara veritas, vera suavitas, suavis felicitas, felix æternitas, Deus noster, amor et honor noster, jubilus noster, et omnia. Amen.

HIEROGLYPHICA

ET SACRA SYMBOLA

EX IV PROPHETIS COLLECTA,

ORDINE DIGESTA, ET BREVITER EXPLICATA.

EX ISAIA.

I. Cap. II, vers. 2. « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes : quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium. » Mons hic hieroglyphicum est Ecclesiæ, quæ quasi mons omnibus collibus humanæ politiæ, sapientiæ, religionis eminet, ad quam confluerunt gentes ex toto orbe : quia de Sion monte, ubi cœpit Ecclesia, exiit lex Christi, et verbum Evangelii, id est, læti nuntii de pace hominum cum Deo, et inter se : Christus enim nos Deo reconciliavit, ac sua lege docuit, et induxit homines ad pacem, ut positis armis unionem colerent et servarent. Vide dicta *Isaiæ*, II.

II. Vers. 22. « Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse. » Est hoc hieroglyphicum Christi, in quo ejus humanitas et ira significatur per hoc quod dicitur, « cujus spiritus in naribus ejus est, » *q. d.* Qui more cæterorum hominum per nares halitum attrahit, et respirat, ac iras naribus efflat : deitas vero per hoc quod vocatur « excelsus, » id est, ipsa celsitudo (ut habent Hebræa) et majestas summa ac divina.

III. Cap. IV, vers. 2. « In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. » Hoc germen est hieroglyphicum Christianorum, et propaginis Ecclesiæ, quæ magnifice non tantum totum terræ orbem, sed et cælum occupavit.

IV. Vers. 5. « Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte. » *q. d.* Sicut Deus Hebræos per desertum in Chanaan deduxit, viamque præivit in columna nubis per diem, et ignis per noctem, tutando eos ab æstu, pluvia et hostibus ; ita pariter ipse Christianos e terra in cælum deducet, tutans eos ab omnibus adversis die et nocte. Unde

explicans subdit. « Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia. » Columna enim ignis et nubis fuit hieroglyphicum Spiritus Sancti, ejusque gratiæ et protectionis.

V. Cap. V, vers. 1. « Vineam factam dilecto meo in cornu filio olei, » id est, oleato, pingui et fertili. « Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea : et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. » Vineam hæc hieroglyphicum est Synagogæ Judæorum, quæ plantata et exulta a Deo protulit, non uvas, sed labruscas, id est, opera iniqua et impia. « Cornu olei » est Judæa robusta ut cornu, fertilis et pinguis ut oleum : seps est lex : turris est templum : torcular altare, etc.

VI. Cap. VI, vers. 1. « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ alteri : duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. » Thronus hic fuit hieroglyphicum majestatis sanctissimæ Trinitatis. Unde Seraphini velant ejus faciem, id est, deitatem ; et pedes, id est, humanitatem Verbi, puta mysterium incarnationis Christi, quod operata est tota SS. Trinitas, ideoque ei jugiter acclamant ter Sanctus. Porro Isaias hic a Deo per Seraphinos consecratur Propheta, ut utrumque hoc mysterium, scilicet tam Trinitatis, quam incarnationis prædicet : illudque non tam Judæis, utpote excæcandis et reprobandis, quam Gentibus, puta Christianis annuntiet. Unde subdit :

VII. Vers. 6. « Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hæc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam ? et quis ibit nobis ? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, et dices populo huic, etc. » Seraphini ar-

dentes repræsentant Deum qui est ignis consumens, et amor ardorque increatus et immensus, quem maxime patefecit in incarnatione Verbi. Rursum significant Isaiam, et quemlibet prædicatorem debere purum esse a labe peccati, ac ardere charitate, et verbo vitæ spirare ignes et flammam amoris divini, quibus arguentia peccatorum corda calefaciat et accendat.

VIII. Cap. VII, vers. 14. « Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. » Hæc virgo pariens, ejusque filius Emmanuel, id est, nobiscum Deus, sunt signum et hieroglyphicum divinæ opis et redemptionis tum Judæorum a minis Rasin et Phæce, tum generis humani e manu et potestate diaboli, peccati et inferni. Emmanuel comedit butyrum et mel, quia infantilibus hisce cibis quasi infans vescetur, crescet et adolescet ad ætatem qua infantes sapere, et bonum a malo discernere solent: et quia totus erit placidus et suavis, ac si butyraceus esset et melleus.

IX. Vers. 18. « Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et apî, quæ est in terra Assur, et venient, et requiescent, etc., in omnibus frutetis » Judææ. Musca symbolum est Ægyptiorum, ob eorum copiam, impudentiam, strepitum ac jactantiam inanem; apis Assyriorum, ob eorum aculeum, id est, noxas et clades, ac variegaturam vestium et armorum: utrosque enim Deus quasi apes et muscas, sibilo evocavit ad depascenda arva Judææ.

X. Vers. 20. « Radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum et barbam universam. » Tonsor hic hieroglyphicum est Dei, qui per Assyrios quasi per novaculam totondit barbam et pilos pedum, id est, principes ac plebeios Judæorum.

XI. Cap. VIII, vers. 1. « Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachæ: et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: festina prædari. » Prophetissa hæc hieroglyphicum est Beatæ Virginis, quæ peperit Christum, cujus nomen est velox spoliator, festinus prædator: quia Christus brevi tempore spoliavit mortem et infernum, magnamque ex eo prædam abstulit. Porro jubetur hoc scribere Isaias in libro, adhibitis testibus Uria et Zacharia, ut Judæi et Gentes sciant certo id futurum; et cum factum fuerit, agnoscant hanc Isaïæ de Christo prophetiam fuisse veram, ac in Christo esse adimpletam.

XII. Vers. 6. « Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, » id est,

regiam Davidis stirpem, puta regem Achaz, « et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, etc., et ibit per Judam, inundans; et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ (Judææ, in qua quasi rex Israel nasciturus es), o Emmanuel. » Aquæ Siloë quæ vadunt cum silentio, symbolum sunt regni et stirpis Davidis, ob ejus humilitatem, modestiam, pietatem, et quia ex ea prognatus est Christus rex mansuetissimus et modestissimus; quem qui abjicit, incidet in aquas fluminis fortes, id est, in manus violentas et truculentas regis Assyriorum, id est, Luciferi.

XIII. Vers. 13. « Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem, » *q. d.* Deus credentibus et fidelibus suis, se timentibus et colentibus, erit sanctificatio, sanctaque tutela et protectio: incredulis vero impiisque Judæis erit quasi petra scandali, in quam impingentes corruant; et quasi laqueus, quo capiantur.

XIV. Vers. 18. « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel. » Isaias et Christus, eorumque discipuli, id est, Prophetæ et Apostoli, eorumque sequaces, fuerunt portentum doctrinæ et vitæ Israeli, totique orbi. Prædicarunt enim verbo et vita, beatos esse pauperes, humiles, patientes, Martyres, etc. quæ mundo videntur esse paradoxa et portenta.

XV. Cap. IX, vers. 6. « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. » Hæc omnia elogia sunt hieroglyphica Emmanuelis, id est, Christi: ipse enim, *primo*, natus est parvulus et filius Virginis. *Secundo*, datus est nobis. *Tertio*, crucem, quasi insigne sui principatus, gestat humero. *Quarto*, est et vocatur admirabilis, consiliarius, Deus, etc.

XVI. Cap. XVI, vers. 1. « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion, » *q. d.* Fac, o Domine, ut ex Ruth Moabitide, quæ olim ex Arabia Petræa commigravit in Judæam, puta ex ejus posteris, tandem aliquando nascatur Christus. Christus enim est agnus, qui orbem Deo et sibi subiget.

XVII. Cap. XIX, vers. 1. « Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, » *q. d.* Deus per castra Assyriorum, quasi per nubem levem vectus, debellabit Ægyptum, ejusque idola. Allegorice Christus vectus ulnis sanctæ matris suæ, delatusque in Ægyptum, prostravit idola.

XVIII. Cap. xx, vers. 2. « Locutus est Dominus (ad Isaiam): Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum, et super Æthiopiã: sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti, » *q. d.* Jussu Dei, per triduum Isaias ambulavit nudus, ut significaret per tres annos Ægyptios et Æthiopes a Sennacherib suis opibus et vestibis nudandos esse et dispoliandos.

XIX. Cap. xxii, vers. 22. « Dabo clavem domus David super humerum ejus (Eliacim): et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat, » *q. d.* Constituam Eliacim pontificem et principem templi. « Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domus patris ejus. Et suspendent super eum vasorum diversa genera, etc. » Idem dicit, alio paxilli symbolo, scilicet Eliacim fore principem templi.

XX. Cap. xxv, vers. 6. « Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. » Convivium hoc est, quod Christus nobis exhibet in Evangelio, et Sacramentis, præsertim Eucharistiæ.

XXI. Vers. 7. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie. » Vinculum hoc est peccatum originale cum suis asseclis, scilicet concupiscentia, peccato actuali, morte, etc.

XXII. Cap. xxvi, vers. 1. « Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. » Sion nostra fortitudo, est Ecclesia; cujus murus et antemurale est Christus, in quam ingrediuntur justii. Unde subdit: « Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error » idololatriæ, errorum et vitiorum, « abiit: servabis pacem; pacem, quia in te speravimus. »

XXIII. Vers. 19. « Expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. » *q. d.* Sicut ros noster lucem et vitam affert plantis, sic tua gratia, o Domine, affert mortuis vitam, et resurrectionem gloriosam.

XXIV. Vers. 20. « Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum aũ momentum, donec pertranseat indignatio. » *q. d.* Ite, o Martyres, o justii, ad sepulcrã, modicum ibi dormite, donec puniam impios: eo enim facto, vos a somno mortis excitabo ad beatam vitam.

XXV. Cap. xxvii, vers. 2. « In die illa vinea mœri

cantabit ei. » *q. d.* Ecclesia, cæso Leviathan, id est diabolo, cantabit et gratulabitur ei, id est sibi.

XXVI. Cap. xxviii, vers. 1. « Væ coronæ superbæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguisimæ, errantes a vino. » *q. d.* Væ superbis, ebriosis et gloriosis Samaritis: illos enim excindet Deus per Assyrios.

XXVII. Vers. 5. « In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui: et spiritus judicii sedenti super judicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam, » puta militibus Ezechiæ, cæso Sennacherib, cum triumpho redeuntibus in Jerusalem.

XXVIII. Vers. 16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet. » Hic lapis angularis Sionis, id est Ecclesiæ, est Christus, qui in se, quasi in angulo et fundamento, nectit Judæos et Gentes, ut unam domum, id est Ecclesiam, constituant.

XXIX. Cap. xxxi, vers. 9. « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem, » *q. d.* Dixit Dominus se percussurum castra Sennacherib, ac ab ejus manu liberaturum Jerusalem et templum; quia in eo est ejus ignis et caminus, quo jugiter colitur, dum eo ipsius sacrificia et victimæ concremantur. Quocirca Deus hunc suum ignem ac caminum, templum et urbem a vi Assyriorum tutabitur, eosque disperdet.

XXX. Cap. xxxiii, vers. 20. « Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur. » Sion hæc est hieroglyphicum cœlestis patriæ, et æternæ beatitudinis.

XXXI. Cap. xxxiv, vers. 6. « Victima Domini in Bosra, » *q. d.* Impii Idumæi quasi victimæ macTABUNTUR et immolabuntur Deo, Deique justitiæ et vindictæ: unde explicans subdit: « Et interfecitio magna in terra Edom. »

XXXII. Vers. 9. « Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur: et erit terra ejus in picem ardentem. » Hoc verum fuit in excidio Idumææ, sed verius erit in excidio orbis, et in gehenna.

XXXIII. Vers. 11 et 14. « Et possidebunt illam onocrotalus et ericius: ibis et corvus habitabunt in ea. Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum, » *q. d.* Ita desolabitur Idumæa, ut sit habitaculum, non hominum, sed dæmonum et ferarum.

XXXIV. Cap. xxxv, vers. 1. « Lætabitur deserta et in via, et exultabit solitudo, et florebit quasi liliū. Germinans germinabit, et exultabit lætãbunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri. » Hæc solitudo hieroglyphicum est gentilitatis, quæ viso et audito Christo,

ejusque Apostolis, protulit lilia castitatis, et germina virtutum omnium. Unde subdit : « Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patēbunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur yror calami et junci. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus. Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum. »

XXXV. Cap. xxxviii, vers. 7. « Hoc tibi erit signum » sanitatis recuperandæ. « Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. » Regressus ergo hic umbræ et solis fuit hieroglyphicum regressus sanitatis, annorum et vitæ Ezechie regis.

XXXVI. Cap. xl, vers. 3. « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. » Hæc vox fuit hieroglyphicum S. Joannis Baptistæ, cujus concio, victus, vestitus, totaque vita non fuit aliud quam contenta et continua vox pœnitentiæ et contemptus mundi, præparans homines ad gratiam et salutem accipiendam a Messia.

XXXVII. Vers. 6. « Vox dicentis : Clama : et dixi : Quid clamabo ? » cui respondet Deus, clama : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos : Verbum autem Domini nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, dic, etc. Ecce Deus vester : ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. »

XXXVIII. Cap. xli, vers. 18. « Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes : ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ : ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul : ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et sanctus Israel creavit illud. » Omnes hæc arbores et flumina sunt hieroglyphicum viroris, et copię gratiarum et virtutum, quæ per Christum in solitudine Gentium succreverunt.

XXXIX. Cap. xlii, vers. 1. « Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum. » Hic servus hieroglyphicum est Christi, unde de eo subdit :

XL. Vers. 2 et 3. « Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, » *q. d.* Christus erit tam mansuetus et patiens, ut infirmos in fide et charitate non abiciat, sed sustentet, foveat, sanet et accendat.

Vers. 6. « Dedi te in fœdus populi, » ut conderes et sancires novum testamentum, sive novum fœdus inter Christianos et Deum ; « in lucem Gentium : ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

XLI. Vers. 11. « Sublevetur desertum, et civitates ejus : in domibus habitabit Cedar : laudate, habitatores Petræ de vertice montium clamabunt. » Desertum hoc est symbolum gentilitatis, quam desertam et barbaram excoluit et cicuravit Christus, ut Gentiles et Cedareni antea vagabundi, jam in domibus et urbibus civiliter habitent, ibique non blasphemant, uti olim, sed laudent et glorificent Deum.

XLII. Cap. xlii, vers. 27. « Qui dico profundo : Desolare. Dico, » id est facio, et reipsa desolo : Dei enim dicere est efficax, idemque quod facere ; unde explicans subdit : « Et flumina tua arefaciam. »

« Qui dico Cyro : Pastor meus es. » *q. d.* Qui constituo Cyrum regem, ut quasi pastor regat populum meum, eumque in patriam reducat.

« Qui dico Jerusalem : Ædificaberis ; et templo : Fundaberis, » *q. d.* Ego sum qui Jerusalem per Zorobabel reædificabo, et templum concrematum a Chaldæis restaurabo.

XLIII. Cap. xlv, vers. 8. « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Nubes et germina sunt hieroglyphicum Christi nascentis ex Virgine : sicut enim nubes e cœlo, et germina e terra virgine prodeunt ; sic B. Virgo concepit Christum non ex viro, sed obnubilante et obumbrante eam Spiritu Sancto e cœlo.

XLIV. Cap. xlvi, vers. 11. « Vocans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. » Avis symbolum est Cyri, qui, Deo vocante, celeriter e Perside advolavit contra Babylonem, eaque eversa inde Judæos juxta Dei voluntatem liberavit : unde vocatur vir voluntatis Dei.

XLV. Cap. xlvii, vers. 1. « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. Tolle molam, et mole farinam : denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. » Hæc omnia sunt hieroglyphica captivitatis, et servitutis, *q. d.* O Babylon, rerum domina, descendes de solio tuo regali, ad terram prosterneris, quasi ancilla seminuda incedes, damnata ad pistrinum ; unde subdit : « Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas et viduitas. »

XLVI. Cap. xlix, vers. 2 et 6. « Posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suæ protexit me ; et posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me. » Gladius, quo cominus pugnatur ; et sagitta, qua eminus, significant efficaciam prædicationis Christi, qua et Judæos vicinos, et remotas gentes sibi subegit ; unde ait : « Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi

te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. »

XLVII. Cap. L, vers. 1. « Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? » Liber repudii hieroglyphicum est repudii Synagogæ, creditor diaboli, *q. d.* Ego prior non repudiavi Synagogam, nec reprobavi Judæos, nec tradidi eos diabolo; sed ipsi sponte sua hoc repudium petierunt, imo a me invito extorserunt, atque per scelera sua tradiderunt ipsi se diabolo. Unde sequitur: « Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. »

XLVIII. Vers. 3. « Induam cœlos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. » *q. d.* Inducam cœlis tenebrosum et atrum, id est, lugubrem habitum, faciam eos lugere: saccus enim, et pulla vestis sunt symbola luctus.

XLIX. Vers. 5. « Dominus Deus aperuit mihi aurem » id est, docuit me, revelavit et indicavit mihi suam voluntatem; unde ei se subdens Christus subdit: « Ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam. »

L. Cap. LI, vers. 16. « Posui verba mea in ore tuo (o Christe), et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram: et dicas ad Sion: Populus meus es tu. » Novi cœli et terra, quæ Christus condidit, est Ecclesia, tam militans quam triumphans. Sionidæ, et populus ejus sunt Christiani, puta sancti Martyres, Virgines, Confessores, etc.

LI. Vers. 17 et 19. « Consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus: usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. » Calix significat mensuram pœnæ mensuræ culpæ commensam et adæquatam; unde subdit: « Duo sunt quæ occurrerunt tibi: quis contristabitur super te? vastitas, et contritio, et fames, et gladius; quis consolabitur te? Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus. Idcirco audi hoc, paupercola, et ebria non a vino. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, etc., et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus. »

LII. Cap. LU, vers. 1. « Induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas sancti: quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcissus et immundus. Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, et sine argento redimemini. » Jerusalem hieroglyphicum est Ecclesiæ, quam Deus gratis per merita Christi liberavit a statu servitutis, qua quasi mancipium serviebat Chaldæis, id est peccato et

dæmoni, eamque transtulit in libertatem, gloriam et regnum filii dilectionis suæ.

LIII. Vers. 7 et 10. « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! » Hi pedes sunt symbolum Apostolorum toto orbe discurrentium, et evangelizantium regnum Dei. Unde subdit: « Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. »

LIV. Cap. LIII, vers. 2. « Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. » Hoc est hieroglyphicum, imo viva imago Christi, in virgulto crucis crucifixi et deformati.

LV. Cap. LIV, vers. 1. « Lauda, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. » Vidua et sterilis pariens hieroglyphicum est Ecclesiæ Gentium: conjugata et habens virum, Synagogæ Judæorum, cujus maritus erat lex. Sed Christus viduam sibi despondit, eamque fecundam effecit, ut plures Deo pareret filios quam Synagoga, antea Deo conjugata et copulata. Unde explicans subdit: « Dilata (o Ecclesia olim vidua) locum tentorii tui, etc., ad dexteram enim et ad lævam penetrabis: et semen tuum Gentes hæreditabit. » Vide *ad Galat. IV, 27.*

LVI. Vers. 11 et 12. « Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua: et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. » Sapphirus symbolum est cœlestis conversationis, jaspis fortitudinis, lapides sculpti mortificationis et charitatis, lapides desiderabiles insignium virtutum et gratiarum Ecclesiæ et fidelium. Unde explicans subdit: « Universos filios tuos doctos a Domino, etc., in justitia fundaberis, etc. »

LVII. Cap. LV, vers. 1 et 4. « Omnes sitientes, venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. » Aquæ, vinum et lac, sunt symbolum doctrinæ Evangelicæ, qua Christus animas suorum cibet et potat: unde de Christo sequitur: « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. »

LVIII. Vers. 12. « In lætitia egrediemini » e captivitate, non tam Babylonis quam dæmonis et peccati, « et in pace deducemini: montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu, » *q. d.* Tanta erit fidelium, orbisque lætitia sub Christo, ut montes jubilare, et arbores eis applaudere videantur.

LIX. Cap. LVI, vers. 3. « Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum, etc. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius

a filiis et filiabus : nomen sempiternum. » Hi eunuchi sunt symbolum virginum, qui se castraverunt propter regnum cœlorum : hi enim in eo habebunt locum separatum, gloriam et nomen æternum.

LX. Cap. LVII, vers. 15. « Hæc dicit Excelsus et sublimis, habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. » Hoc est hieroglyphicum Dei, qui est excelsus, rex sæculorum, rex æternitatis, et tamen humilia respicit, et alta de longe cognoscit.

LXI. Cap. LVIII, vers. 10. « Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, *primo*, orietur in tenebris lux tua ; *secundo*, requiem tibi dabit Dominus semper ; *tertio*, implebit splendoribus animam tuam ; *quarto*, ossa tua liberabit ; *quinto*, eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ ; *sexto*, ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis et generationis suscitabis ; *septimo*, vocaberis ædificator sepium, avergens semitas in quietem. » Est hoc hieroglyphicum pietatis, et eleemosynæ, pandens septem ejus fructus per totidem elogia.

LXII. Vers. 13. « Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo. » *q. d.* Si sabbata et festa rite colas, quiescendo non tantum ab opere, sed a sequenda tua voluntate, ejusque cupidinibus, ut ejus loco meam unius expleas voluntatem, atque hac ratione, » vocaberis sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, etc. Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui, *q. d.* « Tunc Deus delicias tibi divinas præbebit, ac te majorem terra efficiet, ut in cœlo consistens Deoque unitus despicias totum hoc terræ punctum : ibi enim longe majori et meliori hæreditate, Jacobo et Abrahæ, ejusque semini promissa, cibabit te.

LXIII. Cap. LIX, vers. 17. « Indutus est (Deus) justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus : indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. » Est hoc hieroglyphicum et pannoplia Dei, procedentis ad duellum contra dæmonem et peccatum, ut ea per Christum debellet. Ergo Dei lorica est justitia, galea salus, vestes ultio, pallium zelus.

LXIV. Vers. 21. « Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : » fœdus scilicet novum, quo per Christum contulit nobis suum spiritum et salutem : « Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore semini tui, etc. amodo et usque in sempiternum. »

LXV. Cap. LX, vers. 1 et 14. « Surge, illuminare, Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha : omnes de Saba venient, aurum et thus

deferentes, et laudem Domino annuntiantes. » Est hieroglyphicum Ecclesiæ, cui tres Magi, aliique principes et populi se, suaque dona et bona obtulerunt. Unde subdit : « Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem : et suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis. »

LXVI. Vers. 19. « Non erit ibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te (o Ecclesia tum militans, tum magis triumphans :) sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. »

LXVII. Cap. LXI, vers. 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me (Christum), etc., ut prædicarem annum placabilem Domino, » puta tempus gratiæ, salutis et christianismi : hic enim est jugis et continuus nobis annus jubilæi : « et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris : et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. » Hi sunt fideles Christiani : hi enim sunt milites fortes pro justitia decertantes, et arbores fructiferæ plantatæ a Domino, umque glorificantes.

LXVIII. Vers. 10. « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo : quia induit me vestimentis salutis : et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. » Hæc sunt symbola ornatus sponsæ Christi, puta Ecclesiæ, quæ non auro, non bysso, non gemmis, sed fide, spe, charitate, patientia, fortitudine, aliisque Dei donis et virtutibus ornatur.

LXIX. Cap. LXII, vers. 3. « Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra Derelicta, etc., sed vocaberis voluntas mea in ea. » Corona gloriæ et diadema Dei est Ecclesia, et fidelis sanctaque anima, quæ est in manu, id est in cura et tutela, Dei.

Vers. 6. « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. » Hi custodes sunt Ecclesiæ pastores : item sancti Angeli.

Vers. 12. « Et vocabunt eos (fideles, Ecclesiæ Christique filios) Populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem (o Ecclesia) vocaberis Quæsitæ civitas, et non Derelicta. »

LXX. Cap. LXV, vers. 17. « Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam, » puta Ecclesiam. Unde de ea subdit : « Ecce ego creo Jerusalem exultationem, et populum ejus gaudium. Et exultabo in Jerusalem, et gaudebunt in populo meo : et non audietur ultra in eo vox fletus. »

LXXI. Cap. LXVI, vers. 23. « Et erit mensis, » hebraice *neomenia*, « ex mense, et sabbatum ex sabbato, » *q. d.* In cœlo erit continuum et perpetuum festum ac lætitia.

EX JEREMIA.

I. Cap. I, vers. 9. « Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum : et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. » Hic tactus manus Dei fuit hieroglyphicum, quo Jeremias a Deo primo, consecratus fuit Propheta; secundo, roboratus, ne manus et plagas Judæorum pertimesceret; tertio, os ejus apertum, dispositum et formatum est ad verba Dei rite enuntianda : ut nimirum sincere et libere prædiceret, has gentes a Deo evellendas esse et destruendas, illas ædificandas ac stabiliendas.

II. Vers. 11. « Quid tu vides, Jeremia? Et dixi : Virgam vigilantem ego video. » Virga hæc vigilans fuit hieroglyphicum vigilantie Dei, ejusque vigilis et celeris ultionis, quod nimirum ipsa per Chaldæos, quasi per virgam, Judæos percuteret et flagellaret; unde explicans subdit : « Et dixit Dominus ad me : Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. »

III. Vers. 13. « Quid tu vides? Et dixi : Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis. » Olla hæc succensa fuit hieroglyphicum Nabuchodonosoris, qui quasi olla succensa ignem furoris ebullit et efflavit in Judæos, unde explicans subdit : « Ab Aquilone (a Chaldæa, quæ est ad Aquilonem Judææ) pandetur omne malum super habitatores terræ. »

IV. Cap. II, vers. 2. « Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto. » Adolescentiam vocat ætatem juvenilem Synagogæ, qua sub Mose desponsata fuit Deo, quasi ejus Ecclesia et sponsa.

V. Vers. 3. « Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus. » Quod primitiæ sunt in frugibus, hoc in Gentibus fuit Israel : præ omnibus enim, et pro omnibus, quasi primitiæ oblati et consecrati sunt Deo.

VI. Vers. 21. « Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum : quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena? » Vineam hieroglyphicum est Synagogæ, et Ecclesiæ. Vide *Isaiæ* v, 1.

7. Cap. VI, vers. 27. « Probatores dedi te in populo meo robustum : et scies, et probabis vias eorum. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulentè, æs et ferrum : universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos. » Jeremias est probator, id est argentarius conflator : argentum purgandum et conflandum sunt Judæi, qui ita fuere moribus corrupti, ut in fornace correptionis Jeremiæ excocti, non argentum, sed æs, ferrum et scoriam dederint : consumptis enim omnibus, eorum malitia non est

consumpta. Quocirca Deus eos, quasi argentum reprobum, projecit et reprobavit.

VIII. Cap. VII, vers. 29. « Tonde capillum tuum, et projice, et sume in directum planctum, » *q. d.* Tu, o Jeremia, tonde capillum more lugentium, ut Judæorum luctum portendas; et crines abs te projice, ut portendas eorum dispersionem et exilium, « quia projecit Dominus, et reliquit generationem furoris sui, » puta gentem Judaicam, in quam sævire, et quasi furere decrevit.

IX. Vers. 31. « Ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom : ut incenderent filios suos, et filias suas igni. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius, Topheth, et Vallis filii Ennom; sed Vallis interfectionis, et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus, » *q. d.* Quia in Topheth cremarunt filios idolo Moloch cum gaudio et tympanis, idcirco eos in Topheth per Chaldæos occidam et sepeliam, itaque faciam, ut vallis hæc non vocetur Topheth, id est pulchra vel tympani, sed vallis interfectionis.

X. Cap. XI, vers. 16. « Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum : ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus. » Oliva hæc hieroglyphicum est Synagogæ et Jerusalem : sicut enim dum fulmine per tonitru vibrato, afflantur olivæ, mox earum frondes et fructus exuruntur; sic Jerusalem a Chaldæis, quasi a fulmine, subito percussa, omnes suos cives, opes et gloriam vel igne vel gladio hostium perdidit.

XI. Vers. 19. « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. » Agnus hic fuit symbolum patientis Jeremiæ, Jeremias Christi : unde lignum hic typus est crucis.

XII. Cap. XII, vers. 7. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus, » *q. d.* Jerusalem et templum, quæ dilexi ut animam meam, tradidi Chaldæis. Causam subdit : « Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva : dedit contra me vocem suam. »

XIII. Vers. 9. « Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tinctorum per totum? venite, congregamini, omnes bestie terræ, prope rate ad devorandum, » *q. d.* Chaldæi persequuntur et devorabunt Judæos, sicut aves persequuntur et devorant avem peregrinam et invisam, v. g. noctuam, unde eos invitat et vocat ad hanc prædam, dicens : « Venite, congregamini, » etc.

XIV. Cap. XIII, vers. 4. « Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, et surgens vade ad Euphratem, et absconde ibi illud in fornace petrae. Et abii, et abscondi illud in Euphrate. Et factum est post dies plurimos, tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud : et ecce computruerat » Hieroglyphicum hoc explicat subdenda :

« Hæc dicit Dominus : Sic putrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem. » Lumbare enim, sive cingulum lumborum, symbolum est Judæ et Jerusalem. Causam dat vers. 11 : « Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam : et non audierunt. »

XV. Vers. 12. « Omnis laguncula implebitur vino : » sic « ecce ego implebo reges, sacerdotes, et Prophetas, et omnes habitatores Jerusalem ebrietate : et dispergam eos, neque miserebor ut non disperdam eos, » *q. d.* Propinabo eis calicem ultionis et vindictæ tam acris, ut eo hausto quasi ebrii, et mentis impotes furere videantur.

XVI. Cap. xiv, vers. 8. « Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis : quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? » *q. d.* Cur, o Domine, Israelem tuum negligis, eum quasi viator pertransis, ac permittis eum a Chaldæis opprimi? unde orans subdit : « Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos, » *q. d.* Licet nos negligere videaris, revera tamen in nobis, et nobiscum es. Nos enim sumus populus tuus, ergo ne derelinquas nos.

XVII. Cap. xvi, vers. 16. « Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos : et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. » Piscatores sunt Apostoli, venatores viri Apostolici, ut qui hodie Indos et Barbaros, quasi feras in cavernis scrutantur, cicurant, et Christianos efficiunt.

XVIII. Cap. xviii, vers. 1. « Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens : Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis : conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Numquid sicut figulus iste, non pœterito vobis facere, domus Israel, ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea : » ac proinde ego vos, quasi vasa in captivitate fracta et dissipata, refingere, et in libertatem patriamque reducere, ibique ditare et dotare possum.

XIX. Cap. xix, vers. 1. « Vade, et accipe lagunculam figuli testeam a senioribus populi, et egredere ad vallem filii Ennom. Et conteres lagunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum. Et dices ad eos : Hæc dicit Dominus exercituum : Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli. » Ecce hieroglyphicum a Deo explicatum.

XX. Cap. xxii, vers. 23. « Quæ sedes in Libano, et nidificas in cedris, quomodo congemuisti, cum

venissent tibi dolores, quasi parturientis? » *q. d.* O Jerusalem, decore et gloria par Libano, quæ quasi aquila in præcelsis e cedro domibus habitas, quomodo gemes cum excinderis a Chaldæis?

XXI. Vers. 24. « Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias, etc., annulus in manu dextera mea; inde evellam eum. » Hieroglyphicum hoc clare hic explicatur, uti et sequens.

XXII. Vers. 29. « Terra, terra, terra, audi verbum Domini. Scribe virum istum (Jechoniam) sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur : nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David. »

XXIII. Cap. xxiii, vers. 5 : « Suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter : et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster. » Hoc Davidicum justitiæ germen, est Christus Salvator.

XXIV. Vers. 33. « Si interrogaverit te populus iste, etc., dicens : Quod est onus Domini? dices ad eos : Vos estis onus; projiciam quippe vos. »

XXV. Cap. xxiv, vers. 3. « Quid tu vides, Jeremia? Et dixi : Ficus, ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde. » Ficus bonæ valde repræsentant Joachin, ejusque asseclas, qui obedientes Deo et Jeremiæ, tradiderunt se Chaldæis, de quibus dicit vers. 5. « Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum, » *q. d.* Bonus et beneficus eis ero; faciam ut hæc eorum transmigration cedat eis in bonum. Ficus malæ valde repræsentant Sedeciam et socios, qui contra jussu Domini rebellaverunt Chaldæis, ideoque perierunt, de quibus ait, vers. 8 : « Sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ : hæc dicit Dominus : Sic dabo Sedeciam regem Juda, et principes ejus, etc., et dabo eos in vexationem, in opprobrium, et in maledictionem. »

XXVI. Cap. xxv, vers. 15. « Sume calicem vini furoris hujus de manu mea : et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. » Calix hic est mensura vindictæ et excidii, quam cuique genti pro mensura culpæ, per Jeremiam intentat Deus. Unde sequitur : « Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. »

XXVII. Cap. xxvii, vers. 2 et 6. « Fac tibi vincula, et catenas : et pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad regem Edom, Moab, Tyri, Sidonis, etc. » Hæc vincula significant jugum Nabuchodonosoris, et catenas, quibus ab eo vincendi erant Judæi, et aliæ gentes; unde ea explicans subdit : « Itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, etc. Et servient ei omnes gentes, etc. Quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis, in gladio, et in fa-

me, et in peste visitabo super gentem illam. »

XXVIII. Cap. xxviii, vers. 10. « Et tulit Hananias Propheta (pseudopropheta) catenam de collo Jeremiæ, et confregit eam dicens : Hæc dicit Dominus : Sic confringam jugum Nabuchodonosor. Et factum est verbum Domini ad Jeremiam : Vade, et dices Hananiæ : Hæc dicit Dominus : Catenas ligneas contrivisti : et facies pro eis catenas ferreas, quia, etc., jugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor. Audi, Hanania : Hoc anno morieris. Et mortuus est in anno illo. »

XXIX. Cap. xxxi, vers. 15. « Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt. » Hæc vox est matrum plorantium stragem filiorum, in infanticidio Herodis nato Christo.

XXX. Vers. 31. « Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, etc., dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. » Lex vetus scripta fuit in lapide, nova in corde.

XXXI. Vers. 38. « Ædificabitur civitas Domino, a turre Hanameel usque ad portam anguli, etc. » Significatur ædificatio et propagatio Ecclesiæ.

XXXII. Cap. xxxii, vers. 9 et 15. « Emi (jubente Deo) agrum ab Hananeel filio patru mei. Hæc enim dicit Dominus, etc. Adhuc possidebuntur domus, et agri, et vineæ in terra ista. » *q. d.* In obsidio Jerusalem emi agrum mei patruelis, ut hoc facto repræsentarem, et Judæis spem darem, quod post 70 annos captivitatis quisque ad suos agros in Judæam rediret. Unde caput hoc claudit, dicens : « Convertam captivitatem eorum. »

XXXIII. Cap. xlvi, vers. 9. « Sume lapides grandes, et abscondes eos in crypta, quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis; et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Ecce ego mittam, et assumam Nabuchodonosor, etc., et ponam thronum ejus super lapides istos, quos abscondi, et statuet solium suum super eos, veniensque percutiet terram Ægypti. » Jubetur hic Jeremias prophetare victoriam Nabuchodonosoris de Ægypto, eique ibidem symbolicum solium struere.

XXXIV. Cap. xlviii, vers. 40. « Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Moab. » Aquila hieroglyphicum est Nabuchodonosoris, ob ejus celeritatem, rapacitatem, fortitudinem. Hic enim alas equitum et peditum contra Moab expandit.

XXXV. Cap. xlix, vers. 19. « Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam, » *q. d.* Sicut leo irruit in prædam : sic Nabuchodonosor, transito tumido Jordane, irruet in Idumæam, quam ejus incolæ putant esse pulcherrimam et robustissimam.

XXXVI. Cap. l, vers. 17. « Grex dispersus israel, leones ejecerunt eum : primus comedit eum

rex Assur (Salmanasar) : iste novissimus exossavit eum (id est Jerusalem, et templum, quæ erant ulcera, et quasi ossa Israelis, evertit) Nabuchodonosor. »

EX THRENIS.

I. Cap. iv, vers. 7. « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, non sunt cogniti in plateis. » *q. d.* Nazaræi Judæorum speciosi olim, et candore roseo perfusi, jam fame et macie squallidi sunt et atri, ut non agnoscantur. Hi Nazaræi hieroglyphicum sunt Clericorum et Religiosorum, cum e sua sanctitate et gloria in vitia et probra Dei hominumque corruunt.

II. Vers. 20. « Spiritus oris nostri (non Josias, non Sedecias, sed Salvator Jesus, qui est halitus, anima et vita nostra) Christus Dominus in peccatis nostris captus est, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. »

EX EZECHIELE.

I. Cap. i, vers. 4. « Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, et nubes magna, et ignis involvens et splendor in circuitu ejus quasi species electri. » Est toto hoc cap. hieroglyphicum currus Cherubici, qui est symbolum majestatis, fortitudinis et gloriæ Dei properantis ad bellum, et excidium Judæorum, aliarumque gentium. Turbo ergo symbolum est iræ, item tempestatis et cladis Judææ a Deo imminentis : nubes significat densa castra Chaldæorum ; ignis involvens, mox futurum urbis et templi incendium.

II. Vers. 5. « Et in medio similitudo quatuor animalium : quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni : pedes eorum pedes recti, et planta eorum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspectus æris candentis. » Quatuor animalia repræsentant quatuor Cherubinos, id est principes Angelos, qui sunt quasi stipatores Dei ; unde et quatuor ejus insignia gestant, de quibus subdit :

Vers. 10. « Similitudo autem vultus eorum : facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor : facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor : et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. » Facies hominis insigne est repræsentans Dei bonitatem, et mansuetudinem : facies leonis repræsentat Dei fortitudinem : facies aquilæ ejusdem sapientiam et providentiam : bovis, ejusdem justitiam, religionem et cultum. Allegorice homo repræsentat Christi incarnationem, bos immolationem, leo resurrectionem, aquila ascensionem in cælum.

Vers. 12 et 14. « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Significatur hoc sym-

bolo Angelos esse agillimos, et promptissimos ad omnem Dei nutum.

III. Vers. 15. « Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies, etc., quasi sit rota in medic rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibant, et totum corpus oculis plenum; cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ. Spiritus enim vitæ erat in rotis. » Rotæ hæ significant Dei æternitatem, efficacitatem, vigilantiam, et celeritatem in operando, puta in mundi et Ecclesiæ gubernatione.

IV. Vers. 22. « Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis. »

Vers. 26. « Et super firmamentum quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni, et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. »

« Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus ejus per circuitum a lumbis ejus et desuper: et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu; velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluvie. » Firmamentum significat cælum empyreum, quod est quasi scabellum Dei. Thronus significat Dei, primo, majestatem et celsitudinem; secundo, regiam dignitatem; tertio, judiciariam potestatem. In hoc solio visus est sedere Deus specie humana, habens quasi corpus superne ex electro, sive aurichalco; inferne ex igne, puta habens pedes ignitos. Electrum significat præstantiam deitatis; pedes ignei, iram et vindictam in Judæos, aliosque ejus hostes. Iris in ejus circuitu significat clementiam, quæ temperat ejus iram et vindictam.

V. Cap. II, vers. 9. « Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me; qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. » Liber hic continebat minas Dei, et clades Judæis imminentes, quas Ezechiel in hac sua Prophetia conscripsit.

Cap. III, vers. 1. « Fili hominis, comede volumen istud. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo. Et comedi illud: et factum est in ore meo sicut mel dulce. » Quia cognoscere consilia et judicia Dei Prophetæ erat dulce et jucundum: at ubi per ea dira suis intentari cognovit, eaque ruminavit, amaricatus est venter ejus, indoluit et ingemuit.

VI. Vers. 25. « Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans: quia domus exasperans est. Cum autem locutus ero tibi, aperiam os tuum. » Ligavit Deus manus et linguam Ezechielis ad tempus, ut hoc silentio quasi percussus et obstupescens commoveret dura Judæorum corda. Inde enim conjicere debebant, eum mira et hor-

renda audisse a Deo, ac proinde iis credere, similique metu et horrore percelli, ac vitam mutare.

VII. Cap. IV, vers. 1. « Fili hominis, sume tibi laterem: et describes in eo civitatem Jerusalem. Et ordinabis adversus eam obsidionem, muntiones, castra, et pones arietes in gyro. Et tu, sume tibi sartagine ferream, et pones eam in murum ferreum inter te, et civitatem: et obfirmabis faciem tuam ad eam. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo, numero dierum, quibus dormies super illud. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum: et assumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus; diem pro anno dedi tibi. Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die. Et aquam in mensura hibes, sextam partem hin. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud: et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum. Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter Gentes, ad quas ejiciam eos. Et dixi: A a a, Domine Deus, ab infantia usque nunc non est ingressa in os meum omnis caro immunda. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in eo. »

Hoc hieroglyphico ad vivum repræsentavit Ezechiel Hierosolymæ per Chaldæos obsidionem et excidium. Nam 390 diebus decumbens in latus sinistrum, repræsentavit urbis obsidionem (ea enim totidem diebus duravit). 40 vero diebus decumbens in latus sinistrum, repræsentavit ejusdem excidium. Unde comedens fimum boum, repræsentavit tantam fore in obsidione famem, ut et stercora comederent. Hoc enim est quod explicans Deus ait, vers. 16: « Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem; et comedent panem in pondere, et in sollicitudine: et aquam in mensura, et in angustia bibent. »

VIII. Cap. V, vers. 1 et 3. « Fili hominis, sume tibi gladium (novaculam) acutum, radentem pilos: et duces per caput tuum, et per barbam tuam: et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos. Tertiam partem igni combures: tertiam partem concides gladio: tertiam vero aliam disperges in ventum. » Novacula Dei fuit Nabuchodonosor: hic rasit barbam, id est principes et sacerdotes; et pilos, id est populum Judæorum. Unde una eorum pars peste, secunda gladio interiit, tertia capta est et dispersa in Babylone. Hinc explicans subdit, vers. 12: « Tertia pars tui peste morietur et fame, et tertia pars tui in gladio cadet: tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. » Porro de reliquiis quæ cladem evadent, addit: « Et sumes inde parvum numerum: et ligabis eos in summitate pallii tui. Ex

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

eis rursum tolles, et projicies eos in medio ignis, et combures eos igni: et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. » Hi sunt Judæi, qui post reditum e Babylone, ob nova peccata, ab Antiocho Epiphane instar ignis grassante, et postea a Tito occisi sunt.

IX. Cap. viii, vers. 3. « Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: et elevavit me spiritus inter terram et cælum: et adduxit me in Jerusalem in visione, juxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. » Ezechiel in Babylone degens inde spiritu hic rapitur in Jerusalem, ut videat idololatriam, et abominationes quas Judæi faciebant in templo. Porro vocatur idolum zeli, quia Deum provocabat ad zelum et æmulationem. Deus enim zelotes non patitur alium Deum, præsertim in suo templo collocari et coli. Unde indignans subdit: « Fili hominis, etc., adhuc conversus videbis abominationes majores. Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem, vers. 14. »

X. Cap. ix, vers. 2. « Ecce sex viri veniebant: et uniuscujusque vas interfectionis in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus. Et dixit Dominus ad eum (virum qui vestitus erat lineis): Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem: et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et illis (sex viris) dixit, audiente me: Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentem, et virginem, parvulos et mulieres interficite usque ad interneccionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, et a sanctuario meo incipite. » Jubet hic Deus Angelo, ut Hierosolymæ signet pios, lugentes peccata populi, signo thau, id est crucis; unde gestat atramentarium, ut quasi notarius atramento litteram thau frontibus piorum inscribat. Deinde jubet sex aliis Angelis, ut signatis parcant, reliquos omnes non signatos per Chaldæos occidant, et urbem incendiant; unde subdit:

Cap. x, vers. 2. « Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait: Ingrederere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem. » Jubet hic Deus Angelo, ut ex suo curru Cherubim ignem, quo comburenda est Jerusalem, accipiat, ut significet urbis incendium non casu, non Chaldæorum consilio et fortitudine, sed Dei providentia et decreto eventurum.

XI. Cap. xi, vers. 2. « Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista, dicentes: Nonne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes, » q. d. Domus et

muri Jerusalem instar lebetis sunt ferrei et fortissimi; nos ergo, esto simus carnei, tamen quia ea continemur et munimur, non timemus Chaldæos. Hisce respondet Propheta subdens: « Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, et hæc est lebes, » q. d. Non vos, o Judæi, estis carnes in Jerusalem; sed carnes sunt Prophetæ, quos quasi victimas Deo mactastis. » Et educam vos de medio ejus. Gladium metuistis, et gladium inducam super vos. Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio ejus in carnes; in finibus Israel judicabo: » id est puniam et occidam vos, q. d. Educam vos ex Jerusalem ad Nabuchodonosor in Reblatha, ut ibi ab eo occidamini. Quocirca Jerusalem non erit vobis lebes et tutamen; nec vos in ea eritis quasi carnes ab hostibus intactæ et illæsæ.

XII. Cap. xii, vers. 3 et 11. « Fili hominis, fac tibi vasa transmigrantis, et transmigrabis coram eis. Ante oculos eorum perfode tibi parietem: et egredieris per eum. In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris: faciem tuam velabis, et non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel. » Jubetur hic in se ad vivum representare Ezechiel fugam Sedeciæ et Judæorum capta urbe noctu, ejusque excæcationem. Unde explicans subdit: « Quomodo feci, sic fiet illis: in transmirationem, et in captivitatem ibunt. Et dux (rex Sedecias), qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient ut educant eum: facies ejus operietur ut non videat oculo terram. Adducam eum in Babylonem: et ipsam non videbit (utpote excæcatus a Nabuchodonosor), ibique morietur. »

Vers. 18. « Fili hominis, panem tuum in conturbatione (in pavore et trepidatione) comede: sed et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe: » Causam et significationem subdit. « Et dices ad populum terræ: Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent. »

XIII. Cap. xv, vers. 2 et 4. « Fili hominis, quid fiet de ligno vitis » a vite præciso? « Ecce igni datum est in escam: sic tradam habitatores Jerusalem » igni et gladio.

XIV. Cap. xvi, vers. 4. « Quando nata es (o Jerusalem, o Synagoga), in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo; et dixi: Vive, etc., et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te: et unxi te oleo. Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino: et cinxi te bysso, et indui te subtilibus, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et coronam decoris in capite tuo. Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa; oleum meum et thymiama meum posuisti coram

eis, et fornicata es cum filiis Ægypti et Assyriorum, et cum Chaldæis. Propterea, meretrix, audi verbum Domini: Judicabo te judiciis adulterarum, et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis. » Est hieroglyphicum Israelis, sive Synagogæ, quæ in deserto pauper et misera, a Deo per Mosen collecta, eique quasi matrimonio copulata, bonisque omnibus dotata, mox quasi meretrix ab eo ad idola descivit; quocirca juste a Deo per Chaldæos punita et vastata est. Vide dicta *Ezechielis* xvi.

XV. Vers. 45. « Mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. Et soror tua major, Samaria: soror autem tua minor Sodoma. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua sicut tu: et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit. » Vocantur hæc sorores Jerusalem, quia ei vicinæ, et quia æque sceleratæ; unde et ei in pœna et excidio similes fuere.

Vers. 52. « Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis; porta ignominiam tuam quæ justificasti sorores tuas, » ut illæ te videantur meliores, et justiores, id est minus malæ, minus iniquæ et impiæ quam tu; adeoque, si tecum, et cum tua impietate comparantur, videantur esse justæ et piæ.

XVI. Cap. xix, vers. 4. « Et tu, assume plancum super principes Israel, et dices: Quare mater tua læna inter leones cubavit? et eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est: et didicit capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo Gentes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum: et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. » Læna est Synagoga, leunculus Joachaz rex, quem Pharaos captivum duxit in Ægyptum.

Vers. 5. « Quæ (læna, puta Synagoga, sive Jerusalem), cum vidisset quoniam infirmata est, et periit exspectatio ejus: tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum. Et didicit prædam capere, et homines devorare, viduas facere, etc. Et convenerunt adversus eum Gentes, et exanderunt super eum rete suum et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis. » Hic leunculus est Joachin rex, aut potius tyrannus, quem proinde Chaldæi ceperunt, et abduxerunt.

XVII. Vers. 10. « Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus et frondes ejus creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptris dominantium, etc. Et evulsa est in ira, in terramque projecta: ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in desertum. Planctus est, et erit in planetum. » Vineam hæc est Jerusalem; sanguis regius enim est quasi liquor uvæ rubeus. Hæc vinea quasi plantata ad aquas, crevit opibus et gloria, sed ob peccata ab ira Dei eradicata est, incensa, et translata in Chaldæam.

XVIII. Cap. xxiii, vers. 2. « Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius erant, et fornicatæ sunt in Ægypto. Nomina autem earum, Oolla major, et Ooliba soror ejus minor. » Quænam sint hæc, explicat dicens: « Porro earum nomina, Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba. » Oolla enim hebraice significat, « tabernaculum ejus, scilicet » Samarie, est in Dan et Bethel, continens vitulos aureos, quos pro Deo colit. Ooliba vero significat, « tabernaculum meum in ea: » Deus enim suum tabernaculum habebat in Jerusalem. Fornicationem vocat idololatriam utriusque, de qua subdit. « Fornicata est igitur super me Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios: » Quia Samaria coluit deos Assyriorum. Propterea tradam eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur. » Samaria enim eversa est a Salmanasar Assyrio, anno 6 Ezechie. « Quod cum vidisset soror ejus Ooliba (Jerusalem), plus quam illa insanivit libidine: » Quia, ut sequitur, coluit deos Chaldæorum et Ægyptiorum, « Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, filios Babylonis, et universos Chaldæos: nasum tuum et aures tuas præcident: et quæ remanserint, gladio concident: ipsi filios tuos et filias tuas capient: et novissimum tuum devorabunt igni. Calicem sororis tuæ bibes profundum et latum. Ebrietate, et dolore repleberis. Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces, et fragmenta ejus devorabis. Ubera tua lacerabis: tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas: » Calix hic est mortis et excidii, puta mensura suppliciorum peccatis Judæorum commensa, quem eis miscuit et propinavit vindex Deus.

XIX. Cap. xxiv, vers. 3. « Fili hominis, pone ollam, et mitte in eam aquam. Congere frusta ejus in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea. Efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus: » Olla est Jerusalem, in qua carnes, id est, cives à Chaldæis coquendi et consumendi sunt. Unde explicans, subdit: « Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea. Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram. Congere ossa, quæ igne succendam: consumerentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. »

XX. Vers. 16 et 21. « Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga, » (q. d. Faciam ut ex morbo moriatur uxor tua dilecta), « et non planges, neque plorabis, » ut hæc re portendas excidium urbis et templi, in quo tanta erit strages, ut nemo fratrem, patrem, vel uxorem sit plancturus. « Et mortua est uxor mea vespere, fecique mane sicut præceperat mihi. » Porro hæc explicans subdit: « Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuarium meum,

superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum, et super quo pavet anima vestra : et filii vestri gladio cadent. Et facietis sicut feci. » *q. d.* Non plangetis eos. « Eritque Ezechiel vobis in portentum. »

XXI. Cap. xxviii, vers. 2. « Fili hominis, dic principi (regi Tyri : Dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris : cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei : » Tantos habuisti animos ac spiritus, ac si esses Deus. « Idcirco morte incircumcisorum morieris in manu alienorum. » *q. d.* Incircumcisi, puta Gentiles Chaldæi, occident te pariter incircumcisum. « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore; in deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, donec inventa est iniquitas in te, et peccasti. Et ejeci te de monte Dei, et perdidisti te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. Omnes, qui viderint te in Gentibus, obstupescunt super te : nihili factus es, et non eris in perpetuum : » Regem Tyri ob sapientiam, opes et gloriam, comparat Cherubino, quem ob superbiam per Chaldæos regno bonisque omnibus privavit. Vide dicta *Ezech.* xxviii.

XXII. Cap. xxix, vers. 3. « Ecce ego ad te Pharaon, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum (rivorum Nili) tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frenum in maxillis tuis : et extraham te de medio fluminum tuorum; bestiis terræ, et volatilibus cœli, dedi te ad devorandum : » Sicut cap. xxviii, prædixit superbo regi Tyri excidium, ita hic idem prædicit superbo Pharaoni. Causam subdit : « Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israël : » Fulcivisti enim eorum rebellionem contra Chaldæos, ideoque quasi arundo cum iis à Chaldæis es confractus et contritus.

XXIII. Vers. 18. « Fili hominis, Nabuchodonosor servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum (per tredecim annos eam obsidendo), omne caput (militum ejus comportantium saxa, ligna et terram ad implendum mare cingens Tyrum) decalvatum, et omnis humerus depilatus est : et merces non est reddita ei. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti : et diripiet spolia ejus : et erit merces exercitui illius, pro eo quod laboraverit mihi, » ut meam vindictam contra Tyrum exsequerentur, *q. d.* Chaldæis pro expugnata Tyro dabo spolia Ægypti, quasi pro mercede. Unde subdit :

Cap. xxx, vers. 2. « Ululate (o Ægyptii), vae, vae diei : quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini (quo vos excindet) : dies nubis, tempus Gentium erit. »

XXIV. Cap. xxxi, vers. 3. « Fili hominis, dic Pharaoni : Ecce Assur quasi cedrus in Libano

pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. » Pharaon vocatur Assur; quia opibus, potentia et gloria comparabat se cum Sennacherib, aliisque monarchis Assyriorum : hinc et vocatur cedrus. « Cedri, inquit, non fuerunt altiores illo in paradiso Dei. Propterea hæc dicit Dominus : Pro eo quod sublimatus est, etc. tradidi eum in manus fortissimi Gentium (Nabuchodonosoris). Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum. Ipse est Pharaon, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus Deus. »

XXV. Cap. xxxii, vers. 2. « Leoni Gentium assimilatus es (o Pharaon), et draconi qui est in mari : et ventilabas cornu in fluminibus tuis. Expandam super te rete meum, et projiciam te in terram. Et operiam, cum extinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus : solem nube tegam, et lana non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te. » *q. d.* Tanta crit strages tua et tuorum, o Pharaon, ut hominibus cœli obscurari et mœrere videantur. Est hyperbole. Unde de eodem subdit :

Vers. 19. « Descende, et dormi cum incircumcisis, cum his qui descendunt in lacum. Ibi Assur, et omnis multitudo ejus, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. Ibi Ælam, ibi Mosoch, et Thubal. Ibi Idumæa, et reges ejus. Ibi principes Aquilonis omnes, et universi venatores; qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt confusionem suam cum his qui descenderunt in lacum. »

XXVI. Cap. xxxvi, vers. 25. « Effundam super vos aquam mundam (in baptismo Christi), et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri : et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam ut in præceptis meis ambuletis. » Vide cap. xi, vers. 19.

XXVII. Cap. xxxvii, vers. 1. « Facta est super me manus Domini : et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Et dixit ad me : Fili hominis, putasne vivent ossa ista ? Et dixi : Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me : Vaticinare de ossibus istis : et dices eis : Ossa arida, audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et vivetis. » Subjungit Ezechiel se eis id vaticinatum, eaque mox cute, carne, et nervis, ac spiritu et vita fuisse donata. Erat hoc schema resurrectionis; sed sub eo significat, Judæos qui in Babylone erant quasi emortui, et velut ossa arida, ad libertatem et patriam, itaque quasi ad vitam redituros. Hoc est enim quod explicans subdit :

Vers. 11. « Fili hominis, ossa hæc universa domus Israel est : ipsi dicant : Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra (liberationis ex Babylone-

nis, et reditus in patriam) : ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, et reducam in terram Israel. »

XXVIII. vers. 16. « Fili hominis, sume tibi lignum unum : et scribe super illud : Judæ, et filiorum Israel sociorum ejus : et tolle lignum alterum, et scribe super illud : Joseph ligno Ephraim, et cunctæ domui Israel, sociorumque ejus. Et adjuuge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, et erunt in unionem in manu tua. » Hoc symbolo significat Deus, se Judæos et Israelitas, sive Samaritas, jam inter se contrarios, uniturum in Ecclesia, per fidem et gratiam Christi. Unde explicans subdit : « Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, etc. Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel. Et servus meus David (Christus Davidis filius) rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. Et percutiam illis foedus pacis. Et erit tabernaculum meum in eis et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. »

EX DANIELE.

I. Cap. II, vers. 31. « Tu rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis : caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex ære ; tibie autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et comminuit eos. Hoc est somnium : Interpretationem quoque ejus dicemus coram te. Tu rex regum es, tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum : et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum ; quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream : regnum divisum erit. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem, et consumet universa regna hæc : et ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum. » Caput aureum fuit monarchia Nabuchodonosoris ; pectus argenteum, regnum Cyri et Persarum ; venter æreus, regnum Alexandri et Græcorum ; tibie ferreæ, regnum Romanorum : sed hæc omnia comminuit lapis sine manibus de monte abscissus, id est, Christus ex virgine natus, cujus regnum gloriosum erit et æternum.

II. Cap. IV, vers. 7 et 22. « Videbam, et ecce arbor in medio terræ : et proceritas ejus contingens cælum. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et ex ea vescebatur omnis caro. Et

ecce vigil et sanctus de cælo clamavit. Succidite arborem, cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei ; et septem tempora mutentur super eum. » Arbor hæc est Nabuchodonosor, vigil est Angelus intentans ei ejectionem è regno, et commutationem in bestiam. Ita explicat Daniel. « Efficent te, inquit, ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cæli infunderis : septem quoque tempora (id est, septem anni) mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. Quamobrem, rex consilium meum placeat tibi : peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. »

III. Cap. v, vers. 25. « Mane, Thekel, Phares. Mane numeravit Deus regnum tuum, et completum illud. Thekel : appensus es in statera, et inventus es minus habens. Phares : divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. Eadem nocte interfectus est Baltassar, et Darius Medus successit in regnum. » Hic eventus clare visionem explicat.

IV. Cap. VII, vers. 3. « Quatuor bestie grandes ascendebat de mari. Prima quasi leæna, et alas habebat aquilæ, et cor hominis datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso ; et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. Et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia. Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans : et habebat cornua decem. Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum : et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus : et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu, et os loquens ingentia. » Hæc quatuor animalia sunt quatuor monarchiæ : leæna sunt Assyrii, ursus Persæ, pardus Græci, quarta bestia sunt Romani. Ex quarta orientur decem cornua, id est, decem reges in fine mundi ; et cornu parvulum, id est Antichristus, qui tres reges debellabit ; unde mox reliqui septem ei sponte se subdent.

V. Vers. 9. « Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus : millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Hic est Pater æternus, qui regnum Antichristi adjudicabit Christo et Christianis, unde subdit : « Judicium sedit, » id est, judices sederunt, « et libri aperti sunt : et vidi quoniam interfecta esset bestia (Antichristus), et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum. »

VI. Cap. viii, vers. 3. « Ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, et unum excelsius altero : ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente, et non tangebatur terram; et percussit arietem. » Aries est Darius, quem percussit hircus, id est Alexander Magnus.

Vers. 8. « Hircus autem caprarum magnus factus est nimis : cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua : de uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum : et factum est grande, et magnificatum est usque ad cœlum : et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. » Cornu magnum est Alexander : eo fracto, id est mortuo, regnum ejus divisum est in quatuor cornua, id est primarios ejus duces : e quorum uno prognatus est Antiochus Epiphanes, qui Judæam, Deique templum vastavit, ejusque cultores occidit.

VII. Cap. ix, vers. 24. « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum. » Hæc 70 hebdomades annorum sunt, faciuntque 490 an-

nos, q. d. 490 anni fluent usque ad Christum.

VIII. Cap. x, vers. 5. « Et ecce vir unus vestitus siveis, et renes ejus accincti auro obrizo : et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens : et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis : et vox sermonum ejus ut vox multitudinis. » Hic vir est Archangelus Gabriel, qui cap. seq. victorias Machabæorum, Christi et Christianorum Danieli enarrat : quocirca augustam hinc formam assumit, ut per eam illas repræsentet. *Primo* ergo linea vestis significat sacerdotium Machabæorum et labores.

Secundo, zona aurea significat eorumdem charitatem, bella et regnum. *Tertio*, chrysolithus, eorumdem gloriam et triumphum. *Quarto*, facies fulgurans eorumdem zelum violentum in hostes. *Quinto*, oculi, ut lampas ardens, eorumdem prudentiam et vigilantiam. *Sexto*, brachia et crura ænea, eorumdem fortitudinem, et armorum splendorem. *Septimo*, vox multitudinis, exercitum et phalanges tam Machabæorum quam Angelorum pro eis pugnantium.

PARABOLÆ ET SIMILITUDINES.

EX ISAIA.

I. Cap. i, vers. 3. « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit : « magis ergo ingratus et stolidus est, quam bos vel asinus.

II. Vers. 5. « Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas : vulnus et livor, et plaga tumens, » q. d. Tota respublica Judæorum, eorumque corpus politicum totum, puta tam principes et sacerdotes quam laici sceleribus corrupti sunt, saucii et putridi.

III. Vers. 8. « Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, » q. d. Desolabitur Jerusalem, fietque quasi vinea, aut hortus, collectis uvis et fructibus, deserta et squalida.

IV. Vers. 9. « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorrha similes essemus. » Semen vocat paucos ex excidio reliquos, quos Deus servavit in semen et propaginem gentis. Nisi enim Deus gentem servare voluisset, omnes Judæi periissent, uti perierunt omnes Sodomitæ et Gomorrhæi.

V. Vers. 10. « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ, » q. d. Judæa in impietate par fuit Sodomæ et Gomorrhæ; fuisset ergo et par in pœna et excidio, ni Deus semen gentis servas-

set, propter Christum ex ea nasciturum, juxta promissa Davidi et Abrahæ facta.

VI. Vers. 18. « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, » q. d. Si pœniteat vos, moresque mutetis, ego conscientiam vestram tot sceleribus vulneratam et cruentam emundabo, ut fiat pura et candida quasi nix, et lana alba.

VII. Vers. 21. « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? » q. d. Quomodo Jerusalem, olim sponsa Deo fidelis, nunc quasi meretrix fornicata est cum idolis?

VIII. Vers. 29. « Erubescetis super hortis quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua, » q. d. In hortis sub quercubus erexistis aras, et sacrificastis idolis : ideo desolabimini uti quercus in hieme, cum defluunt folia; et sicuti hortus in æstate arescens ex siccitate, ob defectum aquæ.

IX. Vers. 31. « Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat, » q. d. Ego vestra idola, quæ putatis fortissima et invicta, ac vestra opera opesque delebo, et comburam instar stupæ, quæ levi flamma absumitur.

X. Cap. v, vers. 28. « Ungulæ equorum ejus (Nabuchodonosoris erunt validæ et duræ) ut silex : et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. Ru-

gitus ejus ut leonis, etc. aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. » Parabolæ hæc claræ sunt.

XI. Cap. ix, vers. 3. « Lætabuntur (Gentes, accepta prædicatione Evangelii, gratiæ et salutis) coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian, » *q. d.* Sicut olim in die conflictus cum Madianitis, tu, Domine, per Gedeonem eodem superasti, et profligasti, itaque eorum jugum, virgam et sceptrum abstulisti a cervicibus Judæorum: ita in die quo verus Gedeon, id est excisor iniquitatis et peccati, puta Christus, confliget cum dæmonibus, principibus, Judæis et gentibus impiis, tu, Domine, aderis Christo, ut hostes hosce suos et nostros profliget, eorumque quasi exactorum et tyrannorum jugum et sceptrum a fidelium cervicibus excutiat.

XII. Vers. 18. « Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi, » *q. d.* Sicut ignis in sylva succensus, primo vepres et sentes corripit, deinde sylvam totam depascitur, ut tota densitas saltus convolvatur in superbia, id est in elatione et altitudine fumi: ita impietas sensim pervasit populum, ut totum Israel convolverit, ac proinde convolvat eundem quoque sua pœna.

XIII. Cap. x, vers. 14. « Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: et sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret, » *q. d.* Ego Sennacherib tam facile cepi gentes et regna, quam facile auceps capit ova et pullos avis in nido, cui avis ipsa obstrepere et ogganire, aut potius obgarrire non audet. Sed hanc regis barbari arrogantiam retundit Deus, dicens:

XIV. Vers. 15. « Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. » Sic et tu, o Sennacherib, non debes gloriari, nec mihi adimere, et tibi ascribere tot victorias, et gentium excidia: quia tu fuisti tantum securis, et quasi serra, qua ego gentes quasi ligna dissecui et serravi; atque quasi baculus et virga, qua easdem flagellavi.

XV. Vers. 15. « Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem: et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, et sanctus ejus in flamma: et succendetur et devorabitur spina ejus, et vepres in die una, » *q. d.* Deus percutiet milites Sennacherib ardore et peste, qui eos ita arefaciet et aduret, sicut ignis solet afflare et adurere spinas et vepres in sylva.

XVI. Cap. xiv, vers. 4 et 8. « Quomodo cessavit exactor (rex Babylonis?) quievit tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Abietes quoque lætati sunt super cedri Libani; ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis: et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. » Figurata inducit hic reges et principes in inferno, suscipientes et subsannantes regem Babylonis occisum.

XVII. Cap. xvi, vers. 2. « Sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes; sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. » Sensus est clarus.

XVIII. Vers. 8. « Vineam Sabama Domini gentium exciderunt, flagella (ita vocantur propagines vitis) ejus usque ad Jazer pervenerunt: erraverunt in deserto, propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare, » *q. d.* Populus Moab vastatus a Chaldæis, ab iis captivus trans aquas ducetur in Babylonem.

XIX. Cap. xvii, vers. 6. « Et relinquetur in eo (in Israele) sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, » *q. d.* In excidio Samariæ et decem tribuum, tam pauci relinquentur Israelitæ, quam pauci relinquantur racemi in vinea post vindemiam, et quam paucae reliquuntur olivæ in olea, dum ea excutitur. Sic allegorice multi sunt vocati, pauci electi et salvandi.

XX. Cap. xviii, vers. 4. « Quiescam et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis, » *q. d.* Ego Deus clare contemplanor, quasi in luce meridiana, stragem Ægyptiorum: eroque serenus in pace et refrigerio, cum ipsos uret sol et æstus excidii.

XXI. Vers. 5. « Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinabit, et præcidentur ramusculi ejus falceibus: et quæ derelicta fuerunt abscondentur et excutientur. Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ, » *q. d.* Ægyptii florebant, et magnam quasi messem opum et gloriæ promittebant; sed quasi fructus præcoces ab Assyriis sunt excisi, nec ad maturitatem pervenerunt.

XXII. Cap. xxii, vers. 17. « Ecce Dominus asportari te (o Sobna) faciet (in Babylonem,) sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te, » *q. d.* Tam facile quam amictus et vestis attollitur et effertur, tollet et efferet te ex Judæa Deus.

XXIII. Vers. 18. « Coronans coronabit te tribulatione: quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam. » Sensus patet.

XXIV. Cap. xxiv, vers. 2. « Et erit sicut populus, sic sacerdos: et sicut servus, sic dominus eius: sicut ancilla, sic domina ejus: sicut emens, sic ille qui vendit, » *q. d.* Excidium orbis erit uni-

versale et commune, nec discernet servum vel ancillam ab hero vel hera, sed omnes quasi pares pari clade involvet.

XXV. Vers. 20. « Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat, » *q. d.* Tanto terræ motu concutietur terra, ut tota a fundamentis convelli et everti videatur, idque propter scelera, quæ incolæ ejus in ea perpetrarunt.

XXVI. Vers. 23. « Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, » *q. d.* Sol et luna obtenebrescent, itaque quasi pallescere, et pudore suffundi videbuntur ob scelera incolarum terræ, quæ in die judicii Deus toti orbi patefaciet, et puniet. Unde præcessit vers. 22 : « Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere, et post multos dies visitabuntur, » *q. d.* Scelerati colligati quasi in fascem projiciantur in ignem gehennæ, ut in eo jugiter claudantur, et ardeant : nam « post multos dies visitabuntur, » id est punientur per omnia sæcula in æternum.

XXVII. Cap. xxv, vers. 5. « Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis : et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies, » *q. d.* Sicut nubes æstuans torret vineas, ita Christus in die judicii exuret omnes impiorum delicias, quibus ipsi se oblectabant.

XXVIII. Vers. 10. « Triturabitur Moab sub eo (Deo) sicuti teruntur paleæ in plaustro. Et extendet manus suas sub eo sicut extendit natans ad natandum. » *q. d.* Dæmones, omnesque impii ita a Christo vindice calcabuntur, ut dent speciem hominis plane victi et desperati, qualis est species naufragi in naufragio natantis.

XXIX. Cap. xxviii, vers. 2. « Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis; turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam, » *q. d.* Deus fortiter sternet per Assyrios agros Samariæ sicut grando, turbo et fluvius exundans solent sternere sata læta, boumque labores.

XXX. Vers. 24. « Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam? Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem? Et erudiet illum in judicio : Deus suus docebit illum, » *q. d.* Impii dicunt : Non est Deus; quia ipse sæpe scelera dissimulat, nec statim ea punit. Hisce respondeo : Sicut agricola non semper arat, sed jam arat, jam serit, jam metit, jam triturat, et quodlibet agit suo tempore : sic et Deus suas habet opportunitates, et scit quando dissimulare, quando punire debeat. Deus enim agit, non satagit, nec tumultuatur; sed tempora novit, et opportunitates rei gerendæ.

XXXI. Cap. xxix, vers. 5 et 7. « Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te : et sicut favilla pertransiens : et sicut somnium visionis

nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, » *q. d.* Hostes qui vastaverunt Jerusalem, conterentur, et evanescent instar pulveris, favillæ et somnii, unde subdit :

XXXII. « Et sicut somniat esuriens, et comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus : et sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit; et anima ejus vacua est : sic erit multitudo omnium gentium, qui dimicaverunt contra montem Sion. »

XXXIII. Cap. xxxi, vers. 4. « Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit : sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion. »

XXXIV. Vers. 5. « Sicut aves volantes » protegent pullos suos, pugnantque pro eis rostro et alis contra accipitrem : « sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. »

XXXV. Cap. xxxii, vers. 2. « Et erit vir » sub umbra et alis pii regis Ezechiæ absconditus et protectus ita securus, « sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, et umbra petrae prominentis in terra deserta. »

XXXVI. Cap. xxxviii, vers. 12. « Generatio mea (ætas vitæ meæ) ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum. »

« Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordiretur, succidit me : quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea. »

XXXVII. Vers. 14. « Sicut pullus hirundinis, sic clamabo : meditabor, » id est, meditabundus gemam, « ut columba. »

XXXVIII. Cap. xl, vers. 11. « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. » Pastor hic est Christus, agni Christiani, fœtæ, sive gravidæ, quæ pariunt agnos, sunt Apostoli virique Apostolici : hos omnes pascit, portat et dirigit Christus.

XXXIX. Vers. 12. « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera? quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi, » *q. d.* Deus tam potens est, ut cœlum et terram tribus digitis sustineat; ac tam sapiens, ut nullus ei consilium dare possit, quin imo omnes sapientes ab eo suam sapientiam et consilium accipiant et emendent.

XL. Vers. 15. « Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt, » si cum Dei magnitudine et majestate immensa conferantur : « ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum, » si illud Deo pro ejus excellentia et dignitate offerendum

sit. « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. »

XLi. Vers. 22. « Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ, qui extendit velut nihilum cœlos. »

XLii. Vers. 23. « Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terræ velut inane fecit. »

XLiii. Vers. 26. « Qui educit in numero militiam eorum (astrorum et cæterorum creatorum), et omnes ex nomine vocat. »

XLiv. Vers. 27. « Quare dicis, Jacob : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transivit? numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ : non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. »

XLv. Vers. 29. « Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat. »

XLvi. Vers. 30 et 31. « Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent : qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ : current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient. »

XLvii. Cap. xli, vers. 14 et 15. « Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel : ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, et redemptor tuus sanctus Israel. » Israelitas abjectos comparat vermi et mortuis. « Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia; triturabis montes, et comminues : et colles quasi pulverem pones : ventilabis eos : et ventus tollet, et turbo disperget eos : et tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. » Israelem a Deo adjectum et roboratum comparat plaustris terentibus segetes, item plaustris, quæ serratis dentibus armata, obvia quæque secant.

XLviii. Cap. xliii, vers. 2. « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, » *q. d.* In mediis periculis, angustiis et tormentis adero tibi, teque tutabor et protegam. « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. » Sicut enim nubes et nebulæ a sole ita dissipantur, delentur et evanescent, ut nullum earum vestigium supersit : ita et Deus condonando peccata, ea plane delet et abolet, ut nihil eorum supersit.

XLix. Cap. xlvi, vers. 3. Audite me, domus Jacob, etc., qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, » *q. d.* Quos quasi mater pario, formo, educo et foveo. « Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo, » *q. d.* Ab utero usque ad ultimum vitæ vos ego tueor, rego et curo.

L. Cap. xlviii, vers. 18. « Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen (copiosum et redundans) pax tua, et justitia tua (ingens) sicut gurgites maris, et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui uti lapilli ejus, non interisset. »

LI. Cap. xlix, vers. 15. « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? ego sterilis et non pariens. » Ecclesiam Gentium comparat mulieri prius sterili, postea fecundæ.

LII. Vers. 22. « Et afferent filios tuos in vasis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. » Eidem Ecclesiæ tam fausta et augusta pollicetur Deus.

LIII. Cap. l, vers. 9. « Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. » Hostes Christi ita perdendos asserit, ut vestis atteritur et exeditur a tinea.

LIV. Cap. li, vers. 3. « Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus ; et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. » Ecclesiæ gloriam et delicias comparat paradiso terrestri.

LV. Vers. 6. « Cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt, » per ignem conflagrationis in fine mundi : « salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. »

LVI. Vers. 8. « Sicut vestimentum, sic comedet eos (homines) vermis ; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea : salus autem mea in sempiternum erit. »

LVII. Vers. 12. « Ego, ego, ipse consolabor vos : quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? »

LVIII. Cap. liii, vers. 6. « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » Christum patientem comparat agno, et ovi quæ ducitur ad lanienam.

LIX. Cap. liv, vers. 9. « Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram : sic juravi ut non irascar tibi (o Ecclesia), et non increpem te. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet a te, » *q. d.* Sicut cum Noe inii fœdus æternum de prohibendo deinceps diluvio : sic tecum, o Ecclesia, novum fœdus æternum in eo, quod nunquam derelinquam te, nec sinam te ab hostibus obrui.

LX. Cap. lv, vers. 9. « Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. »

LXI. « Et quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur. sed inebriat terram, etc. : sic erit verbum meum, etc., non re-

vertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui. »

LXII. Cap. LIX, vers. 9. « Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ : splendorem, et in tenebris ambulavimus. » Lux sunt prospera, tenebræ adversa. « Palpavimus sicut cæci parietem : impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. »

LXIII. « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. »

LXIV. Cap. LXII, vers. 1. « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam » orare, et obsecrare Deum, « donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. » Splendor et lampas Sionis, id est Ecclesiæ, est Salvator Jesus : pro illius ergo ortu et adventu assidue oravit Isaias et Prophetæ.

LXV. Cap. LXVI, vers. 3. « Qui immolat bovem, quasi qui interficit virum ; qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem ; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat ; qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. » Judæorum impiorum victimas comparat Deus mactationi hominis, canis et suis, imo idolothytis.

LXVI. Vers. 15. « Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem in flammâ ignis, » præsertim conflagrationis mundi : nam Christo veniente ad judicium ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Unde sequitur :

LXVII. Vers. 18. « Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum, » supple, acriter puniam. Nam venio ut congregem opera, et operantes imple cum omnibus gentibus et linguis : et venient, et videbunt gloriam meam, » puta potentem et acrem meam justitiam et vindictam in impios in die judicii.

LXVIII. Vers. 19. « Et ponam in eis signum, » tum signum crucis, tum signa Spiritus Sancti, quibus Apostoli signati sunt in Pentecoste. « Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad Gentes. »

LXIX. Vers. 20. « Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis, etc. » *q. d.* Tam facile, læte et alacriter venient Gentes ad Ecclesiam, ac si equis et lecticis veherentur. Adde, Evangelium esse vehiculum quo nos ad cælum vehit Christus.

LXX. Vers. 22. « Sicut cæli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. » Significat Ecclesiæ per Christum tum innovationem, tum perpetuitatem.

EX JEREMIA.

I. Cap. I, vers. 18. « Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram, » *q. d.* Fa-

ciam te, o Jeremia, fortem, ut sis quasi urbs inexpugnabilis, quasi columna immobilis, quasi murus æreus, omnium Judæorum maledictis impetrabilis et invincibilis.

II. Cap. II, vers. 11. « Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii : populus vero meus mutavit gloriam suam (Dei sui : Deus enim est Israelis gloria) in idolum. »

Vers. 12. « Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. » Idola comparat cisternis rimosis et vacuis, quæ opem et aquam sitienti præbere nequeunt.

III. Vers. 20. « In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix, » colendo et adorando idola.

IV. Vers. 22. « Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me. » *q. d.* Tantæ ac tam pertinaces sunt in te idololatriæ et scelerum maculæ, ut nullo nitro, nullo sapone elui possint.

V. Vers. 26. « Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur : sic confusi sunt domus Israel, etc., dicentes ligno : Pater meus es tu ; et lapidi : Tu me genuisti. »

VI. Vers. 30. « Quasi leo vastator generatio vestra, » *q. d.* Vestri cives sæviunt in Prophetas, sicut leo sævit in transeuntes.

VII. Vers. 32. « Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. »

VIII. Cap. IV, vers. 11. « Ventus urens in viis quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum, » *q. d.* Chaldæus hostis imminet, qui quasi ventus urens non ventilabit et purgabit, sed concrepabit Jerusalem et templum : unde subdit de eodem :

IX. Vers. 13. « Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi illius : væ nobis quoniam vastati sumus.

X. Vers. 31. « Vocem quasi parturientis audiivi, angustias ut puerperæ : Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos, » *q. d.* Jerusalem videns suos filios et cives a Chaldæis trucidari, instar puerperæ ex dolore partus emorientis, dolore deficiet et corruet.

XI. Cap. V, vers. 27. « Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo, » *q. d.* Sicut aucupes decipiunt aves, captasque mittunt in caveam, sive decipulam, ita Judæorum domus plenæ sunt opibus per fraudes et dolos partis.

XII. Cap. VI, vers. 7. « Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic (Jerusalem) frigidam fecit malitiam suam, » *q. d.* Sicut aqua frigore conglaciatur in crystallum, sic cor Judæorum sua ma-

lignitate obduruit quasi lapis. « Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens, » *q. d.* Zelo æstuo, non possum me cohibere, quin eis Domini furorem et excidium denuntiem.

XIII. Cap. xvii, vers. 5. « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in terra salsuginis, et inhabitabili, » *q. d.* Sterilis et inanis est spes defixa in hominem, spes vero in Deo est solida et fœcunda. Unde subdit:

XIV. Vers. 7. « Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. » Sperantem in Deo comparat arbori humectæ, frondenti semper et fructificanti.

XV. Cap. xxiii, vers. 29. « Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? » *q. d.* Verba hominum frigida sunt et evanida: at verba Prophetarum spiritu Dei animata, ignita sunt et fortia, ut instar mallei saxea hominum corda confringant, et contracta igniant.

XVI. Cap. xxvi, vers. 18. « Sion quasi ager arabitur: et Jerusalem in acervum lapidum erit: et mons domus in excelsa sylvarum, » *q. d.* Sion et mons templi ita vastabitur, ut ex urbe fiat sylva, et ager arabilis.

XVII. Cap. xxxiii, vers. 22. « Sicut enumerari non possunt stellæ cœli, et metiri arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos, » ut scilicet præ multitudine numerari nequeant.

XVIII. Cap. xxxiv, vers. 17. « Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo (ut septimo anno remissionis, liberos dimitteretis servos vestros, juxta legem *Exodi* xxi, 2.) Hac de causa, « Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, » *q. d.* Ego pariter vos a meo imperio liberos dimittam, tradamque gladio, fami et pesti.

XIX. Cap. xxxv, vers. 5. « Posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices: et dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Jonadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum, etc. »

Vers. 13. « Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? » *q. d.* Filii Rechab obediunt patri in re libera et dura: at vos Judæi in re facili et necessaria, ut scilicet me colatis, non idola, obedire non vultis. Idcirco vobis exitium intento. « Domui autem Rechabitarum hæc dicit Dominus, etc. Non deficiet vir

de stirpe Jonadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. »

XX. Cap. xlvi, vers. 7. « Quis est iste (Pharao), qui quasi flumen ascendit: et veluti fluviorum, intumescunt gurgites ejus? » Castra Pharaonis comparat flumini tumido et exundanti, quod vicinis ingentem stragem minatur.

XXI. Cap. li, vers. 33. « Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum, et veniet tempus messionis ejus, » *q. d.* Babylon est quasi area, in qua mox cives et gentes, quasi segetes in messe collectas et constipatas, triturabo et affligam, partem occidendo, partem ventilandando, et in omnem plagam dispergendo.

EX THRENIS.

I. Cap. i, vers. 1. « Quomodo sedet sola civitas (Jerusalem, allegorice Ecclesia afflicta, tropologice anima pœnitens) plena populo: facta est quasi vidua domina Gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo. »

II. Cap. ii, vers. 1. « Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cœlo in terram (de summo culmine felicitatis et gloriæ, ad imam voraginem miseriæ et ignominie) « inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum » (id est arcæ et propitiatorii) « in die furoris sui, » *q. d.* Quomodo Deus permisit vastari, non tantum urbem, sed et templum suum? unde subdit:

Vers. 7. « Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, » id est, sanctum suum templum male a Chaldæis tractari et comburi permisit.

III. Cap. iii, vers. 5. « Ædificavit in gyro meo (vallum ærumnarum et angorum, *q. d.* Deus undique afflictionibus me obvallavit), et circumdedit me felle, et labore. »

IV. Vers. 6. « In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. »

V. Vers. 10. « Ursus insidians factus est mihi; leo in absconditis. »

VI. Vers. 12. « Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, » puta, per sagittas et plagas suas, intima mea confixit.

VII. Vers. 16. « Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere, » dedit mihi manducandum panem cinereum, durum et lapidosum, qui dentes meos confringit.

VIII. Cap. iv, vers. 1. « Quomodo obscuratum est aurum (quo templum erat obductum), mutatus est color optimus » in ignis, quo combustum est, fuliginem, « dispersi sunt lapides sanctuarii (sancti templi) in capite omnium platearum? »

IX. Vers. 2. « Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? » *q. d.* Juvenes Judæorum

olim nobiles et gloriosi, jam facti sunt viles et in-glorii: olim erant vasa aurea, nunc testea et lutea.

X. Vers. 3. « Sed et lamiae nudaverunt mam-mam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto, » *q. d.* Feræ et monstra, licet immania, tamen catulos suos lac-tant: at tanta est Hierosolymæ fames, afflictio et perturbatio, ut matres Sionides filios fame hian-tes deserant, et emori sinant, instar struthionis, avis stolidæ et crudelis, quæ sua ova et pullos derelinquit.

XI. Vers. 5. « Qui vescebantur voluptuose, in-terierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, » *q. d.* Qui vestiebantur et dormiebant in vestibis croceis et sericis, jam dor-mire coguntur in sterquilinio et stercore se operire.

XII. Vers. 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. »

EX EZECHIELE.

I. Cap. vii, vers. 16. « Salvabuntur qui fugerint ex eis (Judæis vastatis a Chaldæis): et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes tre-pidi, unusquisque in iniquitate sua. »

II. Cap. xi, vers. 19. « Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: ut in præceptis meis am-bulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. » Promittit et sancit Deus hic novum testamentum, in quo per Christi gratiam aufertur a Christianis cor lapideum, et datur cor carneum, id est molle, flexibile, obediens ad omnem Dei nutum.

III. Cap. xiii, vers. 4. « Quasi vulpes in deser-tis, Prophetæ tui, Israel, erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini, ut vos per preces Deo, pro Chaldæis pugnanti, oppone-retis, ejusque iram mitigaretis: « vident vana, et divinant mendacium. »

IV. Vers. 9. « Et erit manus mea super Prophe-tas, qui vident vana, et divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, » *q. d.* Non redi-bunt e captivitate, nec in catalogo redeuntium et viventium scribentur.

V. Vers. 10. « Eo quod deceperint populum meum, dicentes: Pax, et non est pax: et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem, » *q. d.* Pseudoprophetæ temere, et sine fundamento pro-phetant Judæis prospera; sed hæc eorum falsa oracula, instar parietis luto absque paleis illiti, imbre, vento et grandine divinæ vindictæ pro-sternentur.

VI. Vers. 18. « Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus: et faciunt cervicalia sub ca-pite universæ ætatis ad capiendas animas. » Hi sunt, qui peccatoribus in peccatis adulantur, ea-que excusant et fovent, metum Dei et divinæ vindictæ hominibus eximendo. Unde Deus, vers. 20, de pulvillis hisce dicit: « Dirumpam eos de bra-chiis vestris: et dirumpam cervicalia vestra. »

VII. Cap. xxxiv, vers. 2. « Væ pastoribus Israel, qui pascabant semetipsos. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occide-batis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægro-tum non sanastis, quod confractum est non alli-gastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat non quæstistis: sed cum austeri-tate imperabatis eis, et cum potentia. »

VIII. Vers. 10. « Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum; ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum. In pascuis uber-rimis pascam eas. Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confrac-tum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat con-solidabo, et quod pingue et forte custodiam. »

IX. Vers. 23. « Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David (puta Christum filium Davidis): ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum. »

EX DANIELE.

I. Cap. xii, vers. 3. « Qui docti fuerint, fulge-bunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justi-tiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

ADAGIA ET GNOMÆ.

EX ISAIA.

I. Cap. i, vers. 22. « Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua, »

q. d. Pura Dei religio in te, o Jerusalem, versa est in impuras superstitiones, atque justitia tua mixta est cum avaritia et injustitia.

II. Vers. 25. « Excoquam ad purum scoriam

tuam, et auferam omne stannum tuum, » *q. d.* Igne tribulationum, puta vastitate Chaldæorum, abstergam a te idololatriam, injustitiam, omnesque peccatorum sordes.

III. Cap. II, vers. 4. « Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, » *q. d.* Christiani bella in pacem, et instrumenta belli in instrumenta agriculturæ convertent.

IV. Cap. III, vers. 7. « Non sum medicus, » *q. d.* Non possum mederi tantis malis et cladibus reipublicæ.

V. Vers. 9. « Agnitio vultus eorum respondit eis, » *q. d.* Vultus loquitur scelera eorum, ac, si rogetur de causa tantarum cladum, respondebit causam veram esse, scelera Judæorum.

VI. Cap. V, vers. 14. « Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. »

VII. Vers. 18. « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum, » *q. d.* Væ qui peccatum peccato additis, et implectitis quasi funem, quo trahamini ad tartara.

VIII. Vers. 20. « Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. »

IX. Cap. VII, vers. 4. « Noli timere (o Achaz), et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ. » Dux caudæ titionum fumigantium vocantur Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Samariæ, eo quod fumos minarum spirarent, et intentarent Judæis; sed fumos tantum, non ignes, id est vanas sine viribus iras. Nam ambo mox evertendi erant a rege Assyriorum, unde vocantur caudæ.

X. Cap. VIII, vers. 16. « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis, » id est, conscribe et consigna hæc oracula pro futuris meis discipulis, puta Christianis, qui eis fidem habituri sunt.

XI. Vers. 19. « Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? » *q. d.* Quæ est ista stoliditas, ut viventes et sapientes homines a mortuis et inanimis idolis veritatem et consilium in rebus dubiis quærant et sciscitentur?

XII. Vers. 20. « Ad legem magis, et ad testimonium, » *q. d.* Consulite potius legem Dei, Deumque in testimonio, id est in arca et propitiatorio, residentem.

XIII. « Non erit eis matutina lux, » *q. d.* Nil eis erit prosperum, nil lætum, nil lucidum; sed omnia obscura, tristia, adversa.

XIV. Cap. IX, vers. 2. « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, » *q. d.* Gentilibus degentibus in tenebris infidelitatis, in statu peccati et damnationis, per prædicationem Evangelii oborta est lux fidei, gratiæ et salutis.

XV. Vers. 8. « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel, » *q. d.* Quod Dominus promissit Jacobo, sive Israeli, hoc reipsa præstitit, et ut fieret effecit.

XVI. Vers. 10. « Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus : sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus, » *q. d.* Hostes diruerunt et incenderunt domos nostras lateritias et sycomorinas; parvi id facimus; nam pro eis meliores, puta lapideas et cedrinas, ædificabimus.

XVII. Vers. 14. « Disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrenantem, » id est, principem, Prophetam, nobiles et plebem.

XVIII. Vers. 20. « Unusquisque carnem brachii sui vorabit, » *q. d.* Quisque suum proximum et cognatum, carne et sanguine ita conjunctum, ac si esset brachium ejus, occidet et lacerabit tanto furore, ac si eum vellet devorare.

XIX. Cap. X, vers. 5. « Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea, » *q. d.* Væ Assyriis, qui sunt virga et baculus furoris mei, per quorum manum indignationem meam exero et exerceo; nam peracta hac indignatione, virgam et baculum in ignem projiciam, hoc est, Assyrios ipsos disperdam. Ergo væ eis.

XX. Cap. XI, vers. 5. « Erit justitia cingulum lumborum ejus : et fides cinctorium renum ejus, » *q. d.* Justitia et fidelitas ita cingent et ornabunt Christum, ac si ei cohærerent instar cinguli.

XXI. Cap. XIII, vers. 12. « Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo, » *q. d.* Pluris facient Persæ vitam Babyloniorum, quam eorum aurum et opes; unde eam illis adiment, nec pro ea aurum inclytum acceptabunt; quia malent eos occidere, quam eorum aurum possidere.

Vers. 21. « Habitabunt ibi (in Babylone jam eversa et excisa) struthiones, et pilosi saltabunt ibi : et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis, » *q. d.* Ita desolabitur Babylon, ut deficientibus hominibus qui eam incolant, habitent in ea ululæ, struthiones, dracones, aliæque feræ.

XXII. Cap. XIV, vers. 11. « Subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes, » *q. d.* Cadaver tuum operietur vermibus, qui te rodent, et usque ad ossa depascentur, o Baltasar rex Babylonis.

Vers. 32. « Et quid respondebitur nuntiis gentis » inquirentibus, unde tanta victoria Judæorum de Philistinis? utique respondebitur causam victoriæ esse; « quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. »

XXIII. Cap. XV, vers. 5. « Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem, » *q. d.* Vectes, id est, fortes, Moab in excidio ejus fugient usque ad Segor, quæ olim fuit dives, potens et lasciviens, instar vitulæ triennis.

Vers. 7. « Ad torrentem salicum ducent eos. »

q. d. Ad Euphratem qui abundat salicibus, id est, in Babylonem Chaldæi captivos ducent Moabitias.

XXIV. Cap. xvi, vers. 3. « Pone quasi noctem umbram tuam in meridie, » *q. d.* Refrigerera et solare vastatos et afflictos : æstus enim meridiei symbolum est afflictionis, umbra et nox refrigeriæ et consolationis.

XXV. Vers. 6. « Arrogantia ejus, et indignatio ejus (Moab), plusquam fortitudo ejus, » *q. d.* Jacitavit se plus posse quam reipsa posset.

XXVI. Vers. 11. « Super hoc (super clade Moab) venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. » *q. d.* Super clade Moab intime doleo et compatiior, ut præ compassione viscera mea instar citharæ distendi et resonare videantur, vel potius audiantur.

XXVII. Cap. xvii, vers. 10. « Plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. » Plantatio fidelis est, quæ fideliter satisfacit colono, eique exspectatos reddit fructus : germen alienum, est fallax et spurium.

Vers. 11. « In die plantationis tuæ labrusca, » *q. d.* Cum plantaveris vineam, invenies non vineam, sed « labruscam; et mane semen tuum florebit : ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter, » *q. d.* Vineam tuam, agerque ante tempus florebit, ac proinde præcox erit, nec maturescet.

XXVIII. Cap. xix, vers. 11. « Stulti principes Taneos, sapientes consilarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum, » *q. d.* Vos vestra adulatione decepistis Pharaonem; persuasistis enim ei, quod ob suam sapientiam et antiquitatem, firmus consisteret, et esset inexpugnabilis; cum ecce a Chaldæis debellatus et prostratus sit. Ægyptii enim ob sapientiam a scriptoribus Ethnicis vocantur eruditi (sicut Judæi supersticiosi), et ipsa Ægyptus dicta est mater artium.

XXIX. Cap. xxii, vers. 12. « Vocabit Dominus in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus. » Adagium hoc clarum est, et hodie crebro illud a voluptuariis occini audimus.

XXX. Cap. xxiii, vers. 8. « Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. »

XXXI. Vers. 16. « Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, » *q. d.* Uti meretrix omnes illecebras adhibet, ut amasios ad se alliciat : ita Ty-

rus omnia adhibebit invitamenta, ut mercatore in sui excidio dilapsos ad se revocet.

XXXII. Cap. xxiv, vers. 8. « Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum, attrita est civitas vanitatis. » Adagium hoc audiant et ruminant epulones.

XXXIII. Vers. 17. « Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit : Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, » *q. d.* Qui unum periculum et cladem effugerit, incidet in aliam.

XXXIV. Cap. xxvi, vers. 10. « In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. » Terra sanctorum est Ecclesia, præsertim clerus. Unde S. Bernardus in *declamatione*. : « In clero, ait, quasi in cælo existens iniqua gessit : ideo inventa est iniquitas ejus ad odium, nec remittetur. »

XXXV. Vers. 18. « Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ, » *q. d.* Quia non fecimus opera salutis, tum nostræ, tum proximorum, ideo non ceciderunt a sua superbia et malitia incolæ terræ. Dicant hoc Pastores, etiam sancti.

Cap. xxvii, vers. 9. « Iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus. »

XXXVI. Cap. xxviii, vers. 15. « Dixistis : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus, » *q. d.* Sic vivitis, et sic secure futuram Dei ultionem ridetis, ut ipsa vestra securitate clamare videamini : Percussimus fœdus cum morte, etc., hoc est, securi sumus a morte et inferno, ac si cum eis fœdus iniissemus; hinc nullas Prophetarum, ea nobis intentantium, minas timemus.

Vers. 17. « Idcirco, etc., subvertet grando spem mendacii : et protectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem; et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. »

XXXVII. Cap. xxix, vers. 4. « Humiliaberis (o Ariel, o Jerusalem), de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit, » *q. d.* Ad terram prosterneris; indeque tenui et lugubri voce mussitabis, et gemes. Cessabit, o Ariel, leoninus tuus rugitus, ac desinet in mussitationem omnium timidissimam. Magnæ enim et abjectæ timiditatis et depressionis animi argumentum est, vox humilis, submissa et mussitans.

XXXVIII. Vers. 10. « Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas, etc. Et erit vobis visio omnium sicut verba

libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent : Lege istum : et respondebit : Non possum, signatus est enim. » Minatur Deus Judæis excæcationem, ut non intelligant litteras sacras, nec oracula Prophetarum. Unde subdit :

Vers. 14. « Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. »

XXXIX. Vers. 15. « Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis (abscondere putetis) cœnsilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos ? et quis novit nos ? Perversa est hæc vestra cogitatio : quasi lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me : et figmentum dicat fictori suo : Non intelligis. » Adagia hæc sunt politicorum et atheorum.

XL. Cap. xxx, vers. 3. « Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam, » *q. d.* Spes, quam in hominibus, puta Ægyptiis, ponitis, vos fallat et confundet : spem ergo ponite in Deo, non in homine.

XLi. Vers. 10. « Qui dicunt videntibus : Nolite videre : et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. » Voces sunt libertinorum.

XLII. Vers. 13. « Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio (muri fissi) cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus, » *q. d.* Sicut murus interruptus, et minans ruinam, subito cadit, et ex insperato sub eo degentes obruit : ita et vos, o Judæi, qui Ægypto quasi muro ruinoso incumbitis, eo ruente opprimemini. Unde subdit. « Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione prævalida. »

XLIII. Vers. 15. « In silentio et in spe erit fortitudo vestra, » *q. d.* Si, o Judæi, quiescatis in Judæa, ac speretis in Deo, ipse fortiter vos proteget, ac a Chaldæis tutabitur.

XLIV. Vers. 16. « Et dixistis : Nequaquam, sed ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo velociores erunt, qui persequentur vos, etc. Donec relinquamini quasi malus in vertice montis, et quasi signum naufragii et syrtium, ut eas præternavigantes hoc signo moniti devitent. » *q. d.* O Judæi, si ad Ægyptios fugiatis, cum eis occidemini, tantumque ex vobis pauci superstites relinquentur, qui sint quasi signum divinæ vindictæ toti orbi, ut eam homines hoc exemplo moniti caveant, et sapiant.

XLV. Vers. 20. « Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem, » id est, paucam et modicam, *q. d.* Affliget vos fame et siti. Panis enim arctus, sive angoris et angustiae ; atque aqua brevis, sive tribulationis, ut vertunt alii, id est, parca et putida, cibus et potus est eorum, qui

carcere includuntur, ibique macerantur et castigantur.

XLVI. Vers. 21. « Aures tuæ audient verbum (Dei, quasi prædagogi) post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea. »

XLVII. Vers. 26. « Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum. Nimirum post diem judicii, mundi que innovationem.

XLVIII. Cap. xxxi, vers. 3. « Ægyptus, homo, et non Deus : et equi eorum, caro, et non spiritus. » *q. d.* Vana est ergo et fragilis spes vestra, o Judæi, et confugium ad Ægyptios.

XLIX. Cap. xxxii, vers. 6. « Stultus fatua loquitur. »

L. Vers. 7. « Fraudulenti vasa pessima sunt. »

LI. Vers. 8. « Princeps ea quæ digna sunt principis, cogitabit. »

LII. Cap. xxx, vers. 1. « Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ? et qui spernis, nonne et ipse sperneris ? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. »

LIII. Vers. 6. « Et erit fides in temporibus tuis : divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus. » *q. d.* Tempore Messiae fideliter Deus præstabit bona, quæ per eum promisit, nimirum opes spirituales, puta sapientiam et scientiam salutis, ac timorem Domini.

LIV. Vers. 11. « Concupietis ardorem, parietis stipulam : spiritus vester ut ignis vorabit vos, » *q. d.* Vanæ erunt spes vestræ, et conatus vestri, irriti spiritu et molimine vestro peribitis, et comburemini, quasi spinæ collectæ, ut vertamini in cineres.

LV. Vers. 14. « Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? » Adagium hoc damnatis nimis clarum est, et voluptuariis mox damnandis nimis clarum erit.

LVI. Cap. xxxvi, vers. 6. « Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, id est, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam : sic Pharaon rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. »

LVII. Vers. 12. « Misit me dominus meus, ut loquerer, etc., ad viros, qui sedent in muro, ut præ fame comedant stercora sua et præ siti bibant urinam pedum suorum. »

LVIII. Cap. xxxvii, vers. 3. « Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi, » *q. d.* Molimur, et parturimus bellum contra Sennacherib ; sed illud eniti et parere non possumus.

LIX. Vers. 26. « Et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum, » *q. d.* Deus justo suo judicio permisit, et fecit, ut colles, id est, principes, qui ante inter se pugnabant, eradicarentur, et excinderentur multæ urbes munitæ.

LX. Vers. 29. « Ponam circulum in naribus

tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti, » *q. d.* Ego Deus te, ô Sennacherib, quasi hubalum circulo in nares adacto circumagam, et quasi equum freno in os immisso reflectam, et ex Judæa reducam, id est, redire cogam in Assyriam. « Zelus Domini exercituum » erga populum suum, ut eum salvet, « faciet istud. »

LXI. Cap. xxxviii, vers. 1. « Dispone domui tuæ (ô Ezechia rex), quia morieris tu, et non vives. »

LXII. Vers. 17. « Ecce in pace amaritudo mea amarissima, » *q. d.* Ego Ezechias ægrotans in flore ætatis et rogni mei, patior amarissima.

LXIII. Vers. 18. « Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam, » *q. d.* Non mortui, sed viventes expectant, ut promissum Messiam mihi meoque parenti Davidi, vere præstes, faciasque eum ex semine meo nasci, ut ita laudemus publice tuam fidelitatem et misericordiam.

LXIV. Cap. xxxix, vers. 8. « Bonum verbum Domini quod locutus est, » de rapina thesaurorum meorum; « fiat tantum pax et veritas in diebus meis, » *q. d.* Tantum peto, ut vivam incolumis, quod mihi Deus promisit; me vita functo, Deus eladem et rapinam hanc immittat.

LXV. Cap. xl, vers. 2. « Loquimini ad cor (id est, blandimini) Jerusalem, et advocate eam : quoniam completa est malitia (id est, miseria et afflictio) ejus : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. »

LXVI. Cap. xli, vers. 23. « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos : » Divinatio enim est testimonium divinitatis, ait Tertullianus.]

LXVII. Vers. 24. « Ecce vos, » ô idola, ô dii Gentium, « estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est : abominatio est qui elegit vos. »

LXVIII. Cap. xlii, vers. 8. « Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. »

LXIX. Vers. 18. « Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi servus meus ? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ? Qui vides multa, nonne custodies ? qui apertas habes aures, nonne audies ? »

LXX. Cap. xlii, vers. 22. « Ipse autem populus direptus et vastatus, laqueus juvenum omnes, » *q. d.* Israel ita Deo dilectus, ob sua peccata fecit se prædam tum dæmonibus, tum Romanis ; unde in juvenum fortissimorum laqueum incidit, et in carcere detinetur.

Vers. 24. « Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus ? nonne Dominus ipse, cui peccavimus ? »

LXXI. Cap. xliii, vers. 24. « Servire me fecisti in peccatis tuis, præbui mihi laborem in iniquitatibus tuis. » Peccator quasi cogit Deum servire, id est, obsequi, et concursu suo generali cooperari

suis concupiscentiis et peccatis. Rursum laborat, et quasi servit Deus in tot tantisque hominum peccatis tum sufferendis, tum corrigendis. Multi enim peccatis suis patientiam Dei quotidie fatigant.

LXXII. Cap. xlv, vers. 9. « Numquid dicet lutum figulo suo : Quid facis, et opus tuum absque manibus est ? Væ qui dicit patri, Quid generas ? et mulieri, Quid parturis ? » *q. d.* Sic nec homines Deo, ob datam sibi ab eo sortem, esto ea sibi vilis, pauper et misera, obstrepere debent, vel obmurmurare. Ipse enim nobis est pater et mater : ipse figulus, nos lutum.

LXXIII. Vers. 15. « Veret tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. »

LXXIV. Vers. 24. « Mihi curvabitur omne genu, et jurabit (id est, colet me) omnis lingua. »

Vers. 26. « In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israel. »

LXXV. Cap. xlvi, vers. 13. « Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam, » *q. d.* Ego Deus gloriam meam ostendam in Sione, id est, in Ecclesia ; et in Israele, id est, in fidelibus.

LXXVI. Cap. xlviii, vers. 4. « Scivi quia durus es tu ; et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. »

LXXVII. Vers. 6. « Laude mea infrenabo te, ne intereas, » *q. d.* Freno meæ castigationis revocabo te, ne ruas in scelera, et in interitum. Unde subdit : « Ecce excoxi te, sed non (plane et pure) quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. »

LXXVIII. Vers. 22. « Non est pax impiis, dicit Dominus. »

LXXIX. Cap. l, vers. 8. « Juxta est (Deus) qui justificat me (Christum), quis contradicet mihi ? »

LXXX. Cap. li, vers. 9. « Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini, etc. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ? » Puta Pharaonem, qui quasi draco, id est, crocodilus, innatabat suis Nili rivis et aggeribus, et quasi balæna in mari rubro insecutus est Hebræos. « Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis ? » Puta maris Rubri, ut transirent ex Ægypto Hebræi. Pari brachio et fortitudine percutes draconem, id est diabolium, et electos tuos per mare hujus seculi salvos deduces in cælum. Unde sequitur : « Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum. »

LXXXI. Cap. lv, vers. 6. « Quærite Dominum, dum inveniri potest : invoke eum, dum prope est. »

LXXXII. Cap. lvi, vers. 7. « Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. »

LXXXIII. Cap. lvii, vers. 1. « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus. »

LXXXIV. Vers. 13. « Omnes eos (qui sperant

in idolis) auferet ventus, tollet aura : Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. »

LXXXV. Vers. 17. « Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum : et abscondi a te faciem meam, et indignatus sum : et abiit vagus in via cordis sui. » Pœna ingens irati Dei est quod sinat peccatores vagari, et explere suas concupiscentias ad libitum; ita enim ruunt in omnia scelera, et tandem in gehennam.

LXXXVI. Cap. LVIII, vers. 3. « Quare jejunavimus, et non aspexisti : humiliavimus animas nostras, et nescisti? » Respondet Deus, datque causam : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere (jejunando) hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, etc., frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum. »

LXXXVII. Cap. LIX, vers. 4. « Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem, » *q. d.* Concipiunt nocendi consilia, ut deinde ea pariant et exsequantur ac simplices inique divexent.

LXXXVIII. Vers. 14. « Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi, » *q. d.* Tota urbs plena est iniquitate et dolis, nullus est veritati et justitiæ locus, nullus aditus.

LXXXIX. Cap. LX, vers. 22. « Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam, » *q. d.* Fidelis præsertim prædicator, plurimos fideles, sibi que similes procreabit, uti S. Franciscus humilitate parvulus et minimus, crevit in familiam numerosissimam.

XC. Cap. LXI, vers. 8. « Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto. »

XCI. Vers. 9. « Omnes qui viderint eos (fideles meos), cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. »

XCII. Cap. LXIV, vers. 4. « Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. »

XCIII. Vers. 6. « Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, » scilicet justificationes legis veteris, sive justitiæ quas quæsimus ex aspersio-nibus et sacrificiis Aaronicis. Est enim vox Judæorum. Tales quoque erant justitiæ Gentium, quas sibi ob philosophiam, et virtutes morales arrogabant. »

XCIV. Vers. 8. « Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor nostertu, et opera manuum tuarum omnes nos. »

XCV. Vers. 11. « Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri; facta est in exustionem ignis. Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer? »

XCVI. Cap. LXV, vers. 2. « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum. Qui dicunt : recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es : isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. »

XCVII. Vers. 13. « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos siti-tis : ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. »

XCVIII. Vers. 23. « Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt (spiritualiter, faciendæ fideles et sanctos) in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. »

XCIX. Cap. LXVI, vers. 2. « Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? »

C. Vers. 4. « Eligam illusiones eorum : et quæ timebant, adducam eis : quia vocavi, et non erat qui responderet, locutus sum et non audierunt. »

CI. Vers. 6. « Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis, » *q. d.* Videor mihi audire vocem populi ejulantis, ob urbis et templi excidium; ac ex adverso vocem Domini sævientis per ora hostium conclamantium, ac de victoria exultantium, et populo capto insultantium.

CII. Vers. 9. « Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? »

CIII. Vers. 10. « Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam, etc. ut sugatis, et replamini ab ubere consolationis ejus : ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. »

CIV. Vers. 12. « Ecce ego declinabo super eam (Jerusalem, id est, Ecclesiam) quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis : ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. »

Vers. 13. « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. »

CV. Vers. 14. « Ossa vestra quasi herba germinabunt, » *q. d.* Ossa vestra in captivitate Babylonis, et potius peccati ac dæmonis, tabida, sicca et emortua præ tristitia et ærumnis, hac nova libertate et lætitia revirescent et reflorescent, sicut herba in hieme emortua, in vere revirescit et reviviscit.

EX JEREMIA.

I. Cap. II, vers. 16. « Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem, » *q. d.* Ægyptii qui te totum, o Israel, a capite ad pedes sua idololatria et vitiis polluerunt et inquinaverunt.

II. Vers. 18. « Et nunc quid tibi vis in via Æ-

gypti, ut bibas aquam turbidam (Nili)? et quid tibi vis cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis » (Euphratis)? *q. d.* Ut quid cursitas nunc ad Assyrios, nunc ad Ægyptios, ut eorum auxilium implores; eorumque deos colas, qui uti aquam, ita et opem turbidam, tibi que tristem et exitialem afferent.

III. Vers. 19. « Arguet te malitia tua, et aversio tua inerepabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. »

IV. Vers. 20. « A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam. »

V. Vers. 25. « Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti, » *q. d.* Parce vanis et noxiis tuis laboribus, quibus pedes tuos nudas, ut per flumina transeas in Ægyptum vel Assyriam; itaque te labore et siti conficis, idque frustra : nee enim illi te juvare, et ab hostibus liberare poterunt. Unde subdit : « Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. »

VI. Cap. III, vers. 1 : « Vulgo dicitur : Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo (uxor), duxerit virum alterum : numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa, » ut ad virum priorem redire nec possit, nec audeat? « tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus. »

VII. Vers. 3 : « Frons meretricis facta est tibi, noluit erubescere. Ergo saltem amodo voca me : Pater meus, dux virginitatis mee tu es, » *q. d.* Voca me : Vir meus primus, et legitimus sponsus meus ab initio es tu, Domine. Sunt verba Synagogæ. Hanc enim, cum nasceretur in Ægypto, mox sibi per Mosen in Sina copulavit, et in sponsam assumpsit Deus.

VIII. Cap. IV, vers. 2. « Et jurabis : Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia. » Has tres dotes requirit juramentum; *primo*, veritatem, ne jures falsum; *secundo*, judicium, ne temere sed circumspecte, præmeditate et reverenter fiat; *tertio*, justitiam, ne eo promittas vel mineris aliquid injustum.

IX. Vers. 9. « Peribit, » veniente hoste Chaldæo, « cor regis, et cor principum. » Cor symbolum est : *primo*, animi et fortitudinis; *secundo*, consilii et prudentiæ.

X. Vers. 10. « Ecce pervenit gladius usque ad animam. » Ad intima, ut animam, id est vitam, a corpore dividat et discindat.

XI. Vers. 15. « Vox annuntiantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim, » *q. d.* Excubitores ex Dan et Ephraim clamant adventare hostem Chaldæum; vident enim ejus idolum, puta ignem, quem tanquam Deum et belli ducem, castris præferunt Chaldæi.

XII. Vers. 18. « Viæ tuæ, et cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc : ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum, » *q. d.* Mali tui mores accersiverunt tibi hoc fel et absynthium, ipsi gla-

dium hostilem in cor et viscera tua adegerunt. Ecce enim

XIII. Vers. 19. « Ventrem meum, ventrem meum doleo, » *q. d.* Dum in spiritu prævideo clades Judæis a Chaldæis inferendas, ipsum mihi cor et viscera amaritudine et dolore findi rumpique videntur; multo ergo magis idipsum eis continget, qui clades istas reipsa excipiet et sentient.

XIV. Vers. 22. « Quia stultus populus meus non cognovit : sapientes sunt ut faciant mala, bonum autem facere nescierunt. »

XV. Cap. V, vers. 3. « Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt suscipere disciplinam : induraverunt facies suas supra petram. »

XVI. Vers. 21. « Audi, popule stulte, qui non habes cor : qui habentes oculos, non videtis; et aures, et non auditis. »

XVII. Vers. 30. « Stupor et mirabilia facta sunt in terra : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus ejus dilexit talia : quid ergo fiet in novissimo ejus? »

XVIII. Cap. VI, vers. 4. « Sanctificate super eam bellum. » Sanctum bellum Judææ indicite, o Chaldæi, sanctum, inquam; quia nocentes et reos, Deique hostes ipsi mactabitis, eosque quasi victimas divinæ justitiæ immolabitis.

XIX. Vers. 6. « Hæc est civitas visitationis. » Visitationi, id est punitioni et excidio, a Deo destinata et devota, quia « omnis calumnia in medio ejus. »

XX. Vers. 13. « A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student : et a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. »

XXI. Vers. 16. « State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis » patrum et patriarcharum vestrorum, « quæ sit via bona, et ambulante in ea. »

XXII. Cap. VII, vers. 4. « Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. »

XXIII. Cap. VIII, vers. 4. « Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem, aversione contentiosa? »

XXIV. Vers. 7. « Milvus in cælo cognovit tempus suum; turtur et hirundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui : » In vere enim redeunt et nidificant : « populus autem meus non cognovit judicium Domini. »

XXV. Vers. 8. « Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum, » *q. d.* Nostri doctores non tam veritatem et sacram Scripturam, quam sui cerebri figmenta nobis enuntiant.

XXVI. Vers. 11. « Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes : Pax, pax, cum non esset pax. »

XXVII. Vers. 15. « Expectavimus pacem, et non erat bonum; tempus medelæ, et ecce formido. »

XXVIII. Vers. 22. « Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? » Resina Synagogæ et animæ ægræ est pœnitentia; medicus est sacerdos et pastor: sed qui utrumque respuunt, curari nequeunt.

XXIX. Cap. ix, vers. 4. « Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulentè incedet. » Quocirca « habitatio tua in medio doli, » *q. d.* Habitas, o Jeremia, in urbe tam dolosa, ut videatur esse ipse dolus: dolose enim simulat se colere Deum, cum colat idola; hinc et dolose simulat amicitiam cum proximis, cum eorum machinetur interitum. Unde subdit: « Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. »

XXX. Vers. 15. « Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum dabo eis aquam fellis. » Fel et absynthium afflictionis et amaritudinis sunt symbola.

XXXI. Vers. 23. « Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me. » Non speculative, sed practice ut nimirum me colat mihi obediatur, agnoscens et sperans meam misericordiam, ac timens meam justitiam.

XXXI. Vers. 26. « Omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde, » *q. d.* Gentes sunt incircumcisæ carne, sed Israel incircumcisus est corde et mente.

XXXIII. Cap. x, vers. 2. « Juxta vias Gentium nolite discere: et a signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, » *q. d.* Nolite timere et colere quasi Deum solem, lunam, stellas, ut Gentes faciunt.

XXXIV. Vers. 7. « Quis non timebit te, o Rex gentium? tuum est enim decus. »

XXXV. Vers. 11. « Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt. »

XXXVI. Vers. 16. « Non est his similis pars (Deus, quem ut suam partem et sortem colit) Jacob: qui enim formavit omnia, ipse est: et Israel virga hæreditatis ejus: Dominus exercituum nomen illi. »

XXXVII. Vers. 19. « Ego autem dixi: Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam. »

XXXVIII. Vers. 23. « Scio, Domine, quia non est hominis via ejus: nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos, » *q. d.* Non hominis, sed Dei est, dirigere actus gressusque hominum.

XXXIX. Cap. xi, vers. 15. « Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? » Inducens in templum idola, aliaque ibi scelera perpetrans. « Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? »

XL. Cap. xii, vers. 1. « Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: Verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? »

XLI. Vers. 3. « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis, » *q. d.* Macta impios quasi victimas, et quasi catharmata et piacula mundi immola eos tuæ justitiæ et vindictæ.

XLII. Cap. xiii, vers. 18. « Dic regi (Jochin), et dominatrici (reginæ): Humiliamini, sedete: quoniam descendet de capite vestro corona gloriæ vestræ. »

XLIII. Vers. 23. « Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. »

XLIV. Cap. xv, vers. 1. « Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Ejice illos a facie mea, et egrediantur. Quod si dixerint: Quo egrediemur? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem (a me destinati sunt, eant) ad mortem: et qui ad gladium, ad gladium: et qui ad famem, ad famem: et qui ad captivitatem, ad captivitatem. »

XLV. Vers. 9. « Occidit ei sol, cum adhuc esset dies, » *q. d.* In plena lætitia et prosperitate, corruit in extremam adversitatem et tristitiam, perinde ac si sol in meridie subito deficeret.

XLVII. Cap. xvii, vers. 1. « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum, » *q. d.* Peccatum Judæorum est indelebile, ac quasi in adamante, puta in corde eorum adamantino, æque ac in aris idolorum ipsorum incisum et insculptum.

XLVII. Vers. 5. « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem (hominem carneum, non Deum) brachium suum. »

XLVIII. Vers. 9. « Pravum est cor « hominis » et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans cor, et probans renes? »

XLIX. Vers. 13. « Expectatio Israel, Domine: omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur (oblivioni tradentur, interibunt, evanescent): quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium. »

L. Vers. 14. « Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es, » *q. d.* Quoniam tu me salvando felicem et laudabilem efficis.

LI. Vers. 16. « Et ego non sum turbatus, » quasi ovis « te pastorem sequens, et diem hominis (laudem, plausum et gloriam hominum) non desideravi, tu scis. »

LII. Cap. xxii, vers. 22. « Omnes pastores tuos pascet ventus, » *q. d.* Spes vana, quam principes Judæorum ponunt in Ægyptiis, eos inaniter lactat et pascit, ac si esset ventus; nec enim Ægyptii Judæos a Chaldæis liberare poterunt.

LIII. Cap. xxiii, vers. 19. « Ecce turbo Domini-
cæ indignationis egredietur, et tempestas erum-
pens super caput impiorum veniet. »

LIV. Cap. xxxi, vers. 2. « Vadet ad requiem
suam Israel. » Scilicet e captivitate Babylonica
redibit in patriam, ac potius spiritalis Israel, id
est fidelis, e captivitate dæmonis vadet ad Eccle-
siam, et quietem æternam.

LV. Vers. 3 et 7. « In charitate perpetua dilexi
te : ideo attraxi te, miserans. » Sunt verba Dei ad
Israel; unde subdit : « Exultate in lætitia, Jacob,
et hinnite contra caput Gentium : personate, et
canite, et dicite : Salva, Domine, populum tuum,
reliquias Israel, etc. »

Vers. 9. « Factus sum Israeli pater, et Ephraim
primogenitus meus est. » Loquitur de conversione
Israelis, id est Samariæ ad Christum. Samaria enim
prima præ aliis gentibus conversa est per Petrum;
Joannem et Philippum, *Actor. viii.*

LVI. Vers. 19. « Postquam convertisti me, egi
pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi « pec-
cata mea statumque damnationis in quo versa-
bar, « percussi femur meum, » ex admiratione
et dolore.

LVII. Cap. xlv, vers. 2. « Hæc dicit Dominus
Deus Israel ad te, Baruch : Ecce quos ædificavi,
ego destruo : et quos plantavi, ego evello, et uni-
versam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia ? »
q. d. Tota Jerusalem est in labore et dolore : et
tu, o Baruch, solus quæris quietem, omniaque
mollia et blanda?

LVIII. Cap. xlvi, vers. 12. « Fortis impegit in
fortem, » scilicet Pharaon cum Nabuchodonosore
conflixit, « et ambo pariter conciderunt. »

LIX. Vers. 17. « Vocate nomen Pharaonis, tu-
multum adduxit tempus; » *q. d.* Vocate Pharaonem
tumultum; quia tempus tumultus, pertur-
bationis et excidii ejus instat.

LX. Cap. xlvii, vers. 5. « Venit calvitium super
Gazam. Calvitium, » id est luctus et servitus. Lu-
gentes enim, æque ac servi, solebant decalvari.

LXI. Vers. 6. « O mucro Domini, usquequo non
quiesces? ingredi in vaginam tuam, refrige-
rare, et sile. »

« Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit
ei adversus Ascalonem, etc. ibique condixerit
ei? »

LXII. Cap. xlviii, vers. 9. « Date florem Moab,
quia florens egredietur : et civitates ejus desertæ
erunt. » Est sarcasmus, *q. d.* Opibus et gloria flo-
ret Moab; sed hunc florem carpent Chaldæi, eam-
que facient desertam.

LXIII. Vers. 10. « Maledictus, qui facit opus Do-
mini fraudulentè. Opus Domini » vocat vindic-
tam Domini de Moab. Unde explicans subdit : « Ma-
ledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. »

LXIV. Vers. 17. « Quomodo confracta est virga
fortis, baculus gloriosus? Descende de gloria, et
sede in siti, » *q. d.* O Moab, olim domina tenebas
sceptrum, et quasi virga percutiebas Judæos;

nunc quasi ancilla captiva descende, et sede in
terra arida.

LXV. Vers. 28. « Relinquitte civitates, et habitate
in petra, habitatores Moab : et estote quasi co-
lumba nidificans in summo ore foraminis, » *q. d.*
Fugite, o Moabitæ, Chaldæos, et urbium vestra-
rum excidium : fugite, inquam, quasi columbæ
timidæ, ad cavernas montium et petrarum; unde
subdit :

LXVI. Vers. 43 et 46. « Pavor, et fovea, et la-
queus super te, o habitator Moab. » Et, « Væ tibi
Moab, periisti, popule Chamos. »

LXVII. Cap. xlix, vers. 16. « Arrogantia tua de-
cepit te (o Idumæe,) et superbia cordis tui : qui
habitas in cavernis petrae, et apprehendere niteris
altitudinem collis; cum exaltaveris quasi aquila
nidum tuum, inde detraham te. » Idumæi enim,
habitantes in montibus et petris, putabant se esse
inexpugnabiles : sed inde per Chaldæos detraxit
eos Deus.

LXVIII. Cap. l, vers. 2. « Capta est Babylon,
confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt
sculptilia ejus, superata sunt idola eorum. »

LXIX. Vers. 23. « Quomodo confractus est, et
contritus malleus universæ terræ? quomodo versa
est in desertum Babylon in Gentibus? » Chaldæi
enim quasi mallei percusserunt Judæos omnes-
que gentes.

LXX. Vers. 35. « Gladius ad Chaldæos, ait Do-
minus, etc. gladius ad divinos ejus, qui stulti
erunt : gladius ad fortes illius, qui timebunt. Gla-
dius ad equos ejus, et ad currus ejus, et ad omne
vulgus, etc., gladius ad thesauros ejus, qui diri-
pientur. » Hic gladius est Cyri et Persarum, qui
Babylonem everterunt.

LXXI. Cap. li, vers. 20. « Collidis tu mihi vasa
belli, et ego collidam in te gentes, » *q. d.* Sicut
tu, o Babylon, collisisti arma aliarum gentium :
ita ego jam te tuosque cives et incolas per Persas
collidam et conteram.

LXXII. Vers. 39. « In calore eorum ponam potus
eorum, et inebriabo eos ut sopiantur, et dormiant
somnum sempiternum, » *q. d.* Faciam ut Cyrus
Babylonem et Baltasarem convivia agitantem in-
vadat, civesque somno vinoque sepultos trucidet,
ut æternum dormiant somnum; unde sequitur :

LXXIII. Vers. 40. « Deducam eos quasi agnos ad
victimam, et quasi arietes cum hædis. »

LXXIV. Vers. 50. « Qui fugistis gladium, venite,
nolite stare : recordamini procul Domini, et Jeru-
salem ascendat super cor vestrum, » *q. d.* O Ju-
dæi in Babylone captivi, qui ejus excidium vi-
distis et effugistis, pergite, properate in avitam
patriam, tot annis et votis exoptatam : jugiter Do-
minus, ejusque templum, et urbs Jerusalem menti
vestræ obversentur.

EX THRENIS.

I. Cap. i, vers. 4. « Viæ Sion lugent, eo quod
non sint qui veniant ad solemnitatem. Lugent, »

id est squalidæ sunt et desertæ. Est catachresis.

II. Vers. 6. « Egressus est a filia Sion omnis decus ejus. »

III. Vers. 8. « Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est. » Stabilis est virtus, quæ stabili lege, ratione et Deo nititur : instabile peccatum et peccatores, qui instabili concupiscentia, mundo et dæmone aguntur.

IV. Vers. 12. « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. » Vox est Hierosolymæ a Chaldæis vastatæ.

V. Vers. 13. « De excelso misit ignem (iræ et vindictæ suæ fulmen) in ossibus meis : expandit rete pedibus meis, » ut a Chaldæis caperer, vincirer et illaquearer.

VI. Vers. 20. « Foris interficit gladius, et domi mors similis est, » *q. d.* Nec domi, nec foris mihi est salus et quies : utrobique enim Chaldæi filios et cives meos trucidant.

VII. Cap. II, vers. 11. « Effusum est in terra jecur meum, » *q. d.* Præ dolore quasi effudi viscera mea. Jecur enim sedes est amoris et concupiscentiæ, ac consequenter et doloris oppositi et commiserationis.

VIII. Vers. 13. « Magna est velut mare contritio tua : » venisti, o Sion, in fluctus et mare dolorum et malorum.

IX. Vers. 15. « Sibilaverunt, et moverunt caput super filiam Jerusalem : Hæcine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? »

X. Vers. 18. « Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat (non quiescat a pleratu) pupilla oculi tui. »

XI. Vers. 19. « Consurge, lauda (laudando invoca Deum) in nocte, in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. »

XII. Vers. 20. « Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et Propheta. »

XIII. Cap. III, vers. 17. « Repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum. Et dixi, Periit finis meus, » *q. d.* Non erit finis malorum meorum, « et spes mea a Domino. »

XIV. Vers. 22. « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. »

« Novi diluculo (beneficiorum soles quotidie exoriuntur, et a Deo nobis proveniunt,) multa est fides (fidelitas in iis, utpote nobis promissis, præstandis) tua. »

XV. Vers. » 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea exspectabo Dominum. »

XVI. Vers. 25. « Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. »

XVII. Vers. 27. « Bonum est viro, cum portaverit jugum (disciplinæ et tribulationum) ab adolescentia sua. »

XVIII. Vers. 28. « Sedebit solitarius et tacebit : quia levavit super se, » *q. d.* Vir pius silenter assumet in humeros, feretque onus tribulationum sibi a Deo immissum et impositum.

Vers. 30. « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis : quia non repellet in sempiternum Dominus. »

XIX. Vers. 37. « Quis est iste, qui dixit ut flet, Domino non jubente? » Quis atheus dicat hæcæ cruces nobis non a Dei providentia immitti, sed casu, fato, aut a natura obvenire?

XX. Vers. 39. « Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos. »

XXI. Vers. 44. « Opposuisti nubem tibi, ne transiret oratio. »

XXII. Vers. 45. « Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. »

XXIII. Vers. 51. « Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ? » *q. d.* Oculus meus videns filias Sion capi, illudi, violari, animam quasi et vitam mihi eripuit, ut præ dolore inciderem in deliquium, et quasi examinerer.

XXIV. Cap. IV, vers. 10. « Manus mulierum (alias) misericordium (sed præ fame crudelium) coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei. »

Vers. 11. « Complevit Dominus furorem suum. »

XXV. Vers. 18. « Completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. »

XXVI. Cap. V, vers. 1. « Recordare, Domine, quid acciderit nobis : intueri et respice opprobrium nostrum. »

« Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ : aquam nostram pecunia bibimus : cervicibus nostris minabamur : lassis non dabatur requies : servi dominati sunt nostri : mulieres in Sion humiliaverunt : principes manu suspensi sunt : pueri in ligno corruerunt. »

XXVII. Vers. 16. « Cecidit corona capitis nostri : væ nobis, quia peccavimus. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? Convertite nos, Domine, ad te, et convertemur : innova dies nostros, sicut a principio. »

EX BARUCH.

I. Cap. II, vers. 6. « Domino Deo nostro justitia : nobis autem, et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc, » sicut hodie apparet.

II. Vers. 17. « Aperi oculos tuos (Domine,) quia non mortui, etc. sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino. »

III. Cap. III, vers. 2. « Audi, Domine, quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in ævum. »

Semel enim mortui, semper manebimus mortui, nec ad vitam præsentem redibimus.

IV. Vers. 9. « Audi, Israel, mandata vitæ; auribus percipe, ut scias prudentiam. Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendantibus in infernum, dereliquisti fontem sapientiæ; nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. »

V. Vers. 24. « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! »

« Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus. »

VI. Cap. IV, vers. 4. « Beati sumus, Israel; quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. »

VII. Vers. 20. « Exui me stola pacis, indui me sacco obsecrationis, et clamabo ad Deum altissimum in diebus meis. » Sunt verba Jerusalem excisæ, quæ pro filiis et civibus suis Deum obsecrat; unde subdit:

VIII. Vers. 23. « Emisi vos (in Babylonem) cum luctu et ploratu: reducet autem vos Dominus cum gaudio et jucunditate in sempiternum. »

IX. Vers. 28. « Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum. »

X. Vers. 36. « Circumspice, Jerusalem, ad Orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem in verbo sancti gaudentes in honorem Dei. »

XI. Cap. V, vers. 4. « Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum: Pax justitiæ, et honor pietatis. » Loquitur de Jerusalem, ut dixi; sed assurgit ad spiritualem, puta ad Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, cui hæc optime conveniunt.

EX EZECHIELE.

I. Cap. III, vers. 8. « Ecce dedi faciem tuam valentioribus faciebus ipsorum, et frontem tuam durioribus frontibus eorum. Ut adamantem, et ut silex dedi faciem tuam. »

II. Vers. 17. « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, ut avertatur a via sua impia, et vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. »

III. Cap. VII, vers. 19. « Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. »

IV. Cap. XII, vers. 22. « Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium: In longum differentur dies, et peribit omnis vi-

sio? » *q. d.* Minæ Prophetarum differuntur, nec reipsa explentur; ergo peribunt, et cassæ erunt et evanidæ. « Ideo dic ad eos: Quiescere faciam proverbium istud: Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua: quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non prolongabitur amplius. »

V. Cap. XIV, vers. 14. « Si fuerint tres viri isti in medio ejus (Hierosolymæ), Noe, Daniel et Job: ipsi justitia sua liberabunt animas suas, etc. sed nec filios, nec filias liberabunt. »

VI. Cap. XVI, vers. 3. « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa, » *q. d.* O Israel, ita es impius, ut non Abraham, sed Amorrhæorum et Cethæorum filius esse videaris.

VII. Vers. 49. « Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant. »

VIII. Cap. XVIII, vers. 2. « Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel? dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, *q. d.* Patres nostri peccaverunt, et nos eorum peccata luimus, pro iisque punimur. Hisce respondet Deus: « Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. »

IX. Vers. 21. « Si autem impius egerit pœnitentiam, etc. omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, »

Vers. 24. Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, etc. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. »

X. Vers. 31. « Quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite. »

XI. Cap. XXI, vers. 9. « Gladius, gladius exacutus est, et limatus. Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est. »

Vers. 16. « Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. »

Vers. 28. « Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias et fulgeas. »

XII. Cap. XXII, vers. 18. « Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt. Propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem, et succendam in ea ignem ad conflandum. »

XIII. Vers. 24. « Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. Conjuratio Prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt viduas ejus multiplicaverunt. »

« Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam. »

XIV. Vers. 30. « Et quæsi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam : et non inveni. »

XV. Cap. xxxiii, vers. 11. « Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. »

XVI. Vers. 32. « Et tu (fili hominis), es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur : et audiunt verba tua, et non faciunt ea. »

EX DANIELE.

I. Cap. iii, vers. 16. « Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus. »

II. Vers. 40. « Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium :

sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi : quoniam non est confusio confidentibus in te. »

III. Cap. vi, vers. 22. « Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me. »

IV. Cap. ix, vers. 7. « Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio, sicut est hodie. »

V. Cap. xiii, vers. 22. « Angustiae sunt mihi undique : si enim hoc egero, mors mihi est : si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. » Aurea hæc vox est Susannæ.

VI. Vers. 56. « Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum : sic faciebatis filiabus Israel, et illæ timentes loquebantur vobis : sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram. »

VII. Vers. 59. « Recte mentitus es et tu in caput tuum : manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium. »

ÆNIGMATA.

EX ISAIA.

I. Cap. 40, vers. 22. « Consummatio abbreviata inundabit justitiam, » *q. d.* Paucitas Judæorum a Deo abbreviata est adeo, ut videatur esse consummatio, id est, consumptio et interitus eorumdem, faciet ut justitia et salus Dei se propaget et diffundat per omnes gentes, easque quasi inundet : vide dicta *Isaiæ* x.

II. Vers. 27. « Computrescet jugum a facie olei, » *q. d.* Omnis servitus evanescet a facie gratiae et consolationis Dei.

III. Cap. ii, vers. 11. « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini. » Virga Jessæ est beata Virgo, de qua germinavit flos Christus, super quem requievit septuplex spiritus Domini.

IV. Vers. 6. « Habitabit lupo cum agno : et pardus cum hædo accubabit : vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. » Lupi, pardi, leones sunt gentes barbaræ, quæ ad fidem Christi conversæ ferociam posuerunt, et cum vitulo, et ove, id est, cum fidelibus Christianis, pacifice et amice versantur, sinuntque se a puero, id est a simplici pastore, regi.

V. Vers. 10. « In die illa (erit) radix Jesse, » puta Christus gloriosus, qui stat in signum, id est, vexillum. « populorum, ipsum Gentes depreca-

buntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. »

VI. Cap. xii, vers. 3. « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, » *q. d.* Uti Judæi olim sitientes de petra quasi de fonte biberunt, ita Christiani de Christi fontibus bibent aquas doctrinæ et gratiæ ad satietatem.

VII. Cap. xiii, vers. 1. « Onus Babylonis, » *q. d.* Minæ et oracula tristia contra Babylonem. » Super montem caliginosum, » *q. d.* Contra Babylonem, quæ caligine vaporum Euphratis et fumi prodeuntis ex tot ejus domibus et focis obtegatur, vos, o Persæ, levate signum, id est, vexillum militare. « Ego mandavi sanctificatis meis, » puta Persis, qui quasi milites et sacerdotes mihi consecrati sunt, ut meæ justitiæ mactent et immolent impios Babylonios.

VIII. Cap. xiv, vers. 12. « Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo : In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundam laci, » *q. d.* Quomodo, o Baltasar monarcha, qui splendore et gloria videbaris esse quasi lucifer stella, ac in fastu quasi Lucifer, Angelorum olim princeps, de throno monarchiæ tuæ, quasi de cælo, corruisti in infernum, et vitæ, ac dejectus in tartara?

IX. Vers. 29. « De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrum, » *q. d.* Ex Davide et Ozia nascetur Ezechias, qui gravius quam ipsi, vos, o Philisthæi, affliget, ut videatur vobis esse basiliscus, qui suo aspectu et afflatu etiam aves volantes necat et absorbet.

X. Cap. xvi, vers. 14. « In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab, » *q. d.* Post tres annos vastabitur Moab a Chaldæis, qui ejus opes quasi pro mercede a Deo accipient, quia ei servierunt in expugnatione Jerusalem, et punitione aliarum gentium.

XI. Cap. xviii, vers. 1. « Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus, » *q. d.* Væ Æthiopiæ, quæ superbe ostentat suas copias; cum eæ nihil habeant præter inanem ostentationem, strepitum, et velut cymbali tinnitum; quæ sita est trans Nilum, et per illum in navibus ex papyro mittit suos legatos et milites in Ægyptum: nam vastabitur per Sennacherib, et postea per Nabuchodonosor. Vos ergo, o Sennacherib et Nabuchodonosor, quasi angeli mei, ite, et vastate Æthiopes, qui sunt gens convulsa, id est, a me per vos convellenda et dilaceranda, esto videantur esse terribiles.

XII. Cap. xix, vers. 18. « In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una, » *q. d.* Quinque metropoles Ægypti, id est, tota Ægyptus suscipiet fidem Christi, Deumque verum colet et laudabit.

XIII. Vers. 19. « In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, et in testimonium Domino. » Titulum vocat crucem, statuas, columnas, et templa, quæ Ægyptii conversi ad Christum ipsi erexerunt.

XIV. Vers. 24. « In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel, » *q. d.* Ægyptii et Assyrii jam inter se inimici, sub Christo conspirabunt in unam Ecclesiam, ac cum Israelitis colent verum Deum, ideoque ab eo benedicentur: Dei enim hæreditas est Israel, id est, populus Christianus in Israele ortus.

XV. Cap. xxi, vers. 1. Onus deserti maris, *q. d.* Prophetia minax contra Babylonem, quæ cum fuerit mare gentium, nunc a Deo per Cyrum desolabitur, et redigetur in desertum. « Sicut turbines ab Africo veniunt, » ita « de deserto venit » turba et turbo Persarum et Medorum contra Babylonem.

XVI. Vers. 6. « Vade, et pone speculatorem. Et

vidit » speculator « currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli. » Ascensor asini, id est Persarum vilium et servilium rex, est Cyrus; ascensor cameli, id est, Medorum nobilium rex, est Darius: hosce duos speculatus est hic Isaias, viditque eos junctis curribus et copiis invadere Babylonem.

XVII. Vers. 8. « Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem, » *q. d.* Ego Isaias, quasi leo vigil, jugiter excubo, ut futura ex revelatione Dei discam et aliis prænuntiem.

XVIII. Vers. 10. « Tritura mea, et filii areæ meæ quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis, » *q. d.* O Judæi, qui in Babylone fuistis, quasi in tritura, annuntiabo vobis ea quæ a Deo audivi de Babylonis excidio, et vestra liberatione.

XIX. Vers. 11. « Ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini, venite, » *q. d.* Ego Isaias videor audire Idumæos, adventantibus Chaldæis pavidos, dicere excubitori: O excubitor, quid vidisti, quid sensisti nocte de Chaldæis? Quibus ipse respondet: « Venit mane et nox, » *q. d.* Instat aurora, et tamen adhuc est nox; quare si quo vultis excurrere, si quid foris quærere, iestinate, et quærite, ac mox in urbem redite, antequam hostis evigilans persentiscat, vobisque reditum præcludat.

XX. Vers. 16. « Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. » Vide dicta superius cap. xvi, vers. 14.

XXI. Cap. xxii, vers. 1. « Onus vallis visionis. » Jerusalem vocatur vallis visionis, id est Prophetiæ: erat enim sedes Prophetarum. Alludit ad montem Moria, id est visionis.

XXII. Cap. xxiii, vers. 1. « Onus Tyri. Ululate, naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant. »

Vers. 3. « In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus, » *q. d.* Ægyptus ex aquis Nili exundantis fit fertilis, et copiosam dat messem ac fruges.

XXIII. Vers. 4. « Exubescere, Sidon, » quia tua colonia, et quasi filia, puta Tyrus, vastata est. « Ait enim mare: Non parturivi, et non peperivi, et non enutrivivi juvenes: mare, » id est Tyrus maris domina, ita incolis et filiis per hanc cladem orbata est, ac si nunquam eos peperisset vel aluisset.

XXIV. Vers. 10. « Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi, » *q. d.* O filia maris, id est o Tyre, Chaldæus cingulum maris undique te ambientis tibi ademittit: illud enim terra implevit, itaque te expugnavit; transi ergo quasi captiva, non per flumen, sed per terram in Babylonem.

XXV. Cap. xxiv, vers. 16. « Secretum mentium

mihī, secretum meum mihī, vœ mihī, » *q. d.* Vœ mihī, quia explicare nequeo horrenda supplicia peccatoribus a Deo decreta, quæ mihī secreto ab eo revelata sunt.

XXVI. Cap. xxvi, vers. 14: « Morientes non vivant, gigantes non resurgant, » *q. d.* Superbi et tyranni, quales fuerant gigantes, moriantur morte æterna in gehenna, nec ad vitam beatam resurgant.

XXVII. Cap. xxvii, vers. 1. « In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est. » Leviathan, sive cetus, hic est ænigma diaboli, qui est serpens antiquus, fortis ut vectis: hunc occidet Deus, cum in die iudicii eum omni sua potestate, quam in hoc mundo exercuit, privabit, eumque detrudet in tartara ad mortem æternam.

XXVIII. Vers. 6. « Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine, » *q. d.* Apostoli, qui magno spiritus impetu concionabuntur Jacobæis, id est Judæis, facient eos florere virtutibus, ac implebunt orbem semine Evangelii.

XXIX. Vers. 8. « In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, iudicabis eam, » *q. d.* Æqua mensura punies eam, ut magnitudo pœnæ adæquet magnitudinem culpæ.

XXX. Vers. 11. « In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes, et docentes eam: non est enim populus sapiens, » *q. d.* Judæi ita fame affligentur, ut inopes consilii ab uxoribus suis docendi sunt, quid in tanta afflictione facto sit opus.

XXXI. Cap. xxviii, vers. 9. « Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, » *q. d.* Deus dat scientiam iis, qui se avellunt a deliciis carnalibus.

XXXII. Vers. 10. « Quia manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi. » Sunt verba sannionum, qui per irrisionem repetunt verba Prophetarum. « Manda remanda, etc. »

XXXIII. Vers. 11. « In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum. » *q. d.* Sicut Hebræi subsannant lingua blæsa Prophetas, ita subsannabunt eos Chaldæi loquentes chaldaice, non hebraice; unde subdit:

Vers. 13. « Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur, » *q. d.* Quia illuserunt verbum Domini, ejusque præcones dicendo, « Manda remanda, etc. » idcirco prosternentur et capientur.

XXXIV. Vers. 20. « Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque

operire non potest, » *q. d.* Non potestis me colere cum idolis, nec me cum iis in eodem templo collocare: templum enim meum, meaque religio angusta est, et me solum capit, non idola.

XXXV. Vers. 21. « Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus: sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, » *q. d.* Sicut Deus in Baal Pharasim, id est in monte divisionum, pugnans pro Davide divisit et dispersit Philisthæos; et sicut in Gabaon pro Josue stitit solem, ut cederentur Chananæi: ita et nunc suos hostes disperget et cædet, esto hoc opus vindictæ ab eo sit quasi alienum: invitus enim punit is, cujus proprium est misereri.

XXXVI. Cap. xxix, vers. 1. « Vœ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David. Ariel, » id est leo, vel aries Dei, est Jerusalem; quia in ea erat altare, in quo arietes Deo immolabantur: quocirca ipsa defensa a Deo, erat Gentibus terribilis ut leo: at jam ab eo deserta et vastata, erit quasi aries jugulatus et immolatus divinæ vindictæ.

Vers. 2. « Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihī quasi Ariel, » puta quasi aries meæ justitiæ immolatus.

XXXVII. Vers. 17. « Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur? » Libanus pars Phœniciæ, ænigma est Gentilium, Charmel Judæorum, *q. d.* Phœnices, hoc est Gentiles, per Christum florebut fide et gratia, Judæi vero ipsi rebelles arescent et silvescent.

XXXVIII. Cap. xxx, vers. 6. « Onus jumentorum Austri, » *q. d.* Minæ Dei contra Judæos, qui quasi jumenta suis bonis onusta fugiunt in Ægyptum, quæ Judææ est ad Austrum: in itinere enim, puta in deserto, occurrent eis leones, viperæ et reguli, qui eos laniabunt. Hoc est enim quod subdit. « In terra tribulationis et angustiae læna, et leo ex eis, vipera, et regulus volans, portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. »

XXXIX. Vers. 33. « Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus ignis, et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. » Topheth est ænigma inferni, quia sicut in Topheth infantes cremabantur in honorem Moloch, ita in gehenna cremantur damnati ad libitum Diaboli.

XL. Cap. xxxii, vers. 14. « Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effundatur super nos spiritus de excelso, » *q. d.* Durabit Judææ vastitas, ut in ea non homines, sed onagri pascantur, donec Christus in eos mittat spiritum fidei et gratiæ, qui eos ad Deum et salutem convertat.

Vers. 17. « Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum, » *q. d.* Merces fidelium erit, ut justificati

a Christo consequantur, *primo*, pacem conscientiae; *secundo*, silentium, id est, quietem et tranquillitatem summam; *tertio*, securam fiduciam beatitudinis aeternae.

XLII. Vers. 19. « Grando autem in descensione saltus. » Id est, *q. d.* Ira Dei grandinabit, et percutiet Judæos, qui a vero Dei cultu, suaque gloria desciverunt et descenderunt, factique sunt instar agri deserti et silvescentis.

XLIII. Vers. 20. « Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini, » *q. d.* O vos beatos, Apostoli, qui in omnes aquas, id est, in omnes populos, immittitis boves et asinos, id est, operarios et prædicatores Evangelii.

XLIII. Cap. xxxiv, vers. 4. « Et tabescet omnis militia cœlorum, et complicabuntur sicut liber cœli: et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu, » *q. d.* In fine mundi stellæ de cœlo cadent, cœlique ita obscurabuntur, ut tabescere et evanescere videantur.

XLIV. Cap. xli, vers. 2. « Quis suscitavit ab oriente justum (Abrahamum), vocavit eum ut sequeretur se? dabit (id est dedit) in conspectu ejus Gentes, et reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus, » *q. d.* Quis vocavit Abrahamum, eumque gloriosum effecit et triumphatorem de quatuor regibus, *Genes.*, xiv, nonne ego Deus?

Vers. 4. « Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum. » Deus enim est rex sæculorum, ea constituens, disponens et ordinans.

XLV. Vers. 27. « Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt » Apostoli, et præcones Evangelii, « et Jerusalem Evangelistam, » id est Evangelistas et prædicatores Christi et salutis, « dabo. »

XLVI. Cap. xliii, vers. 8. « Educ foras populum cæcum, et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt, » *q. d.* Populus meus habet oculos, et tamen est cæcus; quia eos claudit: atque habet aures, et tamen est surdus; quia eas obturat monitis Dei. Rursum videns non videt, audiens non audit; quia non vult visa et audita intelligere, et opere complere.

XLVII. Vers. 20. « Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo, » *q. d.* Gentiles, qui in gentilismo vixerunt ut bestiae et dracones, jam per Christum facti homines, imo Angeli, glorificabunt Deum; quia dedi eis flumina gratiarum.

XLVIII. Cap. xli, vers. 5. « Hic scribet manu sua, Domino, » id est Domini ego sum servus. « et in nomine Israel assimilabitur, » id est, cognominabitur Israel, sive Israelita.

XLIX. Cap. xlvi, vers. 1. Confractus est Bel, contritus est Nabo, » *q. d.* Babylon cum suis diis, Bel et Nabo, eversa est et contrita.

L. Cap. l, vers. 11. « Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. » Peccator per peccata quasi per follem et ligna arida, accendit sibi ignem iræ Dei, vindictæ et gehennæ; unde fit id quod sequitur: « In doloribus dormietis. »

LI. Cap. li, vers. 1. « Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua præcisi estis. » Excisio e petra et caverna, ænigma est generationis Abrahamæ et Saræ sterilium, uti petra est sterilis. Hebræi enim generare vocant ædificare domum, et filios vocant *banim*, quasi *abanim*, id est lapides, ex quibus quisque domum construit.

LII. Cap. lii, vers. 11. « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini, » *q. d.* Exite e Babylone, o Israelitæ, ne ejus sceleribus, æque ac clade et strage polluamini.

LIII. Vers. 14. « Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum. » Est ænigma Christi, qui inglorius fuit in nativitate, vita et morte, sed sanguine suo aspersit et abluit gentes omnes, ideoque ei ipsæ cum regibus suis se subdiderunt. Unde sequitur: « Quia quibus non est narratum de eo, audierunt; et qui non audierunt, contemplati sunt, » *q. d.* Gentiles ignorantes Deum et salutem, per Christum eam aspexerunt.

LIV. Cap. liii, vers. 9. « Dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, » *q. d.* Deus impios et divites Christo subdet, in præmium suæ mortis et sepulturæ, ac nominatim faciet ut Joseph ab Arimathia, vir nobilis et dives, eum honorifice sepeliat.

LV. Cap. lv, vers. 13. « Pro saliuca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus, » *q. d.* In Ecclesia pro vitiis crescent virtutes.

LVI. « Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur, » *q. d.* Deus in Ecclesia habebit nomen et laudem et monumentum perpetuum.

LVII. Cap. lvi, vers. 10. « Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia: et canes impudentissimi nescierunt saturitatem. » Hi canes speculatores et excubitores sunt ænigma pravorum pastorum, qui non saluti gregis, sed suæ gulæ, acediæ, avaritiæ student. Unde explicans subdit: « Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam; omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum: venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate. »

LVIII. Cap. lvii, vers. 3. « Vos autem accedite huc, filii auguratricis; semen adulteri et fornicariæ. Super quem lusistis? super quem dilastis

os; et ejecistis linguam? numquid non vos filii cœlesti, semen mendax? » Hæc sunt ænigmata et tituli idololatrarum et impiorum, qui auguriis et superstitionibus dediti, non Dei, sed dæmonis et impietatis sunt filii. Unde de iis subdit: « Suscepisti adulterum (Deum alienum): dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis fœdus: dilexisti stratum eorum manu aperta. Et ornasti te regi (Moloch idolo) unguento, et multiplicasti pigmenta tua. »

LIX. Vers. 16. « Spiritus a facie mea egredietur et flatus ego faciam. » Est ænigma Dei, qui solus creat animas hominum, eisque spiritum vitalem, tum naturalem halitus, tum supernaturalem gratiæ indit et inspirat.

LX. Vers. 19. « Creavi fructum labiorum pacem, » *q. d.* Pietatis et orationis fructus est pax. Nam « impii » sunt « quasi mare fervens, quod quiescere non potest. »

LXI. Cap. LIX, vers. 5. « Ova aspidum rupe-runt, et telas aranæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum. » Est ænigma improborum, qui alios sua improbitate inficiunt, *q. d.* Sicut aspis ovum ponere nequit, nisi aspidium et venenatum; ita hi improbi adeo improbitate referti sunt, ut nil nisi improbum et noxium emittant: qui ergo eis se sociaverit, ab ipsis et cum ipsis non nisi exitium et pestem hauriet. Eisdem comparat telis aranearum futilibus, *q. d.* Improbi suis actibus semper nocent, prosunt nunquam.

LXII. Cap. LX, vers. 8. « Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » Nubes et columbæ sunt ænigma fidelium, qui prædicantibus Apostolis turmatim ad Ecclesiam convolarunt, sicut flante vento densæ per æra volant nubes, ac imminente pluvia gregatim columbæ ad nidum revolant.

LXIII. Vers. 17. « Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum; et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum: et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. » Alludit ad templum Judæorum, illique Ecclesiam comparat et præfert, *q. d.* Synagogæ succedet Ecclesia, in qua omnia augustiora erunt, magisque magnifica quam fuerint in templo. In ea enim adducam pro figura veritatem, pro umbra lucem, pro spiritu timoris et servitutis spiritum amoris et libertatis, pro paucis Judæis gentes omnes, pro bonis corporalibus charismata spiritualia, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna, pro humanis divina.

LXIV. Cap. LXI, vers. 5. « Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra: et filii peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt. Vos autem, Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri. » Pastores, agricolæ et vinitores sunt Episcopi, et pastores Gentium: sacerdotes sunt apostoli et hierarchæ.

LXV. Cap. LXIII, vers. 1. « Quis est iste, qui ve-

nit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. » Hoc ænigma Angeli proponunt de Christo decertante, et debellante dæmones, omnesque principes et populos Gentium; eis per idololatriam et scelera subditos, quibus Christus id resolvens respondet. « Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. » Instant Angeli: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? » Respondet Christus: « Torcular calcavi solus, etc., conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, » *q. d.* Rubricatus sum tum sanguine proprio, in passione mea effuso; tum potius sanguine hostium, quos per passionem et mortem meam debellavi.

LXVI. Vers. 16. « Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos: tu, Domine pater noster, redemptor noster; a sæculo nomen tuum, » *q. d.* Abraham nos curare et salvare nequit; unde videtur nos nescire et ignorare: at tu, Christe, nos curas et salvas: tu ergo es pater et redemptor noster.

LXVII. Cap. LXIV, vers. 1. « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes: a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igne. » Est ænigma adventus Christi summe desiderati. Alludit ad adventum Dei in Sina, cum legem dedit Moysi: tunc enim præter morem imbris violentis ignes et fulgura permixta fuerunt. *q. d.* Utinam similiter nunc ad nos, o Christe, in carnem descenderes, et gelu cordis nostri igne amoris tui divini liquefaceres, aquasque torporis et vitiorum nostrorum in flammam fervoris et zeli converteres.

LXVIII. Cap. LXV, vers. 10. « Erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum, populo meo qui requisierunt me. » Pro « campestria » hebraice est « Saron » qui fuit locus Judææ laudatissimus ob pascua. Similis fuit « vallis Achor. » Uterque locus est ænigma et symbolum Ecclesiæ. Illi ergo promittit hic Deus, quod instar Saron, et vallis Achor, erit compascua; quia nimirum in ea fideles pascentur verbo Dei, Sacramentis, aliisque Dei charismatibus. Armata sunt pii robustiores in fide, qui apti sunt ad docendum et regendum: greges sunt infirmiores et subditi.

LXIX. Vers. 16. « In quo (Domino) qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen: et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen, » *q. d.* In Ecclesia Christi fideles jurabunt, et colent Deum amen, id est verum, non falsum, puta idola quæ antea coluerunt, ideoque pariter vere a Deo amen, id est vero, benedicentur.

LXX. Vers. 20. « Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos, » *q. d.* Veri Christiani erunt perfecti in fide et virtutibus; « quoniam puer centum annorum morietur,

et, (id est), peccator centum annorum maledictus erit. »

LXXI. Vers. 22. « Secundum dies ligni » vitæ, « erunt dies populi mei, » *q. d.* Christiani vivent in æternum, ac si ex ligno vitæ in paradiso comederent.

LXXII. Cap. LXVI, vers. 24. « Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. » Est ænigma inferni et damnatorum ; horum enim corpora erunt quasi cæsurum cadavera, pabulum ignis et vermis, spectaculum et probrum æternum Dei, Angelorum, et Sanctorum omnium.

EX JEREMIA.

I. Cap. II, vers. 22. « Cursor levis explicans vias suas. » Cursor levis et velox, est ænigma camelæ, quæ a cursu veloci dicitur dromedaria, *q. d.* Sicut camela, dum æstro libidinis agitur et furit, procurrit ad marem : ita tu, o Jerusalem, insana superstitione agitata procurristi ad idola.

II. Vers. 24. « Onager assuetus in solitudine, et in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui : nullus avertet eam : omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis ejus invenient eam, » *q. d.* Sicut onager æstuans libidine auram attrahit, ut æstum refrigeret, ac æstuans procurrit ad onagram : ita tu tota contento animo et cursu procurris ad idola. Si quis te quærat, ibi in menstruis et sordibus tuis fornicationis, id est, idololatriæ, te inveniet.

III. Vers. 31. « Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? » *q. d.* Numquid inutilis et sterilis fui Israeli uti est solitudo, aut terra quæ extra se nihil producit, vel sero? *q. d.* Minime : ego enim dedi eis terram lacte et melle manantem. « Quare ergo dixit populus meus : Recessimus, non veniemus ultra ad te? »

IV. Vers. 34. « In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum : non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. » Est ænigma accipitris, qui dum prædam occidit, ejus sanguine alas suas inficit, *q. d.* Tu, o Israel, instar accipitris involans in pauperes et innocentes, eorum sanguine vestes tuas cruentasti : idque « non in fossis » more furum et latronum, sed in lucis et sylvis idolorum, quibus eos quasi victimas immolasti.

V. Cap. IV, vers. 3. « Novate vobis novale, et nolite serere super spinas, » *q. d.* Sicut in agro, ut is sit capax seminis, spinæ prius evellendæ sunt, et ager arandus, ut fiat novale : ita et vos a spinis vitiorum agrum cordis vestri expurgate, eumque humilitate et contritione arate ; ut fiat novale capax seminis divini, puta gratiæ et virtutum. Unde explicans subdit : « Circumcidimini

Domino, et auferte præputia, » non carnis, sed « cordium vestrorum. »

VI. Vers. 7. « Ascendit leo de cubili suo, et prædo Gentium se levavit. » Hic prædo et leo est Nabuchodonosor, et quivis tyrannus ; cubile ejus est Chaldæa.

VII. Vers. 23. « Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili ; et cælos, et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur, » *q. d.* Tantus erit in excidio Judæorum pavor et consternatio, ut eis cælum et terra concuti, perire et interire videantur.

VIII. Cap. V, vers. 1. « Circuite vias Jerusalem, etc., et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem : et propitius ero ei, » scilicet Hierosolymæ propter unum virum. Virum, qui virtute solida sit vir, quærit Deus : hunc pluris facit quam centum feminas : feminæ sunt in virtute molles et instabiles. Similem virum Athenis quærebat Diogenes.

IX. Vers. 6. « Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum. » Triplex hic est ænigma Nabuchodonosoris. Ipse enim *primo*, vocatur, leo, ob terrorem et fortitudinem ; *secundo*, lupus, ob voracitatem ; *tertio*, pardus, ob celeritatem et vigilantiam.

X. Vers. 14. « Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos, » *q. d.* Faciam ut oracula tua et minæ tuæ sint efficacia et reipsa compleantur, ut quasi ignis comburant Judæos tanquam arida ligna.

XI. Vers. 16. « Pharetra ejus (gentis Chaldæorum) quasi sepulcrum patens, » *q. d.* Chaldæi suis sagittis validis configendo Judæos, mittent omnes ad mortem et sepulcrum.

XII. Cap. IX, vers. 21. « Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, juvenes de plateis : » Mors est ænigma Chaldæorum, ac tropologice dæmonum et illecebrarum, qui non nisi cædes spirant et mortes.

XIII. Cap. XII, vers. 5. « Si cum peditibus currens laborasti : quomodo contendere poteris cum equitibus? » Si non potes minora, quomodo poteris majora? si, o Jeremia, persecutiones civium tuorum Anathothitarum ferre non vales, quomodo feres vim et furorem Hierosolymitanorum? Tropologice, si verba mendacia sustinere nequis, quomodo sustinebis verbera et martyrium?

XIV. Vers. 13. « Seminaverunt triticum, et spicas messuerunt, » *q. d.* Judæi prospera sperant, sed adversa sentient : felicitas eorum in miseria, copia in inopiam, sementis in spinas convertetur.

XV. Cap. XIII, vers. 16. « Date Domino Deo vestro gloriam, » Deum colite, illique obedite, « an-

tequam confitebreat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos, » ad quos diffugietis in excidio urbis : « expectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caligineth. » Umbra mortis ænigma est rerum tristissimarum, summique angoris et periculi. Unde subdit :

Vers. 23. « Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, et confisa es in mendacio. »

XVI. Cap. xv, vers. 12. « Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, et æs? » *q. d.* Duri et ænei sunt Judæi, æque ac Aquilonares Chaldæi; ergo sociari non poterunt, nec fœdus inter eos initum durabit.

XVII. Vers. 19. « Si separaveris pretiosum a villi, quasi os meum eris, » *q. d.* Si te, o Jeremia, a ludentibus, impiis et incredulis Judæis separaveris, si mentem tuam et os mihi meoque verbo, non nugis, nec vanitatibus, consecraveris, eris os meum : quia iisdem quibus ego conceptibus et sermonibus uteris, egoque per te, quasi per os meum, verba mea eis totique orbi enuntiabo; ejusque efficacia et fructus erit quem subdit : « Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. »

XVIII. Cap. xvii, vers. 11. « Perdix fovit quæ non peperit : fecit divitias, et non in judicio : in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo erit (id est, apparebit) insipiens, » *q. d.* Sicut perdix furans ova aliena, iis incubans pullos excludit; sed hi dum adolescent, et vocem veræ matris audiunt, ad eam avolant : ita et opes furto et fraudibus partæ, a furibus et fraudulentis ad alios veros dominos avolabunt.

XIX. Vers. 12. « Solum gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, » *q. d.* Spem meam non defigo in homine, sed in Deo, ad ejusque solum preces meas transmitto : inde enim exspecto sanctitatem, libertatem, et omne bonum.

XX. Cap. xviii, vers. 14. « Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ et defluentes? Quia oblitus est mei populus meus, » *q. d.* Sicut nix et aquæ de Libano deficere nequeunt, sic neque in me, qui sum fons aquæ vivæ, bonorum et beneficiorum fluxus in homines, præsertim fideles, ut sunt Judæi, deficere potest. Quomodo ergo ipsi eorum, et mei oblivisci possunt?

XXI. Cap. xx, vers. 3. « Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego dabo te in pavorem, te et omnes amicos tuos : et corruent gladio. »

XXII. Vers. 14. « Maledicta dies, in qua natus sum : dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. » Maledictio hæc est ænigma malorum et miseriarum, in quæ per nativitatem quasi per januam ingredimur. Unde mox subdit :

« Quare de vulvâ egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei? »

XXIII. Cap. xxi, vers. 8. « Ecce ego do vobis viam vitæ, et viam mortis. » Via mortis est : « Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste. » Via vitæ est : « Qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua, quasi spolium, » *q. d.* Si resistatis Chaldæo, occidemini; sin vos ei dedatis, vivetis : vult enim Deus ut vos ei subjiciatis, hancque subjectionis et captivitatis penitentiam, pro peccatis vestris sponte subeat.

XXIV. Cap. xxii, vers. 6. « Galaad tu mihi caput Libani, » *q. d.* Sicut Galaad caput est Libani, sic domus regia Davidis caput est Hierosolymæ.

XXV. Vers. 19. « Sepultura asini sepelietur (puta in sterquilinio, rex Joakim occisus a Chaldæis) putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. »

XXVI. Cap. xxxi, vers. 22. « Femina circumdabit virum. » Puta beata Virgo concipiet et pariet Christum.

XXVII. Vers. 23. « Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus, » *q. d.* Benedicat tibi Deus, o Ecclesia, quæ decorata es omni justitia et sanctitate.

XXVIII. Cap. xlvi, vers. 20. « Vitula elegans atque formosa, stimulator ab Aquilone veniet ei, » *q. d.* Ægyptus opibus et deliciis instar vitulæ lascivientis exsultat; at mox cohibebit eam Nabuchodonosor veniens e Chaldæa, qui suis stimulis ita punget eam, ut nesciat quo se vertat.

XXIX. Cap. xlvi, vers. 11. « Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fœcibus suis : nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit : idcirco permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus, » *q. d.* Moab vicina Sodomæ, ex ea traxit malos sapes et odores, id est malos mores et amores, quibus quasi fœcibus semper insedit; quia nunquam fuit translata de vase in vas, id est quia nunquam suam sedem et viciniam Sodomæ reliquit, nec unquam abiit in captivitatem. Quæcirca ut hos mores mutet, transferam eam in Babylonem, sicut vinum in fœcibus suis vapidum, ut saporem et odorem mutet et emendet, ex eis in aliud vas transfunditur. Unde subdit :

XXX. Vers. 12. « Mittam ei ordinatorum et stratores laguncularum, et sternent eam, et vasa ejus exhaurient, et lagunculas eorum collident, » *q. d.* Mittam ei Chaldæos, qui sicut viatores sternent lagunculas, quasi vinum ex una in aliam transfusuri; sed revera vinum exhaurient, et lagunculas conterent, id est cives et opes Moab diripient et absument.

XXXI. Cap. li, vers. 7. « Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram : de

vino ejus biberunt Gentes, et ideo commotæ sunt. » *q. d.* Deus calicem iræ et vindictæ suæ, licet extrinsecus aureum et fulgidum, propinavit Judæis et aliis Gentibus, quem haurientes turbati sunt, et præ dolore quasi ebrii et mentis emotæ effecti. Calix hic est bellum et strages, quam omnibus intulit Nabuchodonosor.

XXXII. Vers. 9. « Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam : quoniam pervenit usque ad cælos iudicium » id est supplicium et vulnus « ejus. » Est vox Angelorum, vel potius gentium vicinarum, quæ quasi medici curare volebant Babylonem, eamque contra Cyrum defendere; sed videntes ejus cladem et excidium, difugerunt et ad sua redierunt.

XXXIII. Vers. 13. « Quæ habitas super aquas multas, locuplex in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ. » Est ænigma Babylonis ejusque excidii, *q. d.* O Babylon quæ Euphrate circumdaris, et opibus affluis, venit elades quæ tibi finem afferet, teque excindet, eaque « pedalis, » id est æqua, et quasi ad pedem tuis sceleribus commensa.

XXXIV. Vers. 41. « Quomodo capta est Sesac, et comprehensa est in clyta universæ terræ? Sesac » est ænigma Babylonis; si enim primas alphabeti Hebraici litteras cum ultimis ordine retrogrado commutes « Sesac », idem est quod « Babel. » Unde explicans subdit : « Quomodo facta est in stuporem Babylon inter Gentes? »

XXXV. Vers. 60. « Scripsit Jeremias omne malum quod venturum erat super Babylonem, in libro uno, et dixit ad Saraiam : Cum veneris in Babylonem, et videris et legeris omnia verba hæc, dices : Domine, tu locutus es contra locum istum, ut disperderes eum. Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphraten. » Hoc symbolum et ænigma explicat, dum subdit : « Et dices : Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur. »

EX THRENIS.

I. Cap. I, vers. 14. « Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. » Peccata sunt quasi funis et catenæ, ex quibus fit jugum implexum, quod collo peccatoris imponitur. Hoc vigilat, quia Dei vigilantis oculus semper objicitur, eumque stimulat ut stato tempore, puta impleta peccatorum mensura, ea puniat et ulciscatur. Unde sequitur :

II. Vers. 15. « Vocavit adversum me tempus (vindemiæ, id est vindictæ), ut » me « contereret; torcular calcavit Dominus virgini filię Juda, » cum eam in excidio quasi in torculari, per Chaldæos pressit et oppressit.

III. Cap. III, vers. 63. « Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide : ego sum psalmus eo-

rum, » *q. d.* Vide ut in omnibus locis, actibus et conventibus me irrideant, in me psallant, et dicteria jactent. « Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum : dabis eis scutum cordis laborem tuum; » ut labore et dolore quasi scuto undique tegantur et cingantur.

EX BARUCH.

I. Cap. III, vers. 15. « Quis invenit locum ejus (sapientiæ et prudentiæ)? et quis intravit in thesauros ejus? » Est ænigma de vera sapientia, practica scilicet, quæ beat; non speculativa, quæ inflat : quærit enim locum ejus ac modum, et viam eam consequendi, docetque eam non apud philosophos, sed apud Angelos; non in terra, sed in cælo; non apud homines, sed apud Deum degere, indeque accersendam esse. Unde subdit :

II. Vers. 16. « Ubi sunt principes Gentium, qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum? exterminati sunt, et ad inferos descenderunt : viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ : viam autem sapientiæ nescierunt. »

Vers. 26. « Ibi fuerunt gigantes scientes bellum. Non hos elegit Dominus. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. » Subdit deinde, eam esse in cælo apud Deum. « Quis ascendit in cælum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? Non est qui possit scire vias ejus : sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua. Qui emittit lumen, et vadit, et vocavit illud, et obedit illi in tremore. »

Vers. 34. « Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt : vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob (et Jacobæis, puta Mosi et Hebræis) puero suo, et Israel dilecto suo. »

III. Vers. 38. « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. » Ibi nos docuit ore suo veram et perfectam sapientiam, viamque ad cælum et beatitudinem. Subdit deinde, sapientiam consistere in observatione mandatorum Dei, dum ait : « Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum : omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. »

EX EZECHIELE.

I. Cap. VII, vers. 5 et 7. « Afflictio una, afflictio ecce venit : finis venit, venit finis, evigilavit adversum te : ecce venit. » *q. d.* Tuum, o Jerusalem, excidium imminet, instat tibi finis et ultima dies. Unde subdit : « Venit contritio super te, qui ha-

bitas in terra : venit tempus , prope est dies oc-
cisionis, et non gloriæ montium, » hebraice, *non*
celeusmatis vindemiatorum, q. d. Nuper vindemian-
tes in montibus lætum canebant celeusma, nunc
canunt threnos, plangentque in iis suorum stra-
gem.

II. Vers. 10. « Ecce dies, ecce venit, egressa »
est contractio (id est germen primūm, puta folli-
culus contractus), « floruit virga, germinavit su-
perbia, » *q. d.* Superbia et impietas Judæorum
primo quasi gemma, sive folliculus contractus,
egressa est, mox floruit, et germinavit in virgam,
quæa Deus eos flagellabat. Hoc est enim quod sub-
lit : « Iniquitas surrexit in virga (id est exere-
xit in virgam) impietatis. »

III. Vers. 23. « Fac conclusionem (minas hasce
omnes brevi sermone, quasi summa conclude) :
quoniam terra plena est iudicio (id est damna-
tione) sanguinum (puta sanguinibus injusto ju-
dicio ab ea damnatis, et effusis), et civitas plena
iniquitate. »

Vers. 26. « Conturbatio super conturbationem
veniet, et auditus super auditum, » *q. d.* Calami-
tas una super aliam veniet, rumor unus et nun-
tius tristis mox alium adducet et excipiet.

IV. Cap. xvii, vers. 2. « Fili hominis, propone
ænigma. Aquila grandis magnarum alarum, longo
membrorum ductu, plena plumis et varietate, ve-
nit ad Libanum, et tulit medullam cedri. » Hæc
aquila est Nabuchodonosor, potens copiis, et late
dominans, qui ex Judæa cepit Joachin regem,
eumque transtulit in Babylonem.

Vers. 7. « Et facta est aquila altera grandis,
magnis alis, multisque plumis : et ecce vinea ista
quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos
extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis ger-
minis sui. » Hæc aquila est Pharaos, vinea est Se-
decias et Judæa, quæ contra Chaldæos imploravit
opem Pharaonis, sed frustra : nam uterque a Chal-
dæis cæsus est. Ita explicat Propheta, vers. 12.

V. Cap. xxi, vers. 21. « Stetit rex Babylonis in
divio, in capite duarum viarum, divinationem
quærens, commiscens sagittas : interrogavit idola,
exta consuluit. Ad dexteram ejus facta est divi-
natio super Jerusalem. » Nabuchodonosor omen
cepit per duas sagittas, an contra Ammonitas, an
contra Judæos pergere deberet; cumque sagitta
et sors caderet versus Jerusalem, contra eam per-
rexit.

VI. Vers. 25. « Tu autem, profane, impie dux
Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præ-
finita : Hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim,
tolle coronam : nonne hæc est quæ humilem sub-
levavit, et sublimem humiliavit? » Loquitur Se-
decias, impio et fœdifrago, *q. d.* Cum humilis es-
set, corona regni te evexit : nunc cum superbis,
eadem te humiliabit et regno dejiciet. Unde sub-
dit :

VII. « Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem po-
nam eam. » Pro « iniquitatem, » hebraice est

curvitatem, obliquitatem, q. d. Curvabo et depri-
mam secundo et tertio coronam Sedecias.

VIII. Cap. xxxix, vers. 3. « Ecce ego super te,
Gog, principem capitis Mosoch et Thubal, et cir-
cumagam te, et educam te, et ascendere te faciam
de lateribus Aquilonis : et adducam te super mon-
tes Israel. » Gog et Magog erunt reges et gentes
feræ ac barbaræ, quæ pugnabunt pro Antichristo
in Judæa residenti. Unde ibidem a Christo cæden-
tur, et sepelientur in loco, qui inde vocabitur
vallis multitudinis Gog, juxta urbem Amona, ut
ait vers. 11 et 16.

IX. Cap. xl, vers. 3. « Ecce vir, cujus erat spe-
cies quasi species æris, et funiculus lineus in manu
ejus, et calamus mensuræ in manu ejus : stabat
autem in porta. Et mensus est latitudinem ædifi-
cii calamo uno, etc. » Vir hic est Angelus repræ-
sentans Christum; qui metitur et designat fabri-
cam novi templi, omnesque ejus partes. Hæc est
idea fabricæ Christi, puta novæ Ecclesiæ Christia-
næ, tam militantis quam triumphantis. Vide dicta
cap. xl.

X. Cap. xliv, vers. 1. « Et convertit me ad viam
portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad
Orientem : et erat clausa. Et dixit Dominus : Porta
hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transi-
bit per eam : quoniam Dominus Deus Israel in-
gressus est per eam, eritque clausa principi. Prin-
ceps ipse sedebit in ea. » Porta clausa est B. Virgo,
ex qua sine viri copula conceptus est Christus, in
eaque habitavit novem mensibus, ac per eam
clausam transiit, et saliit in mundum. Deus Israel
ingressus est per eam, puta S. Trinitas, scilicet
Deus Pater, eam sibi desponsans et maritans :
Deus Spiritus Sanctus, eam obumbrans et fecun-
dans : Deus Filius, in ea carnem assumens.

XI. Cap. xlvii, vers. 1. « Ecce aquæ egrediebantur
subter limen domus ad Orientem, et ecce aquæ
redundantes, et traduxit me per aquam usque ad
talos. Rursumque mensus est mille, et traduxit me
per aquam usque ad renes. Et mensus est mille,
torrentem quem non potui pertransire : quoniam
intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non
potest transvadari. » Hæc aquæ et hic torrens est
sapientia et doctrina Evangelica, et S. Scriptura,
quæ abyssus est impenetrabilis.

XII. Vers. 12. « Et super torrentem orietur in
ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomife-
rum : non defluet folium ex eo, et non deficiet
fructus ejus : per singulos menses afferet primi-
tiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur :
et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad
medicinam. » Hæc ligna, id est arbores, sunt Chri-
stiani, qui rigati aquis Evangelii, et sacræ Scrip-
turæ, semper virtutibus frondent et fructificant.
Fructus ergo sunt opera virtutum, quibus animus
pascitur; folia sunt cæremoniæ, quæ salutarem
conferunt instructionem et medicinam. Anagogice
hæ arbores et fructus sunt dotes beatitudinis, puta
visionis Dei, quibus Beati fruuntur in cælo, et

patet Apoc. xvii, 1. Unde et Ezechiel concludens hanc totam novi templi et urbis fabricam, cap. ult., vers. ult., ait: « Et nomen civitatis, Dominus ibidem. »

EX DANIELE.

I. Cap. ix, vers. 25. « Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum duces, hebdomades septem, et hebdomades 62 erunt, » id est universim hebdomades 69. « Et post hebdomades 62 (additis septem jam dictis, id est post 483 annos) occidetur Christus. »

II. Vers. 27. « Confirmabit autem pactum multis hebdomada una (q. d. Christus prædicabit, novumque testamentum instituet tribus annis cum dimidio,) et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium. » Christus enim sua morte et sacrificio abolebit omnes Judæorum victimas.

III. « Et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, » q. d. Post, et ob necem Christi, Jerusalem ejusque templum a Tito et Romanis desolabitur, hæcque desolatio durabit usque ad finem mundi.

IV. Cap. xi, vers. 5. « Et confortabitur rex Austri, etc., et post finem annorum fœderabuntur : filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, etc. » Recenset Daniel hoc capite toto usque ad vers. 36 bella gesta per 140 annos inter reges Austri, id est Ægypti, et reges Aquilonis, id est Syriæ; puta inter Ptolemæos et Seleucidas, sive Antiochos : vide dicta *Danielis* xi. Totum ergo hoc caput est continuum ænigma.

V. Vers. 37. « Deum patrum suorum non repu-

tabit (rex Aquilonis, puta; non tam Antiochus Epiphanes, quam Antichristus, cujus ille fuit vespus et prodromus), et erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. Deum autem Maosim (id est fortitudinis) in loco suo venerabitur. »

VI. Vers. 45. « Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum et sanctum : et veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei, » q. d. In Apadno in monte sancto cædetur Antichristus.

VII. Cap. xii, vers. 6. « Usquequo finis horum mirabilium? Et audivi virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dextram et sinistram suam in cœlum, et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis, » q. d. Per annum, et duos annos, et dimidium anni, puta per tres annos cum dimidio, durabit persecutio Antichristi. Unde subdit :

VIII. Vers. 11. « Et a tempore cum ablatum fuerit jure sacrificium (ab Antichristo,) et posita fuerit abominatio in desolationem, dies 1290. » q. d. Persecutio Antichristi durabit dies 1290, id est tres annos cum dimidio.

IX. « Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies 1335, » nam post mortem Antichristi dabuntur fidelibus sub eo lapsis, ut minimum 45 dies ad pœnitendum.

X. Vers. 13. « Tu autem (Daniel) vade ad præfinitum (ad mortem quæ omnibus statuta et præfinita est :) et requiesces, et stabis in sorte tua (inter electos et beatos) in finem dierum, in die judicii.

IN PROPHETAS MAJORES

COMMENTARIUS.

IN PROPHETAS

PROOEMIUM.

Post Pentateuchum, aggredior Prophetas, qui totius veteris Testamenti pars sunt nobilissima et utilissima, æque ac difficillima et obscurissima. Hebræi, et ex iis S. Hieronymus, vetus Testamentum faciunt tripartitum: *Thora*, sive legem aut Pentateuchum; *Nebiim*, id est Prophetas; *Ketubim*, id est hagiographa. Prophetæ ergo proxime legi associantur; uti et Christus et Apostoli ea associarunt, *Matth.* vii, 12: « Hæc est enim lex, et Prophetæ; » et cap. xi, vers. 13: « Omnes enim Prophetæ et lex, usque ad Joannem, prophetaverunt, » et cap. xxii, vers. 40: « In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ; » et *Lucæ* xxiv, 44: « Necessè est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me, » et alibi.

Itaque quæ Christus conjunxit, ego non divellam. Post Pentateuchum ergo Prophetas do, atque hos illi associo; præsertim, cum valetudo a triginta annis infirma et dubia, viresque debiles sensim mihi atterantur et imminuantur; ut, si cæteros S. Scripturæ libros, qui faciliores sunt et a multis explicati, commentando pertexere non valeam, Prophetas saltem, quasi tertium opus, tertio loco et ordine SS. Trinitati, eorum auctori, offeram et consignem; imo reddam ei, cujus in solidum est, utpote a quo totum quantum, quantum est accepi; ut, sicut obtuli nuper aurum Paulinum, et thus Leviticum, ita nunc cum tribus Magis offeram myrrham Propheticam, quæ vere myrrha, per minas et onera lacrymas ciet, omnesque ad pœnitentiam provocat. Equidem hic mihi dicere liceat, id quod in hac eadem causa æque ac argumento olim sensit et dixit S. Hieronymus proœmio in lib. XIV *commentarii in Isaiam*: « Dominus qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant; qui loquitur in *Deuteron*. Ego occidam, et ego vivificabo; percutiam, et ego sanabo: frequentibus morbis meam quoque terram fecit contremiscere, cui dictum est: Terra es, et in terram ibis: et oblitum conditionis humanæ crebro admonet, ut hominem, et senem etiam, jamque moriturum esse

me noverim. De quo scribitur: Quid gloriatur terra et cinis? Unde qui me subito languore percusserat, incredibili velocitate sanavit, ut terreret potius quam affligeret, et emendaret magis quam verberaret. Itaque sciens, cujus sit omne quod vivo, et quod idcirco forsân dormitio mea differatur, ut cœptum in Prophetas opus expleam; totum me huic trado studio, et quasi in quadam specula constitutus, mundi hujus turbines atque naufragia, non absque gemitu et dolore contemplor; nequaquam præsentia cogitans, sed futura; nec hominum famam atque rumusculos, sed Dei judicium pertremiscens. »

Prophetas ergo pertractabo, non meis, sed Dei viribus, qui infirma mundi eligit, ut divina ejus virtus in nostra infirmitate perficiatur: Prophetas dico majores, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem, quatuor Synagogæ Evangelistas, curum et quadrigam Cherubim, cui Dei majestatem insidentem, eumque aurigantem vidit Ezechiel. Hi veteres Ecclesiæ principes et doctores orbem illuminarunt, Christo et Ecclesiæ facem prætulērunt: hæc organa Spiritus Sancti mirabili harmonia Dei sapientiam, et fidei mysteria nobis præcinnuerunt. Hoc est quod Symbolo perenniter profiteamur: « Credo in Spiritum Sanctum, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. » In his studuit S. Paulus edoctus ad pedes Gamalielis, ab his omnem suam sapientiam et spiritum hausit. Idem Timotheum discipulum suum, pastorem, Episcopum et Apostolum commendat, quod ab infantia Sacras Litteras didicisset, veteris utique Testamenti, quod solum tunc exstabat; et maxime Prophetas, qui omnibus veteris Testamenti libris longe sublimitate, varietate, profunditate sapientiæ, æque ac patho et efficacia dicendi movendique, antecellunt, suntque quasi pala et smaragdus in annulo aureo: atque eum ut in cœpto pergat hortatur. « Dum venio, ait, I *Timoth.* iv, 13 et 16, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Attende tibi, et doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui

Quadriga
Cherubim
4. Prophetæ.

te audiunt; » et, II *Tim.* II, 15 : « Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis, » scilicet verba Sancti Spiritus, verba Prophetarum. Quocirca jam pridem damnata, et oblivione sepulta est blasphemia et hæresis Ebionis, qui teste Epiphano, *hæresi* 30, post Abraham, Isaac, Jacob et Mosen, nullos alios admittebat Prophetas, nisi solum Christum. Hunc enim solum fuisse Prophetam veritatis; Isaiam vero, Jeremiam, Danielelem et Ezechielem fuisse « Prophetas intelligentiæ, non veritatis. »

Prophetæ ergo fuerunt magistri orthodoxæ fidei, doctores veritatis, qui arcana Dei consilia hominibus enuntiarent, quique Ecclesiam Dei a synagoga Satanæ secernerent, et dono prophetiæ, quasi certissimo veræ Ecclesiæ indicio et signo, interstinguerent, totique mundo ostenderent. Hoc est quod ait Gentium doctor et propheta : « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei, etc. » *Ephes.* IV, 11.

Quinimo ipse Deus cum idolis et idololatrarum synagoga de divinitate veraque religione contendens, hoc quasi indubitato invictoque argumento eam illis adimit, sibi vero astruit. « Annuntiate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos, » *Isaiæ* XLI, 23. « Testimonium enim divinitatis est veritas divinationis, » ait Tertullianus *Apolog.* cap. XX. et cap. XVIII. « Voces, ait, eorum (Prophetarum) et virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent. » Hæc de causa omni sæculo Deus Ecclesiam suam Prophetis illustravit, per eosque illam manifestavit, obsignavit et confirmavit, ut nemo inter tot errorum et hæresum caligines et labyrinthos, de veritate, veraque Ecclesia dubitare posset.

In lege naturæ vera Dei Ecclesia habuit Prophetas : *Primo*, Adamum, qui *Genes.* II, 21 et 23, in exstasi præcognovit connubium Christi cum Ecclesia, illudque suo cum Eva conjugio præsignavit. Ergo cum Ecclesia, imo cum mundo cœpit prophetia. *Secundo*, Abel, cujus sanguis et martyrium etiamnum clamat et Prophetat, *Heb.* XI, 4. *Tertio*, Henoch, qui cum Deo ambulavit, et raptus est in paradysum, ut det Gentibus penitentiam. « Prophetavit autem, » inquit Judas in sua epistola vers. 14. « et de his septimus ab Adam Henoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium, etc. » *Quarto*, Noe, qui prædixit diluvium, ideoque arcam fabricavit, qua illud evasit. *Quinto*, Abraham, qui multas a Deo prophetias de Isaac et Christo ex se nascituris, de stirpis suæ multiplicatione, de possessione Chananæ, et Gentibus per Christum benedicendis, etc. accepit, *Gen.* XII et seq. Abraham

secuti sunt Isaac et Jacob, quorum prophetiæ enarrantur *Gen.* XXVI, 4, et cap. XXVII, 27, et cap. XLIX, toto.

In lege Mosaica Prophetæ fuerunt Moses, Aaron, Josue, Samuel, David, Elias, Eliseus, et nostri hi canonici scriptores. Quin et voluit Deus in veteri Ecclesia et templo perenne exstare oraculum. Pontifex enim Urim et Thummin, id est, pontificalibus indutus, consulensque Deum de quacumque re, audiebat vocem ejus respondentis, et loquentis ex propitiatorio, *Exodi* XXV, 22. Quocirca Sanctum sanctorum, in quo erat propitiatorium, hebraice vocabatur דְּבִיר *debir*, quod Aquila et Symmachus vertunt, χρηματιστήριον, id est, oraculum, uti vertit Noster et alii.

In novo testamento Prophetæ fuerunt Christus, Apostoli, eorumque sequaces. Testis est Sanctus Justinus Martyr, dial. *Contra Tryphonem*, usque ad sua tempora, continua quasi successione exstistisse Prophetas in Dei Ecclesia. Idem de suo sæculo astruit S. Augustinus, lib. V. *De Civit.* cap. XXVI, ubi inter alia, oracula S. Joannis Anachoretæ recenset, qui illustrem illam contra Eugenium tyrannum victoriam, qua tela hostium a Deo in ipsomet hostes retorta et repulsa sunt, prædixit, quam Claudianus, Gentilis licet, admirans ita celebrat in *Panegyri ad Honorium Imper.*

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.

Idem de aliis sæculis demonstrat Thomas Bozius lib. *De Notis Ecclesiæ*, signo XIX. Nostro hoc sæculo prophetiæ spiritu claruisse S. Carolum Borromæum, S. Franciscum de Paula, B. Ludovicum Bertrandum, S. Ignatium, S. Xaverium, Gasparem Belgam, Aloysium Gonzagam, Teresiam, pluresque alios, ex vita eorum a viris fide dignis conscripta liquet.

Hoc viderunt, et inviderunt hæresiarchæ, ideoque ut sibi suæque hæresi fidem arrogarent, prophetiæ donum ambierunt. Verum uti Magi Pharaonis, Mosis miraculorum æmuli, cum eo concertantes ab eo victi et confusi sunt : ita et hi a veris Ecclesiæ Prophetis mendacii convicti, nil nisi pseudoprophetæ nomen et famam retulerunt : itaque suo se gladio jugulantes, sua vaticinandi falsitate et probro, magis Ecclesiæ fidem et gloriam illustrarunt et corroborarunt. Ita Montanus hæresiarcha sub annum Domini 182, Prophetam, imo Paracletum a patre missum se esse jactavit : quin et Priscam et Maximillam, nobiles duas metrices, eodem fanatico spiritu imbuit, ac prophetare docuit. Prædixit inter alia, sub Commodi Imperatore (quod ex moribus ejus præsagiebat) fore bella, seditiones et immanem in Christianos persecutionem : sed eventus eum mendacii coarguit : sub Commodi enim pax fuit Imperio, pax Ecclesiæ et Christianis, adeoque Commodus ipse quasi ultor sanguinis Christiani, sævit in eos qui

Legis
Mosi.Legis
novæ.Pseudo-
propheta
hæresiar-
chæ, cur:
Montanus.Propheta
est
certa
nota
veræ Ec-
clesiæ.Propheta
legis
naturæ.

Christianos afflixerant; eo quod Martia ipsius concubina Christianorum esset studiosissima, inquit Dio in *Commodo*. Sed quis ejus cum suis fuit exitus? ipse Montanus eodem vesano spiritu impulsus laqueo sibi mortem conscivit: idem fecerunt ejus prophetissæ. Testis est Eusebius, lib. V *Histor.* cap. xv.

Manes.

Curbius, qui se Manichæum, quasi mannæ effusorem et datorem, vere autem Manem, hoc est insanum, appellabat, Paracletum se esse, ac futura scire mentitus est. Prædixit et promisit, se per orationem curaturum filium regis Persarum ægotantem: sed cum pro vivo eum mortuum exhiberet, a rege vivus excoriatus est. Testis est Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 6.

Sub annum Domini 700, Hebræus quidam maleficus Ezidi Arabum regi Mahumetano prædixit et promisit triginta annos vitæ et regni, si in suo imperio juberet imagines Christi et Sanctorum ex Christianorum ecclesiis auferri et comburi. Jussit ille; sed, cum Christiani non parerent, immisit Arabes et Hebræos in ecclesias, qui id impigre perfecerunt. Atque hic primus fuit inconoclasta, sed Sarracenus, quem mox secutus est Leo Isaurus Christianus Imperator, qui pariter a Judæis seductus, imagines e templis tolli et aboleri jussit. Unde Leonomachi cognomen accepit. Sed quid? verane fuit Hebræi prophetia? minime gentium. Nam rex Ezides anno sequenti mortuus est, ejusque filius et successor Hebræum pseudopphetam turpissima morte mulctavit, uti narratur in Synodo VII, atque a Cedreno, Zonara, et Niceta in Vita Leonis Isauri.

Fredericus II, Imperator, Ecclesiæ hostis et flagellum, circa annum Domini 1240, quasi Propheta prædixit et intentavit Ecclesiæ Romanæ, ipsique Gregorio IX, ac post eum Innocentio IV, aliisque Pontificibus, a quibus exauctoratus fuerat, excidium, scribens ei hoc carmine.

Fata volunt, stellæque docent, aviumque volatus,
Quod Fredericus ego malleus orbis ero.

Rescripsit ei totidem antistrophis Pontifex :

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Uter fuit Propheta? Utrique Pontifex: stetit enim ipse, stat stabitque Ecclesia Romana et orthodoxa: Fredericus vero anno Domini 1250, a proprio filio Manfredo strangulatus fuit: ita ex Alberico refert Cuspinianus, Pontificum licet hostis, atque, ex iis Bozsius *Signo* xix, et alii.

Hoc sæculo Germaniæ fax Martinus Lutherus, quintus, si diis placet, Propheta, quintus novi Evangelii, hoc est cacangelii, non Dei, sed caco-dæmonis Evangelista, Cerbero fastu prædixit interitum Papæ, seque Papatum eversurum: sic enim fatidicus ipse cecinit:

Pestis eram vivens, moriens tua mors ero, Papa.

At mortuus est pseudoppheta, descenditque ad inferos: vivit, et vivet Papa et Papatus, firma consistet petra, super quam Christus ædificavit Ecclesiam, adeoque nec portæ inferi prævalebunt adversus eam.

Michael Stifelius, Lutheri discipulus, et verbi ejus minister, dignum patella operculum, ex sua credo Algebra, suis parochianis ex cathedra asseveranter et constanter prædixit, anno 1533, certo die, quem ipse nominabat, fore finem mundi, et sæculi consummationem. Credidere suo Parocho miselli; alii gemere, rustici nolle laborare, nec agros colere; alii potare, et sua, quasi eis deinceps opus non foret, largiter consumere; alii Eucharistia quasi morituri se communire; pavide expectare omnes. Venit dies, et quid tandem? parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Fanaticum vatem explosit populus, eumque accusavit apud Lutherum, ursitque ut eum quasi impostorem puniret, ac ministerio abdicaret. Lutherus cum Stifelio, quasi augur, cum augure, colludens, errore dissimulato, populum increpavit, jussitque ut suum reciperent Ministrum, illique parerent, ab eo verbum Dei audirent. Vere poeta:

Plures triobolos, paucos est cernere vates.

Hic competit vetus dictum: «Multi qui boves stimulant, sed pauci aratores.»

Anno Domini 1535, Joannes Leidanus sartor, fanatica audacia cum suis Anabaptistis Monasterium urbem Westphaliæ invasit et occupavit: regem se, imo Messiam novi templi in Sion indignavit: instar Christi duodecim Apostolos et Prophetas ad vicinas urbes quaquaversum legavit, qui cunctos ad novum hunc Messiam, quasi solem a Deo datum, audiendum colendumque invitarent, imo Dei nomine citarent, eum recipientibus aurea sæcula promittentes, respicientibus Dei iras et diras omnes intentantes. Ibant illi enthusiastæ furore, imo dæmone pleni, fundebant oracula; minas, diras. Ac ne deesset altera Judith Holofernum obtruncans, Hilla, mulier Frisia, auro gemisque gravis, urbe ab Episcopo urbis domino obsessa, egressa, Episcopum in sui amorem illucere, ac veneno necare destinabat: sed prodita temeritatis scelerisque pœnas capite luit. Accessit et novus Samson, Joannes Mathisson Harlemius, qui ipso Paschatis festo, a cœlesti Patre sibi nuntiatum dixit, si exiret in obsidentis Episcopi castra, futurum ut ipse solus hostes omnes funderet cæderetque. Approbarunt Prophetæ omnes: et ille bipenni instructus egreditur, statimque hasta transverberatus corrui. At quis hujus prophetiæ, et enthusiasmi exitus? Episcopus armata manu urbem in potestatem redegit, hæreticos subjugavit, novos Prophetas trucidavit, regem et Messiam Leidanum, vivum ex alta turri, crati vimineæ alligatum, suspendit, eumque soli torrendum, muscis et avibus laniandum exposuit. vo-

Michael Stifelius

Ita Chronicarum Germanarum anno 1533, et ex eis Laurentius Sarius.

Fredericus secundus.

Lutherus.

randumque in prædam dedit. Historia toti orbi nota a Surio aliisque præcedentis sæculi chronologis tragice enarratur, uti et a P. Serario præfatione in *Judith*.

Calvinus, teste Hieronymo Bolseco, ejus discipulo, in *Calvini Vita*, prædixit et spondit se in suæ hæreseos sectæque confirmationem defunctum a morte suscitaturum. Quid agit? audi strophas. Bruleum quemdam tenuis fortunæ hominem magnis promissis inducit, ut se mortuum simulet, ac a morte publice evocatus a Calvino; ab ea resurgere fingat. Dictum, factum. Evocat eum Calvinus, jubetque si vera sit fides quam prædicat, Dei nomine ab inferis ad vitam redeat. Sed quid? non erat in Bruleo vox, non sensus, non vita. O efficacem Calvinus vocem et fidem, quæ ex vivo mortuum effecit novo et a sæculis inaudito miraculo! Hic scilicet est alter Elias, alter Eliseus.

Quis neget Æneæ magni de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Talia oracula, talia miracula, tales decet Prophetas: scilicet hi sunt qui purum putum verbum Dei, qui primas veritates docent, hi nugivenduli quibus orbis animas suas credit, quorum dicta sunt irrefragabilia, quibus applauditur αὐτὸς ἔφα. Hi impostores, qui pro vita mortem, pro cælo tartarum, pro salute gehennam suis accersunt: qui hæc audent, quid non audebunt?

Certum ergo clarumque est, prophetiam fidei, veræque religionis esse notam et tesseram indubitam illi a Deo datam, uti pseudopropheta nota est hæreseos et synagogæ Satanæ, qui pater est mendacii. Idipsum diserte asserit Deus, *Deuter. xviii, 21 et 22*: « Si, inquit, responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenierit: hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit. »

Quocirca hosce quatuor Prophetas per quatuor Ezechielis Cherubinos, stipatores primæ Veritatis et Sapientiæ increatæ repræsentari mystice (nam ad litteram alios intelligi suo loco docebo) facile est ostendere. Leo enim congruit Isaïæ, bos Jeremiæ, homo Ezechieli, aquila Danieli.

Leonem esse Isaïam liquet ex ejus cap. *xxi, vers. 6*, ubi audit a Domino: « Hæc, inquit, dixit mihi Dominus: Vade, et pone speculatorem: et quodcumque viderit, annuntiet. » Et mox *vers. 8*: « Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem: et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. » Leo enim quia vigilans, symbolum est vigilis et speculatoris. Hac de causa Isaïas rugit, tonat et fulminat, ut leo. « Audite, inquit *cap. i, vers. 1*, cæli, et auribus percipe, terra. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemave-

runt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. » Et *vers. 10*: « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. » Et *vers. 21*: « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. »

Jeremiam esse bovem, patet ex assiduis ejus laboribus, quibus agrum Domini excoluit, et ex jugibus ejus afflictionibus, quibus eum Judæi exagitarunt, ac tandem quasi victimam Deo mactarunt, et lapidibus obrutum Martyrem auctorarunt. Audi eum *cap. xi, vers. 19*: « Et ego quasi agnus mansuetus (hebraice *alluph*, id est, *bos*, ut vertit Vatablus, Pagninus et alii, *q. d.* « Ego quasi agnus, et quasi bos), qui portatur ad victimam: et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. »

Ezechielem per hominem denotari, docet ipse Deus, qui ei revelans oracula jugiter vocat eum filium hominis. Ita *cap. ii, vers. 1*: « Et dixit, inquit, ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. » Et *vers. 3*: « Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices. » Et *cap. iii, vers. 1*: « Fili hominis, quodcumque inveneris comede. » Et *cap. iv, vers. 1*: « Fili hominis, sume tibi laterem. »

Danielem per aquilam repræsentari liquet ex eo, quod Daniel omnium mortalium isto sæculo fuerit sapientissimus: quocirca Deus regem Tyri, qui sibi sapientissimus videbatur, per ironiam irridens: « Ecce, inquit, sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te, » *Ezech. xxviii, 3*. Daniel enim vir abstemius et vir desideriorum, in cælum quasi aquila se librans, et cum Deo jugiter colloquens, ex alta illa æternitatis specula, quasi aquilinis oculis clare conspexit sæculorum omnium seriem, iisdemque ipsa mundi novissima penetravit: nimirum ipse unus quatuor monarchiarum decursum, revolutionem, successionem: ipse gesta Darii et Alexandri: ipse bella Antiochi cum Scipione et Romanis: ipse prælia inter Seleucidas et Ptolemæos, inter Antiochos et Judæos: ipse Christi ortum et necem in fine septuaginta hebdomadum: ipse Antichristi vitam, mores, persecutionem, interitum: ipse resurrectionem, Beatorum gloriam, regnumque Christi felix et æternum ita ad vivum depingit, ut cominus illud spectare, aliisque spectandum exhibere videatur. Ac tandem hac aurea sententia concludit: « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

Porro Prophetis optime congruit, quod de his animalibus ait Ezechiel, ea fuisse oculis plena. Prophetæ enim fuerunt oculi Synagogæ, æque ac Ecclesiæ. Et illud: « Ubi erat impetus

spiritus, illuc gradiebantur; » et : « Animalia ibant et revertabantur, in similitudinem fulguris coruscantis. »

Verum ne longius excurram, ad rem propositam, puta ad prophetiam et Prophetas, accedo : sed antequam eos loquentes et ratiocinantes audiamus, quinque de iis quæstiones præmittendæ sunt. *Prima*, quid sit prophetia. *Secunda*, quotuplex. *Tertia*, quæ Prophetarum causa, materia, modus dicendi, argumentum, quæ munia et officia. *Quarta*, quando, quo ordine, de qua re singuli Prophetæ vaticinati sint. *Quinta*, de eorum obscuritate et difficultate, ac qua via et ratione ea superanda sit.

Quæst. I. I. QUÆRITUR ergo primo. Quid est prophetia? quæ ejus est natura et essentia? Cassiodorus præfat. in Psalmos : « Prophetia, inquit, est divina inspiratio, rerum a nobis procul distantium eventa immobili veritate, et maxima cum certitudine prænoscentis atque prænuntians. » Ex hac definitione docet S. Gregorius hom. 1 in Ezech. Prophetam amplecti trinum et omne tempus, scilicet præteritum, præsens et futurum : horum enim omnium eventa procul distantia esse possunt; ideoque triplicem esse prophetiam.

Prophetia de præsentibus et præteritis, quæ? « Prophetia, inquit, de futuro est : Ecce virgo concipiet, et pariet filium. Prophetia de præterito : In principio creavit Deus cælum et terram; de illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. » Sic et Daniel ex prophetiæ spiritu regi somnium, quod oblitus erat, enarravit, illudque deinde interpretatus est, *Daniel. cap. II.* « Prophetia de præsentibus est, quando Paulus Apostolus dicit *I. Cor. XIV* : Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus : occulta enim « cordis ejus manifesta fiunt. Ergo recte prophetia dicitur, non quia prædicat futura, sed quia prodit occulta. Sic Giezi longe a Propheta recesserat, cum Naaman Syri munera percipiebat; cui tamen Propheta dicit : Nonne cor meum in præsentibus erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? » *IV Reg. V.* Sic Joannes Baptista Propheta fuit, quia Christum incognitum mundo ostendit, dicens : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, » *Joan. I.* Sic Ahias cæcus prophetavit, cum uxorem Jeroboam aliam se esse simulantem ex Dei inspiratione agnovit dixitque : « Ingredere, uxor Jeroboam : quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius, » *III Reg. XIV, 6.* Sic Elisabeth per prophetiæ spiritum, Verbum in beatæ Mariæ utero incarnatum agnovit, dum ei dixit : « Unde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me? » *Luce I.* Æqualis enim difficultatis et potentiae ac sapientiæ est, revelare occulta, v. g. arcanas hominum cogitationes, ac prædicere futura : ad utrumque enim lumen supernaturale et divinum, puta revelatio Dei, requiritur, uti docet S. Thomas, *II II, Quæst. CLXXI, art. 3.* Idem do-

cet S. Chrysostomus, *proœmio in psalmos, tom. I* : « Universum, ait, prophetiæ genus tripliciter dividitur, in futurum, præsens et præteritum. Quoniam prophetia est, ejus quod est occultum, inventio : ut a Petro factum est, qui furtum Ananiæ et Sapphiræ detexit, » *Actor. V.*

Dico « occulta, » qua scilicet occulta : fieri enim potest, ut quæ uni sunt aperta, visa aut scita, alteri sint occulta : tunc enim huic prophetice revelari possunt ea, quæ alii sciunt per sensum vel demonstrationem ; uti uxorem Jeroboam alii ex forma cognoscebant ; Ahias vero cæcus non nisi ex prophetia eam agnovit. Ita D. Thomas.

Verum recte ibidem admonet S. Gregorius dicens : « In duobus temporibus prophetia etymologiam perdit ; quia cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præterito aut præsentibus loquitur, rationem sui nominis amittit. » Et Tertullianus, *Apolog. XVIII* : « Prophetia, inquit, de officio præfandi vocatur. » Ergo prophetia propria tantum est de futuris : « Omnis prophetia imago est futurorum. Domus ergo Dei futura in imagine prophetiæ prædicata est, » ait S. Augustinus in *Psalm. CXXXI.* Quocirca cum D. Thomas et Scholasticis, *II II, Quæst. CLXXI, art. 3,* Ita proprie prophetiam definiemus : « Prophetia est divina inspiratio vel revelatio, futurorum contingentium eventus certa et immobili veritate prævidens et prænuntians. » Hinc prophetia hebraice vocatur subinde *חֲזוֹן chason*, id est, visio ; prophetæ *חֹזִים chosim*, id est, videntes, id est, prospectores et prævisores. Erant enim ipsi quasi os Domini, et oculi Ecclesiæ : quia visiones a Deo ostensas videbant communicandas toti Ecclesiæ. Unde S. Basilius præfat. in *Isaiam* : « Prophetæ, ait, dicti sunt Videntes, quia futura tanquam præsentia conspiciunt. »

Prophetia propria definitio.

Dico in definitione « Divina : » quia solus Deus futura contingentia certo præscire et præsignificare potest. Soli enim Deo, quia æternus est, omniscius et immense virtutis, tam futura quam præterita et præsentia omnia jugiter objiciuntur, et objective ab oculis versantur, etiam cum non existunt in rerum natura. Infinita enim mentis ejus acies, visque cognoscendi superat rerum existentiam, atque pervadit et penetrat omnia tempora, æque ac loca, et adæquat, imo transcendit omne verum. Omne enim verum, sive existens sive non existens ; sive præsens, sive præteritum, sive futurum ; sive absolutum, sive conditionatum, sive possibile, ab infinita illa mente, Deique oculo attingitur et pervidetur. Quocirca recte nonnulli dixerunt : « Prophetas æternitatis a Deo participes fieri. » Prophetia ergo non est aliud, quam revelatio et locutio divina, menti Prophetæ a Deo objecta, et immissa eo modo et lumine, ut illam non aliunde quam a Deo sibi immitti certo sciret. Deus enim sive per se, sive per Angelos loquatur, menti potest dare sui signa certissima, licet ea inexpertis sint incognita, ut

Deus dabit Prophetis certa si

anima sciat hæc Deum in se loqui, non dæmonem, non naturam.

Hoc est quod ait S. Gregorius, lib. IV *Dialog.* cap. XLVIII : « Sancti viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusione patiantur. » Sic de matre sua prodidit S. Augustinus in Confessionibus eam certo quodam spiritali gustu solitam dignoscere et distinguere inspirationes et revelationes Dei ab aliis naturæ, vel dæmonum suggestionibus. Hac de causa Prophetæ fide divina tenebantur credere sua oracula, sive quæcumque audiebant a Deo, utpote a prima Veritate revelata. Hæc enim sunt proprium et adæquatum fidei objectum materiale, cujus formale est ipsa revelatio divina, sive prima Veritas revelans : Deus enim Prophetis ita certo demonstrabat, tam ipsa vaticinia a se revelata, quam se esse qui ea revelaret, ut ipsi fide divina utrumque crederent : alioqui enim ipsi et se et Deum falsitatis et ludibrii periculo exposuissent ; quod, præter infamiam, ingens fuisset sacrilegii crimen. Quando vero Prophetæ tantum per instinctum aliquem (quem ut ait S. Augustinus aliquando etiam nescientes mentes humanæ patiuntur) locuti sunt, non fuerunt plane certi eum esse a Deo : unde tunc eum, quasi Dei oraculum populo proponere non sunt ausi. Cæterum jam per Ecclesiæ declarationem certum est, nostros hos Prophetas omnia quæ hisce libris conscribunt, ex Deo locutos esse. Hæc enim eorum prophetiæ et libri sunt canonicæ Scripturæ.

Quocirca solerter annotat S. Gregorius hom. 1 in *Ezech.* « Sciendum, inquit, est quod aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, et se hæc ex prophetia dicere suspicantur : sed quia sancti sunt, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, et semetipsos quia falsa dixerint reprehendunt. » Sic Nathan probavit consilium Davidis de ædificando templo ; sed mox a Deo contrarium edoctus, dictum suum retractavit, II *Reg.* VII, 5. Atque in hoc Prophetæ veri distant a falsis : « Falsi » enim, inquit S. Gregorius « et falsa denuntiant, et alieni a Sancto Spiritu in sua falsitate perdurant. » Si ergo solerter advertant Prophetæ, facile sentiunt an Deus in se loquatur, an dæmon, vel ratio, aut cupiditas propria : Deus enim certis signis se manifestat, certosque eos facit quod hæc audiant a Deo. Hoc est quod ait S. Petrus *epist.* II, cap. I, vers. ult. : « Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. » Vide D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXI, art. 5. Hac de causa Prophetæ initio sermonis nomen Dei præferbant : « Ne quid viderentur suoapte ingenio loqui ; sed quia, quæ a se dicerentur, divina essent quædam oracula, ac litteræ » e cœlis « delatæ, »

ait S. Chrysostomus in capite I *Isaiæ*, vers. 1.

Atque hac ratione prophetia secernitur ab augurio et necromantia, v. g. qua pythonissa suscitavit Sauli Samuelem, I *Reg.* XXVIII, omnique alia divinatione quæ ope dæmonum, vel etiam Angelorum naturali sagacitate depromitur. Multa enim naturaliter præscire posse dæmonem et prædicere, quæ homo non potest, docet S. Augustinus, lib. *De Divinat. dæmonum*, ubi quinque modos, quibus dæmones naturaliter futura prædicunt, recenset.

Eadem ratione secernitur prophetia a sortibus consultoriis, etiam licitis : « Sortes, inquit Sapiens, *Prov.* XVI, 33, mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur : » temperantur, inquam, sive ordinaria Dei gubernatione et providentia, uti res aliæ ; sive extraordinario Dei se miscentis concursu et dispositione, uti per sortes Deus designavit Matthiam Apostolum, *Actor.* I.

Eadem ratione distinguitur prophetia a conjectatione, quæ fit solertia naturali ex signis sive physiognomicis, sive aliis naturalibus, quorum etiam exempla videre est in sacris Litteris : imo de chiromantia, non magica, sed naturali multi et bene exponunt illud *Jobi* XXXVII, 7 : « Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua, » ut ibidem ostendi. Addunt ei nonnulli Astrologicam divinationem, ex *Judicum* V, 20. ubi dicitur : « De cælo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. » Sed hoc superstitionem olet et Rabbiorum commentum. Nam locus ille *Judicum* V, longe aliam habet intelligentiam, uti ibidem demonstravi. Ita S. Chrysostomus in cap. III *Isaiæ*, tom. I : « Propheta, ait, distinguitur a conjectore, sicut Eliseus a Salomone : ille revelatione, hic ratiocinationis discursu ex signis et ex experientia arcanas res detegit et pervidet. Sic enim Salomon litigium duarum meretricum de prole diremit, tentans utramque, ultra prolem plus diligeret. Eliseus vero Giezi avaritiam et auri acceptionem nullo signo, nullo discursu, sed sola Dei revelatione cognovit. »

Dixi *secundo*, in definitione prophetiæ, eam esse « Futurorum contingentium, » id est actuum liberorum, vel ab iis dependentium, quæ scilicet a libera hominis vel angeli voluntate futura, vel immediate vel mediate dependent, ut libere ab ea emanent, ac suo tempore in actum exeant. Hæc enim sola proprie sunt contingentia. Alia enim naturalia quæ Physici contingentia vocant, uti futuræ pluriæ, æstus, frigora, tempestates, etc. cum pendeant a causis naturalibus, vapore scilicet, cælo, ventis, etc. quæ determinatæ sunt ; hinc et ipsa determinata sunt et necessaria, ac determinate ab Angelis et dæmonibus, qui causarum naturalium, Physices et Astronomiæ sunt peritissimi, præsciri et prævideri possunt, nisi libera alicujus voluntas se misceat, causarumque secundarum combinationem et cursum in-

Actus liberi soli sunt contingentia

vertat et immutet. Soli ergo actus liberi futuri sunt contingentes, quia indeterminati, donec liberum arbitrium libere se in hanc illamve partem determinet, prout libere se determinabit in tempore futuro, cum existet et operabitur : eos ergo nec angelus, nec dæmon præscire potest ; sed solus Deus, qui infinita sua intelligendi vi penetrat et comprehendit libertatem omnium creaturarum, videtque ex immensitate suæ intelligentiæ clare et distincte, quid ipsa quolibet tempore, loco et circumstantiis libere sit determinatura, factura vel non factura.

Dixi tertio : « Certa et immobili veritate : » quod aliqui arctant ad prophetiam præscientiæ sive absolutam, ut excludant prophetiam comminationis, vel promissionis, sive conditionatam : hanc enim censent non esse immobilis veritatis ; quia non semper adimpletur. Ubi nota : D. Thomas II II, *Quæst.* CLXXIV, art. 1, triplicem ponit prophetiam : primam prædestinationis, qua Deus præscit et prænuntiat quæ ipse facere decrevit et prædestinavit, ideoque certissimo evenient. *Secundam* præscientiæ, qua præscit actus bonos et malos futuros tam ab homine quam ab angelo. *Tertiam* comminationis, qua comminatur, v. g. Ninivitis per Jonam excidium. Duæ priores sunt certæ, immobilis et absolutæ veritatis ; tertia non item : patet enim Ninivitas per pœnitentiam evasisse excidium sibi comminatum ; ac proinde hanc prophetiam et comminationem non fuisse reipsa completam. Verum rectius dicitur, duas priores prophetiæ species esse absolutas, ac proinde habere veritatem absolutam : tertiam vero, cum sit conditionata, habere quoque suam veritatem, sed conditionatam sibi commensuratam : nec enim absolutam habere potest, cum ipsa in se non sit absoluta, sed conditionata. Comminatio enim Ninivitis facta a Jona hæc erat : Nisi pœnitentiam egeritis, subvertemini. Hæc propositio conditionata erat, et vera conditionate ; sed quia Ninivite pœnitendo hanc conditionem sustulerunt, hinc et sustulerunt ei annexum excidium, feceruntque ut absolute non esset futurum, quod Deus eis comminabatur ; quia præstiterunt quod Deus per hanc comminationem intendebat, nimirum pœnitentiam et morum mutationem, ut per eam evaderent intentatam ab eo cladem, uti pœnitendo eam re ipsa evaserunt.

Dixi quarto : « Prævidens et prænuntians. » Nam, ut ait S. Athanasius, *De passione Domini* : « Sicut nos conspicientes ea quæ sunt sub oculis nostris, videndo non fallimur, nec aliter videmus quam sunt, sed sicut fiunt ita videmus : sic et Prophetæ futura tanquam præsentia videbant, et quæ videbant fieri erat necesse. Namque quæ fiebant (in futuro, id est quæ futura erant) omnino videbant : verum quæ prævidebant, aliter fieri non poterant : si enim aliter facta fuissent, non fuissent Prophetæ : » quia non vidissent futura, sed ea quæ non erant futura,

ideoque in sua visione falsi et decepti fuissent.

Addidi « Prænuntians. » Propheta enim proprie est, non qui futura cognoscit, sed qui ea prænuntiat. Inde enim græce προφήτης, latine Propheta dicitur, a πρόφημι, id est præfor, præloquor, prædico. Hebraice vero vocatur נביא nabi, q. d. præfator, vel potius præfator, a radice בוא bo (huc enim potius alludit etymon nabi, ut patet ex littera נ utrique addita, quam ad radicem נוב nub, id est locutus est, vel בן ban, id est intellexit,) id est venit. Inde enim dicitur נבא nabu, id est venire fecit, venturum prædixit : quia Prophetæ suo verbo et oraculo, utpote certo et indubitato, ex phrasi Hebræorum, et ex more loquendi hominum, quasi venire faciebant ea quæ nondum erant, eaque sua prædictione quasi advocabant ut venirent, ac ut certo evenirent quasi efficiebant. Sic Prophetæ dicebantur adducere pluviam, siccitatem, pestem, gladium, mortificare, vivificare, etc. quia ea certo et infallibiliter eventura prædicebant.

Hæc ergo propria est prophetiæ ratio, significatio et essentia. Verum quia Isaias, Jeremias, alique Prophetæ non tantum futura prædicebant, sed et docebant, concionabantur, orabant, psallebant, faciebant miracula, hinc prophetare et Propheta per catachresin varia significat. *Primo*, prophetare idem est quod ex afflatu Spiritus Sancti docere, et exhortari ad pietatem. Sic sumit « prophetare » S. Paulus I *Corinth.* XIV, ubi doctores et hortatores vocat Prophetas ; asseritque melius esse prophetare quam loqui linguis. *Secundo*, prophetare idem est quod ex instinctu Spiritus Sancti divinas laudes insolentius canere. Sic Saul inter Prophetas psallentes correptus spiritu Dei, dicitur fuisse Propheta, et prophetasse, id est cum psallentibus psalmos Deique laudes, quasi entusiasmo actus cecinisse, I *Reg.* XIX, 24. Hinc *tertio*, prophetare simpliciter est canere et psallere. Sic omnes cantores vocantur Prophetæ, I *Paralip.* XXV, 1 : « David, inquit, et magistratus segregaverunt filios Asaph, et Heman, et Idithun : qui prophetarent (id est psallerent et pulsarent instrumenta) in citharis, et psalteriis, et cymbalis. » *Quarto*, prophetare per antiphrasin sumitur pro delirare, et ex afflatu maligni spiritus delira et insana proloqui. Sic rursus Saul correptus a spiritu malo et melancholico dicitur prophetasse, id est aliena a ratione et delira prolocutus, I *Reg.* XVIII, 10. *Quinto*, prophetare significat miracula facere, iisque sua oracula confirmare. Sic *Eccli.* XLVIII, 14, dicitur Elisei corpus mortuum prophetasse, id est suscitasse cadaver mortui in suum sepulcrum injecti, IV *Reg.* XIII, 21. Hisce de causis « omnes Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, et Angeli sunt vocati, sicut scriptum est : Qui accepistis legem in præceptis Angelorum, et non custodistis, » ait S. Chrysostomus in cap. XI *Matth.* homil. 27.

II. QUÆRITUR SECUNDO. Quotuplex est prophe-

Propheta
dicitur
nabi.
cur ?

Varia
propheta
acceptio-
nes.
Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Quæst.

quatu-
plex est
prophe-
tia?

tia? D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXIV, art. 2 et 3, et ex eo Franciscus Suarez, III part. *Quæst.* XXX, art. 4, disp. IX, sect. 2, respondet esse duplicem, intellectualem, et sensilem sive imaginariam. Intellectualis est, quæ non ducit originem a sensu vel imaginatione, sed oritur immediate per lumen infusum intellectui, et per species intellectuales de novo inditas, vel præexistentes, sed divina virtute ad supernaturalem aliquam apprehensionem vel conceptionem faciendam applicatas. Porro id dupliciter contingit: *Primo*, quando intellectus sic illustratur et elevatur, ut sine operatione phantasiæ rem cognoscat, quod rarum est: videtur tamen id concessum sancto Paulo, quando raptus est in tertium cælum: tunc enim audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, II *Cor.* XII, 2. Hunc etiam modum concessum fuisse B. Virgini post Verbi in ea incarnationem, ut mysterium hoc clare per intellectum cognoverit et viderit, censet noster Suarez loco citato in fine.

Intellectu-
nalis
duplex.
Primo.

Secunde.

Secundus modus est, quando phantasia intellectui cooperatur, non quidem intellectu primum a phantasia moto, sed ipsa phantasia mota et applicata ab intellectu, ut secum operetur et concurrat ad intellectionem et visionem prophetiam. Talis videtur fuisse visio Isaïæ cap. VI, ut docet ibidem S. Hieronymus. Ibi enim vidit tres personas divinas in una essentia, ut ibi ostendam; et si quæ aliæ fuerunt ei similes et æque sublimes. Porro uterque hic modus fieri nequit ab Angelo, sed a solo Deo. Solus enim Deus illabi potest menti et intellectui, eique immediate lumen et species infundere, atque intellectionem et visionem in ea operari. Quocirca hæc Dei revelatio et locutio est actus vitalis intellectus, in illo a Deo elicitus.

Sensilis
vel ima-
ginaria.

Sensilis vero, sive imaginaria prophetia dicitur, non quod ad intellectum non pertingat, sed quia fit primo et primario per sensibilem, vel imaginariam aliquam representationem, ex qua oritur mentis conceptio, illique quodammodo commensuratur. Prior intellectualis hac sensili perfectior est, quia est abstractior et spiritualior, unde a solo Deo fit: sensilis vero ab angelo fieri potest, et solet.

Prophe-
tarum fe-
re fuit
sensili.

Porro Prophetarum visiones et revelationes communiter fuerunt sensiles, tum quia viderunt objecta quædam sensibilia, uti Jeremias vidit ollam succensam, virgam vigilantem, canistrum ficuum: Daniel vidit arborem, somnium regis, quatuor bestias, etc. Ezechiel vidit currum, rotas, animalia, etc. Tum quia per Angelos eas communiter esse factas, censent S. Dionysius, *De Cælesti Hierarchia*, cap. IV, et S. Augustinus, lib. III *De Trinitate*, cap. ult., et Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. III. Porro angelus Prophetis communiter non in sua, sed in Dei persona loquebatur, eamque repræsentabat. Unde passim dicunt Prophetæ: « Hæc dicit Dominus, » non angelus. Hic enim est ordo suavis et congruus divinæ providentiæ, ut per

Per an-
gelos.

Angelos illuminet Prophetas aliosque homines. Unde et Moses, qui fuit primus et princeps Prophetarum, legem a Deo accepit in Sina per Angelum, teste Apostolo *Galat.* III, 19.

Ideoque communiter censent Patres, omnes apparitiones Dei exhibitas patribus in veteri testamento, factas esse per Angelos, uti dixi *can.* XVII, in *Pentateuch.* Fateor tamen, angelo in phantasia Prophetæ loquente, suaque visa vel verba ei proponente, Deum subinde in intellectu Prophetæ lumen divinum et supernaturale solito clarius et sublimius infudisse, cum rei sublimitas id poscebat, ut eam digne, hoc est solito plenius et altius, conciperet et intelligeret; sicut ad concionem externam hominis, solet Deus interius in mente audientis idipsum clarius loqui et repræsentare, per gratiam quæ intellectum illuminat, et affectum commovet, sine qua frustranea esset omnis concio exterior.

Ut plurimum ergo Deus revelabat prophetiam et voluntatem suam angelo, angelus deinde eamdem revelabat, et loquebatur in imaginatione Prophetæ, idque variis modis. Varii enim sunt gradus visionum harum prophetiarum, quorum alii aliis sunt perfectiores. Primus et infimus est, ait D. Thomas, art. 3, loco citato, cum aliquis, ex interiori arcano instinctu et impulsu, sine expressa revelatione, movetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samsone dicitur *Judicum* XV, quod irruit spiritus in eum, cum vincula sua dissolvit. Hoc modo multi Eremitæ et Sancti præsagierunt, et etiamnum præsagiunt et præsentiant futura.

Gradus
prophe-
tiarum.
Primus.

Secundus est, cum prophetantes prophetias diserte concipiebant et enuntiabant, sed ignorabant se prophetare, quomodo prophetavit asina Balaam, et Caiphas pontifex prædixit mortem et redemptionem Christi, quam tamen non cognovit: quia ad suam malitiam et sævitiam in Christum eam detorsit, *Joan.* XI, 51.

Secun-
dus

Tertio, alii solo visu prophetias excipiebant, ita ut uni tantum fieret apparitio symbolorum vel imaginum, alteri vero revelaretur eorundem significatio. Tales fuere imagines spicarum et vacarum visæ Pharaoni, *Gen.* XLI, 1, et arboris proceræ visa Nabuchodonosori, *Daniel.* II, quarum significatio aliis, scilicet Josepho et Danieli a Deo est revelata. Rursum alii dormiendo, alii vigilando videbant visionem: posterius priore erat clarius et sublimius.

Tertio.

Quarto, alii prophetiam hauriebant solo externo auditu vocis loquentis, uti Samuel dicens: « Loqueré, Domine, quia audit servus tuus, » I *Reg.* III, 10.

Quarto.

Quinto, alii viderunt per imaginationem visa quædam portendentia futura, alii vero audiebant vocem interius loquentem, et futura enuntiantem. Hoc posterius frequentius accidit Prophetis, fuitque perfectius. Auditus enim sermo distinctius et clarius enuntiat rem, quam symbolum aut si-

Quinto.

gnum ejus visum. Perfectissimus vero modus fuit, cum simul viderent visionem, et audirent vocem illam explicantem, sicuti, cap. I, Jeremias vidit ollam succensam, et mox audivit, quod illa portenderet incendium et excidium Hierosolymæ, et aliarum gentium per Nabuchodonosorem.

Sexto. *Sexto*, alii audierunt res naturales, ut eventa et successus bellorum, regum, monarchiarum: alii res supernaturales, ut vocationem Gentium, reprobationem Judæorum, mysteria Trinitatis, incarnationis, passionis Christi: hoc illo fuit perfectus.

Septimo. *Septimo*, aliquando jussi sunt a Deo non tantum verbis, sed et factis prophetare et portendere futura, ut cum Isaias nudus incessit cap. xx, portendit spoliationem et nuditatem Ægypti et Æthiopiæ: cum Jeremias cap. xxvii, vers. 2, vincula et compedes collo gestavit, portendit captivitatem Babylonicam: cum Ezechiel trecentis nonaginta diebus in uno latere cubavit, ac fimum boum comedit, portendit obsidionem et famem Hierosolymæ, *Ezech. iv*, vers. 4 et 12.

Octavo. *Octavo*, non tantum rem videbant, et verba audiebant, sed et subinde videbant personam loquentem et res demonstrantem, idque erat perfectissimum; quia per hoc ostendebatur, quod mens Prophetæ magis appropinquabat ad causam revelantem. Rursum perfectius erat, si persona loquens videretur in specie angeli, quomodo visa est passim a S. Joanne in Apocalypsi; quam si videretur in specie hominis, quomodo Jeremias et Onias apparuerunt Judæ Machabæo, II *Machab. xv*, 15, dicente Jeremia: « Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. » Denique utroque perfectius erat, si persona loquens videretur in specie Dei, quomodo vidit Isaias cap. vi, Deum sedentem in solio, indeque secum colloquentem. Ita D. Thomas, art. 3 citato.

Huic divisioni similis et subalterna est divisio Isidori lib. VII *Etymol.* cap. viii, et ex eo D. Thomas, II II, *Quæst. CLXXIV*, art. 1, ad 3: « Prophetiæ, inquit, genera sunt septem. *Primum* est exstasis, quod est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas submissum de cælo cum variis animalibus. *Secundum* est visio, sicut apud Isaiam dicitur: Vidi Dominum sedentem. *Tertium* est somnium, sicut Jacob scalam dormiens vidit, *Genes. xxviii*, 12. *Quartum* genus est per nubem, sicut ad Moysen loquebatur Dominus. *Quintum* est vox de cælis, sicut ad Abraham sonuit Deus dicens: Ne mittas manum in puerum, *Genes. xxii*, 12. *Sextum* est accepta parabola, uti contigit Balaam, *Num. xxiii*, 7. *Septimum* est repletio Spiritus Sancti, sicut pene apud omnes Prophetas. »

Hæc divisio sumitur ex varietate tum modorum, tum objectorum et formarum imaginabilium vel sensibilium prophetiæ. Tria enim prima, puta exstasis, visio et somnium, sunt tres modi prophetandi; tria vero sequentia sunt objecta et

signa sensibilia, quæ perceperunt Prophetæ. Inter quæ *primum* est, res quædam corporea exterius apparens visui, quam ponit quarto loco. *Secundum* est, vox formata, exterius ad auditum hominis delata, quam ponit quinto loco. *Tertium* est, vox per hominem formata cum similitudine alicujus rei, quod pertinet ad parabolam, quam ponit sexto loco.

Rursum quoad modos prophetandi, Isidorus ibidem et S. Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litter.* cap. vii et seq. ponunt tria genera visionum: *primum* secundum oculos corporis, *alterum* secundum spiritum imaginarium, *tertium* per intuitum mentis. Hæc divisio petitur a potentiis cognoscitivis in homine, quæ sunt tres, sensus, imaginatio et intellectio, uti explicat D. Thom. II II, *Quæst. CLXXIV*, art. 1, ad 3.

Denique S. Augustinus, lib. XIX *Contra Faust.*, cap. ii, triplices distinguit Prophetas: *primos* Gentilium, uti Balaam et Sibyllæ; *secundos* Judæorum, uti fuerunt hi nostri vates; *tertios* Christianorum, sive novi Testamenti, uti est S. Joannes in Apocalypsi, Paulus, Apostoli, et post eos alii multi. Ubi nota discrimen Sibyllarum, et aliorum Gentilium Prophetarum a fidelibus, sive nostris hisce: illi enim mente abalienati quasi coacti, et subinde inviti, utpote quasi enthusiasmo abrepti, aut furiis perciti prophetabant, quod idem contigit Montani prophetissis, et dæmoniis aliis. Hinc Cicero libro I *De Divinat.*: « Negat, inquit; Democritus sine furore poetam magnum esse posse; » et rursum: « Inest igitur animis præagitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius furor appellatur, cum a corpore animus abstractus, divino instinctu concitatur. » Horum vero mens sibi constabat; sciebant quid dicerent, sponte loquebantur, non exstasi, ne illa quidem quæ prius in exstasi acceperant, uti docet S. Hieronymus præfatione in *Isaiam*, et S. Paulus: « Spiritus, ait, Prophetarum Prophetis subjecti sunt, » I *Cor. xiv*, 32.

Porro Sibyllæ, non dæmonis, sed Dei fuerunt prophetissæ, quæ merito virginitatis, uti asserit S. Hieronymus lib. I *Contra Jovinianum*, donum prophetiæ adeptæ, de futuris, ac præsertim de Christo, tanta prænotionis certitudine ac claritate vaticinantur; ut præterita magis scribere videantur quam futura. Fuerunt illæ decem, quarum cognomina patria sunt hæc: Cumæa, Cumana, Persica, Hellespontica, Lybia, Samia, Delphica, Phrygia, Tiburtina, Erythræa. Hinc nonnulli Sibyllam dictam volunt quasi σὺς βουλήν, id est, Dei consilium, quod nimirum illud ipsæ hominibus enuntiarent. Æolice enim Deus vocatur σὺς προφῆς. Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* post tertiam libri partem: « Quid, inquit, referam Sibyllas, etc., quarum insigne virginitas est, et virginitatis præmium divinatio? Quod si Æolici sermonis genere Sibylla σιοβούλη appellatur, recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas. »

Tertia
divisio S.
Augustini.

Sibyllæ
quæ,
quot et
quales?

Sexto.

Septimo.

Octavo.

Secunda
divisio
prophetiæ
septemplex
Isidori.

Sic et Epiphanius, *hæresi* 78 : « Philippo, ait, Evangelistæ quatuor fuerunt filiæ prophetantes, *Actor*. XXI, 8, prophetabant autem propter virginitatem, quam habere dignæ factæ erant. » Hinc et Virgilius, lib. VI *Æneid*. Sibyllam Cumæam Æneæ fata, putat casus ei obventuros, vaticinantem ita depingit :

Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.

Et inferius :

Ventum erat ad limen, cum virgo : Poscere fata
Tempus, ait, Deus, ecce, Deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri;
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore Dei.

Et inferius :

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum : tanto magis ille fatigat.
Os rabidum, fera corda domans fingitque premo.

Vide de Sibyllis earumque oraculis, tum carmina earum apud S. Augustinum, Eusebium et alios, tum Suidam verbo *Sibylla*, et Sixtum Senensem lib. II *Biblioth.* verbo *Sibylla*.

Rogabis, an Prophetæ prophetias suas omnes intellexerint, hoc est, an semper oraculorum, tum auditorum, tum potius visorum, hoc est symbolorum suorum significationem et explicationem a Deo acceperint? Respondeo. Id incertum est; certum est illos eam accepisse cum eam scribunt et enarrant : cum autem eam non scribunt, nec enarrant, an eam acceperint ignoramus. Credibile est subinde accepisse, subinde non. Voluit enim Deus eos, utpote Prophetas, secretorum suorum conscios facere præ aliis hominibus, ac plura scire quam scribere; ex alia tamen parte voluit et quædam secreta sibi servare, nec ipsis communicare. Perinde ac rex quædam secreta sibi servat, quæ nulli consiliario patefacit, sic et Christus parabolarum quarumdam, et aliarum rerum secreta sibi servavit, quæ nec Apostolis, nec ulli alteri reseravit. Ita *Ezech.* cap. I, cum vidit Ezechiel currum Dei, Cherubim, rotas, firmamentum, ignem, ventum, sedentem in solio specie electri, etc., credibile est eum intellexisse omnia significare currum bellicum Dei, Deumque cum Cherubinis, et copiis Angelorum properare ad excidium Hierosolymæ : hoc enim ipse in sequentibus clare prædicat. Verum non est necesse dicere, eum in particulari intellexisse, quid singula illa jam dicta (cum ipse ea non explicet) portenderent aut representarent. Pari modo, cap. XL et octo sequentibus, describit fabricam templi et urbis, minutim per singularum ejus partium descriptionem et dimensionem : credibile est, eum non intellexisse, quid hæc omnia symbolice significarent; vix enim quid-

quam horum explicat. Sic Daniel, cap. VII, vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit. Unde vers. 16, ab angelo petiit ejus explicationem, et accepit. Idem ei contigit cap. VIII, in visione arietis et hirci : nam quærens ejus intelligentiam vers. 15, eam accepit a Gabriele vers. 17. Idem accidit ei cap. X, ubi jejunsans et orans vers. 2, visionis explicationem accepit ab angelo vers. 11 et 19. Rursum cap. XII, diserte ait Daniel vers. 8 : « Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi : Domine mi, quid erit post hæc? Et ait : Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus. » Unde liquet Danieli quoque fuisse clausos, nec eum illorum explicationem accepisse. Sic Zacharias, cap. IV, vidit candelabrum cum septem lucernis, et duas olivas; nec tamen intellexit, quid hæc significarent, Unde dixit angelo vers. 5 : « Quid sunt hæc, Domine mi? » Cui respondens angelus eadem explicuit. Sic cap. VI, videns quatuor quadrigas variorum colorum dixit angelo vers. 5 : « Quid sunt hæc, Domine mi? » Et ab eo audivit : « Isti sunt quatuor venti. » Porro qui et quales sint hi venti, an litterales, an potius parabolici et mystici, non audivit. Sic cap. IX, vers. 11, quasi ex abrupto ait : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. » Et vers. 17 : « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » An intellexerit ipse hæc dici de Christo et Eucharistia incertum est : nec enim ea explicat. Similia sunt cap. XIV. Talia quoque sunt *Jerem.* XXXI, vers. 15 : « Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari, quia non sunt. » Et vers. 22 : « Creavit Dominus novum super terram : mulier circumdabit virum. » Et vers. 33, ad finem describit terminos civitatis novæ ædificandæ. An hæc intellexerit dici de Innocentibus martyribus, de conceptu Deiparæ, de fabrica Ecclesiæ, ejusque partibus et mensuris in particulari, non constat. Nihil enim horum ipse reserat aut enarrat. Similiter S. Joannes in Apocalypsi, licet majores et clariiores aliis Prophetis acceperit revelationes, utpote existens Propheta novi Testamenti, isque ultimus inter scriptores hagiographos, atque discipulus ille quem diligebat Jesus; tamen an omnia symbola quæ vidit intellexerit dubium est; v. g. an intellexerit cap. IV, præcise et clare, quid significarent viginti quatuor seniores, et quatuor animalia, quorum primum simile erat leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ. Rursum cap. VI, quatuor equos et equites, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum. Adhæc cap. VIII, plagas septem Angelorum. Et cap. IX, quid significant locustæ habentes in capite coronas aureas, facies hominum, capillos mulierum, dentes leonum, loricas ferreas, caudas scorpionum. Et cap. X, septem tonitrua. Et cap. XI, quid

An Prophetæ omnes suas prophetias intellexerint. Resp. negative.

significet divisio templi, altaris, etc. Cap. XII, mulier amicta sole, habens lunam sub pedibus et duodecim stellas in capite, pariens masculum; ac prælium Michaelis cum dracone, etc. Cap. XIII, bestia habens capita septem, cornua decem, et numerus ejus 666. Cap. XV, mare vitreum mixtum igne. Cap. XVI, quid significant septem phialæ, et plagæ septem Angelorum. Cap. XVII et XVIII, mysterium Babylonis. An hæc, inquam, aliaque his similia plane intellexerit S. Joannes, non constat. Nihil enim horum explicat, quæ causa est, cur tam obscura sit Apocalypsis, adeoque interpretes in ejus explicatione et conjectent et variant. Quocirca S. Hieronymus in *Prologo Galeato*, de Apocalypsi scribit, eam « tot habere sacramenta, quot verba, » quæ sane omnia non intellexisse Joannem, nec quemquam mortalium credibile est. Denique Prophetas non intellexisse omnia sua oracula, docent S. Ambrosius, libro I *De Abraham*, cap. VIII, Cyrillus (vel potius Clichtovæus, Doctor Parisiensis : hic enim octo medios S. Cyrilli libros in *Joan.* deperditos supplevit) lib. VIII in *Joan.*, cap. III, et S. Augustinus, lib. VII *De Civit.* cap. XXXIII. « Prophetæ, ait, quædam intelligebant, quædam non intelligebant. » Et D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXIII, art. 4. Porro cum Prophetæ sua visa viderunt, nec intellexerunt, non fuerunt perfecti et proprie dicti prophetæ, sed imperfecti, dimidiati et inchoati, uti fuit Caiphas, dum nescius mortem Christi prædixit, *Joan.* XI, 59. Et Pharao ac Nabuchodonosor videntes somnia, nec intelligentes, *Genes.* XLI, *Dan.* II, 1. Ita S. Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litt.* cap. IX : « Non est, inquit, Propheta, qui signa videt, nisi ea intelligat : ideo Videntes Prophetæ appellati, quia magis spiritui quam corpori visio congruit. » Idem docet lib. *Contra Adimantum*, cap. XXVIII. Et S. Gregorius, lib. XI *Mor.* cap. XII : « Cum aliquid, inquit, vel ostenditur vel auditur, si intellectui non tribuitur, Propheta non est. » Idem sentiunt S. Basilius, in *proœmio Isaiæ*, Origenes, III *Periarch.* cap. III, S. Chrysostomus, homil. 29 in I *ad Corinth.* Ubi contra Montanistas docent, Prophetas non fuisse entusiasmo actos, nex extra se raptos (uti sunt arreptitii et Prophetæ Gentilium), sed sui mentisque compotes, intellexisse ea quæ vaticinabantur, juxta illud I *Corinth.* XIV : « Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. »

III. QUÆRITUR TERTIO, quænam fuerit causa, argumentum et munia Prophetarum?

Respondeo. Causa mittendi Isaiam aliosque Prophetas fuit varia et multiplex, sed maxime illa quam sæpe tangunt Prophetæ, præsertim Osee, ac diserte enarrat lib. III *Reg.* cap. XII : scilicet Jeroboam cum Dei nutu, et justa Salomonis et Roboami punitione et vindicta, decem tribus a duabus et a stirpe regia Davidis immani scelere dissecuisset, veritus ne, si populus de more verum Dei templum Hierosolymis adiret, paulatim ad pristinam unitatem gentis, regni et

regiæ stirpis rediret, Apin Ægyptium idolum conflavit, quod tum in Ægypto, tum in deserto coluerant Hebræi : duos, inquam, vitulos aureos, quorum unum in Dan, alterum in Bethel, duobus regni sui limitibus collocavit. Hic auctor et choragus idololatriæ, ex qua velut lerna omnia deinceps vitiorum genera promanarunt, quæ omnia cum sua matrice decem tribus in duas vicinas sibi gentiles pari impietate prosemnarunt. Subinde resecta hæc matrix, velut hydra in alia et alia capita prorupit. His Deus suos hos Prophetas quasi antagonistas immittit; ut idololatriam tollant, plebem ad avitam religionem revocent : ni pareant, Assyriacam, et magis Babyloniam, captivitatem denuntient, atque Babylonis contra Judæos classicum canant. Atque hoc est quod ait S. Chrysostomus, in cap. VIII *Isaiæ* : « Prophetia est medicamentum a Dei clementia confectum, delinquentes erudiens ex præscientia pœnarum, ut earum experientiam pœnitendo evaderent. »

Ubi advertite, Prophetas hosce omnes raro decem tribubus, sæpe et passim duabus, puta Judæ et Benjamin, prophetari et concionari. Causa fuit, quod decem tribus per impios reges vitulis aureis addictæ, et quasi mancipatæ, incorrigibiles essent : unde et paulo post, puta anno 6 *Ezechiæ* Salmanasar capta Samaria, eas abduxit in Assyriam, IV *Reg.* XVIII, 12.

Atque hinc patet Prophetarum argumentum multiplex, et dicendi methodus modusque varius. Nam primo, arguunt peccata, tum idololatriæ, tum superbiæ, avaritiæ, gulæ, injustitiæ, etc., ac Judæos ad pœnitentiam vocant, pœnas intentant, pulsant Judæorum obstinationem, eisque Dei repudium et reprobationem comminantur, tandemque certo prædicunt. Secundo, comminationes leniunt, atque afflictos spe veniæ et promissionis boni futuri, Messiæ dico, consolantur. Tertio, simpliciter futura prænuntiant, tum Judæis, tum aliis gentibus : id passim et sæpe faciunt. Quarto, pro populo precantur, Deoque preces nuncupant. Quinto, quid faciendum omittendumve sit docendo, præcipiendo, vetando, tum ore et verbis, tum opere et factis docent.

Hinc rursum sequitur, tria maxime fuisse munia et officia Prophetarum. Primum, docere populum, tum credenda, tum agenda; tum res fidei, tum viam virtutis et salutis : fuerunt enim Prophetæ Theologi doctissimi, non ab homine, sed a Deo instructi, ideoque θεοδιδάκτοι. Quocirca S. Chrysostomus, hom. 10 in cap. VII *Matthæi* : « Sicut, inquit, nubes bajulant pluviam, ita et Prophetæ et Apostoli verba accipiunt a Deo, et effundunt super rationalem terram. » Idem proœmio in *Psal.* I, hom. 1 : « Prophetæ, inquit, pictores quidem sunt virtutis et malitiæ : describunt illi peccatorem, justum, pœnitentem, stantem, surgentem, titubantem. » Hac de causa Ecclesiasticus cap. XXXIX, vers. 1, sapientem et theologum pingens,

Tria munia Prophetarum Primum, docere.

Propheta sunt pictores virtutis et vitii.

indefessum ejus in prophetis studium cum pia prece deposcit: « Sapientiam, inquit, omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis (græce ἐν προφηταῖς, in prophetiis) vacabit. Narrationem, (græce διήγησιν, enarrationem, explicationem), virorum nominatorum conservabit, et in versutias,» in acumina abdita et intorta, « parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. Aperiet os suum iu oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. » Hoc est quod tribus verbis complexus, Theologo suasit et sanxit S. Basilius: « Orationi succedat lectio, et lectioni oratio; » et S. Cyprianus, lib. II, epist. 2 ad Donatum sub finem: « Sit tibi oratio assidua vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: » in oratione enim loquimur Deo, in lectione Deus loquitur nobis: lectio docet, oratio impetrat lectionis intelligentiam, saporem et fructum. Ut alios hic præteream, instar omnium sit S. Hieronymus qui præfat. in *Isaiam* ista de eo scribit: « Quidquid sanctarum est Scripturarum, quidquid Logica, Physica, Ethica, quidquid humana potest lingua proferre, et mortalium sensus accipere, isto volumine continetur. »

Vidit hoc cardinalis Hosius Concilii Tridentini Præses, et hæreticorum terror, magni illius Hosii Cordubensis in Concilio Niceno contra Arianos dimicantis assecla, qui quotidie creber erat in Prophetis et Scriptura, etsi in publicis Ecclesiæ et Concilii Tridentini negotiis esset occupatissimus, adeo ut Hieronymi Osorii paraphrasin in *Isaiam*, quæ tunc prodierat, plus triginta vicibus perdiligenter voverit; maxime quod istum Prophetam Augustino ut legeret, commendatum ab Ambrosio commemorasset. Ita ipse suam Theologiam, et celestem sapientiam gestiebat haurire a Prophetis: ita pectus suam bibliothecam Christi efficere satagebat. Auctor est Protonotarius Reschius ἀπόστολος, et illius συνέργος in ejus Vita.

Porro non solum Theologum aut Præsulem, sed et quemvis fidelem ac Christianum docent Prophetæ. Quid enim sunt aliud S. Litteræ, ac præsertim prophetiæ, nisi oracula fidei, oracula sanæ doctrinæ, oracula orthodoxæ veritatis, quam Prophetæ, Christus, Apostoli toto mundo tum voce tum scripto prædicarunt? Quid sunt Prophetæ, nisi Philosophi divini, secretarii Altissimi, cælestes fistulæ, organa Spiritus Sancti? quæ ipsa arxana SS. Trinitatis ad nos derivant, quæ ipsum et verbum Dei nobis enuntiant, quo prima illa et increata Veritas fideles omnes erudit quid credere, quid sperare, quid timere, quid colere et amare debeant. « Multifariam, ait Paulus, *Hebr. I, 1*, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis

in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. » Prophetæ ergo sunt liber ipsius Dei, liber Spiritus Sancti, liber SS. Trinitatis, liber, inquam, a Patre et Filio et Spiritu Sancto compositus et dictatus, quo se suaque attributa, mysteria Trinitatis, incarnationis Verbi, prædestinationis, providentiæ, gratiæ, vocationis Gentium, sua Sacramenta, suas leges æternas, suam voluntatem, suam beatitudinem et bona immensa, quæ diligentibus sibique obedientibus præparavit; viam, inquam, rectam in cælum ad beatam æternitatem, quasi in viva imagine descripsit et depinxit; ut quod Sapiens de tota sancta Scriptura dixit, *Eccli. XXIV, 32*, quod sit « liber mandatorum Dei, et liber vitæ, » hoc imprimis Prophetis competat.

Refert S. Justinus Philosophus et Martyr, initio *Dialog. Contra Tryphonem*, de seipso, suaque ad Christi fidem et cultum conversione, quod Gentilis existens, Philosophiæ veræque illius sapientiæ quæ ad Deum ducit, avidus, mirabili circo sectas quasque Philosophorum illustiores, velut Odysseam errorum pervagatus frustra, in Prophetis tandem, et in Christiana S. Litterarum philosophia, tanquam sola solida conquieverit. *Primum*, inquit, Stoico cuidam me discipulum addixi, a quo cum nil de Deo audirem, Peripateticum delegi magistrum; quem mercede sapientiam nundinantem despiciens, in Pythagoricum sum devolutus; sed quod neque Musicus, neque Astronomus, neque Geometra essem, quas ille artes uti ad beatam vitam præambulas exigebat, ab hoc in Platonicum sum delapsus, subventanea et inani ab omnibus sapientiæ spe delusus; donec inopinato in divinum quemdam Philosophum, sive homo, sive angelus is fuerit, incidi: qui protinus suasit abdicata omni illa circulari disciplina, SS. Prophetarum legerem libros, utpote quorum auctoritas omni demonstratione major, et sapientia foret saluberrima, in his omne meum sciendi desiderium acuerem. Atque abiit ille, neque amplius Justino est visus; sed tanta tamque incensa studii hujus, lectionisque sacræ injecta ei cupiditate, ut protinus omni aliorum doctrina valere jussa, unam hanc ambiret avidissime, et constantissime retineret, ubere adeo fructu, ut ipsa nobis Justinum et Christianum, et Philosophum, et Martyrem pepererit. Vere ergo dixit S. Gregorius, libro IV, *epist. 84*: « Quid est sacra Scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam? » Qua scilicet Deus ei sua placita, quidque ab ea credi et agi velit, præscripsit. Epistola enim hæc sensa Spiritus Sancti, sapientiamque æterni Verbi enuntiat et explicat. « Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis, » arcana utique et abscondita a constitutione mundi. Cum ergo Prophetas legis, audis, non Aristotelem, non Platonem, non regem, non pontificem, non angelum, non Seraphim; sed Deum ipsum omnibus hominibus, tibi que et tunc

S. Justinus conversus ex lectione Prophetarum.

conscientiæ sigillatim loquentem, docentem, mo-
nentem, exhortantem, bona æterna pollicentem,
terrentem, et, ni ejus legi pareas, pœnas æternas
minitantem audis.

Secundum munus Prophetarum, ad quod a Deo
missi et destinati sunt, fuit concionari: hinc eo-
rum scripta videntur esse perennes et perpetuæ
conciones, æque ardentes et efficaces quasi mal-
lel conterentes petras: agebant enim cum petris,
hoc est, cum duris, rebellibus et obstinatis Ju-
dæorum cordibus; ad quæ frangendum et emol-
liendum quanta putas dicendi vi, quo animo, quo
spiritu fuit opus? Jure ergo dixeris Prophetas non
tantum Theologos doctissimos, sed et præcones
esse facundissimos æque ac efficacissimos, imo
igneos; utpote qui non suo, sed Dei spiritu et af-
flatu, non suas, sed Dei ipsius conciones promant
et enuntiant, imo per quos quasi per ora sua Deus
ipse concionetur.

Quamobrem S. Carolus Borromæus, priscae doc-
trinae et sanctitatis exemplar, alter Ambrosius, Me-
diolanensis Archiepiscopus et Cardinalis, tum in
omni sacra Scriptura (quam cum divo Thoma
præmissa oratione quotidie, et sex annos ante
mortem nunquam nisi genuflexus legere consue-
verat), tum maxime in Prophetis, quos quasi cœ-
lestes oratores habebat, multum ac diu versaba-
tur, ex iisque locos difficiliore et pulchriore pro
concione pertractabat, eo fructu quem etiamnum
Mediolani in Cleri et civium prisca patrum pie-
tate et religione quasi postliminio revocata con-
spicimus et suspicimus. Prophetæ ergo Borro-
mæum antea Jurisperitum, Theologum et Concio-
natorem effecerunt. Testis est ejus familiaris Au-
gustinus Valerius Veronensis Episcopus in ejus
Vita.

Franciscus Forerius e S. Dominici familia illus-
tris regum Lusitaniæ Ecclesiastes, proœmio *Com-
ment. in Isaiam*, Tridenti in Concilio Tridentino
conscripto, palam profitetur se omnem illam suam
concionandi vim et gratiam, quam tota Lusitania
celebrabat, Prophetis et sacris litteris, ac Hebræis
fontibus acceptam referre.

Edmundus Augerius e nostra Societate, ob con-
cionandi efficaciam vulgo Tuba Franciæ appella-
tus, adeo ut populi frequentiam templa non ca-
perent, sed in campos et agros ei verba facturo
egrediendum esset; populus enim ab ejus ore,
perinde ac infans a matre pendebat, quem proinde
ipse sua mira dicendi persuadendique vi et ener-
gia quocumque volebat impellebat; hic, inquam,
non alios terebat, quam Isaiam et S. Paulum,
singulisque concionibus unum Isaiæ, alterum
Pauli locum pertractabat fuse et nervose: qua re
ita suis placuit, ut omnes primum in sui admira-
tionem, deinde in sententiam suam traheret, imo
raperet. Ferunt Franci ipsum ad quadraginta ho-
minum millia ad frugem et sanctimoniam con-
vertisse.

Hoc ipsum vidit et sensit S. Augustinus, libro

XVIII *De Civit.* cap. xli, cum ait: « Ipsi (Prophetæ)
eis (Israelitis) erant philosophi, hoc est amatores
sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi theologi, ipsi Pro-
phetæ, ipsi doctores probitatis ac pietatis. Qui-
cumque secundum illos sapuit et vixit, non se-
cundum hominem, sed secundum Deum, qui per
eos locutus est, sapuit et vixit. Ibi si prohibitum
est sacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum est:
Honora patrem tuum et matrem tuam, Deus jus-
sit. Si dictum est: Non mœchaberis, non homici-
dium facies, non juraveris, etc., non hæc ora hu-
mana, sed oracula divina fuderunt. »

Prophetæ ergo vitia carpendo dedocent, virtu-
tes exhortando docent et inserunt. Hæc ipsorum
sparta, hoc opus est, ut pietatem, verum Dei cul-
tum, humilitatem, patientiam, charitatem, zelum,
omnemque sanctimoniam animis legentium et
audientium instillent et afflent; non enim nuda
præcepta, nudas exhortationes, aut verba tantum
sonantia auribus, sed et energiam, spiritum, et
impulsum mirificum mentibus suggerunt, quo
eas pulsant, et pene cogunt ad vitam justam et
sanctam. Deus enim, qui potentissimus et perfec-
tissimus est concionator, per illorum voces ani-
mæ illabatur, atque quo ipsi suadent exterius,
ipse interius in anima loquitur et persuadet, cœ-
lestes illuminationes intellectui, piæque affectio-
nes voluntati immittendo, ut quod foris percipit,
intus capiat, sapiat, amet, amplectatur, et opere
exsequatur. Hinc orat Psaltes: « Revela oculos
meos, et considerabo mirabilia de lege tua; » et
Paulus, *Hebr. iv, 12*: « Vivus, ait, est sermo Dei,
et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti,
et pertingens usque ad divisionem medullarum. »

Atque hæc est causa, cur S. Scripturam et Pro-
phetarum oracula non tantum Theologis, sed et
fidelibus omnibus assidue prædicari velit Deus.
Omnis enim prædicatio et concio humana, nisi
divina, puta verbo Dei ac Prophetis (qui fuerunt
præcones Dei) nitatur, illaque populo proponat
et exponat, frigida est, theatralis et evanida, uti
demonstrat S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* cap.
xiv. Viderunt hoc Patres omnes, prisca Ecclesiæ
doctores ac præcones: S. Augustinus, S. Ambro-
sius, Hieronymus, Cyprianus, Athanasius, Chry-
sostomus et cæteri, qui Prophetis et sacrae Scrip-
turæ omne pene tempus, omnem operam im-
penderunt, indeque fervidas et efficaces ad po-
pulum homilias, tractatus, conciones habuerunt,
quibus vitia sustulerunt, mores christianos et
sanctos inseruerunt. Certe S. Thomas, Scholas-
ticæ Theologiæ auctor et princeps, impense cum
ea S. Scripturæ et Prophetis incubuit, indeque
insignis æque concionator ac doctor evasit, at-
que eruditos in Prophetas commentarios posteri-
tati reliquit.

Porro Prophetæ primo ipsum concionatorem
docent et movent, ut ipse deinde iisdem popu-
lum doceat et moveat, quæ sane est efficax et op-
tima concionandi ratio. Quis enim alteri det quod

Secun-
dum mu-
nus Pro-
pheta-
rum est
concio-
nari.

Exem-
plum S.
Borro-
mæi.

Fran-
cisci
Forerii.

Edmun-
di AUGE-
RII.

In se non habet? quis frigidus alios frigentes accendat? quis cor habens durum aut terrenum alios ad compunctionem et lacrymas moveat? « Si vis me flere, flendum est primum ipsi tibi, » ait Poeta.

Hac de causa veteres Sancti Prophetas semper coluerunt, non tam ut alios, quam ut seipsos sapientia, virtute et spiritu divino tribuerent. Legite Vitas Patrum: invehietis Antonios, Hilarios, Paulos, Bernardos, Dominicos, Franciscos, et quotquot ad insignem sanctimoniam pervenerunt, non aliud fere quam sacram Scripturam, et praesertim Prophetas lectitasse, ex iisque mores suos ad eorum normam, ac Dei legem et voluntatem iis expressam, composuisse, itaque ad perfectionis apicem conscendisse. « Omnis enim Scriptura, inquit Apostolus, et per Apostolum Spiritus Sanctus, I *Timoth.* III, 16, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. » Nimirum Deus in hisce suis Libris docet terrena contemnere, amare caelestia, honores et mundi pompas uti fumos statim evanescentes fastidire, opes, divitias, et quidquid sub sole blanditur, vanum aestimare. « Vanitas vanitatum, inquit Dei Ecclesiastes, et omnia vanitas, » praeter amare Deum et illi soli servire. Nil enim magnum, altum, sublime in orbe, nisi Deus, et in Deo defixa mens. « Sustollam te, ait Isaias, cap. LVIII, vers. 14, super altitudines terrae, ut in caelo habitans nil terrenum metuas, nil concupiscas; et cibabo te hereditate Jacob patris tui, » ut caelestia sapiens et gustans, despicias hoc terrae punctum, quod inter mortales ferro et igne dividitur; ut aeternorum honorum spe, animo excelso et prospera et adversa superes, ac Dei amore nullum laborem, nullam disciplinam, nullum periculum, nullam mortem aut martyrium defugas, sed ambias; ut Angelorum societati adscriptus, quasi civis Sanctorum et domesticus Dei, velut Angelus inter homines vivas, et in terra caelestem Angelorum vitam emuleris; quin et alios ad tantorum bonorum participationem incites et impellas; atque animas, praesertim pauperum et rudium, Christi sanguine redemptas docere, curare, et ad salutem ac beatitudinem aeternam perducere satagas; pauperes enim evangelizantur, ait Christus. Denique ut brevitatis vitae, novissimorum et aeternitatis memoriam tibi aliisque semper ob oculos ponas, vivasque non tempori huic modico et exili, sed AETERNITATI, dicasque cum Paulo: « Momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis; » ut vita tua non sit aliud quam continuus amor, continua laus Dei, ut instar Seraphim jugiter sancta vita, sanctisque eloquiis laudes et celebres Deum, aliosque omnes ad Dei cultum, amorem et laudem incites et impellas. Hoc est enim omnis homo.

« Virtus, ait S. Chrysostomus, hom. 72 ad Populum, est omnia humana despiciere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare praesentium, sed scire quod omnia humana umbra sunt et omnium. Virtus quasi mortuum ad hujus vitae res efficit; ad spiritualia vero sola vivere et operari, sicut et Paulus dicebat: Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. » Atque seriatim hac cogitatione, quasi acri stimulo, non ad vulgaria et communia, sed ad ardua, rara et heroica virtutum excelsarum opera, ac praesertim ad plenam tui tuarumque passionum et rerum omnium victoriam, ad omnimodam animi in Deum Deique voluntatem, resignationem, ad ardens divinae gloriae promovendae studium quotidie te excites et exstimules, ideoque in tuis actibus non hominum, sed Dei jugiter te intuentis oculos semper aspicias; non pompam, non speciem externam, non vanam rerum tuarum ostentationem, non instabilis vulgi plausum; sed Dei et Angelorum gratiam, aequae ac honorem, in omni tuo opere veneris et ambias. Spectaculum enim facti sumus Deo, Angelis et hominibus. Uni ergo Deo in omnibus placere satagas, illique pura conscientia servias in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus vitae tuae: ille efficiet, ut et Angelis et hominibus placeas. Quid enim? praeterit figura hujus mundi, et sine Christo vanum omne quod vivimus. Ipsam rerum omnium vicissitudinem, ipsam fugacitatem, ipsam mortem quotidie ante oculos nostros aspiciamus; dum nunc hunc, nunc illum a latere nostro abripi et emori videmus; imo vero mortem in visceribus nostris habitantem quotidie sentimus, et manu tangimus. Quid enim sunt continua pituitae rheumata, et tot humorum sordiumque defluxus, nisi initium corruptionis, nisi inchoatio mortis? quae jugiter muta voce nobis inelamant: Vive Deo, vive Aeternitati. Haec causa impulit olim viros sapientes et religiosos, et etiamnum impellit ad frequentem, diligentem et assiduam S. Scripturae et Prophetarum lectionem et commentationem. Videmus enim in Clero, in monasteriis, in societatibus, in collegiis, ubicumque ea viguit et viget, ibi pariter viguisse et vigere divinam sapientiam, hunc spiritum, hosce animos; ubi ea languit, languisse pariter caelestem sapientiam et spiritum, hominesque in humanis suis studiis et conceptionibus evanuisse, quin et in mundanis variisque desideriis, ambitionibus, vexationibus, murmurationibus, humi repentes, vitam inquietam, molestam, abjectam et miseram, quin et irreligiosam ac periculosam, transegisse ac transigere.

Quapropter S. Hieronymus mire celebrat Pammachium generum S. Paulae, quod, mortua uxore, monachum professus, suas opes in pauperes erogavit, domum suam in ecclesiam converterit (quae etiamnum exstat, estque Ecclesia S. Joannis et Pauli, juxta aedes et templum S. Gregorii; ibi enim in Tribuna S. Pammachium habitu mo-

nachi depictum cernimus cum hac inscriptione : « S. Pammachius hujus Ecclesiæ conditor, » totumque se Deo consecrarit : atque hortatur eum ad lectionem et studium Prophetarum, ut hac ratione culmen perfectionis christianæ conscendat. « Nobis, ait, post dormitionem somnumque Paulinæ (fuerat hæc filia S. Paulæ, uxor Pammachii) Pammachium monachum Ecclesia peperit posthumum, et patris et conjugis nobilitate patricium, eleemosynis divitem, humilitate sublimem. Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles, christiani : nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιπρεσβύτερος monachorum, munerarius pauperum, et egentium candidatus, sic festinat ad cælum. » Et inferius : « Prophetarum quotidie medullas bibas, Christi mystes, patriarcharum symmystes. » Fructum mox subjungit : « Sive legas, sive scribas, sive vigiles, sive dormias, amor tibi semper buccina in auribus sonet ; hic lituus excitet animam tuam ; hoc amore furibundus, quære in lectulo tuo quem desiderat anima tua, et loquere confidenter : Ego dormio, et cor meum vigilat : cumque inveneris eum, et tenueris, ne dimittas. »

Tertium munus Prophetarum eisque proprium fuit vaticinari et prædicere futura, tum Judæis, tum Gentibus, præsertim Ecclesiæ et Christianis. Christus enim est finis legis et Prophetarum, et in Christum quasi in scopum collimant lex et Prophetæ. Vere Theodoretus *De Curand. Græcor. affect.* : « Sicut, inquit, in regiam viam reliqui calles a pagis agrisque conveniunt : ita Prophetæ (qui etiam viæ sunt ad cælum et salutem) hunc Christum viam esse credentibus ostenderunt. » Christus enim est via, veritas et vita. Manichæus olim et Marcion impugnabant legem et Prophetas, hoc est Vetus Testamentum, quasi imperfectum et Evangelio contrarium, ideoque ab alio et contrario Deo traditum. Deum enim bonum Novi Testamenti, Deum malum Veteris esse auctorem ; ac proinde Prophetas esse rejiciendos, Apostolos amplectendos, fanatici homines somniabant, imo blasphemabant. Verum hosce fuse et exacte refellit Augustinus, lib. XXXIII, quos contra Faustum Manichæorum principem elaboravit, et libris duobus quos contra adversarium legis et Prophetarum erudite conscripsit, quibus clare demonstrat Vetus Testamentum cum Novo per omnia consentire et cohærere, tanquam umbram cum corpore ; Vetus Novo prælusisse, illique fidem conciliasse, Novum vicissim Veteris typos et oracula explicuisse et implese ; itaque ejus fidem sanxisset et confirmasse. « Vetus enim Testamentum in Novo relatum, et Novum in Vetere relatum vides, » ait S. Augustinus in *Psal. cv.* Rursum, « in Veteri Testamento est occultatio Novi, in Novo Testamento est manifestatio Veteris, »

ait idem Augustinus, lib. *De Catechizandis rudibus*, cap. iv. Quæcirca nihil aliud est prophetia, quam Evangelium signatum : nihil vicissim aliud est Evangelium nisi prophetia resignata et completa per Christum. Prophetæ ergo Christi incarnationem, nativitatem, vitam, passionem, mortem ; crucem, redemptionem ; totamque ejus œconomiam, ac præsertim Synagogæ Judæorum reprobationem, ac Ecclesiæ Christi successionem, et Gentium vocationem, alii sexcentis, alii septingentis, alii octingentis annis ante prædixerunt. Quæ sane prædictio Judæos omnesque Gentes convinxit, ut, si oculos aperire velint, videre possint, et credere debeant Jesum esse Messiam a Deo per Prophetas tot seculis ante promissum. Ipsi enim Judæi hostes nostri, invicti nobis sunt testes apud Gentiles, hæc oracula Prophetarum a Christianis non esse conficta, sed ante Christum ab ipsis edita, uti recte argumentatur S. Augustinus, tractatu XXXV in *Joan.* Rursum, non unus Isaias, aut Osee id prædixit, sed omnes simul et sigillatim, idque uno et consono ore, ut ne in hilo unus ab alio discrepet, quod sane evidens est argumentum, unum eundemque Spiritum veritatis per singulorum ora esse locutum. Hoc est quod canit Zacharias pater S. Joannis Baptistæ : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ, et erexit cornu salutis nobis (puta Jesum Christum) in domo David pueri sui : sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. » Deinde conversus ad filium Joannem quasi coronidem Prophetarum (fuit enim S. Joannes horizon Novi et Veteris Testamenti, atque Veteris terminus, Novi initium), subjungit : « Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis, » *Lucæ i.*

Rursum voluit Deus eminus per tot sæcula Christum mundo ostendere, et per figuras et oracula adumbrare, ut homines ejus magnitudinem, dignitatem, utilitatem et necessitatem animo conciperent, atque ad eum, ejusque salutem anhelando congrue se compararent. « Habemus, inquit S. Petrus, *epist. II*, cap. i, vers. 19, firmiorem ipsa gloria et majestate Christi, quam vidimus in ejus transfiguratione, propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. » Nam, ut ait S. Augustinus in serm. 26 *De Tempore* : « Præbentes ei (Christo) obsequium et testimonium tanquam lucernæ venturæ diei, omnes Prophetæ prænuntiantes, et ante ipsum nascendo venerunt, post credendo adhæserunt. Oportebat enim ut prænuntiaretur venturus, facturus miracula : quibus miraculis bene intelligentibus appareret homo parvus ad parvos, sed humilis ad superbos, parvitatem suam docens hominem, ut se agnosceret parvum. » Idem in *Psal. cxlii* : « Ipse (Chris-

Prophetia est Evangelium signatum.

Consonantia Prophetarum arguit eos uno Spiritu veritatis locutos.

Tertium munus Prophetarum fuit prædicere futura.

(us) se in Prophetis prædicabat, quoniam ipse est verbum Dei : nec illi tale aliquid dicebant, nisi pleni verbo Dei. Annuntiabant ergo Christum pleni Christo, et illi eum venturum præcedebant, quos præcedentes non deserebat. »

« Constituit Marcion, inquit Tertullianus, lib. IV *contra eum*, cap. VI, alium esse Christum qui Tiberianis temporibus a Deo quodam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium : alium qui a Deo creatore in restitutionem Judaici status sit destinatus, quandoque venturus. Inter hos magnum et omnem differentiam scindit, quantam inter justum et bonum, quantam inter legem et Evangelium, quantam inter judaismum et christianismum. »

Quocirca Prophetæ omnes quasi typi et figuræ præluserunt Christo, eumque in se suisque dictis et factis quasi in imagine describentes, repræsentarunt, ac vicissim Christus in iis operabatur, Christus in iis patiebatur, Christus in iis se per umbram priscis patribus videndum et spectandum exhibebat. « Quis enim alius in Isaac lignum sibi portabat ad victimam, nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolandum in vepre cornibus adhærebat, nisi qui crucem patibulo pro nobis offerendus affligebatur? Quis alius in angelo cum Jacob luctatus, etc., nisi qui prævalere adversus se passus populum Israel, quosdam qui crediderunt benedixit in eis? latitudo autem femoris Jacob in multitudine carnalis populi claudicavit, » inquit S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. XXVI. Et cap. XXXI : « Videat, inquit, Jesum introducentem populum in terram promissionis. Videat botrum de terra promissionis in ligno pendentem. Videat in Jericho tanquam in hoc mortali sæculo, meretricem per fenestram domus suæ, tanquam per os corporis sui coccum mittentem; quod est utique sanguinis signum propter remissionem peccatorum confiteri ad salutem. » Et cap. XXXII : « Videat tempora, primo Judicium, postea Regum, sicut erit primo judicium, deinde postea regnum : inque ipsis temporibus Judicium et Regum multis et variis modis Christum et Ecclesiam figurari. Quis erat in Samson obvium leonem necans, cum petendæ uxoris causa ad alienigenas tenderet, nisi qui Ecclesiam vocaturus ex Gentibus dixit : Gaudete, ego vici mundum? Quid sibi vult in ore ipsius leonis occisi favus extrusus, nisi quia ecce conspicimus leges ipsas regni terreni, quæ adversus Christum ante fremuerant, nunc perempta feritate, dulcedini Evangelicæ prædicandæ etiam munimenta præbere? Quæ est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens? Quid vellus complutum in area sicca, et postea compluta area sicca sicco vellere, nisi primo una gens Hebræorum habens occulte in sanctis mysterium Dei, quod est Christus, quo mysterio totus orbis vacuus erat? nunc autem in ma-

nifestatione totus orbis id habet, illa vacuata est. » Et paulo inferius : « Mittitur Elias pascendus ad alienigenam viduam, quæ volebat duo ligna colligere priusquam moreretur : non hic solo ligni nomine, sed etiam lignorum numero signum crucis exprimitur. Benedicitur farina ejus et oleum, fructus ethilaritas charitatis, quæ cum impenditur, non deficit. Hilarem enim datorem diligit Deus. » Et cap. XXXV : « Eliseo pueros insultantes et clamantes : Calve, calve, bestię comedunt : puerili stultitia deridentes Christum in loco Calvariæ crucifixum invasi a dæmonibus pereunt. Mittit Eliseus per servum baculum super mortuum, et non reviviscit : venit ipse, conjungit et coaptat se morti ejus, et reviviscit : misit sermo Dei legem per servum suum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano : venit ipse, conformavit se nobis, factus particeps mortis nostræ, et vivificati sumus. » Hæc et plura S. Augustinus. Quocirca « satores fuerunt Prophetæ, messorum Apostoli, » ait Chrysostomus, hom. 34, in Joan. IV, imo Christus ipse, Joan. IV, 38. Testatur Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, S. Petrum in suis concionibus professum esse, se prophetias perlustrasse, ex iisque didicisse Christi ortum, necem, crucem, resurrectionem, ascensionem; atque per ea Deo et Christo credidisse : ideoque se nil sine Scriptura docere et prædicare. Hinc rursus S. Petrus, *epist.* I, cap. I, vers. 10, ait, de hac salute exquisivisse atque scrutatos esse Prophetas. Et S. Joan., *Apocal.* XIX, 10 : « Testimonium, inquit, Jesu, est spiritus prophetiæ. » Quocirca testimonia hæc prophetarum de Christo congeserunt S. Cyprianus ad Quirinum, Prosper, lib. *De prædic. et promiss.*, Galatinus, Finus, Josephus Acosta, lib. *De Christo revelato*, ex iisque convincunt Judæos. Præclare Lactantius, lib. IV *Instit.* : « Non idcirco, ait, a nobis Deus creditur Christus, quia mirabilia fecit, sed quia in eo vidimus facta esse omnia, quæ nobis annuntiata sunt vaticinio Prophetarum, etc. Agnoscamus itaque fructum prophetiæ, et tantam partem Christianæ professionis ne negligamus. » Et S. Ignatius, epistola ad *Philadelphios*, scribit, se Evangelio non crediturum, nisi id prædictum videret in antiquis. Denique de Christo ait S. Petrus, *Actor.* X, 43 : « Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. »

IV. QUÆRITUR QUARTO, quando, quo ordine, et de qua re singuli Prophetæ prophetarint? S. Augustinus, lib. XVIII *De Civitate*, cap. XXXVII, docet Prophetas hosce antiquiores esse Pythagora (hic enim, ait, floruit sub Cyro, qui solvit captivitatem Judæorum Babylonicam); et multo magis Socrate ac Platone, quin et Thalete (qui sub Romulo floruit), Anaximandro, Anaximene, Anaxagora, et aliis, qui Pythagoram præcesserunt : posteriores vero eos fuisse Orpheo, Lino et Musæo; sed his omnibus priorem et antiquiorem esse Mosen, et multo magis Abrahamum. Hucusque S. Augusti-

Quest. IV
quando,
quo or-
dine, et
de qua re
propheta-
runt?

Propheta
fuerunt
ante Pytha-
goram et
Philoso-
phos.

nus. Sapientia ergo fidelium prior fuit sapientia Gentilium; imo hi suam ab illis mutuati sunt.

Hoc est quod Gentibus in faciem objicit Tertullianus in *Apolog.* cap. xix: « Cæteri quoque Prophetæ etsi Mosi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrociores (id est posteriores) deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, et legiferis et historicis. »

Sic et Eusebius, lib. X *De Præpar.* in fine, et Lactantius, lib. IV *Divin. instit.* cap. v, docent Prophetas nostros septem Græciæ sapientibus, et cunctis Philosophis, imo Olympiadibus, fuisse vetustiores, indeque docent canam et vetustam fuisse sapientiam apud Hebræos, cum apud Græcos et Gentiles nasceretur, essetque infans. » Temporibus Achaz (aut potius sub finem Ozia, qui fuit avus Achaz) inquit Eusebius, « Olympiades cœperunt, primusque Olympico stadio victor Argivus Corylus fuit declaratus. Olympiade quinquagesima sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri, hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis: Anaxagoræ vero temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt. » Discrepat hic nonnihil Eusebius a S. Augustino: nam Thaletem ponit sub Cyro, quem Augustinus ponit sub Romulo. Licet enim Thales in multam ætatem vixerit, scilicet a 35 Olympiade usque ad 58, uti ait Eusebius in *Chronico*, tamen non potuit pertingere a Romulo ad Cyrum; inter utrumque enim interfluxerunt pene 200 anni, quot annis nemo ea ætate vixit.

Porro primus horum Prophetarum fuit Osee. Hoc est enim quod cap. ejus 1, 2, dicitur: « Principium loquendi Domino in Osee. » Osee autem cœpit prophetare sub Ozia vel Asaria rege Juda, puta sub initio regni Ozia: ultimus fuit Malachias, qui prophetavit post reditum e Babylone, et restauratum templum sub Dario Hystaspis rege Persarum. Unde sequitur, Prophetas omnes spatio trecentorum annorum vixisse et floruisse: tot enim anni effluerunt ab Ozia ad Darii tempora. Jam singulos suo ordine consignemus, singulorumque argumentum brevi quasi hypotyposi oculis subjiciamus, imo non tam periocham, quam mellilegium quoddam ex omnium horum vatum encyclopædia libemus.

Tempus et ordo ejusque Prophetæ petendus ex ipso prophetiæ ejus initio; ibi enim indicare solent reges sub quibus prophetarunt. Sic primus Osee ait se prophetasse sub Ozia: mox sub eodem rege secutus est Joel, Amos et Isaias, qui ad tempora Manassis pervenit. Deinde sub Joathan Eliæ Ozia prophetarunt Abdias, Jonas et Michæas. Quocirca Osee, Isaias, Amos, Joel, Abdias et Michæas σύγχρονος, sive contemporanei fuerunt, ait S. Hieronymus in *Osee* cap. 1. Consequenter sub Ezechia floruit Nahum, et sub Manasse Habacuc. Deinde sub Josia Sophonias, mox Jeremias, qui paulo ante captivitatem, et in ipsa captivitate, quæ contigit sub Sedecia, prophetavit. Post eum

in ipsa captivitate anno transmigrationis Joachiti quinto, Ezechiel; deinde post Jerusalem a Chaldæis eversam anno quinto, Baruch; anno octavo, Daniel. Demum post reditum e captivitate anno 18 prophetarunt Aggæus, Zacharias et ultimus Malachias.

Primus ergo tempore et ætate fuit Osee. Hic fornicariam ducere, et ex ea fornicationis filios procreare jussus, magnæ obedientiæ specimen dans, suo hoc conjugio idololatrias Judæos religionis et fidei cum Deo in itæ violatæ arguit: et in tribus trium ex ea prolium nominibus; primo, *Jezrahel*, id est semen Dei; secundo, *Lorachama*, id est absque misericordia; tertio, *Lo ammi*, id est non populus meus, Judæorum et Synagogæ repudium, ac Gentium surrogationem velut in quotidiana imagine Judæis objicit, ut proles has compellantes, seipsos suo nomine compellent. Tractat ex Osee hoc prædestinationis et reprobationis argumentum Apostolus profunde, *epist. ad Romanos*, maxime cap. ix, 10, 11, quæ epistola sine hoc Osee intelligi nequit.

Secundus Joel, ait S. Hieronymus in *Prologo Galeato*, describit terram duodecim tribuum eruca, erucæ residuum bruchio, bruchi residuum locustæ, locustæ residuum rubigine vastante consumptam; et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum Sanctum super servos Dei et ancillas, id est super centum viginti credentium nomina in cœnaculo Sion in Pentecoste. Idem judicii extremi diem in valle Josaphat adeo graphicè depingit, ut horridius illum quis mente concipere, aut verbis populo ob oculos ponere non possit.

Tertius, « Amos, pastor et rusticus (pergit S. Hieronymus), et ruborum mora distringens, sed a Spiritu Sancto Propheta factus, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne explicet tria et quatuor scelera Damasci, et Gazæ, et Tyri, et Idumææ, et filiorum Ammon et Moab, et in septimo et octavo gradu Judææ et Israel? » Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samaritæ monte, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, et famem in terram; non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. »

Quartus Isaias sacrorum vatum Homerus, et Talthybius ille cœlestis, præconio urbano et eleganti ac figuris illuminato adventantis sapientiæ et veritatis sacramentum vociferans, sacrisque, ut ita dicam, leporibus et divinis salibus conditus et jucundus, a quo tandem satis explicari per totam vitam potest? Nec opus parerga rhapsodum asciscere. Fecit hoc Thomas Hasselbachius, Viennæ S. Theologiæ Professor anno Domini 1410, qui cum 21 annis necdum primum Isaiæ caput ab solvisset, demum reliquit in idem caput libros 24, inquit Sixtus Senensis, lib. IV *Biblioth. littera T.* Si doctrinam Isaiæ et vaticinia spectes, non tam

Primus,
fuit Osee

Secundus,
Joel.

Tertius,
Amos.

Quartus,
Isaias
Prophetarum
Homerus.

Omnes
vixerunt
intra 300
annos.

prophetiam videtur texere; ait S. Hieronymus, quam Evangelium: de Virginis partu, de Emmanuele; de puero qui natus est nobis parvulus, quam pie dissuaviatur! vocationem Gentium, Ecclesie ortum, auroram, meridiem victoriam, quam canoris tibiis occinit! quam hic gestit: quam spiritu exsultat! Videor mihi hic chorum Ecclesie, et tripudium Sanctorum cernere Isaia præcentore. Denique admirabili sua providentia ad æternum veritatis et Christi testimonium, voluit Deus Judæis et omnibus Gentibus, quæcumque habent Evangelia, idque sæpe verbo tenus, ab Isaia ipsos octingentos annos ante Christum prædici. Collegit Leo Castrius harmoniam singulorum capitum Evangeliorum quæ Isaie respondent, ut omnia Evangelia ex Isaia petita videantur. Atque hæc est nova et hæcenus inaudita dicendi et concionandi ratio, quam qui inire et tentare volent, admirationi erunt; ut videlicet dum Evangelium tractant, ostendant illud ipsum ab Isaia prædictum et pertractatum esse locis a Castrio annotatis. Si dictionis leporem et elegantiam, si concionis vim spectes, qui nervi, quod pondus? ex uno discite omnes; ita orditur: « Audite, cæli, auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? Audite verbum Domini, principes Sodomorum, populus Gomorrhæ, » et quæ sequuntur: quot hic verba, tot tonitrua, tot fulmina os animamque pervadunt.

Et cap. xiv, quam forti ardore superbo non angelo, sed Babylonio regi insultat! « Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacu. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes. »

Et contrario quam pauperes, mites, pœnitentes, humiles consolatur! Cap. xl: « Consolamini, consolamini, ait, popule meus. Loquimini ad cor Jerusalem. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda:

Ecce Deus vester veniet, et brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. » Cap. lxi: « Spiritus Domini super me, etc., ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, annum placabilem Domino, ut consolarer omnes lugentes, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. » Cap. lviii, 12: « Ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamentum generationis et generationis suscitabis: tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob. » Cap. lx, 15: « Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem. »

Quintus Abdias, id est servus Dei: « Pertonat, inquit S. Hieronymus, contra Edom, sanguineum terrenumque hominem: fratris quoque Jacob semper æmulum percutit hasta spiritali. » Parvus ipse quam suaviter superbiam premit, ut recte de eo dicas: « Brevis in volatilibus apibus, initium dulcoris habet fructus illius; » dulcoris, sed et aculei.

Sextus Jonas, « columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurans, » a cete absorptus, et tertio die e ventre ceti eductus Christum e sepulcro resurgentem adumbrans, « mundum ad pœnitentiam revocat, et sub nomine Nive gentibus salutem nuntiat. »

Septimus Michæas de Morasthi, cohæres Christi, vastationem annuntiat filie latronis, et obsidionem ponit contra eam: quia maxillam percusserrat Judicis Israel. » Idem Bethlehem de Christo filio gratulatur: « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. »

Octavus Nahum, consolator orbis, increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur: Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. »

Nonus Habacuc, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, ut Christum in cruce contempletur, et dicat: « Operuit cælos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors. »

Decimus Sophonias, « speculator et arcanorum Dei cognitor, » magno clamore et ululatu rugit vastitatem Hierosolymæ urbis, et orbis universi in fine mundi: « Quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento. »

Undecimus Jeremias, sacerdos, in matris utero a Spiritu Sancto initiatus et consecratus Propheta, quasi alter Idæus Trojæ, Hierosolymorum captivitatem fatidico præconio atque lamentabili municipibus suis prænuntians, videt virgam vigilantem, et ollam succensam, a facie Aquilonis, et par-

Quintus,
Abdias.Sextus
Jonas.Septi-
mus, Mi-
chæas.Octavus,
Nahum.Nonus,
Habacuc.Decimus,
Sopho-
nias.Undeci-
mus, Je-
remias.

dum spoliat suis coloribus, et quadruplex diversis metris nectit alphabetum: exitii imminentis threnodus gemit passim. Exprimit Christum et voce et vita, carcere et mille opprobriis a Judæis divexatus, quod Jerusalem vastandam ediceret: « Mittamus, ait, lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi. » Alias hortatur, minatur, orat, execratur:

Necnon Threicius longa cum veste sacerdos,
Proloquitur numeris septem discrimina vocum.

In omnes sese partes verus Dei præco versat, ut populum ad poenitentiam et meliorem vitam impellat: « Et dixit, inquit, cap. xiv, vers. 11, Dominus ad me: Noli orare pro populo isto. Et dixi: A, a, a, Domine Deus; » mox: « Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer; » et cap. xxii, vers. 29: « Terra, terra, terra, audi verbum Domini; » et cap. xv, vers. 2: « Qui ad mortem, ad mortem: et qui ad gladium, ad gladium; et qui ad famem, ad famem; et qui ad captivitatem, ad captivitatem. »

Duodecimus, Baruch.

Duodecimus Baruch, a calamo et commentariis Jeremiæ, captivos in Babyloniam abeuntes præmonet, ne gentium illarum idola et vitia sequantur. Veram sapientiam docet non a philosophis, non a terra, sed e cælo accersendam: « Disce, ait cap. iii, vers. 14, Israel, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. Ubi sunt principes gentium, qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, et aurum? ad inferos descenderunt: viam autem disciplinæ ignoraverunt: non est audita in Chanaan, neque in universa terra. Hic est Deus noster, cui stellæ luxerunt cum jucunditate, et vocatæ dixerunt: Adsumus: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. »

Decimus tertius, Ezechiel.

Decimus tertius Ezechiel, initio videt Deum curru Cherubim inequantem; in fine architecturam templi: quare principia et finem, ait S. Hieronymus tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos a nemine ante annum trigesimum legantur: in cæteris Jeremiæ et Isaïæ similis est, Ezechielem in multis imitatur et sequitur S. Joannes in *Apocalypsi*.

Decimus quartus, Daniel.

Decimus quartus Daniel, temporum conscius, et totius mundi polyhistor, monarchiarum omnium ex ordine seriem, ortum et occasum; et denique Christi regnum, quasi lapidem præcisum de monte sine manibus, et regna omnia subvertentem, clare sermone prænuntiat. Mox percurrens Machabæorum tempora, regum Syriæ, et maxime Antiochi impiissimi, gesta ejus antitypi Antichristi tyrannide et desolatione concludit. Isaïas ergo mente et stylo exsultat, Jeremias lamentatur, Ezechiel minatur, Daniel visionibus abripitur. Ita suus cuique Prophetæ est genius, suus spiritus et stylus aspiratus a Deo, qui sua dona partitur et dividit cuique prout vult. Ecquid mirum? Ita suus cuique philosopho, oratori, doctori est, fuitque semper, et erit genius ac spiritus. Audi Sidonium Apollinarem, lib. IV, *epist.* 3, suum cuique solerter assignantem: « Nemo, ait, affirmat, ut Claudianus sentit, ut Pythagoras: dividit, ut Socrates: explicat, ut Plato: implicat, ut Aristoteles: blanditur, ut Æschines: irascitur, ut Demosthenes: vernat, ut Hortensius: moratur, ut Fabius: simulat, ut Crassus: dissimulat, ut Cæsar: suadet, ut Cato: dissuadet, ut Appius: persuadet, ut Tullius. Jam si ad sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur, nemo instruit, ut Hieronymus: destruit, ut Lactantius: astruit, ut Augustinus: attollitur, ut Hilarius: submittitur, ut Joannes: corrigit, ut Basilius: consolatur, ut Gregorius: affluit, ut Orosius: stringit, ut Ruffinus: ut Eusebius, narrat: ut Paulinus, provocat: ut Ambrosius, perseverat. » Idem, *epist.* 1 *ad Probum*, cuique in genere suum assignans stylum: « Si quid, inquit, Heroicus arduum, Comicus lepidum, Lyricus cantilenosum, Orator maturum, Historicus verum, Satyricus figuratum, Grammaticus regulare, Pænegyrista plausibile, Sophista serium, Epigrammatista lascivum, Commentator lucidum, Juriconsultus obscurum, multifariam condiderunt, id te omnifariam tradidisse quis nesciat? »

Decimus quintus Aggæus, festivus et lætus, destructum templum ædificat, Christi doctrina celebrandum: « Adhuc, inquit, cap. ii, vers. 7, unum modicum, et ego commovebo cælum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus. »

Decimus quintus, Aggæus.

Decimus sextus « Zacharias, memor Domini sui, multiplex in prophetia, impietatem ore ocluso in amphora inclusam, a duabus alatis mulieribus in terram Sennaar transferri videt: Jesum vestibis sordidis indutum, et lapidem oculorum septem; candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis cernit: ut post equos nigros, rufos, albos, et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, pauperem regem vaticinetur, sedentem super pullum filium asinæ subjugalis, » nobis frumentum electorum, et vinum germinans virgines propinquantem.

Decimus sextus, Zacharias.

Decimus septimus, et ultimus, Malachias, sacerdotum dignitatem et sacrificium Eucharistiæ celebrat: « In omni, ait, cap. i, vers. 11, loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » Eliam Thesbiten, Christi Judicis prænuntium, ex paradiso redeuntem videt.

Decimus septimus, Malachias.

V. QUÆRITUR QUINTO de obscuritate Prophetarum, ac modo et methodo eam superandi. Sane eos obscuros et difficiles esse liquet, tum quia de rebus arcanis et abditiis, præsertim futuris, vaticin-

Quæst. V. de obscuritate Prophetarum.

at modo eam su- parandi. nantur, tum quia futura per symbola sæpe achieroglyphica significant; unde et phrasin propriam habent, symbolicam sæpe, parabolicam et ænigmaticam: quin et plura, pulchra æque ac recondita, apud eos ænigmata vera invenies. Ut hisce difficultatibus occurram, Canones præmittam, qui quasi in tenebris facem præferant, et præluceant. Vere S. Hieronymus in *Nahum* cap. iii, sub medio: « Et dicemus, inquit, ideo sanctam Scripturam hisce difficultatibus esse contextam, et maxime Prophetas qui ænigmatibus pleni sunt, ut difficultatem sensuum difficultas quoque sermonis involvat: ut non facile pateat sanctum canibus, et margaritæ porcis, et profanis Sancta sanctorum. »

8. Au- gustini. exem- plum. Narrat de se S. Augustinus, lib. IX *Confessionum* cap. v, quod cum recens conversus, deserta Rhetoricæ professione ad sacra studia totum animum transtulisset, consuluerit S. Ambrosium, quid potissimum sibi legendum esset: at ille suasit Isaïam. Verumtamen ego, ait primam hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distuli repetendum, dum exercitator forem in Dominico eloquio. Hæc S. Augustinus, Augustinus inquam, illud acumen, qui per se Porphyrium legens, Aristotelis Prædicamenta, multa que talia, ea suo apte ingenio intellexisse se confitetur; vir in omni humana litteratura et philosophia excultus: quid ergo nos pusiones præ illo Allante, si desit magister, si desit qui lumen præferat? « Divinatio enim in ore doctoris, in doctrina non errabit os ejus. »

8. Tho- ma. Sic S. Thomas, cum in Isaïæ locum quemdam difficilem incidisset, nec eum expedire posset, de more jejuniis per complures dies preces miscuit: tandem missi ad eum SS. Petrus et Paulus locum explicarunt, ut ille accito mox suo Reginaldo loci commentationem faciliter, quasi ex libro legens dictaret. Idem Augustinus, epist. 2 ad *Volusianum*, tantam hic agnoscit altitudinem sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: « Cum consummaverit homo, tunc incipiet. »

8. Gre- gorii. Gregorius Magnus, et Pontifex et doctor, in Ezechielem commentans, tot tamque abdita in his libris agnoscit mysteria, ut asseveret quædam mortalibus necdum reserata, solis cœlestibus patere spiritibus. Sane vix quemquam mortalium ultima Ezechielis capita plane intelligere arbitror: tentet qui volet. Credo, ubi omnes vires intenderit, solam referet mentis defatigationem. Ego de me illud possum dicere, quod Ezechiel de se, cap. XLVII, et post eum docti interpretes: « Torquentem non potui pertransire, quoniam intumescunt aquæ profundi torrentis, quæ non possunt transvadari. » Sed hac appendice omissa, quæ rari forsitan est usus; age, Isaïæ, aut Minorum Prophetarum caput quodlibet, tractatum, vel librum quemlibet evolve; ni nebulas, ni labyrinthum, ni vel dubitationum Iliada, vel tenebrarum Odysseam repe-

reris, animoque conceperis, faxo quod voles. Quare S. Clemens, lib. I *Constit. Apost.* cap. iv, v et vi, ex Apostolorum doctrina ita sancit: « Scripturas sanctas assidua memoria meditare. Scriptum est enim: In lege ejus meditaberis die ac nocte, deambulans in agro, et domi sedens, cubans et expectatus, ut in omnibus sis intelligens, » et *Moyses*: « Lege legem, libros de Regibus, Prophetas: cane psalmos David: percurrere diligenter Evangelium, in quo sunt hæc consummata; » subdit: « Abstine ab omnibus libris Gentilium. Nam quid in lege Dei desideras, ut ad illa Gentilium scripta animum velis appellere? sive enim historias legere cupis, habes libros de Regibus. *Et cetera* sophistica, id est quæ argute ad sapientiam referuntur, et poetica, habes Prophetas, Job, Proverbia; in quibus plus acuminis, quam in omni poesi, et sapientia sophistarum reperies: quod is qui solus sapiens est, illa effatus est; » et libro II, cap. v, ita sancit de Episcopo: « Meditetur de libris Domini, et studeat eis. Sit multus in lectione, ut Scripturas accurate interpretetur: Evangelium, ut Prophetis et legi consonet; legem et Prophetas, ut Evangelio. Ait enim Dominus: Scrutamini Scripturas. »

Interpre- tes Pro- pheta- rum. Illud vero non parum difficultatem auget, quod in hosce libros non perinde ut in Evangelia, aliosque similes, commentatores exstent. Scripserunt, fateor, plures in aliquos, Origenes, Appollinaris, Didymus, Pierius, Eusebius; sed hi interciderunt; hisce tamen usus est S. Hieronymus: post hos, S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Gregorius, Basilius; sed horum fere aliqui mysticum sensum: alii nunc mysticum, nunc litteralem sine discrimine proferunt, ut nescias quænam expositio litteralis sit, quænam mystica. Scripsit et D. Thomas, de quo quid sentiam in Isaïa dicam, Lyranus, Hugo, Dionysius. E recentioribus Leo Castrius, Adamus Sasbout, Guevara, Arias Montanus, Vatablus, Andreas, Capella, Franciscus Ribera in Minores Prophetas, Benedictus, Perrerius, Hieronymus Prado et Joannes Baptista Villalpandus, qui in Ezechiele elucidando sumptu Regis Hispaniæ sedecim annos strenue laborarunt, et tres ingentes tomos nuper Romæ ediderunt. Ex hæreticis Calvinus, Oecolampadius, Musculus, et alii. Verum ex hisce recentioribus singuli in unum alterumve tantum Prophetam commentantur: at qui breviter ac methodice ex Patribus et Græcis Hebræisque fontibus, sensum duntaxat litteralem nostræ versionis Latinæ pertractet, hactenus vidi neminem. Noster Emmanuel Sa brevis est; sed doctioribus, et qui ex verbo totam quasi ex usu conjectent sententiam, fere servit: subinde quidem lucem perstringit, sed alias sæpe incipientem in salebris deserit, et fere verborum sensum verbo reddit, non rerum aut quæstionum incidentium difficultatem persequitur. Consulat qui volet eum uno alterove capite in Prophetas Minores, maxime ubi latet difficultas; et statim

hærerę se videbit. Unus hic nobis lucifer tædam præfert noster S. Hieronymus, phœnix ille sui ævi, vir græce, hebraice, latine peritissimus, et Ecclesiæ calculo in exponendis sacris Scripturis doctor maximus : quippe qui in hisce ad extremam canitiem consenuerit, et teste S. Augustino veteres omnes Græcos et Latinos commentatores legerit ; qui sane nisi hic primus glaciem perfregisset, posteris omnibus Prophetarum invia fuisset via ; sed Dei benefica providentia in hoc toto opere ita labor et doctrina Hieronymi constitit, ut hæc laurea ejus doctoralis et scriptorum gemma præ omnibus emicet : opus dico operum ejus præstantissimum, in quo ipse seipsum vicit.

S. Hieronymus duo observanda. Verum ne quis in eo erret, unum alterumve advertat. Solet S. Hieronymus litteralem sensum primo paucis perstringere, uti ab Hebræis eum accepit : in quibus si quid falsum putat, rejicere continuo solet ; quod autem non rejicit, probat. Hunc sensum litteralem subinde Judaicum vocat, quod Judæi huic soli insistant. Deinde ad allegoriam et tropologiam transit, et fusius evagatur, ut et alii Patres, qui sæpe litteralem omittunt, eo quod elegantior et pientior eis videatur allegoria aut tropologia, quodque Christum in omnibus quærant, qui, ut superius ostendi, fructus et scopus est legis et Prophetarum.

Alterum est. Solet S. Hieronymus aliorum tantum sententias referre : unde singulorum Prophetarum proœmiis Origenem, Apollinarem, Didymum ; aliosve quos secuturus est, recenset. Hinc eorum etiam errores subinde adfert, nec rejicit, quasi relator, non judex, judicium lectori relinquens. Sic ipse se contra Ruffinum, errores Origenis, Apollinaris et aliorum ei objectantem, purgat. Videat ergo non oscitans lector, quos proœmio quoque secuturum se spondeat Hieronymus ; et si quid falsi deinde afferat, illis tribuat non S. Hieronymo.

S. Hieronymi elegia. Ego igitur, licet plurimos voverim, unum tamen maxime sequar S. Hieronymum, qui, ut dixi, ætatem vitamque suam longævam in Sacra Scriptura contrivit, ultimamque Prophetis consignavit, atque iis immortalis est : unde in Jeremiam commentarium imperfectum morte præventus reliquit. Audiemus hic ergo cycneam ejus vocem : de quo illud legimus, quod, licet varie morbis doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda solitus sit piis laboribus, et perpetua lectione aut scriptione superare. Eadem mihi causa, et valetudo cum ipso communis : quocirca et eodem cum ipso remedio ad eam leniendam et superandam utar. Ad eum, quasi ad oraculum, ex omnibus orbis terræ partibus S. Scripturæ quæstiones explicandæ referebantur : illum de talibus sæpe Damasus Pontifex consuluit, sæpe S. Augustinus, aliique Ecclesiæ pastores et doctores : illum et ego assidue consulo et consulam, ita tamen, ut, si quis aliud quid melius afferat, aut Deus suggerat, aut ratio

evincent, bona Hieronymi pace dicam : « Amicus S. Hieronymus, magis amica veritas ; » nam ipsi S. Hieronymo semper fuit, et nunc maxime, veritas ipsa magis amica est seipso suoque sensu. Ter a viginti et pluribus annis, in Belgio Lovanii publice Prophetas explicui ; Romæ jam quarto eosdem docui et pertractavi, ultimamque manum et limam adjeci. Verum est illud Afranii de sapientia : « Usus me genuit, mater peperit memoria ; » et Plinii, lib. XXVI : « Usus efficacissimus rerum omnium magister. » Porro usum adfert ætas, et, ut ait Ovidius, VI *Metam.*, « seris venit usus ab annis. » Hinc illud Solonis : « Assidue addiscens ad senium propero. » Multa ex interpretibus, aliisque auctoribus ab olim sensim collecta, exactius discussi et digessi : multa ex meipso, vel potius suggerente auctore luminum, ipsaque æterna Sapientia, addidi. Ubi tamen alios semitam et interpretationem veram quæ menti satisfaceret capessentes vidi, præeuntes sequi malui, quam novam, incertam, et de proprio sensu (cuique enim placent plus æquo propriæ inventiones mentisque foetus, æque ac matribus suæ proles, quas licet deformes, putant esse formosissimas) suspectam viam inire. Veritas enim ubique eadem est, veraque interpretatio sanctæ Scripturæ apud omnes eadem esse debet. Quocirca sapienter monet Vincentius Lirinensis in aureo suo libello contra profanas hæresum novitates : « Nove dicas, non nova. » Nam veritas, cum sit publica, et Juris communis, perinde ac sol, cana est et prisca, eademque omnium sæculorum, æque ac doctorum hominum. Quapropter ingens testimonium est veritatis, veræque fidei, expositionis et doctrinæ, doctorum et interpretum in ea consensus, et verbis licet ac methodo discors, re tamen et sensu consona concordia. Atque quæ talis est, in Ecclesia insignem, mireque gratam parit harmoniam, ad instar harmoniæ tetraphonæ Evangelistarum, qui quatuor vocibus dispariter pares, et pariter dispares, idem, sed alio modo et quasi tono dicentes, unam eamque divinam edunt Evangelii melodiam et concentum.

Mea methodus hæc est, ut quoscumque illustriores nancisci possum interpretes, legam, ex eisque medullam exsugam, eorumque dicta in pauca contraham. Quare quæ alii fuse, alii etiam confuse aut obscure dicunt, ego breviter, methodice et clare dicere conor ; ut qui hæc legerit, omnes sibi legisse videatur, ac rursus neminem. Præter enim propriam methodum, multa in sensu et litterali et morali inveniet propria, quæ apud neminem alium. Quocirca brevitatibus causa discursibus prolixis abstineo, et multo magis iis qui ad speciem et pompam compositi sunt, aut anfractuosi, et per varias sermonis ambages et flexus more Rhetorum deducti et circumducti ; atque illico ipsum rei punctum quasi aeu tango ; sapienti enim pauca. Insuper verbis quoad possum parco, ut quod uno dicere queo, non dicam duo-

Usus patrens sapientia.

Veritas publica et cana.

Methodus auctoris.

bus, sciens de omni verbo superfluo et otioso Deo reddendam esse rationem : ac secutus S. Augustinum, lib. I *Retract.*, in prologo, qui citans hanc Christi de verbo otioso sententiam, et alteram Sapientis : « Illud etiam, inquit, quod scriptum est : Ex multiloquio non effugies peccatum, terret me plurimum : quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certe videantur, sive etiam convincantur non necessaria. » Unde subdit se hac de causa scripsisse libros *Retractationum*, dicens : « Restat igitur ut me ipse iudicem sub magistro uno, cujus de offensionibus meis iudicium evadere cupio. » Et antè : « Jamdiu istud facere cogito, quod nunc aggredior, ut opuscula mea iudicialia severitate recenseam, et quod me offendit, velut censorio stylo denotem : ut qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat modestiæ ; ut qui non valuit omnia impcenienda dicere, saltem pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuisse. » Accedit, quod alii et varii in varias Scripturæ partes prolixè scripserint, quos consulat qui prolixitate gaudet. Meus enim scopus est, breviter potiorè vel totam, si Deus dedit, S. Scripturam pertractare, ejusque sensum litteralem et genuinum paucis assignare, ne, si prolixior sim, tomè et numero et mole ita excrescant, ut vix a quoquam omnes evolvi et perlegi possint : quin verò propositum meum est ea de causa studere brevitati, ut S. Scripturæ avidi commentarios meos a capite ad calcem evolvere, totamque S. Scripturam penetrare et intelligere queant. Scio enim breve esse tempus vitæ nostræ, illudque multis aliis tum studiis, tum negotiis distineri et dstringi, ut pauci sint, qui vel otium vel animum habeant prolixos in S. Scripturam commentarios evolvendi. Horum ergo desiderio et studio, perinde ac occupationibus brevitate hac occurrere, et quantum licet satisfacere statui, æque ac eorum, qui celeri et perspicaci ingenio præditi, præsertim Itali, non ferunt moras et flexus verborum, sed rem in ictu verbi et oculi sibi exhiberi cupiunt ; alioqui mihi, uti et aliis passim, facilius esset conceptus meos per multa verba explicare et amplificare, quam eos, eorumque vim, succum et nervum in pauca quasi distillando, rejectis minus necessariis, contrahere, et, ut aiunt, purum cribratumque dare pollinem rejectis furfuribus. Hic enim facile addita aqua sermonis inflari, distendi et amplificari potest ab eo cui nec cerebrum, nec facundia deest. Denique malunt omnes arborem onustam fructibus, quam frondibus et floribus : ita pariter et malunt commentarium rebus sensibusque densum, quam verborum foliis floribusque luxuriantem.

Verum enim verò uti alii interpretes mihi non sunt obstaculo, nec incommodo, sed potius commodo et adjumento : ita velim ut hæc mea brevis nulli sit remoræ ; quin, si quos fusiores in Prophetas commentarios paratos habeat aut pa-

ret, illos in lucem det, et ad publicam Ecclesiæ utilitatem edat. Sentio enim, dicoque ex animo illud Mosis ad Josue, cupientem vetari Eldad et Medad ne prophetarent : « Quid æmularis pro me ? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum ? » *Numer. xi, 29*. Quid enim aliud spectamus et quærimus omnes, nisi illustrare Dei gloriam, et Ecclesiæ commo- dare, non tantum per nos ipsos, sed et per quosvis alios ? Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei, quæ Ecclesiæ : de qua canit Psaltes : « Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate ; » nimirum Ecclesia ornata cyclade variegata varietate et diversitate tot statuum, ordinum, graduum, Sacramentorum, Sanctorum, virtutum gratiarum (hic est ejus decor, hæc species et pulchritudo), quidni et doctorum ac scriptorum ? Prophetæ enim non unum, sed centum merentur commentatores et commentarios : quin da quotquot voles, nunquam dabis qui eorum sensa fundumque exhaurient, sed posteris multa eruenda, commentanda, scribenda, relinquent. Profundum est hoc mare, profundi sermones Spiritus Sancti, qui exhauriri nequeunt.

Jam verò in hac commentatione, uti alibi feci, ita hic quam possum exactissime insisto sensui litterali rimando et vestigando tum ex Patribus, tum ex Hebræo fonte, tum ex Septuaginta et aliis interpretibus, tum ex antecedentibus et sequentibus, tum ex usu sacræ Scripturæ, et variorum ejus locorum mutua inter se collatione. Ad phrasim enim et vocis notionem genuinè percipiendam, via et ratio optima est conferre loca sacræ Scripturæ, in quibus illæ aut similes voces aut phrases iterantur. In iis quæ facilia sunt, non immoror, sed levi manu pertranseo. Sequor S. Augustinum lib. XVIII, *De Civit.* cap. xxviii, ubi cum citasset sententiam claram et apertam Osee, subdit : « Hoc si velimus exponere adhuc, eloquii prophetici obtundetur sapor ; » et S. Hieronymus in proemio, lib. III *Comment. in Epist. ad Galatas*, dicentem : « Officii mei est obscura disserere, manifesta perstringere, et in dubiis immorari. »

Locos morales ipsi Prophetæ copiosos et patheticos habent, ut, si eos ad litteram intelligas, aliisque proponas et urgeas, vix alios requiras : subinde tamen eos interseram, breves tamen et nervosos ex Patrum aut veterum sententiis, exemplis, historiis, apophthegmatibus, sicuti feci in Pentateucho, ut iis et legentes animum suum pie et fructuose pascere, ac concionatores iisdem ad populum pascendum et promovendum uti possint. Qua in re duo monenda occurrunt : prius, me in S. Gregorio, epistolis S. Cypriani, et S. Ambrosii, aliisque nonnullis Patribus Romæ ex editione Vaticana aut simili, aliam invenisse distinctionem epistolarum et capitum, quam viderim Lovanii. Quocirca nec Itali, nec Transalpini errorem in citatione admissum cogitent, si in suo codice alibi edito, aliterque distincto locum ca-

pite a me citato non invenient. Rursum, non mirantur dispariter juxta diversas editiones me loca Patrum citare. Nam partem operis hujus conscripsi Lovanii, partem Romæ, ubi aliis et aliis editionibus uti me oportuit. Quanquam non diffiteor in numero facillime errari, sive a descriptore, sive a typographo, sive ab ipso auctore : cum enim cifrae sint variae minutæque, ac multoties occurrant, totque oculos ac manus transire debeant, quam facile est aliquem aliis intentum in una alterave hallucinari! Condonandum hoc est humanæ imbecillitati. Ita se excusat S. Hieronymus, *Ad Lucinum* epist. 28 : « Si, inquit, paragrammata ita repereris, vel minus aliqua descripta sint, quæ sensum legentis impediunt; non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiæ notariorum, librariorumque incuriæ, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos. »

Posterius, ut lector commentarium hunc non metiatur ex intuitu unius alteriusve loci, sed totum et perfectum opus (quale tantum a rudibus spectari merito volebat Appelles) perlustret et consideret, videatque quam ultima primis, media primis et ultimis respondeant, quam Daniel et Ezechiel cum Isaia et Jeremia consentiant. Ita enim quadrigam hanc, an æquo, pari et concinno passu incedat, adjudicare poterit. Hæc forma operis nostri, ut inspecta magis placitura sit quam aspecta : « Quæ enim cito placent, non diu placent. » Plato apud Stobæum *in Ethic. Eclog.* : « Pleraque scriptorum cum Adonidis hortis comparabat, qui subito uno die nati celerrime pereunt. » Spero id non eventurum huic nostro, quod per multos annos elaboratum et satum, vires magis a tempore capiet, ac « crescet occulto velut arbor ævo, » ut futuris sæculis robustius, meliores et maturiores in legentium animis fructus edat. « Ingenii præclara facinora, sicut anima, immortalia sunt, » ait Sallustius *in Jugurtha*. Idcirco bombyces imitatus sum, qui prius dies noctesque comessant, et comessando grandescunt et crassescunt; deinde sericum nere, glomumque conficere incipiunt, dum ex eodem ore et ventre assidue filando texendoque tantum educunt, quantum comederunt : nimirum quod per multos annos legendo, meditando, docendo collegi, et in mente recondidi, hic evolvo, et depromo, aliisque communico. Secutus quoque sum illud S. Bernardi serm. 18 *in Cant.* : « Si sapias, concham te exhibebis, non canalem. Implere prius, et sic curato effundere. Ipse fons vitæ prius interna replevit, et sic exundans in multis miserationibus visitavit terram, et inebriavit eam. »

Porro duplex hic reperio interpretum genus invicem adversum. Unum Judaicum, eorum scilicet quæ omnia quæ a Prophetis de Juda, Jerusalem, Sione, Babylone, Chaldaeis, Moab, Edom et similibus dicuntur, plane et crasse uti sonant,

accipiunt. Alterum allegoricum, eorum qui e contrario omnia ista de Ecclesia, de Christo, de Gentium vocatione, de lege nova, de bonis spiritualibus accipiunt. Tertii proinde sunt, qui tutius inter hos medii incedunt, atque nunc his, nunc illis se conjungunt. Primi generis auctores sunt Rabbini, judaismi propugnatores, et Christi ac christianismi hostes, quos incaute nimis sequuntur subinde Hugo, Lyranus, commentarius S. Thomæ adscriptus, et aliqui alii orthodoxi. Hi enim clarissimas de Christo et Ecclesia prophetias, ad Cyrum et Judæorum synagogam detorqueunt. Exempli sit instar, quæ Isaïas, cap. viii, de prophetissa concipiente et pariente filium, cui nomen : « Accelera, spolia detrahere, festina prædari, » scribit prophetatque de B. Virgine pariente Christum : ipsi ad uxorem vel Isaïæ, vel Achaz regis Judæ, ejusque filium referunt. Nonnulli alii eo usque progressi sunt, ut illud cap. vii : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, etc., » pari modo litteraliter dictum velint de uxore Isaïæ, cum tota Ecclesia et S. Matthæus, cap. 1, 23, diserte doceant, id non nisi de Virgine Deipara intelligendum esse. Illud Isaïæ cap. lx, 1 : « Surge, illuminare Jerusalem, etc. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, etc., » ad litteram de Jerusalem terrena reflorescente, allegorice tantum de Ecclesia Christiana, interpretantur. Illud Zachar. cap. ix, 11 : « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, » ad litteram de Judæorum e Babylone liberatione, allegorice tantum de patrum e limbo, per Christi descensum, redemptione exponunt; multaque talia, quæ passim in decursu operis occurrunt. Indignantur hisce non pauci interpretes et doctores, atque acriter eos perstringunt, nec immerito. Quid enim hoc est aliud, quam prophetias illustres et sublimes deprimere, abjicere et enervare? quam clara de Christo et christianismo oracula si non elidere, certe refrangere et debilitare, aut etiam detorquere? quam Judæorum cæcitatem fovere, iisque arma suggerere quibus Christianos oppugnent? Esto enim fateantur ipsi, allegorice saltem hæc vaticinia ad Christum et Ecclesiam pertinere : tamen litteram et litteralem sensum, qui S. Scripturæ basis est et fundamentum, Christianis eripiunt; quo erepto quam facile allegoricum eludent Judæi? illum enim sensum esse sacræ Scripturæ pernegabunt, dicentque eum humani cerebri esse commentum, et a Christianis confictum. Qui in alio extremo sunt, hi ea quæ passim de Sennacherib, Nabuchodonosor, Ezechia, Sedecia, etc., ad litteram dicuntur historice, de diabolo, de Christo, de Apostolis accipi volunt. Ita Leo Castrius totum Isaïam ad Christum torquet, ut eum quantus quantus est Judæis extorqueat. Hi quoque licet

Secundum allegoricum. Tertiam, et sincerum est mendacium.

Interpretum duplex genus. Primum Judaicum

minus periculosi sint, affectui tamen suo præter rationem indulgent, ideoque a veritate veroque sensu aberrant.

Media ergo hic via sinceris interpretibus in- eunda, ut ex circumstantiis solerter indagent, quid historice Synagogæ, quid Ecclesiæ; quid Cyro, quid Christo; quid Judæis, quid Christianis conveniat: quod quia implexum est et difficile vestigatu, hac de causa ad illud explicandum et vestigandum aliquot canones dabo, causamque assignabo.

Concludo: quod S. Hieronymus, quod S. Augustinus, quod S. Thomas aliique sacræ Scripturæ et Ecclesiæ doctores propalam confitentur, lumine cœlesti hic opus esse, certum est. « Omnis enim prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, » ait S. Petrus, II *epist.* 1, 20, ut Deus ipse verba sua tam obscura et implicata nobis illustret, ut intellectui nostro ipse irradiet, iudicium dirigat, memoriam confirmet. Itaque invocemus nostrum Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem, ut suum prophetiæ lumen nobis communicent, faciant nos Prophetas, doctores, præcones, æternitatis satores, ut cum Isaia Seraphim aliquis ad nos advolet, calculoque ignito os vaticinaturum tangat, purget, aperiat. Cum Jeremia exclamemus: « A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. » Cum Ezechiele a facie Cherubim cadamus proni in terram, petamusque a spiritu erigi, et os nobis pandi. Cum Daniele verbum Dei in corde conservemus, et stupeamus ad visionem, eo quod desit interpres, atque ab angelo interpretationem demisse flagitemus.

Sane Deo sim ingratus et injurius, si vicennales hæc meas lucubrationes quantulascumque ingenio potius, studio aut labori meo, cui tamen per Dei gratiam nunquam defui, quam divinæ beneficentiæ et liberalitati, immeritæque opi et illustrationi tribuam. Quam sæpe pelagus hoc exhorruï, portum desperavi, viribus meis diffisus sum, dixi: Quis introibit in potentias Domini? quis scrutabitur secreta Altissimi, ut cognoscat sensum Domini? quis aperiet librum signatum, scriptumque intus et foris? Non ego, quia omnia in me pusilla novi, et tu, Domine, melius nosti, qui me penitus in veritate cognoscis; et tamen

tacere non licet, quia loqui me jubes. Da quod jubes, tu qui linguas infantium facis disertas, et jube quod vis. Minor sum cunctis miserationibus et veritate tua, quam explevisti servo tuo. Tibi gloria, nobis autem confusio et gratiarum actio. In baculo meo transivi, non Jordanem, sed Oceanum, et ecce cum duabus, imo tribus turmis codicum utriusque Testamenti regredior. Tu solus nosti, et direxisti viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia. Da mihi ergo sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret. Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis? Confirma, et perface, Domine, quod operatus es in nobis, ut Prophetarum arcana nobis patefacias, qui solus habes clavem David, claudis et nemo aperit, aperis et nemo claudit: ut coronidem hanc triplicis coronæ sacris tuis libris imponam, atque eam tibi, o sacratissima Trinitas, offeram, ad tuam gloriam, meam consolationem, et eorum quos tibi per hæc mea scripta docere placuerit, instructionem et fructum. Da ergo tantum te diligere, quantum cognoscere, utque alii per nos te cognoscant et diligant. Da insuper, ut, quando tibi visum fuerit e misera hac peregrinatione dimittere servum tuum in pace, videant oculi mei salutare tuum, a videntibus hisce nostris prævisum et prænuntiatum, quod ipsi jam coram vident, eoque fruuntur facie ad faciem: utque sim minimus eorum, qui cum ad justitiam erudierint multos, jam fulgent quasi stellæ in perpetuas æternitates: atque cum Daniele, Isaia, Jeremia et Ezechiele, ante thronum tuum consistens, cum illorum coronis coronidem hanc etiam offerens (tua enim est, non mea) æternis hymnis concinam tibi sedenti in throno, et Agno: « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. »

CANONES

QUI FACEM PRÆFERUNT PROPHEtis.

CANON I. Prophetæ aliquando per voces, aliquando per visiones oculis, aut potius imaginationi objectas, quasi per symbola erudiebantur de rebus futuris. Sic Daniel, cap. vii, 3, vidit quatuor animalia portendentia quatuor Monarchias.

Ezechiel, cap. i, vidit currum Cherubim, portendentem Dei magnificentiam, magnamque victoriam et vindictam, tum de Judæis aliisque gentibus per Chaldæos, tum de peccato et dæmone per Christum. Visiones omnes propheticas colle-

git et explicuit uno tomo nuper noster Antonius Fernandus. Sæpius tamen et passim prophetia et lumen propheticum erat revelatio, et vox sive locutio divina, imaginationi et menti Prophetæ a Deo objecta et immissa. Unde sæpius vocatur « verbum » quam « visio : » ubi tamen hunc canonem accipe et observa :

Cum de Dei locutione agunt Prophetæ, sæpe quæ rerum sunt verbis, et quæ verborum sunt rebus tribuunt, ut dicant se vidisse verbum, visionem audivisse, imo idem verbum vel visionem nunc se vidisse, nunc audisse asserant, ut patet *Isaiæ* I, vers. 1, et cap. II, vers. 1, cum tamen sola visio videatur, solum verbum audiatur.

Ratio phrasis hujus est, quia Deus loquebatur Prophetis non lingua, nec voce, ut homines; sed rebus et factis, per species rerum aut vocum, quæ rerum erant significativæ, imaginationi aut menti eorum objectas: quare verba Dei sunt non tam ipsæ voces, quam ipsa facta et res gestæ. Rebus autem et gestis quando geruntur, magis proprium est videri quam audiri. Deum ergo sic loquentem audiebant Prophetæ, quasi res ipsas coram se geri cernerent. Simili modo S. Joannes in Evangelio sæpe ait, Filium videre et audire omnia a Patre: quia in simplicissima deitate, idem est videre et audire. « Deus, inquit Cicero in *Sonn. Scipion.*, est qui videt, qui sentit, qui meminit, qui regit et moderatur. » Idem suo modo participat mens humana in Christo, æque ac in nobis, dum revelationem accipit. Sicut enim mens Dei eminenter continet visum, auditum, omnemque sensum, mens humana non ita eminenter continet visum, auditum, omnemque sensum.

puta res a Deo revelata, modo vocetur « verbum, » modo « visio. » Ita S. Basilius in *Isaiæ* cap. I, vers. 1, qua de re plura ibidem dicam. *Secundo*, prophetiæ vocantur « verbum : » quia passim non visiones, sed verba Dei loquentis audiebant Prophetæ; et quia auditus, cujus est percipere verbum magistri, est sensus disciplinæ, ut ait Aristoteles. Eadem vocantur « visio : » quia videre, et visus, cum omnium sensuum sit nobilissimus et certissimus, capitur sæpe pro auditu, gustu, tactu, omnique sensu et sensatione, ut ostendi *Exod.* xx, 18, ut idem sit videre, quod certo percipere et cognoscere, sive videndo, sive audiendo. Ita S. Joannes in *Apocalypsi*, cap. v et deinceps, ait se vidisse librum signatum septem sigillis, eoque ab Agno reserato, narrat, cap. 12 et sequent., se vidisse, non autem audisse et legisse visiones in libro hoc descriptas: quia scilicet apud Prophetas idem sunt visio, lectio, auditio, tantumque significant revelationem, et cognitionem spiritalem mentis, uti ibidem docuit.

CANON II. Prophetæ habebant spiritum propheticum, non quasi habitum permanentem, sed per modum cujusdam divinæ motionis, afflatus et illuminationis brevi transeuntis, ac per intervalla eos corripientis et illuminantis. Quocirca S. Chrysostomus in *Evangelium S. Marci* hom. 3, quærit, cur toties dicant et repetant Prophetæ « hæc dicit Dominus, » ac respondet: Quia, inquit, Sanctus Spiritus, qui ab eis antea recesserat, tunc ad eos redibat. De solo enim Christo dicitur: « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem. » In Prophetis ergo verum est illud S. Augustini: « Mentium rex Deus est. » Hinc prophetiæ eorum, licet consequenter in eodem libro scribantur, tamen diverso tempore sunt factæ et dictæ, imo sub diversis regibus, ut patet ex *Isaiæ*, cap. I, vers. 1. Ita S. Hieronymus ibidem. Hinc rursum mirum non est eos idem iterum et sæpius repetere et inculcare; hoc enim boni concionatores, suggerente Spiritu Sancto, facere solent. Hinc tertio, statim eodem capite ad aliam prophetiam et materiam non raro transeunt. Hinc quarto, posteriores Prophetæ subinde priorum verba repetunt et confirmant. Sic Michæas, cap. IV, vers. 1, dictum *Isaiæ*, cap. II, vers. 2. Sic onera Babylonis, Ægypti, Moab, Ammon, Idumææ, Tyri, etc., quæ *Isaias*, cap. XIII et sequent. assignat, Jeremias iterat et confirmat in cap. XLVI et sequentibus.

Deus est
rex men-
tium.

CANON III. In Prophetis, et præsertim in Jeremia et Ezechiele (ut patebit in Chronotaxi, quam eis præfigam), sæpe non servatur ordo regum et temporum; sed proponitur prophetia quæ posterius contigit, et e contrario. Rationem assignat S. Hieronymus in cap. xxv *Jeremiæ* sub initium: « Non enim, ait, Prophetis cura erat tempora conservare, quæ historiæ leges desiderant, sed scribere utcumque audientibus atque lectoris utile norant. Unde et in Psalterio male quidam juxta textum historiæ psalmodiarum requirunt ordinem, qui in Hebræo carmine non observatur. » Adde videri prophetias aliquas diverso tempore dictas, et diversis schedis a Prophetis conscriptas, postea ab aliquo alio in ordinem quem jam habemus, esse compilatas et digestas, ordinis tamen neglectu: ita in Jeremia fecisse videtur Baruch. Atque inde videntur emanasse illa ultima fragmenta Danielis, puta historiæ Suzannæ, cap. XIII, et Belis ac draconis, cap. XIV. Sic Proverbia Salomonis non ab ipso, sed ab ejus viris esse digesta, patet *Proverb.* xxv.

Ubi nota Prophetas ordinarie suas revelationes quas a Deo accipiebant, primo viva voce instar præconum, vel concionatorum populo enuntiasse et promulgasse. Unde toties dicit eis Deus: « Dic populo huic: Dices ad eos, » etc. Rursum: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, » *Isaiæ* LVIII, 1. Deinde post concionem, hanc eandem, aut ejus summam conscribebant, atque, ut censent nonnulli, scriptam valvis templi affigebant, ut omni-

Propheta nunc vocatur verbum, nunc visio, cur?

Mens eminenter continet visum, omnemque sensum.

Videte est certo cognoscere.

bus etiam iis qui eam non audierant, pateret; utque iis qui audierant, ejus memoriam refricarent, et ad ei obtemperandum exstimularent. Quæ cum per aliquot dies satis patuisset, auferebatur a ministris templi, atque reponeretur in exedris templi, ut perpetuum ejus monumentum exstaret. Hinc confectos esse libros Prophetarum verisimile est. Id innuit Habacuc in cap. II, vers. 2, dicens: « Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. » Et Isaias, cap. VIII, vers. 16, dicens: « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. » Singulari autem Dei providentia effectum est, ut sacerdotum opera, quorum officium erat hæc scripta conservare, et ad posteros transmittere, hæc ad nos pervenerint. Erant enim ipsi sæpe Prophetis infensissimi, eo quod a Prophetis eorum scelera detegerentur, et acriter perstringerentur. Deus ergo ad hoc præstandum eos impulit et direxit. Esto enim Prophetæ domi quoque eadem scripta conservarent, tamen pontifices ea eripere illis et abolere potuissent. Adhæc illa apud posteros auctoritate sua caruissent, nisi pontificum et Synagogæ testimonio et calculo communita fuissent; perinde ut jam libri hagiographi Ecclesiæ testimonio indigent. Unde enim sciremus hæc esse ipsissima oracula Isaiæ, nisi id Synagoga nobis tradidisset?

CANON IV. Prophetæ quia amplum habebant lumen, ad plures, et plura diversis temporibus futura sua oracula extendunt: cupiunt enim pluribus prodesse: qua de causa et sua oracula, quæ prius quasi concionantes voce pronuntiaverunt, postea vel per se, vel per alios conscripserunt, ut omnibus sæculis concionentur et vaticinentur. Quocirca Isaias, Jeremias, et alii, cum Judæos sui ævi arguunt, arguunt etiam Judæos postea futuros, præsertim tempore Christi avos suos imitantes, ut patet *Isaiæ* I, 7. Hinc cum eis comminantur captivitatem Babylonicam, sub ea posteris eorum comminantur similem captivitatem Romanorum per Titum et Vespasianum: similis enim fuit utraque captivitas, tum quia eidem genti, tum quia ob similia peccata, tum quia simili modo, crudelitate et vastitate inflictæ est. Rursum in excidio urbis Jerusalem dant speciem et typum excidii orbis in fine mundi: unde Christus, *Matth.* XXIV, sub illo hoc depingit, et ab illo ad hoc transit vers. 29. Simili modo transeunt a captivitate Assyriaca decem tribuum, ad captivitatem Babylonicam duarum tribuum, Judæ scilicet et Benjamin, atque hæc omnia faciunt citissime, saliendo a priore ad posteriorem, et statim ad priorem resiliendo: subinde vero id faciunt post longam orationem, et quasi parenthesis. Denique Prophetæ sæpe transeunt ab historia et concione ad Christum; eum enim habent pro scopo: et a Christo rursus redeunt ad historiam et res sui temporis. Porro id faciunt tribus de causis. *Prima* est, ut videatur esse prophetia, non ordi-

nata narratio aut historia: unde in ea quasi in cyclade variegata et auro intertexta præcidunt sæpe historiæ filum, ut Christum historiæ attexant et intertexant. Ita S. Hieronymus in *Osee* cap. I. *Secunda* est, quia Prophetæ elevati lumine prophetico et divino, omnia (quæ nobis remota et longe dissita videntur) sub se quasi exilia, coram et conjuncta intuebantur, uti revera sunt si cum æternitate Dei (in qua hæc videbant Prophetæ) conferantur. Quomodo S. Benedictus, in Deum elevatus, vidit totum mundum collectum quasi in parvo globo, uti narrat S. Gregorius, II *Dialog.* cap. xxxv. *Tertia*, quia, ut ait S. Chrysostomus, mos Prophetarum est diversorum temporum conjungere prophetias, ut ex eo quod ipsimet audientes, vel eorum successores viderent implementum, etiam crederent quod in posterius tempus differtur, v. g. de Christo et Ecclesia fore implementum. Tradit hunc canonem S. Hieronymus sub initium *Commentar.* in cap. II *Nahum*: « Hinc, ait, vel maxime obscuri sunt Prophetæ, quia repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur; » et in cap. I. *Malachiæ* canonem hunc figit: « Prophetæ futurorum texunt vaticinium, ut præsens tempus non deserant: nam utriusque miscent sermonem, et ex occasione hujus felicitatem Christi prædicunt. » Vide *Driedonem*, lib. III *De Dogmat. Eccles.* cap. v, tract. 2. Crebræ ergo, ait S. Cyrillus in cap. XVI *Isaiæ*, vers. 3 et 4, apud Prophetas sunt metabases, sive transgressiones, idque ad velanda prophetiæ sacramenta.

Ubi tamen advertit Prophetas has metabases facere non importune, nec ex abrupto, sed commode, congrua occasione, lenique et molli transitione, præsertim cum historia fuit typus Christi aut Ecclesiæ. Sic Isaias, cap. VII, a liberatione Judæorum et Achaz de manu Rasin regis Syriæ, et Phæcee regis Samariæ, subito transit ad partum Virginis, et Emmanuelis ortum, ac liberationem hominum e potestate diaboli per Christum, cujus illa erat typus. Sic sæpe vastitatem urbis (quasi allegoriam litteræ) miscent cum excidio orbis, et die judicii, cujus illa fuit speculum et præludium. Ita S. Hieronymus in *Osee* cap. I.

Hinc rursus, cum aliqua umbra sese ostendit Messiæ, aut aliquid quod ipsius memoriam excitare possit, excitatur Propheta, et affectu magno in eum rapitur, ac in figura illa latentem explicat, salutatur, et omnibus agnoscendum proponit. Deinde, quasi de stupore et exstasi se ipsum recipit, ac ad institutam narrationem sese refert. Itaque data occasione, repente quasi per suspirium Propheta avolat ad Christum, quasi ad scopum, amorem et delicias suas, moxque redit ad historiam, vel materiam ceptam. Exempla sunt *Isaiæ* XVI, 1, ubi, cum prædiceret excidium Moab per Chaldæos, prævidens Christum ex Moab per Ruth Moabitidem nasciturum, subito ad eum avolat, dicens: « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ

Secunda.

Tertia.

Christus est Prophetarum scopus et suspirium.

Prophetæ saliant ad aliud, causæ?

Causa prima

Sion; » moxque post hoc suum suspirium, quasi per parentheses insertum, redit ad vaticinandam cladem Moab. Sic Isaias, cap. XLV, vaticinans de Cyro liberatore Hebræorum ex Babylone, prævidens Cyrum fore typum Christi redemptoris mundi, mox ad eum abripitur, aitque vers. 9: « Rotate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum; aperiat terra, et germinet Salvatorem. » Deinde statim ad Cyrum et Judæos redit. Sic Jacob benedicens filio Dan, prævidensque ex eo nasciturum Antichristum, suspirat ad Christum ejus debellatorem, dicens: « Salutare tuum exspectabo, Domine, » *Genes. XLIX, 18*. Sic Zacharias, cap. XIII, vers. 7, cum tenuis umbra Christi pastoris præcessisset, ad Christum avolat dicens: « Framea, suscitare super pastorem meum, etc. Percute pastorem, et dispergentur oves. » Ita solent amantes visa imagine, aut re quæ amati memoriam eis refricat, mox de eo cogitare, loqui, ad eum anhelare. Hæc enim est natura amoris.

CANON V. Dubium sæpe est an Prophetæ loquantur de typo, an de antitypo: hoc est, an de historia, an de allegoria per historiam significata. Ut hoc secernas, duplicem hunc canonem observa. Prior est, cum Prophetæ aliquid enuntiant aut prædicunt de Sione, de Judæis, de Jerusalem, de Cyro, de Zorobabele, etc.; si verba nihil habeant sanæ doctrinæ fidei aut morum contrarium, sique omnia recte cum præcedentibus et sequentibus cohæreant; tunc ipsa proprie de illis ipsis sicut sonant accipienda sunt, hicque est sensus litteralis. Ita S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christiana*, cap. x et xi, et S. Hieronymus Prologo in *Isaiam*, et commentans passim in *Isaiam*: ubi ipse primo sensum litteralem de Sione et Judæis, deinde mysticum de Christo et Ecclesia, aut tropologicum ad morum conformationem tradit et prosequitur. Sin autem promissiones, aut ea quæ dicuntur a Prophetis, majora sint quam ut possint convenire Jerusalem, Judæis, Cyro, etc., tunc certum est eos ad litteram de iis non loqui, sed ad eorum antitypa avolare, v. g. Si loquantur de Jerusalem, non terrenam, sed spiritalem intelligunt, id est, Ecclesiam, quam terrena figurabat. Ita S. Hieronymus in cap. xxx *Isaiæ*.

Posterior est, Prophetæ subinde in sensu litterali simul complectuntur et rem quam verba proprie significant, et simul allegoriam quam res illa repræsentat: tuncque duplex est sensus litteralis, prior quasi historicus, posterior quasi propheticus. Sic ingeniosi adolescentes sæpe ludunt et rident socios, dicendo, v. g.: Tu es Plato, id est, Philosophus, et simul planis magnisque pedibus; inde enim vocatus est Plato. Tu es longis naribus, id est, tu habes longas nares, et simul es curiosus ac sagax; tu es bene nasatus æque ac nasutus. Ita ludit Cicero, act. III in *Verrem*: « Homines, inquit, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse, verrinum. » Nam Verres et hominem et suam significat; ac jus, tam civile est

quam suillum. Rursum act. VI: « Siculi, inquit, Sacerdotem exsecrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset. » Nam C. Sacerdos prætor, Sicilia abiens, successorem reliquerat Verrem: et sacerdos, id est, mactator, reliquit verrem, id est, suam victimam, quam non mactavit. Rursum: « Nam ut Verres, ait, prætor factus est, qui cum auspiciato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanæ provinciæ. » Ludit in voce « Chelidon: » nam ita vocabatur meretrix Verri, quæ in prætura ipsius omnia transigebat: et ex Chelidonis, id est, hirundinis, volatu et garritu novi prætores captabant auguria et auspicia sui officii.

Quidni ergo Spiritus Sanctus uno conceptu et oratione complecti possit signum et signatum, typum et antitypum? Sic II *Reg. VII, 12*, loquitur Deus de Salomone, eique multa bona promittit: sed quædam attexit quæ ei non nisi per hyperbolem, Christo autem, qui verus est Salomon, proprie et adæquate ad litteram conveniunt. Sic *Isaiæ XIV*, describitur casus Baltasaris ultimi regis Chaldæorum, per schema casus Luciferi. Fuit enim ipse quasi alter Lucifer. Sic *Ezech. XXVIII, 14*, describitur rex Tyri quasi alter Cherub. Ubi multa sunt quæ proprie non nisi Baltasari et regi Tyri conveniant; quædam tamen intexuntur quæ magis typo, id est, Lucifero et Cherubim, conveniant; ut quod dicitur: « Dicebas: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, etc., similis ero Altissimo. » Quocirca hic aliis similibus locis est quasi parabola, in qua duplex est sensus litteralis: primus ipsius parabolæ, secundus rei per parabolam significatæ: ubi quædam parabolæ proprie, quædam hyperbolice vel figurate tantum conveniunt: hæc vero ipsa proprie competunt rei per parabolam significatæ: uti ex adverso illa quæ proprie parabolæ conveniunt, subinde non nisi figurate rei per eam significatæ competunt.

Rursum, Prophetæ aliquando assurgentes sensim a typo ad antitypum (v. g. a Cyro ad Christum, a Sione ad Ecclesiam), initio utrumque sensu litterali complectuntur. Mox pergentes hærent litteraliter in suo ascensu, puta in antitypo, alludentes tantum ad typum, demum ad typum redeunt. Quocirca difficile est judicare an unum litteraliter intendat, et ad alterum tantum alludent; an vero utrumque litteraliter significare velint. Quare hoc solerter ex scopo, ex phrasi, ex rei quæ dicitur majestate, ex argumento, et ex aliis circumstantiis investigandum est et secernendum. Unde Franciscus Forerius in *Isaiæ XLV, 8*: « Quotiescumque, inquit, Prophetæ inserunt historiæ rerum gestarum aut gerendarum, verba talia, quæ aptius rei figuratæ quam historiæ conveniunt: toties eam interpretandi rationem tanquam a Spiritu Sancto amplectendam putato, quæ simul cum historia mysterium enarrat. » Ita nimirum, ut aliquando utrumque sensu litterali signi-

Parabolæ duplicem habent sensum.

Prophetæ litteraliter subinde complectuntur typum et antitypum.

ficare intendant, uti dixi; aliquando vero unum tantum significant, ad alterum tantum alludant, aut illud obiter tantum quasi typum vel umbram perstringant; quod maxime fit, cum increvit oratio, jamque quasi in sui culmine versatur. Tunc enim figura vel parabola seposita, aut potius præsupposita, toti feruntur in rem figuratam, eamque graphice et magnifice depingunt. Res hæc, *Isaiæ XIV, Ezechiel. XXVIII*, et aliis exemplis in ipso decursu evadet clarissima.

CANON VI. Quidquid repromissionum talium majorum, Sion vel Jerusalem factarum, legimus, non generaliter ad omnes Judæos, sed ad eos tantum, qui in Apostolos electi sunt ex Israel, et Christo crediderunt, referre, deque iis specialiter intelligere debemus. Ita S. Hieronymus in cap. LIX *Isaiæ*, in fine. Ubi nota Prophetas de Sion et Jerusalem proprie dicta, id est urbe Judaica, et mystica, id est Ecclesia, quasi de una eademque loqui, et ab illa ad hanc assurgere; ut *Isaiæ II, 3*, et cap. LX, vers. 1, et cap. LXII, vers. 1, et alibi sæpe; tum quia una eademque est Ecclesia vetus Judæorum, et nova Christianorum; tum quia nova cœpit in Jerusalem, et veteri labenti ibidem surrogata est, tum denique quia Jerusalem prius Judaica, postea per prædicationem Apostolorum Christiana facta est. Sic enim eadem est Roma olim Gentilis, nunc Christiana. Sic eadem vocantur Gentes olim idololatræ, nunc fideles.

CANON VII. Prophetæ per Sion et Jerusalem, nunc Judæos in Judaismo manentes, et Christo incredulos; nunc vero Judæos ad Christum conversos intelligunt; et statim ab his ad illos trans-eunt, et e contrario; hoc enim patitur, imo exigit raptus propheticus. Exemplum est *Isaiæ* cap. LI, vers. 17 et 21. Sic S. Joannes in Evangelio per Judæos, nunc solos principes, Scribas et Phariseos, Christi æmulos; nunc solum populum, et turbam Christi sequacem intelligit; ideoque Judæos nunc Christo adversos, nunc faventes inducit; nunc eos increpat, nunc laudat, ut patet cap. VII, vers. 11 et 13, cap. VIII, vers. 31, cap. IX, vers. 13 et alibi.

CANON VIII. Solent Prophetæ felicitatem bonorum spiritualium, et gratiam Evangelii Christi comparare cum ubertate terrena legis veteris et priorum temporum, illamque per hanc significare, ut dicant Deum per Christum daturum abundantiam olei et vini, et copiam pecorum ac pascuorum, aurum et argentum, domos et palatia; per quæ non hæc ipsa materialia, sed spiritualia bona et charismata intelligunt, idque faciunt, tum quia illa horum erant typus, tum quia Judæi quibus loquebantur Prophetæ, fere alia bona non norant, nec æstimabant. Id patet *Joel. II, 23, Isaiæ XXXV, 1* et sequent., *Jerem. XXXI, 38* et alibi.

CANON IX. Hæ prophetiæ et promissiones incipiunt impleri in Ecclesia præsentī, sed perfecte implebuntur in Ecclesia cœlesti. Rursum pertinent tantum ad genuinos Ecclesiæ filios, qui ex ejus fide et legibus sancte vivunt, non autem ad

degeneres, puta ad impios, inobedientes et sceeleratos, qui fidem sanctam improbis moribus decorant et corrumpunt. Sic *Isaias*, cap. II, vers. 4, ait quod fideles, tempore Christi, conflabunt gladios in vomeres, nec exercebuntur ultra ad prælium. Idem dicit cap. XI, 6. Quod clarum est ad bonos tantum sanctosque Christianos pertinere; nam inter superbos et impios videmus esse jurgia et bella, eosque quasi lupos et pardos grassari in innocentes et pauperes. Simili modo prophetiæ de Judæorum conversione ad Christum cœperunt impleri tempore Christi et Apostolorum, atque quotidie pergunt impleri; sed perfecte implebuntur in fine sæculi, cum omnis Israel salvus fiet, *Rom. XI, 26*.

CANON X. Prophetæ de œconomia Christi, et de salute parta per Christum, quasi de acri certamine loquuntur; unde inducunt Christum quasi militem armatum, pugnantem, vincentem et triumphantem, dicuntque eum orbem calcasse, hostes necasse, etc., tum quia typus Christi fuit David bellator et victor; tum quia Judæi talem Messiam expectabant, qui bello eos vindicaret, et ab hostibus liberet; tum denique quia Christus acre gessit bellum, imo duellum contra hostes suos et nostros. Hisce ergo phrasibus significant, primo, Christum conflixisse cum diabolo et peccato, eosque vel fugasse vel interemisse. Secundo, quod infideles, impios et reprobos hostes suos, tum in hac vita, tum maxime in die judicii profligabit, punietque morte æterna, ut patet *Isaiæ LXIII, 3*, uti ibi explicat S. Hieronymus. Tertio, quod Christus, cum impias gentes suæ fidei subiget, in eis impietatem et vitia necabit, de quo plura *Can. XLVI*.

CANON XI. Per familiaria nomina gentium barbararum, quæ populo Dei, id est Judæis, erant vicinæ et hostiles, puta per Philistinos, Arabes, Ægyptios, Moab, Ammon, Idumæos, significant synecdochice omnes gentes impias subigendas a Christo, totumque mundum ad eum fore convertendum. Ita S. Hieronymus in cap. LX *Isaiæ*. Sic et alibi et una persona aut gente, omnes alias similes intelligunt. Ita S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christ.*, cap. VII, in fine.

CANON XII. Solent Prophetæ auditores suos primo terrere, deinde quos terruerunt consolari, in spem erigere, et ad pœnitentiam excitare: et e contrario desides et obduratos minis percellere. Hoc enim est munus boni concionatoris. « Moris est S. Scripturarum, ait S. Hieronymus, lib. VI *in Isaiam* in fine, ut postquam desperationem mentis humanæ læto animo sublevaverint, rursus negligentes et nolentes agere pœnitentiam, comminatione deterreant, ne bonitas Dei induret cor nostrum. » Adhæc, solent adversis læta subjungere, ut cum imminetia supplicia populo prædixerint, continuo Deum quasi placatum ostendant, quin et beneficia promittant Dei, quasi certantis et ulciscētis malefacta suis beneficiis, quibus afflictos præteritis suppliciis consolatur. Cor

Christus
ut duellator
inducitur,
cur?

Prophetæ
loquuntur
de
Sione
terrena
et spiri-
tali. qua-
si de una
et eadem,
cur?

Cor in
medio
spei et
metus li-
brant
P.rophe-
ta.

enim humanum ita in medio spei et timoris li-
brandum est, ut nec nimia lætitia infletur, nec
nimio metu aut tristitia absorbeatur, et desperet.
Porro hæc beneficia fere non temporaria sunt,
nec tunc accipienda; sed spiritualia, et tempore
Evangelii implenda: hoc enim intelligunt cum
dicunt; « In tempore illo, in diebus illis. » Unum
enim idemque erat illis omne tempus futurum,
idque eis modicum videbatur et exiguum respec-
tu luminis prophetici, quo intuebatur immensam
Dei præscientiam et æternitatem. Nam, ut ait Psal-
tes: « Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies
hesterna quæ præterit. » Exempla sunt *Jerem. xxxi*,
Daniel. ix, *Osee xiii*.

CANON XIII. Hebræi sæpe commutant tempora,
ut præteritum capiant pro futuro aut præsentem;
rursum futurum pro præterito, ut cum narrant
rem factam. Id patet *Habac. cap. iii*, vers. 7, 9, 11.
Prophetis autem peculiare est, ut præteritis utan-
tur pro futuris, ac res futuras quasi jam factas
prædicant et narrent, idque ob prophetiæ certitudi-
nem, scilicet ut significant eas ita certo futuras,
ac si jam factæ essent. Porro hæc enallage tem-
porum maxime locum habet, quando simile tem-
pus præcessit, v. g. quando præteritum antecessit,
et sequuntur futura cum copula « et: » hæc enim
copula, cum tempora copulet, significat in eodem
tempore præterito, futura esse exponenda, et con-
nectenda. Vice versa si futurum antecessit, et se-
quantur præterita cum copula « et, » illa per fu-
turum exponenda sunt. Eadem est ratio, si præ-
sens antecessit, et sequuntur futura vel præterita:
tunc enim illa per præsens verti debent. Vide
Pagninum, lib. III *Instit. cap. xii*. Exempla pas-
sim sunt obvia. Vide *Psalm. cvi* et *cvi*, ubi sæ-
pissime futurum quod est in Hebræo, Noster vertit
per præteritum, quia præteritum antecessit, ut
Psalm. cv, 12: « Et laudaverunt; » vers. 17:
« Aperta est terra; » vers. 18: « Combussit; »
vers. 19: « Fecerunt vitulum. » Et *Psalm. cvi*,
vers. 6: « Eripuit eos; » vers. 13: « Liberavit; »
vers. 14: « Eduxit eos; » vers. 18 « Abominata
est. » Sic et vers. 19, 20, 27, 28, 29, 30, 33, 35,
quibus omnibus locis in Hebræo sunt futura.

Rursum usitatum est in Scripturis, ut unum
tempus, quodcumque illud sit, pro omnium tem-
porum differentia usurpetur, quando significatur
rei perduratio et permanentia, ut *Psalm. i*, 4:
« Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,
et in via peccatorum non stetit. Non abiit, » id
est non abit, nec abiit, nec abibit: « non stetit, »
id est non stat, non stetit, non stabit. Sic *Joan. i*,
4: « In principio erat Verbum; erat, » Æd est
semper erat, ab æterno erat. Peculiare autem est
Hebræis, ut per futurum significant rei naturam,
morem, consuetudinem, perduratum, ut *Eccles.*
cap. viii, vers. 17: « Quanto plus laboraverit, »
hebraice *laborabit*, id est laborare solet. *Isaiæ vi*, 2:
« Duabus volabant, » hebraice *volabunt*, id est
volare solebant. Sic explicamus difficilem locum

Isaiæ xxiv, 22, ubi de damnandis dicit: « Et post
multos dies visitabuntur; » ò enim « visitabun-
tur, » non significat liberationem et consolatio-
nem, uti voluit Origenes, sed continuationem pu-
nitionis, et perduratum in supplicio. Sensus
enim est, q. d. Quantamcumque durationem ani-
mo concipias post diem iudicii evolvendam, vel
evolutam, adhuc manebit eorum visitatio, id est
punitio et supplicium.

CANON XIV. Prophetæ sæpe mutant personas
quasi per dialogismum. Jam enim se, jam Deum,
jam populum, jam hostes inducunt loquentes,
nec tamen personas hæc expriment. Hinc magna
obscuritas oritur, quæ ex adjunctis solvenda est,
ut quidque suis locis, causis, temporibus et per-
sonis reddatur. Ita Jeremias ad pathos moven-
dum, jam Deum, jam populum, mox Chaldæos
alloquitur: atque jam in sua, jam in Dei, jam in
populi, jam in Chaldæorum persona loquendo
terret, agitaturque populum ad pœnitentiam: sicut
boni concionatores nunc ad Deum, nunc ad ani-
mam, nunc ad Sanctos, nunc ad Christum cruci-
fixum faciunt apostrophes, seque in omnes partes
vertunt, versantque populum, ut eum commo-
veant et compungant. Ita Hieronymus in *Jeremiæ*
cap. viii, et S. Chrysostomus in *Psalm. cxxxvi*,
tom. I.

CANON XV. Mimesis, id est imitatio verborum
quæ ab alio dicuntur, tacito nomine dicentis, fre-
quens est in Scriptura. Sic enim Prophetæ sæpe
loquuntur in persona impiorum, eorumque ver-
ba usurpant. Ita *Isaias*, cap. xxviii, vers. 13, usur-
pat verba Judæorum subsannantium et irriden-
tium Prophetas, ac dicentium: « Manda, reman-
da, exspecta, reexpecta, modicum ibi, modicum
ibi. » Ita *Jeremias*, cap. viii, vers. 14, usurpat
verba Judæorum ab hoste afflictorum et vastato-
rum, ac dicentium: « Quare sedemus? convenite,
et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus
ibi: quia Dominus silere nos fecit, et potum dedit
nobis aquam fellis. » Sic *Psalm. ii*, 3, usur-
pat verba regum obluentium Deo et Christo, ac
dicentium: « Dirumpamus vincula eorum, et pro-
jiciamus a nobis jugum ipsorum. » Sic S. Paulus,
I Corinth. xv, 32, ex *Isaiæ* cap. xxii, 13, usurpat
verba Epicureorum: « Manducemus, et bibamus,
cras enim moriemur. » Sic *Jeremias*, cap. x, 11,
imitatur verba chaldaizantium, loquiturque chal-
daice: *Elahaiæ discemaia vearka la abadu, ie-
badu meara umin techot scemaia*, id est « Dii, qui
cælos et terram non fecerunt, pereant de terra,
et de his quæ sub cælo sunt. » Simili modo per
mimesin sancta Scriptura alludit, et citat subinde
fabulas Gentilium, uti dicam in fine *Can. lvi*.
Rursum ad opiniones vulgo creditas, licet fabu-
losas, quales sunt de viribus hyacinthi, sapphiri,
carbunculi, etc., fugandi melancholiam, morbos,
dæmones, etc., uti ostendi *Apoc. xxi*, 19. Non
enim asserit Scriptura has opiniones esse veras
de gemmis in se, sed esse veras in Apostolis, qui

ibidem sigillatim per gemmas hasce designantur, uti recte ibidem annotavit noster Alcazar.

Enallage multi-plex Pro-phetarum. CANON XVI. Prophetæ utuntur multiplici enallage. *Primo*, personæ, ut licet de eadem loquantur, tamen a secunda in tertiam, et vicissim a tertia in secundam transeant, imo de se ipsis loquantur in tertia persona.

Secundo, numeri, ut a singulari transeant in pluralem, et e contrario, præsertim cum agunt de populo, vel cœtu hominum: hic enim collective qua populus, est singularis; distributive vero qua multos complectitur, est pluralis. Quocirca tunc singulare nomen aut verbum accipitur collective, et significat *quisque*.

Tertio, generis et suppositi, ut de eadem re loquentes, nunc masculino genere utantur, subaudientes v. g. populum; nunc feminino, subaudientes vineam vel Synagogam: ita enim sæpe populum appellant. Exemplum clarum est *Isaiæ* cap. xxvii, vers. 3, 5, 6. Rursum viris, qui non viriles, sed molles sunt, aut timidi, aut concupiscentes, tribuunt genus femininum, eosque vocant feminas. Sic ait *Isaias*, cap. iii, vers. 12: « Et mulieres » (id est mulierosi principes, et « effeminati, » ut dixit vers. 3), dominatæ sunt eis. » Simile est cap. li, vers. 12, et *II Reg. xiii, 37*, in Hebræo. Sic Poeta dixit:

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Quarto, nominis et verbi: nomen enim verbale sæpe sumunt pro verbo, adeoque ipsum construunt cum casu verbi, ut *Osee* vers. 13, cap. i, in Hebræo, « secundum dilectionem Dei filios Israel, » id est sicut dilexit Deus filios Israel. Simili enallage et Hebraismo utitur subinde S. Paulus, ut *Rom. ii, 7*: « Iis qui secundum patientiam boni operis, » id est iis qui patienter perseverant in bonis operibus; et mox: « Iis autem qui sunt ex contentione, » id est qui sunt contentiosi, qui contendunt et rixantur. Sic cap. viii, vers. 5, ait: « Qui secundum carnem sunt, » id est qui carnales sunt, qui carnaliter vivunt, « quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, » id est spirituales, qui Spiritus Sancti ductum sequuntur, et spiritaliter vivunt, « quæ sunt spiritus sentiunt. » Simili enallage utuntur et Græci.

Quinto, verbi pro adverbio, ut *Jerem. iv, 5*. Hebræa habent: « Clamate, implete, » id est clamate plene et fortiter, ut vertit Noster, omnia clamoribus implete. *Isaiæ xxxi, 6*: « Convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel; » hebraice est, *sicut profundastis*, vel profundum fecistis, hoc est, sicut longe et profunde recessistis ac descendistis. *Osee ix, 9*: « Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa. » Hebraice est: *Profundarunt, corrupti sunt sicut in diebus Gabaa*. *Jonæ iv, 9*: « Putasne bene irasceris tu? » Hebraice: *Putasne bene fecit, venit ira tibi?* Ubi *bene fecit* idem est quod bene.

CANON XVII. Hebræi sæpe subticent suppositum

verbi, illudque quasi notum ex circumstantiis splendendum lectori relinquunt. Sic *Amos v, 6*, ait: « Exstinguat Bethel, » id est ignem Bethel. Sic *Joan. xix, 14*: « Erat Parasceve Paschæ, » id est sabbati Paschæ vel hebdomadæ Paschæ. Sic *Isaiæ* cap. i, vers. 28: « Conteret, scilicet Deus, peccatores. »

CANON XVIII. Sacra Scriptura de provinciis et civitatibus loquitur, ac si viri, aut potius mulieres essent et filiæ, ob earum pulchritudinem et luxum. Hinc quando urbibus idololatriam exprobrat, vocat eas « meretrices. » Notum est enim Prophetas idololatriam vocare « fornicationem » vel « adulterium: » quia scilicet, per eam anima, vel urbs, relicto Deo sponso suo, adhæret idolo, quasi adultero. Alias urbes vocant « virgines, » idque *primo*, ob earum opes et decorem. *Secundo*, quod urbs quasi virgo domi studiose servata, nunquam hostium libidini, id est potentiae et armis, succubuerit, nec eorum gladio fuerit violata, excisa, aut in captivitatem ducta, sed suum quasi imperii et libertatis florem ac speciem illibatam servaverit. Sic enim mel virgineum vocamus, quod proxime ab apibus venit, nec ab humana manu subactum est, tinctum et fucatum: sic terra vocatur virgo, quæ vomere non est aperta, aut conscissa, ad semen accipiendum. *Tertio*, quod quasi virgo tenere et molliter a Deo, aut rege vel accolis fuerit habita, nutrita et custodita. Sicut enim mares filias suas virgines tenere amant, delicate tractant, et quidquid ad earum ornatum spectat, tota urbe et subinde toto orbe conquirunt: ita ad eas urbes quas Prophetæ vocant « virgines, » convehatur quidquid in aliis locis pulchrum erat, deliciosum et pretiosum. Ita Babylon vocatur « virgo, » *Isaiæ xlvii, 1*, quia orbis deliciæ, opes et merces eo confluebant; unde mox subdit: « Ultra non vocaberis mollis et tenera. » Sic sæpe Jerusalem et mystice Ecclesia vocatur « virgo filia Sion, » *q. d.* O Sion! o Jerusalem! o Ecclesia! tenere a Deo adamata, quasi virgo, quæ recens desponsata nobili juveni, eidem in amore et deliciis est.

Urbes vocantur virgines ob tres analogias.

CANON XIX. Prophetæ gaudent metaphoris et allegoriis, ac parabolicis phrasibus, idque tum ob obscuritatem, ut videatur esse stylus propheticus, non historialis; tum ad elegantiam. Hinc Gentes vocant lupos, serpentes, leones, dracones, eosque dicunt per Christum cicurandos et quasi vertendos in agnos. « Habitabit, ait *Isaias*, cap. xi, vers. 6, lupus cum agno: et pardus cum hæde accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur. » Ubi nomine leonis, lupi et pardi significat barbaras et efferas nationes, quæ ad Christum conversæ, deposita pristina sævitia et barbarie, sancto studio conspiraturæ erant in unitatem fidei cum simplici et humili populo Christiano: et hic est sensus ejus loci litteralis.

Ex adverso de animalibus, plantis et rebus inanibus subinde loquuntur ac si homines essent,

cum per prosopopœiam dant eis sermonem, sensum, lætitiã, dolorem, etc. Ut cum dicunt: « Exultet cœlum, jubilet terra, lætabitur deserta, et exultabit solitudo, » *Isaiæ xxxv, 1*. Sic idolis et simulacris lapideis dant animam: « Anima eorum in captivitatem ibit, » ait *Isaias, xlvi, 2*.

Simili tropo homines hominumque vitia aut virtutes comparant deserto arido, et campo vernanti et fœcundo arboribus, vineis, montibus, fluminibus, urbibus, incolis. Exemplum clarum est toto cap. *xxxv Isaiæ*.

CANON XX. Solet Scriptura ab una metaphora ad aliam transire, ac subinde redire ad priorem. Sic, *Osee ii* in fine, Synagoga vocatur mulier, deinde vinea. Sic *Isaiæ xxvii, 1*, diabolus vocatur « Leviathan, » id est balena, mox « vectis, » mox rursum « draco sive balena. » Sic, *Isaiæ xlv, 7*, Cyrus comparatur luci et soli; et mox cap. *xlvi, vers. 11*, avi et aquilæ. Solent etiam a metaphora ad rem ipsam divertere, indeque iterum ad eandem metaphoram redire. Sic *Joel ii*, de Chaldæis loquitur quasi de locustis, et nunc epitheta locustarum, nunc hominum usurpat. Hoc imitatur S. Joannes in *Apocalyp. ix, 7*, ubi innumerabilem exercitum barbarorum in fine mundi a dæmone immittendum in impios, ut eos per quinque menses cruciet, vocat locustas, eisque tribuit coronas similes auro, id est galeas micantes ut aurum; faciem hominum, capillos mulierum, dentes leonum, loricas ferreas, et sonitum curruum bellicorum.

CANON XXI. Nomen figuræ tribuitur rei figuratæ. Sic festa Christianorum vocantur « sabbata, » *Isaiæ lvi, 4*; eadem vocantur festum Tabernaculorum, *Zach. xiv, 16*, quia hæc festa Judaica fuerunt typus festorum Christianorum. Sic Christus vocatur « David, » ut *Ezech. xxxiv, 23*: « Suscitabo super eas pastorem unum, servum meum David, » id est Christum. *Osee iii, 5*: « Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, » id est Christum. Ita S. Augustinus, libro *De octo quæst. Dulciti, Quæst. V*. Sic Christus vocatur « Zorobabel, » *Aggæi ii, 24*, cujus ratio est duplex: *prior*, quia David et Zorobabel duces populi fuerunt typus Christi, ducis fidelium; *posterior*, quia ex iis prognatus est Christus: solet enim nomen parentis patronymice pro ejus filiis et posteris accipi, ut cum Israel, Jacob, Abraham capitur pro Israelitis, Jacobæis, et Abrahamæ posteris. Rursum nomen viri in aliqua re illustris, pro alio quovis in eadem re excellenti accipiunt. Sic Samson capitur pro forti, Daniel pro sapiente, Salomon pro potente et opulento, rex Assur pro quovis monarcha et tyranno, uti ostendam *Isaiæ viii, 4*. Ita apud profanos « Achilles » capitur pro bellicoso et robusto, « Cicero » pro eloquenti, « Cæsar » pro imperatore et monarcha. Sic Virgilius, *Æneid. lib. VI*, ait: « Alius Latio jam partus Achilles, » id est Turnus. Sic Juvenalis *Domitianum*, cujus uxor a Paride mimo fuerat cor-

rupta, vocat « Atridem, » et ipsam adulteram vocat « Clytemnestram quadrantariam, » id est diabolarem, quod quasi quadrante prostaret. Sic apud Plautum « homo trium litterarum, » est fur.

CANON XXII. Simili schemate nomina propria gentium pro moribus, vel morum similitudine et imitatione commutant, ut verum Israel vocat homines fideles et probos, infideles vero et impios vocant Chananæos, Amorrhæos, Sodomitas, Gomorrhæos. Sic *Isaias, i, 10*, loquens Judæis, ait: « Audite verbum Domini, principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. » Sic *Ezech., xvi, 45*, iisdem concionans: « Mater, ait, vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. » Sic et Daniel, senem Susannæ insidiantem compellans, cap. *xiii, 36*, ait: « Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum. » Sic S. Joannes, *Apoc. xviii, 2*, et S. Petrus, *Epist. I, cap. ult., vers. 13*, Romam vocant « Babylonem. » Sic mundus a Prophetis nunc vocatur « Ægyptus, » ob superstitionis tenebras; nunc « Edom, » ob feritatis et maledictionis similitudinem. Ita Eusebius, libro *VII Demonst. Evangelic. cap. iv*, et Tertullianus, lib. *III Contra Marc.*, ubi et subdit: « Neque enim novum est Creatori figurate uti translatione nominum ex comparatione criminum. » Sic quarundam gentium nomina in convitium transierunt, ut Lacones, Lesbii, Ambrones, Osci, Opici, Cillices, Sibaritæ, etc.

CANON XXIII. « In » præpositio generalis est, et pene sola frequens Hebræis: hanc enim semper fere in ore habent. Itaque « in » usurpant jam pro « per, » jam pro « cum, » jam pro « apud, » jam pro « propter, » jam pro aliis præpositionibus. Sic dicitur: « Factum est verbum in manu Isaiæ, Aggæi, Zachariæ Prophetæ, » id est per Isaiam, Aggæum, Zachariam Prophetam. Manus enim est organum organorum, ait Aristoteles: hinc sæpe causam instrumentalem significat. Prophetæ enim fuerunt organa et instrumenta Dei.

CANON XXIV. Hebræi sæpe omittunt notas similitudinis, « sic, sicut, veluti: » eæ ergo supplendæ sunt, ut patet *Isaiæ liv, 9*. Subinde etiam alterum tantum membrum similitudinis ponunt, alterum omittunt, ut patet *Osee xi, 2*. Sic sæpe omittunt litteras serviles, *beth, lamed*, et alias quæ significant conjunctiones, vel adverbia, « cum, tamen, etc. » Rursum unam cum alia commutant, ut « eo quod » sumunt pro « ita ut; » « propterea » pro « verumtamen, » ut patet *Jerem. cap. xxx, vers. 16*. Sic « quia » sæpe non causam, sed connexionem vel appositionem significat, idemque valet quod « at vero, verumtamen, » ut *Psal. xxxvi, 20*, cum dixisset de justis: « Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur; » opponens eis peccatores, subdit: « Quia (id est at vero) peccatores peribunt. » Idem, *Psal. xiii, 6*, cum dixisset de impiis: « Trepidaverunt timore, ubi non erat timor; » de piis

subdit : « Quoniam (id est at vero) Dominus in generatione justa est. » *Isaiæ* LXVI, 8, cum dixisset : « Numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul? » *q. d.* « Non; » subdit : « Quia (id est at vero) parturivit et peperit Sion filios suos. » Insuper « quid » et « quoniam » capiuntur subinde pro « quamvis, » ut *Psal.* XLIII, 20 : « Non recessit retro cor nostrum, etc., quoniam humiliasti (id est quamvis humiliaveris) nos in loco afflictionis; » et *Psal.* LXXVII, 20 : « Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ, etc., numquid et panem poterit dare? » id est quamvis Deus percusserit petram, ex eaque dederit aquas, num idcirco etiam panem dare poterit in deserto? Pari modo « ut » sæpe non causam, nec finem, sed eventum et consecutionem significat. Hinc toties in novo Testamento dicitur : « Ut (id est unde consecutum est ut) adimpleretur quod dictum est per Prophetas. » Sic, *Rom.* v, 20, dicitur : « Lex subintravit ut abundaret delictum. » Et *Psal.* I, 6 : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris. » *Joan.* IX, 39 : « In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. »

CANON XXV. Prophetæ, præsertim *Isaias*, quia elegans est et rhythmicus, more poetarum Hebræorum, sæpe idem, aut pene idem, dicunt posteriori hemistichio et versu, quod aliis verbis dixerunt in priori : quod pariter creberrimum est in psalmis, utpote carminibus rhythmo et metro conscriptis. Ut, « Deus, in adiutorium meum intende, » idem est cum eo quod sequitur : « Domine, ad adjuvandum me festina. » Et *Psal.* I : « Amplius lava me ab iniquitate mea, » idem est cum eo quod subdit : « Et a peccato meo munda me. » Sic, « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, » idem pene est quod, « Et peccatum meum contra me est semper. » Sic, « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, » idem est quod, « Et in peccatis concepit me mater mea. » Idem videre est in *Isaiæ* cap. XIII, vers. 2, 3, 4 et seq., et cap. XIV, vers. 13, 14, 15 et seq. (1).

CANON XXVI. Quidquid, ait S. Hieronymus in cap. ult. *Isaiæ*, pungit, percutit, torquet, cruciat, sancta Scriptura vocat « gladium, » quo vulnerabuntur, vel interficientur qui non fecerint Dei voluntatem. Idem intelligunt per ignem, tempestatem, turbinem, grandinem, procellam, etc. : significant enim hæc per catachresin quodvis tormentum, aut eladem vel stragem.

CANON XXVII. Prophetæ sæpe dicunt Deum Judæos, aliosque impios excæcavisse, obduruisse, miscuisse spiritum vertiginis, quod intelligendum est non positive, directe et causaliter, quasi Deus proprie causarit et produxerit in iis duritiem vel cæcitatem, uti blasphematur Calvinus, sed per-

missive, indirecte et occasionaliter, ut fusius explicui *Exodi* VII, 4.

CANON XXVIII. Prophetæ cum decem Tribus a duabus distinguunt, duas vocant « regnum Judæ, domum David, Jerusalem vel Sion : » decem vero vocant *primo*, « Israel, » vel « Jacob, » appropriando eis, utpote pluribus, nomen primi parentis sive patriarchæ Jacob : *secundo*, « Samariam, » quia urbs hæc erat caput regni Israel; *tertio*, « Joseph » vel « Ephraim, » quia ex Ephraim filio Joseph ortus est Jeroboam, qui primus fecit schisma, et decem Tribus a domo David abduxit, sibi que adscivit, juxta vaticinium Abiæ, III *Reg.* XII, 19.

CANON XXIX. Prophetæ verba mentalia vel vocalia subinde pro realibus accipiunt. Sic « vocari » capiunt pro « esse. » Ut cum Christus, *Isaiæ* VII, 14, dicitur vocandus « Emmanuel; » et cap. VIII, vers. 3, vocandus « Accelera spolia detrahere, Festina prædari; » et cap. IX, vers. 6, vocandus « Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis; » non significatur quod revera tale nomen proprium habeat, eoque vocandus sit; sed quod talis sit futurus, ut res significatæ his nominibus ei convenient, *q. d.* « Vocabitur Emmanuel, » id est, erit nobiscum Deus : vocabitur « Accelera spolia detrahere, » id est, erit celer spoliator hostium, et festinus eorum prædo. Sic *Jerem.* IV, 12, dicitur : « Loquar iudicia mea cum eis, » id est, infligam eis justas pœnas. Vide P. Salmeronem, *Proleg.* X, *Quinquagen.* II, Can. 6.

Ex adverso sæpius verba activa realia pro mentalibus aut vocalibus accipiuntur, v. g. « facio, » pro « cogito, » prævideo, destino facere. Sic *Jerem.* I, 10, dicitur : « Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas, et ædifices, et plantes, » id est, ut prædicas et prophetes has gentes et hæc regna fore evellenda, destruenda, disperdenda et dissipanda; illa vero ædificanda et plantanda. Et Daniel, cap. II, vers. 23, ait : « Fortitudinem dedisti (id est, declarasti) mihi. » Et sæpe alibi Prophetæ dicuntur futuras clades aut prosperitates afferre et adducere; qui eas ita certo prædicebant, æque ita certo, uti ab eis prædictæ erant, eveniebant, ac si ab iisdem illatæ et adductæ fuissent. Unde Propheta hebraice dicitur נָבִיא *nabi*, id est præfator, ut dixi *Quæst.* I. Hinc et propheta vocatur « oraculum » aut « fatum. » Fatum autem est sanctio, vel vox divinæ mentis, uti docet S. Augustinus, lib. V *De Civit.* cap. IX, nimirum, ut ait Statius, I *Thebaides*.

Grave et immutabile sanctis
Pondus adest verbis, et vocem fata sequuntur.

CANON XXX. Notandæ phrases variæ Hebræis et Prophetis propriæ; ut « sicut est dies hæc, » id est, sicut hodie apparet, liquet, cernitur. Sic « omnes, » id est, multi, plerique : unde mox

(1) Vide Lowht, *De sacra poesi Hebræorum*, lect. 19, de origine, natura et diversis parallelismi speciebus.

nonnullos excipiunt, ut patet *Michææ*, I, 7, *Osee* IX, 15. Sic « mandare, præcipere, jubere, » Hebræis valde generalia sunt : unde Deus dicitur mandare nubibus, bestiis, gladio, id est, mandato et imperio suo illa evocare et producere, aut movere et ordinare quo ei libuerit, v. g. ad vindictam hominum et castigationem impiorum. Sic dicunt, urbs vel populus « super quem invocatum est nomen tuum, » id est, qui vocatur nomine tuo, scilicet, urbs, templum, aut populus Dei, Deo addictus, Deum colens, non idola, ut aliæ gentes. Est hypallage, ut patet *Ecclesi.* cap. XXXVI, vers. 14; nam ubi Vulgata habet : « Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum ; » Græca habent : *Miserere populi vocati nomine tuo.* Sicut enim olim uxores vocabantur nomine maritorum, ut a Caio vocabatur Caia, a Julio Julia, a Titio Titia, a Tullio Tullia, a Salomone Sulamitis, quasi dicas Salomonias, *Cantic.* VI, vers. 12, sic Ecclesia, quasi sponsa Dei, ab eo sortiebatur suum nomen, decus et gloriam; æque ac tutelam et præsidium.

CANON XXXI. Nomina apud Hebræos aliquando simul ut propria, et simul ut appellativa sumuntur; quia Scriptura alludit ad eorum etymon et significationem, quæ personæ præsentī apte congruit et convenit. Sic *Osee* cap. I, vers. 6, jubetur filiam suam vocare *Lo Rachuma*, id est, « Absque misericordia : » et filium vocare, vers. 9, *Lo ammi*, id est, « Non populus meus; quia hæ ejus proles protendebant repudium et reprobationem Judæorum. Sic *Michæas*, cap. I, vers. 10, ait : « In Domo » עפרא *ophra*, id est, « Pulveris, » עפר *aphar*, id est, « pulvere vos conspergite. » Sic *Sophonias*, cap. II, vers. 13, ait : « Ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum. » Pro « speciosam, » Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent *Niniven*, quæ hebraice speciosam significat, et huc alludit Propheta, *q. d.* Omnis Ninive species, decor et gloria ab ea auferetur, ipsaque convertetur in solitudinem et desertum. Sic Esau ait de fratre suo Jacob, *Gen.* XXVII, 36 : « Juste vocatum et nomen ejus Jacob, » id est, supplantator. « Supplantavit enim me in altera vice. »

Atque hæc est causa, cur interpres subinde loco nominis proprii ponat ejus interpretationem, uti facit in *Osee*, *Sophonia*, *Michæa*, locis jam citatis. Hinc S. Hieronymus (si tamen is est auctor) *in Tradition. in lib. Paralipomenon*, ait : « Ingentia sæpe mysteriorum arcana in ipsis nominibus continentur. » Quocirca omnia Hebræorum nomina sunt significativa. Hinc *Isaiæ* X, 21, hebraice est : *Voca nomen ejus Sear Iasub*; quod Noster vertit : « Voca nomen ejus, Reliquiæ convertentur » (hoc enim significat *sear iasub*) ob mysterium quod ibidem explicabo. Sic *Psalm.* LXXV, vers. 3 : « Factus est in Salem locus ejus : et habitatio ejus in Sion, » Noster pro « in Salem, » vertit « in pace, » ob mysterium.

CANON XXXII. Excidium Babylonis, Jerusalem et aliarum urbium Prophetæ ita describunt, ut dicant solem, lunam, stellas tunc obscuratas fuisse, aut cecidisse de cælo, ut patet *Isaiæ* XIII, 9, *Joel.* III, 15, *Ezech.* XXXII, 7. Non quod vere ceciderint, sed primo, ut significant acerbitatem cladis et excidii, quæ tanta fuit, ut Babyloniis, Hierosolymitis, aliisque nimio metu et anxietate attonitis, sol, luna et stellæ obscurari aut cadere viderentur, ut sit hyperbolica hypallage. Causa cur ita mœstis et percussis videatur est, quod iis qui ægro sunt animo, omnia apparent amara et tristia, ex eo quod animus res omnes concipiat non ut in se sunt, sed ut ipse est affectus, æger et afflictus. Quod enim in aliquo recipitur, id ad modum recipientis recipitur, ait Philosophus : verbi gratia Si vas est putidum eique vinum etiam optimum infundas, fiet putidum; ita quoque se res habet in anima. Hinc vere dixit Poeta : « Pessimus in dubiis augur timor : « omnia enim pessima auguratur. Quocirca vere Theodoretus in *Jerem.* IV : « Mœstis, ait, et afflictis lux non videtur esse lux, nec dies videtur esse dies, nec dulcia habere dulcedinem ; sed omnia mutantur eis in contrarium. Adeo enim doloris anxietas oculos obnubilat, ut serenum cælum tenebris offusum videatur, stabiles montes collesque moveri. » Vehemens enim dolor et anxietas vertiginem capiti inducit, qua omnia eis verti et gyrrari videntur; non quod in se gyrentur, sed quod species et phantasmata, ex turbatione spirituum, in capite eorum vertantur et gyrentur; quod cum ipsi non videant, putant res ipsas gyrrari : perinde ac qui navigant, cum ipsi navim, seque cum navi moveri et progredi non sentiant, et tamen revera moveantur, videntur sibi videre arbores, et omnia quæ in litore sunt moveri et progredi.

Secundo, quia excidium Babylonis, Jerusalem, Samariæ, etc. fuit typus excidii orbis, in quo vere sol et luna obscurabuntur, ac stellæ de cælo cadent, *Matth.* XXIV, 25. Itaque hæc phrases non tam in typo quam in antitypo, quem allegoriæ respiciunt, proprie et plene verificantur.

CANON XXXIII. Solet Scriptura vel Interpres pro genere ponere certam speciem, pro specie individuum aut exemplum, vel claritatis, vel auxesis causa. Sic *Aggæi* II, 17, « viginti modios et lagenas » vertit, ubi in Hebræo tantum habetur *viginti*; intelligitur enim *mensura*, puta modii in segete, lagenæ in vino. Sic peccatum quodvis vocatur « sanguis et homicidium, » *Isaiæ* I, 15, quia inter peccata humano generi noxia primum et gravissimum est homicidium. Sic quævis clades vocatur pestis aut gladius, ut dixi Canon XXVI. Sic quævis virtus et sanctimonia vocatur nunc « justitia, » nunc « misericordia, » ut *Psalm.* CXI, 9 : « Dispertit, dedit pauperibus, justitia (id est elemosyna) ejus manet in sæculum sæculi. » Sic rursum omnes justī et sancti vocantur hebraice צדיקים *chasideim*, id est, pii, misericordes : quia

propria Sanctorum virtus et index est pietas et misericordia.

CANON XXXIV. Solet Scriptura promittere quædam quæ non in eo cui promittuntur, sed in posteris ejus, implenda sunt. Sic, *Genes. xiii, 15*, Deus promittit Abrahamæ terram Chanaan, quam tamen non ipse, sed posteris ejus post 400 annos sub Josue occuparunt. Sic Zorobabeli, *Aggæi ii, 24*, promittitur non in se, sed in Christo ex eo nascituro regnum æternum. Sic illud Noe maledicentis filio suo Cham, patri Chanaan: « Sit Chanaan servus ejus, » *Genes. ix, 26*, in posteris ejus, puta in Chanaanæis, qui sub Josue servierunt, impletum est. Sic illud Isaaci ad Jacobum, *Genes. xxvii, 29*: « Esto dominus fratrum tuorum, » non in Esau, qui non servivit, sed potius dominatus est Jacobo, verum in Idumæis posteris ejus, qui tempore Davidis ab eis subacti servierunt Hebræis, effectum habuit. Ita S. Chrysostomus hom. 8 in *Matth.*, et Euthymius in *Matth. ii*. Denique nomina propria sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris, ut Isaac est Isacides, David est Davidides, puta Christus ex Isaaci et Davidis stirpe prognatus. Sic « Israel » vocantur Israelitæ, id est, posteris Israelis, sive Jacobi.

CANON XXXV. Scriptura potest habere varias versiones et sensus canonicos, etiam litterales (1),

(1) Hæc sententia a permultis S. Scripturæ interpretibus propugnata, multos, et quidem non nullius nominis, habet adversarios. Attamen asserere non dubitamus de duplici sensu litterali sententiam, dissidentes fere omnes in unum adducturam, si prius de vera sensus litteralis definitione inter se convenissent.

Porro sensus litteralis S. Scripturæ is est quem verba immediate significant, sive in propria, naturali, grammaticali, sive in metaphorica acceptione sumantur. Qua definitione semel admissa, dici potest non omnes omnino prophetias habere duplicem sensum litteralem, ut false docuerunt auctores operis cui titulus: *Principes discutés, etc.*, quæ sententia omnem vim et robur Prophetarum ad Messiam spectantium debilitaret, præsertim in controversiis cum Judæis; sed multa Prophetarum oracula hunc duplicem exhibere sensum. Et revera: *Primo*, duplex iste sensus est possibilis, si quidem Deus sat magnam habet potestatem, ut per eadem verba litteraliter sumpta duos et quidem diversos sensus significet.

Secundo, ut recte observavit post S. Augustinum, D. Thomas, I part., *Quæst. I, art. 10*, nil obstat quin iste duplex sensus litteralis admittatur: « Quia vero sensus litteralis est quem auctor intendit, auctor autem S. Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconveniens, ut ait S. Augustinus, lib. XII *Confess.*, si etiam secundum litteralem sensum, in una littera S. Scripturæ plures sint sensus. E contra, ait in alio opere, *De potent. IX, iv, art. 19*, idem doctor angelicus, multum incommodi nasceretur, si in uno sensu circumscripta erat Scriptura, ita ut excludantur omnes alii, licet veritate nitantur, et textui aptissime conveniant, « salva litteræ circumstantia. Hoc enim ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat. » Addere liceat cum S. Augustino, *De Doctrina christ.*, lib. III, cap. xxvii, « unam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant appro-

uti docet S. Augustinus. Addit Leo Castrus Proemio in *Isaiam*, eam habere subinde varias lectiones etiam in originali Hebræo, intentas a Spiritu Sancto, uti fusius explicui *Can. VIII in S. Paulum*. Nota: Difficile, imo impossibile est subinde versionem Septuaginta conciliare cum Nostra, aut cum Hebræo; sive quia ipsi aliter in Hebræo legerunt, sive quia corrupti sunt eorum codices, sive quia Spiritu Sancto aliud suggerente, alio rapti sunt: interpretatio enim eorum laxior est et liberior, et subinde textu uberior.

CANON XXXVI. Nabuchodonosor, Chaldæi, Assyrii, aliique tyranni vocantur servi, milites et sacerdotes consecrati et missi a Deo ad vindictam scelerum et impiorum, ut Judæos, Idumæos, Moabitas, Ægyptios, aliasque gentes spolient, subigant, excendant: non quod ipsi Dei jussu et revelatione id fecerint, ut vult Abulensis in *Isaiæ cap. v, 26*, et in *cap. x, 5*, sed quod illis Deus arma, opes, vires, animos, prosperos successus et victoriam dederit, quibus tamen illi inique et injuste contra Judæos aliasque gentes sunt abusi; sed Deus hunc eorum abusum permisit, eoque usus

bari. » Eadem fere habet Bossuetius in *Præfatione in Apocalyp. xv*.

Tertio, in Scriptura et præsertim in Prophetarum oraculis, permulti exstant textus qui evidentissime duplicem ad minus sensum continent, quin nullus ad spirituales seu mysticum sensum pertineat. Sufficiat aliquot tantum in medium proferre, v. g. hæc *Isaiæ verba*: « Generationem ejus quis enarrabit? » quem SS. Patres diversimode intelligunt, alii scilicet de æternæ Verbi generatione, alii de temporali in sinu B. Virginis natiuitate. « Non enim, ait S. Leo, ad illud tantummodo sacramentum, quo Filius Dei consempernus est Patri, sed etiam ad hunc ortum quo Verbum caro factum est, credimus pertinere quod dictum est. » Atqui isti duo sensus sunt ambo veritate nixi, ambo contextui et interpretationi sanctæ Ecclesiæ consentanei, et aliunde dici non potest unum sensum esse alterius sensus figuram; nam nec generatio æterna temporalem generationem figurare potest, utpote sublimior, nec a temporali ipsamet figurari, cum temporalis generatio æterna sit posterior. Idem dici potest de istis verbis: « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » quæ litteraliter simul de generatione æterna, de natiuitate temporali, et de resurrectione Christi intelligenda sunt. Eodem modo ratiocinandum est de prophetia sequenti, a S. Matthæo in testimonium adducta: « Ut adimpleretur quod dictum est per *Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* » Porro hæc verba litteraliter animæ morbis et languoribus esse applicanda contextus evidentissime probat: ergo S. Matthæus eandem prophetiam ad corporales morbos accommodando, non in sensu litterali primo a Propheta intento intelligit. Dicemusne illum uti sensu spirituali? Minime, nam peccata seu animæ morbi nunquam ut corporis morborum figuræ in Scripturis sumuntur, sed e contra corporis morbi semper in Scripturis animæ languores significant. Non feliciter objiceretur, istam prophetiam in sensu accommodativo esse ab Evangelista prolatam, nam vetat hæc formula: « Ut adimpleretur. »

Porro si intra rectos limites duplex iste sensus litteralis circumscribatur, nullis incommodis subjacet; et eodem fere modo ac sensus litteralis in genere, detegi potest in Prophetarum oraculis. Vide *Prolegom. S. Scripti.*

est ad Judæos et gentes juste puniendum. Ita S. Augustinus, lib. *De Gratia et lib. arbit.* cap. xx et XXI, ubi docet Deum iis nescientibus, et aliud intendentibus, scilicet imperium et spolia, usum esse ad suam vindictam.

Nabu-
chodono-
sor non
Dei jus-
su, sed
ex se in-
vasit Ju-
dæos.
Probatur
Primo.

Prior pars, quod scilicet Dei jussu hæc non fecerint, patet ex eo quod Deus non miserit ad eos Prophetam aliquem, qui eos crearet imperatores, eisque jus daret in alios reges et gentes, uti misit Prophetam ad Jeroboam, qui ei deferret regnum decem Tribuum, et ad Jehu, qui eum ungeret in regem; uterque ergo propriis dominis rebellando, et regnum occupando juste fecit, uti docet S. Augustinus, XVII *De Civit.* XXI, et patet III *Reg.* II. Secus est de aliis, uti dixi.

Secundo.

Secundo, patet ex eo, quod ipsi vel non sciverint, vel non curarint hanc Dei voluntatem, sed suæ ambitioni servierint. Hoc enim est quod de Sennacherib ait Isaias, cap. x, vers. 5 et 7: « Assur, virga furoris mei; ad gentem fallacem mittam eum, ut auferat spolia, etc., ipse autem non sic arbitratur, et cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, et ad interneccionem gentium non paucarum. » Et Cyro ait Isaias, XLV, 3 et 4: « Dabo tibi thesauros, etc., et non cognovisti me. »

Tertio.

Tertio, quia eos vocat « prædones et latrones, » *Jerem.* IV, 7: « Prædo gentium, » scilicet Nabuchodonosor, « se levavit; » et XVII, 22: « Adduces super eos latronem repente. »

Quarto.

Quarto, quia Scriptura eos tyrannidis et ambitionis arguit, prædicitque statim eorum perditionem, idque quia alias gentes, maxime Judæos, invaserunt et vastarunt, ut de Babyloniiis ait Deus, *Jerem.* LI, 24: « Reddam (eis) omne malum quod fecerunt in Sion; » et cap. L, 29: « Quia contra Dominum erecta est, adversus Sanctum Israel. » Idem patet de Moabitis, Ammonitis et Idumæis, *Jerem.* XLVIII, 27.

Quinto.

Quinto, quia pari modo Attila, Totila, et jam Turcæ fuerunt et sunt flagellum Dei, quo castigat Christianos; et tamen certum est Deum eis non dedisse imperium in Christianos; imo Lutherus hoc ipsum fatetur, esto docuerit Turcæ non esse resistendum, eo quod Dei voluntate ad nos veniat ad nos castigandum: Sicut, inquit, virgæ patris filius resistere non debet, qua in re turpiter errat; aliud est enim virga in anima, aliud tyrannus: huic resistere licet, illi non, cum a patre aliove jus habente infligitur.

Deus ta-
men or-
dinavit
Nabu-
chodono-
soris ty-
ranni-
dem ad
punitio-
nem Ju-
dæorum.
Secundo.

Posterior pars, quod scilicet tyranni dicantur servi Dei, eo quod Deus iis usus sit, et ordinarit eorum tyrannidem ad puniendam Judæorum et aliarum gentium peccata, patet primo, ex eo quod Deus se facturum dicit, id quod Chaldæi et Assyrii facturi erant: quod enim quis facit per alium, perinde est ac si ipse faciat, ut habet regula Juris.

Secundo, hac de causa Deus dicitur præcepisse Persis, ut invadant Babylonem, *Jerem.* I, 21; utque omnes interficiant, et nihil in ea relinquunt, *ibid.* vers. 26.

Tertio, quia *Jerem.* XXVII, 6, dicitur Deus dedisse Tertio, Nabuchodonosori omnes gentes, ut serviant ei septuaginta annis.

Quarto, quia excidium Babylonis vocatur opus Quarto, Dei, id est, divinæ justitiæ et vindictæ, *Jerem.* I, 11, 25.

Quinto, quia Deus pro opere hoc suo, in quo ei Quinto, materialiter servierat Nabuchodonosor, tredecim annis obsidendo et expugnando Tyrum, quasi in præmium et mercedem materiale promittit ei Ægyptum, *Ezech.* XXIX, 19. Dico materialiter: non enim fuit hic formale et intentum meritum: ergo nec formalis merces.

Sexto, quia benedicuntur, et benedicti dicuntur, qui Deo in hoc opere sancto justitiæ subserviunt, esto materialiter id tantum faciant, cum formaliter non Deo, sed suæ ambitioni et avaritiæ servire intenderent. Sic *Psal.* CXXXVI, 9, dicitur: « Beatus (Cyrus) qui retribuet tibi (o Babylon) retributionem, quam retribuisti nobis: beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. » Sic benedictum dicitur lignum (arcæ Noe) per quod facta est justitia, *Sapient.* XIV, 7. Arca enim, servans justum Noe, laxavit quasi manus Deo, ut cæteros peccatores perderet diluvio. Sicut enim opus justitiæ sanctum et beatum est, ita qui ei quôquo modo cooperantur, etiamsi materialiter tantum, sancti et beati vocantur; sed eatenus duntaxat, quatenus illi operi sancto cooperantur.

E contrario de Babyloniiis punientibus et vastantibus Moabitas dicitur *Jerem.* XLVIII, 10: « Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine, » *q. d.* Infelix sit ille, et male illi cedat qui opus hoc justitiæ divinæ remisse peragit, qui reos Moabitas non occidit, sed eis parcit; nimirum loquendo in genere, et abstrahendo ab hoc vel illo qui tyrannice eos vel injuste invadit, tantumque spectando opus hoc prout est opus justitiæ et vindictæ divinæ, quam Deus vult peragi. Sic enim licitor vel carnifex, qui in hoc opere ejusque executione negligens est, maledici et puniri meretur. Opus ergo hoc, puta excidium Moabitarum, prout erat opus justitiæ divinæ, ab eaque decretum, justum et sanctum erat; et quicumque ei cooperabantur, juste et sancte agebant, erantque benedicti: quatenus vero idem opus peractum est a Chaldæis, suas opes et imperium augere volentibus, eatenus fuit opus tyrannidis et rapinæ, ideoque injustum et maledictum.

CANON XXXVII. Deus Chaldæis, Assyriis, aliisque tyrannis dicitur præcepisse, et evocasse, excitasse, immisisse eos ad invadendam Judæam, aliasque gentes, non quod positive et directe eos excitarit ad hanc tyrannidem, sed quod tyrannidem eorum prævisam sua providentia ita rexerit et flexerit, ut non nisi in Judæos et gentes punitiōni a se destinatas erumperet. Omnis enim Dei providentia et ordinatio in Scriptura vocatur præceptum, evocatio, suscitatio. Deus enim præsidet

Omnis
Dei ordi-
natio
vocatur

**præcep-
tum.** ipsis voluntatibus malis, easque regit et gubernat, ut, licet vitio proprio malæ sint, tamen Dei providentia ad unum potius malum quam ad aliud ferri sinantur. Docet id S. Augustinus in *Psal.* LXXIII: « Impietas, inquit, eorum tanquam securis Dei facta est: facti sunt instrumentum irati, non regnum placati. » Adducit deinde S. Augustinus exemplum virgæ, qua pater castigat filium, deinde ipsam virgam in ignem conjicit. Impii enim sunt virga qua Deus pius castigat; sed iis castigatis impios in gehennam conjicit. Clarius idipsum docet Hugo Victorinus, lib. I *De Sacram.* Part. V, cap. XXIX: « Deus, inquit, malis voluntatibus non dat corruptionem, sed ordinem. Velle enim malum, malum est, et a mala voluntate est; quod autem potius ad hoc quam ad illud est, bonum est; quia ordo est, et ex bene disponente (Deo) est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, et resolvi per proprium vitium, quod ei aliunde non datur; sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi qua ei via aperitur. Et qui præcipiti, qua vult, ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinatur non impellendo, sed permittendo et non tenendo; nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator. » Sicut ergo qui leonem vel canem furiosum manu ligatum tenet, et nunc eum continet, ne hunc illumve amicum mordeat, nunc hoste transeunte eum laxat et dimittit, dicitur in eum leonem vel canem immisisse: ita Deus omnipotentis suæ manu ligatas tenet omnes impiorum voluntates: et cum eas laxat, atque in hoc malum, non in aliud ferri sinit, dicitur eas ad hoc excitare, vel immittere: quia sine ejus laxatione, et quasi consensu sive venia, imo concursu, in hoc malum erumpere non potuissent. Ita ergo laxavit Chaldæos, permisitque eos invadere Judæos, non Indos.

Quomodo Deus excitarit Chaldæos contra Judæos. Resp. Primo. Secundo. Tertio. Adde Deum dici eos excitasse. *Primo*, quia, ut dixi Canone præcedenti, eis ingentes animos, vires, opes et victorias dedit. Animos, inquam, ad magna audendum, et ad imperium longe lateque propagandum. *Secundo*, quia menti eorum objecit Judæos et alias gentes, quasi opulentas et facile subjugabiles. *Tertio*, quia per Jeremiam aliosque Prophetas prædixit, Nabuchodonosorem illas subjugaturum, seque velle ut omnes ei serviant septuaginta annis. Quid hoc erat aliud, quam illi classicum canere, illumque quasi evocare ad invadendas alias gentes? Nec enim dubium est, quin Nabuchodonosor partim ex nuntiis et legatis, partim ex transfugis, partim ex communi rumore et fama id cognoverit; ideoque ipse præcepit Nabuzardan in expugnatione Hierosolymæ, ut Jeremiæ, quasi sibi faventis curam gereret, eumque benigne tractaret, cap. XXXIX, vers. 11.

Quarto. *Quarto*, quia exterius objiciebat impedimenta, quæ diverterent Nabuchodonosorem ne invaderet alias gentes, et amovebat impedimenta quæ planam quasi viam ei facerent ad invadendum Judæos, et gentes quas per eum punire volebat. Sic

Ezech. XXI, 21, cum Nabuchodonosor jaceret sortem per duas sagittas, ex eaque quæreret omen, an contra Ammonitas, an contra Jerusalem pergere deberet; Deus fecit ut sors caderet contra Judæos, itaque eum quasi impulit ad invadendam Jerusalem. « Sortes enim, inquit Sapiens, in sinum mittuntur, sed a Domino temperantur et disponuntur. » Porro quomodo Deus hoc bellum ad quod convocat Chaldæos, vocet « sanctum, » dicam *Jerem.* VI, 4.

CANON XXXVIII. Nomina abstracta pro concretis poni solent, tum active, ut « formido » vocatur Nabuchodonosor terribilis, qui formidinem incutiebat Judæis totique orbi, *Isaiæ* II, 19. Sic Priapus in hortis vocatur ab Horatio « avium formido; » tum passive, præsertim cum actus aut potentia ponitur pro objecto. Sic Deus dicitur « amor, spes, timor noster, » id est, a nobis summe amandus, sperandus, timendus. Sic *Psal.* LXX, 5, dicitur: « Tu es patientia mea, Domine, » id est, tu es propter quem patior. Sic Ecclesia, et S. Paulus *Ephes.* III, 10, et *Coloss.* I, 16, angelos vocat alios « Dominationes, » id est, dominantes; alios « Potestates, » id est, potentes; alios « Principatus, » id est, principes, etc. Sic *Isaias*, cap. LX, 17, ait: « Ponam visitationem (id est, visitatores) tuam pacem, (id est, pacificos), et præpositos tuos justitiam, » id est, justissimos, ita ut videantur esse norma justitiæ, ipsaque justitia.

CANON XXXIX. Climata, seu plagæ orbis in scriptura consignantur juxta situm Jerusalem et templi, inquit S. Hieronymus in illud *Zachar.* II, 6: « De terra Aquilonis. » Hinc Ægyptus dicitur esse ad Austrum, scilicet respectu Hierosolymæ. Ita Daniel, cap. XI, prædicit « reges Austri, » id est, reges Ægypti, conflicturos cum regibus Aquilonis, id est, Syriæ, puta Ptolemæos cum Antiochis. Sic Assyrii et Chaldæi vocantur Aquilonares, scilicet respectu Judææ. Unde Jeremias, cap. I, vers. 14, ait: « Ab Aquilone, » id est, a Babylone, « pandetur malum. » Hinc et per « mare » communiter significant Occidentem: quia mare Mediterraneum majori ex parte est ad occidentem Judææ; quia tamen idem ex parte eidem est ad Austrum, hinc subinde « mare » significat Australem plagam, ut *Psal.* LXXXVIII, 13: « Aquilonem et mare, » id est, Austrum sive Meridiem, « tu creasti; » et *Psal.* CVI, 3: « A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari, » id est, Austro: nominantur enim hic quatuor plagæ mundi.

CANON XL. Quæ de Christo dicuntur in Scriptura, aliquando de solo capite, id est, Christo ipso; aliquando de solo corpore, id est, Ecclesia; aliquando de utroque dicuntur; et solerter dispiciendum, quid de quo dicatur: Scriptura enim latenter ab uno transit ad aliud. Ita S. Augustinus ex Tichonio, lib. III *De Doctrina Christ.* cap. XXXI et seqq.

CANON XLI. Multa prædicunt Prophetæ quæ certum est impleri debuisse, etiamsi quomodo et

quando impieta sint, nec sacra Scriptura nec historiæ profanæ narrent. Sic Isaias, cap. XXIII, vers. 17, prædicit Tyrum vastandam a Chaldæis, et post 70 annos redituram ad pristinum splendorem. Idem de Ammonitis prædicit Jeremias, cap. XLIX, vers. 6. Simile de Ægypto a Chaldæis vastata, et post 40 annos restauranda prædicit Ezechiel, cap. XXIX, vers. 12 et 13. Quæ quando impleta sint, nescimus. Sic Aggæus, Zacharias, Abdias et Malachias multa a regressu Judæorum ex Babylone usque ad Christum futura prædicunt, quæ nec Esdras, nec libri Machabæorum, nec alii historici facta esse commemorant.

CANON XLII. Solent Prophetæ postquam contra Judæos prophetarunt, ad inimicas Judæis nationes sermonem et minas convertere, ad Judæorum consolationem, et ipsarum gentium tum justam punitionem, tum consolationem, ex salute afferenda per Christum. Sic Sophonias postquam cap. I, vers. 4, prædixit cladem Judæ et Jerusalem, mox cap. II prædicit excidium Gazæ, Ascalonis, Moab, Æthiopiæ, Ninives et Assyriorum. Sic Isaias post onus Judææ transit, cap. XIII et seq. usque ad XXIV, ad onera Babylonis, Moab, Ammon, Idumææ, Tyri, et aliarum gentium, quæ Judæos afflixerant. Idem facit Jeremias, cap. XLVI et seq.

CANON XLIII. Quod ad sensum allegoricum attinet, notant S. Basilius in *Isaiæ* cap. II. S. Augustinus epist. 99 ad *Evodium*, unam rem in Scriptura simul esse figuram duorum, etiam contrariorum; ut diluvium fidelibus fuit typus baptismi, infidelibus mortis et gehennæ. Sic Christus credentibus fuit lapis salutis, non credentibus vero lapis offensionis, et petra scandali. Sic vir fortis vocatur leo, et aquila, itidem et tyrannus, ait S. Hieronymus in *Ezech.* XVII.

CANON XLIV. In sacra Scriptura omnes sententiæ, omniaque verba debent applicari rei significatæ, in sensu litterali, non autem allegorico. Ita S. Hieronymus in cap. V *Osee*. Vide Cap. XL in *Pentateuch*.

CANON XLV. Quoad tropologiam, facile est ea quæ Prophetæ prædicunt, promittunt, comminantur, præcipiunt, suadent, exprobrant Judæis, aliisque gentibus, mutato nomine transferre ad Christianos. Rursum ea quæ de Synagoga, quasi muliere una ab iis dicuntur, facile est per tropologiam applicare ad animam fidelis cujusque. Unde recte S. Hieronymus in cap. XXIII *Jeremiæ*: « Quidquid, inquit, de terra Judææ dicitur ad litteram, refer tropologice ad congregationem fidelium: quoniam propter eorum adulteria, mendacia, perjuriam, etc., virtutum et donationum Dei sterilitas in Ecclesia fit. »

Sic per regem Babylonis tropologice accipe diabolum; per Philistinos, Idumæos, Moabitas, aliosque hostes Judæorum, accipe infideles, hæreticos et impios, ac vitia et vitiosos; per Cyrum accipe Christum.

CANON XLVI. Solent Prophetæ redemptionem Christi describere quasi bellicam victoriam, in qua hostes cæduntur, subditi liberantur et salvantur. Hinc eam simul vocant stragem et salutem, ultionem et redemptionem, indignationem et pacem. Hinc rursum Christum inducunt quasi militem cataphractum cædentem et proterentem omnia; tum quia Christus protrivit hostes suos, puta dæmonem, peccatum, carnem, mortem; tum quia homines infideles et impios sibi subegit, itaque occidit in eis impietatem et scelera, atque ex eis novos homines, pios, sobrios, castos suscitavit. Vide Canon. XLII in *Pentateuch*. Hoc est quod ait Isaias, cap. LIX, vers. 17: « Indutus est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli: sicut vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet. » Et cap. LXIII, vers. 1: « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Torcular calcavi solus, etc., calcavi eos in furore meo, etc. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. » Nimirum, ut ait Claudianus in *6 Consul. Honorii*:

Nulla est victoria major,
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes.

Sic explicat S. Augustinus illud *Psal.* CXLIX, 6: « Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, etc. Pagani, ait, occiduntur, cum Christiani fiunt: quia quæro Paganum, et non invenio: ergo mortuus est Paganus. Nam si non occiduntur, unde dictum est Petro: Macta et manduca? Sic occisus est Paulus persecutor, et erectus est Paulus prædicator. »

CANON XLVII. Prophetæ anthropopathos, sive humano more loquuntur de Deo. Hinc tribuunt ei humanam figuram, os, oculos, manus, pedes, etc. item iram, indignationem, amorem, gaudium, exultationem, aliasque passiones hominis. Harum enim affectus naturales et boni sunt in Deo, si ab eis demas quod vitiosum, excessivum, turbidum, et præter rationem est. Affectus enim amoris et gaudii circa bonum, æque ac odii ac detestationis circa malum, vero sunt in Deo.

CANON XLVIII. Deus dicitur non pluere, sed stillare suas plagas; quia iram suam misericordia temperat. Hinc *Ezech.* cap. XX, 46, dicitur: « Stilla ad Africum: » ut non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam et pars. « Si autem stilla tantæ ævitiæ est, quid in totis imbribus æstimandum erit? » inquit S. Hieronymus ibid. Sic et *Ezechiel.* cap. XXI, vers. 2, et *Daniel.* cap. IX, vers. 11: « Stillavit super nos maledictio, et detestatio, quæ scripta est in libro Moysi servi Dei, quia peccavimus ei. » Hinc etiam *Apocal.* XV, ira Dei dicitur

phialis contineri, et ex iis effundi : phialæ enim angusto sunt ore, unde ex iis ira non potest nisi guttatim fluere. Misericordia enim divina iudicia comprimit et constringit, ne fundant, sed stillent iram, juxta illud *Psalm. LXXVII, 38* : « Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum : et non disperdet eos. Et abundavit (Dei misericordia) ut averteret iram : et non accendit omnem iram suam : et recordatus est quia caro sunt. »

CANON XLIX. Prophetæ utuntur metalepsi, ut ex antecedentibus intelligant ea quæ naturaliter consequi solent. Sic « audire » sumunt pro audita facere, et obedire : « nescire » pro scita non agere; qui enim quæ agenda sunt scit, et non agit, perinde est ac si nesciat. Sic, *Isaiæ xxx, 2*, Judæis fugientibus in Ægyptum dicitur : « Os (Domini) non interrogastis, » id est interrogationem et responsionem Domini non estis secuti : vere enim interrogaverant audierantque a Jeremia responsum Dei, ne fugerent in Ægyptum, sed illud sequi noluerant. Sic poetæ sæpe utuntur metalepsi, ut Virgilius, *Eclog. I* : « Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas. » Per « aristas » enim segetes, per segetes æstates, per æstates annos intelligit. Sic : « Speluncis abdidit atris, » id est, profundis; profunda enim umbrosa sunt, umbrosa atra videntur.

Similiter, tam Prophetæ quam poetæ sæpe utuntur catachresi, sive usurpatione nominis alieni, v. g. cum parricida vocatur is qui fratrem occidit, piscina quæ pisces non habet. Sic Virgilius, VII *Æneid.* ait : « Aut acres tendunt arcus. » Ubi Servius, « acres, » id est, fortes per catachresin; nam acrimonia proprie mentis est. Ita Prophetæ « apertum » vocant, quod transeunti nullam adfert remoram, etiamsi sit clausum. Sic Stephanus vidit cœlos sibi apertos, *Act. VII, 55*. Sic Christus solus dicitur aperuisse uterum matris, id est, per eum clausum penetrasse, et in lucem ac orbem exsiliisse ac si apertus fuisset. Ita loquantur S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, Origenes et Theophylactus, quos citavi *Exod. XIII, 1*, sicque ipsi de Christo explicant illud *Luce II, vers. 23* : « Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. »

CANON L. Oracula Prophetarum singulis sæpe capitibus sunt alia et alia, ac novo et diverso tempore edita : unde et subinde diversos habent titulos, ut patet *Isaiæ XIV, 28*, etc.; *XXI, vers. 11* et *13*. Quocirca capita (imo partes ejusdem capituli subinde) sæpe non habent inter se connexionem et continuationem, nec servant seriem temporum : sed singula capita singulæ sunt prophetiæ, et quasi singuli libri diverso tempore dictati et scripti, qui postea fuerunt in unum volumen collecti. Hac de causa crebra hic est hystero-logia.

CANON LI. Vocula « ai » Hebræis est nota jurantis, estque aposiopesis ad euphemismum boni

ominis causa, verbi gratia : « Vivit Dominus si veniat hostis, » id est, juro quod non veniat hostis, adeoque si veniat, non habear Deus aut verax. Potest secundo, sine aposiopesi « si » pro « non » accipi. Ubi nota, cum post verba jurandi sequitur dictio « si, » tunc « si » orationem affirmantem vertit in negantem, orationem vero negantem vertit in affirmantem, ut *Psalm. xciv, 11* : « Ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam, » id est, quod non introibunt. Vice versa *Isaiæ XIV, 24* : « Juravit Dominus : Si non, ut putavi, ita erit, » id est, juravit quod uti ipse putavit, ita erit. Ita Maldonatus in *Ezech. cap. XVIII, vers. 3*.

CANON LII. Hebræi cum in genere aliquo significare volunt omnia, genus femininum jungunt masculino, ut *Isaiæ III, 1* : « Aufert a Jerusalem validum et fortem; » Hebraice est, *sustentantem et sustentatricem*; Septuaginta, *validum et validam*; id est omnes fortes tam viros quam feminas, qui urbem tueri et sustentare poterant. Sic *Eccle. II, 8* : « Feci mihi cantores, et cantatrices, » id est omne musicorum genus. *Jerem. VII, 34* : « Quiescere faciam vocem sponsi et vocem sponsæ, » id est omnis nuptialis plausus. Simile est *Isaiæ XXII, 16* et cap. *XXXVIII, 16*, et alibi in Hebræo.

CANON LIII. Relativum aliquando refertur non ad id quod expressum est, sed ad id quod quis tacite secum cogitat. Ut *Cantic. I, 1* : « Osculetur me osculo oris sui; » ubi illud « sui, » refert ad « sponsum, » qui prius non expressus, sed cordi sponsæ alte erat infixus. *Psalm. LXXXVI, 1* : « Fundamenta ejus in montibus sanctis; » ubi « ejus, » refert ad « Jerusalem : » quam licet non nominasset Propheta, animo tamenolvebat, *Psalm. CXIII, 2* : « Facta est Judæa sanctificatio ejus, » nempe « Dei, » cujus opera secum admirabatur David, *Threnor. III, 1* : « Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, » scilicet « Dei : » illius enim indignationem animo pertractabat. *Joan. XX, 15*, ait Magdalena Christo quem non agnoscebat, putans esse hortulanum : « Domine, si tu sustulisti eum, » nempe « Christum, » in quo erat tota, et de quo credebat hortulanum cogitare.

CANON LIV. Ludunt subinde Prophetæ in eadem voce contrarie accepta, ut *Isaiæ XXIX, 1* : « Væ Ariel, Ariel; » et vers. 2 : « Erit mihi quasi Ariel, » q. d. Jerusalem, quæ erat ariel, id est leo Dei, prædando alias gentes, erit mihi prædæ quasi ariel, id est quasi ariel maledictionis. Sic Apostolus ludit in voce *peccatum* : « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (id est hostiam pro peccato) fecit, » II *Corinth. V, 21*.

Sic « benedicere » capiunt pro maledicere per euphemismum, ut « Naboth benedixit, » id est, maledixit, « Deum, » III *Reg. XXI, 13*. Sic « sanctificare » capiunt pro polluere, ut *Deuter. XXII, 9*. Sic *שׂוֹקֵד kades*, id est sanctus, vocatur cinædus, et *kedesca* scortum, quasi dicas minime sanctum.

Sic « sacer » Latinis capitur pro execrando, ut apud Horat. *Ode vii* : « Sacer nepotibus cruor, » et Virgilium, III *Æneid.* : « Auri sacra, (id est execranda), fames. » Sic « anathema » vocatur donum Deo oblatum, item res execranda, morti et diris devota.

Rursum ludunt eleganter in eadem voce per antiphrasin, ut videantur ænigma proponere. Sic ludit Isaias, cap. xxvi, 11 : « Domine, exaltetur manus tua, et non videant : videant, et confundantur. » Et Osee i, 10 : « Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos : dicetur eis : Filii Dei viventis. » Et cap. ii, 24 : « Dicam non populo meo : Populus meus es tu, » sive, ut Apostolus citat Rom. ix, 26 : « Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non dilectam, dilectam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. » Sic Gentiles et sæculares per antiphrasim elegantia formant ænigmata, quale est illud Platonis, lib. V *De Legib.* et apud Athenæum, lib. X *Dipnosophist.* : « Vir non vir, videns non videns, lapide non lapide, percussit avem non avem, sedentem super arborem non arborem, » hoc est, eunuchus luscus pumice percussit vespertilionem sedentem super sambucum.

Tale antiphrasticum ænigma est Bononiense apud Franciscum Schotti, cent. 2, *ænigm.*

Ælia Lælia Crispis, nec vir, nec mulier,
Nec androgyna, nec puella, nec juvenis,
Nec anus, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia :

Sublata neque fame, nec ferro, nec veneno,
Sed omnibus :

Nec cælo, nec aquis, nec terris,
Sed ubique jacet.

Lucius Agatho Priscius, nec maritus,
Nec amator, nec necessarius, neque
Moriens, neque gaudens, neque flens,
Hanc neque molem, nec pyramidem,
Nec sepulcrum,

Sed omnia,
Scit et nescit cui posuerit.

Hoc est sepulcrum intus cadaver non habens,
Hoc est cadaver sepulcrum extra non habens;
Sed cadaver idem est et sepulcrum sibi.

Quod multi de anima hominis, alii de cupidine, alii de aqua nubium, alii (et forte verius) de Niobe filia Tantali, quæ vi oppressa ex dolore in saxum a poetis dicitur versa, interpretantur.

Tale est et illud Alexidis Poetæ in ὑπνῶς : « Non mortalis, neque immortalis, sed habens quoddam utriusque temperamentum, ut neque hominis parte vivat, neque Dei, sed nascatur semper. » Hic est Somnus.

CANON LV. Est apud Hebræos ὑποκαλυψιδίς : honestis enim verbis rem inhonestam declarant. Sic « cognoscere uxorem » apud eos significat actum conjugii : sic « aquam pedum » vocant urinam quæ ad pedes solet defluere. Sic *Ezech.* cap. vii, 17, ait : « Omnia genua fluent aquis, »

id est urina, q. d. Præ metu commingent se. « Sic mingentem ad parietem, » vocant canem. *Canis* enim nomen Hebræis vile est et inhonestum, ac pessime sonat, ut I *Reg.* xxv, 34, ait David ad Abigail : « Nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal, etc., mingens ad parietem, » q. d. Ex domo Nabal omnes occidissem, et ne vel canem superstitem reliquissem, nisi tu mihi occurrisses, meque tua blandiloquentia et humilitate placasses. Sic « magnas carnes » *Ezech.* xvi, 26, et « carnes asinorum » *Ezech.* xxiii, 20, vocant magna genitalia. Sic ibidem et sæpe alibi dicunt Prophetæ, « divisit pedes suos, » id est, prostituit se.

CANON LVI. Gaudent Prophetæ, præsertim Ezechiel et Daniel, ænigmatibus, emblematicis, proverbiiis. Ita Daniel, per ænigma arboris cap. iv, describit imperium Nabuchodonosoris. Et cap. ii, per ænigma statuæ quadrifidæ repræsentat quatuor monarchias, easdem repræsentat per quatuor bestias cap. vii. Cap. v, per *mane, tekel, phares*, portendit excidium regis et regni Babylonici. Cap. viii, per emblemata hirci pugnantis et debellantis arietem, prædicat pugnam et victoriam Alexandri Magni contra Darium. Ezechiel, cap. i, per quatuor animalia et currum Cherubim depingit Dei magnificentiam, potentiam et vindictam. Cap. v, per ænigma novaculæ radentis pilos et barbam, Chaldæos occidentes tum plebem, tum principes Judæorum. Cap. ix, per signum *thau* repræsentat crucem, et patientiam Christi et Sanctorum. Cap. xvi, per fornicationem sponsæ redarguit idololatriam Jerusalem. Cap. xvii, per pugnam duarum aquilarum, oculis subjicit pugnam Nabuchodonosoris et Pharaonis. Cap. xix, per leones et leunculos, depingit regnum et tyrannidem Joachaz, Joakim et Sedecæ. Cap. xxiii, per meretricium Oollæ et Oolibæ, describit idololatriam Samaritæ et Jerusalem, etc. Sic cap. xviii, 2, dicunt Judæi : « Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt; » hoc est, patres peccaverunt, filii puniuntur. Sic Jeremias cap. vi, 29, de pertinacibus Judæis ait : « Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. » Tale est et *Thren.* iv, 7 : « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. » Talibus et gaudet Isaias, ut cap. i, 22 : « Argentum tuum versum est in scorium : vinum tuum mixtum est aqua. » Et cap. v, 18 : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. » Et cap. xiv, 29 : « De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrum. » Et cap. xvi, 1 : « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. » Et cap. xviii, 1 : « Væ terræ cymbalo alarum, etc. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam. » Et cap. xxix, 1 : « Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David : et

ircomvallabo Ariel, et erit mihi quasi Ariel. »

Causæ sunt duæ : prior, quia prophetia cum sit arcana et obscura, gaudet stylo arcano et obscuro; posterior, quia prisca sapientes suam sapientiam tradebant per ænigmata, ut ejus desiderium et studium in discipulis acuerent. Ita Ægyptii sua dogmata celabant, et tradebant per figuras hieroglyphicas. ita Sophista regis Ægyptii Neetenabo hoc ænigma Æsopo proposuit : « Est, inquit, templum magnum, et in ipso columna duodecim habens urbes, quarum quælibet triginta trabibus sustinetur, has vero trabes duæ circumeunt mulieres. » Cui Æsopus : « Templum, ait, est mundus, columna annus, urbes menses, trabes dies, at mulieres ipsæ duæ dies et nox. » Porro Æsopus ipse per fabulas, id est emblemata, ingeniose et facete suam mythologiam, id est Philosophiam moralem, conscripsit. Cratetis Thebani dogma fuit, teste Plutarcho : « Pro lente olla non est augenda, ne in seditionem conjiciamur, » hoc est, cibus non est oplendum aut gravandum corpus, ne in perturbationem profluviumque deducatur. Amphion apud Pacuvium hoc de testudine ænigma proposuit : « Quadrupes, domiporta, tardigrada, agrestis, humilis, aspera, capite brevi, cervice anguina, aspectu truci, eviscerata, inanima cum animali sono. » Tale est illud medici ægro imperantis, ut sumeret « terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam, » id est cochleam. Tale fuit oraculum datum Philippo : « Omnia tu vinces, fuerint si argentea tela. » Docuit enim eum lanceis argenteis, id est pecuniis, expugnandas esse urbes, præsidariis argento corruptis.

Tale fuit illud Virgilii in *Bucolic.*, ecloga 3, quo se crucem Grammaticis fixisse asserebat :

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores.

Quod de flore hyacintho passim interpretantur : de quo duplex narratur fabula, Hyacinthi scilicet Æbalii adolescentis ab Apolline amati, et Ajacis Telamonii, qui ambo in eundem florem conversi feruntur : in quo quidem flore flebilis illa Græcorum vox *αι*, *αι* a natura efformata et inscripta invenitur. Noster tamen Joannes Cerda hoc ænigma exponit de Augusto Cæsare, cujus effigies et nomen in nummis cudebatur inter flores; atque inde videri ortum nomen Florinorum in re nummaria. Tale est hoc ejusdem :

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tros pateat celi spatium non amplius ulnas.

Quod de puteo in Syene facto interpretantur, quem Mathematici ea ratione effoderant, ut solstitium indicaret; eo enim tempore nusquam umbras sol ibi flectere dicitur. Tale fuit et Sphingis ænigma de homine : « Mane quadrupes, meridiæ bipes, vespere tripes. » Atque hæc est causa, cur Scriptura subinde per mimesim citet *μῦθος*, apo-

logos et fabulas Gentilium, ut fabulam Titanum, *Judith* xvi, 8, cornu Amaltheæ, *Job* xlii, 14, juxta Septuaginta fabulam Centaurorum, *Isaiæ* xxxiv, 14, uti ibi pluribus dicam.

CANON LVII. Pari modo utuntur symbolis, et symbolicis figuris, ideis, ac phrasibus, præsertim in rebus divinis. Idem fecerunt prisca Gentium Theologi, et divini, ut ipsi censebant, legumlatores, ut Zoroastres, Zamolxis, Zaleucus, Dardanus, Charondas, Numa. Idem fecit et impostor Mahomet in suo *Alcorano*. Idem fecit et Christus docens per parabolas et symbola, *Matth.* cap. xiii, vers. 34. Nam ut sancte, impius licet ipse, Julianus Cæsar ait : « Amat divina natura celari, et abdita ejus substantia non patitur nudis verbis in aures introire pollutas. » Et ut Macrobius ait : Deus, sicuti vulgaribus hominum sensibus, intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtrahit : ita a prudentibus arcana sua voluit per arcana tractari, ut scilicet figuris et involucris tecta, a vilitate sint secreta, ac debitam obtineant venerationem. Quare Numenium philosophum offensam pertulisse numinis ferunt, quod Eleusinia sacra interpretando vulgasset. Vidit enim in somnis deas ipsas habitu meretricio, in fornice prostantes; id cum admirans quid hoc esset percunctaretur, ei responsum fuit ipsas deas iratas ab ipso pudicitiae adyto vi abstractas, passimque ab eo prostitutas. Theodecten oculis, Theopompum mente fuisse captum, quod quædam dicta Mosis et S. Scripturæ carmine publicassent atque profanassent, scribit Aristæas. Quocirca S. Dionysius hæc sacra symbola vocat, eademque de causa a Theologis nonnullis triplex Theologia dicitur, symbolica, mystica et telestica. Ubi nota : S. Dionysius, lib. *De Divin. Nomin.*, et lib. *De Mystica Theolog.* S. Thomas, I part. *Quæst.* XII et XIII, et passim Scholastici docent Deum et divina tripliciter a nobis cognosci. *Primo*, per viam *ascensus* a creaturis ad Creatorem, quasi ad eorum originem et auctorem. Nam, ut ait Apostolus, *Rom.* I, 20 : « Invisibilia ipsius (Dei); a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas. » *Secundo*, per viam negationis, v. g. cogitando et dicendo : Deus non est lapis, non cælum, non homo, non angelus, sed essentia et majestas hæc omnia in infinitum transcendens, de quo S. Dionysius, cap. II et IV *Cælest. hierarc.* *Tertio*, per figuras et symbola corporalia, quæ incorpoream ejus naturam corporeis nobis repræsentant, quasi per umbram et imaginem. Hic tertius modus facilius est et suavior; suavius enim et jucundius Deum per symbola quasi per speculum intuemur. Quocirca tertio hoc modo Scripturæ, et præsertim Prophetæ, crebrius utuntur.

E Gentilibus hæc in re excelluit Pythagoras, qui aurea sua de Deo, deque moribus et virtutibus dogmata per symbola tradidit et conscripsit, eaque eum a Mose et Prophetis didicisse docent

Eusebius, lib. X *De Præpar. Evang.* cap. II; Theodoretus, lib. II *De Principiis*; Origenes, lib. I *Contra Celsum*; S. Ambrosius, lib. III, epistol. 20 *ad Irenæum*; Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromat.*; Josephus, lib. I *Contra Apionem*; Lilius Gyraldus in *præfat. Symbolorum Pythagoræ*, ac aperte ostendit Hermippus, lib. I *De Pythagora*: unde et nonnulli Pythagoram circumcisum, imo eundem fuisse cum Ezechiele Propheta qui symbolis abundat) censuerunt, ut ostendam *præfat. in Ezech.* Eum secuti non tantum Græci, sed et Romani, sua habuere symbola, quibus papaver fertilitatis et urbis symbolum fuit; malum cydonium conubii, Adon fructuum, Liber pater libertatis, Alys florum, spuma genituræ, Satyrus libidinis, testibus Eusebio et Plutarcho.

symbola Pythagoræ.
Theologica.
 Porro Pythagoræ triplicia fuere symbola: *primo*, theologica et divina; *secundo*, ethica; *tertio*, politica. Divina sive de Deo, hæc præcipue fuere. *Primo*: « Ne coacerva ligna cupressina, » id est Deo consecrata in proprios usus ne converte: ex cupresso enim fiebat Jovis sceptrum, ait Hermippus. *Secundo*: « Ignem gladio ne scalpas, » id est Deo linguæ acumine ne maledicas. Ita aliqui, licet alii aliter, et forte melius, de quo mox. *Tertio*: « Dei figuram in annulo ne insculpas, » id est sententiam et sermonem de Deo ne facile manifestes et divulges, ut abeat in contemptum. Ita Cyrillus; aut, ut Gyraldus, ne in deliciis, vel in propatulo Dei effigiem et memoriam habeas. *Quarto*: « Gallum nutrias, ne tamen sacrifices, » id est milites alas qui urbem custodiant, sed sacris eos ne admisceas. *Quinto*: « In sacrificio ungues ne seca, » id est in sacris ne te rebus supervacaneis aut sordidis occupes. *Sexto*: « Surgens e lecto stragula complicato, » id est mane erigens te ad rerum divinarum contemplationem, corporeos sensus deserito. *Septimo*: « Injussu imperatoris (id est Dei) ex statione, id est vita, ne decedas, » hoc est, vitam temere ne perde sive prodige. *Octavo*: « Ex imputatis vitibus Diis ne liba, » id est actiones et victimas tuas puras, id est putatas et purgatas, Deo offer; Deus enim odit omne impurum. *Nono*: « Nudis pedibus rem divinam facito, » id est purgatis affectibus (horum enim symbolum sunt pedes) rem sacram facito. *Decimo*: « Adoraturus sede, » id est dum oras, pacato et tranquillo animo sis, ut eum totum in Deum colligas et transfundas. *Undecimo*: « Cum veneris in templum, adora, nec interea aliud facias. » *Duodecimo*: « Ex itinere præter propositum in templum non ingreditor, » id est, rebus profanis et irreligiosis sacra et divina ne commisceas. *Decimo tertio*: « Ne absque lumine de rebus divinis loquere, » id est ne sine cœlesti illustratione, puta sine fide et sapientia divina, de Deo loquere. *Decimo quarto*: « Cum tonat, terram tange, » id est cum instant signa iræ Dei, te humilia memor tuæ originis, itaque Deum obseca. *Decimo quinto*: « Linguam coerceto, Deum imitans: nam proxi-

mus ille Deo qui scit ratione tacere. » Unde Pythagoras primo discipulos suos quinquennio silere jubebat. *Decimo sexto*: « Inter cætera colenda est perfectissima trinitas. » Videtur Pythagoras ab Ægyptiis et Hebræis hausisse tenuem aliquam notitiam Sanctissimæ Trinitatis, aut certe ternarium numerum, utpote primum perfectum, Deo dīcandum censuit. Vere enim dixit Theodoretus, lib. II *De Principiis*: « Anaxagoras, Pythagoras, Plato, ænigmata quædam de Deo ab Ægyptiis Hebræisque collegerunt.

Secundo, ethica Pythagoræ insignia sunt, quæ ab Hebræis et Chaldæis hausit. Nam et Salomon suam Ethicam per symbola tradidit; unde et eandem Proverbia et Parabolas inscripsit. Illustriora ergo in hoc genere Pythagoræ hæc sunt. *Primo*: « Jugum stateramve ne transilito, » id est æquitatis et justitiæ normam ne transgreditor. Ita S. Hieronymus et Plutarchus, licet aliter exponat Cyrillus Alexandrinus. Stateram, ait, ne transilito: id est avarus ne esto. *Secundo*: « Hirundines familiares non habe, » id est cum garrulis et nugacibus non conversare, silentes et silentium cole. *Tertio*: « Cum profectus fueris, ne redeas, ne reflectas, » id est cum vitam mutaveris in melius, noli reverti ad tuas cupiditates. *Quarto*: « Per viam publicam ne vadas, » id est vulgi errores et mores ne sequare. *Quinto*: « Ignem igni ne addas, et ignem gladio ne scalpas, » id est cum irato, præsertim divite, ne contendas, ne ei bilem acuas. Ita Clemens Alexandrinus, lib. VI *ἀναγκαστικόν*. *Sexto*: « Animalia unguicurvia ne nutrias, » id est cave ne domi fures aut rapaces habeas. *Septimo*: « Anulum angustum ne feras, » id est ne anxie vivas, ne servituti aliique obligationi te implices, ex qua explicare deinde te non possis. Ita S. Hieronymus. *Octavo*: « A fabis abstineto, » id est a suffragio ferendo (hoc enim fiebat per fabas) et a judiciis, id est a magistratu, abstine; aut, ut Cicero, lib. *De Divinat.*: « Fabas suis vetuit Pythagoras, quia faba habet inflammationem magnam (unde et fertur incitare ad libidinem, ac proinde hic cibustranquillitatem mentis quærentibus contrarius est. » *Nono*: « Cor ne edito, » id est ne te angas, ne te curis conficias. Ita Cyrillus. *Decimo*: « Sal appone, » id est ubique utere discretionem et prudentiam. *Undecimo*: « Ne frangas dentes, » id est ne detrahas cuiquam aut maledicas. *Duodecimo*: « Coronam ne carpito, » id est principes et magistratus ne carpas aut lacessas. *Decimo tertio*: « In cinere ollæ vestigium confundito, » hoc est, post inimicitiam nullum iræ vestigium serva, sed omnem ejus memoriam abole. *Decimo quarto*: « Adversus solem ne mingas, » id est omni loco pudorem et verecundiam serva. *Decimo quinto*: « Adversus solem ne loquere, » id est veritati manifestæ ne obstrepas. *Decimo sexto*: « In via ne ligna seces, » id est quæ communia et publica sunt noli turbare. *Decimo septimo*: « Elixum ne asses, » id est mansuetos ne irrita; est enim eorum ira tarda,

sed longa et implacabilis. Decimo octavo : « Gladium acutum averte, » id est a periculo abstine. *Decimo nono* : « Quæ ceciderunt ne colligito, » id est ne sis tuarum rerum amator ardentior. *Vigesimo* : « Non propter opes ducenda est uxor, » magis enim morum et virtutis habenda est ratio. *Vigesimo primo* : « Adoranda est Echo, cum flant venti, » id est occasione et tempori serviendum est, neque ventis reflandum. *Vigesimo secundo* : « Mitem arborem ne viola, nec cæde, » id est innocentes et mansuetos ne inquieta, ne vexa. *Vigesimo tertio* : « Super modium ne consistas, » id est otium fuge. *Vigesimo quarto* : « Oleo sedem ne commacula, » id est nihil agas quod cujusquam quietem turbet. *Vigesimo quinto* : « Sepiam piscem ne edas, » id est res implicatas ne suscipe. *Vigesimo sexto* : « In astrum nunquam digitum intende, » id est de supremis viris nihil temere loquere. *Vigesimo septimo* : « In arundineto non confabulare, » id est cum levissimis hominibus familiaritatem non habe. *Vigesimo octavo* : « Candelam ad parietem non applica, » id est tardis et frigidis hominibus sapientiæ laudes non commoda. *Vigesimo nono* : « In nive non scribe, » id est stupidis et mollibus animis nihil committe. *Trigesimo* : « Vulturem avem in augurio esse infelicissimam, » id est noxios homines facile esse infelices. *Trigesimo primo* : « Facilius emori hominem cui oculi claudantur, » id est hominem ipsum ex negligentia facile in miseriam cadere.

Politica.

Tertio, symbola Pythagoræ politica, sive partim politica, partim œconomica, partim ethica hæc sunt. *Primo* : « Extra publicam viam ne eas, » id est, consuetudines et publica instituta serva. *Secundo* : « Progredienti gregi de via decede, » id est multitudini te non oppone. *Tertio* : « A mustela e transverso retrocede, » id est homines delatores fuge; nam mustelam ore parere affirmant. *Quarto* : « Arma a muliere subministrata rejice, » id est non sume animos a fraude vel effeminata aliqua consuetudine. *Quinto* : « In tenebris absque vestitu aliquo non vade, » id est nudam et apertam sententiam in obscuris rebus non profer. *Sexto* : « Rectum pedem promove, » id est recta et justa profer. *Septimo* : « In poculi fundo residuum non relinque, » id est artes quas cœperis, funditus exhauri. *Octavo* : « Colubrum intra ædes collapsum non perime, » id est hospitem quamvis nocivum perhumaniter tracta. *Nono* : « Offensa in vestibulo obscœna vetula, non egredere, » id est res quarum turpia sunt principia, non prosequere. *Decimo* : « Noctu in tenebris deambulare cave, » id est enitere, ut fuisse in vita videaris. *Undecimo* : « Sole collucente ignem non defer, » id est rebus claris et perspicuis rationem non affer. *Duodecimo* : « Lapidem in fontem jacere scelus, » id est in eum qui det operam utilitati publicæ, durum aliquod injicere, scelus. *Decimo tertio* : « Pede in limine illo retrocede, » id est quæ in ipso principio noxia

sunt, non prosequere. *Decimo quarto* : « Lumen post caput appensum non detine, » id est industriam et providentiam non in postremis habe. *Decimo quinto* : « Sinistra manu cibum ne sumito, » id est non nisi recto et legitimo lucro vive. *Decimo sexto* : « In sacrato sepulcro non dormi, » id est res consecratas superbis ad voluptatem et socordiam non substerne. *Decimo septimo* : « Minuta panis pedibus non calca, » id est, quamvis minimam degendæ vitæ rationem non pessumda. *Decimo octavo* : « Egrediens introiensque, valvas exosculare, » id est initia et fines actionum et institutorum complectere. *Decimo nono* : « Lynam illotis manibus non attinge, » id est purissimum eum qui dicat esse oportet. *Vigesimo* : « Sudorem ferro non absterge, » id est labore parta nemini vi et viribus eripe. *Vigesimo primo* : « In solitudine sine baculo non ambula, » id est cum amicis in necessitatibus confer, et consule. *Vigesimo secundo* : « Apud quadrupedem poema non cane, » id est apud ignaros seria non profer. *Vigesimo tertio* : « Faciem in fluvio non lava, vel specta, » id est ex labili re, et penitus instabili specimen non appetite. *Vigesimo quarto* : « Hominis vestigia ferro non confige, » id est hominis memoriam non lacera. *Vigesimo quinto* : « Integrum fasciculum in igne non pone, » id est non una opes omnes in unum discrimen pone. *Vigesimo sexto* : « Egrediens e laribus sinciput, rediens occiput scalpe, » id est præcautionem et diligentiam ad res agendas excita, his peractis memoriter examina. *Vigesimo septimo* : « De rheda junctis pedibus non exili, » id est de statu in quo sis, in alium nisi sensim transi. *Vigesimo octavo* : « Puerum aut feminam stricto vagari gladio, omen malum, » id est non defuturum malum, si gubernatio ineptis et levibus tradatur hominibus. *Vigesimo nono* : « In chœnice non sede, » id est non tantum præsentis, sed et futuri curam habe; est enim chœnix diurna esca. *Trigesimo* : « Duorum temporum quam maxime habe curam, matutini et vespertini, » id est eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gesserimus.

Porro hieroglyphica, parabolas, adagia et ænigmata singulorum Prophetarum collegi et ordine digesta assignavi initio hujus operis : unde liquebit ex hisce fontibus sua hausisse Pythagoram, Platonem, aliosque Philosophos.

« Sciat Lector, ait S. Hieronymus in *Ezech. XL*, omnia prope verba Hebraica et nomina, quæ in Græca et Latina translatione posita, nimia vetustate corrupta, scriptorumque vitio depravata, et dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, imo nullius gentis; dum et Hebræa esse desierint, et aliena esse non cœperint. Ita *Ezech. XL, 7* et seq., pro Hebræo תַּיִם *taim*, id est thalami, corrupte in Septuaginta legitur *θεῖ*, *Gen. XLI, 44*, pro Hebræo, aut potius Ægyptio, *tsophnath paneach*, id est salvator mundi (quod nomen Pharaos imposuit Josepho)

corrupte in Septuaginta *ἡ προφητὴν*. Ita pro Hebræo *pascha*, pro *Jescua* vel *Jehoscua* *Jesus*, pro *Maschiach* *Messeas*, pro *Tsor Tyrus*, pro *Casdim Chaldæi*.

HARMONIA CHRONOLOGICA PROPHE TARUM.

Hoc est, tabula chronologica per annos mundi et Christi consignans singula oracula Isaïæ, et aliorum Prophetarum, conformis illi quam quasi probabilem Genesi præfixi. Scio varios varie hæc consignare, sed paucis annis, quibus una chronologia ab alia distat, additis vel demptis hæc tabula cuilibet illarum serviet.

REGES JUDA sibi continuo succedentes, sub quibus prophetarunt Prophetæ.

Ozias vel Azarias regnavit annis	52
Joathan	16
Achaz	16
Ezechias	29
Manasses	55
Amon	2
Josias	31
Joachaz mensibus	3
Joakim annis	11

A Joakim anno 11 finito, puta ab ejus cæde, et filii ejus Joachin transmigratione in Babylonem, incipiunt anni 70 captivitatis Babylonice, de quibus Jeremias, cap. xxv, vers. 11. Unde hinc annos prophetiæ suæ inchoat et consignat Ezechiel in tota sua prophetia.

Joachin mensibus 3
Sedecias annis 11

Anno 11 Sedeciæ, Nabuchodonosor regnum Juda et Jerusalem evertit, anno regni sui 18.

Regnavit post excisam Jerusalem Nabuchodonosor annis 26. Universim enim regnavit annis 44. Ei successit filius Evilmerodach sive Baltasar, qui regnavit annis 34. Baltasarem, capta Babylone, occiderunt Darius et Cyrus.

Itaque post Baltasarem in Babylone regnavit Darius anno uno, post Darium Cyrus annis 3.

In anno 3 Cyri finiuntur prophetiæ Danielis, qui ultimus omnium quatuor prophetarum prophetavit.

Anno mundi 3136, ante Christum 814,

qui fuit a diluvio annus 1479, a nativitate Abrahæ annus 1187, ab exitu Hebræorum ex Ægypto annus 682, ante Christi nativitatem annus 814, cœpit regnare Ozias, sive Azarias, rex Juda, regnavitque per annos 52. Sub quo prophetavit Osee, Joel, Amos et Isaïas, qui, si credimus Eusebio, præcise cœpit prophetare anno 17 Ozia, qui fuit annus ante Christum 797. Kursum sub Ozia cœperunt Olympiades. Annus enim 40 Ozia, qui fuit

ante Christum 774, fuit annus 1 primæ Olympiadis.

Anno mundi 3187, ante Christum 762,

qui fuit Ozia 52 et ultimus, vidit Isaïas, cap. vi, Dominum sedentem super solium excelsum, et duos Seraphim clamantes: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, » a quo per Seraphim carbone ignito purgatus, mittitur ad prophetandum, ac ad prædicendam futuram tempore Christi Judæorum incredulitatem et desolationem, Gentium vero vocationem, fidem et multiplicationem.

Anno mundi 3198, ante Christum 751,

qui fuit Joatham filii Ozia 11, Roma condita est a Romulo, qui in ea regnare cœpit, regnavitque 39 annis.

Anno mundi 3207, ante Christum 742,

qui fuit Achaz filii Joatham regnante apud Medos Dejoce, prædixit Isaïas Christi ex Virgine ortum, dicens cap. vii: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Additque regnum Israel æque ac Syriæ brevi fore destruendum, quod et contigit: nam eodem anno Phacee rex Israel, cum regnasset 20 annis, occisus est a duce equitum suorum, puta ab Osee, qui ei in regno successit. Rursum Teglah Phalar, rex Assyriorum, vastavit eodem anno regnum Israel, et regnum Syriæ, ejusque regem Rasin, qui cum Phacee contra Achaz et Judæos conjuraverat, occidit.

Sub hoc tempus floruit Sibylla Erythræa, cujus de Christi nativitate, judicio et resurrectione versus recenset S. Augustinus, libro VIII *De Civitate*, cap. xxiii.

Anno mundi 3219, ante Christum 730,

quo moriente Achaz successit ei filius Ezechias, puta anno 1 Ezechia, prophetavit Isaïas, cap. xiv, vers. 28, Ezechia victoriam et triumphum de Philistinis. Sub idem tempus idem prophetavit, cap. xiii et seq., onus, id est excidium, Babylonis per Cyrum, atque Moab, Damasci, Ægypti, Æthiopiæ, Idumææ, Arabiæ et Tyri per Nabuchodonosorem.

Anno mundi 3224, ante Christum 725,

qui fuit Ezechia regis Juda sextus, Osee regis Israel nonus et ultimus, Salmanasar capit Samariam cum rege Osee, regnum Israel evertit, decem

Tribus abducit in Assyriam, juxta onus et vaticinium *Isaiæ* cap. VII et VIII.

Tunc contigit historia Tobiae. Nam inter alios Tobias cum Anna uxore, et Tobia filio suo unico, ex tribu et civitate Nephthalim a Salmanasare abductus fuit in Niniven: qui cum ab infantia idola fugiens Deum sedulo coluisset, etiam in captivitate a lege et timore Dei non recessit: quocirca nactus gratiam Salmanasarum, accepit potestatem ut quocumque vellet iret: unde circumiens Israelitas concaptivos consolatus est, egentibus succurrit, Gabelo mutuavit decem talenta argenti.

Anno mundi 3232, ante Christum 717,

qui fuit Ezechiae 14, *Isaias*, cap. XX, incedens nudus per triduum, hoc suo facto portendit, et reipsa prophetavit spoliationem Ægypti et Æthiopiæ, quæ eodem anno facta est a Sennacherib, duravitque ad triennium.

Quocirca eodem anno Sennacherib, obsidens Jerusalem, blasphemias contra eam et Deum minas per Rabsacen evomuit; sed ad preces Ezechiae et *Isaiæ* Deus ejus arma ab ea avertit, alioque divertit. Excivit enim contra eum Taraca regem Æthiopiæ, de cujus adventu audiens Sennacherib, coactus est copias a Jerusalem contra Taraca abducere; ac cum eo confligens victor vastavit Ægyptum et Æthiopiam, uti jam dixi. *Isaiæ* XXXVI et XXXVII.

Eodem anno ægrotavit Ezechias, mortemque ei denuntiavit *Isaias*: flet ille Deumque pœnitens precatur: preces exaudit Deus, quindecimque annos se vitæ ejus adjecturum per *Isaiam* promittit. Ezechiae petenti signum dat portentum regressus solis et umbræ in horologio Achaz per decem lineas. Ergo *Isaias*, admovens ulceri Ezechiae cataplasma ficuum, illum curavit, qui sanatus die tertio ingressus templum, canticum eucharisticum Deo cecinit, *Isaiæ* XXXVIII.

Eodem anno Merodach rex Babylonis, solem retrocessisse obstupescens, mittit legatos et munera ad Ezechiam, ut quærerent quomodo et quare tale portentum accidisset: unde elatus Ezechias ostentat eis omnes thesauros domus suæ; ob quod ab *Isaia* increpitus, ab eo audit eosdem thesauros filiosque suos futuro tempore auferendos in Babylonem. Excipit patienter sententiam Prophetæ humilis rex, tantumque precatur: « Fiat pax et veritas in diebus meis, » illudquæ impetravit: cum enim feliciter 39 annos regnasset, in pace obdormivit, *Isaiæ* cap. XXXIX.

Anno mundi 3234, ante Christum 715,

qui fuit Ezechiae 16, et 3 Sennacherib ab invasione Judææ, Sennacherib, victor rediens ex Ægypto et Æthiopia, obsidensque rursum Jerusalem, plagam accipit ab angelo, cæsis 185 millibus Assyriorum, juxta oraculum et promissa *Isaiæ* cap. XXXVII, vers. 30 et 36. Quocirca fugit ipse, reditque in Niniven, iramque suam evomit in Is-

raelitas eo nuper abductos. Sic enim habet Tobias cap. I, vers. 21: « Cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, et tulit omnem substantiam ejus. Tobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. Post dies vero quâdraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, et reversus est Tobias in domum suam; omnisque facultas ejus restituta est ei.

Ab hoc anno 16, usque ad 29 et ultimum Ezechiae, *Isaiam* edidisse omnes reliquas prophetias, quas a cap. XL ad finem libri describit, censeat S. Hieronymus in cap. I *Isaiæ*. Has enim post cladem Assyriorum, cap. XXXVII, receptam subjungit *Isaias*. Porro illæ sunt de Christo et Ecclesia. Nam obiter prædicit Cyrum relaxaturum Judæos e captivitate Babylonica; prolixè autem prophetat Christum Cyri antitypum omnes homines redempturum e servitute peccati et diaboli, ac, relictis Judæis, vocaturum Gentes ad salutem, pro eis passurum, moriturum, ascensurum in cælum, daturum abundantiam honorum spiritualium et temporalium: omnes enim Gentes Christo et Ecclesiae se subdituras, ac reges et reginas fore ejus nutritios et nutrices, omnesque suas opes et gloriam in illam illaturos, eamque vultu in terram demisso adoraturos. Denique Christum retributorum fidelibus et piis felicitatem ineffabilem; infidelibus vero et impiis ignem inexstinguibilem.

Anno mundi 3247, ante Christum 702,

cœpit regnare Manasses filius Ezechiae, impius et idololatra, regnatque per 55 annos, qui proinde *Isaiam* sua scelera increpantem, licet cognatum suum, serra lignea medium serrat, et secat in duas partes, juxta fontem Siloe. Insuper et sanguinem innocentem fudit multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os. Quocirca immisit Deus principes regis Assyriorum, qui Manassem vinctum catenis ducerent in Babylonem, ubi ipse agens pœnitentiam, Deumque precans exauditur, ac post 10 annos ab eo restituitur regno: qui restitutus idola et aras aufert, altare cultumque Dei restaurat, eique totus servit, subditosque servire jubet, III *Reg.* XXI, et II *Paralip.* cap. XXXIII.

Anno mundi 3317, ante Christum 632,

qui fuit annus 13 Josiæ pii regis, Jeremias sacerdos in utero matris sanctificatus, etiamnum puer mittitur a Deo ad prophetandum; cumque causaretur pueritiæ, manu Domini tactus ad os accipit donum prophetiæ, audaciam ac robur invincibile ad libere prophetandum et concionandum. Hoc ergo anno 13 Josiæ, videt cap. I, ollam succensam, et virgam vigilantem venientem a facie Aquilonis, per quæ portendi enuntiat ad-

ventum Nabuchodonosoris e Babylone, qui Judæam et Hierosolimam ob ejus scelera evertat, populum aut trucidet, aut captivum abducat, terramque desolet.

Anno mundi 3335, ante Christum 614,

qui fuit Josiæ 31 et ultimus, ascendit Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum. Josias autem, volens impedire transitum ejus per Judæam, perguit ad resistendum. Cui Nechao ait: « Non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugnam domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui tecum est, ne interficiat te. » Noluit Josias acquiescere Dei verba loquenti; sed pugna congressus in campo Mageddo a sagittariis vulneratur, ac relatus in Jerusalem moritur, lugetque eum universus populus, Jeremias maxime, cujus lamentationes super Josiam in exsequiis cantatæ, longo deinceps tempore replicatæ sunt.

Joachaz, qui et Sellum, filius Josiæ, vigesimus rex Juda, inique crudeliterque regnat 3 mensibus. Interim Nechao, potitus victoria, venit in Jerusalem, Joachaz vinctum mittit in Ægyptum, et tributo Judæis imposito, fratrem ejus Eliakim, qui et Jechonias, regem constituit, vertitque nomen ejus Joakim. Hic regnat annis 11, occidit Uriam prophetam, eo quod prædicaret Jerusalem destruendam esse, et projecit cadaver ejus in sepulcris vulgi ignobilis. Hunc et Joachaz prædictum leones vocat Ezechiel, quia populum violenter oppresserunt.

Tunc Dei jussu Jeremias, intrans domum regis Juda, ait de primogenito Josiæ: « Nolite flere mortuum. » Mox de Joachaz subdit: « Plangite eum qui egreditur; quia hæc dicit Dominus ad eum: Non revertetur huc amplius, sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur. » Deinde ait de Joakim: « Hæc dicit Dominus ad Joakim: Non plangent eum, sed sepultura asini sepelietur, projectus extra portas Jerusalem. » Ac demum ad filium ejus Joachin, sive Jechoniam adjecit: « Vivo ego, dicit Dominus; quia si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu regis Babylonis, et mittam te et matrem tuam in terram alienam, ibique moriemini. »

Sub hæc Jeremias prædicans in templo omni populo, nisi respiscant, templum urbemque destructum iri, apprehenditur a sacerdotibus et pseudopphetis, ac coram principibus accusatur ut occidatur: quibus respondet se a Deo missum, ut ista nuntiaret: unde per principes et seniores absolvitur; Ahicam enim filius Saphan eum liberavit, *Jerem. xxvi, vers. ult.*

Sub idem tempus jubetur Jeremias a Deo facere vincula et catenas, eaque gestare et imponere collo suo, ac postea sub Sedecia eadem mittere ad reges Tyri, Sidonis, Edom, Moab, Ammon, ut per illa significet et portendat, eis vincula et captivi-

tatem imminere a Nabuchodonosore, ut patet *Jerem. xxvii, vers. 1 et seq.*

Anno mundi 3338, ante Christum 611,

anno 3 regni Joakim ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, obsidet Jerusalem, capit Joakim regem cum multis nobilibus, inter quos erant et Daniel adhuc puer, et Ananias, Misael et Azarias. Regem vinctum catenis cum aliis, partemque vasorum templi quam celerrime potuit, abducit in Babylonem, ubi vasa ponit in templo Dei sui. Daniele autem, et tres socios ejus, eo quod semine regio prognati cæteros forma et ingenio præcellerent, ibi cibus regiis nutriri, ac lingua et litteris Chaldæorum erudiri facit, ut post triennium starent coram rege, qui consensu præpositi eunuchorum abstinentes a dapibus regiis, et solis leguminibus et aqua victitantes, vultus corpulentiam, ac sapientiam supra cæteros coævos suos, qui cibo regio vescebantur, a Deo obtinent; et Daniel præterea intelligentiam somniorum: triennioque expleto, stant coram rege decuplum omnes magos Chaldæorum superantes.

Anno mundi 3339, ante Christum 610,

qui fuit 4 Joakim, prophetat Jeremias, cap. *xlvi, vers. 2 et seq.*, quod Chaldæi profligabunt Ægyptios cum suo rege Pharaone Nechao. Nechao enim ex victoria et strage Josiæ, Judæos sibi subjugaverat. Collecta ergo multitudine Ægyptiorum, Libyum et Lydorum, venit vindicaturus se de Chaldæis quod vectigales suos Judæos abegissent in Babylonem. Anno igitur 4 regni Joakim in Babylonica captivitate detenti, commissum est prælium juxta flumen Euphraten in Charcamis; ubi rex uterque cecidit, inquit Adrichomius in *Chronico*, scilicet Nechao senior, et Nabuchodonosor senior: (sed de hoc alias), Ægyptii cæsi: Chaldæi vero, superiores effecti, tollunt ab Ægyptiis quidquid illi abstulerant Assyriis, ab Euphrate Ægyptum usque: tunc restitutus Joakim regno suo fit tributarius regi Babylonis, servitque ei sub tributo 3 annis. Et hic primus annus est regni Nabuchodonosoris junioris, cognomento Magni, regis Babylonis, qui deinde regnavit annis 45.

Hoc eodem anno 4 Joakim, clamat Jeremias ad Judæos, se jam per annos 23 prophetasse: at quia nec se, nec reliquos Prophetas hortantes ad pœnitentiam audire voluerunt, prænuntiat ipsos a rege Babylonis capiendos, eique servituros 70 annis. *Jerem. cap. xxv, xlvi, xlvii, xlviii, xlix, l et li.*

Prophetatque omnes in circuitu gentes, Ægyptios, Philistæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, etc., bibituras de calice Babylonis vinum furoris Domini: et post 70 annos ipsam etiam Babylonem bibituram, et a Medis penitus subvertendam, ac in perpetuam solitudinem redigendam, et tum demum Israelem reversurum in

Translatio Danielis et sociorum ejus.

Joakim tributarius Babyloniis.

Captivitas 70 annorum prædictatur.

Babylon calix & virga furoris Domini.

Josias sagitta necatur.

Genebrardus anno mundi 3337.

Joakim rex Juda.

Prophetia contra domum regia.

Jeremias occidendus.

terram suam, atque ibi bene beateque victurum.

Eodem anno 4, rex Joakim claudit Jeremiam in carcere : ubi anno 5 Joakim, mense novembri, Dei jussu Baruch scriba et notarius Jeremiæ scribit in libro ex ore Jeremiæ omnes prophetias ejus contra Judam et Gentes. Inde missus a Jeremia cum libro ad populum in templo congregatum, atque jejunia celebrantem, ibi legit eum coram omni populo, ut resipiscant. Deinde accersitus ad principes, legit eundem coram omnibus principibus in domo regis; qui obstupescentes, dicunt ad Baruch: « Vade, et abscondere tu et Jeremias. » Solvunt ergo Prophetam, et ingressi ad regem nuntiant ei verba libri; quem rex statim legi, et paucis in eo lectis, cultro scindi, et in igne comburi facit, Jeremiam et Baruch quærit ad mortem, sed abscondit eos Dominus. Cujus jussu mox Baruch ex ore Jeremiæ easdem prophetias in alio libro scribit; et insuper addit, quod ob combustionem prioris libri, cadaver Joakim projicietur ad æstum per diem, et gelu per noctem, *Jerem. xxxvi.*

Liber Jeremiæ scribitur

legitur,

curitur,

rescribitur.

Tunc Jeremias arguit Baruch pusillanimitatis, quod quereretur se dolorem habere, non requiem; cui tamen in cæterorum vastatione promittit animæ salutem.

Anno mundi 3342, ante Christum 607,

qui fuit annus 7 Joakim, Joakim Ægyptiorum fesus auxilio, rebellans contra Nabuchodonosorem, negat ei tributum, nolens ultra servire Chaldæis; unde missi a Deo exercitus Chaldæorum, Syriæ, Moab, Ammon, disperdunt Judam propter peccata Manassis. Tunc Jeremias Dei mandato accedit ad Rechabitas, qui ex præcepto patris sui religiose vivebant, non bibentes vinum, nec habentes agros aut vineas, in tabernaculis pro domibus habitantes, jamque necessitate belli in urbe habitantes: et propinat eis vinum; quod cum bibere nollent, exemplo obedientiæ ipsorum arguit pertinacem Judæorum inobedientiam, Dei præceptum negligentium; quapropter his supplicium, illis autem præmium prænuntiat.

Susanna et Daniele liberatur.

Erant tunc in Babylone duo senes presbyteri, judices Judæi, Achaz et Sedechias, qui castissimam Susannam Judæam, clam in horto se lavantem, ad libidinem seu stuprum concupiscentes, cum ejus concubitu frui non possent, ipsam coram populo falso adulterii accusant; quæ cum damnata duceretur ad mortem, Deumque oraret, Dei spiritu suscitatus puer Daniel, cap. xiii, retractat judicium, ipseque senes separatim interrogatos, proprio ipsorum ore de falso testimonio convincit: quos lege talionis populus lapidare properabat; sed jussu Nabuchodonosoris igne combusti sunt, sicut prædixerat Jeremias, cap. xxix, vers. 23.

Anno mundi 3346, ante Christum 603,

anno 11 regni Joakim, Nabuchodonosor veniens

Hierosolymam, occisum Joakim projicit extra Jerusalem, a bestiis avibusque lacerandum, regem constituit filium ejus Joachin; qui et Jechonias. Hic regnat menses 3, dies 10, malitia patri similis, nomine dissimilis, IV Reg. xxiv; II Paralip. xxxvi; III Esdr. i.

Mors Joakim.

Anno mundi 3347, ante Christum 602.

Post tres autem menses verno tempore, Nabuchodonosor reversus obsidet Jerusalem; ad quem exiens de consilio Jeremiæ, rex Joachin et mater, uxores et principes ejus, omnesque nobiles et optimates Juda, inter quos erant et juvenis Ezechiel, et Mardocheus, et Josedec pontifex, ultro se tradunt regi Babylonis, qui eos una cum cæteris vasis ac thesauris templi ac palatii, ac ditioribus, robustis et optimis quibusque artificibus transfert in Babylonem; ubi Joachin carceri traditur: regem autem constituit ejus patruum Mathaniam, filium Josiæ, facitque eum jurare per Deum, quod fideliter sub tributo serviet Chaldæis; in signum cujus vertit nomen ejus, vocatque eum Sedeciam, quod justitiam Domini sonat. Hic impie regnat annis 11, faciens malum, nec obediens consilio Jeremiæ. IV Reg. xxiv; II Paralip. xxvi; III Esd. i; Jerem. cap. xxxvii et lii.

Hierosolymus super Matthei et Damel.

Transmissio gratio Babylonis.

Anno 1 regni ejus videt Jeremias, cap. xxiv, ficus optimas et pessimas, divinitus positas ante templum, auditque priores significare Judæos jam pridem translatos in Babylonem, eosque a Domino reducendos in Judæam; posteriores vero designare eos qui manserant in Jerusalem, eosque gladio, fame et peste prodendos. Statimque scribit Jeremias, et mittit litteras ad eos qui ducti erant in Babylonem, quod post 70 annos reversuri sint in terram suam: eos vero qui Hierosolymis remanserant, gladio, fame et peste consumendos. Prophetat et veram populi liberationem per Christum futuram, novamque legem in cordibus scribendam, ac Jerusalem reædificandam, ubi libere, secure, et læte in cunctorum affluentia honorum serviant Domino, Jerem. cap. xxix, xxx et xxxi.

Visio ficuum.

Epistola Jeremiæ ad captivos Babylonis.

Sub idem tempus mense julio, Ananias pseudopropheta tollens in templo coram sacerdotibus et omni populo catenam ligneam de collo Jeremiæ, quam jussu Dei in signum futuræ captivitatis portabat, eamque confringens ait: Sic contret Deus, post duos annos, jugum regis Babylonis de collo omnium gentium, et rex Jechonias omnesque transmigrati cum vasis templi huc revertentur; sed Jeremias, jussu Dei pro lignea catena ferream portans, Ananiam falsa vaticinari, ideoque brevi moriturum denuntiat, qui secundo post mense obiit, Jeremiæ xxiii.

Jeremias catenam portat.

Tunc quoque Jeremias misit catenas ad quinque reges, Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sydonis per legatos ipsorum, qui venerant ad Sedeciam, quibus monet illos, simul ac regem Juda, si servire velint regi Babylonis, permansuros in terra

sua, alioqui perituros gladio, fame, peste : prædicat etiam sacra vasa, quæ reliqua sunt Hierosolymis, transferenda in Babylonem, et tandem referenda Hierosolymam.

Anno mundi 3350, ante Christum 599,

qui fuit quartus Sedeciae, Jeremias, cap. XIX, conterit lagunculam in atrio templi, ut ostendat populum sic esse conterendum. Hinc cap. XX, incarceratus a Phassur minatur ei interitum, atque ex tædio vitæ et ærumnarum acerbitate maledicit diei nativitatis suæ.

Eodem anno prophetat, cap. L et LI, excidium Babylonis per Cyrum : unde, vers. 50, scribit in libro omnia mala quæ imminuebant Babyloni, atque librum tradit Sarviæ oratori Sedeciae, eunti cum eo in Babylonem, eique præcipit, ut coram Judæis eum legat, deinde alligatum lapidi projiciat in Euphratem, ac dicat : « Sic submergetur Babylon, » *Jerem. LI et LIX.*

Eodem anno Jeremias, cap. XIII, vers. 18, mittitur a Deo ad Sedeciam rebellantem Chaldæis, et ad reginam, ut nuntiet eis regni eversionem, ut patebit ex chronotaxi Jeremiæ.

Anno mundi 3351, ante Christum 598,

qui fuit transmigrations Joachin in Babylonem 5, et regni Sedeciae quintus, die 5 junii, Ezechiel sacerdos Judæus in Babylone anno 30 ætatis suæ, videt in nube ac igne similitudinem quatuor animalium, nempe hominis, leonis, bovis et aquilæ, impetu spiritus recta incedentium, et effigiem hominis sedentis in throno gloriæ Dei, mystice representantes Christum ac quatuor Evangelistas : jussusque comedit librum cœlitus missum, scriptum intus et foris, continentem lamentationes, carmen et væ; atque ita constantia spiritus accepta, divinitus mittitur ut prophetet Judæis concaptivis suis in Babylone : cumque per septem dies taceret, visa rursum in campo gloria Domini, jubetur in domo sua includi quasi vinctus ac mutus, et figurare ac depingere in tabula obsidionem Jerusalem, et inter se et civitatem sartagine ferream ponere pro muro, qui remedium cœlestis auxilii capiendis excluderet : atque assumptis iniquitatibus Israel dormire super latus suum sinistrum 390 diebus, deinde super latus dextrum 40 diebus, assumptis iniquitatibus Juda, et quotidie comedere panem in pondere, cibum vilem, modicum, confectum stercore boum, et bibere exiguum aquæ in mensura. Jubetur et pilos capitis et barbæ sibi detondere, detonsos tripartitum consumere. Atque his omnibus designabat et denuntiabat, propter perpetratas iniquitates futuram arctissimam civitatis Jerusalem obsidionem, totiusque Judææ extremam ac inevitabilem vastationem ac desolationem, *Ezech. capitibus I, II, III, IV, V, VI et VII.*

Anno 6 transmigrations, die 5 augusti, Ezechiel raptus in spiritu et ductus in Jerusalem,

videt ibi in templo pessimas Judæorum abominaciones idololatriæ, et ob eas, variaque scelera quibus Sodomam et Samariam superabant, etiamsi Noe, Daniel et Job pro ipsis orarent, omnes et singulos, qui a viro lineis vestito non essent signo *thau* in fronte notati, occidendos, urbemque exurendam : Sedeciam autem regem, eo quod confederatus regi Ægypti, rupto ac fracto juramento rebellaret contra Nabuchodonosorem, capiendum et adducendum in Babylonem, ipsum tamen eam non visurum, ibique moriturum; eos vero qui se dedentes Chaldæis transmigrarent in Babylonem, reversuros in patriam.

Anno 7 transmigrations, die 10 julii, Ezechiel Judæis a se responsum divinum quærentibus, replicat beneficia Dei Israelitis in Ægypto, in deserto, et in terra promissionis exhibita, semperque tamen eos fuisse rebelles imperio, ideoque Hierosolymæ irrevocabilem minatur gladium, cladem et excidium, *Ezech. capitibus XX, XXI, XXII et XXIII.*

Anno mundi 3355, ante Christum 594,

anno 9 Sedeciae, die 10 decembris, venit Nabuchodonosor cum exercitu, arctissimeque obsidet Jerusalem sesquianno, nisi quod medio tempore duobus mensibus propter Ægyptos abfuerit, interea fames tanta in civitate obsessos pressit, ut parentes comederent liberos suos, et liberi parentes, libro IV *Reg. XXV; Jerem. XXXIX et LII, et XIX; Ezech. V.*

Eodem die, mane Ezechiel per ollam electis carnibus et ossibus plenam, ignibus admotam et liquefactam, significat transmigratis fore incendium Jerusalem, populique excidium. Vespereque ejusdem diei obiit dilecta uxor ejus, pro qua prohibetur a Deo lugere, in signum futuræ desolationis templi; prophetatque imminere etiam Ammonitis, Moabitibus, Idumæis, et Palæstinis seu Philistæis exitium, quod de afflictione Jerusalem exsultaverint, *Ezech. XXIV et XXV.*

Tunc mittit Sedecias rex nuntios ad consulendum Jeremiam : quibus respondet Propheta Sedeciam regem capiendum, urbemque exurendam; qui vero e populo manserint in urbe, fame, peste ac gladio morituros; qui autem profugerint ad Chaldæos victuros, *Jerem. XXI.*

Anno mundi 3356, ante Christum 593,

anno 10 Sedeciae, Jeremias missus a Domino ad Sedeciam, dicit ei, quod civitas caperetur ac incenderetur, et rex non effugeret, sed captus visibiliter, cum coram Nabuchodonosore loqueretur, non tamen gladio occideretur, sed ductus in Babylonem, ibi in pace morte naturali moreretur : quam ob causam claudit rex Prophetam in carcere ad dies aliquot, *Jerem. XXXII et XXXIV.*

Jeremias autem positus in carcere, jussu Domini emit a patre suo agrum qui erat in Anathot, præcipitque ipsi Baruch, ut curet litteras emptio-

Jerusalem obsidetur.

Ezechielis uxor moritur.

Prophetia Jeremiæ.

Jeremias incarceratur.

Jeremias agrum emit.

Ezechiel incipit prophetare concaptivis in Babylone.

Destructio Jerusalem diversimode variis signis præfiguratur.

nis sigillatas poni in vase fictili et servari; testificans Jerusalem quidem destruendam, et populum captivandum; sed iterum reversurum, ac secure possessurum agros suos in prosperitate. Prophetat etiam Christum nasciturum, factaque redemptione, feliciter in omni gaudio super domum Jacob et David regnaturum sine fine, *Jerem. capitulum xxiii et xxxiii.*

Post hæc Sedecias in arcto positus ob imminens periculum, eo quod adesset septimus annus, hoc est sabbatum terræ, dimittit Prophetam, et convocat populum in templum: feriunt pactum coram Domino, ut unusquisque dimitteret servos suos liberos: et in signum firmitatis pacti, inter partes conscissi vituli transeunt, imprecantes sibi novissimas pœnas, nisi pacta servarent; itaque servos dimittunt, *Jerem. xxxiv.*

Interea exercitus regis Ægypti venit in Judæam, promissum Judæis allaturus auxilium: quo audito Chaldæi, solventes obsidionem Jerusalem, pergunt obviam Ægyptiis, eosque retrocedere compellunt, *Jerem. xxxvii.*

Eodem anno 10 in decembri prophetat Ezechiel, eo quod rex Ægypti auxilium præstitisset Judæis, Ægyptum per Nabuchodonosorem esse vastandam, destruendam et in solitudinem redigendam: post 40 autem annos restituendam, licet non ad pristinam gloriam, *Ezech. xxix et xxx.*

Cum recessissent autem Chaldæi, Judæi rati se omnino esse liberatos, statim servos dimissos retrahunt in servitutem. Unde Dominus, per Jeremiam fœdifragos increpans, dicit ipsos gladio, peste et fame perituros, *Jerem. xxxiv.*

Quin etiam Jeremias Sedeciae regi ab ipso divinum responsum petenti respondet: Ægyptios reversuros in terram suam, et Chaldæos redituros Hierosolymam, urbemque exusturos, *Jerem. capite xxxvii.*

Tunc Jeremias volens exire in Anathot viculum, unde fuit oriundus, ad possidendum agrum, quem emerat, comprehenditur in porta a custodibus falso accusantibus, quod ad Chaldæos transfugeret, ac jussu principum cæcus mittitur in carcerem, seditque ibi diebus multis. Inde eductus a rege Sedecia, et abscondite veritatem interrogatus, ait ipsum vere capiendum. Itaque reponitur in carcere, assignata ipsi quotidie torta panis, donec consumerentur omnes panes civitatis obsessæ, *Jerem. xxxvii.*

Interea fugatis Ægyptiis, continuatur obsidio Jerusalem. Jeremias autem incessanter prædicabat e carcere omni populo urbem capiendam, ac manentes in ea gladio, fame et peste morituros; qui vero ad Chaldæos transfugissent mortem evasuros. Quare principes petunt a rege Prophetam occidi, ejusque consensu exemptum e carcere fune demittunt in lacum lutosum, ut ibi moreretur fame; sed, connivente rege, extrahit eum Abdemelech Æthiops eunuchus, ac reponit et recidit in carcere: qui Abdemelech propter hoc benefi-

cium, et maxime quia semper confidebat in Deo, audit a Jeremia se divinitus a captivitate et morte liberandum, *Jerem. xxxviii et xxxix.*

Post hæc Jeremias iterum clam ductus ad regem, ac secrete interrogatus, suadet ac consulit ei, ut se dedat Chaldæis, sic ipsum urbemque salvos fore: alioquin urbem ab eis comburendam, ipsumque non effugiturum; quo dicto reducitur, ac recluditur in carcere, manetque ibi usque dum capiatur, *Jerem. xxxviii.*

Anno mundi 3357, ante Christum 592,

anno autem 11, prima die mensis martii, prophetat Ezechiel Tyrum, urbem maris inclytam, ac frequentia negotiatorum opulentissimam, a Nabuchodonosore evertendam, eo quod super afflictione et destructione Jerusalem exultaverit: regem autem Tyri ob ejus superbiam, qua se Deum, ac sapienterem Daniele, viro jam tunc magni nominis et famæ, propter interpretationem somniorum regis liberationemque Susannæ, jactabat, occidendum: Judæos vero reducendos in terram suam, *Ezech. cap. xxvi, xxvii et xxviii.*

Eodem anno 11, die 5 maii, comparat Ezechiel Pharaonem cum rege Assyriorum: quod sicut Assur sublimis dejectus est, ita deiceretur et regnum Ægyptium, *Ezech. xxxii.*

Eodem anno 11 Sedeciae, qui erat 19 Nabuchodonosoris, die 5 juni, Chaldæi perrumpunt exteriorem murum Jerusalem, et intrant usque ad portam interiorem secundi muri: quo viso, rex Sedecias nocte perviam subterraneam cum suis principibus fugiens, a Chaldæis comprehenditur in campo Jericho, et ducitur ad Nabuchodonosorem in Reblata; qui objurgato eo de infidelitate et perjurio, filios ejus principes Juda in conspectu ejus occidit: deinde eruit oculos ejus, et vinculum catenis mittit et adducit in Babylonem; ubi mancipat eum carceri usque ad mortem, *IV Reg. xxv; Jerem. xxxix et lii,* impletumque est verbum Domini quod dixerat: « Adducam eum in Babylonem, et ipsam non videbit, » *Ezech. xii.*

Die 9 junii, Chaldæi capiunt urbem Jerusalem, populum occidunt non parentes adolescenti, virgini, seni. Die 7 julii, venit Nabuzardan princeps exercitus, et comburit palatium regis, omnesque domos Jerusalem. Porro die 10 julii, incendit templum Domini, cum stetisset annis 440, simulque combusti sunt libri sacri, qui passim in Scriptura citati jam non exstant. Insuper universas turres, et muros urbis Jerusalem per circuitum, et reliqua ædificia destruit; populum residuum cum transfugis ac vasis templi abducit in Babylonem: reliquit Hierosolymæ tantum pauperes aliquot rusticos ad colendam terram, quibus præficit Godoliam. Jeremiam vero Nabuzardan ex mandato Nabuchodonosor solvit a catenis, et educit e carcere, datque ei libertatem, facultatem et optionem vel proficiscendi in Babylonem,

Sedecias consultit Jeremiam.

Prophetia contra Tyrum.

Generardus anno mundi 3368.

Sedecias capitur, excrucatur, incarcerationatur.

Jeremias captus, exuritur.

destruitur.

Jeremias liber dimittitur.

Dimissio servorum.

Adventus Ægyptiorum.

Prophetia contra Ægyptum.

Retractio servorum.

Jeremias capitur.

Jeremias mittitur in lacum.

promittens se eum ibi honorifice habiturum, vel habitandi ubicunque voluerit. At Propheta malens in patria residere, multis cibariis ac muneribus ab eo donatus, ac Godoliæ commendatus, una cum Godolia habitat in Masphat : ubi Godolias Judæos passim dispersos benigne recipit, eisque securitatem promittit, dummodo servire velint regi Babylonis : a quibus monetur, ut caveat sibi ab Ismaele intentante ei mortem ; qui tamen non credit, nec audit bene monentes, *IV Reg. xxv* ; *II Paralip. xxxvi* ; *Jerem. xxxix* et *LII* ; *III Esdr. I*.

Habitat
in Mas-
phat.

Threni
Jeremiæ.

Porro Jeremias amaro animo sedens, dolens, ac flens quadruplici alphabeto metrico lamentatur destructionem Jerusalem, ac in sua afflictione antitype plangit Christi passionem, mortem et sepulturam, ac Ecclesiæ desolationem, oratque Deum pro desolatis, *Thren. cap. II, III, IV et V*.

Occisio
Godoliæ.

Tertia autem die septembris, Ismael Judæus proditorie occidit in Masphat Godoliam, aliosque complures Judæos ac Chaldæos qui cum eo erant. Unde cum et ipse a reliquiis Judæorum quaereretur ad necem, fugit cum octo viris ad Ammonitas, *Jerem. xli* ; *IV Reg. xxv*.

Reliquiæ
Judæo-
rum.

At reliquiæ Judæorum, timentes a Chaldæis facti ultionem, statuunt fugere in Ægyptum, rogant Jeremiam ut oret ac consulat Dominum quid facere debeant, jurantes facturos se quidquid ille jusserit. Decima post die, respondet Dominus per Jeremiam ipsos Dei præsidio fore salvos, si in Judæa maneat : sin autem in Ægyptum fugiant, protestatur eos omnes ibi gladio, fame et peste morituros. At illi, spreto Dei oraculo, cogentes Jeremiam et Baruch secum proficisci, simul abeunt ac proficiscuntur in Ægyptum, habitantque juxta Taphnis. Ubi Jeremias prædicat illis Nabuchodonosorem venturum, et vastaturum Ægyptum cum idolis suis, eique dominaturum, *Jerem. cap. xlii* et *xliii*.

Fuga in
Ægyptum.

Anno mundi 3358, ante Christum 591.

Post hæc Judæi in Ægypto reprehensi a Jeremia super idololatria, quod ibi sacrificarent idolis, obstinate respondent una cum multitudine mulierum permansuros se in idololatria inveterata, ac sacrificaturos reginæ cœli, id est lunæ, quos Jeremias prædicat universos gladio et fame penitus consumendos, regemque Ægypti Pharaonem capiendum : et quia non destitit ipsos arguere, lapidaverunt eum ibidem ; quem honorantes Ægyptii, ob fugatos ipsius oratione serpentes ab eodem loco, sepeliverunt eum juxta sepulcrum regum suorum, magnaue eum ibi religione venerantur, *Jerem. xlii*.

Judæi
persis-
tunt in
idolola-
tria.

Jeremias
à Judæis
lapidatur.

Post hæc emergunt alii Judæi de locis vicinis, ad quæ profugerant, et dicunt : Unus erat Abraham, et possedit terram : nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem ; itaque euntes habitant ibi in ruinis et maceris urbis, *Ezech. xxxiii*.

Anno 1 desolationis Jerusalem, qui erat trans-

migrationis 12, die 5 decembris, venit quidam fugitivus de Jerusalem in Babylonem ad Ezechielem, dicens : Vastata est civitas : quo tempore prophetat Ezechiel, quod reliquiæ Judæorum, qui habitabant in ruinosis, propter iniquitates suas, a bestiis, et gladio ac peste perderentur, et terra in solitudinem redigeretur, *Ezech. xxxiii*.

Eodem anno, die 1 februarii, Ezechiel plangit super futura Pharaonis à Nabuchodonosore occisione, ejusque ac plurium nationum ad inferos descensu : eo quod dederint terrorem suum in terra viventium, hoc est, Judæorum et Patriarcharum : quos propter notitiam et cultum Dei, Dominus in Evangelio viventes appellat, *Matth. xxii*. Describit etiam Evangelici prædicatoris officium, ac pro pastoribus Judæorum neglecto grege seipsos pascentibus, promittit verum pastorem Christum, qui suas oves congregabit, sanabit, et pascet in pace et ubertate. Ad hæc prædicat Idumæam vastandam et destruendam, eo quod populum Dei afflixerit : Israellem vero a captivitate reducendum, ac restituendum, in terram suam, ubi uniti sub uno rege ac pastore Christo in felicitate habitabunt, et in præceptis Dei ambulabunt. Cujus restitutio ostenditur Prophetæ in campo per ossa arida reviviscentia, mystice etiam resurrectionem generalem mortuorum præfigurantia. Postremo vaticinatur Gog et Magog in novissimis diebus cum instructo ingentique exercitu, ab Aquilone venturos in terram Israel, ibique perituros. *Ezechielis capitibus xxxii, xxxiii, xxxiv, xxxv, xxxvi, xxxvii et xxxviii*.

Propheta
Ezechie-
liæ.

Anno mundi 3362, ante Christum 587,

qui fuit ab excidio et desolatione Jerusalem 3. Nabuchodonosor juxta vaticinia *Isaiæ*, cap. *xxxii*, et *Jeremiæ* cap. *xlvi*, vers. 13, invasit et occupavit Cœlesyriam, Ammonitas et Moabitas (ita Josephus *X Antiq. xi*) ac cepit obsidere Tyrum, quam 13 annis obsedit, tandemque expugnavit. Ita *Ezechiel. cap. xxix*, vers. 18, et Josephus. Eodem anno, qui fuit Nabuchodonosoris 24, die 17 mensis quinti, Baruch librum a se conscriptum legit Babylone coram Jechonia, et toto populo, quo Judæis in Babylone dat monita salutis, eos nimirum ob peccata abductos in captivitatem, sed cum gloria reducendos in Jerusalem. Rursum per Christum Deum, hominem futurum, ac in terra cum hominibus conversaturum, plenius et perfectius homines fore docendos viam sapientiæ ac salutis, ab eoque redimendos, ac æterno honore, splendore ac jucunditate exilarandos, et condecorandos in lumine majestatis Dei. *Baruch cap. i*, et seq.

Anno mundi 3374, ante Christum 578.

Anno 14 ab excidio Jerusalem, qui est 25 transmigrationis, die 10 Martii, Ezechiel in spiritu ductus in terram Israel, angelo ei ostendente, videt sub figura civitatis (Jerusalem) et templi, certa

Visio
Ezechie-
liæ.

mēsurā ac dimensione super montem reedificandi, ac gloria Dei replendi, Ecclesiæ Christi sacro-sancta mysteria. *Ezechiel.* capitibus **XL, XLI, XLII, XLIII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII et XLVIII.**

Anno mundi 3373, ante Christum 576,

qui fuit ab excisa Jerusalem 16, a transmigra-
tione Joachin 27, Nabuchodonosoris 35, post lon-
gam et molestam obsidionem 13 annorum Tyrus
capta est a Nabuchodonosore : quocirca Deus
ipsi, ejusque exercitui promittit quasi pro mer-
cede, se daturum ei Ægyptum in prædam, eo
quod tot annis servierat ei in oppugnando et
vastando Tyrum, *Ezech. xxix, 17.* Quapropter Na-
buchodonosor hoc eodem anno invasit et occu-
pavit Ægyptum, eaque subacta factus est mo-
narcha.

Tandem Ezechiel apud Babylonem a iudice
populi Israel, quod eum de cultu idolorum ar-
gueret, interfectus ac martyrio laureatus, sepul-
tus est in sepulcro Sem et Arphaxad, Abrahæ
progenitorum; ad quod multi orationis causa
confluere consueverunt, uti habet Martyrol. Ro-
manum, quarto Idis aprilis.

Anno mundi 3375, ante Christum 574,

qui fuit a vastata Ægypto, et consequenter a
monarchia Nabuchodonosoris 2, regni vero ejus
37. Nabuchodonosor jam superbus, et gloriosus
triumphator; reversus in Babylonem, vidit in
somnia statuam quadriformem, scilicet capite
aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibiis fer-
reis, portendentem quatuor imperia mundi, quæ
a lapide de monte abscisso, id est a Christo, con-
trita est, prout ei explicuit Daniel, cap. II, ideo-
que a rege honoratus fuit, et toti Babylonie præ-
positus. Mox insolescens rex, eo quod audiret a
Daniele se suumque regnum esse caput aureum,
statuam suam auream erigit, atque in ea ab om-
nibus se adorari facit : quam cum, cæteris ad-
orantibus, Ananias, Azarias et Misael adorare nol-
lent, jussu regis conjiciuntur in fornacem ignis
ardentis; at injectoribus a flamma combustis,
illi in medio ignis cum angelo Dei illæsi et in-
tacti ambulantes, cantico benedicunt Domino,
atque ad laudem ejus omnem creaturam exhor-
tantur : quod Nabuchodonosor animadvertens
obstupescit, ac illis de fornace evocatis, bene-
dicit Deum ipsorum, jubens ac mandans edicto,
ut occidatur quisquis eum blasphemaverit.

Post hæc vidit Nabuchodonosor somnium de
excelsa arbore succidenda, quod solus Daniel in-
terpretatur de futura septenni regis ejectione, et
habitatione cum bestiis, ejusque tandem in re-
gnum restitutione, quæ propter eleemosynas re-
gis, monitu Danielis factas, ad annum dilata
est. Deinde rex ob suam superbiam versus in de-
mentiam, regnoque pulsus, tanquam bestia cum
bestiis sylvas incolens, annis septem gramen ut
bos comedit, aestu roreque cæli perfunditur.

Deinde precibus ac oratione Danielus menti re-
gnoque restitutus, Deum cæli recognoscit ac glo-
rificat : hæcque omnia per epistolas suis subditis
divulgat.

Anno mundi 3383, ante Christum 566,

qui fuit regni Nabuchodonosoris 45, monar-
chiæ ejus 10, excisæ Jerusalem 26, transmigra-
tionis Joachin 37, moritur Nabuchodonosor, ei-
que in regno succedit filius Evilmerodach, qui et
Balsasar vocatus est : qui eodem anno 1 regni
sui elevat et educit Joachin regem Juda de car-
cere, et exaltat eum super omnes principes Ba-
bylonis, adeo ut deinceps tota vita in mensa
regis cum eo vesceretur, *Jerem. cap. ult. vers. 34.*

Eodem anno 1 regni Baltasaris, videt Daniel,
cap. VII, in somno quatuor bestias, leonem, ur-
sum, pardum, et quartam terribilem innomina-
tam, e cujus capite cornu parvum exoriens cres-
cebat, multosque debellabat : quæ designabant
quatuor monarchias, Chaldæorum, Persarum,
Græcorum et Romanorum, e qua orietur Anti-
christus sanctos persequens, et quasi monarcha
toti orbi dominans per tres annos cum dimidio;
quem Filius hominis, accepta ab Antiquo dierum
potestate, disperdet et conteret, ipseque regnabit
in æternum.

Sub idem tempus contigit historia Belis et dra-
conis, quæ Daniel contrivit, *Daniel. cap. xiv.*

Anno mundi 3385, ante Christum 564,

qui fuit Baltasaris tertius, videt Daniel hircum
pugnare contra arietem, ipsumque devincere; Visio pu-
gnæ hirci
cum a-
riete.
deinde cornu modicum ex hircu prognatum mul-
tam in populum templumque Dei exercere ty-
rannidem : auditque a Gabriele, ita regem Persa-
rum olim prælio vincendum a rege Græcorum,
atque ex eo oriturum regem impudentem (nempe
Antiochum Epiphanem figuram Antichristi), qui
sanctos interficiet, templum violabit, sacrificia
cultumque Dei auferet et abolebit, tandemque
sine manibus conteretur, *Dan. VIII.*

Anno mundi 3417, ante Christum 532,

qui fuit Baltasaris 34, et ultimus; Cyrus rex
Persarum, et Darius rex Medorum, avunculus
ejus, obsident Babylonem. Baltasar autem rex,
urbis munitione fretus, vacans conviviis, bibit
vinum cum suis principibus, uxoribus et concu-
binis, ex vasis templi Jerusalem, laudando idola
sua; quapropter videt manum scribentem in pa-
riete : *Mane, tekel, phares*; quam scripturam cum
magi Babylonis neque legere, neque interpretari
valerent, solus Daniel eam perturbato regi et le-
git, et interpretatur significare ipsum regno de-
turbandum, idque a Deo dandum Medis et Persis.
Unde Daniel torque aurea et purpura honoratur,
ac tertius regni constituitur, *Daniel. v.*

Eadem nocte Medi et Persæ fluxu Euphratis alio
ducto, per siccum alveum Babylonem ingressi,

Visio
manus
scriben-
tis.

Baltasarem regem populumque interficiunt, urbem turremque destruunt, regnum suscipit Darius Medus annos natus 62, *Jerem.* LI; Cyrumque præcessit, quia senior, quia avunculus, quia potentioris regni dominus : hanc enim triplicem rationem assignat S. Hieronymus.

Daniel autem, assumptus a Dario in Mediam, constituitur princeps super satrapas regni. Cumque ob sapientiam præ cæteris regi carus esset, invidia principum ejus accusatur apud regem, quod contra regium edictum quotidie ter Deum cœli oraret. Unde, renitente licet multum rege, projicitur in lacum leonum, advolutoque lapide os lacus obsignatur. Primo diluculo, rex Danielem a Deo servatum, et a leonibus illæsum inveniens, ipsum educit, et accusatores ejus leonibus objicit, quibus subito devoratis, decreti publicatione per totum regnum Deum Danielis timendum prædicat. *Danielis*, cap. VI.

Eodem anno 1 imperii Darii Medi super Chaldæos, anno 69 transmirationis, Daniel intelligens ex libro Jeremiæ appropinquare terminum 70 annorum desolationis Jerusalem, et captivitatis Babylonicæ, prostratus coram Domino in jejuniis, sacco et cinere, confitetur Judæos propter peccata sua juste captivos, oratque ut juxta suum promissum misericorditer reducere dignetur eos in terram suam. Cui apparens angelus Gabriel respondet, et indicat orationem ejus exauditam esse, et insuper revelat ei, quando templum, quando urbs et civitas Jerusalem rursus ædificanda sint; quodque majus erat omnibus, prædicat ei tempus, quando vera libertas Christus venturus esset, nempe 70 hebdomades (quarum unaquæque juxta Scripturæ consuetudinem 7 annos continet : faciunt ergo illæ annos 490) a Deo determinatas et definitas esse usque ad Christum; quando abolito et expiato peccato, Deus veram adduceret libertatem justitiamque sempiternam. Itaque, ab exitu sermonis regis permissuri ut iterum ædificetur Jerusalem, hoc est, ab anno 7 Artaxerxis Longimani regis Persarum, quando misit Nehemiam reædificare Jerusalem, et usque ad illum diem, quo Christus Sanctus sanctorum, in suo baptismo cœlitus a Deo Patre per Spiritum Sanctum ungeretur dux ac doctor Christianorum, fore hebdomadas 69

annuas, id est annos 483; hebdomada vero septuagesima, id est ultima ac postrema, Christum confirmaturum pactum, id est legem Evangelicam, novum Testamentum, suumque Evangelium multis miraculis : in medio autem ejusdem hebdomadæ Christum occidendum, et cessaturum sacrificium veteris legis; populum qui eum Christum negaret, abjiciendum : abominationem desolationis in templo futuram, seu collocandam (« quæ dicta est, inquit Christus, *Matthæi* cap. XXIV, a Daniele Propheta, stantem in loco sancto : qui legit, intelligat) : » urbem vero ac templum dissipandum et devastandum a duce et populo venturo, eorumque desolationem duraturam usque ad finem mundi.

Anno mundi 3418, ante Christum 531,

anno 70 desolationis Jerusalem, peracto jam sabbato terræ, mortuo Dario Medo, Cyrus rex Persarum monarchiam adeptus, statim monarchiæ suæ anno 1 divinitus inspiratus, publicato ubique per totum regnum edicto, dat Judæis licentiam redeundi in Jerusalem, et Judæam patriam ac terram suam, atque impensis regiis jubet ædificari ibi templum Deo Israel, reddens eis 5400 aurea et argentea vasa templi, quæ abstulerat Nabuchodonosor de Jerusalem. II *Par.* xxxvi, I *Esdr.* I, III *Esdr.* II.

Relaxatio
captivitas
Babylonicæ

Anno mundi 3428, ante Christum 529,

qui fuit tertius et ultimus monarchiæ et vitæ Cyri, ubi Daniel se luctu, jejuniis et oratione per tres hebdomadas afflixisset, videt, die 24 martii, juxta fluvium Tigrin virum lineis vestitum, fulgentemque : unde timens et tremens ab eo confortatur, et docetur de Michaele principe Synagogæ Judæis auxiliante, et de variis bellis futuris inter reges Persarum et Græcorum, et inter reges Austri, id est Ægypti, et Aquilonis, id est Syriæ : item de Antiocho Epiphane, ejusque antitypo Antichristo se contra Deum deorum elaturo, et ablato jugi sacrificio, Judæos per annos tres et semis persecuturo. Denique post magnam afflictionem mortuos resurrecturos, quosdam ad opprobrium sempiternum, quosdam ad vitam æternam : ubi docti ac doctores ut stellæ fulgebunt. *Dan.* capitibus X, XI et XII.



Monarchia Persarum.

Daniel in lacu leonum.

70 hebdomades Danieli revelantur.

COMMENTARIUS IN ISAIAM.

ARGUMENTUM.

QUÆRES primo, quis fuit Isaias? Respondeo, fuit filius Amos, ut patet cap. 1, vers. 1, non Amos minoris Prophetæ, uti putavere S. Epiphanius in *Vita Amos*. Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.*, et Cedrenus in *Compend. histor.*; ille enim scribitur per *ain* initio, et per *samech* in fine; fuitque armentarius et rusticus, vellens sycomoros; sed alterius Amos, qui initio per *aleph*, et in fine per *sade* scribitur, atque hebraice significat firmamentum, virtutem, fortitudinem; radix enim **יְדִן** *amats* significat firmare, roborare.

Porro hic Amos Isaiæ pater fuit e regio sanguine; unde in stylo Isaiæ tanta est urbanitas, nitor, decor et gratia, ut vel ex eo solo eum in aula regis moribus educatum fuisse colligere liceat. Creditur ab Hebræis Amos hic fuisse frater Amasiæ regis Juda, qui fuit pater Azariæ vel Ozii regis, sub quo cœpit prophetare Isaias. Nec desunt qui addant Isaiam fuisse etiam socerum (id est prosocerum sive patrem soceri; nam Isaias erat tunc 126 annorum, ut mox ostendam) Manassis, ut testatur S. Hieronymus, lib. II *Comment. in Isaiæ* cap. xx; quod etiam sentit Isidorus, lib. *De vita et morte Sanct.* cap. xxviii. Imo S. Hieronymus in *Quæst. in II Paral.* cap. xxxiii, refert Hebræos tradere, Manassen fuisse filium filii Isaiæ; ergo Manassis avum fuisse Isaiam. Hinc patet Isaiam cœpisse prophetare fere eodem tempore quo Osee et Joel, anno 17 Ozii, inquit Eusebius: Ozias autem regnare cœpit anno mundi 3137, quod fuit ante initium Olympiadum: hæc enim numerari cœperunt sub annum 40 Ozii, ideoque ante conditam Romam: hæc enim juxta chronologiam quam Genesi præfixi, condita est circiter anno 11 Joatham. Olympiades enim Romam antecesserunt 23 annis. Quare Romulus juvenis erat cum senesceret Isaias, adeoque Roma condita est sub annum vitæ Isaiæ 76. Favet Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.* dicens: « Isaias a regno Salomonis, cujus tempore ostensum est Menelaum venisse in Phœniciam, ducentesimo anno adhuc prophetasse cernitur. » Nam ducentimus annus a morte et regno Salomonis incidit in annum 34 Ozii, vel Azariæ, quo adhuc prophetabat Isaias; quia scilicet multis jam annis antea cœperat,

puta anno 17 Ozii, et deinceps. Cœpit ergo prophetare Isaias ante Christum pene annis 800. Nam a 1 anno regni Ozii usque ad Christum fluxerunt anni 813. Porro Isaias fuit conjugatus, habuitque uxorem et filium nomine Jasub, ut patet cap. vii, vers. 3.

QUÆRES secundo, quanta sit prophetæ Isaiæ dignitas, excellentia et obscuritas præ aliis Prophetis? Respondeo: Pulchre ea hic describit S. Hieronymus, eaque patent ex multis. *Primo*, quia sicut S. Paulus raptus fuit in tertium cœlum, ibique doctor et Apostolus creatus missus est ad Gentes: ita Isaias vidit Deum, ab eoque creatus est Propheta, ut dicitur cap. vi; unde *Eccli.* XLVIII, vers. 25, Isaias vocatur « Propheta magnus, sanctus et fidelis; » quia quæ Deus illi revelarat, alacriter, libere, constanter et fideliter nuntiavit: alacritatis testimonium est cap. vi, vers. 8, ubi Deo quasi hærenti quem mitteret ad duos Judæos, fidens ipse et lætus se offert. *Secundo*, quia a Seraphim accensus calculo ignito consecratus est Propheta, factusque quasi Seraphinus et ordinis Seraphici, cap. vi, vers. 6. Destinabatur enim a Deo ad hoc, ut frigida et gelida hominum corda ardenti sua concione, vita et charitate, Dei cognitione et amore inflammaret. *Tertio*, quia in Hebræo est eloquentissimus, teste S. Hieronymo. Unde et S. Thomas (vel quisquis est Auctor) *Prologo in Isaiam*: Isaias, inquit, tripliciter excellit alios Prophetas, scilicet pulchris similitudinibus, expressione sententiæ, venustate verborum: quia nobilis erat et eloquens. Solet enim Spiritus Sanctus organis suis se attemperare, ut in urbanis urbanus, in rusticis rusticus, in eloquentibus videatur eloquens; perinde ac tibicen in tibiis subtiliter subtilibus modulatur, in crassioribus crassius, inquit noster Antonius Fernandus, *Prologo in visiones Isaiæ*. *Quarto*, quia amplissimum, sublimissimum et clarissimum habuit lumen propheticum. Nihil enim fere est quod ad Hebræorum aliarumque Gentium statum pertineat, atque ab aliis Prophetis prædictum sit, quod non multo luculentius et gravius in Isaiâ reperias. « Isaias, ait Nazianzenus, *Orat.* 3. *in princip.*, vocis sublimitate Prophetas omnes antecellens; » unde alibi

Ante Christum 800.

Fuit conjugatus.

Isaiæ præcellentia.

Primo, quod vidit Deum ab eoque creatus est Propheta.

Secundo a Seraphim factus est Seraphicus.

Tertio, est eloquentissimus.

Quarto, sublimissimus est.

Isaias fuit ex stirpe regia.

fuit ante Romam 80 annis.

Quinto, eum vocat Grandiloquum. Quinto, quia de Christo et Christianis ita prophetat, ut non videatur de futuris vaticinari, sed de præteritis historiam texere, ait S. Hieronymus, ut qui Isaiam legerit, versari se putet in Evangelio. Quare in Evangeliiis totoque novo Testamento unus Isaias sæpius citatur et auditur, quam omnes reliqui prophetae simul juncti. Isaiæ enim testimonii quasi stellis ita interpunctum et irradiatum est Evangelium, ut qui illud exponere voluerit, simul Isaiam; et qui hunc, simul Evangelium interpretari debeat. Hic enim virginem parientem, Christum conceptum, natum, quæsitum et adoratum a Magis, fugientem in Ægyptum, docentem, concionantem, miracula patrantem, patientem, morientem, resurgentem, venientem ad iudicium, iudicantem et triumphantem, non tam in Scriptura descriptum legimus, quam in viva imagine expressum intuemur; ut merito hæc prophetia præ reliquis vocetur et inscribatur Visio. Certe parvulum Emanuelelem nobis natum, ejusque dolores cruciatus et tormenta tam graphice et pathetice depingit Isaias, ut tam passio Jesu Christi secundum Isaiam, quam secundum Matthæum aut Marcum legi et indigitari possit. Quapropter Isaias plenus est spiritu, non tantum prophetico, sed et Christiano atque Apostolico, ejusque prophetia non tantum prophetia est, sed et Evangelium.

Sexto, prædixit ultima Christi et mundi.

quia non tantum prævidit et prædixit ea quæ paulo post, nec tantum ea quæ ultimis sæculis Christi, sed etiam quæ tempore Antichristi in fine mundi eventura sunt; hoc est enim quod ait, *Eccli.* XLVIII, 27: « Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion usque in sempiternum. »

Septimo, oracula sua miraculis confirmavit.

quia fuit thaumaturgus, et sua oracula miraculis confirmavit: nam per suas preces evocavit angelum, qui cecidit in exercitu Sennacherib una nocte 185 millia Assyriorum. Rursum reduxit solem, ejusque umbram in horologio Achaz, eoque signo Ezechie regi sanitatem restituit, et quindecim annos vitæ addidit, *Isaiæ* XXXVI et seq.

Octavo, prophetavit 96 annis.

quia plurimis annis prophetavit, videlicet sub Ozia, qui 52 annis regnavit; sub Joatham, qui 16; sub Achaz, qui 16; sub Ezechia, qui 29; pervenitque ad regnum Manassis filii Ezechie. Jam pone illum cœpisse prophetare anno 17 Ozie, uti tradit Eusebius in *Chronico*, restabunt ex regno Ozie anni 36. His adde 16 Joatham, 16 Achaz, et 29 Ezechie, colliges annos 96, quibus prophetavit Isaias. Quare, si dicamus eum instar Christi et Joannis Baptistæ, ex more Hebræorum non cœpisse prophetare ante annum ætatis trigesimum; hinc sequetur eum ad decrepitam ætatem vixisse, usque ad annum ætatis 126, et ulterius: occidit enim eum Manasses, idque non statim initio regni (cœpit enim ipse regnare puer anno 12 ætatis); sed cum jam grandior et nequior esset effectus. Nono, quia Isaias non tantum Propheta fuit et Evangelista, sed et Apostolus, inquiunt Cyrillus et Chrysosto-

mus, homil. *De S. Joanne Baptista*, tom. III; nam mitti petens missus est a Deo ad Judæos, cap. VI, vers. 8. Merito ergo Isaias in Synagoga Judæorum præ cæteris Prophetis maximi semper est habitus. Decimo, quia insignis fuit vitæ sanctitate et sui contemptu: totus enim nudus plena luce in ipsa sua patria et Judææ metropoli, puta Hierosolymis, vir nobilissimus, et fama ac auctoritate clarissimus, per triduum Dei jussu ambulavit, uti patebit cap. XX. Rursum illustris fuit ejus pietas et misericordia; nam maximam operam posuit in consolando populo et Ecclesia: « Consolatus est enim lugentes in Sion, » inquit Ecclesiastes, adeo ut ipse omnem respiret consolationem, quia intimo sensu tangebatur et sentiebat afflictionem sui populi, cap. XXII, vers. 4. Denique enituit Isaiæ fortitudo, constantia et libertas dicendi ac carpenti vitia regum et principum, iisque comminandi et prædicandi pœnas a Deo infligendas, ut patet cap. I, 10, et cap. XXXIX, 3, et alibi. Illustrior fuit hæc libertas in Isaias, ex eo quod ipse haberet uxorem et familiam ac filium: quos omnes intrepide odiis regum et principum pro Deo et veritate objecit. Atque hac de causa Isaias martyrio coronari meruit. Unde S. Paulus, *Rom.* X, 20, ait: « Isaias autem audet, et dicit; » ubi Origenes: « Audet, inquit, et libere prædicat, cum sciret sibi ex eo imminere mortem. »

Quæres tertio, an Isaias sit Martyr. Respondeo esse: nam communis Hebræorum et Patrum, ut Origenis hic, homil. 1, Dorothei, Isidori, Epiphani in *Isaiam*, Chrysostomi, epist. ad *Cyriacum*, Justinii *Contra Tryphonem*, Augustini, lib. XVIII. *De Civ.* XXIV, et aliorum, traditio est, Isaiam sub Manasse rege serra dissectum esse. Quam traditionem S. Hieronymus, lib. XV in *Isaiam*, in fine certissimam vocat, ubi et illud *Hebr.* XI, « secti sunt, » vel ut ipse legit, *serrati sunt*, intelligit de Isaias. Audi Tertullianum in *Scorpiaco*, cap. VIII: « David, inquit, exagitur, Elias fugatur, Jeremias lapidatur, Isaias secatur, Zacharias inter ædem et altare trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus assignans. » Unde Romanum Martyrologium 6 Julii de Isaias sic habet: « In Judæa sancti Isaiæ prophetæ, qui sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit. » Et *Chronicum Alexandrinum*, sive *Fasti Siculi* sic habent: « Isaias Vates a Manasse serra divisus occubuit, vaticinatus est annis nonaginta: tumulatus subter quercum Rogel. » Et S. Ambrosius in cap. XX *Lucæ*: « Quis ille, inquit, in capite vulneratus? Nimirum Isaias, cujus facilius compagem corporis serra divisit, quam fidem inclinavit, constantiamque detrivit aut vigorem mentis exsecuit. » Audi et S. Zenonem Episcopum Veronensem et Martyrem, serm. *De Isaiæ martyrio*, mira, sed obscure dicentem: « Isaias, ait, cum Christum prædicaret, vel cum futuræ dominationis elogium Israelitico populo nuntiasset, atroci feritate blasphemantium commota barbaries, sectum a capite duabus eum vi-

Fuit Martyr, sectus serra.

lento supplicio quasi offulis bifidavit; jussitque a capite per aures usque ad scapulas secari cervicem. » Et inferius: « Cum in capite, hoc est collectæ sensualitatis umbilico, serra viam faceret, et stridore reciproco sulcos dentium duceret, labebatur credo lamina (serræ), dum dentes infigit. Mox se ut ad cubile cordis concinamenti nisu sector sollicitus defixisset, fontis fluenta purpureis laxatis venarum lapsibus, ne venas vermiculatim pollice profanus intenderet, croceus se affatim imber infundit. » Et mox: « Patuerunt quippe internorum viscerum castidici juvenis laqueata commercia, sonus buccinæ ferientis, profunda vivacitas, et sicca jejunia voluptatum, sed Belial filius Ezechiae (Manasses) vir cruentus et prodigus genealogiæ, pythonicorum antistes, intra loricam sacri pectoris fidei comitium, prædicationis politicæ litterarum curiam requirebat. » Quare temere hanc traditionem negat Abulensis in *IV. Reg. XXI, Quæst. XVII*. Argumentum Abulensis est hoc: Isaias in Proœmio non nominavit Manassen, sed tantum Oziam, Joatham, Achaz et Ezechiam; ergo sub Manasse non prophetavit, ergo sub eo non est passus. Sed hoc argumentum infirmum est: utraque enim consequentia negari potest; nam cur non nominarit Manassen causæ variæ esse potuerunt, ut, quod Manasses jam tum esset puer, quodque non diu sub eo prophetarit, imo forte non prophetarit, sed tantum eum docere et redarguere voluerit, ideoque ab eo sit occisus: nam ab eo occisum esse affirmant communiter Patres. Audi et auctorem *Operis imperfecti in Matth.*, hom. 46, in illa verba: « Jerusalem quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, » inquit: « Misi ad te Isaiam, et serrasti eum; misi ad te Jeremiam, et lapidasti eum: misi Ezechielem, et tractum super lapides excerebrasti eum. » Vide hic quæ sit merces Prophetarum, doctorum et concionatorum, scilicet persecutio, passio et martyrium. Hanc lauream sectati et adepti sunt Prophetæ, Christus, Apostoli omnes, S. Joannes Baptistæ, S. Stephanus, S. Chrysostomus et alii. Idem hodie expectent boni Pastores et prædicatores, putentque hanc suæ libertatis, constantiæ et laborum mercedem esse magnam nimis. Imo Justinus supra, et Tertullianus, lib. III *carm. Contra Marcion.*, docent serram hanc ligneam fuisse: loquens enim Tertullianus de Isaia sic canit:

Quem populus sectum ligno, sine labe repertum,
Immeritum demens crudeli morte peremit.

Quod sane atrox fuit tormentum, præsertim in homine sene 126 annorum. Unde patet Isaiam morte sua per lignum præfigurasse mortem Christi in ligno crucis, perinde ut vita sua vitam Christi, imo nomine suo nomen Jesu præfiguravit. Isaias enim hebraice idem est quod *salus*, vel *Salvator Domini*, aut *Jesus Deus*, ut vult Leo Castrius. Quod enim nos dicimus Isaias, Hebræi dicunt Jesaias, quod exponi potest יֵשׁוּעַ *Iescua Ia*, id est Jesus

Deus: totus enim Isaias id unum spectat, ut Jesum Christum Redemptorem et doctorem nostrum aut annuntiet verbis, aut moribus exprimat. Merito ergo ait hic S. Hieronymus: « Ignoratio Scripturarum (præsertim Isaia) ignoratio Christi est. »

Porro mortis et martyrii Isaia causa fuit duplex. Prior vera, quod videlicet tam libere Manassem regem, principes et populum increpasset, ut dixi, ac præsertim quod cap. I, vers. 10, eos vocasset principes Sodomorum et populum Gomorrhæ. Rursum quod dixisset Deum Judæos excæcatorum et reprobatorum, ac pro eis vocaturum Gentem, hoc enim innuit Paulus *Rom. x, 20*: « Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant: » hoc enim summe pupugit corda Judæorum. Simili ratione captavit martyrium S. Stephanus, dicens Judæis: « Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; » et S. Paulus, *Actor. XXI, 21*, dicens: « Et dixit (Dominus) ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te. Audiebant autem (Judæi) eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem dicentes: Tolle de terra hujusmodi; non enim fas eum vivere. » Simili modo Joas reprehensus a Zacharia filio Joiadæ, eum occidi curavit in templo, *II Paral. XXIV, 22*; et Amasias rex alteri Prophetæ se increpanti minatus est mortem, ibidem, cap. XXV, vers. 16; et Asa rex Hanani Prophetam, a quo stultitiæ arguebatur, in nervum, id est in durum carcerem, conjecit, ibidem, cap. XVI, vers. 10. Posterior colorata et quæ-

Martyrii
Isaiæ
causæ
duæ.
Prima.

Secunda.

sita ad prætextum, quod scilicet cum Mosi dixerit Dominus, *Exodi XXXIII, 20*: « Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet; » Isaias contrarium dixerit et scripserit, cap. VI, vers. 1, scilicet se vidisse Deum sedentem super solium excelsum: itaque crimen blasphemie Isaia impeggerunt, ob illudque eum ad mortem damnarunt. Ita S. Hieronymus, Basilus, Haymo et alii, quin et Hebræi apud *Galatinum*, lib. IV, cap. XXIII, qui tamen more suo fabulas admiscunt de cedro quæ Isaiam, dum Manassem fugeret, se aperiens exceperit, in qua et cum qua a Manasse dissectus sit.

Dices: Illæ Isaia increpationes principum et prophetiæ jam præterierant sexaginta annis. Respondeo: Ita est, sed eam principes refricarunt novo regi Manassi, qui homo impius et sanguinolentus cum rursus simili modo corripere ab Isaia, tum ob alias præteritas principum increpationes, ab Isaia factas, et scriptis mandatas vulgatasque, quæ quotidie a multis legebantur, eum occidit.

Audi S. Hieronymum enarrantem in Isaiam calumnias, aliæque ad ipsum et Manassem spectantia, I *Quæst.* in lib. II *Paralip.* sub finem: « Tradunt Hebræi, inquit, eundem Manassem filium fuisse filia Isaia, et ideo in hoc loco, quanquam nomen matris scribatur, patris tamen illius non

scribitur; quia indignus erat profanus rex tanto avo. Tradunt Hebræi idcirco occisum Isaiam, eo quod eos appellaverit principes Sodomorum et Gomorrhæ. Et quia dixit: Vidi Dominum sedentem; cum per Moysen dixerit: Non enim videbit me homo, et vivet. Et quia dixit: Addet Deus ad dies tuos quindecim annos; eo quod per Moysen dixerit: Et numerum dierum tuorum implebis. Et quia dixerit: Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est; cum dicatur: Quis est tam propinquus, quomodo Dominus Deus noster, quando eum invocamus? Et cognovit Manasses quod Dominus ipse est Deus. Dum enim in Babylonem ductus fuisset, et in vase æneo perforato missus, admoto igni, invocavit omnia nomina idolorum quæ colebat: et cum non fuisset ab eis exauditus, neque liberatus, recordatum fuisse, quod a patre crebro audierat: Cum invocaveris me in tribulatione et conversus fueris, exaudiam te, ut in Deuteronomio scribitur; exauditum esse a Domino, et liberatum et reductum in regnum suum, et in modum Habacuc reductum, sicut ille deductus fuerat in Babylonem.»

Nam tam cap. I, quam toto deinceps opere reprehendit peccata populi sui temporis, puta ignorantiam et neglectum Dei, superbiam, fiduciam suarum virium et operum, contemptum fratrum miserorum, fraudes in judiciis publicis, sodomiam, et maxime idololatriam. Inde secundo, transit sæpe ad Judæorum rejectionem, vocationem Gentium, aliaque Christi et Ecclesiæ mysteria: idque sæpe facit latenter et subito quasi avolans a typo ad antitypum, a Judæis ad Christum et Christianos: hic enim est mos et raptus Prophetarum, maxime Isaie; qua de causa ipse obscurior est. Quare duæ operis hujus sunt partes principales: prior habet oraculum triste, oburgatorium et comminatorium; continetque quinque sectiones, et porrigitur a cap. I usque ad XL. Prima sectio est a cap. I ad VII, qua Judæorum scelera arguit, eisque minatur cladem tum Assyriacam per Sennacherib, tum Babylonicam per Nabuchonosor, tum Romanam per Titum, ac denique, cap. VI, eorum excæcationem et reprobationem tempore Christi. Secunda sectio a cap. VII ad XIII extenditur, qua Emmanuelis ex virgine ortum, victoriam, nomina, imperium, gratiam, prædicationem, conversionem Gentium, septem dona Spiritus Sancti, crucem, sepulcrum gloriosum, et triumphum per epinicion graphice depingit. Tertia sectio a cap. XIII ad cap. XXIV continet onera, id est prophetias de excidio Babylonis, Philistinorum, Moab, Damasci, Æthiopiæ, Ægypti, Idumææ, Arabiæ, Judææ, et Tyri per Nabuchodonosor. Quarta a cap. XXIV ad XXVIII continet onus, id est prophetiam de excidio orbis ob impietatem hominum, in fine mundi; de gehenna reprobatorum, de gloria paucorum salvandorum, eorumque canticis et hymnis Eucharisticis, deque vindicta et excidio regni Leviathan, id est diaboli. Quinta a cap. XXVIII ad XLIX redit ad onera temporis præsentis, eaque varia mixtim pertractat, puta de excidio decem Tribuum, deinde duarum, mox Sennacherib, mox totius orbis, mox infidelitatis et impietatis per adventum Christi usque ad cap. XXXVI, ibi enim usque ad cap. XL, a prophetia transit ad historiam Sennacherib et Ezechii, narratque ea quæ de iis prædixerat, reipsa fuisse impleta.

Duæ libri partes.

Tradunt S. Epiphanius et Dorotheus in Vita Isaie eum suis precibus impetrasse fontem et aquas Siloe, additque, cum hostes Hierosolymam occuparent, Judæis advenientibus fontem hunc aquas dedisse; cum vero hostes venirent, aquas suas subduxisse: ideoque Judæos Isaiam sepelivisse juxta Siloam, ut aquas ejus suis precibus in finem usque mundi perennaret. Addit Dorotheus Isaiam antequam secaretur petivisse aquam, eamque divinitus ex hoc fonte missam esse: unde eum vocatum esse Siloe, quod interpretatur Missus. Alii rem sic narrant, scilicet Isaiam ante mortem postulasse a carnifice aquam, quam cum negaret carnifex, in os Isaie cœlestem aquam divinitus influxisse, indeque aquam illam dictam esse Siloe, quia missa erat e cœlo: ut Isaias serratus fuerit typus Christi, cui pariter in cruce distento et sitiienti vinum et aquam negarunt Judæi, et pro iis fel præbuerunt. Verum horum fides sit penes ipsos. Denique tradit Cedrenus anno 35 Theodosii junioris reliquias Isaie Paneadem translatas, in templo S. Laurentii fuisse repositas. Denique audi elogia Isaie in unum congesta ab Ecclesiastico, cap. XLVIII, vers. 23: «Purgavit eos (Judæos) in manu Isaie sancti Prophetæ. Dejecit castra Assyriorum, et contrivit illos Angelus Domini. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias Propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei. In diebus ejus retro rediit sol, et addidit regi vitam. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura, et abscondita antequam evenirent.»

Quæres quarto, quodnam est totius hujus operis et libri Isaie argumentum? Respondeo. Operis quasi compendium est ipsum ejus caput pri-

Posterior principalis Isaie pars habet oraculum suave et lætum de Christo et Ecclesia, constans adhortationibus, consolationibus, promissis; atque licet hæc pars eam priore sæpe commisceatur, proprie tamen incipit a cap. XL, et porrigitur usque ad finem libri. In ea sæpe gestit et exultat Isaias, præsertim ubi (quod sæpius facit) agit de vocatione Gentium ad Christi fidem, gratiam et salutem.

Porro Isaie stylus et facundia in hoc tam multiplici argumento multiplex et admirabilis est: nunc enim sublimis assurgit, nunc supplex se demittit; nunc stylum hilarat effuse, nunc stringit et acuit, nunc tardat et incitat; nunc minatur,

lib. I.

Argumentum Isaie.

nunc blande solatur; nunc dociles benigne excitat, nunc renitentes violenter exagitat, et quasi detonans sternit. Unde Isaias a S. Chrysostomo, homil. 8 in Genes. vocatur « Propheta vocalissimus: » et hom. 40 in I ad Corinth., « Magniloquentissimus. »

Alii Isaiæ libri. Nota primo: Præter hunc librum Isaias scripsit alium de gestis regis Oziaë, ut patet II Paralip. xxvi, 22 (1).

(1) Hæc ex doctore J. Jahn subjicere liceat, quamvis ejus in vindicandis quibusdam Isaiæ vaticiniis rationem ex toto probare non possimus.

DE INTEGRITATE VATICINIORUM ISAIAE.

§ 1.

An Isaiæ vaticinia sint integra.

Non omnia Isaiæ vaticinia conservata esse liquet, primo, quia nullibi legitur, qua occasione Isaias filio primogenito, qui cap. vii, vers. 3, cap. viii, vers. 18, cap. x, vers. 21-22, memoratur, nomen propheticum, reliquæ revertentur, indiderit, cum ratio denominationis filii secundi, festina direptio, accelera deprædatio, cap. viii, vers. 3-4, disertis verbis indicetur. Secundo, plura loca principio vel fine carent, et non sunt nisi manca fragmenta, ut cap. xiv, vers. 24-27; cap. xiv, vers. 28-32; cap. xxi, 11-12; cap. xxi, vers. 13-17; in fine quoque cap. v et viii, vers. 1-2, quæpiam desiderari videntur. Tertio, si Isaias ultimo Ozia anno munus auspicatus est, desunt quoque vaticinia, quæ sub Jothamo edidit; nam illa, cap. ii-v, non sub Jothamo, sed sub Achazo edita sunt, prout cuilibet historiæ gnaro lectori patebit; nec Rosenmullerus in nova Scholiorum editione aliud evicit. Quarto, si Isaias est auctor secunda partis libri, quod deinceps ostendemus, videntur etiam deesse aliqua magis perspicua vaticinia de eversione reipublicæ Judaicæ, et de deportatione civium. Initium cap. xl videtur esse mancum; non equidem ignoro quid sit, in mediam rem rapi; ast id in hunc locum non satis commode confertur, præsertim cum Propheta hic, sicut cap. xli, vers. 21, utatur singulari illa formula: « Dicit Jehova, » quæ præcessisse arguit, quando dicturus sit.

§ 2.

Omnia vaticinia sunt ab Isaiæ.

A tribus ultimis abhinc decenniis non pauca Isaiæ vaticinia a permultis impugnantur, et omnia contra gentes effata, imprimis vero ultima 27 capita huic Prophetae abjudicantur, ac argumentis non levibus in tempora exilii Babylonicæ rejiciuntur, quæ tamen repetito sæpius diligenti examine minime satisfecerunt, et contra offerunt se argumenta gravia, quæ has partes Isaiæ vindicant, et jam exponenda veniunt. Primo, elocutio in diversis his vaticiniis vix discrepat; ubique eadem recurrunt rerum singularium enarrationes et imagines ab arboribus, præsertim cedris, abietibus et quercubus, a doloribus partus, ex historia, et ab ætate aurea depromptæ. Initium vaticinii ubique in mediam rem cadit, et ubique cantica inserta sunt; sicut cap. v, vers. 1-6; xiv, 4-20; xv, 1-5; ita eodem prorsus modo, cap. xlii, vers. 10-13, lii 9-10; lxi, 10; lxiii, 7; lxiv, 11. Ubi que etiam eadem observatur claritas et obscuritas, eadem repetitiones, et eadem etiam linguæ euphonia; visiones quoque, cap. xxi, et

Secundo, hæretici commenti sunt librum Isaiæ, qui dicitur ἀναβάσις, id est ascensio, quo utuntur Archontici, teste S. Hieronymo et Epiphane. Hic liber præter alia docet Melchisedech fuisse Spiritu-

cap. xl, uti cap. vi; imo et singulares dictiones sæpiissime eadem, ut קדוש ישראל in prima parte 17, in secunda 12 locis, תורה in prima parte quater, in secunda parte sexies, quod alias in Bibliis tantum novies occurrit; מַצְאִים quod non nisi in Jobo quater, hic vero in prima parte bis, in secunda quinquies obvium est; שרון cap. lxxv, vers. 10; prout cap. xxxiii, vers. 9; cap. xxxv, 2; יומ אההר יום cap. xl, vers. 1-21; lxxvi, 9, prout cap. i, vers. 11-18; xxxiii, 10, pro quo aliqui prophetæ dicunt אמר יהוה vel ויאמר. Proprium quoque nostro Prophetae est Sabæos, cap. xviii, vers. 2, 7, dicere ממשך extensos seu proceros, et cap. xlv, vers. 14, אנשי מדה homines mensuræ seu altos, et plura similia quæ locus hic non capit.

Styli quoque sublimitas per omnia vaticinia non magis variat quam in poematibus, quæ ab eodem auctore diversis temporibus exarata sunt, uti in diversis psalmis Davidis; et stylus quidem per omnia talis est, qualem ex captivitate Babylonica minime expectes. Esto, stylus non ab ætate solum, sed ab exulto quoque ingenio pendeat, inde tamen non efficitur, vero esse simile, quempiam ævo exilii Babylonicæ talia carmina fuisse, ut id absque testimonio historico, et sine omni quoque traditione asserere liceat; præsertim cum in Jeremia et Ezechiele, quibus nec politura, nec ingenium deficit, nihil simile legamus.

Lingua etiam ipsa non est ea quæ in Jeremia et Ezechiele observatur; quempiam in exilio linguam hebraicam feliciter excoluisse, verisimile non est; neque in Zacharia, qui proferri solet, hæc linguæ conditio deprehenditur.

Denique dispositio et ratio tractandi materias, in omnibus his vaticiniis eadem est. Sicut cap. vii, habetur vaticinium historiæ intextum, quod, cap. viii-xii, vaticinia absque inscriptionibus consequuntur, ita quoque cap. xxxix historiæ intextum est vaticinium, quod sequuntur vaticinia sine inscriptione. Prout in prima parte plura occurrunt vaticinia de Sancheribo, ita etiam in secunda parte plura sunt vaticinia de eversione monarchiæ Chaldaicæ, atque de reditu Hebræorum ex captivitate. Sicut in visione cap. vi legitur, Prophetam suis vaticiniis nihil effecturum; ita vates, cap. xlii, vers. 16, 23, xliii, 8, xlv, 4, et imprimis cap. xlix, vers. 4, lxx, 6, conqueritur conatus suos frustraneos esse.

Secundo, ultimis exilii temporibus non congruit, quod cap. lxxvi, vers. 1-6, de templo legitur, de quo Aggæus et Zacharias prorsus alia dicunt. Multo minus quispiam in exilio, cap. xlvii, scribere potuit, ruinam et omnimodum interitum urbis Babylonis, quem Jeremias, cap. l-l, perspicue vaticinatus est, nondum fuisse prædictum, neque cap. lii, vers. 4, de solis potuit Ægyptiis et Assiriis Hebræorum hostibus loqui, et Chaldaeos prætermittere.

Severæ reprehensiones, cap. lvi, vers. 9, lxxv, 11, imprimis reprehensiones pastorum, id est regum, cap. lvi, vers. 11-12; exprobrationes non tantum idololatriæ, sed etiam immolationis prolium, cap. lvii, vers. 1-13, et enormis corruptionis, cap. lviii, vers. 6-9, lxx, 1-8, a temporibus exilii prorsus abhorrent, ex quibus expectes potius mentionem vaticiniorum Jeremiæ, ut Daniel. ix, 2, et plura de Mehestanis seu cultoribus Ormuzdi, quam unicam illam allusionem ad duo rerum principia, cap. xlv, vers. 7, quæ profecto antiquiori etiam ævo a permultis credita fuerunt.

Tertio, Jeremias prodit se vaticinia hæc legisse, atque

tum Sanctum : qui exploratus est error et hæresis.

Tertio, Venetiis prodit liber sive visio Isaiaë hoc titulo : *Visio admirabilis Isaiaë Prophetæ in raptu*

id quidem septem annis ante eversa Jerosolyma, *Jerem.* **LI**, 49-64; nam cognatio vaticinii Jeremiaë, cap. **LII**, cum illis vaticiniis Isaiaë, de quibus quæritur, manifesta est; neque dici potest, auctorem controversorum Isaiaë vaticiniorum sub finem exilii, legisse librum Jeremiaë; nam vir est qui solus sibi constat, sibi soli innitur, neque alios imitatur; e contrario notum est, Jeremiam præsertim in vaticiniis contra gentes exteras, antiquiores prophetas legisse, et plura ex eis sua fecisse. Collationem utriusque prophetæ exhibui in introductione germanica. Observantur quæpiam in aliis quoque prophetis, ex nostris controversis Isaiaë vaticiniis deprompta, ut *Zephan.* cap. **II**, vers. 14-15, ex *Isai.* **XIII**, 21-22; *Ezechiel.* cap. **XXXIV**, ex *Isai.* **LVII**, 10 et sequent.; *Ezechiel.* **XXVI**, 20, **XXXI**, 14-17, **XXXII**, 18-33, ex *Isai.* **XIV**, 8-28. *Ezechiel.* **XXVI**, 13, ex *Isai.* **XXIII**, 25; *Ezechiel.* **XXV**, 11-13, ex *Isai.* **LXVI**, 6-9. Habacuc quæpiam ex Isaia de prompsisse, jamdudum observatum est.

Quarto, Cyrus in litteris publicis, *Esdrae* **I**, 2, ait Deum cæli sibi omnia regna concessisse, atque mandasse ut ei templum Jerosolymis exstruat, quæ verba, uti et ipsa Cyri gesta, nempe dimissio Judæorum in patriam, assignatio sumptum in structuram templi, et restitutio vasorum sacrorum non levis pretii, explicari nequeunt, nisi ei, prout Josephus refert, hæc Isaiaë de ejus persona vaticinia exhibita fuerint, quorum divinitate manifesta permotus sit, ut Judæis tanta præstaret. Nec Cyrus erat ille qui sibi vaticinia recentia et vix in lucem emissa pro antiquis obstrudi passus esset, ut taceam, non de fuisse viros qui ipsi fraudem, si quæpiam hac in re intercessisset, detexissent; neque etiam Mehestan Cyrus, qui Ormuzdo nonnisi pyræa ædificabat, tam facile moveri poterat, ut magnificentissimum Deo Judæorum templum exstrueret.

Mirum quidem videri possit, Prophetam tam multa dicere de reditu ex Babylone, quin de deportatione disertam mentionem fecisset; ast quæpiam de hac re omnino dicit, ut cap. **XXXIX**, vers. 4-7; cap. **VI**, vers. 11-13; cap. **V**, vers. 5-9; cap. **XI**, vers. 11-16; atque Michæas, Isaiaë coævus, clare de hac deportatione et de eversione Jerusalem loquitur, ut et Isaias plura de illa dixisse videatur, quæ nobis conservata non sunt; nam Propheta, qui lætum reditum canit, deportationem, quoque prædicando non magis secum ipse pugnasset, quam Jeremias, qui utrumque prædixit.

Opponitur quidem analogia, juxta quam Prophetæ non tam remotos eventus præcinerere existimantur quales sunt illi de Chaldæis, de Medis et Persis, de Cyro et de reditu Hebræorum in patriam, ab Isaia prædicti; ast hæc analogia, ut jam monuimus, nequaquam universalis est. Supponitur quoque Chaldæos, Medos Persasque ætate Isaiaë populos fuisse obscuros, aut prorsus ignotos, cum tamen Medi 100 fere annis ante Isaiam et Ezechiam (826 ante Christum, 149 post schisma) sub rege Arbace, fœdere juncti cum Belesy, præfecto Babyloniæ, evertèrent primam Assyriorum monarchiam; subsecuta quidem est Medorum anarchia 76 annorum, verum anno 10 Ezechiaë (728 ante Christum, 257 post schisma), regem elegerunt Dajocem, conditorem Ebatanorum, cujus filius Phraortes (665-643 ante Christum, 310-322 post schisma) novum regnum Assyriorum bello aggressus, in obsidione urbis Ninives interfectus est. Sub Cyaxare I autem Zo-roaster rursus reperit regnum Medorum florens.

Elam jam antiquissimis temporibus erat celebre regnum, *Genes.* cap. **XIV** neque in *Isaia* ut *Daniel.* **VI**, 28,

mentis, quæ divinæ Trinitatis arcana, et lapsi generis humani redemptionem continet. Testis est Sixtus Senensis in *Isaia*.

Denique putant Judæi, teste R. David Kimchi,

et *Esdrae* **I**, 2, 4, 5, **II Paralipom.** **XXXVI**, 22-23, nunquam occurrit nomen recentius פָּרַס, sed semper antiquum עִילָם, *Genes.* **I**, 22, **XIV**, 1. Elamitæ sunt in exercitu Assyriorum, *Isai.* **XXII**, 6, quod vaticinium, ut ex vers. 8-11, coll. **II Paralipom.** **XXXII**, patet, dubio procul Isaianum est. Assharadon, *Esdrae* **IV**, 9, 10, inter cæteros colonos etiam Elamitas misit in Samariam. Recentiori ævo Jeremias, cap. **XXV**, vers. 25, **XLIX**, 34, 35, Elam regnis potentioribus accenset, quæ a Chaldæis expugnanda essent, et *Ezechiel.* cap. **XXXII**, vers. 24, regnum Elam conspicit eversum.

Gentes nonnisi diuturno tempore successive, vicinos populos vincunt, et latius se diffundunt, donec tantam nominis celebritatem assequantur, ut eminentem in historia locum obtineant. Quare Chaldæi, Medi et Elamitæ, Persæ, non brevissimo temporis spatio ex obscuritate in tantam lucem emergerunt, ut paulo ante prorsus ignoti nunc mox omnibus notissimi fuerint. Si itaque Isaias vaticinatur eversionem regni Chaldæorum, per Medos et Elamitas, id ea ætate non magis obscurum et clarum erat, quam si Zacharias, cap. **IX**, vers. 13, de bellis Judæorum contra Græcos in Syria loquitur. Ipsum quoque Cyri כּוּרַשׁ, nomen usurpare Isaias potuit, cap. **XLIV**, vers. 28, **XLV**, 1; quippe nihil aliud dicit quam rex; in lingua Persea enim *rhôr* est sol, et *schid*, splendor, unde *khorchid* est solis splendor, et cum voce *pæ* vel *pai*, habitatio, compositum, *khorchidnai*, habitatio splendoris solis, consuetum erat nomen omnium regum Persiæ. Hæc compellatio Hebræis per mercatores, hinc inde migrantes, in כּוּרַשׁ detortum, innotuerit, et Isaias, qui Cyrum quoque unctum, מְשִׁיחַ, vocare nullus dubitat, illo etiam nomino Persico uti potuit, quod deinceps nomen proprium illius regis factum est.

§ 3.

Vaticinia Isaiaë abjudicata.

Quæ contra nonnulla vaticinia Isaiaë opponuntur, paucis expediri possunt.

Primo, fragmentum *Isaiaë* cap. **II**, vers. 2-4, ab illo, qui ad finem exilii Babylonicum vaticinia diversa in nostrum volumen collegisse putatur, per errorem assumptum esse dicitur; ast jam viderunt, ab Isaia ex *Micha* cap. **IV**, vers. 1-3, vel a *Micha* ex *Isaiaë* **II**, 2-4, vel ab utroque ex antiquiori vaticinio depromi potuisse.

Secundo, duo capita, **XI** et **XII**, Isaiaë abjudicata fuerunt, quod cap. **XI**, vers. 11-16, remotissimus Israelitarum et Judæorum reditus ex Assyria et Ægypto aliisque regionibus prædicitur. Ast hic reditus etiam a coævus *Micha*, ab *Osea* et ab *Amos* prædictus fuit.

Tertio, vaticinium, cap. **XV-XVI**, tribus annis ante vastationem Moabitidis per *Nebucadnezarem* **XVI**, 13-14, scriptum putatur, quia *Zephanias* **II**, 8 seq., et *Jeremias* cap. **XLVIII**, eandem Moabitidi calamitatem prædicunt. Verum quis ostendat, Isaiam non de calamitate alia, quæ ab Assyriis instabat, loqui? aut quis cogitet Assyrios Moabitidi pepercisse? Vastata itaque fuit ab Assyriis, ut Isaias prædicit, et demum rursus a Chaldæis, de quibus *Zephanias* et *Jeremias* loquuntur. Vaticinium autem hoc Isaiaë, multo esse *Jeremia* antiquius, dubio caret; nam *Jeremias* cap. **XLVIII** plura ex eo deprompsit, ut cuius conferenti patebit. Esse vero ab ipso Isaia, arguit vel temporis definitio, quæ Isaiaë alias, ut cap. **VII**, vers. 14-17, **VIII**, 4-5, consueta est.

Isaiam scripsisse Proverbia, Ecclesiasten et Cantica Canticorum. Verum hæc non Isaia, sed Salomonis esse communis Catholicorum est sententia.

Com-
menta-
res.
Veteres.

QUÆRES quinto : Qui et quales hic sunt commentatores? Respondeo : Scripsit, inquit S. Hieronymus, *primo*, Origenes in Isaiam 30 volumina, et 25 homilias (jam tamen tantum exstant novem, æque fere in caput VI.)

Secundo, Eusebius Pamphili scripsit volumina 15.

Tertio, Dydimus 18.

Quarto, Appollinaris etiam punctim, et quasi per intervalla.

Quinto, Martyr Victorinus latine : sed nec ipse, nec cæteri hucusque recensiti jam exstant.

Sexto, præ his omnibus docte commentatus est Cyrillus.

Septimo, scripsit S. Basilius in 16 prima capita, atque hinc inde egregios quosdam morales locos interserit. Notat Leo Castrius, pag. 68, La-

Quarto, eloquium XIX, 18-25, non esse Isaia, nulla alia allata fuit ratio, nisi quod cap. XIX, 1-15, præcessit vaticinium de calamitate Ægypti, et vers. 18-25, de prosperitate sermo est, quod tamen nihil aliud est quam quod Prophetis est familiare, ut post calamitates meliorem sortem promittant. Si, vers. 25, Ægyptii dicuntur *populus Jehovah*, et Assyrii *opus manuum Jehovah*, id profecto a quopiam Hebræo dictum fuisse, necesse est; et vero longe similis est, id ab Isaia, quam ab alio quopiam recentiori dictum esse.

Quinto, *Isaia* cap. XXII, vers. 1-14, ob mentionem Elamitarum vers. 6, Isaia abjudicatur; verum ex collatione vers. 8-11 cum libro II *Paralipomenon* cap. XXXII, vers. 2-5, et *Isaia*, VII, patet, sermonem esse de Sancheribi irruptione, et hinc hæc Elamitarum mentio ex ætate saltem Isaia descendit; sine ratione igitur alius auctor quæritur, quam Isaias, qui in inscriptione præfertur.

Sexto, qui contendunt Isaiam non facile tot vaticinia de una Sancheribi irruptione editurum fuisse, non advertunt eventum hunc fuisse maximum et gravissimum, et ad Hebræos in religione confirmandos quamplurimum contulisse, ut plura vaticinia optime meruerit; et hæc ab Isaia profecta esse, elocutio et stylus confirmat, qui non magis variat quam in diversis Hariri consensibus, et in diversis Davidis psalmis.

Septimo, vaticinium *Isaia* XXIV-XXV, in recentiora tempora conjectum est ob paranomasias frequentiores, quæ tamen in oratione Orientalium singularia sunt lumina, quibus coævum Micham non minus frequenter uti vidimus, ut in argumentum recentioris ætatis eo minus trahi possint, quia etiam Isaias alibi paranomasiis sæpe utitur, ut *Isaia* I, vers. 7, 23; III, 1, 5, 7; VII, 3, 22-23; XXIX, 2; XXX, 16, confer *Oseam* I, 4-5; V, 1, *Mich.* I, 14-15; cap. III, 12; IV, 10.

Octavo, caput XXXIV *Isaia*, quo vastatio Idumææ prædicatur, recentius existimatur, quia eadem vastatio a Jeremia capite XLIX, vers. 7, et *Ezechiele* capite XXV, vers. 12, prædicta, et per Nebucadnezarem demum completa sit, quæ ab ævo Isaia nimium distat. Verum argumentum comprobatur non fuit, Isaiam cap. XXXIV, non loqui de alia calamitate, per Assyrios Idumææ inferenda, de qua *Amos* I, 14-15, ante Isaiam, locutus fuit.

Nono, *Isaia* cap. XXXV præter nullum aliquatenus speciosum recentioris ætatis indicium exhibet, et ætatem *Ezechia* versus 8, collatus II *Regum* XVII, 25, manifestat.

tinam versionem Cyrilli et Basili videri Judaicis traditionibus, vel fabulis ab aliquo hinc inde inspersionem, eo quod illæ in Græco exemplari desiderantur.

Octavo, S. Chrysostomus in fine tom. I habet 8 homilias in Isaiam, e quibus quinque sunt in caput VI. Scripsit et Procopius Gazensis more suo breviter, nervose et erudite. Inter Latinos primas jam et tempore et doctrina, in sensu præsertim litterali vestigando, obtinet sanctus Hieronymus, cujus laus vel maxima exstat in Commentariis hisce in Isaiam aliosque Prophetas. S. Hieronymum quasi abbreviator sequitur Haymo Episcopus Halberstadiensis, qui breviter et dilucide Isaiam et Prophetas explicat. Post Haymonem scripsit Rupertus, qui maxime allegoriam tractat, et omnia pene de Christo interpretatur : more suo est moralis. Post Rupertum scripsit Joachim Abbas Florensis, qui novo miroque modo explicat Isaiam et Jeremiam, nimirum prophetice. Nam prophetias de gentibus priscis ante Christum explicat de gentibus fidelibus post Christum. Tam ergo Prophetam agit quam Isaias vel Jeremias, iisque sæpe obscurior est; v. g. onera Babylonis, Philistiim, aliarumque gentium, de quibus agit Isaias cap. XIII et seq., sic generatim explicat et adaptat : « Onus, inquit, Babylonis secundum concordiam tangit Romam, sicut Chaldæa Alemanniam » (Cur non potius Italiam? sicut enim Babylon erat metropolis Chaldææ, sic Roma est Italiæ). « Onus Philistiim secundum concordiam, Lombardos et alios Italos; Onus Moab et filiorum Ammon, Principes Latinos et Græcos; Onus deserti maris, Africanos et alios Saracenos; Onus Duma vel Idumææ, tangit negotiatores Judæos, Sapientes, et Legistas, et Græcos; Onus in Arabia, Hispanos et Marchianos; Onus vallis visionis, cujuscumque Ordinis Regulares; Onus Tyri, Siculos et regnicolas sibi subjacentes; Onus Ægypti, Judæos, Danos et Francos; Onus Damasci tangit Thuscos et Ligures, in gladio verbi Domini, et ferro effundendos et conterendos. » Similiter scribens in cap. IV *Jeremia*, et in cap. XIV *Apocal.* prophetat duos fore Ordines qui reformaturi sint Ecclesiam, eosque adumbratos fuisse per corvum et columbam, quos Noe emisit ex arca, *Gen.* VIII. Quin et ferunt ejus jussu depictos fuisse S. Dominicum et S. Franciscum cum stigmatibus, et habitibus suis, supra fores veteris sacristiæ S. Marci Venetiis, qui usque in præsentem diem manent, cum constet Joachim ætate præcessisse S. Dominicum et S. Franciscum, sed modica. Nam jam tum vivebant S. Dominicus et S. Franciscus, qui paulo post Ordines suos instituerunt, ut notat P. Possevinus in Bibliotheca verbo *Joachim*. Multa alia prophetat de Fridrico Imperatore, Henrico, et aliis, sed sæpe tam obscure et ænigmatice, ut Œdipo sit opus : de quibus quid sentiendum sit, dicam Proæmio in *Apocalypsin*, quam post Prophetas edere destino. Videtur ipse prophetias

S. Scripturæ, suæ ætati suisque temporibus, puta sæculo XII et XIII post Christum (floruit enim ipse anno Domini 1200) accommodare voluisse; sed quam concinne et vere, non satis liquet; præsertim quia indefinite et generaliter loquitur, nec certum designat tempus, quo ea quæ prophetat implenda sint. Jam ergo ejus prophetiæ parum utiles sunt, tum quia generales, tum quia obscuræ, tum quia præteritæ, tum quia ambiguæ. Plerumque enim per parabolas prophetat de septem Ecclesiæ temporibus, et de oneribus sexti temporis: eumque proinde hac in re secuti videntur Petrus Galatinus, Ubertinus de Casalis, et similes scribentes in Apocalypsin, eamque adaptantes septem futuris Ecclesiæ statibus. Fundamentum eorum est, quod censeant nihil in veteri Testamento gestum esse, quod in novo pariter non geratur aut gerendum sit; qua de re scripsit Joachim libro de Concordia novi et veteris Testamenti. Post Joachimum scripsit D. Thomas in Isaiam et Jeremiam: hunc tamen commentarium non esse S. Thomæ Aquinatis, aut certe multa ei infarta esse censent Sixtus Senensis, Adamus Sabout, et noster Delrio: nam in multis judaizat. Exempli instar sit illud cap. II: « Accede ad prophetissam, » hoc est, inquit, accede ad uxorem tuam, o Isaiâ: qui sensus Judaicus est. Antonius tamen Senensis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum, cum aliis contendit hoc opus esse S. Thomæ Aquinatis, quia ejus doctrinam et stylum redolet: more enim D. Thomæ sæpe terminis Scholasticis utitur, atque hinc inde quæstiones Scholasticas immiscet. Verius est hæc Commentaria esse Thomæ Doctoris non Angelici, sed Anglici, qui ex Ordine Prædicatorum Theologiæ Scholasticæ Professor floruit sub annum Christi 1400. Ejusdem enim sunt Commentaria in Genesim, quæ hisce similia sunt, et falso S. Thomæ Aquinati scribuntur; plane enim videtur hic auctor R. Salomone et Lyrano esse posterior, ab iisque Judæicas hæc traditiones accepisse.

Ex recentioribus scripserunt multi. Eminentissimus Franciscus Forerius Ulyssiponensis ex Ordine S. Dominici, et regum Lusitanicæ concionator, qui ex Hebræo textu reconditos rimatur et affert sensus; item Adamus Sabout e S. Francisci familia, olim Lovanii Professor, qui litteram docte et pie, apteque ad mores expendit. Leo Castrius ingenens scripsit volumen: hic totus est in versione Septuaginta explananda, estque in Patribus versatissimus, ac hostis acerrimus Judæorum, contra quos omnia pene Isaiæ dicta torquet. Vatablus brevi scholio suam, id est Leonis Hebræi Tigurini, ex Hebræo versionem de more illustrat. Scripsit et Hector Pintus succulente: sæpe enim ad moralia excurrit. Hieronymus Osorius bonam Isaiæ paraphrasim edidit. Denique scripsit fuse et eloquenter Arias Montanus; qui hic tamen brevior et doctior est quam sit alibi: item Didacus Alvarez, et Paulus a Palatio. Novissime scripsit justum

volumen in Isaiam noster P. Gaspar Sanchez, illudque doctum æque ac elegans, cum insigni paraphrasi singulorum capitum. Noster Martinus Delrio in *Adagialib.* multas obscuriores Isaiæ et cæterorum Prophetarum sententias et phrases accurate doctèque explicat (1).

Ex hæreticis scripserunt Oecolampadius, Zuignlius, Lutherus, Calvinus, Pellicanus, Musculus: ex quibus Catenam suam consarcinavit Augustinus Marloratus, quam totam evolvi. Sane tædet cacodoxos et verbosos hosce spermologos legere; sed pro veritate orthodoxa firmanda legendi et refellendi sunt: inter quæ, quod Ennium lectitans dixit Cicero, subinde « de stercore gemmas colligo. » Quidni enim « et in mala segete bonum aliquod spicum? »

Denique exstat Romæ in Bibliotheca Vaticana et Medicea, versio Bibliorum Syriaca: item Arabica anonymi auctoris, utraque vetusta. Arabicæ duplex est exemplar, unum Antiochia allatum, quod Antiochenum vocant; alterum ex Ægypto, quod Alexandrinum nuncupant. Utramque in Latinum convertit Reverendissimus Dominus Ser-

Hæretici commentatores.

(1) Inter recentioris adhuc temporis interpretes, addere liceat, ex catholicis:

Paulum Peyron, ex ordine S. Bernardi, et Sorbonicum doctorem, anno 1706 mortuum, qui scripsit opus, cui titulus: *Essai d'un Commentaire littéral et historique sur les Prophètes*, in-12; Paris, 1793; quod perspicue præsertim historiam regum Juda et Israel explicat.

Guillelmum Franciscum Berthier, ex societate Jesu, anno 1782 mortuum, auctorem operis egregii quod inscripsit: *Isaïe traduit en français avec des notes et des réflexions*.

Georgium Frederic Seiler, unum e doctissimis Germanicæ theologiæ, qui obiit anno 1807, et Isaiæ interpretationem composuit, quam germanica lingua inscripsit: *Jesajas, aus dem hebraischen übersetzt, und mit Anmerkungen erläutert*, et quæ testimonio Rosenmuller explanationes aliis commentatoribus ignotas habet.

H. Bodin presbyterum Turonensem, qui anno 1834 opus in-8º in lucem protulit, cui titulus: *Le livre du Prophète Isaïe traduit en français sur le texte hébreu avec des remarques*; quæ quidem interpretatio satis præstantem eruditionem, et styli elegantiam in auctore comprobabat.

Ex hæreticis vero commentariis, quæ inoffenso pede percurrere non licet, indicare sufficiat: Campegii Vitrinæ (1744-1720, 1749-1751); Dæderlein (1775, 1780, 1789); Roberti Lowht Londinensis Episcopi (1778); Guillelmi Gesenii (1820, 1821); Gotthilf Hensler (1788), *Commentaria in Isaiam*.

Alii aliquam tantum partem prophetiarum Isaiæ enucleare conati sunt, ut Piper in opere: *Integritas Jesaiæ a recentiorum conatibus vindicata* (Gryphisæ, 1793); M. J. H. Beckhaus, in opere germanice scripto: *De Integritate Prophetiarum veteris Testamenti* (Halle, 1796); C. J. Greve, in præstantissima sua interpretatione ultimorum capitum Isaiæ (Amsterdam, 1810); Jos. Ulr. Mæller, in opere: *De Authentia oraculorum Isaiæ* (Havnæ, 1825); Adolphus Fredericus Klernest, in opere cui germanice titulus: *Einkritischer versuch*, et E. W. Hengstenberg, in prima parte operis: *Christologie des Alten Testaments* (Berolini, 1829).

Recentiores.

gius Risius Maronita, Archiepiscopus Damascenus, cui Arabica lingua materna est, Syriaca familiaris : Syriaca enim utuntur Damasceni et Maronitæ in sacris. In Syriaca operam ei strenuam navat R. P. Joannes Baptista Ferrarius, Societatis nos-

træ, publicus linguæ Syriacæ in Collegio Romano professor. Citabo utramque in locis illustrioribus, ubi vel lucem afferunt, vel novum sensum, ad copiam. Illis auctoribus attribuat et accepta referat lector.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, peccata populi exaggerat et coarguit. Secundo, pœnam comminatur, scilicet gentis excidium, cum ait vers. 7 : Terra vestra deserta, etc. Tertio, ostendit quomodo per pœnitentiam Deum placare possint, cum ait vers. 16 : Lavamini, mundi estote, etc. Huc usque concionatorem agit Isaias docetque modum et ordinem concionandi, quem nostri concionatores imitentur. Quarto, proprie Prophetam agit, cum vers. 26, avolat ad Christum et Apostolos, et vers. 31, ad ignem gehennæ.

1. Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem in diebus Oziaë, Joathan, Achaz et Ezechiaë, regum Juda. 2. Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. 3. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. 4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. 5. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, et omne cor mœrens. 6. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas : vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. 7. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni : regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate nostru. 8. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorrha similes essemus. 10. Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui. 12. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri : 14. calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. 15. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. 16. Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, 17. discite benefacere : quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. 18. Et venite, et arguite me, dicit Dominus : si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. 19. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. 20. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis : gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. 21. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. 22. Argentum tuum versum est in scoriâ : vinum tuum mixtum est aqua. 23. Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant : et causa viduæ non ingreditur ad illos. 24. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel : Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. 25. Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriâ tuam, et auferam omne stannum tuum. 26. Et restituum iudices

tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus : post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. 27. Sion in iudicio redimetur, et reducent eam in justitia : 28. et conteret sceleratos, et peccatores simul : et qui dereliquerant Dominum, consumentur. 29. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt : et erubescetis super hortis, quos elegeratis, 30. cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. 31. Et erit fortitudo vestra, ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla : et succendetur utrumque simul, et non erit qui exanguat.

Vers. 1. **I. VISIO ISAIAE FILII AMOS QUAM VIDIT SUPER JUDAM ET JERUSALEM IN DIEBUS OZIAE, etc. (1).**— Est hic titulus libri continens nomen ipsius auctoris sive Prophetæ, et populi cui ipse prophetat, et tempus

(1) In annotationibus quas Commentariis Cornelii a Lapide attexere opportunum visum est, hæc sunt rationes quibus fere semper obtemperavimus. Nemo est qui non sciat phrasim hebraicam, simplicem et claram in historicis auctoribus vel in scriptoribus præcepta legis exarantibus, ab hac simplicitate et claritate recedere in poeticis libris, et in oraculis Prophetarum, quippe qui Spiritu Sancto inspirati sancti Dei homines, sæpe sæpius veluti inspirationis impetu abrepti, elliptice loquuntur, ita ut quadam obscuritate rerum contextus et series involvantur. Quam obscuritatem ut depellere nitamur, doctissimi Interpretis nostri explanationi breves aliquas philologicas annotationes addidimus, et aliquando per accuratiorem capituli analysim sæpe ab opere P. Kilber (*Analysis biblica*), ex parte mutuata, aliunde tum meditationi, tum prædicationi summopere utilem, prophetiæ in eo contentæ connexionem et verum sensum exponere studuimus.

Frequenter etiam facta antiqua, traditiones, mores, usus nationum et populorum cum quibus Hebræi qualescumque relationes habebant, Prophetæ innunt. Porro ista facta, traditiones, usus, si S. Hieronymum excipias, non perfecte noverunt plerique interpretes et commentatores, qui magis theologicæ quam profanæ scientiæ periti, magis etiam spirituale sensum quam litteralem enucleare curarunt. Igitur ex viatorum scriptis qui Orientis partes in novissimis temporibus diligenter peragrarunt, non paucas observationes excerpimus, quæ plerumque explicandis vel confirmandis quibusdam Prophetarum vaticiniis inservire possunt.

Primum Isaia caput est quasi prævium totius libri summarium, et, ut dicit Torerus, est prophetiæ totius materies et argumentum; nulla enim in hoc volumine aliqua insignis est prophetia cujus in hac prima concione caput non attigerit, adeo ut ultimum verbum hujus capituli cum ultimi libri verbis aperte conveniat : « Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. » Nulla autem hic in argumento mentio fit vastationum aliorum regnorum, quæ in sequentibus commemorantur, quod tantum in exempla ea adscripserit Propheta.

Porro hæc est accuratio totius primi capituli analysi:

I. Enumeratio regum, sub quorum tempus visiones factæ et prophetiæ dictæ, vers. 1.

II. Expositio eventuum, ex justo Dei decreto futurorum,

1. Prior præmissa ad cælum et terram apostrophe, 2.

Primo, exprobrat Israelitis oblivionem Dei, cum ingratitude, stupiditate, malitia et blasphemia conjunctam, 2-4

Secundo, prænuntiat, velut jam præsentem, tum reipublicæ afflictionem gravissimam, tum regionis devastationem, 5-8.

Tertio, adjicit, solius Dei beneficio prohibitum adhuc, simile cum Sodoma et Gomorrha fatum, 9.

quo prophetavit, videlicet sub Ozia sive Azaria, Joatham, Achaz et Ezechia regibus Juda (2).

Nota primo, « visio, » id est visum sive res visa, puta prophetia, quam vidit Isaias oculis non corporis, sed phantasie, aut potius mentis et intellectus : ubi *videre* et *audire* sæpe idem sunt, puta clare rem cognoscere. Licet enim Isaias quandoque viderit symbola quædam, ut cap. VI vidit Deum in throno cum Seraphinis; tamen communiter tantum audiebat Deum sibi loquentem.

Prophetia vocatur visio, Cur? Resp. Primo.

Secundo, dicit « visio » potius quam prophetia, tum ut indicet certitudinem suæ prophetiæ; quia, ut ait S. Basilius, visus est sensuum certissimus : tum ut sciamus Isaiam in hac illuminatione Dei non quasi futuræ rei prænotionem, sed quasi præsentis claram inspectionem aspexisse : in Dei enim præscientia et prævisione omnia, etiam futura sunt quasi præsentia. Ita Cyrillus. Refert S. Grego-

II. Altera ad posteros hinc non emendatos directa, 10.

Primo, reprobatur cultum religionis mere externum, utpote hypocrisi et iniquitate contaminatum, 11-15.

Secundo, exigit vitiorum abolitionem, et virtutum religiosarum substitutionem, 16-17.

Tertio, promittit, posita hac conditione, peccatorum remissionem et honorum reditum, 18-19.

Quarto, minatur, emendatione haud secuta, exterminium, 20.

III. Posterior corruptionem populi, maxime autem principum, incorrigibilem experta, 21-23.

Primo, denuntiat vindictam sumendam de sceleratis, et discretionem faciendam ab innocentibus, 24-25.

Secundo, spondet melioribus his reliquiis reparationem reipublicæ et redemptionem, 26-27.

Tertio, excipit ab hoc beneficio idololatrias, cum idolis perdendos, 28-31.

(2) Hic titulus vel ab alio post mortem Isaia, vel ab ipso sub finem vitæ in capite Prophetarum inscriptus fuit. Nam cum sub Ozia prophetare cœpit, nesciebat an sub aliis principibus postea regnaturis prophetaret, nisi revelationem supponas quam nullo modo necessariam esse dicere non dubitamus.

Nulla exstat ratio idonea, inquit Rosenmuller, cur cum Koppio, Cubio et Bertholdio (*Einleit.* pag. 1387) hoc capite tres a se invicem diversas, et vario tempore editas, orationes comprehendere existimemus. Illorum argumenta refutavit, omnesque hujus capituli partes arctissime invicem coherere ostendit Gesenius in *Commentar.* pag. 146. Nec minus supervacanea Vogelii conjectura, mediam hujus capituli partem, a vers. 10 usque ad 20, esse epitomen novæ, a prima diversæ, orationis.

Exstant Everardi Scheidii *Specimina philologico-critica tria novam versionem* cap. I et II vaticiniorum Isaia, adfectis animadversionibus complectentia, quæ prodierunt Harderovici Gelrorum, 1779, 1780, in-4º. (Rosenmuller.)

rius, lib. II *Dialog.* cap. xxxv, de S. Benedicto, quod ipse in oratione ita mente in Deum elevatus fuerit, ut sub eo viderit mundum totum quasi parvum globum in radiis solis collectum. Quærenti quomodo id fieri potuerit, respondet, causamque et modum assignat, dicens: « Quia videnti Deum angusta est omnis creatura, » et mens S. Benedicti in Deo dilata sub eo mundum quasi globulum vidit. Simili modo nostri Prophetæ. Ita spiritu elevabantur in Deum, ut res etiam remotas quasi coram se positas cernerent, ideoque eorum prophetia vocatur Visio, ipsique vocantur Videntes, ut liber Addo Videntis, id est Prophetæ; et Saul ad Samuelem: « Ubi est domus Videntis? » cui Samuel: « Ego sum videns, » id est Prophetæ, I *Reg.* ix, 18. Hanc prævisionem Deus Prophetis, sed maxime Isaiæ, communicavit. Isaias enim ea quæ prædicat, ita distincte et dilucide proponit, ut qui ea legit, cernere se potius putet præsentia, quam sperare futura. Ita Thales rogatus, « quantum a mendacio distaret veritas? » respondit: « Quantum oculi ab auribus. » Sensit vir sapiens, ea demum esse indubitatae fidei quæ hominum oculis cernuntur, non quæ auribus audiuntur.

Tertio. *Tertio*, Prophetæ sæpe pro eodem accipiunt hæc tria, scilicet, « visio, verbum, onus, » nimirum pro prophetia, de quo cap. xiii, 1. Vide *Can.* I.

Quarto. *Quarto*, dicit « visio, » non mea, sed *Isaiæ*: non tam modestiæ quam historiæ causa, scilicet ut sequentibus sæculis sciatur hunc esse librum *Isaiæ*, non alterius: hac enim de causa scriptores libris quos edunt suum nomen præfigunt.

FILII AMOS. — Alius est hic Amos ab Amos qui est tertius inter minores Prophetas, ut dixi in Proœmio. Utrumque Prophetam fuisse censent Hebræi; tradunt enim ipsi hanc regulam; quoties in titulo Prophetarum nominatur pater Prophetæ, vel avus, vel abavus, significatur singulos eorum fuisse Prophetas; sed hæc regula dubia et eruditis falsa videtur, de qua re alibi agam.

QUAM VIDIT (id est audivit a Deo) **SUPER JUDAM ET JERUSALEM.** — Septuaginta, *quam vidit contra Judam et Jerusalem.* Hebræum enim **לְאֵל וְעַל** et *super et contra* significat: hic melius vertas, « super. » Isaias enim non tantum adversa, sed et læta Judæ prænuntiat. Sub « Juda » accipe et Tribum Benjamin: hæc enim in schismate decem Tribuum sub Jeroboam cum Juda adhæsit Roboam, et domui Davidis, *q. d.* Hic liber Isaiæ continet tam prospera quam adversa, quæ ipse in spiritu prævidit in diebus Ozia, Joatham, Achaz et Ezechia, posteris Judæ et Benjamin, ac maxime Hierosolymitis obventura, partim sub illis ipsis regibus, partim post eos. Tò enim « in diebus Ozia » referendum est ad « vidit, » ut patet: nam licet Isaias, cap. xiii et seq., prophetet etiam contra Babylonios, Medos, Syros, Ægyptios, etc., tamen præcipue et communissime prophetat Judæis. Unde eis suam prophetiam inscribit.

Notat S. Hieronymus, aitque: « Quod in titulo ponitur Isaiam prophetasse sub Ozia, Joatham, Achaz et Ezechia, non ut in aliis Prophetis, confuse intelligendum est, ut nesciamus quid sub quo specialiter rege dictum sit; sed usque ad finem voluminis scriptum refertur quid seorsim sub Ozia, » scilicet dicta a cap. i ad cap. vi, vers. 1, « et quid sub Joatham, » scilicet dicta cap. vi, « et quid sub Achaz, » scilicet dicta a cap. vii, vers. 1, ad cap. xiv, vers. 28, « et quid sub Ezechia ei a Domino revelatum sit, » scilicet reliqua a cap. xix, vers. 28, ad finem libri. Ita ipse. Hoc generaliter verum est; patitur tamen exceptionem, ut patebit cap. xvii, vers. 1.

2. AUDITE, COELI, ET AURIBUS PERCIPE, TERRA, QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST. — Attentionem sibi conciliat Isaias per pathos invocando cælum et terram, ut audiant verba, non sua, sed Domini. Jam Haymo per *cælum* intelligit viros probos, spirituales et cœlestes: per *terram* homines rudiores et terrenos, vel etiam pravos et incredulos. Verum hic sensus est tropologicus.

Ad litteram ergo S. Basilius, Hieronymus et Cyrillus per *cælos* accipiunt cœli incolas, puta Angelos: per *terram*, terrigenas, puta homines, ut sit metonymia.

Secundo, magis litteraliter et genuine idem Cyrillus et Rupertus proprie ipsos cælos et terram accipiunt: utitur enim Isaias prosopopœia ad inanimas creaturas, ut oratio sit gravior et plena indignationis, idque *primo*, ut significet Judæos omnia sua bona a cœlo et terra accepisse per Deum, cui jam adeo fuerunt ingrati; *secundo*, eo quod Judæi adorarint solem, lunam, sidera in cœlo, et in terra bestias ac lapides, ideo ea ipsa nunc quasi eorum iudices invocat; *tertio*, et maxime, quia cum homines rationales, puta Judæi, nollent audire Deum et Prophetas hinc Isaias invocat creaturas inanimas quæ semper obediunt Deo, ut gravissima sit querela et exprobratio; invocat, inquam, eas quasi testes mutos et æternos, ut nimirum cælum et terra testes sint tum pacti præteriti a Deo cum Judæis initi *Deuter.* xxx, 19: « Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem; » tum præsentis Judæorum perfidiæ, qua pactum hoc violarunt: hæc enim verba Isaiæ illis Mosis jam citatis ad amussim respondent; tum futuri eorum supplicii, ut nimirum cælum et terra non tantum testes sint, sed et vindices Creatoris sui. Nam « pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. » *Sapient.* v, 21. Similia sunt *Psal.* xlix, 4, et *Deuter.* xxxii, 1: « Audite, inquit, cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. » Ita S. Ambrosius in *Psal.* cxviii, serm. 14: « Testatur, inquit, elementa Deus ad redarguendos eos, qui nolunt præcepta divina servare; ut refugia omnia excusationis obsepiat. » Et S. Chrysostomus hic, qui et exempla addit: « Eam ob rem, ait, missus ad Jeroboam Prophetæ,

Vers. 2.

Cælos invocat ob tres causas.

omisso rege ad quem mittebatur, scite admodum sermonem ad altare convertebat, » III Reg. xii : « Et Jeremias terram ipsam advocabat dicens : Terra, terra, terra, scribe virum hunc, virum excommunicatum, sive ejectitium, » Jerem. xxii. Dicit itaque : quoniam tanta est hominum impietas, ut ad verba Dei obdurescant, loquar cœlo et terræ. Cœlum quamvis sit remotissimum, audiet; terra, quamvis lapidosa et crassa, auscultabit, Surdæ autem sunt hominum aures.

Sensus ergo est, *q. d.* Vos, cœli insensibiles et inanimes, tu, terra bruta et surda, audite ea a me quæ populus meus audire non vult, audite justam meam de eo querimoniam : ut, sicut muti et æterni testes fuisti, pacti mei cum Judæis initi, legisque eis a me datæ, sic et nunc sitis testes tum eorum inobedientiæ, ingratiitudinis et rebellionis; tum justæ meæ de eis querelæ et comminationis, atque in futurum sitis testes meæ vindictæ, qua mala quæ eis hic comminor exsequar, eisque infligam : nec testes tantum sitis, sed et lictores ac vindices, scilicet tu, terra, impiis Judæis præbe te ferream : tu, cœlum, esto eis æneum. Rursum et magis, in die judicii tu, cœlum, vibra in eos tonitrua et fulmina, tu terra, iis dehisce. Ita Rupertus; vide dicta Deuter. iv, 16. Idem concionator dicat nomine Dei cuilibet peccatori : Audite, cœli, audite, elementa, audite, saxa, audite, bruta, rem vobis novam, audite facinus inauditum, audite portentum sæculorum : Hic peccator quem creavi, redemi, gratia mea bonisque omnibus dotavi, sprevit me, blasphemavit me, mihi Venerem, mihi Bacchum anteposuit : ventrem pro Deo habuit, itaque me divinitate mea spoliavit, eamque in Venerem et ventrem suum transtulit : quin ergo, o cœli, o fulmina! in scelestum hunc irruitis? quin reum læsæ majestatis divinæ afflatis, percussis, excruciat, perimitis?

Allegorice, « hæc res est impleta in Domini passione, qua cœlum in medio die perdidit diem, terra tremore nimio firmitatem. Hinc æstimare licet, quid eis sit reservatum, quorum in causa funerei luctus pœnæ pertulit natura supplicium, inquit Zeno Episcopus Veronensis, serm. 3 De Isaia, qui doctrina, sanctitate, miraculis et martyrio clarus floruit sub Galieno Imperatore, cujus et meminit S. Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. xix. Exstant ejus scripta tom. II *Biblioth. SS. Patrum.*

QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST. — Parat attentionem a dignitate loquentis, *q. d.* Non ego, sed sacra et divina majestas hæc edicit per me : lingua enim mea est calamus scribæ divini, puta Spiritus Sancti, et guttur meum est tuba divino inflata et clangens anhelitu.

FILIOS ENUTRIVI, ET EXALTAVI : IPSI AUTEM SPREVERUNT ME. — « Filios » proprie et primo, intelligit Judæos sui temporis, non autem eos qui fuerunt tempore Christi, ut vult Hieronymus, licet ad eos, imo ad omnes homines, a simili hæc verba extendi et applicari possint : omnium enim ingrati-

tudo hic taxatur. Te ergo, o popule mi! quasi filium « enutrivisti, » et, ut Theodoretus vertit, « educavi; » Septuaginta vertunt, « genui, » cum scilicet te creatione servum per vocationem et adoptionem mihi in filium adoptavi, Exod. iv, 22. Hebraice est : הגדלתי *higdalti*, id est *magnificavi*, hoc est, alui, crescere, adolescere te feci. Alui enim te cum parvulus et paucus esses, per Joseph in terra Gessen, ut cresceres in immensam multitudinem. Rursum alui te manna in deserto, atque lacte et melle in Chanaan. *Secundo*, et potius, alui te spirituali cibo, scilicet data lege in Sina, tot prophetiis, tot sacris libris, tot monitis; tot promissis. Hoc est quod ait Osee, cap. xi, vers. 3 : « Ego quasi nutritus Ephraim, portabam eos in brachiis meis; » et Isaias, cap. xlvi, vers. 3 : « Qui portamini a meo utero. » Denique « exaltavi, » hoc est, præ aliis omnibus gentibus te opibus, miraculis, victoriis, regno, templo, aliisque donis cumulavi et excelsum ac gloriosum, aliisque gentibus formidabilem effeci.

IPSI AUTEM SPREVERUNT ME. — Non ait : *Obliiti sunt, neglexerunt*, sed positive, « spreverunt me, » quasi directe me meaque jussa contemnent, aspernantes, violantes et prævaricantes, ut habent Hebræa, ac tandem me crucifigentes, inquit Zeno Veronensis, serm. 1 De Isaia. Quanta est hæc, o Judæe! o Christiane! impudentia tua, quanta ingratitude, quanta superbia! Hæc verba Isaiaë rursum quasi antistropha respondent verbis Mosi, Deuter. xxxii, 6 : « Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? etc. » Lycurgus contra ingratos legem ferre noluit, quod prodigiosa res esset beneficium non agnoscere. Duplex ergo portentum est ingrati filii erga patrem : triplex vero erga liberalem et beneficium patrem.

3. COGNOVIT BOS POSSESSOREM SUUM, ET ASINUS PRÆSEPE DOMINI SUI : ISRAEL AUTEM ME NON COGNOVIT. — Vers. 3 Est argumentum a minori ad majus, scilicet a brutis ad homines, idque ad pathos. Notat S. Hieronymus Judæos rebelles et ingratos hic assimilari non equo generoso, aut cani sagaci et grato, sed stolido bovi et asino; quid enim stolidius est bove? quid stupidius asino? his tamen stolidiores sunt Judæi et ingrati omnes. Sic e converso Plato Aristotelem vocabat mulum : mulus enim cum saturatus est lacte materno, matrem calcibus petit : sic et Aristoteles optimis quibusque Platonis dogmatibus suffartus, scholam contra eum in Peripato aperuit, eique perpetuus adversarius esse cupivit. Ita *Ælianus*, lib. IV.

Nota *secundo* : « Bos cognovit, » id est, cognoscere solet, « possessorem suum, » eique blandum et gratum se exhibere arando, triturando et vehendo ejus onera. Sic et « asinus præsepe domini sui, » id est, dominum præsepis sui, seu dominum qui se in præsepio alit (est hypallage), agnoscit; eique servit et obedit, scilicet vel arando

vel eum ejusque clitellas portando. Pro « bos, » Hebraice est שׁוֹר *scor*, Chaldæi תּוֹר *tor*, (Chaldæi enim *schin* mutant in *tau*) unde Latinum taurus. Hinc Franciscus Forerius per *schor*, accipit taurum admissarium, qui armenta prærit velut dux, ferusque est et jugi impatiens, *q. d.* Taurus hic licet ferus dominum suum agnoscit, et gregem vaccarum, quem prærit, in caulas domini sui reducit. At Israel me Dominum suum non cognoscit, imo meos greges, puta populum meum, a me ad idola abducit, verum Hebræum *schor* non tantum taurum, sed et bovem quemlibet domitum et mansuetum significat, et de eo magis videtur loqui Isaias.

Exemplum leonis grati.

Vis exemplum rarum feræ agnoscentis et dependentis beneficium homini? Accipe quod ex Appione oculato teste narrat Gellius, lib. V, XIV, suis verbis, quæ ego ut vitarem prolixitatem, abbreviavi. Romæ in circo dabatur pugna hominum cum bestiis: erat leo inter alios vastus et terribilis: « Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum Dacus, servus viri consularis. Ei servo Androdus (vel potius Androcles, uti scribit Ælianus) nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit: ac deinde sensim atque placide, tanquam noscitabundus, ad hominem accedit. Tum caudam, more, atque ritu adulantium canum, clementer et blande movet; hominisque sese corpori adjungit, cruraque ejus et manus prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat; paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta, lætos, inquit, et gratulabundos videres hominem et leonem. Ea re prorsus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit; accersitumque a Cæsare Androdum, quæsitamque causam, cur ille atrocissimus leonum uni pepercisset, Androdus rem narravit admirandam: Fugi, inquit, herum sævum, venique in speluncam, ubi leonem offendi pedem ostendentem, et opem petentem: ibi ego spinam ingentem ex pede ejus revulsi, saniem expressi, vulnus siccavi: ille levatus pede in manibus meis recubuit et requievit. Atque ex eo die triennium totum ego et leo in eodem specu eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra optima ad specum mihi suggerebat, quæ ego, ignis copiam non habens, sole meridiano torrens edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius forinæ jam pertæsum est, leone in venatum profecto, reliqui specum, et viam ferme tridui permensus a militibus visus apprehensusque sum, et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem me tunc separato captum, gratiam nunc mihi beneficii et medicinæ referre. » Hæc Appion dixisse Androdum tradit; eaque omnia scripta

circumlataque tabella populo declarat: atque ideo cunctis petentibus dimissum Androdum, et pœna solutum: leonemque ei suffragiis populi donatum. Postea, inquit, videbamus Androdum et leonem loro tenui revinctum, urbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus spargi leonem, omnesque fere ubique obvios dicere: « Hic est leo hospes hominis; hic est homo medicus leonis. » Leo brutus et ferus agnoscit beneficium, ei parit, blanditur et servit: et homo rationalis non agnoscit Creatorem suum, ei non obedit, non servit, cui animam debet?

Non minus rarum et mirabile est quod scribit Democritus, et ex eo Lilius Giraldus, lib. *De Ingratis*, draconem servasse Thoantem in Arcadia: Thoas, inquit, draconem puer nutriverat, qui cum adolevisset, veritus draconis naturam magnitudinemque in solitudinem detulit: digressus inde, cum in latronum insidias incidisset, exclamavit; cujus vocem audiens draco, eamque educatoris sui Thoantis esse cognocens, accurrit illico, et eum e latronum manibus eripuit.

Simile ibidem narrat ex Demetrio physico de panthera, quæ ferocissimum est animal: cum enim ejus catuli in foveam incidissent, nec eos inde educere per se sola sufficeret, tandiu ibi moram traxit, quandiu hominem prætereuntem conspiciens, eum leniter unguibus per vestem trahens, nutuque et gestibus lapsum catulorum innuens, ejusque opem postulans, eo adjuvante catulos e fovea exemit. Quare panthera gestiens, et gratiam referens, hominem eousque per sylvarum et nemorum devia cum catulis comitata est, quousque eum in viam tutumque reduxit.

Verum omnia superat, quod ex Philarcho commemorat de aspide. Aspide, ait, ab Ægyptio homine educata, cum in hospitis ædibus peperisset, accidit, ut ex catulis unus hospitis filium venenato morsu peremerit. Aspide tum domo forte aberat: reversa, iniquum rata hospitis filium a catulo necatum; præsentem hospite, ne ingrata videretur, imo ut ingratum puniret, proprium catulum homicidam interemit.

Huc refer leonem S. Gerasimi Abbatis (errat vulgus, putans fuisse S. Hieronymum, cui ex hoc errore pictores leonem appingunt), qui ob exemptam sibi ab eo spinam, viventi per omnem vitam sedulo servivit, et morienti ex luctu commortuus, eidem sua morte parentavit, uti refert Sophronius in *Prato spirit.*

Nota tertio: Locus hic generatim loquitur de quibusvis bobus, asinis et dominis. Veteres tamen, ut S. Augustinus *Contra Judæos*, cap. XIII, S. Ambrosius, lib. II in *Lucam*, cap. II, Origenes, *hom.* 13, et alii quos citat hic Leo Castrius (quos petulanter nimis et arroganter Calvinus hic subsannat, vocatque fabulones et asinos; ita nimirum vitulus ipse vitulatur), hæc adaptant Christo puero et Domino in præsepi inter bovem et asinum reclinato, et ab eis vel ordinaria et naturali

Bos et asinus venerati sunt Christum in præsepio.

obedientia, vel forte etiam extraordinaria et miraculosa aliqua (ut vult S. Bonaventura) reverentia agnito et adorato. Si enim agnus S. Francisci flexit genua ad S. Eucharistiam; si alaudæ et aves suo silentio et applausu S. Franciscum sibi concionantem reveritæ sunt et honorarunt; si feræ Antonium, Paulum, Hilarionem, aliosque ad primævam Adæ innocentiam accedentes coluerunt; si apes non semel S. Eucharistiam tutatæ sunt: quidni bos et asinus in præsepio præsentem et recens natum Christum innocentissimum, Dominum suum et nostrum, peculiari aliquo cultu honorasse, eique se inclinando, fœno eum tegendo, halitu suo eum calefaciendo, aliisque modis serviisse credantur? præsertim cum non tantum Angeli et pastores, sed et stella eidem servierit tunc, vocans et præiens Magos ad eum in Bethlehem. Certe ita ad litteram Sanctos Christi reveriti sunt et honorarunt boves, equi et asini. Illustre est quod legimus in Vita S. Kiliani Franconiae Apostoli: cum enim a Geila uxore Gosberti Ducis Franconiae, quod illicitum ejus conjugium reprehenderet, in eum immissi essent carnifices, dixit: « Vos implebitis præceptum, nos cursum consummabimus. » Ergo ab eis cæsus, cum Geila ad tegendum scelus; stabulum equorum ubi Martyr sepultus fuerat, fieri jussisset; jumenta eo in stabulo manentia, super sepulcrum Martyris nec stercora, nec urinam reddiderunt, quasi honorem Martyri exhibentia; ut quod de capite Propheta vaticinatus est, id in ejus membris quoque cerneretur: « Cognovit (inquit Isaias) bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, » ait auctor Vitæ S. Kiliani, quam edidit noster Serarius, et ex eo Baronius anno Christi 689.

Hic sensus accommodatilius est. Ad litteram enim loquitur Isaias de bobus et asinis, æque ac de Judæis sui temporis, uti docent S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus et S. Thomas vel potius Thomas Anglicus.

ISRAEL AUTEM ME NON COGNOVIT. — Ita et Septuaginta. Sed Hebræa omittunt pronomen me, tumque aptius et vehementius est pathos: repetendum enim ex antithesi præcedenti « possessorem suum et præsepe domini sui, » hunc enim cognovit bos: Israel autem eum non cognovit, q. d. Israel, quo est stupore, non cognovit Deum suum Dominum, et se pascentem in Chananæa quasi in opimo quodam præsepio, cum tamen bos et asinus ibidem agnoscant suum herum se alentem.

ET POPULUS MEUS NON INTELLEXIT, — scilicet linguam et vocem meam, q. d. Bos et asinus intelligunt vocem heri sui, et per eam in omnem partem ad heri nutum se flectunt: Israel autem me pascentem, vocantem, jubentem, minantem, obsecrantem non intellexit, quasi illi essem barbarus, vel importunus et tyrannus, quasi illi japonice aut turcice aut tartarice loquerer.

4. VÆ GENTI PECCATRICE, POPULO GRAVI INIQUITATE, SEMINI NEQUAM, FILIIS SCELERATIS. — Est hic Propheta in tertio tono concionis. Pro « væ » hebraice est **ווי** *hoi*, quod Vatablus vertit, *heu*: est enim **ווי**, inquit, vox commiserantis et deplorantis alienam miseriam et calamitatem. Sed melius alii passim *hoi* vertunt, *væ*: est enim hic sermo Dei minantis et indignantis. « Væ » significat minas, decretum et sententiam, tum vastationis temporalis, tum æternæ damnationis, inquit S. Gregorius, homil. 9 in *Ezech.* Vocatur hic Israel primo, « gravis iniquitate, » id est, scelerum pondere et multitudine degravatus, et incurvatus quasi ad terram. Secundo, « semen nequam, » quia Judæi gratiæ Dei, qua ejus filii facti fuerant, degeneres exstiterunt, et voluntatis pravitatem quasi in naturam vertunt, inquit S. Augustinus, lib. VII *Contra Advers. Legis et Prophet.* cap. XXII. Est hic climax sive gradatio: sensim enim increscit, fitque gravior et vehementior oratio. Sunt enim hic quinque gradus impietatis et impiorum. *Primus* cum dicitur: « Væ genti peccatrici, » id est, a lege Dei aberranti! hoc enim est **וועו** *chote*. *Secundus*, cum ait, « populo gravi iniquitate, » qui scilicet jam occaluit ad scelera, eorumque pondere ad solum usque deprimitur. *Tertius*, cum ait, « semini nequam, » q. d. Pessimorum parentum sunt pessimi filii, qui scilicet quasi ex parentibus ipsoque genere et natura suxerunt et hæderunt idololatriam et malitiam, eamque quasi in suam indolem et naturam commutarunt. *Quartus*, cum ait, « filiis sceleratis, » qui scilicet peccatis parentum addiderunt atrociora flagitia, et non nisi flagitia ac scelera cogitant et moliantur. Unde Vatablus vertit, *filiis perditissimis*, hebraice est **בני משחיתים** *banim maschitim*, id est, *filiis excisis*, q. d. Similes sunt arbori excisæ, quæ nequit reviviscere et repullulare, actum est de eis, nulla spes frugis reliqua in eis est. Secundo et magis genuine, *maschitim*, utpote benoni activum in hiphil, veritas exseindentes, vastantes, corrumpentes, q. d. Hi se et alios, omniaque corrumpunt, vastant et perdunt. Ita Vatablus. *Quintus* esse potest, cum subdit: « Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum, » q. d. Judæi nostri relinquentes, blasphemantes et execrantes Dominum, atque in ejus præsentia ad summam ejus injuriam et contumeliam ei terga vertentes, addixerunt se idolis, ut patet IV *Reg.* XVII, 8 et 13.

BLASPHEMAVERUNT SANCTUM ISRAEL. — Hebraice est **נאטו** *naatsu*, id est abjecerunt, contempserunt, irritaverunt. Summus autem Dei contemptus est blasphemia. Rursum idololatria eorum est blasphemia, tum realis, tum verbalis. Idololatræ enim hoc ipso quo pro Deo colunt idola, Deum reipsa blasphemant, et verbis ac hymnis celebrantes idola, Deumque spernentes, verbaliter eum blasphemant. Loquitur Isaias primario Judæis sui temporis: S. Basilius tamen, Hierony-

Vers. 4.

Væ notat exitium præsens et æternum.

Quinque gradus impietatis.

mus et Cyrillus hæc referunt ad Judæos tempore Christi : idem enim eorum, utpote patrissantium, fuit genius eumque prævidit et prædixit hic Spiritus Sanctus per Isaiam : hi enim proprie Christum blasphemaverunt, vocantes eum vini potorem, dæmoniacum, et quod in nomine Beelzebub ejiceret dæmonia.

SANCTUM ISRAEL. — Est emphasis, *q. d.* blasphemaverunt Deum, qui est Sanctus sanctorum, ipsaque sanctitas adoranda, summeque reverenda et glorificanda, præsertim ab Israele, utpote quem sibi in populum peculiarem et sanctum elegit, cuique suam sanctam legem, sanctam fidem, sanctas victimas et cæremonias tradidit. « Israel » enim hic est genitivi casus : « sanctus ergo Israel » est Deus Israelis, cujus sanctitatem impii profanarunt et polluerunt. Blasphemia enim directe violat sanctitatem Dei : unde summum est peccatum.

Vers. 5. 5. SUPER QUO PERCUTIAM VOS ULTRA; ADDENTES PRÆVARICATIONEM? — Est hic triplex sensus, isque commodus. *Primo*, « super quo, » id est, ad quid, quorsum, percutiam vos, cum sitis in malo obstinati, ita ut non sperem vestri emendationem? Ita Vatablus.

Secundo, « super quo, » id est, quo membro, qua corporis parte? quasi dicas : Nullum invenio in corpore vestro reliquum membrum, in quo pateat novæ plagæ locus. Omnia enim sunt unum vulnus, unus livor et tumor, ut sequitur. Ita S. Hieronymus et Nazianzenus, orat. *De plaga grandinis*. Sic ait Ovidius, lib. IV *De Ponto* :

Quid juvat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

Tertio, « super quo, » id est qua plaga percutiam vos? Ita S. Hieronymus, *q. d.* Frustra vos percutiam deinceps : nam omne genus plagarum in vos immisi, frustra que consumpsi, nec ulla facti estis meliores : afflixi vos fame, bello, peste, servitute, totamque meam hoplothecham in vos quasi exhausti : non habeo ulterius quo vos percutiam : restat ergo ut vos deseram, et a me omnino projiciam. Ita Cyrillus. Hæc derelictio et abjectio est gravissima Dei plaga, de qua *Psalms. lxxx, 13* : « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis ; » et *Ezech. xvi, 24* : « Auferetur zelus meus a te, nec irascar amplius ; » et *Rom. I, 24* : « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. »

OMNE CAPUT LANGUIDUM, ET OMNE COR MOERENS.
Vers. 6. 6. A PLANTA PEDIS USQUE AD VERTICEM NON EST IN EO (1) SANITAS. — Ecce hic est effectus defectionis a Deo,

(1) Non de singulis hominibus loquitur, sed de populo, quem comparat corpori multis membris constanti. Estque sermo hyperbolicus, quo significatur paucos et vix ullos esse in illo populo sanos et integros secundum animum coram Deo. (Estius.) Quod credibile reddunt impietas et morum corruptio, quæ v. g. sub pessimo Achaz omnes conditiones et status invaserant.

sive ejus quod dixit : « Abalienati sunt retrorsum. » Deus enim est fortitudo, sanitas et lætitia animæ ac reipublicæ. Si ergo a Deo deficiis, fiet languidus et tristis. Audi S. Cyprianum, vel potius Origenem (uti ex stylo aliisque colligit Pamelius) lib. *De Singul. Cleric.* « Sicut, ait, modica aquæ gutta multo vino infusa a se tota deficit, vinique colorem et saporem induit; ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, et igni simillimum efficitur; solis radio aer perfusus in eandem transformatur luminis claritatem; speculum radiis solaribus directe irradiatum solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem : ita et Sancti in intimis suis totaliter Dei charitate penetrantur, sicque deiformes effecti in Dei similitudinem transformantur. » Mystice in hæc Isaiæ verba Richardus Victorinus scripsit tractatum *De Statu interioris hominis*.

Nota : Isaias hic loquitur non tam de morbis, vulnere et plagis corporis, quam animi, puta de vitiis et peccatis : transit enim ab effectu ad causam, scilicet a plaga ad culpam, *q. d.* Totum corpus vestrum plagis meis saucium est; quia idem totum culpa et peccatis infectum et languidum est. Ita S. Hieronymus et Basilius. Hinc *secundo*, per caput et cor quasi primarias corporis partes, synecdochice intelligenda relinquit cætera membra, adeoque totum corpus politicum Synagogæ, puta totum populum Israel, male se habere, vitiis esse corruptum : nam ad litteram Isaiam loqui de corpore sui populi, non autem de corpore Christi in passione flagellis et plagis undique laniati et afflicti (cui hæc applicant concionatores plerique), patet ex antecedenti et seq. *Tertio*, per enallagen « omne » sumitur pro toto, ut patet ex sequenti; dicit tamen « omne, » quia caput accommodari potest principibus, pedes populo eis subdito, cor sacerdotibus. *Primo*, quia sicut in capite sensus vigent, ita in principe vigere debet sapientia et provida gubernatio. *Secundo*, sicut cor est principium motus et directionis in homine; cor enim primo recipit vitam ab anima, eamque per spiritus vitales diffundit in totum corpus, unde cor in animali est primum vivens et ultimum moriens (sicut ex adverso oculi, quia remotissimi a corde, sunt ultimum vivens et primum moriens) : ita sacerdos medius est inter Deum et homines, ac spiritualia charismata et motus quos a Deo recipit, transfundit in populum; itaque eum in via Dei movet et dirigit. *Tertio*, moriente cordè moritur corpus, eo vivente vivit : ita vigente sacerdote viget populus, eo languente languet et emoritur in spiritu. Ita Cyrillus, Haymo, D. Thomas et alii. Unde et Chaldæus vertit : « A populo usque ad principes omnes rebelles sunt. » Nam, ut ait Seneca ad Neronem : « A capite bona valetudo in omnes vegeta est atque erecta, aut languore demissa. » Et *Eccli. cap. x, vers. 3* : « Rex insipiens perdet populum suum. » Et Hesiodus : « Unius ob crimen pœnas urbs tota rependit. » Nominat

Dens est
robur et
sanitas a
nima.

Cor sunt
sacerdotes,
caput principes,
pedes subditi,
cur?

ergo cor et caput, quia sicut corpus naturale a capite animales, a corde vitales spiritus accipit: sic corpus politicum, puta respublica a regio et sacerdotali ordine suum vigorem viresque accipit, eoque languente languet et emoritur. Suspiciatur non male Sanchez Isaiam, cum ait: « Omne caput languidum, » notare et perstringere Oziam regem qui, arrogans sibi jus sacerdotii in adolendo incenso, in capite et fronte percussus fuit lepra, idque forte sub idem tempus quo hæc dixit Isaias. Denique ait, « omne » vel totum, hoc est multi, major pars, non omnes vel totum omnino. Nam semper mansit Ecclesia sancta, id est cœtus aliquis fidelium, piorum et sanctorum, licet exiguus, et ut Christus ait, pusillus grex. Ita S. Augustinus, lib. *De unitate Ecclesiæ*, cap. XII. Similia Gentilium adagia citat Delrio, *adagio* 133.

VULNUS, ET LIVOR, ET PLAGA TUMENS, — ob saniem scilicet et pus: unde pro *tumens* hebraice est טריקה *teria*, id est plaga saniosa, purulenta et putrida. Ita Pagninus, *q. d.* Totum corpus hujus populi vitium ita infectum est et morbidum, ut non videatur esse aliud quam unum continuum vulnus, ulcus, livor et plaga peccati. Alii speciatim hæc adaptant, ut « vulnus » sit intimum peccatum cordis, « livor » sit peccatum externum oris, « plaga » sit peccatum publicum operis. Alii per « vulnus » intelligunt apertam malitiam, per « livorem » latentem invidiam, per « plagam tumentem » animi tumorem et superbiam, inquit Sasbout. Huc accedit noster Sanchez: « In vulnere, inquit, quod est divisio continui, et quod quasi aperto ore hiat et clamat, intelligitur peccatum publicum; per livorem, qui est humor putris intra cutem collectus, peccatum occultum; per plagam tumentem, peccatum diuturnum, » quod jam putet et fœtet.

NON EST CIRCUMLIGATA (plaga jam dicta), NEC CURATA MEDICAMINE, NEQUE FOTA OLEO, — *q. d.* Nemo fuit qui hanc plagam peccati vestri curaret. Secundo et genuine, *q. d.* Vos obstinati in morbo peccatorum vestrorum noluistis ullam medici manum et curationem admittere; unde Septuaginta vertunt: *Non est malagma imponere, q. d.* Defectus curationis provenit ex obstinatione vestra, qua medicinam omnem respuitis: non autem ex defectu medici; quia Prophetæ, qui quasi medici animæ vos ad pœnitentiam adhortantur, vobis non desunt: sed vos eorum monita contemnitis. Longe verius hoc dicetur jam Christianis, qui tot habent Sacramenta, gratias, aliaque salutis media; et tamen ea negligunt vel respuunt.

Vers. 7. 7. TERRA VESTRA DESERTA, CIVITATES VESTRÆ SUC-
CENSÆ IGNI: REGIONEM VESTRAM CORAM VOBIS (vobis spectantibus, famentibus, gementibus et frendentibus) ALIENI DEVORANT. — Hucusque Isaias proposuit populi scelera, in iisque obstinationem: jam culpa dignam pœnam intentat. Sanchez et alii qui alii *deserta, succensæ*, proprie accipiunt, ut præterita vel præsentia, uti sonant: sæpe enim

Judæi vastati sunt ab Ægyptiis, Ammonitis, Moabitibus, Palæstinis, Madianitis et Syris tempore Amasiæ, et ab Assyriis tempore Achaz et Ezechiae. Verum quia hæc prima (uti hic ponitur) videtur fuisse prophetia Isaiæ, facta sub Ozia rege, quando florebant res Judæorum, et quia sequuntur futura « desolabitur, derelinquetur, » etc. hinc melius dicemus in Hebræo non esse præterita, sed participia; quæ tam per futurum quam per præteritum aut præsens exponi possunt; quod ergo Noster ait: « Terra vestra deserta, » supple *erit*; « civitates vestræ succensæ, » supple *erunt*; « regionem vestram alieni devorant, » hebraice, *devorantes*, supple *erunt*, id est devorabunt: aut Interpretes posuit participia præterita quæ in Hebræo sunt præsentia) pro futuris: « deserta, » id est certo deseretur: « succensæ, » id est certo succendentur: « devorant, » id est certo devorabunt, scilicet Babylonii sub Nabuchodonosore, inquit Basilius, et multo magis Romani sub Tito et Vespasiano: hi enim in Jerusalem non reliquerunt lapidem super lapidem. Ita Cyrillus, Hieronymus, Haymo et alii, idque magis patebit vers. 9.

Ubi nota: Isaias et Prophetæ licet præsentibus loquantur Judæis sui sæculi, tamen spiritu prophetico extendunt se et loquuntur etiam futuris, qui parentum suorum scelera, ac consequenter et pœnam eorum erant participaturi, maxime tempore Christi. Unde veteres passim (videre est eos apud Leonem Castrium) hæc omnia ab Isaiâ dicta populo sui ævi, accipiunt etiam quasi dicta Judæis tempore Christi: hic enim fuit Sanctus Israel, quem ipsi blasphemaverunt, ideoque a Tito excisi et desolati sunt.

Tropologice, S. Clemens, lib. IV *Constitut. Apost.* cap. 1, hæc recte adaptat divitibus, qui cum liberis careant, non suscipiunt pupillos, quos loco filiorum habeant, quibus accidere solet justo Dei iudicio, ut alieni bonis eorum fruuntur: « Si quem divitem; inquit, pudet pupilli, pupillo quidem prospiciet pater orphanorum, et iudex viduarum; ipse vero dives incidet in eum, qui bona, quibus ille pepercit, et quibus abstinuit, consumat; evenietque ei quod dictum est: Quæ non comedunt sancti, comedent Assyrii, sicut ait Isaias: Regionem vestram in conspectu vestro alieni devorant. » Huc spectat illud S. Augustini: « Quod non capit Christus, rapit fiscus. »

ET DESOLABITUR SICUT IN VASTITATE HOSTILI. — « Sicut » hic est nota veritatis, non similitudinis, significatque vere, plane, et plene, *q. d.* Vera et plena vastitate, qualis solet esse hostilis, ab hostibus Chaldæis desolabitur Judæa. Sic *Joan. 1, 14*, dicitur: « Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, » *q. d.* Vidimus gloriam Christi tantam, quantam decebat habere eum, qui vere erat unigenitus Dei Patris.

8. ET DERELINQUETUR FILIA SION UT UMBRACULUM **Vers. 8.**
(Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. III, legit *sicut casa*, et lib. III *Contra Marcion*, cap. XXIII, *tan-*

quam specula, ut alludat ad etymon Sion, quod speculam significat) IN VINEA, ET SICUT TUGURIUM IN CUCUMERARIO (1). — Sion sive Jerusalem vocatur « filia, » tum ob causas dictas can. XVIII, tum speciatim quia urbs Jerusalem monti Sion subiecta est, ut ex eo quasi filia descendere et nasci videatur; et quia Deus eam singulariter quasi filiam diligebat et protegebat. Jam sensus est, q. d. Jerusalem a Chaldaeis, et deinde a Romanis, desolabitur, fietque deserta, perinde ac facta vindemia solet deseri et everti umbraculum seu teges, in quo ante vindemiam vineæ custos degebat, ut uvas et fructus a furibus et bestiis tutaretur: ita ut, sicut ex umbraculo hoc disjecto nihil superest præter tigna et statumina hinc inde projecta, ita ex Hierosolyma vastata et incensa, præter ruinas, et dispersos hinc inde sanctuarii lapides, nihil supersit antiquæ gloriæ: imo succendetur ipsa, sicut lectis et ablatis uvis et fructibus succenduntur tuguriola custodum in cucumerariis. Secundo, apposite Sanchez per « filiam Sion » accipit arcem Sion, quæ urbi Jerusalem imminebat ut propugnaculum, eratque ei quod tugurium est cucumerario, aut tabernaculum vineæ, q. d. Ubi hostis urbem, quasi vineam vindemiavit, arx Sion et templum sicut tugurium pariter dissipata sunt.

Nota: Cucumerarium est hortus vel locus in quo crescunt cucumeres, sub quibus citrulos, pepones, melones et cucurbitas intellige: magna enim horum est copia in Palæstina, utpote regione calida. Unde solent ibi custodes in locis hisce cucumerariis tuguria construere, et in iis contra fures excubare. Idem vel simile tugurium in pomariis ad poma custodienda erectum intelligunt Septuaginta, hic et alibi per ἐπωροφυλάκιον, id est pomorum custodiam: quam vocem ipsi crebro et libenter usurpant. Tertullianus et Cyprianus contra Judæos vertunt, *custodiarium*.

ET SICUT CIVITAS QUÆ VASTATUR. — Hebraice, et sicut civitas obsessa, id est obsidendo capta et vastata; est metalepsis. Ita Vatablus.

9. NISI DOMINUS EXERCITUUM RELIQUISET NOBIS SEMEN, QUASI SODOMA FUISSEMUS. — Hebraice est, nisi Dominus צבאיהו sabaoth, id est exercituum: sabaoth enim nomen, vel potius epithetum est Dei, significans Dei potentiam instructam copiis maximis, promptissimis et invictissimis exercituum cælestium et terrestrium, puta Angelorum, stellarum, fulminum, grandinum, tonitruorum, ursorum, leonum, vesparum, omniumque creaturarum, quibus nemo resistere potest, q. d. Cur ergo vos, o Judæi! audetis resistere Deo sabaoth? Prima Deum sabaoth nominasse et invocasse legitur Anna mater Samuelis, I Reg. XII. Vide de decem Dei nominibus dicta Exodi VI, 3.

(1) In pluribus Asiæ regionibus, circa tempus pluviarum, cucumeres, papes et melones seminant, et in medio agri seminati tugurium construunt, ubi custos ab aeris injuria sese defendere possit. (Samuel Burders, Orient. Customs.)

Nota: Pro semen nebraice est שריד sarid, id est reliquum, paucae reliquiae, q. d. Nisi Deus ex illa communi et universali vastitate hostili paucos aliquos, quasi reliquias et semen gentis (uti Noe fuit semen generis humani) conservasset fecissetque superstites; nos omnes Judæi fuissimus omnino ut Sodoma deleti: tanta enim fuit impietas Hierosolymæ æque ac Sodomæ, ut Josephus, lib. VI *Belli*, cap. XVI, dicat: « Puto, si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiati terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia passuram: multo enim magis impiam progeniem tulit, quam illa protulerat. » Ad litteram loquitur Isaias tum de paucis illis Judæis, qui superfuerunt captivitati Babylonice, et cum Zorobabel ac Jesu filio Josedec reversi sunt Hierosolymam; tum de paucioribus, qui superfuerunt cladi Romanæ per Titum. Judæi ergo, quia æque, imo magis peccarunt, quam Sodomitæ, hinc et magis quam illi puniti sunt: hoc enim est quod ait Jeremias *Thren. IV, 6*: « Major effecta est iniquitas (id est pœna iniquitatis) filiæ populi mei peccato (id est pœna peccati) Sodomorum. » Hic sensus respondet Hebræo sarid, estque planissimus et simplicissimus, ideoque genuinus. Paulo aliter explicat Sanchez, q. d. Propter paucos justos, ut Ozeam, Amos, Joel, Jonam, Michæam, qui fuerunt verum Dei semen, id est viri sancti, Deus non funditus delevit urbem et gentem Judæorum: sicut non delevisset Sodomam, si in ea inventi fuissent decem justi.

Allegorice (2) Apostolus, *Rom. IX, 29*, hæc transfert ad Christum, q. d. Nisi Deus ex Judæis parum reliquiarum, videlicet B. Virginem, Apostolos, et paucos alios in Christum credentes selegisset et reservasset, reprobatus fuisset totus Israel ob infidelitatem, et periisset ut Sodoma et Gomorrha. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus et Haymo. Huc accedunt Origenes et Œcumenius in *Rom. IX*, qui per « semen » accipiunt Christum, vel doctrinam Christi. Sic et S. Basilius et Hugo exponunt, q. d. Nisi Deus ex Judæis suum semen, id est Christum nasciturum, decrevisset, ideoque aliquos Judæos, ex quibus nasceretur, in hoc excidio servasset, omnes fuissent deleti. Christo ergo debent Judæi quod non plane fuerint excisi. Sic de Fabio Maximo dixit Ovidius lib. I *De Ponto*, elegia 2:

Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies.

q. d. In tanta clade Fabiorum per Annibalem facta, Deus servavit unum, ex quo nasceretur Fabius Maximus Reipublicæ columen.

Quocirca solerter S. Chrysostomus, hom. 5 *De Pœnitentia*, docet Deum magnos etiam peccatores

(2) Vel potius in secundo sensu litterali, juxta annotationem ad Canon. XXXV.

Mira impietas Hierosolyma.

Allegoria.

Cucumerarium, quid?

ἐπωροφυλάκιον.

Vers. 9. Deus sabaoth dicitur, cur?

tolerare non raro, ob sanctas proles quas ex eis vel prævidet, vel prædestinat nascituras. « Thare, inquit, pater Abraham, idolorum et cultor et factor, impietatis tamen pœnam non dedit; et merito. Si enim Deus radicem amputasset, unde tantus fidei fructus (Abraham) germinasset? Quis Esau nequius? Sed si excisus fuisset, maximum justitiæ fructum mundus amisisset; et qualem audi. Esau genuit Raguelem, Ragucl Zaram, Zara Job. Cernis quantus elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus a radice pœnas exegisset. Ea quoque usus est providentia supra Ægyptios ultra fidem blasphemus: exspectavit enim quousque ibi essent monasteria, in quibus florerent qui angelicam imitarentur vitam. Sed et humanæ leges matrem gravidam, etsi peccatricem, ad partum usque servant illæsam, ne fœtum innoxium tollant. Denique si velox fuisset ad pœnam Deus, Paulum Ecclesia non possedisset: distulit ergo blasphemantem, ut pœnitentem ostenderet Dei longanimitas. Et quot proles Deo Paulus genuit? » Hæc et plura Chrysostomus.

olim Abrahæi et Jacobæi, nunc Gomorrhæi. Alludit ad *Deut. xxxii, 32*: « De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. » Sic ait *Ezech. cap. xvi, vers. 3*: « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa, » et Daniel ad senem iacetum, cap. *xiii, vers. 56*: « Semen Chanaan, et non Juda. »

Eadem libertate Agapetus Pontifex missus a Theodato rege Gothorum ad Justinianum Imperatorem, cum, pace inter utrumque confecta, a Justiniano premeretur, etiam additis minis, ut Eutychnam hæresim confirmaret, respondit: « Ego ad Justinianum Christianissimum principem venire optavi, sed Diocletianum inveni, » Christianorum hostem acerrimum; testis est Cedrenus et alii. Idem eidem Justiniano postea dixit Vigilius Papa. Ita Constantium Imperatorem Christianos persequentem S. Hilarius vocat « tyrannum et Christi hostem; » Lucifer Calaritanus vocat eundem « Judam proditorem, » et « Arii vermem; » S. Athanasius vocat eundem « Antiochum, Herodem, » imo « Antichristum. » Ita Leoni Isauro Imperatori qui primus fuit Iconomachus, S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in faciem dixit: « Tu es Antichristus, » ut habent ejus Acta, et ex iis Baronius.

Agapeti ad Justinianum vox libera.

Tropologice, dicat hoc sibi pœnitens anima: Nisi Dominus in corde meo reliquisset semen bonæ inspirationis, timoris, compunctionis et pœnitentiæ, perijssem ut Sodoma: « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: misericordias Domini in æternum cantabo. » Hoc sensit, hoc dixit S. Maria Ægyptiaca.

11. QUO (quorsum) MIHI (offeris) MULTITUDINEM VICTIMARUM VESTRARUM? PLENUS SUM. — Refutat hic Judæorum inanem et noxiam confidentiam in suis victimis et cæremoniis, *q. d.* « Plenus, » id est, ut hebraice, *satur*, « sum » victimis vestris. Illæ tam crebro repetitæ mihi nauseam pariunt: quia licet in se bonæ sint, et a me præceptæ, tamen quod a vobis offerantur, mihi displicent. *Primo*, quia vos impuro corde plenoque peccatis eas offertis. « Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, » ut sequitur: nam « victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia, » *Proverb. xv, 8*. *Secundo*, quia in externis illis sacrificiis omnem sanctitatem ponitis, atque internam, quæ vera est, negligitis: imo putatis vobis impune licere rapere, inebriari, fornicari, etc., eo quod peccata hæc victimis vestris expiare cogitetis; hoc enim est quod eis impropere Jeremias, cap. *vii, 4*: « Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, etc. Furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim; et dixistis: Liberati sumus eo quod (id est quamvis) fecerimus omnes abominationes istas. » Qua in re gravissime erratis. Deus enim externis vestris sacrificiis non pascitur, sed internis, adeoque per externa quasi per imaginem et umbram tantum vult vos excitare ad interna, puta ad actus religionis, pietatis, amoris, obedientiæ legis divinæ, quibus ipse delectatur. Vos ergo in sacrificiis et inanibus umbris vestris ambitiose hærentes, eaque sola Deo offerentes, perinde facitis, ac si quis invitans amicos ad prandium eis famelicis lepores et carnes non veras,

Vers. 11.

Judæorum victimæ displicebant Deo, cur? Causa prima. Secunda.

Tropologia.

Vers. 10.

Judæa vocatur Sodoma, cur? Causa prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

10. AUDITE VERBUM DOMINI, PRINCIPES SODOMORUM, PERCIPITE AURIBUS LEGEM DEI NOSTRI, POPULUS GOMORRHÆ. — Nota: Judæi hic vocantur « populus Gomorrhæ: » sicuti « principes Sodomorum » vocantur principes Judæorum, tum qui fuerunt tempore Isaïæ, tum, ut Basilius et Hieronymus, qui fuerunt tempore Christi, puta Annas, Caiphas, Scribæ, Pharisei, ipsique magistratus: idque *primo*, quia peccata Sodomæ fuerunt « superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant; » ut ait *Ezech. cap. xvi, vers. 49*; inde enim in omnia scelera se immerserunt, factique sunt pessimi. Eadem fuerunt peccata Judæorum. Unde diserte Deus per Ezechielem ibidem vers. 48, per vitam suam jurat dicens: « Vivo ego, quia non fecit Sodoma, et filiæ ejus, sicut tu; vicisti eas sceleribus tuis. *Secundo*, quia ipsi nefando vitio sodomæ Judæi fuerunt obnoxii, ut patet cap. *xxvi*. Ita Cyrillus. *Tertio*, quia in suis sceleribus fuerunt effrontes et impudentes æque ac Sodomitæ; hoc enim est quod dicitur in cap. *iii, vers. 9*: « Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt. » *Quarto*, quia, uti in Sodomis pauci inventi sunt justi, puta Lot cum suis; ita et in Judæa, inquit Cyrillus. *Quinto*, quia *Sodom* sive *Sodoma*, hebraice, inquit Basilius, significat declinationem, *Gomorra* rebellionem: hi autem principes cum populo Judæorum erant prævaricatores Deoque rebelles. Vide *Can. XXII, q. d.* Audite verbum Domini, olim Israelitæ, nunc Sodomitæ,

sed pietas et adumbratas apponeret : quo modo Heliogabalum ludificasse suos convivas docet Lampridius; idem de Caligula docet Suetonius, cap. xxxvii. Ita exponunt hunc locum Irenæus, lib. IV, cap. xxxii, Theodoretus, lib. *De Sacrificiis*, ante medium, S. Chrysostomus in hunc locum, tom. I, Haymo, Thomas, Hugo, Adamus, Forerius, et clare S. Hieronymus. « Hostiæ, inquit, non principaliter a Deo quæsitiæ sunt, sed ne idolis offerrentur, et ut carnalibus victimis quasi per typum et imaginem ad spirituales hostias transiremus. »

Tertia. *Tertio*, hæc vetera sacrificia tempore Christi Deo displicebant; quia per Christum a Judæis occisum omnino abolita, reprobata et mortifera effecta sunt. Ad Christum enim Isaiam quoque respicere docent S. Cyprianus, lib. I *Contra Judæos*, cap. xvi, Cyrillus, Basilius, Procopius, Dionysius et Leo Castrius; qui id negantes pene Judaicæ perfidiæ arguit.

Quarta. **HOLOCAUSTA ARIETUM, etc., NOLUI.** — Ob causas jam dictas : quibus aliam addunt S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, quod videlicet vetera sacrificia per se noluerit Deus, quia ea non placuerunt illi ex opere operato, uti placent sacrificia legis novæ, sed ex opere operantis, quod hic deerat : erant enim ipsi operantes sive offerentes impij. Adduntque vetera sacrificia a Deo Judæis fuisse præscripta, quod illa grata essent Deo, quodque Deus illa appeteret, sed ut per ea populum iis occupatum avocaret a sacrificiis Gentilium et idolorum : qua de re dixi in *Levitico*, in Proœmio.

Vers. 12. **12. QUIS QUÆSIVIT HÆC DE MANIBUS VESTRIS** (egone ea quæsivi? minime :), **UT AMBULARETIS IN ATRIIS MEIS?** — Repete τὸ quis quæsivit. *Ut ambularetis*, hebraice, *ut calcaretis atria mea?* q. d. In templo meo non facitis aliud, quam calcare atria, et terere pavementum : hoc ego non quero, imo censeo hac ratione calcari potius et pollui sacra, quam ornari et coli : atrium enim ante Sanctum et Sanctum sanctorum erat templum tam populi quam sacerdotum : hi enim in atrio sub dio cremabant suas victimas.

Vers. 13. **13. INCENSUM ABOMINATIO EST MIHI.** — « Incensum, » id est victimæ mihi incensæ et crematæ : de iis enim fuit sermo, illæque vocantur incensum, vel ignitio aut ignitum; quia per ignem offerebantur Deo, ut dixi in *Levit.* (1). *Secundo*, tamen proprie « incensum » capi potest pro thymiamate; hoc enim æque ut victimas sacrificabant et adolabant in altari thymiamatis; quod licet in se aromaticum esset et gratum naribus, tamen ex eo quod ex sordidis impiorum manibus foetorem contrahebat, grave aliquid atque putidum Dei naribus aspirabat. Quare inepte et impie Wolfgangus Musculus hic hæc Isaiæ verba torquet contra thurificationes quæ fiunt in Missa, et contra thuribula

(1) Hebræa vox טַמְאָה, quam Vulgata reddit per verbum « incensum, » proprie significat *suffimentum*, *thymiamata*, et proinde secundus sensus est solus textui hebraico consentaneus.

Ecclesiæ aurea et argentea, quæ ipse vocabat abominabilia, cum sint angelica. Angeli enim S. Joanni, *Apocal.* VIII, 4, et alibi sæpius visi sunt cum thuribulis, in iisque adolere thymiamata Deo.

NEOMENIAM, ET SABBATUM, ET FESTIVITATES ALIAS NON FERAM. — Hebraice, שַׁבָּתֹתֵינוּ *chodes*, græce *neomenia*, latine est novilunium, sive calendæ, ut sequitur : puta prima dies cujusque mensis (utebantur enim Hebræi mensibus lunaribus, eosque computabant ab uno novilunio ad aliud), quæ celebris et festa erat tum sacrificiis, tum clangore tubarum, uti dixi *Num.* xxviii, 11. Festa alia erant Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum, Tubarum, Expiationis, de quibus dixi *Levit.* xxiii. Eadem de causa respuit Deus festa Judæorum, qua sacrificia, nimirum quia, ut sequitur,

INIQUI SUNT COETUS VESTRI. — Hebraice, עֲצָרָה *atsara*, id est *congregatio vestra et iniquitas*, id est pariter est iniquitas, id est iniquissima est æque ac numerosissima; coetus vestri iniquissimi sunt, quia scilicet sunt coetus hominum impiorum et in peccatis obstinatorum. Rursum, quia conventis non tam ad sacrificandum quam ad epulandum, potandum et luxuriandum : in atrio enim epulabantur laici ex victimis pacificis. Hinc pulchre S. Chrysostomus : « Festa, ait, in lascivia traducere, est propitiationem in reatum vertere; » et S. Augustinus, lib. *De decem chordis* : « Melius, ait, faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in theatro otiosus existeret; et melius feminæ eorum die sabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent. »

Proprie *atsara*, id est festum coetus et collectæ, erat octava et ultima dies azymorum sive Paschæ, et octava festi Tabernaculorum : illo enim die populus domum rediturus, quasi festis jam peractis, prius in templo Deo gratias acturus et valedicturus conveniebat, indeque vocabatur hic dies coetus sive collectæ, ut dixi *Levit.* xxiii, 36.

Septuaginta vertunt, *jejunium et otium*, quod S. Hieronymus explicat, q. d. Illud jejunium non placet Deo, quod otium bonorum operum habet, id est quod ab operibus bonis vacuum est. Sanchez vero sic, q. d. Jejunium vestrum otiosum est, quia licet laboriosum est, tamen inutile : quæ autem honesta utilitate carent, quantumvis operantem fatigatione conficiant, otiosa sunt.

14. CALENDAS (neomenias) VESTRAS, etc., ODIVIT ANIMA MEA. — Deus proprie non habet animam, uti nec corpus. Sed anthropopathos deitas ejus, quæ purissimus est spiritus, vocatur « anima. »

FACTA SUNT MIHI MOLESTA. — Septuaginta vertunt : *Facti estis mihi in satietatem, non amplius remittam peccata vestra*, q. d. Excutiam seu evomam vos cum peccatis vestris, sicut stomachus noxio cibo plenus vomitione levatur.

15. ET CUM EXTENDERITIS MANUS VESTRAS (2) (cum

(2) Erat autem gestus et habitus hic omnibus supplicibus et Deum orantibus communis, maxime vero Judæis,

Neomenia quid?

Luxus in festo quanta culpa.

Festum coetus quod?

Vers 14.

Vers. 15.

extensis manibus in tribulatione ad me confugeritis, meamque opem imploraveritis), AVERTAM OCULOS MEOS A VOBIS. — Preces enim vestrae olent fetentem animam, a qua formatae et profusae sunt. Causa sequitur :

MANUS ENIM VESTRAE SANGUINE PLENÆ SUNT. — « Sanguine, » id est sanguinis effusione et homicidiis, *q. d.* Estis sanguinarij, crudeles ad vindictam, acres ad odia, ad vim et rapinam : hæc enim omnia sunt initium et inchoatio homicidii, ideoque recte per sanguinem significantur.

Secundo, « sanguine, » id est sceleribus. Ubi nota sanguinem in Prophetis esse symbolum peccati, ut patet vers. 18, et *Osee* iv, 2 : « Sanguis sanguinem tetigit, » id est peccata peccatis cumulant, uti explicant Chaldaeus, et S. Hieronymus et S. Gregorius, lib. XIII *Moral.* cap. vi : « Sanguis, ait, sanguinem tangit, cum culpa culpam cumulaverit. » Tum quia sanguinis effusio sive homicidium gravissimum est peccatum; tum quia sanguinis esus Judæis erat vetitus et detestabilis, *Levit.* cap. vii, vers. 27; tum denique quia sanguine menstruo nihil est immundius et virulentius, uti dixi *Levit.* xv, 25. Pari modo peccata hominum, maxime carnalia, ut gula et libido, immundissima sunt, et mentem æque ac sanguinem et carnem corrumpunt. Merito ergo sanxit Christus : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt; » quia hæc in se per peccatum originale corrupta sunt, et in dies per peccata actualia magis corrumpuntur (1).

Denique Tertullianus et Cyprianus, ac Leo Castrius referunt hæc ad Judæos crucifigentes Christum et clamantes : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. »

16. LAVAMINI, MUNDI ESTOTE, etc. — Hactenus per minas terruit Judæos impios : nunc ne desperent invitat ad pœnitentiam, spemque dat reconciliationis, et ejus modum edocet; ait ergo : « Lavamini, » non aqua, non baptismatibus vestris crebris : hæc enim sordes legales corporis, non autem mentis abstergunt : sed lavate et depurate cor vestrum a superbia, crapula, odio, invidia, aliisque pravis cogitationibus, desideriis et machinationibus; ideo enim sacrificaturi tam Judæi et Gentiles quam Christiani manus lavant, ut moneantur prius animæ vitia abluere. Qua de re vide dicta I *Timoth.* ii, 8. Hæc verba et has adhortationes Isaiaë : « Lavamini, mundi estote, etc. » audiens legi in ecclesia fornicator quidam, com-

ut cum orarent, manus ad cælum expanderent, nimirum a Patribus edocti, et illi forte a Deo aut angelis id acceperunt, ut Moses, *Exod.* xvii, David frequentissime, adeo ut « tota die » diceret « extollere se manus, » etc. (Forerius.)

(1) Quid si sit hoc loco allusio ad ritum illum initiandi sacerdotes, quorum manus partibus sacrificiorum implebantur, etc., *Exod.* xviii et xix; quasi viderentur esse potius ministri et sacerdotes illius qui « homicida fuit ab initio; » eos enim talis initiatio deceret, non ministros Dei. (Forerius.)

punctus conversus est, planeque vitam incestam in castam commutavit. Unde S. Paulus, discipulus S. Antonii, cum prius ingredientem in ecclesiam vidisset nigrum et nebulosum a dæmonibus freno in os misso trahi et regi, et angelum sanctum ejus a longe sequentem tristem : jam egredientem vidit eum clara facie et candido corpore, ac dæmones a longe sequentes eum, sanctum autem angelum ejus prope eum hilarem et gaudentem nimis, uti refert Ruffinus, lib. III in *Vitis Patrum*, num. 167.

Tropologice, iis qui baptismo initiantur dicitur : Lavamini, mundi estote, ait S. Clemens, lib. VIII *Constit. Apost.* cap. viii.

QUIESCITE AGERE PERVERSE : (consuetudines pessimas induistis, assuevistis ebrietati, rixis, odiis, fraudibus, rapinis, etc., nunc illa dediscite, desuescite, et contrarias consuetudines bonas sensim induite), DISCITE BENEFACERE. — « Christianorum omnis religio est, sine scelere et sine macula vivere, » ait Lactantius, lib. V, cap. ix, et Mercurius Trismegista : « Unicus Dei cultus est, non esse malum. »

17. QUÆRITE JUDICIUM. — Disquirite utrius litigantium causa justa sit : nolite ob munera, favores aut metus præcipitare aut pervertere sententiam. Hic versus pertinet ad judices, advocatos, procuratores et similes : hi enim si avari et iniqui sint, jura omnia ipsamque rempublicam pervertunt. Unde sequitur :

SUBVENITE OPPRESSO, JUDICATE PUPILLO, DEFENDITE VIDUAM. ET VENITE, ET ARGUITE ME, DICIT DOMINUS. — Ecce hic ad reconciliationem et justificationem non solam fidem, ut volunt hæretici, sed et opera quibus ad eandem se disponant, requirit Deus, *q. d.* Si hæc opera præstiteritis, iisque serio veram contritionem, pœnitentiam et emendationem vestram testemini, arguite me infidelitatis et inconstantiae nisi vos in gratiam recepero, nisi vobis benefecero, nisi præstitero id quod sequitur. Pro « arguite » hebraice est נִכְחָדָה *nochecha*, id est *disceptemus*, ut vertunt Septuaginta, Vatablus et alii, *q. d.* Arguamus nos vicissim, ego vos impietatis et violatæ fidei, si in peccatis perseveretis; vos me perfidiæ, nisi promissis stetero (2).

Nota hic humanitatem Dei, qui ad judicia nostra descendit, et quasi par cum pari disceptat. Hinc ait Isaiaë XLIII, 26 : « Judicemur simul : narra si quid habes. »

18. SI FUERINT PECCATA VESTRA UT COCCINUM, QUASI NIX DEALBABUNTUR : ET SI FUERINT RUBRA SICUT VERMICULUS, VELUT LANA ALBA ERUNT. — Si fuerint pec-

(2) Ut periti inter Hebræos sentiunt, sunt quædam verba Hebræis quæ in imperativis usurpantur pro particulis indeclinabilibus, ut *vide*, *revertere*, *venite*, etc. Estque adhortantis, *q. d.* Eia jam judicio contendamus, *agite* scilicet, quo loquendi modo nihil aliud significare voluisse existimo, quam statim ubi illa præstarent quæ supra dixerat, absque ulla mora posse illos secum contendere, sicut qui non peccassent. (Forerius.)

Peccatum vocatur sanguis cur?

Primo. Secundo. Tertio.

cata vestra in modum coccini sanguinea, id est valde enormia et horrenda, plane diluentur. Al- ludit ad habitum meretricium. Jerusalem enim vocat « meretricem, » vers. 21, nam meretrices olim cocco se ornabant. Unde Martialis :

Coccina famosæ donas adiantina mœchæ,

Aut purpura. Unde Plautus in *Penulo* :

Meretricem pudorem gerere magis decet quam purpuram.
Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.

Hinc et Babylon, ait S. Hieronymus, vocatur purpurata meretrix, *Apoc.* xvii, 4. Comparat peccata cocco et purpuræ ob ruborem sanguineum, non ob ejusdem splendorem, ait S. Cyrillus, Haymo, Rupertus et alii. Longius abit Cajetanus, qui putat per rubedinem significari vindictam Dei, per albedinem gloriam. Scurram hic agit Wolfgangus Musculus, dum sic explicat : « Si fuerint peccata vestra rubra sicut peccata Cardinalium. » Non enim peccata peccatis, sed pannis cocco tinctis hic comparantur : sed ludiones isti in Scriptura non nisi nugari et convitiari norunt.

Nota hebraismum. Peccata enim proprie non possunt dealbari; quod ergo ait : « Peccata vestra dealbabuntur, » idem est ac si dicat : Vos peccatores a peccatis vestris emundabimini et dealbabimini. Est metonymia, qua qualitas pro persona cui qualitas inhæret ponitur. Sic *Levitici* xiv, sæpe dicitur lepram mundari, id est leprosum mundari a lepra; et *III Reg.* xiv : « Sicut mundari solet fimus, » id est domus a fimo. S. Basilius legit ex Septuaginta : *Si fuerint peccata vestra ut phœniceum*, putatque peccata comparari hic elephantiasis et lepræ; hi enim morbi græce vocantur *φοινικαι*, quod sint colore rufo instar palmæ, quæ *φοινίξ* dicitur, inquit Galenus : peccatum enim est lepra animæ, ait S. Basilius. Verum Hebræum *שני* *scani*, non lepram, sed coccinum significat. Unde

Nota : Coccus est granum tinctorium, quod arbusto cuidam innascitur, de quo Plinius, lib. IX, cap. xli, et lib. XVI, cap. viii, et Dioscorides, libro IV, cap. xliii. In hoc grano innascitur vermiculus quidam parvus rubicundus et odoratus, qui e grano prodiens vino albo forti inspergitur, arefit et confunditur in pulverem infectorium et rubricantem pannis, qui inde coccinum vel cocci- nei dicuntur : sicut sanguine piscis, qui purpura dicitur, panni tincti sunt et dicuntur purpura vel purpurei. Porro color hic, præsertim iteratus, sive dibaphus et bis tinctus, pertinax est, fulgidus et radians (1). Unde Silius, lib. XVII :

At contra ardenti radiabat Scipio cocco.

g. d. Si peccatis vestris primam candidam inno-

(1) Inter se differunt in hoc versu verba, *coccinum* et *vermiculus*, scilicet *coccinum* lanam cocco tinctam designat, *vermiculus* vero succum vel liquorem quo lana tingitur, et qui ex vermiculo qui vocatur coccus, extrahitur.

centiæ stolam quasi rubeis cruoris maculis fœda- veritis, quin et alios quasi vermiculus cocci iis- dem infeceritis; pœnitentiam agite, vitam com- mutate, bona opera facite, et mox peccata omnia velut nix et lana candescent, id est prorsus eluen- tur et condonabuntur, vosque pro tinctura nequi- tiæ, inquit Chrysostomus, recipietis primam ves- tem gratiæ et justitiæ, stolam candidam et splen- didam. Adverte hic : Lana si semel coccineum suc- cum biberit, elui et dealbari naturaliter non po- test : Deus autem animam quæ peccata ebibit, ab iis plane purificat, ita ut nullam peccati cicatri- cem aut vestigium relinquat, quod in vulnere curando nullus facere potest medicus, inquit S. Chrysostomus, hom. 80 *ad Populum*.

Aliter hæc explicat Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. xi, et ex eo mordicus Leo Castrius : Maculæ, inquit, animæ cocco (Tertullianus legit roseo) et vermiculo, id est martyrio aut sanguine Christi, candidantur, juxta illud *Apocal.* vii, 14 : « Hi sunt qui laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni. » Verum hic sensus non convenit huic loco et litteræ : hic enim ipsa peccata com- parantur cocco et vermiculo, non autem san- guis Christi vel martyr.

19 et 20. SI VOLUERITIS, ET AUDIERITIS ME, BONA TERRÆ (Chanaan); loquitur enim Judæis, per hanc tamen anagogice terram viventium in cœlis ac- cipe (2). Unde Tertullianus, lib. *De Resurrect. carn.* cap. xxvi, hæc explicat de dotibus corporis glo- riosi, et (ut ipse loquitur angelificati) COMEDETIS. QUOD SI NOLUERITIS, GLADIUS (Babyloniorum, et postea Romanorum, inquit S. Hieronymus) DEVO- RABIT VOS. — Cur ergo hæretici negant in pecca- tore esse liberum arbitrium? potest enim pecca- tor pro arbitrio velle et nolle obedire Deo, ut ait hic Isaias. Respondent Musculus et Calvinus, peccatorem non quidem libere, sed tamen sponte, non coacte, male agere, ideoque a Deo argui et plecti. Sed et asini ac bruta sponte agunt; quis tamen tam stolidus sit, qui asino præcipiens di- cat : Si volueris et obedieris jussis heri tui, laute pasceris ab eo? quis eum jussis non parentem minis ac morte plectat? Pro « gladius » hebraice est *חרב* *chereb* : quod si aliis punctis legas *חרב* *choreb*, erit siccitas et sterilitas, quæ directe oppo- nitur bonorum terræ fertilitati et copiæ. Ita San- chez.

Symbolice, S. Justinus, orat. *ad Antonin. Pium*, illud *Isaiæ* I, « gladius devorabit vos, » sic expli- cat : Gladius, inquit, est ignis gehennæ, cujus esca fiunt qui perpetrant mala, hinc ait, gladius, id est ignis, devorabit vos; alioquin dixisset : Gla- dius secabit vos; devorare enim est ignis, non gladii.

(2) Per hoc etiam intelliguntur alia bona spiritualia, quæ in talibus promissis sunt principaliter intellecta, quia præmium non debet esse minus bonum quam meritum, sed majus; bona autem temporalia sunt minora bona quam opera virtutum. (Lyranus.)

Vers. 20.

21. QUOMODO (nota est admirantis et cum admiratione deplorantis) FACTA EST MERETRIX CIVITAS FIDELIS? (Jerusalem scilicet, quæ antea fidelis Deo, ei quasi marito fidem pudice servavit, eique soli adhæsit, indeque fuit) PLENA JUDICII), id est pios et justos habuit judices, justaque tribunalia : nunc « facta meretrix, » ad idola quasi ad adulteros, indeque ad fraudes et injustitias deflexit : unde) JUSTITIA HABITAVIT IN EA, NUNC AUTEM HOMICIDÆ. — Pro meretriciæ hebraice est זונה, quod verti potest cauponaria, stabularia, quæstuararia, quæ undecumque quæstum facit; ideoque quosvis hospitio recipit. Talis enim fuit Jerusalem, quæ omnes Gentes eorumque vitia et mores, præsertim fraudes et injustitias, ut sequitur, in se recepit, ita ut omnium nationum scelera, quasi proluvies quædam, in illud commune diversorium influerent. Ita Sanchez. *Secundo*, pro « habitavit, » hebraice est יָלַן *ialin*, id est pernoctavit : Septuaginta ἐκοιμήθη, id est dormivit, q. d. Antea justitia molliter quievit et secure dormivit in Jerusalem, quasi in lecto suo, nunc in ea quieti et sine metu dormiunt latrones et homicidæ. *Tertio*, duo, inquit Hieronymus Prado in *Ezech. ix*, sub finem, vitia capitalia improperat hic Isaias Judæis : *primum*, meretricium et defectionem a Deo viro suo; *secundum*, homicidium. Primum contra primam tabulam Decalogi, secundum contra secundam : *primo* opponit fidem, *secundo* justitiam, quæ duo floruerunt in nobili civitate, dum illa utramque tabulam, id est totam legem custodivit.

Nota hic : Fidei et veræ religionis comes et effectus est justitia, sicut infidelitatis et impietatis comes et effectus est injustitia : qui enim fidem Deo non servant, quomodo servabunt eam hominibus? Apud hæreticos ergo fidei prodigos non potest esse vera justitia, uti nec vera castitas.

Vers. 22. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM : VINUM TUUM MIXTUM EST AQUA. — Fidem, inquit Prado, hic vocat « argentum, » justitiam « vinum : » quæ duo cum scoria et aqua mixta et corrupta esse deplorat, succedente scilicet *primo*, pro fidelitate in Deum, spurcitia idolorum, pro religione, superstitione; *secundo*, pro vino fervidæ charitatis et justitiæ in proximum, succedente aqua effusæ libertatis et audaciæ ad omne genus fraudis et flagitii. Est ergo adagium, q. d. « Argentum tuum versum est in scoriam, » sive in fæces et spumam, hoc est, pura Dei religio versa est in impuras superstitiones; « vinum tuum mixtum est aqua, » id est justitia tua mixta est cum avaritia et injustitia.

Secundo, Sasbout et alii : Argentum, inquit, hic et *Psal. xi, 7* : « Eloquia Domini, eloquia casta (sicut) argentum igne examinatum; » et alibi significat eloquia, legem et doctrinam puram Domini. Idem denotat vox « vinum » hic, uti et *Proverb. ix, 5*; *Apoc. vi, 6*. Per « scoriam » vero et « aquam » significatur ipsa legis depravatio, per

traditiones quas induxerunt Scribæ et Pharisei, inquit S. Hieronymus, Cyrillus et Basilius.

Tertio, Leo Castrius per « argentum » accipit ipsos doctores et sapientes Judæorum, additque : Plato, inquit, lib. III *De Republ.*, ex Isaias et Jeremia mutuatus est, ut aureos homines nominet viros cœlesti sapientia et virtute præditos; argentum vero cœleste ait illorum animis insitum esse, qui sapientia communi et virtutibus communibus sunt insignes; reliquis hominibus pro varietate morum aut æs, aut ferrum, aut stannum animis inditum esse. Pari modo apud Judæos Isaias alique Prophetæ cœlestes et incorruptibiles erant quasi aurum, Scribæ et Sacerdotes erant quasi argentum. Sensus ergo est, q. d. Isaias : Tui doctores et sacerdotes, o Jerusalem! doctrina et moribus depravati sunt, aliosque depravant.

Favent S. Hieronymus, Cyrillus, Basilius, qui tropologice hæc referunt ad hæreticos, Basilius etiam ad concionatores qui hominum gratiam blanditiis suis adulando cauponantur, faciuntque Evangelium servire suæ cupiditati, avaritiæ et ambitioni : hi enim sunt argentum et vinum adulteratum et vitiatum, de quibus dici possit quod Ennius dixit in dolosus milites et duces : « Cauponantes bellum, non belligerantes. » Sic enim hi sunt cauponantes Evangelium (ut ait Apostolus, II *Cor. ii, 17*) non evangelizantes. Vide Ambrosium in *Palm. cxviii*, serm. 12. Hi tres sensus appositi sunt, et fere eodem tendunt.

VINUM TUUM MIXTUM EST AQUA. — Idem dicit alio adagio. Septuaginta vertunt : « Caupones tui miscent vino aquam. » Eos sequitur S. Hieronymus, in *Comment.* Caupones sunt Scribæ et Pharisei, qui Pharisæis suis expositionibus legem depravaverunt. Ubi nota : S. Hieronymus subinde aliter vertit in *Comment.* quam vertit in Bibliis; sed Ecclesia recepit ejus Bibliorum versionem : illa ergo præ Commentariis sequenda est, cum ab iis dissentit (1).

Secundo, Hector Pintus sit exponit : « Vinum tuum mixtum est aqua, » hoc est, nulla est in te mera atque germana virtus : justitia tua mixta est crudelitate, ultione, et malitiosa quadam juris interpretatione : fortitudo mixta est temeritate et animi elatione ; temperantia conjuncta est cum negligentia et ignavia : prudentia malitiam sibi et calliditatem copulavit. Religiosus misceat vinum aqua, quando cum obedientia miscet propriam voluntatem et judicium, cum oratione curiosa et sæcularia colloquia, cum cœlestibus cogitationibus et delectationibus consolationes viles et humanas. Concionatores vinum aqua miscent, si cum verbo Dei jungant lenocinia verborum, cum reprehensionibus assentationes, cum Dei

(1) Solent caupones falso numismate hospites decipere, et potum aqua diluere, et pro meraco vinum non parum dilutum vendere, omnia denique corrumpere, et quæstui turpiter servire. Puto esse expositionem versus superioris, quod scilicet *facta fuerit caupona.* (Forerius.)

gloria gloriam hominum. Hic sensus accommodus est, sed moralis.

Perperam ergo ex hoc Isaïæ loco Lutherus, in scripto contra regem Angliæ anno 1522 edito, probare nititur aquam non esse miscendam vino in calice Eucharistiæ. « Habet enim, ait ipse, hoc pessimam significationem, dicente Isaia: Vinum tuum mixtum est aqua. » Respondet enim ei recte Bellarminus, lib. IV *De Eucharist.* cap. XI, pessimam habere significationem, si caupones (de quibus agit hic Isaïas) vinum aqua misceant: hoc enim significat eorum avaritiam, fraudulentiam et injustitiam. Non autem, si ipsi bibentes ea misceant; hoc enim arguit eorum temperantiam. Sed helluo Lutherus merum bibere vult, non mixtum: hinc mixtum ei pessimam habet significationem, quod scilicet per illum gulæ suæ et ebrietati satisfacere nequeat.

Vers. 23. 23. PRINCIPES TUI INFIDELES. — Hebraice est patronomasia inter שׂרִים *sarim*, id est principes, et סֹרְרִים *sorerim*, id est infideles, perinde ac si dicas, *primi sunt pravi*. Sic voces, inquit Calvinus apud Marloratum, Episcopos Episcotos vel Apocopos, Cardinales Carnales vel Carpinales, Canonicos Cenonicos, Præpositos Præposteros. Ita sannio iste virulenta lingua non nisi calumniari et maledicere a patre suo diabolo didicit: sed abeat stigmaticus, et sui stigmatis memor sileat.

SOCII FURUM: (quia, ut sequitur) OMNES DILIGUNT MUNERA; — et propterea jura omnia pervertunt. Vide quam iudices munera contemnere debeant, exempla et sententias veterum, quas citavi *Exodi XVIII, 21*, et *Exodi XXIII, 8*. Porro admirabilis hac in re fuit hoc sæculo B. Thomas Morus, qui cum Angliæ totius supremus esset iudex et Cancellarius, invenissetque suum tribunal plenum causis et litibus, spatio biennii omnes expedivit et decidit, ut ne unam quidem reliquam fecerit, idque ea fide ut nemo de eo queri posset: tantus vero fuit avaritiæ hostis et munerum contemptor, ut, cum a puero in republica usque ad annum ætatis quinquagesimum esset versatus, summisque muniis perfunctus, annum tamen censum suum toto hoc tempore non auxerit ultra septuaginta aureos. Quot hodie videmus tenues, qui cum ad dignitates evehuntur, paucis annis per multa millia censum suum adaugent. Hi sunt mori, non sunt Mori.

Hunc locum Prælati avaris adaptat B. Petrus Damianus, *epist.* 2, lib. II, quam scripsit ad S. R. E. Episcopos Cardinales, in qua docet omnes Ecclesiæ clades promanare ex vitio avaritiæ, præsertim in accipiendis muneribus. Sic ergo incipit: « Vir sapiens ait, *Eccli. xx*, xenia et dona excæcant oculos iudicium, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. Armatur enim muneribus adventantes, et per eos expugnat, ac cæcat eorum corda, qui suggerendi locum apud aures obtinent principales, de quibus per Isaïam Dominus

conqueritur, dicens: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Dicit aliquis: Ego quidem nihil quæro, sed si quid gratis offertur, accipere non recuso. Ecce hic non notantur ii qui munera quærent, sed qui tantummodo diligunt. Qui etiam socii furum (italice enim fur vocatur *furbo* quasi furo) non immerito dicuntur: quia dum furtiva dona suscipiunt, etiam a comministis suis et sodalibus deprehendi velut in furti crimine perhorrescunt. Et notandum: quod dicitur: Sequuntur retributiones; quia quamvis munificis suis auxilium, quod postulantur, impendunt, reatus tamen maculas non evadunt; quia dum beneficii sui talionem recipiunt, fructus æternæ mercedis amittunt. De quibus et paulo post dicit: Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. » Causam subdit: « Acceptis quippe muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt; locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescencia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia, debilitat judicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nam et si iudicii rectitudo funditus non adimitur, iudicandi tamen auctoritas enervatur. Juxta Prophetam ergo (*Isaiam cap. xxxiii*), excutiamus manus nostras ab omni munere, et nocendi, sive juvandi servemus nobis ingenuam libertatem; ut non litigemus sub servitute pecuniæ, sed serviamus in libertate justitiæ. »

Nota: Pro « infideles » hebraice est סֹרְרִים *sorerim*, a radice סָרַר *sur*, id est declinavit, recessit, perversus et rebellis fuit. Unde Aquila vertit, *recedentes*; Pagninus, *declinantes*; Pintus, *perversi*; Septuaginta et S. Hieronymus, in *Comment.*, *inobedientes*: obedientia enim non tantum est subditorum, sed et boni principis. Ut enim populus principi, sic ille Dei legibus parere debet. Populo præest princeps, principi lex. Hinc, *Deuter. xvii, 18*, præcipit Deus ut rex habeat legem secum, eamque legat cunctis diebus vitæ suæ. Unde *IV Reg. xi, 12*, de Joiada pontifice dicitur: « Produxitque filium regis (Joas puerum) et posuit super eum diadema et testimonium; feceruntque eum regem. » Per « testimonium » lex intelligitur, quæ regi simul cum regia corona dabatur, ut juxta eam gubernaret. Idem senserunt Gentiles. Bias rogatus « quisnam esset vere princeps? » Respondit: « Ille qui primus se legi subiecit. » Pindarus ait: « Lex est omnium mortalium regina. » Ratio est, quia, cum justitia sit finis legis, contempta lege fieri non potest quin princeps justitiam contemnat; quo facto sequitur seditiosus ac turbulentus reipublicæ status, indeque ejus pernicietas et interitus. Recte ergo dixit Justinianus: « Principe digna vox est legibus se subditum profiteri. » Perperam vero adulator ille Alexandro Magno ingemiscenti quod temulentus Clitum amicum occidisset, dixit, justitiam pingi

Principis
est obediens
legi.

astantem Jovi, eo quod justum sit quidquid Jupiter sive rex præcipit.

Denique hæc congrue adaptat S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu*, protoplastis nostris: « Principes, ait, tui infideles, vel, ut alia translatio habet, inobedientes, socii furum. Revera enim principes nostri Adam et Eva, principia propaginis nostræ, inobedientes et socii furum: qui quod filii Dei est, serpentis, imo diaboli per serpentem, consilio surripere tentant. Nec dissimulat injuriam filii pater, sed continuo in ipsum hominem vindictam retribuit, et aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, et in eo sententiam damnationis accepimus. »

CAUSA VIDUÆ NON INGREDITUR AD ILLOS. — Quia a viduis pauperibus non sperant munera aut favores, hinc earum causas non suscipiunt defendendas aut judicandas, sed eas semper ditioribus postponunt; aut, si cogantur judicare causam, non eis, sed parti adversæ, quia dives est vel amica, adjudicant.

Theophilus Imperator viduarum jura tutatus. Nota hic et vers. 17, quam Deus curam habeat viduarum et pupillorum, jubeatque eis jus suum reddi, easque opprimentes puniat. Illustris hac in parte fuit Theophilus Imperator; nam, ut narrant Cedrenus et Zonaras, tom. III, in ejus Vita: Dux quidam militem equo insigni spoliaverat, hic miles in prælio occubuit, dux equum hunc Theophilo Imperatori donavit: uxor militis occisi Theophilum Imperatorem ad templum Blacher-nense equitatem de more conspicata mariti sui equo vehi, concitato cursu aggressa, frenum equi apprehendit, suum hunc esse vociferans, et non alium; sed ipsum Imperatorem cædi mariti sui causam præbuisse. Perterritus Imperator manere eam jubet, dum in palatium ipse rediret, ac reversus statim eam ad se vocat, ac de re tota accuratius inquiri. Quam cum ea a principio ad finem usque recitaret, illico etiam dux iste sistitur, et muliere jussu Imperatoris occultata, de equo acriter interrogatur. Quem cum asseveraret suum fuisse, neque raptu paratum, producit extra velum mulier, reum de vi peractura. Qua is conspecta dirigit, et aliquandiu mutus adstitit, tandemque ad se reversus, supplex pedibus Imperatoris sese advolvit lacrymans, ac peccatum confitens. Ergo Imperator ejus facultates viduæ ejusque liberis jure hæreditario addicit; ipsumque dignitate spoliatum exilio perpetuo damnat.

Ibidem de eodem narrat Zonaras: mulierem adisse Theophilum, et accusasse Petronam Augustæ fratrem, quod in vicinia sua ædes ita alte extrueret, ut suis luminibus officeret. Petronas ab imperatore accersitus, et quid mulier diceret, interrogatus, nugas eam agere dixit. Tum imperator: Cave, inquit, ne denuo eadem de re me appellet, quod tibi bono non est futurum; ac mulierem ad Petronam abire jussit, et, nisi ei damnum resarciretur, ad se redire. Quod cum illa fecisset, neque a Petrona quidquam impe-

trasset, re desperata rursus Imperatorem interpellavit: is statim quibusdam senatoribus mandavit, ut viderent num damnum mulieri daretur. Abiere illi statim, damnumque cognitum Imperatori renuntiarunt: qui in forum progressus, atque ibi certo loco stans, Petronam vestibus directis, et in tergo et in pectore verberari jussit, et quæ in fraudem mulieris struxerat, destrui, materiamque et solum ipsum mulieri attribui.

24. PROPTER HOC AIT DOMINUS DEUS EXERCITUUM. — Hic incipit Isaias proprie Prophetam agere, sternere viam ad Christum, qui malis omnibus hactenus enarratis remedium dabit. Est ergo hæc pars capitis læta et consolatoria.

HEU! CONSOLABOR SUPER HOSTIBUS MEIS, ET VINDICABOR. — Forerius putat *he*, vel *hoi*, esse interjectionem non dolentis, sed insultantis, q. d. Deus: Exsulto, quia consolationem accipiam in Judæorum hostium meorum vindicta et interitu. Simili enim modo ait ipse, *Ezech.* v, 13: « Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor; » et *Deuteron.* xxviii: « Sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans; sic lætabitur disperdens vos atque subvertens. » Verum proprie Hebræum *hoi*, et Latinum « *heu*, » dolentis est, non insultantis. Significat ergo Deus hac voce: primo, se dolentem et invitum punire peccatores, ut a sua indole et a seipso abire videatur. Secundo, pœnam fore gravem. Sic enim medicus gemit cum quem videt ita ægrum, ut uri vel secari debeat. « Vir fortis tunc ingemiscit, quando se componit ad firmitatem, » ait Cicero in *Tuscul.* Ita fissores lignorum gravem daturi ictum, cum gemitu et suspirio eum eliciunt. « Heu » ergo dolentis est, « consolabor » gaudentis: « consolabor, » id est vindicabor: prius enim hemistichium, *consolabor de hostibus meis*, more hebræo explicatur per posterius, dum subdit, « et vindicabor de inimicis meis. » Solent enim homines injuria affecti gaudere et consolari, si se ulcisci de hostibus possint: ita hic de se loquitur Deus humano more, ita tamen ut significet se, quia benignissimus est, longe secus quam homines, contra voluntatem lugentem et gementem ad vindictam descendere, licet illa ejus justitiæ sit consolationi. Sic ergo vindicta ejus et justitia mixta est cum clementia et misericordia, adeoque vindicta ipsa non tam peccatorem quam Deum ipsum affligit anthropopathos; quia Deus nolens, et quasi dolens peccatorem punit et affligit: quin imo idem in Deo est affectus quo vindicat punitque, et quo punito condolet et compatitur. Unde Hebræum *hoi*, tam dolentis quam gaudentis est, et tam *heu* quam *væ*, ut vertunt Septuaginta, significat; quia Deus solatium quod vindicta afferre solet, cum dolore percipit, vere pius pater etiam in judicio et castigatione. Adde: hæc Dei vindicta summa est misericordia; per hanc enim castigationem peccatorem con-

Dens punit nolens et dolens.

vertit et emendat, eumque ex inimico facit amicum, ex injusto justum, ex mancipio diaboli et inferni servum Dei, et hæredem cœli. Vide *Can.* XLVI. Unde sequitur :

25. ET CONVERTAM MANUM MEAM AD TE, ET EXCOQUAM AD PURUM SCORIAM TUAM, ET AUFERAM OMNE STANNUM TUUM. — Vatablus vertit, *purgabo instar saponis scorias tuas. Verum* scoria non solet saponem, sed omnem rem quæ vim habet purgandi, significat : *bor* etiam purum significat, uti aperte vertit Noster. Rursum Vatablus et Hebræi referunt hæc ad Sennacherib, qui obsedit Jerusalem anno 14 Ezechiae. Verum hæc tantum fuerunt minæ Dei : nec enim Sennacherib cepit aut vastavit urbem, quin imo per preces Isaie et Ezechiae ipse cum suis ab angelo contritus est ; quare melius hæc referas ad captivitatem tum Babylonicam, tum Romanam, idque patebit, vers. 27. Porro verba hæc sunt Dei irati peccatis, sed propitii peccatoribus : hæc enim est mira Dei vindicta, qua peccata in homine persequitur, occidit et abolet ; sed mira sua clementia peccatorem immutat, in aliam vitam transfert, eique gratias et dona sua confert : facit enim ut, v. g., moriatur Petrus impurus, ebrius, incestus, superbus, et resurgat Petrus purus, sobrius, castus, humilis, etc. Estque metaphora ab aurifabris et argentariis, qui per ignem argentum liquant, a scoria, stanno, aliisque metallis secernunt et expurgant, *q. d.* Sicut argentarius argenti massam impuram igne liquat et excoquit, idque diu et sæpius (unde hebraice pro « convertam » est *כִּיבֵן* *ascib* ; id est *reducam et reversabo manum*, uti facit aurifaber ut opus expurget, elimet et expoliat), donec purum argentum a stanno et scoria secernatur : ita et ego igne tribulationum, plagarum, et hostium Chaldæorum et Romanorum tandem vos, o Judæi ! excoquam et affligam, donec idololatria, injustitia, traditiones Pharisæicæ, aliæque sordes peccatorum a vobis plene secretæ et expurgatæ fuerint ; et ex plumbeis, stanneis ac ferreis hominibus fiat argentæ et aurei. Rursum puniam, et e medio tollam impios judices, principes, Pontifices, Scribas et Pharisæos. Hi enim per scoriam et stannum accipi possunt, ut dixi vers. 22. Unde simili metaphora conflatoris et argenti reprobi utitur Jeremias, cap. vi in fine (4).

(4) Intellige hoc loco, Christiane lector, quod interdum vastationes et captivitates, imo et hæresum inundatio quæ fere totam terram occupat, sint veluti divinitus missæ conflagrationes in vindictam hostium Dei et absundas scorias, et fides electorum probata inveniatur. Sunt itaque flagella, et quasi initium damnationis impiorum ; si autem mentem Dei attendes, sunt beneficia in pios. Finge argentum cui admixtum est stannum seu sum habere et mentem, nonne pro beneficio duceret conflari et exuri ? Doleret quidem stannum, et gerneret, quia aliquid contra voluntatem ejus fieret, et ei vis inferretur ; gauderet vero argentum, quod ab injuria vindicaretur et expurgaretur. (Forerius.)

Nota : Hic tribulatio est fornax et conflatorium, quo purgantur electi, improbi comburuntur. Vide dicta *Threnor.* I, 13, et *Daniel.* XI, 35.

26. ET RESTITUAM JUDICES TUOS UT FUERUNT PRIUS, ET CONSILIARIOS TUOS SICUT ANTIQUITUS. — Priores Hebræorum boni judices fuerunt Moses, Josue, Gedeon, et alii in libris Judicum ; ac post eos David, Salomon, Josaphat, etc. Restituit vero Deus tales post captivitatem Babylonicam, cum dedit eis Esdras, Nehemias, Jesum filium Josedech, Machabæos, etc. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus Haymo, Hugo, Sanchez.

Rursum et magis, post captivitatem Romanam cujus illa Babylonica præambulum fuit et typus, tempore Christi restituit Deus Judæis pro Scribis et Pharisæis impiis pios et sanctos Apostolos, aliosque Ecclesiæ Principes, qui primos illos judices tum sapientia, tum diligentia, tum docendi regendique facilitate et felicitate superantur. De Apostolis enim hæc accipiunt S. Hieronymus, Cyrillus, Hugo, Haymo, Dionysius, et Forerius, unde sequitur :

POST HÆC VOCABERIS CIVITAS JUSTI. — Septuaginta et Hebræus *civitas justitiæ*, ut scilicet justus princeps, Esdras, Nehemias et alii habitent in Jerusalem, eamque juste regant et judicent, utque justitia et justus Deus in ea dominantur : illi enim principes regent populum juxta justas Dei leges ab eo præscriptas et sancitas. Alludit ad priscum regem Solymorum, qui a probitate dictus est Melchisedech, id est rex justitiæ. *Secundo*, et magis vere, « vocaberis civitas justus, » scilicet Christi, cum is nascetur, teque docebit et sanctificabit ; maxime cum in Pentecoste in te mittet Spiritum Sanctum. Ita S. Hieronymus. Christus enim antonomastice in Scriptura vocatur Justus et Sanctus Sanctorum, adeoque omnes justificans et sanctificans : unde effecit ut Apostoli et eorum successores regerent Ecclesiam, non ad sua commoda vel gloriam, sed unam justissimam et sanctissimam Christi Domini voluntatem et gloriam in ea gubernanda intuendo.

URBS FIDELIS, — scilicet Deo, in ejus unius fide, cultu et obedientia persistens : hoc ergo spectat custodiam primæ tabulæ Decalogi : sicut *civitas justitiæ* spectat secundam, ut dixi vers. 21. Ecclesia enim fuit Deo fidelis, quia fidem conjugalem Deo datam constanter servavit, cum Synagoga eam sæpe violarit, et quasi adultera iterum iterumque ad idola deflexerit.

27. SION IN JUDICIO REDIMETUR. — *q. d.* Israel per Cyrum liberabitur e Babylone post justam satisfactionem, scilicet poenam 70 annorum captivatis toleratam : illa enim hic vocatur *judicium*, quia justo Dei judicio eis fuit inflata. Hinc Septuaginta vertunt : *Cum judicio salvabitur captivitas ejus*. Unde tunc Esdras, Nehemias aliique justus judices et principes « reducent, » regentque « eam in justitia, » uti explicui vers. præcedenti. Aliter Sanchez, « in judicio, » inquit, id est non temere, sed

cum delectu; quia scilicet illi reducentur qui erunt timentes Deum, ut ait Tobias, cap. ult., vers. 7, et quorum spiritum Deus suscitavit, ut dicitur I *Esdrae* I, 4. *Secundo*, plenius et verius hoc factum est per Christum (ad quem de more hic avolat Propheta, juxta *Can.* VI et XII) qui « in judicio, » id est ex rigida justitia, redemit Sion, id est Ecclesiam Judæorum et Gentium, quæ cepit in Sion et Jerusalem.

Ubi nota : Hæc Christi redemptio, licet fuerit opus summæ clementiæ et misericordiæ, hic tamen vocatur « judicium et justitia. » *Primo*, quia Christus ex justitia soluto lytro, puta pretio sanguinis sui, nos redemit. *Secundo*, quia dæmon, utpote tyrannus, injuste captivos tenebat Judæos, aliosque homines, licet peccatores, agens eos pro suo libitu ad omne scelus; unde juste hac tyrannide a Christo privatus est. *Tertio*, quia licet dæmon a Deo potestatem tortoris in peccatores acceperit, ut eos occideret morte præsentis et æternæ, tamen non accepit potestatem in Christum justum et Dei Filium. Unde quia ipse hac potestate sua abusus est, dum eum per Judæos curavit occidi, hinc juste meruit eadem in totum privari : Christus etiam morte sua tam iniqua et indigna hoc ipsum meruit; et hoc est quod ait Christus *Joan.* cap. XII, vers. 31 : « Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Ita S. Hieronymus et Rupertus. *Quarto*, quia Christus Ecclesiæ et peccatoribus dat et infundit justitiam, dum eos a peccato redimit et justificat.

Anagogice Christus perfectissime redimet Sionem, id est Ecclesiam, ab omni malo tam culpæ quam pœnæ in resurrectione novissima, idque ob meritum pœnitentiæ et patientiæ Sionis in hac vita.

Vers. 28. 28. ET CONTERET (scilicet Deus, vide *Can.* XVII) SCELESTOS, ET PECCATORES SIMUL : ET QUI DERELIQUERUNT DOMINUM, CONSUMENTUR. — Hic a tempore Christi revolat Propheta ad suum suorumque supplicia; hæc ergo connecte cum vers. 24 : « Vindicabor de inimicis meis. » *Secundo*, tamen possunt hæc quoque ad tempus Christi referri, *q. d.* Deus redimet Sion, id est fideles et pios Sionis, qui Christo credent et obedient; alios vero Sionis filios secundum carnem, puta Judæos, qui Christo credere et obedire nolent, « conteret » tanquam scelestos vel peccatores (plus enim est esse scelestum quam peccatorem), ideoque non tam filios quam spurios, imo hostes Sionis. Vide *Can.* VII. Conteret, inquam, illos partim in hac vita per Titum et Vespasianum, partim in judicio tum particulari, tum universali, eos ad gehennam condemnando : tunc enim omnes « qui dereliquerunt Dominum, » id est Deum et Christum, « consumentur. »

ET QUI DERELIQUERUNT DOMINUM, CONSUMENTUR — paupertate et ærumnis captivitatis in Babylone : sicut enim ex tot Hebræorum millibus qui ex Ægypto sunt egressi, ob eorum murmur pauci scilicet Josue et Caleb, ingressi sunt terram pro-

missam, ita et pauci e Babylone in Judæam redibunt. Ita Sanchez.

29. CONFUNDENTUR ENIM AB IDOLIS. — Perfide Castalion vertit, a *divis*, ut insimulet invocationem Sanctorum. « Confundentur ergo ab idolis, » id est propter idola (sic sumitur a vel ab pro *propter*, *Jerem.* XXII, 22 *Osee* VII, 16.); quia scilicet videbunt idola sua, quæ coluerunt, et in quibus speraverunt, non posse se nec illos ab hac Dei clade liberare. Hæc verba proprie pertinent ad tempus captivitatis Babylonicæ, non Romanæ tempore Christi, quia tunc Judæi non coluerunt idola; sed in fine mundi sub Antichristo rursum ac colent. Unde tunc rursum in iis confundentur, quando eorum dux Antichristus cum suis cædetur, et detrudetur ad tartara.

ET ERUBESCETIS SUPER HORTIS QUOS ELEGERATIS, — in quibus lascive et impudice colebatis idola, maxime obscænum, Beelphegor sive Priapum. Vide II *Paralip.* XV, 16. Sub « hortis » intellige et nemora idolis consecrata (1). Est enallage personæ : transit enim a tertia ad secundam, significans hanc cladem non esse remotam, sed imminere, et præsentibus quibus loquitur obventuram. Vide *Can.* XVI.

30. CUM FUERITIS VELUT QUERCUS DEFLUENTIBUS FOLIIS, — quæ quondam florens jam in hieme aut senio defrondescens marcescit, arescit, emoritur : ita fiet et vobis : in hortis peccastis, ut horti marcescatis et punicmini.

ET VELUT HORTUS ABSQUE AQUA (2), — qui sine humore aret et squallet, nullumque virens producit, ita et vos fame et ærumnis in corpore tabescetis : in anima vero aqua gratiæ destituti absque fructu bonorum operum vitam agetis, non angelicam, non humanam, sed brutalem, sed diabolicam, sed infernalem.

31. ET ERIT FORTITUDO VESTRA UT FAVILLA STUPÆ (hebraice, ut *stupa*, scilicet accensa, quæ mox in favillam abit), ET OPUS VESTRUM QUASI SCINTILLA : ET SUCCENDETUR UTRUMQUE SIMUL, ET NON ERIT QUI EXTINGUAT. — « Utrumque » scilicet « opus » et « fortitudo. » Jam « fortitudinem » Judæorum vocat tum eorum urbes, muros, arma, arces; tum potius idola, in quibus ipsi omnem suam spem et robur ponebant; unde pro *צדק chosen*, jam aliis punctis legunt *צדק chason*, id est fortis. Unde Vatablus vertit, *erit fortissimus* (deorum vestrorum) « ut *stupa*. » Per « opus » intelligit ornatum, pompam et cultum quem exhibebant idolis : rursum opes, fundos, palatia ope idolorum et dæmonum

(1) Idololatræ in nemoribus et sylvis plerumque cultum exercebant, et circa Deorum sanctuaria hortos conserebant, ubi omnimodas abominationes perpetrabant.

(2) In calidissimis Orientis partibus, hortus est locus vel ager arboribus consitus, et diligentiori cura excultus : sic olivarum hortus erat quasi olivarum plantatio. Porro cum maximæ siccitati obnoxia est ista regio, prope fontes hortos delineabant, et in eis quoddam aquæ receptaculum fodiebant, quod vel rivulus vel pluvie alebant.

Vers. 29

Vers. 30.

Vers. 31.

Fortitudo et opus quid ?

per fraudes, injustitias et rapinas, parta, ac consequenter ipsas fraudes, injustitias et rapinas, aliaque impietatis opera, *q. d.* Hæc omnia putabatis esse fortissima foreque perpetua; at ego per Judææ excidium illa delebo et comburam instar stupæ, quæ levi flamma absumitur; comburam, inquam, tum per Babylonios, tum potius per ignem inferni: hic enim proprie erit inexstinguibilis, in quo opera impiorum, omnisque eorum gloria, opes et fortitudo in ipso impio exurentur. Ita S. Basilius quem sequuntur S. Hieronymus et Haymo, qui utrum-

que incendium, scilicet temporale et æternum, terrenum et gehennale, hic permiscet. Unde et Chaldæus vertit: « Comburentur impii et eorum opera prava. » Aliter hæc accipit Sanchez: Fortitudo, inquit, sunt mœnia et turres, ignis sunt peccata, *q. d.* Mœnia, quæ alias riderent suos hostes, jam erunt stupæ: quia, etiamsi nullus hostis ea invaderet, peccata tamen vestra quasi hostes intus grassantes ea consumerent, et in cinerem redigerent, sicut ignis consumit aridam stipulam; sed hoc videtur esse mysticum

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Avolat ad Christum, prædicitque Ecclesiam quasi montem a Christo erigendam, quodque ad eam confluent omnes gentes, quæ bella in pacem, gladios in ligones convertent. Secundo, vers. 6, redit ad sua tempora, suorumque scelera arguit. Tertio, vers. 10, prædicit cladem et vastationem Judæis a Chaldæis inferendam. Denique, vers. ultimo, avolat ad Christum, monetque ne eum, utpote Deum, lacessant et exacerbent.

1. Verbum, quod vidit Isaias filius Amos, super Juda et Jerusalem. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. 3. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. 4. Et judicabit Gentes, et arguet populos multos: et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. 5. Domus Jacob, venite, et ambulemus iu lumine Domini. 6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob: quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. 7. Repleta est terra argento et auro: et non est finis thesaurorum ejus: 8. et repleta est terra ejus equis: et innumerabiles quadrigæ ejus; et repleta est terra ejus idolis, opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. 9. Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis. 10. Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illa. 12. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem: et humiliabitur. 13. Et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan. 14. Et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos. 15. Et super omnem turrinam excelsam, et super omnem murum munitum, 16. et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. 17. Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa: 18. et idola penitus conterentur: 19. et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. 20. In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones. 21. Et ingredietur scissuras petrarum, et in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. 22. Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.

Vers. 1. 1. VERBUM, QUOD VIDIT ISAIAS FILIUS AMOS, SUPER JUDA ET JERUSALEM (1), — eventurum non jam, sed tempore Messiae, quando scilicet ex Juda nascetur Christus, Apostoli, et Ecclesia nova. De ea enim hic agi patet ex vers. seq., cum ait: « Et erit in novissimis diebus, » etc., et de eadem egit in fine capituli praeced., vers. 26 et 27; eo ergo haec pertinent. Unde Septuaginta pro « et erit, » vertunt, *quia erit*, quasi causam dantes dictorum in fine cap. praeced. Nota « verbum, » id est visio, puta visum, sive res visa. Vide *Can. I.*

Rursum symbolice S. Hieronymus: « Hic, inquit, potius verbum dicitur quam visio, eo quod priori capite Isaias videat visionem, hic vero Verbum quod erat in principio apud Deum (non in se, sed ut caro factum nos docuit in Ecclesia), et in illa Judaeis comminans ad Gentium veniat salutem: in ista a Gentium salute incipiens, punito Israele, ex utraque vocatione credentes in Christi Ecclesiam congreget. »

Vers. 2. 2. ET ERIT. — Tò « et » per hebraismum redundat, estque prophetiae exordium; solent enim Hebraei librum vel orationem ordiri per *ve*, id est *et*.

IN NOVISSIMIS DIEBUS, — in novissimo tempore, puta Messiae. Est synecdoche. Dies enim et, ut S. Joannes vocat, « hora novissima, » ponitur pro tempore ultimo legis Christi satis prolixo. Ita S. Augustinus, epist. 80 *ad Hesychium*.

Nota: Christi tempus dicitur « novissimum, » id est posterius aut sequens (hoc enim tantum significat Hebraeum אחרית *acharit*), etiamsi proprie non sit ultimum et novissimum. Sic Jacob moriens filiis ait, *Gen. XLIX, 1*: « Congregamini, ut annuntiem quae ventura sunt vobis in diebus novissimis, » id est temporibus sequentibus, puta post meam mortem. *Secundo*, proprie tempus Christi vocatur « novissimum, » tum quia Christus est finis legis et Prophetarum, tum quia est novissimum respectu originis et durationis mundi,

(1) Haec est igitur prima omnium visio seu prophetia quae durat usque ad cap. vi, et continet vaticinia sub Oziæ regnum edita, de Christo Domino omnium prophetarum fine, de religionis quam ipse instituit, et Ecclesiae ipsius dignitate, de vastatione Israelis ob ingentia eorum crimina, et de sanctis reliquiis quae salvatae sunt, ut replerent totum orbem fide ac cognitione veritatis.

In prima parte hujus capituli, Isaias Gentilibus auspicata praedicit, scilicet: *primo*, Ecclesiam Christi visibilem et palam propositam olim libere accessuris, 2; *secundo*, tanquam veritatis magistram illam avidè audituros, 3; *tertio*, sub hoc magisterio pacem et amicitiam constanter culturos, 4; *quarto*, Judaeos ad eandem Ecclesiam frequentandam invitatos, vers. 5.

In secunda parte, Judaeis funesta vaticinatur, nam, ne quis miretur Gentes quae ignorabant Deum, divina haec praedicta perfundi, *primo* dat causam illorum reprobationis ob damnatas artes, scelera nefanda, 6, terrena studia, 7, et idololatriam, 8, 9; *secundo*, denuntiat iudicis divini vindictam, nec fuga declinandam, 10; nec reorum magnitudine, amplitudine aut pulchritudine retinendam, 11-17; nec idolorum potentia cohibendam, 18-20; nec humano praesidio tolerandam, 22.

ac praecedentium aetatum et statuum: puta si tempus omne ab origine mundi dividas in primum, medium, et novissimum; sive in legem naturae, Moysis, et gratiae: tum enim lex gratiae est ultima, nec alia lex aut status ei succedet. Frustra ergo arguantur Judaei: Necdum est tempus novissimum, ergo Messias necdum venit (2).

PREPARATUS MONS DOMUS DOMINI. — Hebraeum נחון *nachon* significat non tantum praeparatus, erectus, directus, sed etiam fundatus, munitus, instructus, firmatus et stabilitus; ut nullae vires, imo nec portae inferi ei possint praevalere. Sic et alibi saepe *praeparare* capitur pro *firmare*, ut *Proverb. VIII, 27*: « Quando praeparabat, id est fundabat, caelos, aderam. » *Psal. XXIII, vers. 2*: « Super flumina praeparavit, id est firmavit, eum, » scilicet terram.

Quaeres: Quisnam est iste mons? Respondent *primo* Judaei esse Sion, qui sub Messia, inquit, imponetur monti Carmelo et Thabori, atque per tres leucas sursum attolletur. Sed haec eorum solitae sunt neniae. Videt Galatinum, lib. V, cap. III.

Quis hic mons? Resp. Prima.

Secundo, aliqui Catholici per montem accipiunt Sionis gloriam, quam scilicet ipse accepit, quando Christus in templo est praesentatus, docuit anno duodecimo, multa fecit miracula, et tandem Spiritum Sanctum in Apostolos e caelo misit. Verum hic sensus symbolicus est.

Tertio, S. Cyprianus, vel quisquis est auctor libri *De Sina et Sion*, montem hunc aiunt esse crucem Christi. Rursum S. Gregorius, lib. I *in I Regum*, ait montem hunc esse beatam Virginem: ejus enim sanctitas super omnes Sanctos et Angelos effulsit, et instar montis eminebat. Ipsa enim « meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit, » inquit S. Gregorius in lib. I *Regum*, cap. I, sub initium. Verum etiam haec symbolica et mystica sunt.

Quarto, S. Hieronymus, Basilius, Rupertus, et multi alii veterum censent montem hunc esse Christum. Hic enim est mons in vertice montium, id est Apostolorum et Prophetarum, quos sua doctrina et gratia superat et excellit. Hic sensus cum sequenti cohaeret: Christus enim est Ecclesiae caput; unde Christus et Ecclesia unum quid censentur, juxta regulas Ticonii apud S. Augustinum. Quidquid ergo de Ecclesia dicitur, dicitur etiam de Christo: et e converso.

Quinto, et aptissime, Cyrillus hic, et Eusebius, lib. II *Demonstr.* cap. XXXII, Athanasius, initio epist. *ad Epictetum*, per montem intelligunt Ecclesiam; haec enim est *domus Domini* altissima, et maxime conspicua, perinde ac si in monte esset sita. Est

Quinta et genuina, est Ecclesia.

(2) Secundum Hebraeos, ubi in Prophetis invenitur « in novissimo dierum, » id de tempore Messiae est intelligendum. Unde tam Hebraei quam Christiani hoc caput de Christo intelligendum docent, quod scilicet Ecclesia Christi ex gentibus in magnam congreganda sit multitudinem, idque praedicatione *novae legis ex Jerusalem prodeuntis*. (Munsterus.)

catachresis. Vide *Can.* VI. Unde Septuaginta pro « præparatus » vertunt ἐμφανὲς, id est *manifestus*. Alludit tum ad veterum templa et altaria, quæ in montibus erigebantur, ibi enim sacrificabant, indeque vocabantur Excelsa; tum ad montes Sion et Moria, ut mox dicam, *q. d.* Excelsum sive altare Domini, puta Ecclesia, longe se attollet supra aliorum excelsorum cacumina. Hinc patet Ecclesiam Christi esse visibilem, illamque Novantium quæ lucem fugit, atque se esse invisibilem, non Christi, sed Antichristi esse Ecclesiam.

Anagogice, mons hic est regnum cœlorum, puta Ecclesia triumphans, inquit S. Bernardus, *serm.* in illud: « Quis ascendet in montem Domini? Erit enim, ait, ibi mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis. »

IN VERTICE MONTIUM. — Ecclesia est in vertice montium: *Primo*, quia sua altitudine, dignitate et gloria superat Judæorum montes, scilicet Sion, in quo erat arx Davidis, et Moria, in quo erectum erat templum; adeoque Sion et Moria subsunt Ecclesiæ, quasi vertici et capiti suo, et a se adumbrato: sicut in ichnographia exemplar domus subest fabricæ et domui quam delineat, adumbrat et repræsentat. Sic enim umbra subest suo corpori, et imago subest suo exemplari. Ita Sanchez.

Secundo, quia iisdem superat omnia templa, et sacra Judæorum et Gentium. *Tertio*, quia ejus doctrina, vita et mores omni philosophia et sapientia, omni ingenio, omni veterum religione et cœtu, omnibus etiam locis et montibus cultu aliquo sacris longe eminent et excellit; utpote e cœlo projecta, supernaturalis et divina. Ita Cyrillus, Hieronymus, Basilius et alii. *Quarto*, ex S. Augustino et Procopio, Leo Castrius: Montes, inquit, vocantur Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli et alii Sancti illustres; quia licet corpore degant in terra, mente tamen, conversatione et virtutibus transcendunt sidera: super hos montes ædificata est Ecclesia, quasi mons altissimus: colles sunt minores Sancti.

ET FLUENT AD EUM OMNES GENTES. — Nota miraculum: flumina enim deorsum fluunt, hic vero fluunt sursum in altissimum montem ascendendo. Hoc facit gratia Christi, quæ sursum corda rapit. Rursum per « fluent » significatur affluentia et ad morem fluminis rapidus cursus gentium omnium ad Ecclesiam. *Tertio*, « fluent » significat cursum hunc fore spontaneum, *q. d.* Ad Ecclesiam quasi montem sapientiæ et virtutum, contra naturam sursum, vi gratiæ cœlestis, ex omnibus orbis nationibus plurimi aggregabunt se, ea animi propensione, contentione ac impetu, quo solent flumina in imas valles e montibus defluere. Hoc est quod Christus ait, *Joan.* iv, se daturum aquam salientem sursum, puta in vitam æternam; et *Joan.* xii: « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » Quin et Euripides in *Medea*: « Sursum, inquit, sacrorum fluviorum feruntur

fontes omnes. » Jam « fluent, » non simul, sed successive: primo enim ad Christum accesserunt Judæi, deinde Samaritæ, mox Syri, inde Græci, Latini; nunc Indi, Japones et Sinenses.

3. ET DICENT: VENITE, ET ASCENDAMUS AD MONTEM DOMINI (ad Christum et Ecclesiam), ET AD DOMUM DEI JACOB. — Est mimesis. Alludit ad Bethel, ubi Jacob vidit Deum scalæ innixum; *Genes.* xxviii, 17, dixitque: « Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli, » indeque locum vocavit Bethel. Hinc Ecclesia vocatur « cœlum, » et a Christo « regnum cœlorum; » in cœlo enim quasi in domo sua habitat Deus. Nam, ut ait S. Bernardus, *serm.* 27 in *Cant.*: « Ecclesia in sua universitate est ingens quoddam cœlum, extentum a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, » *Psalm.* lxxi. In hoc cœlo luna est fides, hesperus est spes, sol est charitas, astra sunt singulæ virtutes, singulique Sancti. Bethel enim significat domum Dei, puta Ecclesiam. Sensus ergo est, *q. d.* Apostoli Christi prædicant nobis non ignotum aliquem Deum, sed illum ipsum quem coluit pater noster Jacob. Rursum invitant nos ad eam Ecclesiam, in qua vixit Jacob, quamque sua Bethel præfiguravit. Ergo cum Deus jam figuram hanc impleverit, Christumque in carne revelarit, accurramus ad eum ejusque Ecclesiam; quod uti olim in typo fecit Jacob, ita jam reipsa faceret si viveret. Domus ergo Dei Jacob jam est Ecclesia, v. g. templum S. Petri, et S. Pauli, S. Joannis, etc. Ita cum Galatino, lib. V, cap. v, respondendum Judæis objicientibus, Christianos non dicere: Ascendamus ad domum Dei Jacob; sed, ad Ecclesiam S. Petri, S. Pauli, etc., nimirum hæc ipsa jam unum idemque esse.

ET DOCEBIT (Deus Jacob) NOS VIAS SUAS. — Est vox Gentium confluentium ad Christum et Ecclesiam, *q. d.* Docuit nos Plato, docuit nos Socrates, docuit nos Aristoteles, Diogenes, Pythagoras et alii, promiserunt nobis veram sapientiam et viam ad virtutem et salutem, sed falso; nam, ut ait Psaltes, *Psalm.* cxviii, 85: « Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua. » Et Baruch cap. iii, vers. 22: Sapientia vera « non est audita in terra Chanaan, nec visa est in Theman. » Rursum docuit nos Abraham, docuit Jacob, docuit Moyses; sed nos perficere, Christianam et plenam sapientiam docere, cœlum aperire, gratiam et robur ad ea quæ docebant opere præstanda conferre non potuerunt: « Lex enim per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est, » *Joan.* i. Hi ergo quasi indices et duces nos ad Christum transmiserunt. Eia ergo, agite, sine hæsitatione, sine mora venite, læti et alacres ascendamus cum Jacob patre nostro ad Bethel, ad montem Domini, ad domum Dei, ascendamus ad Messiam nostrum, ad Christum, verum orbis doctorem: ille nos in Ecclesia docebit vias Dei, vias in cœlum, scientiam Sanctorum; ille gratiam simul conferet, ut facile hanc viam ineamus, imo

Ecclesia est cœlum terrenum.

Astra sunt virtutes.

Hæc est in vertice montium. Primo.

Secundo. Tertio.

Quarto.

Fluent significat tria.

curramus, non passibus corporis, sed mentis, puta credendo, sperando, pœnitendo, amando, obediendo, et pie casteque vivendo, utque alios ad eadem præstanda invitemus: hoc enim est « venite, ascendamus. » Christiani enim est non tantum suam, sed et aliorum salutem curare; et ad hoc nos prævenit et incitat gratia Christi.

Moraliter, Christiani est semper ascendere ad majora et meliora. Unde S. Augustinus in *Psalm.* XLV, ad illa verba: « Venite et videte opera Domini: Quid est, inquit, Venite, ascendamus? venite, id est credite; ascendamus, id est proficiamus, et ad perfectionem enitamur. »

QUIA DE SION EXIBIT LEX (non Judaica, sed Christiana; puta lex gratiæ, lex vivificans, data tam Gentibus quam Judæis), ET VERBUM DOMINI (Evangelium et Evangelii prædicatio) DE JERUSALEM: — quando nimirum Apostoli, recepto Spiritu Sancto in Pentecoste, ex Jerusalem et Judæa exhibunt, seque dividunt et dispergent per omnes orbis regiones, ut impleant præceptum Christi, *Matth.* XXVIII: « Euntes ergo docete omnes gentes, » *q. d.* Venite, ascendamus ad Sion, id est ad Ecclesiam natam in Sion, quia inde prodibit lex gratiæ et salutis. Frivolum ergo est cavillum Musculi: non dici, de Tarpeia rupe, non, de Capitolio et Roma, sed, de Sion exhibit lex. Nam certum est primos Evangelii præcones, puta Apostolos de Sion exisse in totum orbem, non de Roma: sed ubi relicta Sion caput Ecclesiæ statuerunt Romæ, deinceps de Roma exierunt prædicatores, missi a Romano Pontifice in omnes gentes, uti D. Baronius, omnesque omnium gentium Annales docent. Sion enim Christiana est Roma.

Vers. 4.

4. ET JUDICABIT GENTES, — scilicet Deus Jacob (de quo vers. 3) per Christum ejusque Apostolos et eorum successores.

Judicat Deus quadrupliciter. Primo.

Vox « judicabit » quadrupliciter hic accipi potest. *Primo, q. d.* Christus justam sententiam proferet pro Gentibus contra calumniatorem diabolum, et eas absolvet justo suo judicio. Ita Sasbout. Hoc enim subinde significat *judicare*, non tantum cum jungitur dativo, sed etiam cum accusativo, ut *Psal.* XII, 1: « Judica me (id est, justam sententiam pro me profer), et discerne causam meam de gente non sancta; » et *Psal.* LXXI, 4: « Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum. » Ubi obiter nota, in psalmis quasi in rhythmis sæpe posterius hemistichium explicare prius, imo idem vel quasi idem dicere quod dixit prius, sed aliis verbis, ut: « Deus, in adjutorium meum intende, » idem est cum eo quod sequitur: « Domine, ad adjuvandum me festina. Cor mundum crea in me, Deus, » idem est cum eo quod sequitur, « et spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiā salutaris tui, » pene idem est cum eo quod sequitur, « et spiritu principali confirma me. » Spiritus enim lætus confirmat Sanctos, et animat ad constantiam, omneque bonum, sicut ex adverso spiritus tristis

animum dejicit, ut in opere perdurare nequeat.

Secundo, « judicabit, » id est, vindicabit Gentes a tyrannide diaboli. Sic enim Gedeon, Samson, Jephthe et alii vocantur iudices, id est vindices « Israelis. » Sic dicitur *Psal.* XXXIV, 1: « Judica (id est vindica), Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. »

Tertio, et simpliciter, « judicabit, » id est reget et dominabitur; sic rursus Gedeon, Jephthe, Samson, et alii vocantur iudices, id est principes et rectores Israel. Per *judicare* ergo hic significatur plenum imperium Christi in omnes gentes, uti et *Psal.* LXXI, 1: « Deus, judicium tuum regida, etc., judicare populum tuum in justitia. » Unde sequitur: « Et arguet populos multos, » scilicet Scribas, Phariseos, aliosque quosvis infideles et inobedientes sibi, etiam philosophos et sapientes. Hos enim arguet Christus tum hic per se et Apostolos, aliosque præcones, vel ut convertantur, vel ut confundantur; hoc est enim quod ait Christus de Spiritu Sancto a se mittendo: « Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, » *Joan.* XVI, 8; tum in judicio generali, cum eos condemnabit. Ita S. Basilius et alii.

Quarto, et sublimius, « judicabit Gentes, » id est, lites et odia Gentium justo judicio dirimet et componet, eosque qui lites et bella movent « arguet » et compescet. Unde Septuaginta vertunt, *judicabit inter Gentes*. Ita Tertullianus, libro III *Contra Marcion.* XXI, et Athanasius, libro I *De Incarnat. Verbi, q. d.* Christus per legem Evangelicam charitatis, modestiæ; justitiæ, mansuetudinis et patientiæ, omnes Gentium rixas et dissidia componet, odia et antipathias evellet, rixosos et feroces compescet, facietque ut in eadem Ecclesia amice versentur quasi fratres, Romani et Græci, Judæi et Gentiles, Hispani et Franci, Germani et Galli, Angli et Scoti, etc., quia pro spiritu iræ, superbiæ, aversionis et vindictæ, indet eis spiritum lenitatis, humilitatis, amoris et concordiæ: quo fiet id quod ait Isaias, cap. XI, vers. 6: « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas. » Rursus hoc spiritu fiet id quod sequitur:

Christus Gentium dissidia componit.

ET CONFLABUNT GLADIOS SUOS IN VOMERES, ET LANCEAS SUAS IN FALCES. — Cessantibus discordiis et bellis, ex militibus fient agricolæ, armaque sua convertent in ligones, in vomeres et falces: quia omnes studebunt concordiæ et paci, atque in pace terram agrosque colent. « Unde enim bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? » ait S. Jacobus, cap. IV. Sic de ense conflato in falcem tempore pacis canit Martialis, lib. XIV, *Epigr.* 34:

Gladius vertit in falces.

Pax me certa ducis placidos conflavit in usus;
Agricolæ nunc sum; militis ante fui.

E. contrario de falce conflata in ensem tempore belli canit Virgilius, lib. I, *Georg.* :

Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Et Ovidius, I *Fastor.* :

Sarcula cessabant; versique in pila ligones,
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Et Joel, cap. III : « Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas. » Hujus pacis Christianæ præambula et quasi inchoatio fuit pax totius orbis, quæ fuit in nativitate Christi : « Revolvamus, inquit S. Hieronymus, veterum historias, et inveniemus usque ad vigesimum octavum annum Augusti Cæsaris, cujus quadragesimo primo anno natus est Christus in Judæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, et singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita ut cæderent et cæderentur. Orto autem Domino Salvatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, et Evangelicæ doctrinæ pax Romani imperii præparata, tunc omnia bella cessaverunt, et nequaquam per oppida et vicos ad prælia, sed ad agrorum cultus exercebantur. » Hinc de tempore Augusti canit Virgilius, lib. I *Æneid.* :

Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis
Claudentur belli portæ, etc.

Non diu post Augustum Romæ a Vespasiano Imperatore instauratum fuit templum pacis, cujus magnificentiam hodiernæ ruinæ testantur. De eo ita scribit S. Hieronymus in *Joel* : « Vespasianus et Titus, Romæ templo pacis ædificato, vasa templi Hierosolymitani, et universa donaria in delubro illius constituerunt, quæ Græca et Romana narrat historia.

Porro id inter alios fecisse Paulum docet Tertullianus, *Contra Gnosticos*, cap. XIII : « Paulus, ait, Apostolus de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, et convertens machæram in aratrum, lupus rapax Benjamin deinde afferens ipse etiam escam. »

Symbolicæ hæc Pintus : Apostolus, ait, *Rom.* VI, 13, asserit membra hominis flagitiosi esse gladios et arma iniquitatis, quibus animam suam sauciat et vulnerat, cum deberent esse arma justitiæ, quibus adversus vitia pugnaret, et in quibus Deum portaret, juxta illud I *Cor.* VI, 20 : « Glorificate et portate Deum in corpore vestro. » Nihil igitur aliud est gladios in vomeres converti, et hastas in falces, quam sensus et membra omnia quæ erant arma diaboli, effici vomeres agrum Domini operibus charitatis scindentes et arantes, vertique in falces fructus pietatis Deo gratissimos metentes.

NEC EXERCEBUNTUR ULTRA AD PRÆLIUM. — Quæres : Quomodo id est verum? nam post Christum non tantum inter Christianos et infideles, sed

etiam inter ipsos Christianos fuerunt et sunt bella.

bella,
quomodo?
Resp.
Prima.

Respondent primo, Anabaptistæ, Erasmus, Agrippa, et olim Manichæi, bellum in se esse malum; unde Judæis quidem, utpote imperfectis, fuisse permissum, sed a Christo et Apostolis esse vetitum et sublatum. Stolidior et impudentior, vel potius impietior, fuit Lutherus, qui non tantum bellum offensivum, sed et defensivum sustulit. Ejus enim hoc est paradoxum : « Turcæ Christianos invadenti resistere non licet. » Ratio est : « Quia Turca est flagellum Dei; qui ergo ei resistit, Deo resistit. » Sed pari ratione conclusisset, nec diabolo, nec scelerato ulli esse resistendum, quos tamen Deus jubet compesci, imo occidi. Deus ergo sicut vult permittere ut Turcæ nos bello lacessant, ut dæmon et impii nos tentent et vexent : sic ex adverso vult nos iis resistere, nisi contrarium expresse revelet, uti revelavit Judæis velle se ut dederent Jerusalem Nabuchodonosori. Sic Deus reliquit Chananæos aliquos in Judæa, ut in iis erudiret et exerceret Israel, eumque cogeret ad sui cultum, æque ac ad jugem militiam, *Judic.* III, vers. 11. Hic ergo est error et hæresis, quæ satis refellitur ex bellis Machabæorum, Josue, Constantini, et aliorum, Dei non tantum permissu, sed etiam jussu susceptis.

Unde secundo, magis catholice et vere respondet Cyrillus, post Christum in lege nova bella non esse tot, nec tanta, nec in ipsis visceribus orbis, uti erant ante Christum. Sic IV *Reg.* VI, 23, dicuntur Syri non ultra venisse in fines Israel, quia rarius venerunt quam ante : nam venisse aliquando constat. Verum, ut hoc sit verum, non tamen satisfacit, nec exhaurit vim et fundum sententiæ propheticæ.

Tertio, S. Hieronymus et Eusebius, lib. I *De Præparat.* I, respondent hæc accipi de ortu Christi, quando Jano tertium clauso diu in orbe altissima fuit pax. Sed nec hæc explicatio verba Isaiæ adæquat : iis enim videtur non diuturna, sed absoluta et æterna pax promitti. Hoc enim significat « nec ultra. » Adde, quod hæc pax hic insinuetur non præcessura Christum, sed invehenda per redargutionem et increpationem, id est prædicationem Christi jam nati; ait enim : « Et judicabit (Christus) Gentes, et arguet populos multos, qui ab eo redarguti et conversi conflabunt gladios suos in vomeres, etc., nec exercebuntur ultra ad prælium. »

Dico ergo ex *Can.* VI, cum Deus aliquid Synagogæ vel Ecclesiæ promittit, quantumvis amplis et universalibus verbis, id tamen de bonis et probis tantum, qui fœdus et amicitiam cum Deo promittente et paciscente servant, intelligendum esse. Hæc ergo pax hic promissa, et ab Angelo in Christi ortu decantata, universalis et perpetua viget inter veros Christi fideles, qui Christi regis et doctoris sui institutionem, doctrinam et leges (hæ enim ubique pacem, concordiam et charitatem incul-

cant) sequuntur, de quibus hactenus hic egit Isaias. Hi enim ex Christi sancta disciplina, superbæ, avaritiæ, aliisque pravis animi motibus et cupiditatibus edomitæ, et secum, et cum Deo, et cum aliis hominibus perpetuam agunt pacem, et, si ex necessitate alicui injusto se vel sua invadentem, vel bellum justum moveant, odio abstinent, non alium lædere, sed suum recipere cupiunt: itaque non bellum in se, sed per bellum pacem et justitiam quærunt. Ita Tertullianus et Athanasius supra, et Irenæus, lib. IV, cap. LXVII, et Origenes, lib. V *Contra Celsum*.

Non ergo bella vera et justa, qualia gesserunt etiam piissimi Imperatores, sed ambitiosa, injusta et tyrannica, quibus ex libidine dominandi invadebantur innocentes, hic per Christum Christique legem elidenda et abolenda prædicit Isaias, qualia ante Christum gesserunt Nemrod, Nabuchodonosor, Alexander, Cæsar, aliique Assyrii, Chaldæi, Persæ, Græci et Romani: quorum bella non tam bella quam latrocinia fuere, uti docet S. Augustinus, lib. III *De Civit.* cap. XIII et sequent. Christiani ergo, qui ex libidine dominandi vel ditectendi, aut ex invidia, ne scilicet princeps vicinus nimis magnus et potens fiat, ei bellum iniquum movent, non tam Christiani sunt quam Pagani.

Moraliter, disce hic quantum bonum sit pax et concordia, utpote ob quam Christus in hunc mundum venit. Hoc est quod Angeli Christo nato cecinerunt: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » Ubi τὸ « bonæ voluntatis, » S. Ambrosius et alii nonnulli referunt ad τὸ « hominibus, » hoc sensu, quasi dicat: Pax sit hominibus, non omnibus, sed iis qui sunt bonæ voluntatis; vel, ut S. Leo (serm. *De Nativit. Domini*), pax sit hominibus, quæ scilicet eos faciat esse bonæ voluntatis. Verum quia Græcum εὐδοκία et Hebræum רצון *ratson* in S. Scriptura fere non hominibus, sed Deo tribuitur, et significat Dei gratiam, benevolentiam, beneplacitum erga homines; hinc melius Theophylactus, Euthymius, Nyssenus et alii hunc dant sensum: « Pax sit hominibus, » hominibus, inquam, quos Deus hac gratia, et bona voluntate ac benevolentia sine eorum merito prosequitur, ut det eis Salvatorem talem et reconciliatorem, qui pacem inter homines, Deum et Angelos, inter cælum et terram componat. Sic homines bonæ voluntatis alibi vocantur filii dilectionis, id est filii voliti et dilecti a Deo. Vide dicta *Ephes.* 1, 9. Hac de causa rursus Christus, abiens e mundo, pacem nobis testamento reliquit, nosque in ea sibi suorumque bonorum omnium hæredes instituit, dicens: « Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. » hoc est quod ait Apostolus: « Pax Christi exsultet in cordibus vestris, » *Coloss.* III, 15. Vide ibi dicta. Ita Barnagasius Præfectus exercitus regis Abyssinorum, cum Prætoře Lusitano fœdus initurus, apprehensa cruce nixus genibus: « Quam, inquit, pacem Jesus Christus generis humani re-

demptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos, quæ ejusdem profiteamur cultum et fidem. » Ita noster Maffeius, *Historiæ Indiæ* lib. VII. Alfonsus Aragonum rex dicebat: « Pacem ego dare, non vendere sum solitus: » nolebat scilicet pro pace pecuniam magnam, quam poterat extorquere, a Venetis accipere; sed eam gratis dare. Fredericus III, Saxoniarum Dux, pacis amans, nunas arces aut munitiones condidit, imo conditas ab aliis solo æquavit; nec pecunias congregabat, sed in usus utiles et pios expendebat. Rogatus cur id faceret; respondit: « Ne ego leviter offensus aliquando, arcibus et pecuniis meis confusus, nimis facile vicinos me inferiores bello lacebam, et pacem cum eis violam. » Quod utique facturus non erat arcibus et pecunia, qui belli est nervus, destitutus: sciebat nimirum, quod

Pax optima rerum

Quas homini novisse datum est; pax una triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem,
Et cives æquare potens.

Jovianus Imperator: « Odi, inquit; omne contentionum genus, concordiam autem unice amplector et amo. » Ita Socrates, lib. III, cap. XXI, nimirum:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Ita B. Nazianzenus ob æmulos pacis causa cessit Archiepiscopatu Constantinopolitano: « Si, inquit, propter me orta hæc est tempestas, projicite me in mare; » et ad Theodosium Imperatorem: « Non pecunias, ait, non dignitates ambio, sed ut liberer Episcopatu obsecro; cesset invidia, pacem colant Episcopi, tu maxime in eam rem annitere: sacerdotum bellum comprime, qui barbarorum audaciam compescuisti, maxima imperii tui trophæa una re exorna, nimirum Episcoporum concordia; hoc ego donum a te peto, hoc beneficium ultimum porrige. » Ita Gregorius presbyter in ejus Vita.

Marcus et Marcellianus fratres stipitibus infixi psalmum illum alternis decantarunt: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » Cumque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus, et ambos lanceis confodi jussit. Dicant idem Christiani, hacque concordia et pace Turcas, hæreticos, omnesque hostes superabunt.

Vis etiam Gentiles? Probus Imperator dicebat: « Brevi milites necessarios non habebimus. » Sperabat tantam pacem, ut nihil opus esset exercitu. Hanc mentem utinam Deus immittat omnibus nostri sæculi principibus! Ita Vopiscus.

Croesus, a Cyro captus, hoc argumento bello pacem prætulit, quod « pacis tempore filii sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent filios. » Philo: « Pax, ait, vel cum magno damno conjuncta, melior est bello. Pax maximum bonum est et divinum, quod nullus mortalium præstare potest. » Antoninus Pius acclamabat illam

Bella Gentium fuerunt latrocinia.

Moraliter de bono pacis.

Scipionis sententiam : « Malo servare unum civem, quam mille hostes occidere; » pacem videlicet bello præferens, et in ipso bello sentiens hanc primam oportere esse ducis curam, ut quam minima civium jactura comparetur victoria. Ita Julius Capitolinus.

Otho Imperator cum videret aut deponendum imperium, aut magna civium strage tuendum, statuerat sponte mori, ac amicis et militibus hortantibus ne tam cito de belli eventu desperaret, negavit sibi vitam suam esse tanti, ut hac de causa bellum civile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in Ethnico principe, eoque triginta tres annos nato? Cicero, lib. VII *ad Attic.*, epist. 14 : « Pax vel injusta, inquit, utilior est justissimo bello. » Livius, lib. XXX : « Melior, ait, tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Illa in tua; hæc in deorum manu est. » Quocirca « non ita aliena appetes, ut de tuis dimices. » Nam, ut ait Homerus, *Iliad.* VI : « Mars communis interimit quoque jam perimentem. »

Antisthenes « fratrum inter se concordiam dixit quovis muro firmitus esse munimentum. »

Musonius dicebat nullas nuptias sine concordia esse honestas, nec ullam societatem utilem. Improbos vero concordiam inter se alere non posse : sicut lignum rectum cum curvo, aut duo ligna curva inter se convenire nequeunt.

Isæus, cum Spartani de civitate mœnibus cingenda cogitarent, illud Homeri recitavit : « Scutum hæsit scuto; galeæ galea, atque viro vir. » Et adjecit : « Sic mihi state, Lacedæmonii; et muris cincti sumus. » Ita Philostratus in *Sophist.*

Scilurus, octoginta habens filios masculos, moriturus fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli quasi impossibile recusassent, ipse singula jacula exemit, atque facile confregit omnia, filios admonens his verbis : « Si concordēs eritis; validi invictique manebitis; contra si dissidiis et seditione distrahamini, imbecilles eritis et expugnati faciles. » Ita Plutarchus in *Apophthegm.*

Micipsa rex, moriturus, filios ad concordiam hortatus est hac aurea sententia : « Concordia res parvæ crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur. » Ita Sallustius in *Jugurtha.*

Severus Imperator moriturus vocavit filios M. Antonium et Getam, aitque : « Facite ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite. » Recte monuit : nam alter alterum postea interemit, ipsumque et se cum familia perdidit. Ita Dionysius et Xiphilus in *Vita Severi.*

5. DOMUS JACOB, VENITE; ET AMBULEMUS IN LUMINE DOMINI. — Est vox Gentium conversarum et Christianarum ad Judæos : illa enim cœpit, vers. 3, et hic finitur, ut vult Rupertus, aut potius est vox ipsius Prophetæ Isaïæ, posteros suos Judæos futuros tempore Christi invitantis ad lumen fidei Christianæ, *q. d.* O Jacobæi! o posteri fideles et sancti Patriarchæ Jacob, recipite lumen, id est

Evangelium Christi : nolite in eo cecere Gentibus barbaris et idololatriis : quin potius cum eis et pro eis Messiam vestrum adite, ut ab eo lumine fidei; gratiæ et salutis, æque ac illi, illuminemini (1).

6. PROJECISTI ENIM POPULUM TUUM, DOMUM JACOB. — Vatablus vertit, *projecisti autem*; sed Hebræum **כי** *ki* significat *enim*, non *autem*. Quæres, ejus rei causam det **רו** « enim? » Respondent aliqui : successionis et eversionis Hierosolymæ, de qua egit in fine cap. præcedentis; eo enim hæc pertinere. Verum hoc nimis remotum et durum est : sequitur enim, cap. II, vers. 1 : « Verbum Domini, etc. » Dico ergo, sensus est, *q. d.* Nemo miretur quod ego Isaïas, aut Gentes, quæ antea Deum ignorabant, Judæos quibus solus notus erat Deus ad agnitionem veri luminis, puta Christi; adhortentur dicentes : « Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini, » quia tu, Domine, eos, licet populum tuum, projecisti, id est jam projicere cœpisti, et plane projicies tempore captivitatis Babylonicæ, et omnino tempore Christi : redit enim hic Isaïas ad sua tempora, et suo populo de more concionatur. Causam subdit, scilicet multitudinem peccatorum, puta augurium, obscenitatem, avaritiam, superbiam, idololatriam. Ita Forerius. Unde sequitur,

QUIA REPLETI SUNT UT OLIM, — *q. d.* Uti Judæorum majores et parentes, ita et hi eorum posterii repleti sunt opibus, et consequenter peccatis quæ opes consequi solent, puta idolis, ut vertit Chaldæus (hæc enim sunt olitana et antiqua Judæorum peccata; ut patet ex vitulo aureo, quem adorarunt in Sina), et auguriis, ut vertunt Septuaginta, aliisque quæ sequuntur. Ita S. Hieronymus et alii, et patet ex sequentibus. Pro « ut olim » hebraice est **מקדם** *mickedem*, id est ab Oriente; inquit Lyranus et Vatablus, *q. d.* Repleti sunt magis, divinis et auguribus : augurio enim Orientales erant dediti. Unde Balaam ariolus dicitur habitasse in partibus Orientis, *Numer.* xxiv. Verum nostro Interpreti consentiunt Septuaginta et Chaldæus, qui *mickedem* vertunt, *sicut ab initio*. *Ke-dem* enim significat prius, initium; et quia talis est Oriens, hinc quoque Orientem significat (2).

(1) Phrasi « ambulemus in lumine Domini, » alludi ad ritum celebrandi solemnia festi Tabernaculorum, cum transacto primo festi die, appropinquante nocte, accingere se solerent ad letitiam effusionis aquæ, in qua solemnitate tot accendebantur lampades in eo loco, unde hauriebantur aquæ, ut non esset totis Hierosolymis platea ulla quæ non coruscaret ex ista illustratione, adeo ut omnes urbis incolæ in ea luce ambulare, festique gaudii frui possent, conjectura est Deylingii, *Observat. sacr.*, part. II, pag. 290, docta quidem, sed quam dubito veram esse. (Rosenmuller.)

(2) Syrus, *quoniam repleti sunt ut antea*; Chaldæus, *quia repleta est terra vestra idolis ut ab initio*; Saadias, *populus vester indesinenter quærit viam temporis prioris*. Videtur de illo tempore cogitasse quo præsci Palæstinæ incolæ Chananzæi, idolorum cultores, terram tenuerant. Eadem non dubito Hieronymi sententiam fuisse, ejus hæc sunt verba : « Redditque causas, quare projecit

ET AUGURES HABUERUNT UT PHILISTIIM. — Augurium est divinatio, quæ fit ex garritu aut gestu avium; dicitur enim augurium quasi avigerium: inde augurium extensum est ut significet quamlibet magiam et divinationem, imo et conjectationem; unde ait Cicero, *Philipp. IV*: « O mea semper frustra, verissima rerum futurarum auguria, » id est conjectationes.

PUERIS ALIENIS ADHÆSERUNT. — *Primo, q. d.* Gentibus alienigenis se conjunxerunt in cultu idolorum: ita aliqui. Verum hoc obscurius et alienius est, præsertim cum mox clare eorum idololatriam arguat, vers. 8.

Secundo ergo et melius, Cyrillus cum Septuaginta hæc accipit de matrimoniis, quæ Judæi cum alienigenis contra legem *Exodi xxxiv, 16*, contraxerant, indeque pueros semijudæos et semigentiles procrearant: hi enim pueri erant alieni; id est alienigenæ, quia ex matre alienigena, quibus quasi prolibus suis adhærebant Judæi.

Tertio, proprie et genuine S. Hieronymus, Rupertus, Haymo, et S. Thomas, vel potius Thomas Anglicus, putant Judæos hic reprehendi de nefaria pæderastia, sive sodomia cum pueris: quod peccatum Judæi a vicinis Gentibus didicerunt, illudque apud eos ita invaluit, ut ad hoc mancipia peregrina coemerent, inquit Haymo, idque significat vox « alienis. » Sic Augustus Cæsar, Adrianus, Trajanus, alique fuerunt pæderastæ. Audi S. Hieronymum hic: « In tantum, inquit, Græci et Romani hoc quondam vitio laboraverunt, ut et clarissimi Philosophorum Græciæ haberent publice concubinos; et Adrianus Philosophiæ artibus eruditus, Antinorum consecrarit in deum (uti Jupiter suum Ganymedem), templumque ei

Deus populum suum, domum Jacob, quia repleti sunt, inquit, ut fuerunt in principio, auguribus et somniis, cunctisque sordibus idololatriæ. » Vitringa vertit, *repleti sunt spiritu divinatorio magis quam Orientales*; scilicet qui inter gentes exercebant divinationem, præ se ferebant, se consideri a dæmone, eoque repletos esse, id vero indicari existimat verbo מלא, quasi voce technica qua Prophetæ etiam Israelitici uterentur, cum dicerent se spiritu Jovæ impleri, מלאה, v. g. *Mich. III, 8*; *Job XXII, 18*. Quam interpretationem sequitur et Dathius, qui vertit, *artem divinandi magis jactant quam Syri*. Verum nullo alio loco מלא simpliciter positum, eam quam ei Vitringa adscribit, significationem obtinet. Ludovicus de Dieu verbum istud hic sumendum censet *hauriendi*, notione qua in novi Testamenti versione Syriaca, et in Targumim sæpe occurrit, pro hebræo אש, hinc vertit: Quia hauserunt ex Oriente, scilicet præstigias, artes magicas, etc., minime tamen credibile, verbum מלא hoc solo loco alia significatione usurpari, quam ea qua centies in veteri Testamento occurrit. (Rosenmuller.)

Licet Hebrææ vocis מקדמ *mickedem*, sensus probabilior sit ut olim, sicut ab initio, nihilominus affirmari potest incantationum et præstigiatarum artem ab antiquis Orientis nationibus measse. D. Munster, in opere *De religione Babyloniorum* (Copenhagæ, 1827), asserit unam ex præcipuis partibus doctrinæ secretæ Babyloniorum fuisse *dæmonologiam*, et inde venisse talismata, amuleta, magicas operationes et omnes scientias occultas.

ac victimas et sacerdotes instituerit; et ex eo Ægypti civitas (Antinopolis) et religio nomen accepit. Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi: donec sub Constantino Imperatore, Christi Evangelio coruscante, et infidelitas universarum gentium et turpitudine deleta est. »

Hæc expositio probatur *primo*, quia sæpe in Scriptura legimus de epheborum apud Judæos prostitutione; deque effeminatis, quibus ædiculæ non tantum in urbe, sed et juxta templum ædificatæ sunt a Menelao impio pontifice, ita ut templum quasi in lupanar verterint, ut patet *II Mach. cap. IV, vers. 9 et 12*. *Secundo*, quia hac de causa, *cap. I, 10*, vocavit eos principes Sodomorum, et populum Gomorrhæ. *Tertio*, quia hebraice est, *conglutinati sunt*; et Symmachus vertit, *applause-runt pueris alienis* (1).

7. REPLETA EST TERRA ARGENTO ET AURO. — *Primum* Judæorum peccatum, ob quod a Deo projecti sunt, fuit augurium; *secundum*, pæderastia; *tertium* est hoc, scilicet avaritia et habendi cupido insatiabilis, quæ nusquam opum finem et terminum figit, sed quo plus habet, eo plus habere et accumulare studet.

Moraliter nota: Non dicit, Repletum est cor, sed terra, auro; fieri enim potest ut terra impleatur auro, sed cor avari eo repleti nequit. Non sine causa Plato et Archytas Tarentinus animum hominis cupidi, vasi perforato compararunt, ob insatiabilem et infinitam voraginem appetendi. Totus mundus cor hominis non implet: hujus rei symbolo mundus figuram habet rotundam, cor pyramidalem; figura autem spherica pyramidalis quadrare nequit. Tunc satiabimur, cum Deo fruemur in gloria. « Satiabor, ait vates, *Psal. XVI*, cum apparuerit gloria tua. » Cum igitur exiles et caducæ divitiæ animum non expleant, sed potius irritent et accendant, cur eas tantopere concupiscis? cur quæris thesauros in terra, cum sortem habeas in cælo? pereunt Christi pauperes fame et nuditate, et tu pecuniam, qua illi poterant vivere, in arca recondis. Nonne intelligis te in arca habere inclusam vitam pauperum? Quid dico inclusam, imo sepultam. Quid est arca avari nisi sepulcrum, ubi sepelitur vita pauperum? Cur sepelis eorum vitam, imo tuam et teipsum? Gazophylacium tuum tumulus est tui ipsius. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Non hoc ego dico, sed Christus, *Matth. VI, 21*. Ita Hector Pintus. Vere dixit Apostolus, quod avaritia sit idolorum servitus, et cupiditas omnium malorum radix.

8. ET REPLETA EST TERRA EJUS EQUIS: ET INNUME-

(1) Docti etiam inter Hebræos vertunt, et in scientiis alienorum occupant se, omnia lege divina et præceptis. Juxta alios ad verbum, et in nativis alienorum contenti erunt. Natos more Hebræorum vocat cogitationes et fœturas, q. d. in libris editis ab exteris de auguriis et maleficiis acquiescunt.

Arca avari est sepulcrum pauperum.

RABILES (id est plurimæ, est hyperbole) QUADRIGÆ EJUS. — *Quartum* est hoc peccatum fastus. Vetuerat enim Deus Judæorum regibus et magis populo, *Deut. xvii*, vers. 16 et 18, ne sibi equos et quadrigas multiplicarent, tum ne iis superbirent ad pompam, tum ne in iis; sed in Deo victoriæ spem tempore belli reponerent. Ita S. Hieronymus, Basilius et alii. Vide dicta *Deuteron. xvii*, et *Exodi xiii*, 13. Aliter hæc exponunt Forerius et Sanchez, *q. d.* Ego Deus dedi Judæis copiam auri, argenti, equorum; cur ergo confugiunt ad idola, eaque ab eis expetunt, imo ea in eorum usum convertunt, ex auro quod eis dedi, idola conflant?

ET REPLETA EST TERRA EJUS IDOLIS. — *Quintum* est hoc peccatum Judæorum, scilicet idololatria.

Vers. 9.

9. ET INCURVAVIT SE (idolis) HOMO (plebeius), ET HUMILIATUS EST VIR, — scilicet primarius et princeps, *q. d.* Tam proceres quam plebs colunt idola humiliando se coram illis. Hæc spectant tempora non Christi, sed Isaïæ. Jam enim ab uno ad aliud avolat, jam utrumque miscet Propheta, juxta *Can. IV*. Notat enim S. Hieronymus Judæos post reditum ex Babylone nunquam, ac consequenter nec tempore Christi, sponte et communi consensu idola coluisse, idque prædixit Tobias, cap. ult., vers. 8; itaque reipsa evenisse testantur Talmud Hierosolymitanum apud Galatinum, lib. IV, **xxiii**, et R. Samuel Marochianus ex Judæo Christianus, lib. *De Adventu Messiae*, cap. 1, qui inde concludit, non idololatriam, uti olim, sed cædem Christi causam esse ruinæ et desolationis, quam Judæi in hanc usque diem ubique patiuntur. Calvinus hæc torquet contra cultum SS. imaginum. Censet enim hic damnari omne reverentiæ signum, quod operibus manuum, id est statuis et imaginibus, defertur. Sed errat et fallit impostor. Nam idola hic tantum damnantur, non imagines: quia non hæc, sed illa sunt Gentium dii manibus eorum facti. Ait enim: « Repleta est terra idolis. » Idola enim sunt opera manuum hominum, non tantum materialiter, sed et formaliter; quia non tantum sculpturam vel picturam materiæ, sed et formam, scilicet Dei nomen et numen, ab hominibus acceperunt, cum ex se et in rei veritate nihil sint, ut ait Apostolus, I *Cor.* capite VIII, vers. 4. Hisce ergo incurvari, id est ea adorare latria, nefas est.

NE ERGO DIMITTAS EIS. — Ex zelo hoc ait Isaïas, *q. d.* Perde, Domine, tam scelestos, exscinde idololatrias. Rursum τὸ « dimittas, » pro « dimittes » prophetice accipi potest. Unde Septuaginta personam commutant, itaque vertunt: *Non ergo dimittam eis.* Quasi Deus hic loquatur, et minetur, ac prædicat futuram ultionem, eamque irrevocabilem.

Vers. 10.

10. INGREDERE IN PETRAM, ET ABSCONDERE. — Est sarcasmus, *q. d.* Ob hæc scelera tua, et quia mea monita contemnis, nec poenitere vis, certa

et terribilis te, o Israel, manet Dei vindicta, certum excidium: hoc enim in te vibrabit et fulminabit Deus, ut tuum fastum sternat, ut duram cervicem tuam frangat; quod ut evadas, fugies in cavernas, speluncas et fossas, ibique latitabis, sed non effugies: ibi enim hostes te scrutabuntur, teque trucidabunt, ut si salus ipsa (quod vulgo dicitur) te servare velit, non possit.

Nota: Loquitur de excidio Chaldaico, et captivitate Babylonica, ejusque terrorem, et in ea pavorem Judæorum, graphica hypotyposi hoc versu et sequentibus usque ad 22 describit. Ulterius quoque, scilicet ad excidium Romanorum, et ad excidium futurum in die judicii, quorum illud Chaldaicum fuit typus (qua de causa hæc excidia sæpe permiscet Propheta) acies Propheta pervasit. Vide *Can. IV*. Tunc enim diu latuisse Simonem et alios in fossa humo, testis est Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XVI, qui et lib. I, cap. XII, docet Judæam, utpote confragosam, abundasse speluncis, ad easque Judæos in extrema fortuna confugere solitos, utpote quæ vix ab hoste adiri aut expugnari possent; ubi et earum formam situmque describit: unde et ipse Josephus, capta Jotapata, in puteum et speluncam se abdidit, ex qua ad Vespasianum evocatus et adductus est, ut ipse refert, lib. III *Belli*, cap. XIV. Sic vidua Hectoris, filium abdens in latebras monumenti, ait ei:

Fata si miseros juvant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulcrum.

A FACIE TIMORIS (id est a facie terroris, hoc est terribili) DOMINI (quæ formidinem vobis et toti orbi incutiet): ET A GLORIA MAJESTATIS EJUS, — quæ scilicet gloriosam suam justitiam ostendet in Judæos, cum eos persequetur et occidet per Chaldæos tam fortes, pugnaces et gloriosos milites. Chaldæi ergo hic vocantur « timor » sive terror, et « gloria Domini, » metonymice; quia a Deo missi terrorem incutient Judæis, in eosque gloriosam Dei vindictam exercebunt.

Posset, *secundo*, « timor » hic proprie accipi, *q. d.* Fugite a facie timoris, id est ob timorem et pavorem conceptum ex gloria plena majestatis, quam facies Dei, id est Deus præsens et persequens vos, ostendet in punitione vestri per Chaldæos. Nam « pessimus in dubiis augur timor, » ait Plautus in *Mostella*. Unde et Ovidius, lib. II *De Amore*:

Multa miser timeo, quia feci multa proterve,
Exemplique metu torqueor ipse mei.

Sed prior sensus aptior est, magisque convenit cum τὸ « a facie. »

11. OCULI SUBLIMES HOMINIS HUMILIATI SUNT, — id est humiliabuntur: prophetice enim præteritum

ponitur pro futuro ob futuri certitudinem : patet ex seq. Sensus est, *q. d.* Chaldæi humiliabunt, deficient, calcabunt omnes Judæos tam plebeios quam nobiles et proceres (hi enim vocantur *viri*, sicut plebeii vocantur *homines*) : excidium hoc et calamitas omnes tam parvos quam magnos et elatos comprehendet, tumque solus Deus, hanc vindictam exercens, apparebit potens, terribilis et gloriosus, ipsique antea tumidi et cervicosi Deum ultorem agnoscent, et ante illum supplices incurvabuntur. Unde Septuaginta vertunt : « Nam oculi Domini sublimes, et homo humilis. » Verum vox *Domini* uti non est in Latino, ita nec in Hebræo aut Chaldæo. Causam subdit :

12. QUIA DIES DOMINI. — « Dies Domini » vocatur dies iudicii et vindictæ, quam Deus exercebit per Chaldæos : et allegorice dies extremi iudicii ; tum Deus per Christum severissime et acerrime vindicabit hæc scelera Judæorum, aliorumque impiorum, omnesque superbos prosternet et proteret (1).

13. ET SUPER OMNES CEDROS LIBANI. — Lyranus plane hæc ad litteram accipit de armis aliisque machinis Judæorum factis ex cedris Libani, et ex quercubus Basan, quæ per Chaldæos disjectæ et contractæ sunt. Verum melius alii cedros, quercus, montes et colles figurate et symbolice accipiunt, ut significant regem, proceres et principes, qui honoribus et opibus cæteris eminebant : sic enim hæc accipiuntur *Ezech. xvii, 3*, et alibi. Unde

Nota cum Cyrillo, Chaldæo et Eusebio, lib. VIII *Demonst.* iv, per *Libanum* accipi urbem Hierosolymam, non autem templum, ut vult S. Hieronymus in *Zachar. xi* ; itque *primo*, quia Hierosolyma in vertice montis Sion et Moria, qui est instar Libani, erat posita. *Secundo*, quia in ea multæ erant domus magnificæ, factæ ex cedris Libani. *Tertio*, quia urbs ipsa candido structa lapide, murorum et ædificiorum albicatione nivosi montis Libani speciem a longe spectantibus præbebat. Jam rex et principes in ea quasi in Libano vocantur *cedri et montes*, eo quod gloria et dignitate, æque ac superbia et fastu cæteris eminebant, perinde ac montes vallibus, et cedri aliis arboribus eminent.

ET SUPER OMNES QUERCUS BASAN. — « Basan » fuit regnum Og gigantis, quo occiso Moyses illud dedit Gaditis, Rubenitis, et dimidiæ tribui Manasse, *Josue xii, 4* ; continebat autem partem Galaaditis, Trachonitidem et Gaulanitidem, fuitque uberrima et lætissima pascuis. Hinc Hebræi Basan et Carmelum proverbialiter usurpant, pro ubere

(1) Reges antiqui quemdam diem singuli habebant, qui majori solemnitate celebrabatur, v. g. dies nativitatibus, dies initi principatus, dies quo celebrem victoriam ab hostibus reportarant, etc., et singulari appellatione *dies regis* vocabatur. Hinc per analogiam sæpe legitur in Scripturis, « dies Domini, » etc.

et divite terra : unde arietes, tauri, vaccæ Basan, vocantur arietes, tauri, vaccæ bene saginatæ et pingues, uti vertunt S. Hieronymus et Symmachus. Per « quercus Basan » ergo intellige homines in Judæa, *primo*, fortes, militares et superbos. Ita S. Basilius. *Secundo*, divites et opibus ac deliciis abundantes. *Tertio*, luxui et libidini ignominiose deditos. Unde *Basan* hebraice significat ignominiam : ex opibus enim et deliciis itur in gulam et venerem pudendam. Vide Can. XIX. Hosce ergo omnes Deus per Chaldæos dejiciet et conteret.

15. ET SUPER OMNEM TURRIM EXCELSAM. — Chaldæi enim turres et muros urbis dejecerunt.

16. ET SUPER OMNES NAVES THARSIS. — « Tharsis, » id est maris. Ita Septuaginta, S. Hieronymus et Chaldæus. Nam a Tharsis nepote Japheth, *Genes. iv*, orti sunt Cilices, indeque eorum metropolis dicta est Tharsus. Ita S. Hieronymus in *Quæst. Hebraic. in Genesi*, et Josephus, lib. I *Antiq.* cap. vii. Inde quia Tharsenses et Cilices potentes erant in navibus, et maris domini, hinc et Tyrus, *Isaiæ xxiii*, in Hebræo vocatur *filia Tharsis*, quod Noster vertit, « filia maris. » Late enim olim dominatos fuisse Tharsenses patet ex eo, quod de Holoferne dicitur, *Judith* cap. ii : « Prædavitque omnes filios Tharsis ; » et Solinus, cap. xli : « Cilicia, inquit, antea ad Pelusium Ægypti pertingebat. » Ulterius a parte totum ipsum mare Mediterraneum, tandemque Oceanus et vastum quodvis mare dictum est Tharsis. Sic Jonas fugit in Tharsis, id est ad mare. Sic dicuntur naves et reges Tharsis, id est maris et insularum. Sic classes Salomonis dicuntur navigasse in Tharsis, id est in mare Indicum. Denique hinc chrysolithus lapis hebraice dicitur *Tharsis*, quia est coloris marini, puta cærulei. Significat ergo hic Isaias classes Ægyptiorum et Tyriorum, aliorumque Judæis obsessis opitulari volentium, a Chaldæis fundendas et evertendas fore. Ita Cyrillus. Notat Sanchez naves Tharsis vocari naves magnas, robustas et validas, quæ mare vastum ventisque frementibus obnoxium sulcare possunt. Dicit enim « Tharsis, » ut distinguantur a phaselis papyri, quibus abundant Nilus et Ægyptus, et a navibus piscatoriis, quæ erant in Judæa et Genezareth. Hinc enim dicitur *Psalm. xlvii* : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, » *q. d.* Naves, quantumvis fortes et firmæ, non sustinebunt ultricem et infensam manum Dei. Addit Sanchez per naves Tharsis significari naves magnas regum Judæorum, quæ, ut olim tempore Salomonis, magnam auri vim in eorum ærarium comportarint. Verum cum hæc spectent tempora Sedeciæ et Hierosolymæ obsessæ, quando Judæi fuerunt pauperrimi, ut non videantur habuisse classes tantas : hinc potius ad classes vicinorum Tyriorum et Phœnicum hæc referenda videntur, uti dixi.

18. ET IDOLA PENITUS CONTERENTUR. — Hoc factur

Vers. 16.
Tharsis
quid ?

Vers. 12.
Dies Domini est dies vindictæ.

Vers. 13.

Jerusalem vocatur Libanus ob tres analogias.

Basan regio, quæ?

est primo, et proprie post vastationem Chaldæorum, et captivitatem Babylonicam, ut dixi vers. 9. Secundo, id factum est post Christum sub Theodosio seniore Imperatore, qui edicto publico non tantum Judæis, de quibus hic proprie agitur, sed et Gentibus per totum orbem idololatriam sustulit, ut patet lib. X, XI et XII *De Paganis*, Codicis Theodosiani.

Tertio, et plenissime, id fiet in die iudicii; tunc enim impii fugient in speluncas et cavernas a facie iræ Dei, ut sequitur, dicentque « montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. »

Vers. 20.

20. QUÆ FECERAT SIBI UT ADORARET TALPAS ET VESPERTILIONES (1). — Ita Ægyptii aliique stolidi homines olim crocodilos, simias, feles, scarabæos, talpas, mures, id est eorum imagines et idola, pro diis coluerunt, ut fuse docet S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. IV, cap. VIII et XI. Aliter S. Hieronymus. Idola, inquit, metaphorice, et per sarcasum vocantur talpæ et vespertiliones; quia æque ut talpæ et vespertiliones oculis et sensu ac mente carent. Forerius quoque per talpas et vespertiliones, qui sunt quasi alati talpæ, ideoque lucifugi et tenebrarum amantes, significari putat diabolium, qui est princeps tenebrarum, ut sagittet in obscuro rectos corde.

Moraliter talpæ sunt terreni.

Moraliter, talpæ sunt homines in terrena et in ventre abjecti, quales sæpe erant idololatræ idola sua imitantes. Scriptum est enim: « Similes illis fiant qui faciunt ea. » Vidi in Collegio Lovaniensi hortulanum sæcularem, qui vocabatur talpa horti nostri, eo quod perpetuo terræ pronò pectore et corpore incumberet, eam fodiendo, serendo, sarriendo, vellendo, rigando, etc. Pari modo qui bonis terrenis semper inhiant, talpæ sunt.

Vespertiliones, lucifugi et amphibii.

Vespertiliones sunt qui amant tenebras, quique sunt amphibii, id est aliquid a spiritualibus, aliquid a carnalibus participant. Sic Varro: « Factus sum, inquit, vespertilio; neque in muribus plane, neque in volueribus sum. » Vespertilio enim dicitur quod vespere evolet: unde alas habet et volat, quod ei cum muribus non convenit; sed animalia parit, non ova, in qua re non cum volucrum, sed cum murium natura congruit. Secundo, vespertilio fœtus admotos uberibus lacte nutrit, cum volucres cibum in os pullorum inserant. Tertio, habet dentes, quibus carent volucres. Quarto, caput habet simile muri, atque alas non ex plumis, sed ex membranis: est ergo mus alatus. Hæc adapta hominibus vagis et variis, qui nec piscis sunt nec caro, nec cœlestes nec terreni, sed participium ex utroque.

Quæcirca pulchre S. Basilius hic dæmonem ejusque asseclas comparat vespertilioni. Nam hic lucem, inquit, fugit, et dæmon est lucifuga. Secundo, hic pro alis membranulam habet carneam, et

dæmon incorporeus quidem est, sed nullo Deo accensus desiderio alis provolat: verum materialium rerum affixus desiderio et intabescens, carnis instar concretioris obduruit. Tertio, hic est volatile et quadrupes; infirmus pedibus et volatu: sic et dæmon neque angelus est, neque homo, qui vires mentis, et animi peccando debilitavit. Quarto, hic habet dentes, quibus carent aves: et dæmon appetens est vindictæ, qua carent Angeli. Quinto, hic fœtum parit, non ova; et dæmon occisime malignæ suæ operationi finem imponit. Qui igitur venerabundi procidunt dæmonibus, allegorice dici possunt vespertiliones. Hucusque S. Basilius.

21. ET INGREDIETUR SCISSURAS PETRARUM. — Re- Vers. 21, petit et inculcat id quod dixit vers. 10, quia terribile est, ut percellat auditores. Ita sæpe vindictam Dei, et memoriam novissimorum concionatores inculcent populo.

22. QUIESCITE ERGO AB HOMINE, CUJUS SPIRITUS IN Vers. 22, NARIBUS EJUS EST (1). — Pro *spiritus* hebraice est, נְשָׁמָה *nescama*, id est *halitus*. Est conclusio et epiphonema totius capitis, estque prophetia de Christo, inquit Origenes et Hieronymus, et veteres Rabbinii. Ad Christum enim quasi ad scopum avolat et revolat Propheta, juxta Can. IV, q. d. Cum hoc capite vaticinatus sim Christum erecturum Ecclesiam, quasi montem et domum Domini; quodque ipse subvertet omnem Judæorum statum et Synagogam: hac de causa serio vos moneo et præcipio, ut quiescatis a vexando et occidendo Christo, qui secundum carnem quidem est homo fragilis, ait S. Hieronymus, animamque humanam et halitum habet, quæ naribus respirat (ut habent Septuaginta), æque ac alii homines (hinc *Threnor.* IV, 20, Christus vocatur « spiritus, » id est halitus « oris nostri »), sed secundum divinam naturam et majestatem excelsus, vel, ut hebraice est, ipsa

(2) « Cujus spiritus, » etc. Hebraismus est altero relativo redundante, pro *in cujus naribus est anima, sive spiraculum vel status*, id est ab hominibus quorum vita consistit in aspiratione et respiratione, qui spiritum vitalem per nares hauriunt; qui, si comprimat, protinus pereunt aeris inopia. *Quid enim reputationis est ipse? vel, in quo æstimatus est? vel, quanti æstimandus est, q. d. nihili.*

Forerius vehementer impugnat istam interpretationem, mirando si homines christiani ac boni litteris non mediocriter instructi malint cum perfidis Judæis judaizare, quam cum orthodoxis Christianis recte sentire et interpretari. Nam quid, quæso, inquit, præcessit de fiducia in hominis auxilium? Cum P. Berthier respondemus hunc versum ad sequentia pertinere, debuisseque ab eo sequens caput incipere, ac si dicat: Desinite confidere in hominibus mortalibus qui nullarum sunt virium, si cum Deo conferantur, sed Deum timete et in illo confidite. Babylonios et Assyrios timetis: quanto magis Deum timere debetis; nam ecce, nisi respueritis, ablaturus est, etc., cap. III, 1. Sensus iste magis ad litteram pertinere nobis videtur, quam interpretatio Origenis et S. Hieronymi, qui ad Christum versiculum istum referunt, et addunt Septuaginta, vel qui illorum versionem transcriperunt, hunc versum prætermisisse ut Judæis faverent.

(1) Antiqui populi, cum aliqua calamitate pressi fugam capessere cogebantur, Deorum suorum statuas secum asportare solebant.

celsitudo est et sublimitas (de quo mox). Christus enim maxime est is qui, ut dicitur vers. 19, surget « percutere terram, » scilicet in die iudicii : ipse etiam, qua Deus omnem illam vastitatem quam prædixi a vers. 10 ad 22, per Chaldæos Judæis inducet. Hunc sensum indicat versio Arabica Alexandrina, quæ sic habet, *a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit ut arguat terram de homine* (id est pro homine, propter hominem) *qui olfacit ventum* (odorem, aerem, flatum) *naribus suis; quia cum quo* (vel in quo) *mensuratur?*

Spiritus in naribus significat furorem. Nota : *Tò* *cujus spiritus in naribus ejus est*, non tantum significat Christi humanitatem, itemque longanimitatem et patientiam, sed etiam magnanimitatem, iram, indignationem et vindictam. Hebræum enim *אף* *aph*, id est *nasus et furor*, id sæpe significat : furor enim naso flammante sæpe se prodit. Hinc dicitur II Reg. xxii : « Ascendet fumus de naribus ejus; » et Martialis, Ne

Fumantem nasum vivi tentaveris ursi :

et de equo Virgilius, lib. III *Georgic.* :

Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus iguem.

Quod S. Job, cap. xxxix, vers. 20, ait : « Gloria zarium ejus terror; » sic et Plautus ait : « Fames et mora bilem in nasum conciant. » Sic et « spiritus » sæpe furorem significat, ut *Isaiæ* xxx : « Spiritus ejus velut torrens inundans; » et *Judic.* viii, 3 : « Et requievit spiritus eorum, quo tuebant contra eum. » Sensus ergo est, *q. d.* Nolite persecui Christum, quia esto sit mitis et humilis, est tamen et magnanimus, læsaque ejus patientia fiet furor. Idem ait *Psalm.* ii : « Apprehendite disciplinam (hebraice *osculamini*, vel *adorate filium*) nequando irascatur Dominus, et pereatis. » Ita Sanchez, et Delrio, *adagio* 139, et Luisius Legionensis, in *Cant.* vii : « Quiescite, inquit, ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, hoc est ab homine magni multique spiritus, qui præditus est animo magno et excelso. Nam, ut sequitur, excelsus est ipse. Nasus enim significat excandescen-
tiam, item gravitatem majestatemque vultus, quæ oritur ex spirituum fervore et multitudine. Creber

enim et multus spiritus magni animi indicium est, » ut patet in equo, Hoc valde appositum est.

Alii aliter vertunt. Chaldæus prorsus contrarie ita vertit, *cessate vobis, ne subjiciamini homini cum factus fuerit terribilis, cujus spiraculum in naribus ejus est; quia hodie est vivus, et cras non est; et quasi nihilum reputatus est ipse.* Et versio Arabica Antiochena, *abstinetes vos ab homine, cujus halitus in naribus ejus : ipse autem est velut vas.*

Arias Montanus vertit, *quiescite ab Adam*, scilicet veteri imitando, ut novum et celestem Adamum, scilicet Christum, induatis, *quia in quo reputatus est ipse, q. d.* Quia Adam vetus apud Deum et Sanctos nullius est pretii.

Leo Castrius vertit, *nolite fidere homini*, scilicet Cæsari, dicentes : « Non habemus regem nisi Cæsarem; » quia ille, utpote homo, nullius est pretii, ille etiam habet spiritum in naribus, id est iram : quia vos puniet et evertet. Sic etiam exponunt Judæi, nisi quod ipsi per hominem non Cæsarem, sed regem Assyriorum aut Ægyptiorum intelligant.

QUIA EXCELSUS REPUTATUS EST IPSE. — Pro *excelsus*, hebraice est *במה*, quod per *dages* et *segol* jam legunt *במה* *bamme*, id est *in quo*. Ita et Chaldæus vertit et Aquila (idque fecit in odium Christi, ait S. Hieronymus), quin et Septuaginta. Verum, ut recte docet S. Hieronymus, tunc sensus non cohæret; quid enim est dicere : Quiescite ab homine, quia in quo reputatus est ipse? id est quia nullius est pretii. Nemo enim sic aliquem laudat : Cave ne offendas eum, quia ipse omnino nihil est. Hoc enim insulse diceretur; unde infert S. Hieronymus non esse legendum *bamme*, sed *במה* *bama*, id est excelsum, altitudo, sublimitas : Christus enim, qua Deus, est ipsa celsitudo et majestas divina.

Christus est bama, id est ipsa celsitudo.

Symbolice, S. Gregorius, XXXI *Moral.* cap. xii : « Redemptoris, inquit, nostri spiritus esse in ejus naribus dicitur; ut videlicet scientia illius in præscientia designetur : quia quæcumque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante sæcula ex divinitate præscivit. » Unde subdit : « Quia excelsus reputatus est ipse, ac si diceret : In inferioribus ventura desuper præscivit, quia ad ima de celestibus venit. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prophetat excidium Judæorum per Titum et Vespasianum ob occisum ab eis Christum, ita tamen ut pleraque quæ hic dicit, adaptare sibi possint Judæi qui erant tempore Isaicæ, hæcque ab eo audiebant. Secundo, vers. 8, causam excidii assignat, scilicet peccata populi, et principum stuporem ac fraudem. Tertio, vers. 16, aliam dat excidii causam, scilicet procacem et superbum ornatum feminarum, quas proinde decalvandas, ac funibus et ciliciis vestiendas prædixit.

1. Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem, et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ; 2. fortem et virum bellatorem, judicem, et prophetam, et ariolum, et senem; 3. Principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici. 4. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. 5. Et irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. 6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua. 7. Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi. 8. Ruit enim Jerusalem, et Judas concidit; quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. 9. Agnitio vultus eorum respondit eis: et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: vae animæ eorum! quoniam reddita sunt eis mala. 10. Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit. 11. Vae impio in malum! retributio enim manuum ejus fiet ei. 12. Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. 13. Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos. 14. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra. 15. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum? 16. Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant. 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. 18. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, 19. et torques, et monilia, et armillas, et mitras, 20. et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, 21. et annulos, et gemmas in fronte pendentes, 22. et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus; 23. et specula, et sindones, et vittas, et theristra. 24. Et erit pro suavi odore fætor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. 25. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. 26. Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit.

1. ECCE ENIM (1). — Vox « enim » significat, hæc pendere et connecti præcedentibus, *q. d.* Monui ut

(1) In hoc capite idem argumentum ac in præcedenti, Propheta prosequitur, scilicet depingit imminuentem a Deo vindicæ:

Primo, populi diminutionem ex rerum ad vitam perti-

quiescatis a Christo, eumque non vexetis, nec occidatis: sed scio vos contrarium facturos, Chris-

gentium penuria, vers. 1; *secundo*, imperii decrementum, ex administratorum defectu, et imperantium ineptitudine, 2-4; *tertio*, reipublicæ perturbationem ex bello civili et anarchia futuris, 5-7; *quarto*, Hierosolymæ rui-

tumque occisuros; quare prædico vobis quod Titus et Vespasianus in ultionem sanguinis Christi evertent et succendent Jerusalem. Ita S. Basilius, Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, et passim veteres. Non ergo loquitur Isaias de excidio Judæorum per Babylonios, uti vult Haymo, sed per Romanos, idque usque ad cap. vi, ut patet ex toto Isaiæ discursu et connexione: quæ enim cap. seq. ait de germine Domini magnifico, de libro vitæ, de ablutione peccatorum in spiritu iudicii et ardoris: et cap. v, de cantico dilecti et patruelis, manifestum est ex communi interpretum sententia ad Christum, Christique et Ecclesiæ tempora pertinere. Prædicat itaque hoc caput quod Deus a Judæis ob cædem Christi auferet, primo, omne robur, omnesque validos milites; secundo, omnem annonam, ut fame tabescant; tertio, prophetiam et Prophetas; quarto, senes et principes; quinto, consiliarios; sexto, architectos; septimo, viros pios et spirituales; denique omne lumen S. Scripturæ, omnem religionis cultum, omnem gratiam et favorem Dei. Ex quibus fiet ut Dei ope destituti, Judæi cæci et miseri inopesque consilii in suum exitium ruant, utque diro bello, fame et peste vexentur, cædantur et in servitutem abripiantur. Ita Patres jam citati.

DOMINUS EXERCITUUM AUFERET, etc., VALIDUM ET FORTEM. — Hebraice, *validum et validam*, aut sustentatorem et sustentatricem: ergo *fortem* est femininum, *q. d.* Deus auferet a Juda validos duces, quales olim fuerunt Moses, Josue, Gedeon; et validas ducissas, quales fuerunt Debhora, Jahel, Judith. Ita S. Basilius. *Secundo*, solet Scriptura per utrumque genus, scilicet masculinum et femininum, significare universitatem rei, ut *Eccle. II*:

nam, ex insolenti contra Deum, et impudenti contra honestum oppositione merito secuturam, 8-9; quinto, justorum ab impiis discretionem ac faustam illis, infaustam his eventuram, non solum propter populi peccata, sed propter principes et prælatos avaros, rapaces, imbelles et incurios, qui populo oppressionis, dedecoris simul et deceptionis causa erunt, 10-12; sexto, judicialem actionem qua Deus exprobrat potentioribus oppressionem infirmorum, 14-15. Decernit feminis pœnas earum superbiam, vanitatem et luxum oppositis malis castigaturas, 16-24, et prædicat virorum plurimorum cædem, et hinc nascituram tum habitatorum pro urbibus, tum maritorum pro conjugii paucitatem, 25-26; nec non et vers. 1 cap. seq.

Porro licet in promptu sit fateri cum doctissimo nostro Interprete has prædictiones ad excidium Judæorum per Romanos pertinere, ea est nobis cum P. Berthiero sententia, non pauca tamen ex his prædictionibus etiam tempore captivitatis Babylonicæ adimpleta fuisse. Enimvero ruique ex lib. IV *Reg.* et Jeremiæ prophetiis manifestum erit Nabuchodonosor omnes iudices, bellatores, fabros et inclusores secum abduxisse, *Jerem. xxiv, 1*, a Josia rege usque ad captivitatem ultimam quatuor pene pueros sensu et agendi ratione parvulos regnum Juda obtinuisse, ut videre est in cap. *xxii Jerem.*; gravibus dissensionibus Jerusalem et Judæam durante bello cum Babyloniis jactatas fuisse, et ultimorum regum rapinis et exactionibus populum vexatum fuisse.

« Cantores et cantatrices, » id est, omne musicorum genus; *Jerem. vii*: « Vox sponsi et sponsæ, » id est omnis nuptialis plausus; sic hic *validum et validam*, id est, omne præsidium, omne firmamentum. Ita Sanchez. Per « *fortem*, » animosum æque ac robustum et potentem intellige. Recte enim dixit Lampridius: « Nemo provocare audeat, aut facere injuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum ac promptum ad vindicandum. »

AUFERET, etc., OMNE ROBUR PANIS, ET OMNE ROBUR AQUÆ, — q. d. Deus auferet a vobis omnem comestum, ut fame et siti pereatis; auferet a vobis quidquid alimento aut munimento esse poterat; inducet sterilitatem et famem. Quam id verum fuerit, patet ex Josepho et Hegesippo, qui docent in obsidione Hierosolymæ per Titum matres præ fame devorasse suos filios.

Nota hebraismum. Hebræi enim « robur, » et, ut hebraice est, *יָדָא misan*, id est fulcrum, baculum, scipionem vocant panem, cibum, et omne id quod hominem in vita sustentat et fulcit; hinc panis vocatur *virga* vel *baculus*, *Levit. xxvi, 26*; *Ezech. iv, 16*, et cap. *v, 16*, et cap. *xiv, 13*. Sicut enim baculus senile corpus incurvum et pendulum, ita panis vitam nutantem et deficientem sustentat. Alii Patres hæc aliter explicant, *q. d.* *Auferam robur panis*, id est, faciam ut panis vester careat robore, succo, vi alendi, sitque evanidus et exsuccus, nec famem expleat: sic et faciam ut aqua sitim non restinguat. Sic enim Deus etiamnum evanida facit poma et fructus nascentes in Sodoma. Et sic segetes sæpe immissa aurugine facit intus aridas et evanidas.

Allegorice, in eadem obsidione et deinceps usque nunc abstulit Deus a Judæis panem spirituale, id est primo, veram intelligentiam S. Scripturæ. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo. Unde Philo Carpathius in *Cant. cap. iv*: « Notandum, inquit, quod robur panis prius dicitur, et postea robur aquæ auferetur; quia dum gravia dicta S. Scripturæ non perquiruntur, nec fiunt ut mandantur, paulatim a scientia decidet mens, ut aliquando vel levia non intelligat. » *Secundo*, panem Eucharisticum et aquam baptismi. Ita Cyrillus et Basilius quem vide: pulchre enim docet quomodo Deus in pœnam peccatorum auferat usum sacramentorum. *Tertio*, omnia charismata spiritualia. Ita Chrysostomus, oratione 3 *Contra Judæos*. Sic jam eadem magna ex parte abstulit a Græcis, Afris, Syris, etc., olim sanctitate et doctrina florentissimis, quos ob peccata posterorum permisit in manus Turcarum et Saracenorum tradi.

2. PROPHETAM. — In excidio enim Hierosolymæ per Chaldæos, inquit Sanchez, pauci fuerunt prophetæ, scilicet solus Jeremias. Unde Azarias ait: « Non est in tempore hoc princeps, et dux, et Propheta, » *Daniel. iii, 38*. Addit Sanchez, dici quod deerunt Prophetæ, quia, licet futuri essent, tamen po-

Panis est scipio vita.

Allegorice.

vers. 2.

pulus eos non erat auditorus aut curaturus, perinde ac si non fuissent. Dicitur enim non fuisse, quod frustra fuit, quod inutile fuit. Si enim medicina non sanet, dicimus nullam medicinam fuisse; si nullum consilium utile fuit, consiliarium defuisse; si rex sit puer aut stultus, regem non esse. Verum dico Isaiam loqui de excidio Judæorum, non per Babylonios, sed per Romanos: tunc enim nullos habuerunt Prophetas; neque enim Jesus ille clamans continue: « Væ Hierosolymis! » teste Josepho, lib. VII *Belli*, cap. XII. Propheta fuit, sed omen potius et portentum.

2. ET ARIOLUM. — Hebræum **קוֹסֵם** *cosēm*, tam in bonam partem capi potest, ut significet conjectorem, sagacem et prognosticum, qui ex observatione præterita causarum, effectuum et signorum de futuris vel arcanis conjectat, ita accipiunt Septuaginta vertentes *εγγαστιν*, Vatablus et alii recentiores, quam in malam, ut significet ariolum vel divinum, ita S. Hieronymus et alii veteres, *q. d.* Deus auferet a Judæis omnem prophetiam, tam veram quam falsam, omnesque prophetas tam veros quam mendaces.

Vers. 3.

3. PRINCIPEM SUPER QUINQUAGINTA, — qui quinquaginta militibus præest. Habebant enim Judæi pentaeontarchos, sicut nos habemus hecaontarchos sive centuriones, qui centum militibus præsunt, *q. d.* Auferet Deus a Judæis duces et capitaneos, ut non sit inter eos qui possit ducere bellum, et aciem instruere. Hinc Epaminondas, teste Plutarcho, dux Thebanorum et Bœotorum, moriens suis suasit quavis conditione cum hostibus pacem componere: videbat enim inter Bœotos nullum esse, qui quasi dux sapienter bello præesse posset; cum eo ergo cœpit et desiit imperium Thebanorum. Verum est illud: « Formidabilior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo, » uti inquebat Chabrias, et ex eo Philippus rex, apud Plutarchum.

Bellum pendet a duce.

ET HONORABLEM VULTU, — qui sua maturitate, gravitate et auctoritate aliis præsit, eosque dirigat, *q. d.* Non erit qui possit labenti patriæ succurrere ullo modo, scilicet nec oraculo divino, ut Propheta; nec sua auctoritate, ut vir honoratus; nec humano cōsilio, ut senex; nec bellico stratagemate, ut quinquagenarius; nec machina mathematica, ut solent architecti; nec sua eloquentia, ut prudens eloquii mystici: licet enim Judæi a Romanis obsessi contra eorum machinas et consilia eruptiones crebras, vix tamen machinas moliti sunt, teste Josepho. Rursum machinæ inutiles eis fuerunt, nec excidium avertere poterunt, quin urbe et arce Sion munitissima potiti sint Romani. Unde non ait, architectum, sed « sapientem de architectis » auferam.

ET PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI. — « Prudens eloquii mystici, » ait Hieronymus Prado, est vir pius et pollens dono orationis, qui suis laudibus quasi incantationibus divinum furorem sopire et mansuafacere possit.

Secundo; et aptius, est is, qui pollet facundia, *Secund.* gratia et efficacia persuadendi, verbi gratia, discordes conciliandi, iratos leniendi, refractarios flectendi, improbos emendandi: tales enim in republica sunt necessarii, ut tumultus et seditio- nes plebis imminente hoste dissipent et sedent. Unde S. Hieronymus: « Prudens, inquit, eloquii mystici, sive, ut Theodotion vertit, *prudens incantator*; et, ut Aquila, *prudens susurrator*, est vir eruditus et exercitatus tam in lege et Prophetis quam in Evangelio et Apostolis: qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, et ad integrum mentis statum reducere, dum et scortator recipit castitatem, et ganeo frugalitatem, et quondam avarus dat eleemosynam. » Hoc eloquium vocatur « mysticum, » tum ex modo, quia mystice, id est arcane et latenter, in animam irrepit, eamque flectit: tum ex fine et fructu, quia mysticum, id est spirituale, motum et conversionem, ac mystica dona et virtutes in anima operatur. Septuaginta vertunt, *prudentem auditorem*, id est prudentem censorem, qui scilicet auditis consiliariis aut Prophetis, possit inter bonos et malos, inter veros et falsos discernere. Sic enim Propheta uno dicente, alii audiebant et censebant, I *Cor.* XIV, 29; et hic etiam censor posset intelligi per prudentem eloquii mystici, id est prophetiæ, qui scilicet habet donum discretionis spirituum, ut quasi expertus et peritus prophetiæ, possit genuinam a spuria internoscere.

Nota hic modum quo ruunt respubiicæ pueriente Deo, scilicet deficientibus sensim Præfectis civilibus et Ecclesiasticis, atque viris probis et sapientibus, qui alios verbo et exemplo dirigant. Sagaciter dixit auctor Politicus: « Quinque declarant rempublicam bene aut male habere, *primo*, ædes precum; *secundo*, curia; *tertio*, schola; *quarto*, forum; *quinto*, horologium; prout hæc bene aut male habent et reguntur, ita et respubiica. » Sic Carolus V Imperator, dum urbes lustraret, solebat respicere ad horologium, num illud bene dirigeretur, ad templum, et ad plateas, an mundæ essent et compositæ. Idem tria P quærere solebat: Ecquis in urbe esset Prætor, Pastor, et Præceptor. »

Moraliter ruit respubiica deficiente prudentia Receptorum.

Porro viros sapientes et prudentes esse aurigas reipubiicæ, atque prudentiam esse columnam vitæ humanæ censuerunt etiam Gentiles. Plato dixit « beatas fore respubiicas, si aut philosophi eas regerent, aut reges philosopharentur. » Philosophiam intellexit non speculativam et aridam, sed practicam, puta politicam, et œconomicam et ethicam. Euripides aiebat « unum consilium rectum magnam militum manum vincere. » Anthis- tenes: « Prudentia, ait, est murus tutissimus, qui nec collabatur, nec proditur. » Architas: « Sicut, inquit, exercitum ducit imperator, gubernator navigia, mundum Deus, animam ipsa mens: sic ipsam felicitatem præsentis vitæ temperat regitque prudentia. » Nam, ut docet Isocrates: « Pru-

dentis est præteritorum meminisse, caute agere præsentia, futura prospicere et cavere. » Hæc enim sunt tria munia prudentiæ, quibus servatis, felix erit tam respublica quam vita humana. Quod ergo oculus est in corpore, hoc est prudentia et vir prudens in republica. Quocirca « rex vel princeps carens prudentia est quasi cyclops exoculatus, » qui nihil ex judicio, sed omnia facit ex phantasia et libito cum tumultu, ideoque infelicitatem reipublicæ et sibi conciliat. Ita Plutarchus. Vere dixit Politicus: « Plura in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis et manibus geruntur. » Ex adverso: « Omnia, inquit Tacitus, inconsulti impetus cepta initiis valida spatio languescunt; et: Consilia callida et audacia prima specie læta, tractatu dura, eventu tristia sunt. »

4. ET DABO PUEROS PRINCIPES, — *q. d.* Non tantum auferam senes, Prophetas, et prudentes principes, sed pro eis dabo principes pueros, non tam ætate, quam imprudentia, stultitia et moribus, puta temerarios, fatuos, imbelles, lascivos, dissolutos. Hæc enim ingens reipublicæ est pœna, ut patet *Eccles. x, 16*. Romæ in porticu tabernæ meritoriarum (ex qua sub nativitate Christi miraculose oleum fluxit), in qua olim veterani et emeriti milites alebantur, hæc carmina litteris aureis inscripta erant:

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat:
Defunctis patribus successit prava juvenus,
Cujus consilio præcipitata ruis.

De talibus ait Lucanus, lib. VIII:

Ætas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
Ardua quippe fides robustos exigit annos.

Nicomachus Vopiscus apud Vopiseum, in Tacito Imperatore: « Dii, ait, avertant principes pueros et patres patriæ dici impuberes, quos ad consulatus dandos dulcia, et circuli, et quæcumque voluptas puerilis invitet. » Fingunt Poetæ Phaëtonem puerum a patre Sole petisse currus ejus aurigationem. Cui pater: « Magna petis, Phaëton, et quæ non viribus istis conveniunt. » Extorsit tamen; at quantum orbi dedit imperitus incendium! Verissime *Eccles. cap. x, vers. 16*: « Væ tibi, terra, cujus rex puer est! » nimirum « Heroum filii noxæ. » Tales pueri fuerunt insipientes et indocti Scribæ et principes sacerdotum ac populi: rursus factiosi illi Zelotæ, qui suis temerariis seditionibus et cædibus magis urbem et cives suos perdiderunt, quam Romani, teste Josepho, lib. V et VI *Belli*. Idque Judæis contigit justo Dei judicio, eo quod ipsi Barabbam seditiosum Christo regi gloriæ prætulissent, ut ait S. Athanasius, serm. *De Passione et Cruce*. Sic hoc sæculo Angli schismatici, quia Pontifici subesse noluerunt, justo Dei judicio caput non tantum reipublicæ, sed et Ecclesiæ habuerunt, primo, hominem lai-

cum Henricum VIII; secundo, non virum, sed puerum Eduardum; tertio, non marem, sed feminam Elizabetham. Annon hæc monstra sunt quæ mirabitur posteritas? annon propudia ævi nostri?

Secundo, per « pueros » hos accipi possunt Titus et Romani pæderastæ, ut mox dicam: his enim Deus dedit, id est puniendos tradidit, Judæos, sicut rei dantur carnifici; licet Sanchez exponat « dabo, » id est prædico dandos esse.

ET EFFEMINATI DOMINABUNTUR EIS. — Notat libidinem et pæderastiam principum tam Judæorum quam Romanorum, puta Titi Judæorum domitoris, quem Suetonius inter exoletorum greges ponit, et Adriani Imperatoris qui scortum masculinum (ut vertit hic Aquila) fuit Trajano; uti eidem Adriano fuit Antinous, ut patet ex Dione et Xiphilino in *Vita Adriani*. Rursus Romanos eo tempore fuisse effeminatissimos, patet ex Juvenali, *satyr. 6 et 7*:

Turpi frugerunt secula luxu
Divitiæ molles, etc.

Hinc consequenter et animo fuerunt non virili, sed effeminato, id est muliebri, timido, infirmo et pusillanimi.

Secundo, Septuaginta et Theodotion pro « pueros » vertunt, *ἐμπαίικται*, id est illusores: Hebraice enim *לללל olel*, venit ab *לללל alal*, id est illudere, deturpare. Judæi enim capti a Romanis fuerunt illusi, sicut ipsi Christum illuserant. Ita ex S. Athasio et Procopio Leo Castrius. Denique « effeminati » sunt *γυναικοκρατούμενοι*, id est feminarum imperio subditi, qui ab iis et a filiis reguntur. Celebre est illud de puero Diophanto dictum: « Diophantus Græciæ imperat; » quia ejus pater Græciæ imperabat, mater patri, filius matri.

5. ET IRRUET POPULUS, VIR AD VIRUM, — *q. d.* Ex eo quod pueros et effeminatos habeant principes, sequetur quod nec ætatis, nec gradus ullus servabitur ordo, sed sine respectu puer contra senem, plebeius contra nobilem, quisque contra proximum suum consurget. Ita factum est sub Tito; nam, ut docet Josephus, urbs Jerusalem a factiosis illis Zelotis, de quibus vers. 4, in tres partes fuit divisa: quidam enim arcem et templum; secundi inferiorem, tertii superiorem urbis partem occupaverunt. Ita S. Hieronymus. Hæc discordia est certa ruina imperii; sicut e contrario unio ejusdem est conservatio: « Nulla enim vel minime natio potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus se ipsa consumpserit, » ait Vegetius.

6 et 7. VESTIMENTUM TIRI EST: PRINCEPS ESTO NOSTER, (*q. d.* Singuli dicent ad singulos ditiores, vel honestius vestitos: Tu vestimentum habes pulchrum, et splendidam togam: ergo opes et annonam habes: sis itaque princeps noster (1)). RUINA

(1) Pallium apud Hebræos habebatur sicut hocus apud Orientales, ut vestimentum honoris quo homo liber a servo et a vili plebecula secernebatur.

AUTEM QUAEC SUB MANU TUA. (Est hypallage, *q. d.* Manus tua sive sub hac ruina, id est fulci manu republicam nostram labantem ac desperatam, ne corrumpat; at ille dicit) : NON SUM MEDICUS (non possum mederi tanto malo; morbus hic et infirmitas reipublicae meam artem, ruina haec meas vires et opes superat, non possum eam fulcire aut restituere. Ita fere Cyrillus. Hoc est quod prudenter monuit Adrianus Imperator. « In caducum parietem ne inclina »), ET IN DOMO MEA NON EST PANIS, — quem in populum famelicum distribuam, ut ejus fami succurram, eumque sustentem. Pro *medicus*, hebraice est, חוֹבֵשׁ *chobes*, id est chirurgus, qui vulnus obligat. Alludit ad illud cap. I : « Plaga tumens non est circumligata, *q. d.* Civitas haec non tam est respublica quam nosodochium; magis ergo indiget chirurgo (qualis ego non sum) quam principe et gubernatore : nolite ergo me eligere principem. Ita Sanchez. Pro « non sum medicus, » Septuaginta vertunt, *non ero princeps*; Pagninus, *non ero dominus*; alius, *non ero curator*; Pintus, *non ero ligans*, sumpta translatione a chirurgo; Chaldaeus, *non sum dignus ut sim caput aut princeps*. Hinc collige principem sive Praesulem esse caput et medicum, et chirurgum; ac debere non solum subditos justis praecipis ligare, sed etiam eorum vulneribus et animi languoribus mederi. Quocirca rex a Graecis vocatur ἰατρίης ἀναξ, id est medela, pharmacum et sanitas, uti notant Plutarchus et Eustachius, et ex his *Lexicon*.

Alciatus, *emblemata* 143, depingit principem subditorum incolumitati studentem, specie anchorae circumvoluto delphino, qui teste Plinio, lib. XVIII, tempestatem praesagit, et mari a ventis agitato, ac navi anchoram humano quasi instinctu dirigit, ut tutius figatur. Sic enim studere debet princeps, ne turbetur respublica tempestate bellica.

Monet hic S. Hieronymus vulgus fere ditiores in pastores et principes deligere, non sapientiores, nec aptiores; ac proinde ab eo electos non debere acquiescere ejus iudicio, nisi se pares oneri cognoscant.

8. RUIT ENIM JERUSALEM (Verba sunt non excusantis se a principatu, sed Prophetae, *q. d.* Ideo nemo volet suscipere regimen Judae et Jerusalem, quia ipsa ruet et exscindetur. Causam excidii subdit) : QUIA LINGUA EORUM ET ADINVENTIONES EORUM CONTRA DOMINUM, — *q. d.* Quia suis verbis maledicis et blasphemis, suisque pravis machinationibus et operibus Deum irritarunt. Nam Christum vocarunt daemonicum, vini potorem, Samaritanum, eumque aequae ac Apostolos ejus persecuti sunt, et occiderunt.

9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDIT EIS, — *q. d.* Apertio et intuitus vultus contestantur ipsos hanc ruinam, hoc excidium meritos esse. Queruntur ipsi rogantque : Quomodo tantum supplicium obvenit nobis? cur tantis malis obruimur? quocumque tantum peccatum nostrum cladem hanc meruit? Respondet Propheta : Non longe eant, intuean-

tur tantum invicem vultus suos, ibi agnoscent scriptamque legent causam et culpam suam : perfricta enim explicata impudensque frons respondebit, dabitque luculentum procacitatis et nequitiæ eorum testimonium; nam vultus loquitur scelera, aliis licet omnibus tacentibus : in vultu enim eorum videtur lascivia, arrogantia, fastus, etc.; facies eorum clamat eos turgere superbia, ira, odio, libidine. Unde explicans subdit : « Peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt. » Idem ait, *Jerem. cap. III* : « Frons meretricis facta est tibi, noluit erubescere. » Id de feminis clare explicat, vers. 16, dicens : « Elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, » *q. d.* Explicata frons illis dat procacitatis testimonium. Viros similes fuisse feminis hic significat, nec est dubium : scelera ergo in facie lucentia significant eos hanc cladem esse promeritos. Unde S. Hieronymus non tam phrasim quam sensum reddens, explicat dicens : « Ipsi sua recepere peccata. » Simili modo ait *Jerem. cap. XIV* : « Peccata nostra responderunt nobis. » Et *Osee, cap. V* : « Respondebit arrogantia Israel in faciem ejus. » Hebraicum הִכָּרַת *haccarat* verti potest primo, « agnitio, apertio, denudatio, » uti vertit Noster, a radice נָכַר *nachar*, id est agnovit, cognovit. Secundo, alienatio, *q. d.* Alienatio et exterminatio vultus, sive facies eorum pallida et lurida, significat fraudes et scelera eorum. Unde Septuaginta vertunt, *confusio vultus eorum restitit eis*. Tertio, simulatio, fictio, fucatio vultus eorum respondit eis : *nachar* enim in hitpael, scilicet הִתְנַכֵּר *hictnacker*, significat alium se fingere; ignotum se simulare, alienum se gerere : tam enim viri quam feminae, vers. 16, fucant facies suas, et quasi larvam faciei inducunt : nam se bonos, amicos, justos, castos esse simulant, cum sint toti alii, scilicet mali, inimici, fraudulentissimi, incesti; haec ergo scelerum larvae testantur eorum reatum, vocantque eos ad merita supplicia. Quarto, valde apte *haccarat* verti potest, *durities, asperitas, impudentia*; hanc enim vultu praeferebant. Unde R. Jona ait arabice *haccar*, significare duritiem, a radice Hebraea הָכַר *hachar*, id est ostendit se asperum; durum, impudentem; vultu fuit effronte, et quasi stupente. Ita recentiores aliqui.

Nota hebraismum, quo abstracta ponuntur pro concretis : « agnitio vultus, » id est peccata agnita in vultu, quae Septuaginta vocant confusio-nem; quia pudorem, praesentem et aeternum pariunt : sic timor vocatur res timenda; laus, res laudanda; custodia vocatur praecipuum custodiendum; auditio, res audita; visio, res visa.

Tropologice, disce vultum esse simulacrum mentis, idque non tantum naturale, sed et supernaturale. Ita sanctus ille Episcopus in *Vitis Patrum*, lib. III, num. 166, in sacra Communione per facies singulorum accedentium videbat et eorum animos : facies enim peccatorum videbat esse nigras ut carbones, et sanguine repletas; facies vero

Hebraicum
haccarat
significat
quatuor.
Primum.
Secundum.

Tertium.

Quartum.

justorum videbat candidas et claras. Idem vidit B. Paulus Simplex ibidem, num. 167. Sequor editionem ultimam nostri P. Heriberti. Vere dixit Sapiens, *Eccles. viii, 1* : « Sapientia hominis lucet in vultu ejus. » Ratio est, quia mens et sensus vigent in capite et vultu.

Vere Ovidius :

Heu! quam difficile est crimen non prodere vultu!

Et Claudianus :

Frons exspirantis præportat pectoris ignes.

Et Seneca :

Vultusque ipsi scelera truculenti ferunt.

Et idem :

Vultus loquitur quodcumque negas.

10. DICITE JUSTO QUONIAM BENE. — Ab injustis eorumque pœna, per antithesin convertit se ad justos, eorumque præmium; sicut enim illi malorum operum, ita hi ex bonorum operum semine metunt fructus gaudii, gloriæ et exultationis, tum in hac vita, tum maxime in futura. Unde pro *quoniam bene* hebræum est *כי טוב* *ki tob*, quod verti potest, *quoniam bonum*, id est jucundum et suavissimum fructum adinventionum suarum comedit. Adinventiones in Scriptura vocantur studia, machinationes et opera tam piorum quam impiorum. Sicut enim pii student adinveniendis novis modis bene agendi, recte vivendi, et placendi Deo: ita impii student adinveniendis novis voluptatibus, novisque modis se ditandi, se extollendi et placendi mundo.

Septuaginta pro *אמר* *imru*, id est dicite, legunt *אסרו* *isru*, id est ligate; unde vertunt, *allegimus justum, quoniam inutilis nobis est*, quasi sint verba Judæorum volentium Christum capere, ligare et occidere.

Pro *comedet* hebraice est *comedent*; unde S. Hieronymus sic exponit, *q. d.* Vos qui lecturi estis hanc prophetiam, dicite justo, scilicet Christo, hoc est, laudate Christum, quod bene Judæos everterit, feceritque eos comedere fructum suarum iniquitatum. Verum hic sensus arctior et alienior est. Primus ergo sensus genuinus est, et Hebræum « comedent, » per syllepsin Hebræis usitatam distributive exponendum est, *q. d.* Singuli comedent, quisque eorum comedit. Ita Vatablus.

VÆ IMPIO IN MALUM! — id est in malitiam omnem effuso; unde hebraice est, *væ impio malo*, vel *maligno*! Ita Vatablus. *Væ* in Scriptura interitum significat tum præsentem, tum æternum, *q. d.* Et præsens et æterna damnatio manet omnes impios. *Secundo*, Adamus sic exponit: « *Væ impio in malum*, » scilicet destinato! quia nimirum a Deo destinatur ad gravia tormenta; ut idem sit cum eo quod præcessit: « *Væ animæ eorum! quoniam reddita sunt eis mala.* »

RETRIBUTIO ENIM MANUUM (id est operum quæ sunt manibus), FIET EI. — Est metonymia.

12. POPULUM MEUM EXACTORES SUI SPOLIaverunt. — Dedit internam ruinæ reipublicæ causam, scilicet peccata populi; nunc dat externam, quam meruerunt eadem peccata populi, scilicet principes et Prælatos avaros, rapaces, imbelles et incurios.

Per « exactores » ergo intelligit principes et magistratus, qui non tam prætores erant quam prædatores populi; item Prælatos et doctores, puta Scribas et Pharissæos; hi enim avari exigebant plurima a populo, adeo ut juberent filiis negare alimoniam parentibus, dicereque *corban*; id est munus hoc dedicatum est Deo, dandum est Scribis et sacerdotibus, *Marci vii, 11*.

Pro *spoliaverunt* hebraice est *מעולל* *meolel*, id est racemarunt, id est usque ad ultimum pene obolum spoliarunt: racematur enim vinea, cum, peracta vindemia, pauculæ uvæ, quæ hinc inde remanserunt, studiose rursus perquiruntur et colliguntur: sic enim hi populi opes compilabant et deglubebant.

MULIERES (id est mulierosi Scribæ, et effeminati Romani) DOMINATÆ SUNT EIS. — Vide dicta vers. 4. Sic ait Poeta, *Ἀχαιῆς, οὐκ ἐτ' Ἀχαιοί*, Achivæ estis, non Achivi; et Virgilius, lib. IX *Aeneid.*: « O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, » *q. d.* Ex viris degenerastis in feminas.

Secundo, proprie « mulieres, » id est uxores Scribarum et Pharissæorum dominatæ sunt eis, puta Scribis, maritis suis, utpote mulierosis, et consequenter Judæis cæteris. Sic Cato dixit: « Mulieres regunt nos, nos senatum, senatus Romam, Roma orbem. » Est hæc ingens plaga. Mulier enim in suo dominatu est impotens, insipiens, avara, exactionesque magnas imperat ad sui et familiæ ornatum: suaque agit non tam ex ratione ac judicio, quam ex affectu et libidine, vel ex impetu et præcipitatione, Ita Adamus.

POPULE MEUS, QUI TE BEATUM DICUNT, IPSI TE DECIPUNT. — Monet populum ex sinceræ compassionis affectu, ut agnoscat se decipi a suis Scribis; *q. d.* Sacerdotes et Scribæ, ob dona et oblationes templo sibi que factas, dicunt te beatum et benedictum a Deo: sed fallunt, teque a lege, a virtute, a Deo, a benedictione et salute avertunt et abducunt: non enim student tuis, sed suis commodis et avaritiæ; utque suas bursas impleant, docent te vana et impia, tuisque peccatis adulantur, omniaque per tua dona et sacrificia se expiaturus pollicentur; sed falso. Deo enim hæc dona et cæremoniæ non placent, neque eum placant; sed id facit contritio et charitas ex corde puro, ac fides; quæ per dilectionem operatur.

Moraliter, nota hic quantum malum sit adulatio. Vere dixit Sapiens, *Prov. xxvii, 6*: « Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. » Plato in *Phædro* « adulatorem vocat bestiam humano generi pestilentem, » et in *Meneæno* eum ait esse « similem præstigiatori, »

quippe qui quocumque latrone deterior, a nobis rationem et iudicium abripiat, imo ipsa Circe crudelior sit et perniciosior: ea enim exteriora hominum in bruta transformabat; at adulator suis lenociniis interna transmutat. *Secundo*, ut umbra quidquid facis imitatur; si stas, stat; si curris, currit: sic adulator quocumque te veritas sequitur; si taces, laudat tuum silentium; si loqueris, celebrat et admiratur tuam orationem; si gaudes, fingit se gaudere; si doles, se dolere. Rursum sicut accrescente umbra, aut decrescente, corpus ipsum nec augetur, nec minuitur: sic nec laudibus meliores sumus, nec detractioe deteriores. Hinc Antisthenes, teste Laertio, cuidam dicenti: « Multi te laudant; » respondit: « Quid mali feci? » Censebat philosophus ille turpe esse a turpibus laudari, atque a cæca et temeraria multitudine celebrari. *Tertio*, Plutarchus, opusc. *De discret. adulator. et amici*, « adulatorem vocat patriæ et virtutis inimicum. » Diogenes, « adulationem vocat mellitum laqueum; » Epictetus in *Enchirid.*, adultores comparat corvis. Nam « ut illi mortuorum oculos, sic adultores vivorum animos ac mentes perdunt et excæcant. » *Quarto*, adultores similes sunt heliotropio herbæ, cujus est tantus amor solis, ut cum ipso circumagatur, et quocumque se verterit sol, eodem flectat cacumen; noctu etiam, tanquam desiderio solis, contrahat florem: sic gnathones se regibus et populo per omnia accommodant, eorumque vitis applaudunt. Quare Agesilaus rex Lacedæmoniorum dicebat eos insectandos esse, non secus quam propriæ vitæ insidiatores.

ET VIAM GRESSUUM TUORUM (vitæ tuæ rationem, statum, salutem, et felicitatem tum privatam, tum publicam) DISSIPANT. — Omnem enim metum mali, hostis et excidii tibi adimunt, ut securius obdormias in peccatis, et obruaris ab hoste imminente; dicunt enim, ait *Jerem.* cap. vi: « Pax, pax; et non erat pax. » Hæc enim est causa, cur Judæi traditi sint Chaldæis, scilicet quia, ut dicitur *Thren.* cap. ii: « Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. » Sic moraliter peccator, qui omnem metum seponit, qui misericordem tantum Deum agnoscit, et non timet eundem malorum vindicem, nec se suppliciis æternis obnoxium cogitat; hic plane dissipat gressus suos, et pronus in omnia mala tam pœnæ quam culpæ ruit; qui enim Deum timet, in via salutis pedes ponit, juxta illud *Psal.* cxxvii: « Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Qui sine timore est, non poterit justificari, » *Ecclesi.* cap. i, vers. 28. Unde, ut tam proceres quam populum ad timorem excitet, dat stimulum dicens:

Vers. 13.
et 14.

13 et 14. STAT AD JUDICANDUM DOMINUS (loquitur proprie de iudicio, non extremo et universali, sed Judæorum proprio, quod exercuit in excidio per Romanos, etiam) CUM SENIBUS POPULI, — id est

contra senes sive senatores populi, quos ante vocavit « exactores, » eos scilicet juste puniendo, et occidendo, vel captivando, eo quod injuste oppresserint populum, eumque deceperint. Ita S. Hieronymus.

Nota: Senatores vocantur « senes, » quia senes esse debent maturitate, sapientia et probitate; ideoque senes ætate solebant et solent deligi in senatores: senes enim juvenibus sunt maturiores et sapientiores.

Alii exponunt, *q. d.* « Cum senibus, » id est cum Patriarchis, Prophetis et Apostolis veniet Dominus ad iudicandum populos.

VOS ENIM DEPASTI ESTIS VINEAM MEAM. — Vos; o Scribæ et Pharisæi, qui debebatis esse custodes vineæ, id est Synagogæ, sive populi mei, eam depasti estis, spoliando eam bonis suis. Septuaginta vertunt, *combussistis*: utrumque enim significat Hebræum בָּעַר *biar*, *q. d.* Vos causa fuistis, cur Jerusalem excinderetur et combureretur a Romanis.

15. QUARE ATTERITIS (sensim absumitis) POPULUM MEUM, ET FACIES PAUPERUM COMMOLITIS? — id est macie et inedia attenuatis et deficere facitis, ut ait Amos, cap. viii, vers. 4. *Secundo*, pro « commolitis, » Vatablus vertit, *colaphis cæditis*; alii, *contunditis*; Septuaginta, *confunditis*, *q. d.* Ignominia, verbis asperis, quin et pugnis afficitis et affligitis pauperes. Pauperes hic tum quosvis accipe, tum maxime pauperes Christi, puta Christi discipulos et Apostolos; de his enim cæsis a concilio ait Lucas, *Act.* v, 41: « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. »

Hæc sibi etiamnum dicta putent principes et Prælati; quin et Ecclesiastici, qui bona Ecclesiæ in suos luxus aut veneres absumunt.

16. PRO EO QUOD ELEVATÆ SUNT FILIÆ SION. — A viris et principibus transit ad uxores et filias, quæ ut pretiose se ornarent, viros fecerunt exactores compilatoresque pauperum, quorum ipsæ sudore ac sanguine ad lasciviam comptæ luxuriabantur et splendebant. Taxat tria mulierum, maxime puellarum, vitia: *primum*, est superbia; *secundum*, procacia; *tertium*, libido. Superbiam significat « elevatæ, » *q. d.* Ut viris eminerent, et ab omnibus spectarentur, subiciebant sibi cothurnos; ut iis proceræ incederent, et quasi reginæ aut deæ quædam esse viderentur.

Tria
puella-
rum
viti-
a.

ET AMBULAVERUNT EXTENTO COLLO. — Superbissime cervicem extenderunt, instar gruum, vel cycnorum: habitus hic est insolentis et procacis.

ET NUTIBUS OCULORUM IBANT, — obliquando oculos; oblique scilicet oculum jaciendo in juvenes et amasios, et petulanter eis adnectando quod illicis et meretricis certissimum est signum, ait S. Chrysostomus: « Tactus, joci, nutus, sibili morituræ virginitatis sunt principia, » inquit S. Hieronymus in *Vita S. Hilarionis*. Recte S. Basiliius hasce feminas comparat basilisco; quia uter-

Puella **est basiliensis.** que suo aspectu viros inficit et necat. Vide S. C. Ty-sostomum, hom. 27 in illud *Matth.* : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, etc. » Chaldæus vertit, *stibio linitis oculis ibant, et crinibus circumvolutis, et pedibus suis provocantes, quod Noster vertit, « et plaudebant. »*

Plaudebant quintupliciter. Primo. ET PLAUDEBANT. — Id est vestibus sericis inter se, et ad pavimentum allisis sonitum edebant; ut significarent se sericis vestiri. Hebræum enim $\eta\psi\tau$ *taphaph* videtur significare concussum et strepitum vestium, qualis esse solet ab eo textu serico, quem inde vulgo *taffetas* vocant (1).

Secundo. *Secundo*, alii Hebræum *taphaph* vertunt, tympanizabant, ibant pulsando tympanum; uti faciunt pueri in dedicatione et nuptiis. Hebræum enim $\eta\tau\eta$ *toph* significat tympanum. Ita Vatablus.

Tertio, et proprie, « plaudebant, » id est incedebant molli motu, fracto incessu, et supposione; quasi tripudiantium; ut in choris fieri solet. Unde Virgilius : « Pars pedibus claudunt choreas. » Item puerorum, quorum proinde gressus hebraice vocatur $\eta\psi$ *taph*, *Ezech.* IX, 6.

Quarto. *Quarto*, « plaudebant, » id est excitabant sonitum crepitaculorum, inquit Vatablus; sic enim compti juvenes et puellæ novis et crepitantibus calceis et crepidis incedentes sese ostentant : et forte hæ calceis addebant crepitacula et cymbala; hæc enim mollem Gabinium calceis suis addidisse testatur Cicero in *Pisonem*.

Quinto. *Quinto*, « plaudebant, » inquit Sanchez, id est margaritarum in calceis collisione, sonitum edebant; nam id fieri solitum docet Plinius, lib. IX, cap. xxxv : « Tunc, inquit, crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum, affectantque jam et pauperes, lictorem feminæ in publico unionem esse dictitantes. » Ubi dicit sonantes has margaritas feminis esse pro lictoribus; quia sicut lictores præcedentes submovent turbam, significantes adesse consulem : sic margaritarum sonus significabat adventare nobilem heroinam : ut ipsi ab omnibus de via decederetur.

ET COMPOSITO GRADU INCEDEBANT, — pompaticæ ad majestatem et elegantiam concinnato gressu incedebant : forte etiam ad calceorum seu cothurnorum soleas gerebant clavos capitatos interpunctos eo ordine, ut terræ cum sonitu impressi signa quædam amatoria relinquerent. Ita ex Clemente Alexandrino, lib. II *Pædag.* cap. XI. Sanchez.

17. DECALVABIT DOMINUS VERTICEM FILIARUM SION,

(1) Hebraice, *streptum crepitaculorum excitant*, sive quia in pedibus ferunt ornamentum cui affiguntur tintinnabula, sive quia juxta alios in pedibus ornantur ornamentis instar squamarum factis. Et revera ex viatorum relationibus constat nobiles matronas in orientalibus partibus, usque in hunc diem, pedum malleolos annulis circumdare, qui catenis aureis inter utrumque pedem revincti sunt, eo fine ut gressus breviores et inter se æquales fiant, quod incedendi genus quamdam mollitiem et affectationem sonat.

— *q. d.* Hanc superbam Sioniarum libidinem puniet Deus maxima earum ignominia; ut scilicet præcipuum earum ornamentum, puta capillitium, tollat et decalvet; idque primo et potissimum, per hostes Chaldæos; hostes enim solent captivos decalvare. Unde Septuaginta pro $\eta\psi\tau$ *sippach* per *sin*, id est « decalvabit, » legentes $\eta\psi\tau$ *schippach* per *schin*, ancillas faciet, vertunt, *humiliabit dominatrices*. Rasura enim et decalvatio erat habitus debellatorum, indeque servorum et servarum, etiam apud Gentiles. Ita de Scipionibus dictum :

Sub quorum titulis Africa tonsa jacet.

Secundo, a Deo, qui caput hoc gloriosum superbaram percutiet justa pœna, scilicet alopecia, tineæ et lepra, quæ non modo capillis; sed et carnis caput nudabit : hoc est enim *sippach*, per *sin*.

Addunt alii *tertio*, eas decalvandas ab onere et pondere, quod assidue in capite gestabunt captivæ : sic enim milites Nabuchodonosor, comportantes onera ad expugnationem Tyri, habuerunt caput decalvatum, et humeros depilatos, ut ait *Ezech.* cap. xxix. Quantum feminæ ornamentum (in quo proinde ita sibi placent) sit capillitium, et quanta deformitas calvitium, docet Apuleius, lib. II *Metamorph.*, et ex eo S. Ambrosius, libro VI *Hexam.* cap. ix : « Si, inquit Apuleius, cujuslibet eximie et pulcherrime feminæ caput capillo spoliaveris; licet illa cœlo dejecta, licet omni gratiarum choro stipata, et toto cupidinum populo comitata, et balteo suo cincta, cinnama fragrans, et balsama rorans, calva processerit, placere non poterit. » Huc spectat Ovidii :

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

ET DOMINUS CRINEM EARUM NUDABIT. — Pro *crinem* hebraice est $\eta\tau$ *pat*, id est angulum, puta comam; quæ ad angulos frontis est, et artificiose crispatur, in qua maxime superbiunt juvenes et puellæ. Alii *pat* vertunt *nates*, *q. d.* Quæ longis vestibus incedebant, suoque syrmate verrebant humum, jam quasi ancillæ et servæ curtis incedent vestibus, ut partes verendas vix contegant. Sic ait Isaias, cap. xx, vers. 4 : « Minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, etc., discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. » Sic filii Ammon servis David vestes usque ad nates præciderunt.

Tertio, alii *pat* vertunt *partes pudendas*. Unde Septuaginta vertunt, ἀποκαλύψει τὸ αἰσχρῶμα αὐτῶν, *revelabit ignominiam earum, q. d.* Deus filias Sion per Chaldæos nudabit, nudasque exponet iis ad ludibrium irridendas et violandas; hoc est enim quod lamentatur Jeremias, *Threnor.* v : « Mulieres in Sion humiliaverunt. » Aut, ut alii, *q. d.* Faciet Deus, ut filiæ hæ patientur menstrua, et sanguinis profluvium, ut obscœna illa sanguinis illuvie fœdent calceorum ornamenta.

Vers. 18. 18. ORNAMENTUM CALCEAMENTORUM. — Septuaginta ex Hebræo addunt και τὰς κοσμήσεις, quod alii fimbriatas vestes, alii reticulos et cincinno vertunt. Cum Sanchez sequor S. Basilium, qui, κοσμήσει, αἰετὶ sunt ea ornamenta, quæ assuta sunt extremæ oræ vestium, aut ex ea pendent, qualia sunt tintinnabula, et mala punica, quæ ex tunica Pontificis pendebant; eaque forte hæ superbæ feminæ sacrilege in sua veste imitari voluerunt.

LUNULAS. — Erant monilia corniculata instar lunæ; hæc vel in capite, quasi diademata, vel in collo, vel in veste gestabant (1).

Vers. 19. 19. MONILIA. — Monile ornamentum gutturis est, quod ex collo pendet; ita dictum, quod admoneat virtutis: olim enim ob aliquod insigne facinus donabantur monili.

ARMILLAS. — Sunt brachialia, sive circuli et catenulæ ornantes brachia: dicuntur armillæ ab armis; quia olim humeri cum brachiis vocabantur *armi*.

MITRAS. — Sunt vela, vel lascivæ byssinæ capitis, gemmis et bracteolis aureis tremulisque collucetes. Hebræum רֵעָלוֹת *realot* significat quoque *venena*, idque apposite: nam, ut ait S. Hieronymus, «si vir aut mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit; et si nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum; quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.»

Vers. 20. Discriminabilia triplicia. 20. DISCRIMINALIA. — Sunt instrumenta ad discernendos et segregandos capillos, itemque ad eos torquendos et crispandos, puta calamistra; aut, ut Lyranus, pectines. *Secundo*, Sanchez, discriminabilia, ait, sunt vittæ, fasciæ et teniæ; quæ capillos in cirros et plocamos discriminant, et ita discriminatos conservant, sustentant et illuminant, quæ vulgo crinalia vocantur: quod genus excolendi cæsariem Juvenalis appellat *ædificare caput*, et Nazianzenus περιγῶν κεφαλῆν, id est *turrificare caput*, seu in turris similitudinem attollere. *Tertio*, S. Hieronymus, *Ezech. xxiv, 17*, Hebræum פְּאָרִים *pearim* vertit coronas: illis nobiles et divites a plebeiis discriminabantur.

PERTISCELIDAS. — Sunt armillæ tibiæ sive pedum, inquit Chaldæus. Dicuntur *Periscelides* a περι and σκέλος, q. d. *Circa tibiæm*.

MURENULAS. *Murenulæ* sunt torques sive catenæ flexuosæ ex auro; cum scilicet ex eo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contextitur, inquit S. Hieronymus *ad Marcell.* Hebraice vocantur קִשּׁוּרִים *kiscurim*, id est colligationes. Vocantur *murenulæ* a murena pisce, quia ejus adinstar ex auro et argento virgatæ et varie-

(1) In Oriente, mulieres de collo pensile ornamentum gestabant, lunæ crescentis cornue referens (Jahn, *Biblica Archeolog.* t. II). Idem lunare signum quod Mahumetam in fanorum suorum turriculis affigunt, et ad camelorum suorum collum alligant, probabiliter originem ducit a cultu quo populi ex quibus orti sunt, cæli reginam prosequabantur. Lege de isto cultu apud Arabes et apud plurimos Orientales populos, Seldenii *Observat. de Diis Syris*.

gatæ orbiculantur, et cingunt collum; vel potius imum brachium, sive carcum. Ita S. Basilium et Pollux interpretantur Græcum ψέλλα, quod habent Septuaginta. Vide et de iis Clementem Alexandrinum, lib. II *Pædag.* cap. XII.

OLFACTORIOLA. — Sunt myrothecia, sive pyxides perforatæ et ocellatæ, quæ odores suos, et suaves halitus per foramina sua expirant. Unde hebraice vocantur *domus animæ*, id est halitus. Sanchez per *domus animæ*, intelligit vasa, in quibus feminæ domi servabant unguenta, quibus mensam, lectum aut vestes aspergebant; quale fuit alabastrum S. Magdalenæ, quæ eo fracto effudit unguentum super caput Christi; quale et habuit meretrix illa dicens *Proverb. vii, 17*: «Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo (2).»

INAURES. — Sunt circuli aurei, vel argentei, qui cum gemma ex aure dependent. Inaures primo adhibitæ sunt, ut essent amuleta aurium contra incantationes; inde enim hebraice vocantur לַחֲשִׁים *lchasim*, a mussitando: sed exinde in ornatum et delicias abierunt. Sic et annuli, qui primum a Prometheo ignominia, ut est in fabulis, nunc honoris causa gestantur. Ita Hyginus in *Prometheo*, et ex eo noster Sanchez (3).

21. GEMMAS IN FRONTE PENDENTES. — «Usque hodie, inquit S. Hieronymus *in Ezech. xvi*, inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus.» Unde Theodoretus vertit ἐπιρῖνον, id est ornamentum nasi: et hoc significat hebraice נֶזֶם *nezem*. Alii proprie intelligunt gemmam, vel anulum nasum perforantem, et ex eo pendentem, qualem gestant nonnulli Indi. Sed hoc barbarum est et invenustum (4).

(2) Juxta Chardinum, mulieres in Perside ad collum suspendunt pyxidulas odoramentis refertas, sicut nostræ in manu tenent lagunculas liquidis odoribus plenas.

(3) Hebraicum verbum quod S. Hieronymus per «inaures» reddit, *incantationem* significat, forsitan eo quod mulieres illis ornamentis contra imprecationum et incantationum præstigia aures præmunierint, deinde etiam ornarint. Amuleta vocabant, vel gemmas vel membranas variis characteribus et signis superstitiosis conspersas, et inter ornamenta etiam mulierum Hebræarum reperiabantur. Apud Arabes, mulieres parvulum serpentem a collo dependentem inter ubera super pectus eodem sine portabant. (S. Clementis Alexandrini *Pædag.* lib. II.)

(4) Quamvis istud ornamentum genus barbarum et invenustum nostro Interpreti videatur, attamen doctor Jahn, in *Archeologia biblica*, tom. II, plurium viatorum relationibus adducit, qui affirmant in quibusdam Orientis regionibus, mulieres sibi nares perforare, ut anulum vel circulum aureum inserant, ex quo gemmula pretiosa dependet. Idem constat ex Pietro della Valle, *Itineribus*, tom. I, epist. 17, ut videre est apud Lowht in annotationibus ad cap. III *Isai.*, et ex Samuel Burder, qui in opere cui titulus: *Oriental customs*, in annotatione ad vers. 11 cap. II *Proverb.*, post allata Harmer et Chardini testimonia, ipse refert nullam fere juvenulam vel mulierem in Arabia sive in Perside vidisse, quæ narim sic perforatam non habuerit. Porro si hæc ornamentum species ut antiquissima in Arabia obtinebat, difficile est eam a mulie-

VERS. 23 22. MUTATORIA. — Nobiles et divites sæpe vestes mutant, unde varias habent vestes mutatorias : estque hoc opulentiae et lautitiae signum. Adde, « mutatoria » esse vestes pretiosiores, quæ raro ad pompam induuntur, ut foris se ostentent, ac statim ut domum quis redit, exuuntur. Sic enim Romanorum vestis domi erat synthesis, foris toga. Unde Septuaginta has vestes mutatorias vocant περιπόρφορα, id est prætexta purpura, quæ Romanis laticlavie vocabantur.

PALLIOLA. — Palliolis hisce etiamnum nobiles matronæ utuntur, præsertim in itineribus : hæc Judæarum erant pretiosa et superba.

LINTEAMINA. — Erant vela candida et pellucida, quibus pectus, vel femur, vel totum corpus lascive ostentabant in conviviis et tripudiis. Unde Septuaginta vertunt : *Laconica pellucida*. Laconicæ enim virgines dictæ sunt φαίνομηίδες, quod nudum femur in incedendo ostenderent. Ita S. Basilius.

ACUS, — scilicet crinales aureæ et argentæ, quæ ad speciem gestabantur in capite, quibus capilli dividebantur, et ne rursum diffluerent fibulabantur. Audi Martialem.

Tenuia ne madidos violent bombycina crines,
Figat acus madidas sustineatque comas.

Acus ergo hæ non erant calamistra, quibus crispabantur capilli, sed longæ et crassæ erant acus, quibus crines et caput ornabantur. Ita S. Hieronymus et Isidorus, lib. XIX, cap. xxxi.

23. SINDONES (1). — Hebraice est סַדְנִים *sedinim*, unde Latinum « sindones, » inquit Forerius. Ita vocat lintea velamina, vel pepla extima delicatissima et subtilissima, qualia apud nos gerunt viduæ nobiles ex tela Cameracensi. Septuaginta significant has sindones fuisse tinctas purpureo, violaceo et coccineo colore. Causam reddit S. Basilius, quod scilicet hæ feminæ superbæ sicut in aliis, sic in hoc quoque habitum sacerdotalem sacrilege imitari vellent. Pontifex enim pro toto universo oraturus induebat tunicam ex purpura, hyacintho, bysso et cocco contextam, ut hisce coloribus quatuor elementa mundi, pro quo orabat, repræsentaret, ut dixi *Exod. xxviii, 5*. Fuit etiam hyacinthinus iste color, uti et coccineus, famosarum fere mulierum, puta impudicarum : uti jam est conjugatarum, et amoris conjugalis symbolum.

VITTAS. — Hebraice צַנְפוֹת *iseniphot*, id est cirdares et tias. Ita Forerius et Hebræi. Cidarid, seu tiara erat pileolum capitis rotundum, non

ribus Hebræis non inductam fuisse, præsertim cum Prophetæ eis in crimen vertunt imitari in vestimentis suis nationum vicinarum morem. Confirmatur hæc sententia vers. 22, cap. xi *Proverb.* : « Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua; » et vers. 12, cap. xvi *Ezech.* : « Et dedit inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, » etc.

(1) « Et specula. » Mulieres Hebrææ Ægyptiarum more in manibus parvulum ex metallo speculum tenebant. (Jahn.)

acuminatum, quo sacerdotes et pontifices utebantur. Vide hic rursum simias ornatus pontificii.

THERISTRA. — Vestes æstivæ, ita dictæ, quod ἐθεσι, id est in æstate, ab æstu et caumate protegabant corpora feminarum. S. Hieronymus ait fuisse palliola, quale habuit Rebecca, et nunc habent feminæ in Arabia; palliola, inquam, sine villis levia et subtilia, quæ non gravant, nec calefaciunt, uti sunt nostra bombycina. Forerius tamen putat theristra fuisse vela capitis : hæc enim hebraice vocantur סַדְנִים *reddidim*, quam vocem S. Paulus, I *Cor. xi, 10*, vertit, ἐξουσίαν, id est potestatem; quia velamen in capite feminæ signum est eam subesse potestati et dominio viri. Unde per *theristra* possunt quoque accipi galeri quibus mulieres contra solem utebantur, uti nunc peregrinæ et itinerantes galeris latioribus ex stipula utuntur.

24. ET ERIT PRO SUAVI ODORE (ex musco et aliis aromatibus) FOETOR, — ex illuvie et sordibus captivitatis et carceris. Rursum Judæis post Christi mortem naturalis et peculiaris inest foetor; unde Ammianus Marcellinus, lib. II, vocat *foetentes Judæos*, additque eos idcirco Marco Imperatore gravi fuisse fastidio; et Martialis, lib. IV, epigram. *ad Bassam* : « Oles, inquit, o Bassa! quod jejunia sabbatariorum, » id est Judæorum : dicit « jejunia, » quia jejunos stomachus gravem emittit anhelitum. Hunc hæreditarium Judæorum foetorem baptismo elui asseruit Fortunatus, lib. V :

Abluitur Judæus odor baptismate divo.

Fœtor
Judæo-
rum tol-
litur bap-
tismo.

Ita Sanchez. Unde et Saraceni olim suos infantes curabant baptizari, ut per baptismum foetorem ab eis depellerent; uti patet ex VI Synodo in Trullo, Can. LXXXV, et Baronio, tom. XII, anno Christi 1148.

ET PRO ZONA (aurea et gemmea erit) FUNICULUS, — quo quasi jumenta captivæ trahentur in Babylonem.

ET PRO CRISPANTI CRINE CALVITIUM, — quod vel ipsæ in signum luctus, vel hostes, vel Deus per morbum eis inducet. Vide dicta vers. 17.

ET PRO FASCIA PECTORALI (qua constringuntur mamillæ ne turpitudinem ingerant sua magnitudine, erit) CILICIUM. — Hebraice *cingulum sacci*, sive *ex sacco* (2). Hebræa jam addunt hic כִּי תַחַת יוֹפִי *ki tachat iophi*, id est quia pro pulchritudine, in qua lasciviebant, hæc scilicet deformitas reddita est eis, ut sit epiphonema.

Forerius vero vertit, *adustio pro pulchritudine*, *Ki* enim vertit adustionem, a radice כִּירָא *caia*, id est adussit, *q. d.* Facies earum, et corpora olim ita pulchra, nunc exesa, consumpta et quasi combusta sunt. Sic enim dicitur *Thren. v, vers. 10* : « Pellis nostra quasi clibanus exusta est; » et

(2) Saccus erat vestis lugubris, saccis nostris similis, ex crassis pannis confectus, et pro manubiis habens aperturas per quas brachia producebantur.

Isaiæ cap. XIII, vers. 8 : « Facies combustæ vultus eorum. » Unde Chaldæus hic clare vertit : *Hæc vindicta sumetur ex eis, quia fornicatæ sunt in pulchritudine sua.*

Vers. 26. 26. ET MŒREBUNT ATQUE LUGEBUNT PORTÆ EJUS. — « Ejus, » scilicet Hierosolymæ, de qua mihi dilectissima est omnis hic sermo meus, æque ac cogitatio et sollicitudo mea. Sic sponsa ait *Cantici* cap. I : « Osculetur me osculo oris sui, » quis? sponsus, quem amo, et mente revolvo. In verbo « mœrebunt » et « lugebunt, » est catachresis : sicut enim prata florida dicuntur ridere ; ita portæ combustæ, vel desolatæ, et civibus vacuæ, ipsaque urbs mœrere et lugere dicitur.

DESOLATA IN TERRA SEDEBIT. — Est prosopopœia : loquitur enim de Jerusalem, quasi de matrona afflicta : hæc enim in terra mœrens, et dolore oppressa sedet. Hinc *Thren.* I, 1, de ea dicitur : « Quomodo sedet sola civitas? » Sic et Vespasiani numerus exstat, in quo Judæa quasi mulier sedens ad palmæ radices pingitur, cum hac epigraphe : « Judæa capta. »

Est hic locus illustris contra ornatum muliebrem et luxum vestium : si enim in Judæis olim ille ita Deo displicuit, punitusque fuit totius gentis excidio ; quomodo jam displicebit et punietur in Christianis? Audi et disce ad ipsum primo ex S. Cypriani lib. *De Habitu virginum*, id ipsum docentis ex hoc *Isaiæ* loco : « Virgines, inquit, comptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt ; sericum et purpuram indutæ, Christum induere non possunt ; auro, margaritis et monilibus adornatæ, ornamenta cordis et pectoris perdidierunt. »

Secundo, S. Basilius, serm. *in Divites avaros*, qui opes non in pauperes, sed in luxum uxorum impendunt, sic ait : *Primo*, « dum nugas mulier superba et delicias ardet, voluptatis illecebras marito augebit ; circa margaritas, smaragdos, hyacinthos, aurum, ejus cura noctes atque dies versatur. *Secundo*, mille assentatores adsunt adducentes fullones, aurifices, unguentarios, textores, discriminatores, qui ex illius imperiis nullo tempore virum respirare sinunt. *Tertio*, nullus muliebri concupiscentiæ sufficiens thesaurus, non si e fluminibus fluxerit : gemmæ aliæ cervici, aliæ collo, aliæ zonæ, aliæ manibus et pedibus ornandis adaptantur. *Quarto*, vir ergo muliebrem sequens appetitum, quando animæ curam gerat? sicut enim procellæ dispergunt debiles naves ; ita pravi uxorum affectus virorum debiles animas corrumpunt. »

Tertio, S. Nazianzenus, adversus mulieres ambitiosius se ornantes : « Nobilibus, ait, feminis non aurum, non purpura, non pigmenta ornamentum afferunt ; sed earum ornatus est morum probitas et elegantia, domi ut plurimum manere, colloqui cum divinis oraculis, fuso ac lanæ operam dare, ancillis opera mandare, etc. »

Quarto, S. Ambrosius, *Exhort. ad Virg.* citat hunc *Isaiæ* locum, additque : « Unde et S. Petrus dixit,

non in plicatu capillorum, neque in tortis crinibus, aut auro et argento vel veste pretiosa : sed magis interioris hominis ornamenta feminis esse requirenda, quoniam absconditus ille cordis homo qui est pauper sæculo, ipse est locuples Deo ; et in *I ad Timoth.* cap. I : « Quanto femina hominibus splendidior videtur, tanto magis despicitur a Deo. »

Quinto, S. Hieronymus, epist. *De Vitando contrubernio*, nimis ornantes se et ostentantes comparat lupanaribus : « Caliga (calceus), inquit, ambulantis nigella, ac nitens stridore ad se juvenes vocat ; papillæ fasciolis comprimuntur ; et crispanti angulo angustius pectus arcatur ; capilli vel in frontem, vel in aures defluunt ; palliolam interdum cadit, ut candidos nudet humeros ; et quasi videri noluerit, celare festinat quod volens detexerat. Et quando in publico, quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod aperte ostensum magis placere potest. »

Sexto, S. Augustinus serm. 18 *De Verbis Apostoli*, sic ait : « Exterioris hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris majora detrimenta : quanto autem minus appetuntur, tanto magis moribus pulchris homo adornatur. »

Septimo, S. Chrysostomus, homil. 30 *in epist. ad Rom.* : « Deposito, inquit, vilis fœni onere (hoc enim est vestium sumptus), ornatum accipe cœlestem virtutum. Hic est Ecclesiæ ornatus, ille theatrorum : hic cœlis dignus, ille equis et mulis ; ille et mortuorum corporibus circumdatur, hic in sola splendet anima, in qua habitat Christus. » Idem, homil. 18 in *I ad Cor.* : « An non censes, ait, cum avaris et aliis, quos Paulus enumerat, *I Corinth.* VI, diabolium simul accumbere? mulieres autem ornatas ad libidinem non censes cum eo coire? Si quis contradicat, exuat animam mulierum, quæ se adeo indecore gerunt, et videbit plane sceleratum illum dæmonem vehementer cum eis conjungi et commisceri. » Idem, lib. *De Virg.* cap. LXII : « Mulier si formosa est, nimius ornatus ejus venustatem obscurat ; si deformis, eo turpiorem reddit ornatus ; deformitas enim semper emicat et apparet, ut spectatores mulierem rideant, et ornatum mirentur. »

Octavo, S. Petrus eremita ad matrem Theodoretii comptam ait : « Si pictor egregius pinxisset imaginem, et alius plebeius ei alios colores injiceret, pictor sane excandesceret : ita et Deus naturæ nostræ opifex et pictor jure irascitur, quod ejus naturam et sapientiam accusetis insecitiæ, ipsumque Creatorem damnetis imbecillitatis. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem neque tentetis ea addere, quæ sapienter non dedit ; neque hanc adulterinam excogitare pulchritudinem, quæ vel pudicis affert excidium, vel videntibus insidias. » Ita refert Theodoretus *in Vitis SS. Patrum*, Vita IX.

Nono, acerrime hunc vestium luxum insectatur

Quinto,
ex S.
Hieronymo.

Sexto,
ex S.
Augustino.

Septimo,
ex S.
Chrysostomo.

Nono.

Morale
contra
luxum
vestium.

Primo,
ex Cypriano.

Tertullianus, lib. De Habitu mulierum, ex quo pauca illustriora decerpam : « Tu, ait, es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis prima desertrix, tu hominem elisisti : propter tuum meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit, et adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas? »

Secundo : « Duplex est cultus femine, scilicet mundus muliebris in auro, gemmis et vestibus; et ornatus, quem immundum muliebrem convenit dici : in cura capilli, cutis, et earum partium corporis, quæ oculos trahunt, illi crimen ambitionis intendimus, huic prostitutionis. »

Tertio : « Lapidés et gemmæ sunt terræ minutalia, qui non domos, non tecta, sed solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt. »

Quarto : « Aiunt de frontibus draconum gemmas erui. Hoc quoque deerit Christianæ, ut de serpente cultior fiat : sic calcabit diaboli caput, dum de capite ejus suis cervicibus ornamenta struit. »

Quinto : « Semper abundantia contumeliosa in seipsa est. »

Sexto : « Quis est vestium honor justus de adulterio colorum injustorum? non placet Deo, quod non ipse produxit; nisi si non potuit purpureas et hyacinthinas oves nasci jubere. »

Idem Tertullianus, lib. *De Cultu feminarum.*

Primo, hunc ornatum ait esse Ethnicorum.

Secundo : « Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatore libidinis scimus. »

Tertio : « Perit simul vir in tua forma, o mulier! et facta es tu gladius illi. »

Quarto : « Vos solis maritis vestris placere debetis : in tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaveritis. »

Quinto : « Indignum est Christiano faciem fictam gestare, cui simplicitas indicitur; effigiem mentiri, cui linguam non licet; appetere quod datum non sit, cui studium pudicitie est : quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta Dei non custodientes? »

Sexto : « Utinam miserrimus ego in illo die Christianæ exsultationis, vel inter calcanea vestra caput elevans videam; an cum cerussa et purpurisso, et croco, et in illo ambitu capitis resurgatis : an taliter expictas Angeli in nubila sublevent obviam Christo? »

Septimo : « Ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix et socia ejus : quo pacto ergo pudicitiam sine instrumento ejus, id est, sine gravitate et severitate vestitus, tractabimus? »

Octavo : « Tempus hoc breve est, ait Apostolus, quid ergo illud das vanitati? »

Nono : « Jubet Apostolus ut magnificetur Deus in corpore nostro; magnificatur autem per pudicitiam, et per pudicitie habitum competentem. »

Decimo : « Liceat videri pudicam, certe impudicam non licet. »

Undecimo : « Pudicitie Christianæ satis non est esse, verum et videri; ut emanet ab animo in habitum, et eructet a conscientia in superficiem. »

Duodecimo : « Projiciamus ornamenta terrena spei nostræ retinacula, si cœlestia optamus. »

Decimo tertio : « Tempora Christianorum semper, et nunc vel maxime, non auro, sed **larro** transiguntur, stolæ Martyrum præparantur, Angeli bajuli sustentur. Prodite jam vos mulieres ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, et spiritus taciturnitate, insereptes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi : caput maritis subjicite, et satis ornatae eritis : manus lanis occupate, pedes domi figite, et plus quam in auro placebitis : vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitie; taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. »

Decimo, Tertullianum sequitur S. Cyprianus, qui nervose et eleganter idem agit, lib. De Disciplina et habitu virginum.

Decimo
ex S
Cypria-
no.

Primo : « Continentia, inquit, et pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus et ornatus honore pariter ac pudore. »

Secundo : « Nefas est virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne, et de ejus pulchritudine gloriari, cum nulla sit illis magis quam adversus carnem colluctatio, et vincendi corporis ac domandi obstinata certatio. »

Tertio : « Dicit Paulus : Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt; et quæ se concupiscentiis carnis et vitiis renuntiassent profiteretur, quomodo in iisdem quibus renuntiaverat invenitur? »

Quarto : « Neminem Christianum decet, et maxime virginem non decet, claritatem ullam computare carnis, et honorem; sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si in carne sit gloriandum, tunc plane quando in nominis confessione gloriatur, quando fortior femina viris torquentibus invenitur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum vel bestias patitur, ut coronetur : illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora. »

Quinto : « Ornamentorum ac vestium insignia, et lenocinia formarum non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt; et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. In *Apocalypsi*, cap. xvii, describitur meretrix illa perdita, cum qua fornicati sunt reges terræ, amicta pallio purpureo et coccino, adornata auro, et lapidibus pretiosis, tenens poculum aureum in manu sua. »

Sexto : « An vulnera inferri auribus Deis voluit, quibus innocens adhuc infantia; et mali sæcularis ignara, crucietur, ut postea de aurium cicatricibus et cavernis pretiosa grana dependeant, gravia etsi non suo pondere, mercium quantitate? »

Septimo: « Angeli apostatæ oculos circumducto nigrore fucare, et genas mendacio ruboris inficere, et mutare adulterinis coloribus crinem, et expugnare omnem oris et capitis veritatem, corruptelæ suæ impugnatione docuerunt. »

Octavo: « Femine manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit reformare et transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur. »

Nono: « *DOLLINUS* tuus dicit: Non potes facere capillum unum album, aut nigrum; et tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiozem? Audaci conatu et sacrilego contemptu crines tuos inficis, » etc.

Decimo: « Non metuis, oro, quæ talis es, ne, cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, et ad sua præmia et promissa venientem removeat et excludat? increpans vigore censoris et iudicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est; cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti; expugnata est mendacio facies; figura corrupta est; vultus alienus est; Deum videre non poteris; quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. »

Undecimo: « Vince vestem, quæ virgo es, quæ Deo servis: vince aurum, quæ carnem vincis et sæculum: nec monilium aut vestium quære ornamenta, sed morum. »

Merito ergo E. Nonnus Episcopus, videns Pelagiam tanto vestium luxu et pompa totius urbis oculos ad se rapientem et illicientem, ubertim flevit: rogatus causam dixit: « Duæ res sunt quæ me movent: una quidem hujus mulieris perditio; altera, quod ego qui nomen Christianum profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus. » Verum orans pro ea, et concionans ita pupugit cor ejus, ut ex ea alteram Magdalenam effecerit, videlicet Pelagiam pœnitentem, cujus vitam et actus mirabiles conscripsit magna fide oculatus testis Jacobus Diaconus ejusdem Nonni: exstat apud Surium, 8 octobris.

Et S. Bernardus sororem splendidius ornatam ad se venientem videre noluit: unde ipsa compuncta ex ejus præscripto luxum omnem vestium deposuit, quin et consentiente marito monasterium ingressa est, ut habet auctor *Vitæ S. Bernardi*, lib. I, cap. vi.

Sed audi exemplum horribile Prætextatæ, quod refert S. Hieronymus, epist. ad *Lætam*: « Prætextata quondam nobilissima femina, jubente viro Hymettio; qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit, et neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens et virginis propositum, et matris desiderium. Et ecce tibi, eadem nocte cernit in somnis venisse ad se angelum terribili voce minitantem pœnas, et hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput vir-

ginis Dei tuis sacrilegis atrectare manibus? quæ jam nunc arescent, ut sentiant excruciatæ quid feceris: et finito mense quinto ad inferna duceris: sin autem perseveraveris in scelere, et merito simul orbaberis et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, et seram miseræ pœnitentiam significavit interitus. »

Audi et Gentiles. Lycurgus fucandi artificium Sparta eiecit, idque *primo*, eo quod malis artibus urbem corrumpere: unde tanta tunc Spartæ fuit mulierum pudicitia, ut adulterium pro incredibile haberetur. *Secundo*, ut quivis in mores puellæ intuens, virtutem in delectu sequeretur, cum uxorem quæreret; non vero fuco illiceretur. Eadem de causa voluit eas accipi sine dote: item exerceri cursu, lucta, disci et jaculi jactu, ut validæ fierent, validasque gignerent proles. Unde Gorgo Leonidæ uxor cuidam objicienti: « Vos solæ Spartanæ maritis imperatis; » respondit: « Solæ enim viros parimus. » Testis est Plutarchus in *Lycurgo*.

Diogenes ad juvenem quemdam se nimis ornantem: « Siquidem, inquit, ob viros, infelix es; sin ob mulieres, injurius. »

Theophrastus: « Mulier, inquit, nec alios videre, nec ipsa videri debet, præsertim quæ eleganter ornata fuerit: utrumque enim ad res inhonestas incitamentum est. »

Hyperides: « Domi, inquit, coram viro liceat uxori ornare se, ut lubet: ornamenta autem quæ sumet egressura domum, non ad maritum, sed ad alios spectant. »

Crates: « Ornat, inquit, mulierem quod honestiorem facit; talem vero præstat non aurum, non smaragdus, non coccus; sed quæcumque gravitatis, moderationis et pudoris specimen habent. »

Democritus: « Sermo, inquit, parcus ornat mulierem, et ipsius ornamentum parcitas ei decora est. » Testis est Stobæus, *serm.* 32.

Audi et poetas. Terentius:

Nosti mores mulierum;
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Ovidius:

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia; pars minima est ipsa puella sui.

Propertius:

Quid juvat ornato procedere vita capillo,
Teque peregrinis vendere muneribus,
Naturæque decus mercato perdere vultu?
Nudus amor formæ non amat artificem.

Plautus:

Nequaquam exornata est bene, si morata est male, etc.
Magis meretricem pudorem, quam aurum gerere concedet;
Palchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.

Audi reges et Imperatores. Aurelianus Impera-

tor petenti uxori, ut se unico pallio serico uti sineret, respondit : « Absit, ut auro fila pensentur; » libra enim auri tunc libra serici fuit.

Alfonsus, rex Aragonum, vestiebatur ut populares : monitus ut regio ornata incederet, respondit : « Malo moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura. »

Aristoteles, Præfat. ad *Alexandrum Magnum*, ita eum docet : « Multo pulchrius magisque regium animum præferre cultum et compositum, quam corporis vestem. »

Alexander Severus ait : « Imperatoriam majestatem constare virtute, non corporis cultu. » Idem censuit regias matronas contentas esse debere unico pallio auro sparso, et cyclade quæ plus sex unciiis auri non haberet, teste Lampridio. Hic cultus hodie vix sufficit uxoribus negotiatorum.

Augustus Cæsar, teste Suetonio, dicebat : « Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ. » Idem pro concione videns multos palliatos, indignans : « En, inquit, Romanos rerum dominos gentemque togatam. » Adeo studebat priscos renovare mores et vestitum.

Dionysius, Siciliae tyrannus, filiabus Archidami vestes splendidas dono misit. Recusavit eas acci-

pere Archidamus, dicens : « Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videantur. » Denique vere dixit Cæsar Augustus : « Conviviorum et vestium luxus ægrotantis ac tabentis reipublicæ signa et prænuntia sunt. » Testis sit Belgium, quod luxum hunc luit bello et cladibus assiduis per quinquaginta pene annos; et quod antea erat paradisi terrestres deliciarum, nunc est vallis miseriarum. E contrario prisca simplicitas et modestia vestitus elucet in Germanis, quæ eorum republicas in pace et flore conservat. Vidi Norimbergæ matronas nobiles et prædivites simplici pallio et ocreis indutas, quasi viragines et masculas priscorum ducum uxores, incedere. Vidi Herbipoli matronas omnes, etiam nobilissimas, pallia sive heucas habere non sericas aut laneas, sed ligneas. Omnes enim pro heuca gestant hottam (qualem Leodii gestant carbonariæ) magis vel minus pulchram pro conditione personæ; adeo ut quæ hottam non gestat, non censeatur honesta. Hottas has ingressuræ templum ante illud deponunt, egredientes recipiunt et dorso adaptant. Credo in vitifera regione olim omnes uvas hottis exportasse, uti etiamnum faciunt, ideoque hottarum usum conservasse.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in minis excidii, docetque tantam fore virorum stragem, ut septem mulieres unius viri nuptias ambiant. Deinde, vers. 2, residuos solatur, promittens eis Christum salvatorem, per quem Deus eos illuminabit, deducet et proteget instar columnæ ignis et nubis, quæ fuit duæ Hebræorum in deserto, et instar tabernaculi, quod suos incolas quasi umbraculum ab æstu et pluvia tutatur (1).

1. Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israel. 3. Et erit : Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, et spiritu ardoris. 5. Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fenum et splendorem ignis flammantis in nocte : super omnem enim gloriam protectio. 6. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.

Vers 4. 1. ET APPREHENDENT SEPTEM MULIERES. — Hæc pertinent ad caput præcedens, q. d. In excidio, Jeru-

salem per Romanos, de quo a cap. III huic usque erit, tanta erit virorum cædes, fames et tabes, ut

(1) In hoc capite cujus Hebræi primum versum connectunt ultimis verbis capitis tertii, totus est Propheta ut consolatoria Judæis spondeat, primo, cum gloria gaudium per Christum Salvatorem, vers. 2; secundo, cum peccatorum abolitione sanctitatem, 3, 4; tertio, cum Dei protectione securitatem, 5, 6. Porro nemo fere inter inter-

pretes catholicos qui non accipiat hæc magnifica vaticinia de Christo, qui est vero et stricto sensu « germen Domini, » sive quia ex æterno genitus est in sinu Dei Patris, sive quia operante virtute divina, in sinu beatissimæ Virginis conceptus, Christus est etiam fructus terræ, qui in tempore natus est, et matrem habuit de stirpe David,

ob eorum paucitatem septem, id est multæ mulieres vix unum maritum acquirere possint, atque de eo certaturæ sint. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

Allegorice S. Hieronymus : « Septem mulieres, » id est septem dona Spiritus Sancti, « apprehendent virum unum, » scilicet Christum. Sed hanc allegoriam suggillat S. Cyrillus quasi parum aptam et congruam sensui litterali, præsertim in iis quæ sequuntur. *Secundo*, aptius S. Basilius : « Septem, » inquit, « mulieres, » id est tota Synagoga, suo pane, id est sua lege vivens, apprehendet virum unum, scilicet Christum, petens ab eo liberari ab opprobrio sterilitatis spiritualis.

Tropologice S. Cyrillus : « Septem mulieres sunt » multæ animæ, quæ per fidem Christum receperunt, quæque ipsum ut panem et vestem salutis requirunt; et ab ipso prolem et fructum virtutum et bonorum operum postulant.

TANTUMMODO INVOCETUR NOMEN TUUM SUPER NOS,—
q. d. Ne præendas inopiam, quodque non possis nos alere; nos ipsæ nos alemus et vestiemus : tantum esto noster maritus, nosque vocemur uxores tuæ, ut auferatur a nobis opprobrium sterilitatis, quod ingens erat in lege veteri. Tenentur mariti dare uxoribus suis victum, vestitum et debitum conjugale : at unum tantum petimus, nempe debitum; alia labore aut ære nostro comparabimus. Sic Romanæ feminæ assumebant nomen maritorum : dicebatur enim Caia, Tullia, Cornelia, Lucia, Publia, a marito Caio, Tullio, Cornelio, Lucio, Publio, teste Valerio, lib. X. Sic apud Hebræos vocatur Maria Cleophæ, Maria Jacobi, Zebedæi, etc. scilicet uxor : et in *Canticis* sponsa vocatur « Sulamitis, » *q. d.* Salomoniam, a Salomone marito. Ita Sanchez. Sic Martia redire volens ad Catonem maritum, ait apud Lucanum, lib. II :

Da tantum nomen inane

Connubii : liceat tumulo scripsisse, Catonis
 Martia (1).

Hactenus tristitia, nunc sequitur læta prophetia.

2. IN DIE ILLA ERIT GERMIN DOMINI IN MAGNIFICENTIA. — Sanchez hæc accipit de restitutione populi ex captivitate Babylonica per Esdras et Zorobabel,

quæ, ut cæteri homines, ab Adam originem duxit et de terra formata est. Confer ista verba cum prophetia Zachariæ, III, 8, et VI, 12; et prophetiis Jeremiæ, XXIII, 5, 6, XXXIII, 15, 16. Igitur totum hoc caput intelligendum est de illis temporibus quibus Judæa manibus gentium tradita, Ecclesia Christi ex reliquiis Judæorum collecta maxime floruit, et non nisi improprio et imperfecto sensu temporibus Zorobabelis vel Ezechii accommodandum.

(1) « Invocetur super nos nomen tuum. » Sensus est : Cognominemur a te, v. g. Rebecca cognominatur ab Isaaco, cum dicimus Rebecca Isaaci, quæ cognominatio eam distinguit ab aliis, plures enim esse possunt. Sic Bethsabea cognominatur ab Uria, cum legimus, Bethsabea Uriæ, subintelligitur enim uxor.

« Aufer modo opprobrium nostrum. » Summum enim opprobrium feminis est apud Orientis populos, inuptas et steriles manere. (Rosenmuller.)

bel, *q. d.* Germinare ac pullulare faciet Dominus Judaicum populum arentem, et pene putrem in alieno solo, facietque eum redire ad pristinam ubertatem et gloriam. Verum Patres et Interpretes passim hæc accipiunt de Christo et Ecclesia; unde pro « germen » hebraice est תְּמָרָה *tsemarâ*, quo nomine Christus vocatur a Jeremia, cap. XXIII, vers. 5, et a Zacharia, cap. VI, vers. 12, in Hebræo. Rursum Christus ab Isaia, cap. XI, vocatur terræ fructus et germen.

Sensus ergo est, *q. d.* Christus virginis Mariæ filius in terra natus, gloriosus et sublimis erit eo tempore, quo Romani vastabunt Judæam; quia per eum ejusque Apostolos Ecclesia Christiana propagabitur; adeo ut etiam principes, aliique primores et viri insignes cum gaudio ad Christi Ecclesiam accurrant, Christoque credant, præsertim reliquiæ Israelis et Judæorum. Ita S. Hieronymus (2).

(2) *Erit germen Jovæ*, quo quid sit intelligendum, dissentiant interpretes. Septuaginta et Syrus non intelligunt de *germinis* propullulatione, sed de *solis ortu*, sub cujus imagine felicem populi Israelitici statum, a Jovæ ei parandum, expressum fortasse existimarunt; vertunt enim, *erit ortus Domini*. Male, nam *tsemac* semper de *plantarum germinatione* usurpatur. Grotio *germen Domini* primo sensu sunt reliquiæ exsulum, quæ Esdræ ac Nehemiæ temporibus domum reversæ, laudabilem vitam duxerunt, mystice vero Christus et Christiani. Novos terræ Judaicæ incolas post exilium Babylonicum intelligit quoque Vogeliius. Verum *germen Jovæ* hoc ipso versu manifeste distinguitur a reliquiis populi Israelitici, quod quidem negat Gesenius, qui illorum interpretum sententiæ accedit. Nobis tamen verba Hebræa tam clare dicere videntur, futurum esse, ut *germen Jovæ* gloriæ et decori sit reliquiis Israelitarum, ut vix quidquam planius esse possit. Nequit igitur *Israelitarum residuum* idem quod *germen Jovæ* esse. Alii dictiones in hoc versu poeticas proprie sumunt, de felici terræ proventu, quo Deus reliquias Israelis post mala temporum superiorum sit beaturus. Huic vero interpretationi obstat totius orationis magnificentia. Nec magis probandi, qui hunc locum interpretantur de Hiskia et sapientibus viris, qui cum eo super futuri essent cladibus, quibus respublica sub Achaso afficienda erat. Loca vero, tam *Zachariæ*, III, 8, et VI, 12, quam *Jeremiæ*, XXIII, 5, XXXIII, 15, dubitare nos minime sinunt, *germinis* nomine, significari quemdam virum insignem et illustrem, qui cultum Jovanum pristinae puritati, resque Judaicas antiquæ gloriæ sit restitutus. Quare nobis certum est, cogitasse et Isaiaem hoc loco de rege illo magno, sub quo reipublicæ suæ auream ætatem reddituram esse, Israelitæ sperabant. De *Messia* hunc locum interpretatus est et Chaldæus : *In tempore illo erit unctus Jovæ in gaudium et gloriam*. Kinchi : « *Germen Jovæ* intelligendum de Messia, filio Davidis, uti dicitur *Jerem.* XXII : « Suscitabo Davidi germen justum. » *Fructus terræ*, itidem de Messia dicitur, qui initio germinis erit instar pulchri, cujus adpectu gaudeant homines, cum vero eo pervenerit, ut fructus ferat, majus ab eo emolumentum capiant, magisque eo lætentur. Ita erit rex Messias, principio eo gaudebunt; postquam vero opera patriverit, belloque vicerit Gogum et Magogum, atque terram quietam et tranquillam reddiderit, universus terrarum orbis eum reverebitur. Tum erit *sublimitati et decori* Israelitis, quia superbient et gloriabuntur eo super omnes gentes. » Bene Doederlein hujus versus sensum expressit : « Tum

Christus
est ger-
men Ju-
dææ.

Feminae
nomen
capien-
bant a
marito.

Vocat Christum *germen* Judææ, quia Judæa quasi arbor excisa per Christum repullulare et reflorescere cœpit, de quo plura cap. XI. Vocat magnificentum: quid enim gloriosius, quid sublimius quam cæcis visum restituere, leprosos verbo mundare, mortuos ad vitam revocare, aliaque clarissima miracula suo nomine et virtute efficere, quibus Christus suum numen ostendebat? quid magnificentius quam genus humanum a diaboli potestate eripere, et ad æternam beatitudinem vocare et perducere? quam superbos humiles, incestos castos, divites spiritu pauperes, virgines et pueros Martyres efficere, ut ignibus et tyrannis insultent? Audi S. Bernardum, serm. *De Pentecoste*: « Istud germen quod de virga Jesse virore virgineo pullulavit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset a mortuis; quia tunc, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem et decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendentis gloria, cum medius Angelorum et animarum sanctarum ad Patrem deduceres, et triumphatrice palma cœlis investus, susceptum hominem in ipsa divinitatis claudit identitate? Quis cogitet, nedum loquatur; quam sit fructus terræ sublimis in consessu ad dextram Patris, quod utique cœlestium oculos reverberat naturarum, quod angelicus intuitus contremittit, non attingit? Veniat ergo exsultatio, Domine Jesu, his qui salvati sunt de Israel, Apostolis tuis, quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus, qui sordes abluat, et infundat virtutes in spiritu iudicii, et spiritu ardoris Dei. »

Rursum sicut Christus vocatur *germen*, ita Ecclesia Christi vocatur *germen*, id est germinans, et pullulans, crescensque in magnam arborem, puta in pristinam Synagogæ magnificentiam et gloriam: imo longe eam superans; crescente enim Christo, crescit Ecclesia; et contra.

ET EXSULTATIO, — *q. d.* Magna erit lætitia Israelitis, qui Christum quasi Messiam suum recipient, ab eoque justificabuntur et salvabuntur. Christus enim suis ingens affert gaudium, ex pace et fiducia justæ et sanctæ conscientiæ, et ex spe salutis vitæque æternæ, quam eis largitur. Unde « fructus Spiritus est gaudium, pax, » etc. *Galat. cap. VI.* Christiani ergo est cum S. Laurentio aliisque Martyribus semper exsultare, etiam in crucibus et tormentis: hæc enim æternitati beatæ eos transcribunt.

HIS QUI SALVATI FUERINT DE ISRAEL. — Hebræum לפלישת ישראל *liphletat Israel*, id est evasione Israelis, id est qui communem gentis suæ cladem et ruinam evaserint, reliquiæ quas Deus excidio

superstites conservavit; excidio; inquam, tum corporali, tum spiritali, puta incredulitati et reprobationi Judæorum, *q. d.* His qui e Judæis vel occisis, vel incredulis, ideoque a Deo rejectis, fuerint servati a Deo, ut in Christum crederent, et salvarentur.

3. ET ERIT: OMNIS QUI RELICTUS FUERIT IN SION, etc., SANCTUS VOCABITUR. — P. Hieronymus Prado in *Ezechiel. XIII*, sic exponit, *q. d.* Quisquis Judæorum ex captivitate Babylonica superfuert, indeque redierit, erit sanctus, id est rarus et admirationi futurus, scribeturque in catalogo viventium, puta civium Hierosolymæ. Verum loquitur Propheta, ut dixi, de tempore Christi, et Titi Imperatoris, alluditque ad semen, de quo dixit capite I, vers. 9: « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen. » Per Sion ergo et Jerusalem intelligit spiritualem, puta Ecclesiam Christi, quæ cœpit in Jerusalem, juxta Canon. V et VI, quasi dicas: Qui cladi et excidio Judæorum superstes relictus fuerit in Sion, non tam carnali quam spiritali, hoc est, qui a Synagoga transierit ad Ecclesiam Christi, eique fuerit ascriptus, puta omnis Christianus, sanctus vocabitur; omnis, inquam, qui scriptus est in vita, puta in præscientia et prædestinatione Dei; qua ipse suos conscripsit ad vitam æternam: si tamen prius Deus ejus sordes, et sanguinem, id est homicidia, aliaque crassa et gravia peccata abluerit, ut sequitur. Omnes Christiani a Paulo et aliis vocantur « sancti, » quia vocati sunt ad sanctitatem, et quia baptismo et gratia Christi sunt sanctificati. « Sanctus » ergo, id est Christianus, vocabitur. Et hi omnes scripti sunt in libro vitæ, quasi cives futuri cœlestis Jerusalem; scripti, inquam, inchoate, quia ordinantur ad vitam æternam, a qua tamen multi sua negligentia excidunt: unde complete solum scripti sunt in hoc libro II, qui in sanctitate perseveraturi et morituri a Deo prævisi sunt. Vide Canonem XIII in *Paulinas*.

Sanctus
id est
Christia-
nus.
Cur ?

Nota: Sancti et electi scribuntur in cœlis, impii et reprobi in terra et gehenna. *Jerem. XVII*, vers. 13: « Recedentes a te in terra scribentur. » Vide ibi dicta. Alludit ad censum populi redeuntis e Babylone: singuli enim redeuntes numerati sunt, et scripti in catalogo, quasi cives Hierosolymæ; ut patet I *Esdrae VIII*, et *Nehem. VII*, et *Ezech. XIII*, vers. 9, quin ait: « In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur. » Atque hinc analogice sumptus est liber vitæ, sive Jerusalem cœlestis. Sicut enim soli viventes scribebantur in catalogo Hierosolymæ, mortui vero debebantur: ita soli Beati victuri in æternum, scribuntur in libro Jerusalem cœlestis, qui proinde est et dicitur liber vitæ. Ita Sixtus Senensis, lib. II, cap. II, in voce *thau* testatur, Gentiles, eos qui in acie et prælio fuissent superstites, notasse littera *thau* sive signo crucis: eos vero qui cecidissent, in censu aut catalogo militum proposita littera mortifera *thita*

progenies Jehovæ decora erit et illustris, ei viro, hac patria nato, tanquam eximio decore, gloriabuntur superstites Israelitæ. » Kimchi confert locum *Zeph. III*, 11, 12: « Tunc ex te removebo tui fastus protervos, et in te humilitatem tenuemque populum relinquam, qui Jovæ nomini confidant. » (Rosenmüller.)

(hæc enim initialis est vocis θάνατος, id est mors, habetque in sua figura infixum quasi jaculum mortis) prænotasse, quasi qui de vita et de libro viventium deleti essent. Eadem usi sunt iudices, cum reum damnarent ad mortem. Unde Poeta:

O nimum ante alias infelix littera thita!

Vers. 4.
Spiritus
iudicii et
ardoris,
quis?
Resp.
primo.

§. Si (id est cum) ABLUERIT, etc., IN SPIRITU JUDICII, ET SPIRITU ARDORIS. — Sanchez, « Spiritus, inquit, iudicii et ardoris » significat acrem punitionem, qua Deus per Babylonios iudicavit, id est, punivit, et instar ignis lustravit, id est, purgavit et expiavit, Judæos a scoria peccatorum, de quo Malachias, cap. III: « Ipse enim quasi ignis conflans; » et Isaias, cap. I: « Excoquam ad purum scoriam tuam. »

Secundo,
est Spiritus
Sanctus.

Secundo et genuine, Spiritus Sanctus est spiritus iudicii, quia facit primo, ut nostra videamus, iudicemus et damnemus peccata; secundo, quia iudicat, id est discernit fidelem ab infideli, pium ab impio; tertio, quia mentem illuminat per fidem, tribuens remissionem peccatorum, faciensque ut pia, sancta, cœlestia iudicemus, id est æstimemus, discernamus et amplectamur præ vanis, fœdis et terrestribus opibus et voluptatibus.

Idem dicitur *spiritus ardoris*, vel, ut Vatablus vertit, *incendii*, id est charitatis, tum divinæ, tum nostræ nobisque infusæ, qua nos ipse accendit, carnisque vitia et carcinomata adurit. Unde de hoc spiritu ait Joannes Baptista: « Qui post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni. » Ita Cyrillus et Chrysostomus, hom. *De Spiritu Sancto*. Unde ait Christus: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendantur? » Domine Jesu, accende et infiamma hunc divinum charitatis ignem in nobis, eoque frigus cordis nostri exure.

Tertio, pro « spiritu ardoris » alii vertunt, *spiritu ejectionis*, q. d. potestatem abluendi peccata habebit Christus cum spiritu iudicii, et ejectionis, id est, ita ut etiam habeat potestatem iudicandi incredulos, sitque eos damnaturus et ejectionis cum principe hujus mundi. Ita Vatablus.

Quarto, Pagninus vertit, *in spiritu excisionis*: Christus enim tribuens nobis vitam, ipsam mortem excidit, juxta illud *Osee XIII*: « Ero mors tua, o mors! » Denique H. Pintus vertit, *in spiritu pascuæ*, Christus enim de se ait, *Joan. X*: « Ego sum pastor bonus, » et de eo dicitur *Psal. XXII*: « Dominus regit (hebraice, *pascit*) me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. » Nam hebræum *בָּעַר* *baer* significat primo, ardorem et incendium; secundo, pastionem et pascua; tertio, excisionem; quarto, ejectionem et separationem. Denique aliqui per hypallagen exponunt, « in spiritu iudicii et ardoris, » id est in iudicio, sive rectitudine et ardore spiritus; ad quæ nimirum impellit spiritus Dei, et Spiritus Sanctus animam excitans et exstimulans.

Anagoge S. Augustinus, *X De Civit. XXV*, refert

hæc ad diem iudicii, et ad ignem purgatorium: Anagogice. illo enim Deus iudicat, id est punit et expiat, sordes animarum sanctarum in spiritu iudicii, et igne ardoris, id est ardente.

5. ET CREABIT DOMINUS, etc., NUBEM PER DIEM, ET FUMUM ET SPLENDOREM IGNIS. — Sanchez exponit, q. d. In monte Sion Deus ita amanter amplectetur suos reduces ex Babylone, sicut olim, cum nube per diem et igne per noctem, illorum cursum ex Ægypto in Chanaan moderatus est. Verum hic sensus aliis exilior et frigidior videtur: nec enim legimus Deum columnam ignis et nubis, aut simile quid illustre præstitisse Judæis e Babylone redeuntibus, sicut præstitit venientibus ex Ægypto in Chanaan. Hæc ergo tam augusta spectant ad tempora Christi. Unde

Nota: Alludit Isaias clare ad columnam, quæ Hebræorum castra præibat in deserto, quasi dux viæ in terram promissam; eaque de nocte instar ignis illuminabat, et hunc vocat « fumum (id est, ut Chaldæus, *caliginem*) et, splendorem ignis flammantis in nocte. » Erat enim hæc nubes fumosa, id est caliginosa, habens in se splendorem ignis instar faculæ de nocte: rursum flammæ ignis non est aliud quam fumus accensus. Per diem vero eadem erat ut nubes, quæ obumbrabat castra, eaque præiens deducebat, et simul ab æstu protegebat, de qua dixi *Exodi XIII*, 21 et cap. *XIV*, 29, ubi hæc columna interposuit se inter castra Hebræorum, ea illuminando, et castra Ægyptiorum, ea obtenebrando.

Secundo, per « nubem, fumum, » id est caliginem et splendorem, symbolice significatur singulare Dei auxilium, gratia et beneficia; per diem significantur res prosperæ, per noctem adversæ, per montem Sion Ecclesia. Sensus ergo est, q. d. Faciet Deus cum Christianis per Christum spiritualiter, quod olim cum Judæis fecit corporaliter et typice, eosque omni ope ac gratia præveniet, diriget, deducet, et proteget ab omni hostium et adversorum incursu; ut eos secure et recto itinere per desertum hujus vitæ in patriam cœlestem perducatur: hoc enim significabat columna ducens Hebræos per desertum in Chanaan. Deus enim quasi columna ignis præfulget, et ostendit suis viam salutis: idem quasi nubes caliginosa obumbrat, refrigerat et protegit eos ab æstu tentationis, ut dixi *Exodi XIII*. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, item Theodoretus et Procopius, apud Leonem Castrum.

Quare recte S. Ambrosius in *Serm.*: « Omnia, ait, habemus in Christo, et omnia in nobis Christus: si a vulnere curari desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si indiges auxilio, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cœlum desideras, vita est; si cibum quæris, alimentum est. » Et S. Bernardus, *serm. 15 in Cant.*: « Nomen Jesu, inquit, lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum. Quid ita

Columna
nubis
dux Hebræorum,
quid significet

Christus
nobis est
omnia.

exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, castas fovet affectiones? Nihil ita sicut hoc nomen Jesu iræ impetum cohibet, superbiam tumorem sedat, livoris vulnus sanat, luxuriæ fluxum restringit, libidinis flammam exstinguit, sitim avaritiæ temperat, ac totius dedecoris pruriginem fugat. Et rursus : Ne mundi gloria æu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi pro his sapientia Christus; ne seducaris spiritu mendacii et erroris, luceat tibi veritas Christus; ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. »

Deus consolationem afflictionem temperat.

Symbolice, nubes hæc in nocte lucens significat divinam consolationem, qua Christus Sanctis tenebras et calamitates mitigat et lenit. Contra vero nubes per diem est afflictio, qua Deus justorum prosperitatem et mundi gloriam (ne ea capiantur et insolescant) temperat et moderatur. Itaque Deus in die prosperitatis protegit suos nubes afflictionis, et in nocte afflictionis visitat eos igne divinæ oblectationis et lætitiæ. Tam enim nocet nimia prosperitas quam adversitas. Natura enim nostra in hoc exilio nec magnum ferre potest dolorem, nec magnam lætitiã : illo enim percessimur, et in desperationem labimur; hæc vero superbimus et evanesimus. Quare oportet ut mœror oblectatione aliqua spiritali temperetur, et oblectatio mœrore. Non ergo semper lætitiã quæramus, nec dolorem detestemur. Nam utraque; scilicet lætitiã in afflictione, et afflictio in lætitiã, columna dicitur, sine qua ruet ædificium nostrum. Rursus hæc lux in nocte, hoc est interna consolatio in afflictione, mixta est cum fumo lacrymas movente, hoc est compunctione. Nam Beatis in cœlo purum erit gaudium, et lumen absque fumo; et requies absque labore. Ita H. Pintus.

Vers. 6

SUPER OMNEM ENIM GLORIAM PROTECTIO. 6. ET TABERNACULUM ERIT IN UMBRACULUM DIEI AB ÆSTU. —

Gloria Israel erat arca, quæ erat typus Ecclesiæ.

Alludit ad tabernaculum Mosaicum, et arcam Testamenti, quæ erat gloria Israel, et cui maxime incubabat columna nubis, indeque se spargebat circumquaque per omnia castra ea obumbrans et ab æstu protegens : hæc autem arca significabat Ecclesiam, omnesque fideles, ut dixi *Exodi* xxv, 10, q. d. « Super omnem gloriam, » id est super omnem Ecclesiam, vel super omnem locum, in quo fuerint viri gloriosi et sancti, id est in Christum credentes, erit divina protectio, et gratia Spiritus Sancti (cujus columna illa nubis erat typus, uti S. Ambrosius et veteres docent), qua velut tabernaculo et umbraculo ab æstu ardoris et concupiscentiæ, et ab omni pluvia ac turbine tentationum, persecutionum et adversitatum proteguntur et absconduntur eruntque tuti et securi. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Hicque sensus est genuinus : hæc enim omnia spectant ad gloriam Christi et Ecclesiæ (1).

(1) Hæc præsertim intelligenda de SS. Eucharistiæ sacramento.

Nota : Arca dicitur gloria Israel, primo, quia in arca erant tabulæ legis, quas Moses a Deo acceperat, et juxta eas virga Aaron, et urna cum manna, quæ erant gloria Israel; secundo, quia supra arcam erant Cherubim et propitiatorium quasi thronus Dei, ex quo responsa dabat Pontifici induto Urim et Tummim; tertio, quia arca duxit Hebræos per Jordanem, et per desertum 40 annis, fuitque terror hostium, et scutum ac victoria Hebræorum. Unde capta a Philistæis arca tempore Heli, uxor Phinees ait : « Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, » ideoque filium enixa vocavit eum *Ichabod*, id est, ubi est gloria? q. d. Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum, puta Isacidum et Israelitarum, I Reg. cap. iv, vers. 21.

Arca fuit gloria Israel tripliciter.

Aliter Sanchez : putat enim hic alludi ad sponsalia et nuptias Synagogæ; hæc enim vocari gloriam, q. d. Super illam gloriam, id est super sponsam ita gloriose ornatam, puta super Synagogam Judæorum, erit divina protectio instar umbellæ, quæ olim in nuptiis novæ sponsæ obtendi solebat; aut instar vestimenti, quo olim sponsus initurus conjugium sponsam tegebat : uti Booz ducturus Ruth texit eam pallio suo, *Ruth*. iii; atque in tabernaculo suo, hoc est in templo quasi thalamo suo, Deus sponsam hanc suam amplectetur, et ab omni malo proteget.

Christus Ecclesia quasi sponsa est umbella.

Moraliter, nota viros pios a mundo deseri, sed a Deo protegi. Mundani et voluptuarii non capiunt quam suavis, segura ac tranquilla sit vita eorum qui veram pietatem colunt. Hoc est, quod canit Psaltes, *Psal.* xxx, 21 : « Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum; » et *Psal.* xxvi, 5 : « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protegit me in abscondito tabernaculi sui. » Alludit ad principem, qui eum quem tutissimum esse vult, in suum cubiculum recipit, ne a persequentibus lædatur. Sic enim pro justo se objicit Deus, ut qui eum lædere velit, prius Deum ferire et lædere debeat. Hinc rursus ait Psaltes, *Psal.* xc, 1 : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur; » et Paulus, *Coloss.* iii : « Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Idem ergo est esse sanctum, et esse a Deo absconditum et protectum (2).

Jucunda vita piorum in Deo.

Quocirca Pintus rō super omnem enim gloriam protectio, sic exponit, q. d. Hæc divina protectio, qua Dominus justos tuetur, excedit omnem hujus mundi gloriam : illa enim brevi hominum interitu, et oblivione posteritatis extin-

(2) Non dubitandum est quin in vers. 5 et 6 duplex sit allusio : prior est ad columnam ignis et nubis, posterior ad tegumenta illa varia quæ Dominus construi jussit, ut tutum esset ab aeris injuria Sanctum illud sanctorum. Nam quod arca dicitur in Scripturis gloria Domini, habes in *Psal.* lxxii, 3 : « Ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam; » et I Reg., cum capta fuit arca a Philistæis, « translata est gloria, » et aliis locis plurimis.

guitur. Unde ait Isaias, cap. XL, 6 : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. » Hinc et Euripides apud Plutarchum ait, eam unum tantum diem durare, et statim exstingui. Quo in

loco reprehensus fuit a Demetrio Phalereo, quod non unum diem debuisset dicere, sed unum temporis punctum. At divina protectio et gloria æterna est.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Queritur de Synagoga quasi de vinea, quæ rite exculta pro uvis dedit labruscas, scilicet avaritiam, crapulam, injustitiam aliaque vitia, quæ a vers. 8 usque ad 24, enumerat. Unde, vers. 24, ei minatur excidium per Romanos, quorum vires et robur describit. Porro utitur hic sæpe carmine et rithmo lugubri, tum ut concinnius Deum laudet, tum ut suavius influat in animum populi, eumque efficacius moveat, et ingratitude erga Deum coarguat (1).

1. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vineam factam est dilecto meo in cornu filio olei. 2. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular extruxit in ea : et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. 3. Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. 4. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? 5. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ : auferam sepem ejus, et erit in direptionem : diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. 6. Et ponam eam desertam : non putabitur, et non fodietur : et ascendent vepres et spinæ : et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. 7. Vineam enim Domini exercituum, domus Israel est : et vir Juda, germen ejus delectabile : et exspectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas ; et justitiam, et ecce clamor. 8. Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ? 9. In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum : Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes et pulchræ, absque habitatore. 10. Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres. 11. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. 12. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris : et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. 14. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino : et descendunt fortes ejus, et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus, ad eum. 15. Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. 16. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, et Deus sanctus sanctificabitur in justitia. 17. Et pascentur

(1) In ista parabola quam quasi canticum apologeticum pro justitia divini iudicii prosequitur Propheta, primo exhibet vinitorem ad vineæ fecunditatem omnia conferentem, vers. 1-2 ; vineam, damnanda ab omnibus malignitate, labruscas loco uvarum referentem, 2-4 ; neglectum hujus ab illo, et hinc dissipationem juste decretam, 5-6 ; quæ omnia applicat ad liberalem numinis curam : et sterilitatem Judæorum malignam, 7.

Secundo, amplificat applicationem particulatim explicando quæ et quam acerbæ sint istæ labruscæ, scilicet quæ sint scelera Judæorum cum pœnis a Deo infligendis, primam, avaritiam et ditescendi studium cum exspoliatione et sterilitate, 8-10 ; secundam, ebrietatem et luxum voluptuarium cum captivitate, penuria, morte, 11-14,

humiliatione superborum, exaltatione Dei, 16, et regionis desolatione, 17 ; tertiam, pertinaciam et impenitentiam, quæ ex impunitatis præsumptione iniquitates multiplicat, 18, 19 ; quartam, sapientiæ præfidentiam, quæ iudicio erroneo bonum cum malo confundit, 20 ; quintam, virium prævalentiam, qua in conviviis sanam mentem perdunt, et in iudiciis æquitatem et justitiam pedibus conterunt, 23.

Deinde explicat diversa supplicia quæ propter prædicta scelera illos manent, primo, excidium familiarum et stirpium Judaicarum, 24 ; secundo, concussionem imperii, crescente Dei vindicta auctam, 25 ; tertio, oppressionem gentis, consummatam ab hostibus, industria, celeritate ac ferocia timendis, et a Deo excitatis, 26-30.

agni juxta ordinem suum, et deserta in ubertatem versa advenæ comedent. 18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustrum peccatum! 19. Qui dicitis: Festinet, et cito veniat opus ejus, ut videamus: et appropriet, et veniat consilium Sancti Israel, et sciemus illud. 20. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum! 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes! 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. 23. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justis aufertis ab eo. 24. Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium Sancti Israel blasphemaverunt. 25. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum: et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 26. Et elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ: et ecce festinus velociter veniet. 27. Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus. 28. Sagittæ ejus acutæ, et omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. 29. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: et frendet, et tenebit prædam: et amplexabitur, et non erit qui eruat. 30. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus.

Vers. 1. 1. CANTABO (1) (hebraice **אָשִׁירָא** *ascira*, id est præcinam, præibo quasi præceptor et præcentor; ita Forerius) DILECTO MEO CANTICUM PATRUELEM MEI VINÆ SUÆ. — Per *patrualem*, vel, ut Vatablus vertit, *patruum*, Forerius intelligit avunculum Isaïæ, puta Amasiam regem, aut ejus fratrem, qui hoc dictorium sæpe in ore habebat, ut, cum vellet significare aliquem in re quapiam oleum et operam perdidisse, diceret: Amicus meus habuit vineam in loco uberi, etc., exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas, *q. d.* Isaïas: Ego canam dilecto meo hoc canticum de vinea ipsius, quod patruus meus solet canere de amici sui vinea, quodque jam abiit in proverbium.

Idem est Verum hic sensus frigidior videtur et Judaicus: patruelis et dilectus, sci- licet Christus, cur? unde S. Hieronymus et alii passim per *patrualem* accipiunt Christum. Pro quo nota *primo*: Idem est « patruelis et dilectus. » Unde Vatablus vertit, *canam dilecto meo cantilenam patruo meo vineæ ejus*; pro *dilectus* enim hebraice est **יָדִיד** *iedid*; unde Salomon a Deo vocatus fuit *Jedidia*, id est dilectus Domini, vel amabilis Domino, II *Reg.* XII, 25. Pro *patruelis*, vel, ut Vatablus vertit, *patruus*, est **דָּד** *dad*. Idem ergo quasi est utrumque hoc nomen, et ab eadem radice

(1) In Oriente, mos est ut non simpliciter legant, sed cansunt, v. g. epistolas quas a rege vel principe accipiunt, decretum quod promulgatur, etc. (Morier, *Voyage en Perse*, tom. I.) Juxta Plutarchum in *Dialogo de musica, historia, philosophia*, res maximi momenti, in carminibus quæ cantare solebant, agebantur. Inde forsan, cum Athenis promulgabantur leges, cantabantur.

descendit. Unde Septuaginta hic, et S. Hieronymus in *Canticis Cantic.*, sæpe *dad* vertunt, *dilectum*; hic tamen Hieronymus secutus Aquilam vertit **πατρὸς ἀδελφόν**, id est *patrualem*, idque est aptius: vocat enim Isaïas Christum *patrualem* sive cognatum suum, eo quod ex eadem gente secum, scilicet Judaica, esset nasciturus. *Tertio*, *dad* verti potest *amator*. Unde H. Pintus vertit, *cantabo dilecto meo canticum, amatori, inquam, meo*. *Quarto*, *dad* significat amorem et charitatem; *quinto*, ubera. Unde illud *Cant. I*: « Meliora sunt ubera tua vino, » verti potest, *meliores sunt amores tui vino*. Unde colligas Christum esse dilectum a viris justis, et ipsorum amatorem, et ipsum amorem ac charitatem, juxta illud I *Joan.* IV: « Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. »

Nota *secundo*: More Hebræo ponitur hic antecedens loco relativi. Christum enim, quem *dilectum* vocavit, mox vocat *patrualem*; dicit ergo: « Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei; » pro eo quod nos diceremus: Cantabo dilecto meo canticum ejusdem, scilicet dilecti mei, qui est et patruelis meus. Sensus ergo est, *q. d.* Lubet canere, imo præcinere meo dilecto, et patrueli, sive cognato, quem unice diligo, puta Christo, carmen ipsiusmet Christi, quod scilicet ipse cantabit vineæ suæ, id est populo Judaico, dicens, *Matth.* XXI: « Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei. »

VINEA FACTA EST DILECTO MEO IN CORNU FILIO OLEI. Judæa vocatur
— Nota: Synagoga et Judæa vocatur *cornu*.

cornu ob tres causas. Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Et filius olei, id est, fertilis.*

primo, quia cornu symbolum est potentiae et roboris, ac consequenter regiae potestatis et magnificentiae, quam Deus dederat Davidi, Salomoni et Judaeis; *secundo*, quia Judaea in cornu, id est in alto loco, est sita: unde Pagninus pro « in cornu, » vertit, *in colle*: cornu enim est locus excelsus et montosus; quia cornu acutum est, et altissimam partem animalis, puta caput, obtinet. Ita Vatablus, Arias et Sanchez. Vineae enim plantari debent in monte conversae ad Austrum, clausae vero ad Aquilonem; nam « Bacchus amat colles, Aquilonem et frigora silvae, » etc.; *tertio*, quia Judaea situs speciem habet cornu, inquit Forerius, sicut Belgii situs speciem habet leonis: unde vocatur leo Belgicus. Unde Syriaca versio habet, *vinea fuit dilecto meo in angulo loci, vel regionis; vel ut Arabica, in extremitate terrae.*

Allegorice S. Basilius: Judaea, inquit, habet cornu, id est contra inimicos arma tutelaria, puta crucem Christi; hinc ait Habacuc, cap. III, 4: « Cornua in manibus ejus. »

Nota *secundo*: Hoc cornu vocatur *filius olei*, id est oleatum, olei ferax, oleo abundans et plenum: sic dicitur *filius iniquitatis*, id est iniquitate plenus, iniquissimus. Vel potius *filius olei*, id est pinguis, hoc est, fertilis ac si natus esset ex oleo. Unde Septuaginta et Chaldaeus vertunt, *in cornu in loco pingui, q. d.* Vineae haec plantata est in loco sublimi, in monte non sterili, sed fertili, cujus gleba felix est et uber, ac copiosum dans proventum. Rursum *cornu* significat robur; *oleum*, abundantiam, *q. d.* Ego Deus Israel et Judaeam exivi ad potens et forte regnum, simul et pingue: fluit enim melle et lacte; ut videatur esse Amaltheae cornu. Ita S. Hieronymus. Unde Symmachus vertit, *in cornu in medio olivarum*; Arabica et Syriaca, *vineae culta et pinguis*. Aliqui ergo putant Judaeam vocari *filiam olei*, ob olivarum copiam, ut dixi. R. Joseph putat eam ita vocari ob regem et sacerdotem, qui erant in ea, et oleo ungebantur. Unde *Zach.* IV, dicitur: « Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universae terrae, » ubi per *filios olei* intelligitur princeps et sacerdos, hoc est Zorobabel, et Jesus filius Josedec. Rursum H. Pintus censet Jerusalem vocari montem pinguem et oleatum, quia ibi Christus docuit, et inde exivit Evangelium, quo impinguatus est mundus, qui antea aridus et macilentus erat. *Secundo*, Sanchez: Oleum inquit, quia mollit, lenit, fovet, et titillat sensus, capitur pro deliciis, indulgentia et blandimentis, *Psalms.* CXL, 5; *Proverb.* V, 3, *q. d.* Populus Judaicus Deo, et per Deum fuit fortis instar cornu, simulque fuit ei filius olei, id est filius dilectionis et deliciarum, cui scilicet Deus prolixam liberalitatem suam ostendit, nec solum necessaria ad victum et vitam, sed oblectamenta ac delicias effudit.

Mystice, H. Pintus: Judaea, ait, vocatur *filius olei*; quia sicut oleum in lampade est materia

ignis et splendoris, sic Hebraei multis gentibus clarum notitiae Dei lumen praebuerunt.

Notat S. Basilius traditionem esse antiquissimam, quod Adam exclusus paradiso amoenissimo, ut dolorem leniret, occupavit Judaeam omnium terrarum fertilissimam; unde Pentapolis, quae fuit pars ejus, vocatur « Paradisus Dei, » *Genes.* cap. XIII, vers. 10. Hinc et communis Patrum traditio est, cranium Adae sepultum esse in monte Calvariae ubi Christus crucifixus est, indeque nomen Calvariae accepisse.

Allegorice, vinea, id est Ecclesia, facta est Christo in cornu filio olei, id est in hereditatem et regnum potens, et fertile aequae ac misericors; utriusque enim symbolum est oleum. Christus enim, qui nobis fuit filius olei, id est summe misericors, voluit et Ecclesiam esse filium, vel potius filiam olei, ut scilicet regimen Ecclesiae esset benignum, clemens et gratiosum, cum Synagogae regnum fuisset minax et terribile. Hac de causa paulo ante Christi nativitatem Romae in Transtiberina regione, ex taberna meritoria fontem olei (qui erat instar cornu filii olei) voluit scaturire, qui integrum diem sine intermissione manavit: ut portenderet Christum mox nasciturum, ubi primum in terris pedem posuisset, simul dexterum misericordiae pedem mox ostentaturum, eoque suae clementiae et misericordiae fontem aperturum, ex quo omnia beneficiorum genera in Ecclesiam continenter dimanarent. Hujus fontis testes sunt Eusebius in *Chron.*, Orosius, lib. VI, cap. XIX, et alii. Locus nunc in ecclesiam B. Virginis conversus est, in qua ipsissimus fontis olei locus mihi ostensus est, cui introrsum haec inscripta sunt prisca carmina:

Hinc oleum fluxit, cum Christus Virgine luxit;
Hic et donatur veniae quodcumque rogatur.

Fuit enim olim in eo loco sedes Paenitentiarum.

2. SEPITVIT EAM, ET LAPIDES ELEGIT EX ILLA, etc. — *Vers. 2.* Solent enim ex solo lapidoso lapides colligi et auferri, ut in eo vites serantur. Hac parabola pene ad verbum usus est Christus, *Matth.* XXI, uti praedixit Isaias, vers. 1. Tam Isaias, uti ipse explicat, vers. 7, quam Christus per vineam intelligunt Ecclesiam, sive Synagogam, uti et Psaltes, *Psalms.* LXXIX, 9: « Vineam, inquit, de Aegypto transtulisti; ejecisti Gentes » ex Chanaan, ibique « plantasti eam. » Sepes, torcular, turris, elapidatio, etc., significant in genere, Deum Ecclesiam per omnia excoluisse, eique de omnibus necessariis providisse. Particulatim tamen et distincte sepes *primo*, fuit murus Hierosolymae, ait S. Hieronymus; *secundo*, et aptius, sepes fuit lex et praeccepta, quae quasi sepes data sunt populo, ut eum munirent, et in officio ac pietate continerent. Ita Auctor *Imperfecti*, Theophylactus et Euthymius in *Matth.* XXI, et Irenaeus, lib. IV, cap. LXX. Rursum *tertio*, sepes fuit custodia Dei et Angelorum, aiunt S. Ambrosius, Hieronymus et Origenes, qui homil. 19 in

Adam
habitavit
in Ju-
daea.

Oleum
pro deli-
ciis.

Joan. sic ait : « Custodia Dei fuit sepes vineæ, turris templum, torcular locus libationum. » Hoc est quod ait *Zachar.* cap. II : « Absque muro habitatur Jerusalem, » id est Synagoga et Ecclesia; nam « ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. » Sic dicitur *Isaiæ* XXVI, 1 : « Urbs fortitudinis nostræ Sion, salvator ponetur in ea murus et antemurale. » Rursum *Psal.* XXXIII, 8 : « Immittet (hebraice חֲנֹנִי *chone*, id est castrametabitur) Angelus Domini in circuitu timentium eum : et eripiet eos. » Denique *Zach.* IX : « Circumdabo, ait, domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes : » ubi hebraice est חַמִּיתֵי *chamiti*, id est « castrametabor domui meæ ex milite transeunte, » scilicet per Angelos. *Quarto*, H. Pintus per sepe accepit viros sanctos, qui populo pro muro sunt apud Deum, quibus ablatis conculcatur populus, uti exeunte Lot, Sodoma conflagravit; Hebræis excuntibus Ægyptus periit.

Torcular est altare.

« Torcular » (1) autem est altare, quo victimarum sanguis exprimebatur, inquiunt Origenes, S. Hieronymus, Beda, Euthymius, Theophylactus in *Matth.* XXI. Mystice, torcular est crux Christi, cujus prelo premuntur martyres, virgines, omnesque Christi sequaces : indeque vinum gaudii exprimitur.

« Lapidés » quos abstulit ex vinea sunt idola, peccata : omniaque divini cultus ac religionis impedimenta.

« Turris, » primo, accipi potest regia dignitas; secundo, sacra Scriptura, ait H. Pintus : ad eam enim quasi ad turrim et arcem in nostris tentationibus et periculis confugere debemus, et sicut ex turri conspicimus longinqua, ita ex lege et Prophetis prospiciebant Christum post tot sæcula venturum. Nota : In vinetis solent erigi turres, tum ut ad eas se recipiant vinitores, tum ut uvæ et vinearum instrumenta ibi tuto asserventur, tum maxime ad excubias, ut scilicet in iis quasi speculis excubent custodes, et circumquaque prospiciant ne qui fures vel bestię vineam invadant et populentur. Tales turres vidi in locis vitiferis, ut juxta Romam et in Germania, præsertim juxta Herbipolim : ibi enim vineta abundant; adeo ut viri graves, imo principes, ibidem mihi asseverarent, in urbe Herbipolensi plus esse vini quam aquæ. Unde ibidem spectavi ingentia vini dolia, quorum quodque plusquam centum vini vasa, sive amas continebat, habebatque ostia, per quæ vinitores in dolia (perinde ut Diogenes in suum) ingrediebantur ad ea concinnanda et expurganda. Quocirca tertio, aptius per turrim accipias doctores et pastores speculatoresque populi; aut templum Hierosolymitanum, Deique cultum et re-

Turris est templum et doctores

(1) Torcular apud Hebræos, vas seu locus erat, a civitate appellationem habens, in quo uvæ calcabant et exprimebant. Ex duplici alveo constabat, in uno scilicet uvæ calcabantur, in altero uvarum succus effluebat. Ultimus iste alveus in terra vel in rupe effossus erat, habens supra positum labrum in quo uvæ premebantur.

ligionem, uti explicant Chaldæa hic, Origenes, S. Hieronymus, Beda, Euthymius, Theophylactus supra : ex templo enim quasi turri et arce Deus auxilio erat et perfugio laboranti populo.

ET PLANTAVIT EAM ELECTAM. — Pro *electam* hebraice est שֹׂרֵק *sorec* : quod Hebræi dicunt esse genus vitis optimæ, quæ nullos, id est paucos et exiguos, habet acinos : forte dicta est *sorec*, a *Sorec* regione, generosis vitibus abundante; ubi Samson vidit et adamavit Dalilam, *Judic.* XVI, 4. Ita Sanchez.

Sorec vitis optima.

Talis optima Dei vinea fuit Synagoga tempore Patriarcharum, Abrahæ, Isaac, Jacob, qui sanctissimi fuerunt, uvasque et fructus sanctorum operum Dei reddiderunt.

FECIT LABRUSCAS. — Nota *labrusca* hic ponitur pro fructu labruscæ; est enim labrusca vitis agrestis, cujus flos, teste Dioscoro, lib. V, cap. V, cœnanthe, *q. d.* vini vel vitis flos vocatur : est ergo labrusca uva immatura, acerba et vilis. Unde Septuaginta pro *labruscas* vertunt, *spinas*; Symmachus, ἀτελῆ, id est *imperfectas*, id est immaturas. Est enim, ait Plinius, lib. XVI, cap. XXVII, agrestis vitis, quam ipse *insanam* vocat, quæ trifero proventu, sed evanido luxuriat : nam in ea eodem tempore alia maturescunt, alia turgent, alia florent; sed nihil maturum est et utile : ostentant enim fructum potius quam porrigunt. Hebraice est כַּוְשִׁים *beuscim*, id est *foetentes* : unde Aquila vertit, σαπρίας, id est *putres*; nam, ut ex Varrone tradit Casius Dionysius : « Sunt quædam vites, quæ fructum recens productum putrefaciunt, priusquam racemi connutiantur et maturescant. » Jam sensus est, *q. d.* Dilectus meus; puta Deus Pater, ejusque Filius et hæres Jesus Christus, exspectavit ex vinea ita a se culta uvæ suaves et stomacho suo gratas et jucundas; sed ecce invenit insuaves et amaras, quæ molestiam ei movet et nauseam : nimirum a populo Judaico exspectabat lætum et dulce vinum virtutum, fidei et honorum operum : at ille omphacium et acetum infidelitatis, injustitiæ (uti ait vers. 7), superbiæ, libidinis, etc.; reddidit ei, ipsumque acetum pro vino vere in cruce Christo Domino propinavit : eo enim sigillatim respicere aciem Prophetæ docet S. Chrysostomus, homil. 2 *De Cruce et latrone*; et passim Patres hæc referunt ad Passionem Christi.

Labrusca vitis agrestis, qualis?

Tropologice, foetentes uvæ parit qui a fide et pietate, quam præstare Deo debuit, ad insanias falsas et stultas cogitationes animum et studium convertit, ait Sanchez, de quo *Eccles.* XI, 32 : « Sicut eructant præcordia foetentium, etc., sic et cor superborum. »

Tropologice labrusca sunt inconstantia.

Rursum luxuriantes, sed imperfectæ et immaturæ uvæ sunt Religiosi, alique qui magno fervore viam virtutis inchoant; sed mox intepescunt, nec cœpta perficiunt. Item qui ex levitate et inconstantia nunc hoc vitæ, virtutis et studii genus, nunc illud amplectuntur, dumque omnia tentant

ab omnibus excidunt, et, ut ait Sanchez, in illo non tam labore, quam multiplici ludo nihil maturum proferunt, quod Dominus carpat et capiat: nihil enim ita progressum in via spirituali impedit, atque hæc inconstantia, et crebra mutatio consiliorum et studiorum.

3. NUNC ERGO, etc., VIRI JUDA, JUDICATE. — Deus hic ex humanitate permittit se iudicio populi, ut ipse Deum in causa tam evidenti justificare, et seipsum suo testimonio et gladio jugulare cogatur.

4. QUID EST QUOD DEBUI ULTRA FACERE, etc., AN QUOD EXPECTAVI? — Est gravis exprobratio, q. d. Ecquod vinitoris officium omisi? quid in vinea colenda neglexi? quid ei facere debui quod non feci? Anne in hoc peccavi quod exspectavi uvas? hæccine est culpa, hoc peccatum meum, scilicet longa expectatio fructuum, et nimia mea longanimitas? hæccine ex uvis fecit labruscas? longa mora et tempus maturat uvas: meane ergo sola mora fecit immaturas? Ita Deus. E contrario homo vere dicere potest, et debet: « Quid debui facere Domino meo quod fecerim? quis ego, qualis ego, quid non mali ego? » ait S. Augustinus; homo enim sanctus se servum Deo inutilem reputare debet. Simili modo queritur Deus per Jeremiam, cap. II, vers. 21: « Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es in prævum, vinea aliena? »

5. AUFERAM SEPEM EJUS, — q. d. Nudabo populum Judaicum lege æque ac protectione mea, et Angelorum custodia, ut vastetur a Romanis, eaque transferam ad Gentes. Unde Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XII, ait paulo ante excidium Hierosolymæ, portam templi gravissimam sponte reseratam fuisse, et vocem auditam (Angelorum) in templo: « Migremus hinc. » Tale est et illud Angelorum aut militum, *Jerem.* LI, 9: « Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam. »

6. NON PUTABITUR, ET NON FODIETUR. — Solet enim vinea luxurians putari et secari, item fodi, sive ablaqueari, hoc est, effodi terra quæ ad radices ejus erat, ut illæ aerem, cœlestemque humorem sugant; quod ad fertilitatem vitium et arborum necessarium esse docent omnes rei rusticæ periti. Unde S. Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. XII: « Circumfodit, ait, vineam, quando eam exoneravit terrenarum mole curarum. » Rursum solet fodi terra viti vicina, sicut foditur ager, ut semen ex terra effossa et subruta majorem et meliorem succum trahat. Unde Forerius vertit, *non sarculabitur, vel non coacervabitur*: nam עָדָר *adar* in passiva conjugatione est congeri, cogi et congregari in unum, verbi gratia, cumulum, ut fit circa vites, ad quas terra sarculo contrahitur; sicut etiam fit arando in sulcis agrorum. Perpetuam enim eamque variam et continuam culturam requirit vinea: unde merito dicunt Itali: « Vineæ est vinea. »

Sensus est, q. d. Deus deseret hanc suam vineam, non resecabit, nec compescet luxuriantem populi sui malitiam: rursum cor eorum non suffodiet, non tanget, non compunget, non excolet; sed sinet illud vepribus et spinis peccatorum oppieri, abscondi et suffocari. Ingens hæc est pœna, cum peccator a Deo derelinquitur, et impune sinitur sequi suas libidines ac volutari in concupiscentiis. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 12 in *Ezech.*: « Qui a Deo avertitur, et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus. »

Tropologice, anima putanda et excolenda est tam præceptis Dei, quam adversitatibus, ait S. Basilus hic.

NUBIBUS MANDABO NE PLUANT. — Pluvia, quæ vineæ a Deo rejectæ, id est Synagogæ, negatur, est cœlestis doctrina: unde ab eadem radice apud Hebræos utraque vox deducitur. Nam a יָרָה *irah*, id est emisit, demisit, profecit, deducitur a מוֹרָה *more*, id est doctor suam emittens doctrinam; et יוֹרָה *iore*, id est pluvia cœlo demissa; et תּוֹרָה *thora*, id est lex, sive doctrina in aures et animum discipuli a doctore immissa. Unde Apostoli virique Apostolici vocantur *nubes*: quia per hos Deus cœlestem hunc imbrem in Ecclesiam depluit, *Isaiæ* LX, 8: « Qui sunt isti, qui ut nubes volant? » et *Joel.* II, 23: « Quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem, matutinum et serotinum. » Ita S. Hieronymus. Sensus ergo est, q. d. Ego Deus vetabo Apostolis eorumque asseclis, ne Judæos rigent imbre sanctæ doctrinæ et Evangelii, sed eo Gentes perfundant. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et fuse Basilus (1).

Pluvia
est cœlestis
doctrina.

(1) Quando, quæso, sic patuit Israel hostium incursionibus, ut ardere tota respublica et conflagrare visa fuerit? quando sic concidit fortitudo bellica, et contritæ sunt universæ vires Judæorum? quando sic ruptus et dirutus fuit murus civitatis sanctæ, et templum, et totum ipsum regnum, ut omnino spes etiam restitutionis et restorationis interierit? quando, inquam, nisi post occisum Dominum? In superioribus enim captivitatibus non eradicabatur penitus vinea; adhuc remanebant vites, et forma reipublicæ aliqua ex parte apparebat; at a mille et quin gentis annis ne speciem quidem reipublicæ habent. Olim calamitas quæ accidebat, putatio quædam esse videbatur, ut uberiores postea fructus ederet; at Titus et post ipsum Adrianus omnia funditus everterunt, et infideles sedes illas occupant: in animis vero Judæorum nihil nisi fraudes regnant et imposturæ, omneque genus spinarum. Quod si hæc negaverint, quid dicent aut respondebunt ad illud *de nubibus*, quod erudite satis Hieronymus de Prophetis et sacri verbi interpretibus exponit, quibus nunquam caruere Judæi nisi in hac ultima captivitate? Ut nos interim erudiamur quæ sit sors inimicorum Dei. Nihil apud ipsos decorum, nihil viride; bestiarum dentibus et pedibus expositi semper sunt; senticosos et morosos videas, sibi et aliis graves ac molestos; omnia occupat sterilitas, ut eorum curam Dominus abjecisse videri possit, adeo ut bonus ille Pater cœlestis, qui « pluit super justos et injustos, » id est super utrorumque agros, animos impiorum sæpe verbi sui imbre et cœlestibus pluviis destituat, aut certe adeo steriles esse sinat, ac si nunquam super eos nubes pluviam depluerent. (Forerius.)

Vers. 6.

Vineam
ablaqueari,
quid?

7. VINEA DOMINI EXERCITUM DOMUS ISRAEL EST. — Hic explicat canticum et parabolam vineæ, q. d. Vineæ hæc est populus Israel.

ET VIR JUDA, GERMEN EJUS DELECTABILE. — Septuaginta, *germen ejus dilectum*; Chaldaeus, *plantatio lætitiæ ejus*; alii, *germen ejus deliciosum*, q. d. Tribus Juda (sub qua et Benjamin, quæ Judæ adhæsit in schismate Jeroboam, intellige), in hac totius Israelis vinea est germen, sive vitis, quæ Deo unice placuit, eique fuit in deliciis. Tò enim *ejus* refert, non vineam, sed Dominum exercituum, qui præcessit. Causa fuit, quia Juda retinuit Dei fidem, cultum et templum; et quia ex Juda nasciturus erat Christus, qui est desiderium collium æternorum.

EXSPECTAVI UT FACERET JUDICIUM, ET ECCE INIQUITAS; ET JUSTITIAM, ET ECCE CLAMOR. — q. d. Ex hac vinea ita a me elaborata exspectavi uvas, scilicet iudicium et justitiam; sed illa dedit labruscas, scilicet iniquitatem et clamorem. *Judicium* vocat justitiam, sive id quod justum est: noster tamen Prado hæc distinguit: *Judicium*, inquit, significat potestatem judicariam, quatenus reos punit: *justitia* significat eandem, quatenus insones absolvit et vindicat, q. d. Exspectabam a Judæis iudicium; « et ecce iniquitas, » quia absolvunt reos: et justitiam, « et ecce clamor, » quia damnant innocuos, qui proinde clamant et ejuvant propter hanc injuriam.

Verum per *clamorem*, utpote justitiæ, oppositum, aptius intelligas clamorem ipsorum injuriosorum, iratorum et violentorum, qualis solet esse latronum, dum vi et clamoris minis ac vocibus viatores percellunt, ut spolient, vel obtruncant. Rursum hac voce respicit proprie Isaias ad clamorem Judæorum contra Christum: « Crucifige, crucifige. » Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Simili modo ait Jeremias, cap. XII, vers. 8: « Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylva: dedit contra me vocem (clamorem), ideo odivi eam. »

Aliter Sanchez: *Clamor*, inquit, est omne peccatum, quod clamat in auribus Dei, eumque excitat, ut evigilet ad vindictam; ac præsertim quatuor illa enormia, quæ proinde vocantur peccata in cælum clamantia, scilicet *primo*, oppressio pauperum, viduarum et pupillorum; *secundo*, homicidium et parricidium voluntarium; *tertio*, merces operariorum defraudata; *quarto*, peccatum Sodomiticum.

Nota: In Hebræo est elegans paronomasia: *exspectavi* מִשְׁפַּח *mispach*, id est *iudicium*; et ecce פֶּשַׁח *mispach*, id est *iniquitas*: *exspectavi* צְדָקָה *tsedaka*, id est *justitiam*, et ecce צַעֲקָה *tseaka*, id est *clamor*, q. d. Exspectavi æquitatem, et ecce iniquitas; justitiam, et ecce injustitia: exspectavi justitiæ dispensationem, et ecce dissipatio.

8. VÆ QUI CONJUNGITIS DOMUM AD DOMUM, etc., USQUE AD TERMINUM LOCI! — usque ad finem loci, puta agri vel urbis, q. d. Væ avaris vobis, qui

omnia per fas et nefas vultis occupare, qui agros agris, domos domibus copulatis, donec totum possideatis urbis aut regionis spatium, quod vestræ cupiditati vel ambitioni præfinistis! Hic particulatim explicat acerbiter harum labruscarum, scilicet iniquitatis et clamoris; unde hoc versu Judæorum, maxime opulentorum et potentiorum, taxat fastum et avaritiam; versu vero 11, eorundem ebrietatem; vers. 18, eorum obstinationem perstringit.

Hic ergo ambitionem et cupiditatem redarguit, quasi injuriæ et violentiæ principium, quæ ut supra alios emineat, alios expoliat, et ex aliorum præda suam pompam et statum sustentat: uti fecit Nero, qui totam Romam suis deliciis aut ambitioni servire fecit, inquit Martialis. Cupiditas enim insatiabilis est, ideoque omnium malorum mater est et origo, teste Apostolo: ac proinde tam Christus, quam Isaias væ æternæ damnationis divitibus et cupidis intentat: hæc ergo *prima est labrusca*.

NUMQUID HABITABITIS VOS SOLI IN MEDIO TERRÆ? — q. d. Tanta vestra est cupiditas, ut videamini velle soli occupare, imo habitare totam terram, esseque reges mundi universi. Tò enim *in medio terræ*, idem est quod in tota terra, ut tota terra sit quasi una domus vestra, in cujus medio vos resideatis, sicut rex residet in medio regni, circumquaque imperans et dominans.

Ita Nero Romæ tam vastum ædificavit palatium (adhuc hodie ejus muros et macerias ingentes videmus), ut magnam urbis partem occuparet; unde in eum et eam luserunt hoc carmine:

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupet ista domus.

Quid facis, o infelix avarus? Nonne tres cubiti terræ solum te exspectant? nonne parvus lapis ad tuum miserum corpus tegendum satis est? cur ergo tot fundos et opes tam ardentem quæris, et impedimenta æternæ beatitudinis concupiscis et accumulatas? Vere dixit Poeta: « Unus Pellæo juveni (Alexandro Magno) non sufficit orbis: sarcophago contentus erit. » Nimirum « heri totus mundus non capiebat Alexandrum: hodie defunctum terra sex pedum capiet et sepeliet. » S. Bernardus, epist. 51 ad Henricum, Senonensem Archiepiscopum, hanc Isaïæ sententiam intorquet in avaros Ecclesiasticos, qui beneficia et dignitates accumulantes: « O, inquit, infinita semper ambitio, et insatiabilis avaritia! Cum factus quis fuerit in quacumque Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, etc., non contentus uno in una, plures sibi, imo quotquot valet, conquirere honores satagit tam in una quam in pluribus. Sed numquid sic satiabitur? Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat. Quo forte adepto, rursum nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus et sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit fre-

Labrusca
prima est
ambitio.

Morale
in avaros.

quentare palatium. Væ qui conjungitis domum ad domum!» etc.

Præclare S. Ambrosius, lib. *De Naboth et Achab*, cap. I, tom. I : « Quousque, ait, divites, extenditis insanas cupiditates vestras? Numquid soli habitabit super terram? Cur ejicitis consortem naturæ, et vindicatis possessionem? In commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata est, cur vobis jus proprium soli, divites, arrogatis? Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo : nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus æque pauperi abundat et diviti; et terra quæ viventis non cepit affectum, totum jam divitem capit. » Et cap. III : « Avis avibus se associat, pecus pecori adjungitur, piscis piscibus : nec damnum ducunt, sed commercium vivendi, cum plurimum comitatum capessunt, et quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu, homo, consortem excludis : includis feras, struis habitacula bestiarum, destruis hominum. » Et cap. VI : « Ditem dicunt Gentiles inferorum præulem, arbitrum mortis. Ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sunt. Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurgis divitiarum? inexplebilis auri famæ? quo plus hauserit, plus inardescit. » Et cap. XII : « Pauperiorem enim se judicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur quidquid ab aliis possidetur. Toto mundo eget, cujus non capit mundus cupiditates; ejus autem qui fidelis est, totus mundus divitiarum est. »

Quin et Gentilis Seneca, *epist.* 90 : Olim, inquit, juxta Virgilium, I *Georgic.* :

Nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat : in medium quærebant, ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

At nunc, ait, « irrupit in res optime positas avaritia; et dum seducere aliquid cupit; atque in suum vertere, omnia fecit aliena; et in angustum res redacta, paupertatem intulit, et multa concupiscendo omnia amisit. Licet agros agris adjicias, nulla nos finium propagatio eo reducet, unde discessimus : multum habebimus, universum habebamus. »

9. IN AURIBUS MEIS SUNT HÆC, — *q. d.* Audio clamorosas vestras lites, fraudes, rapinas, oppressiones pauperum, eorumque vicissim lamenta et clamores; nec surdas, sed patulas eis aures præbeo; ut vindictam meam excitent, eaque in vos furibunda prosiliat.

NISI DOMUS MULTÆ DESERTÆ FUERINT. — « Nisi » apud Hebræos est vox juramenti execratorii, in quo per aposiopesin subaudire oportet : « Alias non habear Deus aut verax; » sicut Latini dicunt : « Dispeream nisi hoc fecero; » sed Hebræi ad

euphemismum, quasi boni omnis causa, subtercent illam imprecationem, quæ tanta est tamque horrenda, ut ne jurans quidem ex reverentia divinæ Majestatis eam exprimere audeat, *q. d.* Juro per deitatem et veracitatem meam, quod domos et agros vestros, quos tam cupide et avare sine mensura et termino accumulatis, excindam, redigamque in solitudinem et sterilitatem, ita ut ex decem vinearum jugeribus tam paucas colligatis uvas, ut ex iis unam tantum vini lagenam exprimere possitis, et ex copiosa triginta modiorum semente vix tres modios, id est decimam sementis partem, in messe colligatis : hæc est congrua avaritiæ merces, scilicet sterilitas et paupertas, quam Judæis obvenisse non est dubium, præsertim in bellis, obsidione et excidio per Romanos.

Moraliter, disce hic quam vanæ et perniciosæ sint divitiæ et possessiones, si quis avare eas concervet, in iisque spem et cor suum defigat. Id ipsum veteres docent. *Primo*, David, *Psalm.* XLVIII, a vers. 7 usque ad ultimum : « Ne timueris, inquit, cum dives factus fuerit homo; quoniam cum interierit, non sumet omnia : neque descendet cum eo gloria ejus; » et *Psalm.* LXI, 10 et 11 : « Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere; divitiæ si affluent, nolite cor apponere. »

Secundo, Salomon *Ecclesi.* V, 9, 10, 14 : « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo; » et *Sapient.* V : « Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, » etc.

Tertio, Christus, *Matth.* cap. VI, vers. 19 et seq. : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, etc. Non potestis Deo servire et mammonæ. » Idem, *Matth.* XIX, 24 : « Facilius, ait, est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. » Vide et historiam de divite epulone, *Luce* XVI.

Quarto, S. Paulus, I *Timoth.* VI, 6 et seq. : « Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, etc. Radix enim omnium malorum est cupiditas; » et vers. 17 : « Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, » etc.

Quinto, S. Jacobus, cap. I, vers. 9 : « Glorietur,

Moraliter, quam opessunt perniciosæ.

ait, frater humilis in exaltatione sua; dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit, » etc.; et cap. v, vers. 1: « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus, » etc.

Sexto, S. Cyprianus, *De Disciplina et habitu virginum*: « Sciant, inquit, primo, divitem esse, quæ Deo dives est. Terrena, et in sæculo accepta, et hic cum sæculo remansura tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cujus pompis et deliciis jam tunc renuntiavimus, cum meliorem transgressu ad Deum venimus. » Et infra: « Divitem te sentiant pauperes, patrimonium tuum Deo fœnera, Christum ciba, possessiones tibi cœlestes compara. Tentatio est patrimonium grande, nisi ad bonos usus impendatur: quo enim quisque est locupletior, magis redimere debet quam augere delicta. » Idem alibi: « Cur, inquit, de crastino cogitamus, et quærimus in sæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire? »

Septimo, S. Basilius, serm. *De Divitiis*: « Fluxa, ait, divitiarum natura; torrente celeriter possidentes prætermeat; et alias alium præterlabi solet: dispensator tantum earum es. »

Octavo, S. Nazianzenus, *orat. 16*; divitias impiorum vocat calamitatis arrhabonem, vitiorum magistras, idola, perditionis instrumenta: harum cupiditatem vocat rem fœdissimam et exitialem. Idem: « Utinam, ait, pereant divitiæ, nisi pauperibus subveniant! quid enim opus est multa reponere latronibus, et furibus, et mutationibus temporum, quæ ea in alios transferant? »

Nono, S. Chrysostomus apud Antonium in *Melissa*, serm. 131 *De Divitiis*: « Pauper, ait, non tam necessaria desiderat, quam dives superflua: nec rursus tantam vim aut facultatem habet pauper ad exercendam improbitatem, quantum dives; periculosa divitum vita est, et intractabilis mutatio: nihil ex iis habent nisi juges curas, sollicitudines, iras, perturbationes; neque enim dives multos implet ventres, pauper vero unum solum; sed unum hic et ille: verum hic sine metu et anxietate; ille tremens, et timens adversitates. » Scripsit S. Chrysostomus homilias de avaritia, beneficentia, charitate, dilectione, divitiis, elemosyna, misericordia; ex quibus hæc collige axiomata: « Divitiæ non sunt peccatum, sed peccatum est eas non distribuere pauperibus, et eis male uti. Non sunt monumentum gloriæ, sed avaritiæ; sunt gravia vincula, et sævi tyranni male tentibus; immanes item belluæ, corruptionis adiutrices, hostes continentiæ, inimicæ temperantiæ, occultæ prædatrices virtutum, similes feris et servis fugitivis; bonos mores nunquam fecerunt; reconditæ sunt belluis reclusis similes; occultant

viperas et scorpiones; multos habent fluctus et perturbationes; sunt abundantibus opprobrium; non sunt cum eo qui habet illas; suffocant mentem;

suis dominis sunt periculosæ et lethales; dum includuntur, acrius rugiunt quam leones, ac omnia perturbant; reddunt homines insanos, conjiciunt in tentationes, contumelias verborum in Deum pariunt; sunt omnis absurditatis parentes, sunt instabiles, fugaces, fallaces, homicidæ, probrosæ. Divitiæ non sunt bonum, sed voluntas nostra; sunt feræ; si contineantur, fugiunt; si spargantur, manent: sparge igitur, ut maneat; ne occultes et defodias, ne fugiant. Tum demum nostræ sunt, cum dantur pauperibus. Ei sunt bonæ, cui peccatum non est conjunctum. Divitiæ qui male expendunt, avaris sunt pejores. Divitiæ maximæ sunt non egere divitiis. Cupiditas divitiarum est omnium vitiorum arx et metropolis; opera bona facere non sinit; est tyrannus per totum terrarum orbem diffusus; est soboles Sathanæ; qui eas congregat, cum peccato spem suam ponit in terra; inflant, et nocendi virtutem præstant. Divitiæ inferorum tormenta suscipiunt; non sunt filiis relinquendæ, ut relinquunt ipsi virtutem; in divitiis defuncti sunt defendi, quia nullam ex divitiis sibi comparaverunt consolationem. »

Decimo, S. Augustinus, serm. 13 *De Verbis Domini*: « Quales, ait, sunt divitiæ, propter quas times servum tuum ne te occidat, auferat, et fugiat? si veræ divitiæ essent, securitatem tibi præstarent; illæ ergo veræ divitiæ sunt quas cum habemus, perdere non possumus. » Et *serm. 33*: « Amor, inquit, temporalium est viscus spiritualium pœnarum. » Idem, lib. I *De Civit.* cap. x: « Paulinus, inquit, Nolæ Episcopus ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, cum a Barbaris teneretur, precabatur: Domine, non excruciar propter aurum et argentum; ubi enim sunt omnia mea tu scis. »

Undecimo, S. Ambrosius, lib. VIII *in Lucam*: « Divitiæ, inquit, uti impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutum. » Idem, tract. *De Nabuchodonosore*: « Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat, et nudos fundit in lucem, nudosque recipit sepulcro. » Idem in *Hexam.*: « Nulla, ait, est distinctio inter cadavera mortuorum, nisi quia gravius fœtent corpora divitum distenta luxurie. »

Duodecimo, S. Hieronymus, *epist. 69*: « Omnis, ait, dives aut iniquus est, aut iniqui hæres. » Idem *in Matth. vi*: « Qui divitiarum servus est, eas custodit ut servus; qui autem servitutis jugum discussit, distribuit eas ut dominus. » Idem *ad Paulinum*: « Crates, inquit, Thebanus ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, neque putavit se posse et virtutem et divitias simul possidere: nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, » etc. Sic et Diogenes. « Nobilitas, ait, gloria, divitiæ, malitiæ sunt velamenta. »

Decimo tertio, S. Gregorius, homil. 15 *in Luc.* cap. viii: « Solæ, ait, divitiæ veræ sunt, quæ nos

S. Pauli-
ni vox
divina.

Natura
omnes
generat
pauperes
et nudos.

Divitiæ
sunt ido-
la.

Sunt
feræ.

divites virtutibus efficiunt. Si ergo, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate : si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite : si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. » Idem, lib. XVIII *Moral.* cap. IX : « Dives, ait, cum dormierit, nihil secum auferet ; res suas, cum moritur, secum effert, qui eas petenti contulit ; nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus ; patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum ; diu enim cum rebus nostris durare non possumus : quia nos aut illas deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum est ergo nobis, ut res absolute perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem. » Vide sequentia, ubi divitias somno comparat, post quem divites superbi a diabolo impellentur in incendia tormentorum.

Decimo quarto, S. Bernardus, De Convers. ad Clericos, cap. XII : « Divitiarum, inquit, amor insatiabilis longiore amplius desiderio torquet animum, quam refrigerat usu suo, utpote quarum acquisitio laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. » Quid ergo concupiscitis ea, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant ? Et cap. XIV : « Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te ; et quæ parasti, ejus erunt ? » Idem, serm. 4 *De Adventu :* « Filii Adam, genus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt ? aurum et argentum vere est terra rubea et alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosam. Denique si vestra sunt, tollite ea vobiscum. » Et lib. *De Consider. :* « Aurum, argentum, etc., nec bona sunt, nec mala : usus horum bonus, abusus malus, sollicitudo pejor, quæstus turpior. »

Denique sapientissimus mortalium rex Salomon hoc Deo votum nuncupat : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi ; tribue tantum victui meo necessaria. » Causamque subdit : « Ne forte satiatu illicitarum ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei, » *Proverb. xxx, 8.*

Exemplum. Fuerant Sigismundo Cæsari ex Hungaria allata quadraginta millia aureorum, quæ ubi nocte adventante in quos converteret usus, sollicite cogitaret, per cubicularios ocios consiliarios omnes ac militum duces ad se vocat : « Ecce, ait, crudelissimi hi hostes ac carnifices (nummos ostendens) somnum mihi eripuerunt ; accipite et inter vos dividite, ut mihi tranquille dormire liceat. » Distributa itaque pecunia inter eos, cum exirent viri a consiliis, dixit : « Recedit jam a me tortor ille, qui me flagellavit ; securius jam quiescam. » Refert hoc Æneas Sylvius, lib. IV *Comment. in Alfonsosum.*

Poeta Anacreon cum a rege quinque auri talenta accepisset, noctu dormire non potuit, anceps enim cogitatio et cura eum discruciant, qua in re illa impenderet, et ne fures illa surriperent :

quare orto mane redit ad regem, aurumque redit, dicens, « malle se esse pauperem cum quiete, quam opulentum cum inquietudine. »

11. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem secundam.* — *Secunda* est hæc vineæ, id est Judæorum, *labrusca*, scilicet ebrietas, eaque intempetiva, puta matutina. Nam, ut ait Apostolus, I *Thessal. v :* « Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt (1). »

Ut vino æstuetis. — Septuaginta vertunt, *vinum enim succendet vel comburet eos*, scilicet tum spirituum et vaporum, tum affectuum flammis et incendio. Nam uti hunc locum explicat S. Basiliius, homil. *De Ebrietate :* « Vini fervor corpori infusus, incendium fit ignitorum inimici vinculum ; rationem enim ac mentem deprimit, voluptates et cæteros animi affectus malos, velut apum examen excitat. Quis curus equorum indomitum ita præceps fertur dominum suum excutiens ? Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, quod non sit securius ebrius ? » Et inferius : « Ebrietas est dæmon voluntarius, ex voluptate animabus indutus, malitiæ mater, virtutis inimica. » De ebrietate plura dicam *Daniel. cap. v, 2.* Insuper vide de ea S. Chrysostomum, hom. 71 *ad Popul.*, et S. Ambrosium, lib. *De Elia et Jejunio*, cap. xv. Hinc Græci Poetæ vinum vocarunt, « Bacchum ignigenam, » tum quia juxta Vesuvium et Ætnam montes incendiis notissimos, præstans et ardens, quasque ignitum nascitur vinum ; tum quia ignes rixarum, libidinum et scelerum omnium suscitatur, ut quasi ignitum et ex igne natum videatur. Alexander Magnus vinositate omnes suas virtutes obscuravit : ea enim accensus amicos occidit. Quod si Androiciden sapientem audisset, regum fuisset maximus. Scribebat enim ipse ad Alexandrum : « Vinum potature, rex, memento te bibere sanguinem terræ. Cicuta homini venenum est, cicutæ vinum. »

Secundo, succendet, quia vinum, quod immoderate hauserunt, fax erit et naphtha incendii gehennæ, quo aliquando conflagrabit. Vere dixit Pythagoras, « primum luxum civitates ingredi, deinde saturitatem, postea contumeliam, postremo exitium. » Quocirca Bacchus ipse tres crateres convivio præfinivit, quorum tertium dixit esse Jovis Servatoris. Audi eum apud Eubulum ita loquentem :

Tres tantum ego sanis crateras misceo ;
Unum valetudinis, secundum amoris, saporis tertium ;
Quo qui sapere solent eunt hausto domum.
Nam quartus haud est amplius crater meus,
Sed contumeliæ. Velut huic proximus,
Clamor. Hunc sequitur comessandi furor.
Ita septimus habet vulnera, octavus forum,
Nonusque stomachum. At decimus est insaniam.

12. *CITHARA.* — Nota : Tam Hebræi et Gentiles

(1) Hebræi, sicut plerique antiqui, ad vesperam præcipuum cibum capessebant, et mane versus matutinum diem,

Vers. 11.
Secunda
labrusca
Judæo-
rum,
ebrietas.

Ebrietas
est dæ-
mon vo-
luntarius.

quam Christiani olim in conviviis adhibebant, musicam ad exhilarandum convivas, ut dixi *Ephes. v, 19.*

Et OPUS DOMINI NON RESPICITIS. — « Opus Domini » est duplex. *Primum* creationis, *q. d.* Vos ebrietatibus dediti non respicitis cœlum, terram, et quæ in eis creata sunt, ut ex illis Deum creatorem agnoscat et laudetis. Ideo enim Deus homini vultum excelsum præ pecoribus, quæ terram prona spectant, dedit, ut cœlum cœlique Præsidentem intueretur, amaret et coleret, *q. d.* Vos excelsum illum animum ad pastum et ebrietatem abiecit, ut bestiarum more, quæ mane ad pascua egrediuntur, totoque die vorant, a mane in vesperam potetis, nec habeatis tempus quod operibus Dei contemplandis impendatis. Recte Claudianus, lib. III *De Raptu* :

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia?

Opera ergo Dei sunt creaturæ, quæ ad Creatorem nos ducunt, sicut rivuli ad fontem. Unde Trismegistus dixit, « sæculum esse speculum rerum invisibilium. » Et Anaxagoras dixit « se natum esse ut videret solem, » et ex astro tam admirabili mirabilem, ejus Opificem contemplaretur. « Cœli enim enarrant gloriam Dei. » Et « Invisibilia (Dei) a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, » *Rom. i.* Maxime autem « opus Domini, » vocat providam et beneficam Dei gubernationem, qua tum animalia, tum homines, præsertim Judæos in Chanaan, annua messe et frugibus, quasi novo opere creationis quotannis pascebat; quæ proinde in mensa recoli volebat, ut ex iis datorem Deum agnoscerent, eique gratias agerent: « Cum comederis, inquit, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi, » *Deut. viii, 10.* At Judæi hic in escam et ventrem projecti, Deique obliti, ejus creaturis ad suam gulam et crapulam contra Dei voluntatem abutebantur. Unde inculcans et explicans subdit: « Et opera manuum ejus non consideratis. »

Secundo « opus Dei » est opus redemptionis per Christum, de quo *Habacuc iii, 2,* juxta Septuaginta: « Consideravi opera tua, et expavi, » *q. d.* Vos, o Judæi! o bibones! non consideratis mysterium redemptionis Christi, sanguineum pro vobis effusum, Christum in cruce patientem, sitientem, aceto et felle potatum. Prior sensus magis est genuinus.

Tertio, non male Forerius et Sanchez « opus hoc

leviorem sumebant. Refert Chardinus illum qui in Perside ad mensam alicujus principis invitatur, apud hospitem quam primum in die se recipere, et usque ad horam cœnæ in variis liquoribus sumendis tempus traducere. Cæterum nemo est qui non sciat quam immoderate et intemperanter veteres in cœnâ se habebant.

Dei, » non præteritum, nec præsens, sed futurum intelligunt, scilicet vindictam Dei eis imminentem. Sic enim accipitur « opus, » vers. 19, *q. d.* Indulgetis citharæ, tympano ac vino; nec consideratis quantum vobis ab irato Deo, impendeat exitium.

13. PROPTEREA CAPTIVUS DUCTUS EST POPULUS MEUS. — Nota, hic et in sequent. præterita pro futuris accipi ob certitudinem prophetiæ; nam ita certo futura sunt quæ prædicit, ac si jam facta essent: « ductus est » ergo, id est, ducetur; « interierunt, » id est interibunt; « exaruit, » id est exarescet; « dilatavit, » id est dilatabit; « aperuit, » id est aperiet. Vide Can. XIII.

QUIA NON HABUIT SCIENTIAM. — Quia abdomini suo serviens, non respexit opus Domini, de quo vers. 12, quasi nesciret se ad cœleste et æternum, non ad carnale et perituum pabulum creatum esse. Unde Septuaginta vertunt, *quia non cognoverunt ipsi Dominum se pascentem et alentem, sed projecti in escam mancipaverunt se suæ gulæ; nec Deum creatorem suum, et largitorem tam munificum agnoverunt.*

ET NOBILES EJUS INTERIERUNT FAME. — Tanta fuit fames Hierosolymæ obsessæ a Tito, ut matres coxerint et comederint filios, teste Josepho. Hebræa habent, *et gloria ejus viri famis, hoc est, viri gloriæ ejus, id est gloriosi, viri famis q. d.* Quos olim celebrabat gloria, nunc celebres facit fames.

14. PROPTEREA DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM, — id est sinum et capacitatem suam; vel « animam suam, » id est seipsum (vide Can. XIX), *q. d.* Hac de causa infernus dilatavit se in immensum, ut innumeros absorberet. Est hyperbole et prosopopœia, qua inferno datur anima, os, aviditas et ingluvies ad vorandum: sicut homo famelicus et gulosus assidens opiparæ mensæ, dilatât gulam et rictum oris sui: sic a Poetis orcus vocatur rapax et vorax, et trifauci Cerbero dantur ora hiantia, et Salomon, *Proverb. xxx, 16,* infernum vocat « insaturabilem, » nam

Inferus insatiabiliter cava guttura pandit.

Secundo, Sanchez: « Dilatavit infernus animam, » id est os suum: dilatatur enim anima, id est spiritus sive anhelitus, cum maxime aperitur os, ut posterius hemistichium sit explicatio prioris more Hebræo, *q. d.* Avari, potentes et rapaces inhiant opibus pauperum sine fine et termino, eosque devorant, ac si essent infernus, et « pauperum sepulcra, » inquit S. Ambrosius. Merito ergo et congrue paratur eis infernus alius, qui pariter aperto semper ore hiet, et in immensum se dilatet, ipsosque avidissime devoret. Volunt esse inexplebiles bestię: ergo aperiam illis insatiabilis inferni (quasi voracissimæ bestiæ) ventrem et gulam, ac tradam eos illi in cibum.

Tertio, idem Sanchez per *infernum* accipit sepulcrum commune Judæorum, quod erat in

est vindicta Dei.

Inferni anima est sinus.

Avari sunt pauperum sepulcra.

Infernus est sepulcrum.

Opus Domini primo, est creatio et gubernatio.

Secundo, redemptio Christi.

Tertio.

valle Cedron, in ea parte, quæ Gehenna seu Topheth appellatur, ut patet IV Reg. cap. xxiii, 6, q. d. Tanta erit Judæorum nobilium æque ac plebeiorum strages, tanta cadaverum multitudo, ut commune illud Judæorum sepulcrum, puta Gehenna, eam capere non possit, sed sese latissime dilatare debeat: sic et Jeremias, cap. vii, vers. 31, prædicit Judæos sepeliendos in Topheth, quia ibi infantes suos immolaverunt idolo Moloch. Verum duo priores sensus magis sunt genuini.

Tropologicæ. Tropologicè, hæc facile est adaptare cum S. Hieronymo peccatoribus, qui scientiam Dei non habent, quasi abdomini suo nati essent, non Deo: hi insipientes sunt, quia funibus peccatorum suorum constricti, ad infernum hiantem vincti rapiuntur, quorum cum ingens sit numerus, infernus ad eos absorbendos dilatat os et animam suam sine termino.

Vers. 15. 15. ET INCURVABITUR HOMO, ET HUMILIABITUR VIR. — Notat Haymo, cum jungitur *homo cum viro*, per *hominem* plebeios, per *virum*, nobiles et primarios significari, quasi dicat: Omnes tam nobiles quam ignobiles sine discrimine puniuntur et humiliabuntur, descendantque in infernum: sicque Deus justus vindex ab omnibus laudabitur, « et exaltabitur in hoc suo iudicio » justaque vindicta; et « sanctificabitur, » id est sanctus esse declarabitur, et ut sanctus ab omnibus celebrabitur, « in hac sua iustitia. »

17. ET PASCENTUR AGNI JUXTA ORDINEM SUUM, ET DESERTA IN UBERTATEM VERSA ADVENÆ COMEDENT, — q. d. « Agni, » id est pauperes et mansueti ante a potentioribus oppressi, nunc iis cæsis vel captis, spatiose pascentur. Nabuzardan enim reliquit de pauperibus terræ vinitores et agricolas, IV Reg. xxv; et possessiones desertæ a suis heris, jam uberem ferentes messem, venient in manus advenarum, puta Chaldæorum, vel Romanorum. Ita Sanchez (1).

Secundo, S. Thomas sic exponit: « Agni pascentur, » id est comedentur ab hostibus vestris, « juxta ordinem suum, » quia meliores prius comedentur. Verum *pascentur* hic idem est quod *comedent*, non *comedentur* ut patet ex Hebræo קָרָא רָא.

Verum *tertio* nota: Pro *juxta ordinem suum*, hebraice est קְדָבְרָם *kedaberam*, quod S. Hieronymus, *Mich.* cap. ii, vers. 12, vertit, *in medio cularum*; Pagninus et Vatablus, *juxta morem suum*. Jam per *agnos et advenas*, intelligit justos et innocentes e Gentibus, in Christo per baptismum renatos, quos S. Petrus vocat « modo genitos infan-

(1) Ut melius cohæreat iste versus cum his qui præcedunt, libenter diceremus Prophetam hic prædicare futurum ut domus desolentur, adeo ut in iis pascant agni, ut solent (juxta ordinem, juxta morem, juxta ductum suum) in pascuis, et ut desolationes pinguium advenæ comedant, vel desolatis medullatorum, id est divitum, advenæ fruantur.

tes; » *deserta* vero vocat pascua Ecclesiæ, puta pascua fidei, Evangelii, Sacramentorum, et cœlestium charismatum promissa Abrahamo ejusque posteris Judæis, quæ cuncta ipsi Judæi deseruerunt, et Gentes occuparunt, q. d. Cum Judæi non habentes scientiam Dei et Christi, occisi a Tito descendant in infernum, tunc Gentiles Christiani quasi advenæ, et quasi novelli agni, pascentur in uberrimis Hierosolymæ et Sionis spiritualis, id est Ecclesiæ, pascuis, et fruuntur magnificis illis promissis Abrahamæ, Isaaco et Jacobo factis, a quibus Judæi ob suam impietatem exciderunt.

Aliter vertunt Septuaginta scilicet, *Pascentur direpti quasi tauri, et deserta eorum qui capti sunt, agni comedent*. Quod Sanchez sic explicat, quasi dicat: Potentes illi pauperum prædatores, qui direpti, id est diripiendi sunt ab hominibus, quasi aris et cædi destinati, pascentur, eruntque tanquam in sagina, dum alienis opibus pinguescant, ut pingues effecti mactentur: sicut pecudes destinatæ macello quo magis incrassantur, eo jugulationi propiores sunt. Et « agni, » id est pauperes, per vim et contumeliam ab illis vexati, eorum, imo suis, possessionibus utentur, quasi postliminio in illas restituti. Aliter Septuaginta explicat H. Pintus: « Christiani, inquit, qui innocentia sunt agni, animi fortitudine sunt tauri, præsertim Martyres, qui quasi tauri in circis et theatris a tyrannis exagitabantur usque ad martyrium; uti hic Romæ in amphitheatro S. Ignatii et plurima Martyrum millia a feris agitata et occisa sunt. »

Aliter quoque ex Hebræo vertit Forerius, sic, *pascentur agni juxta ordinem suum, et siccitates vel gladii ruminantia medullata devorabunt*, q. d. Pauperes a potentibus expilati ditescunt; potentes vero saginati et crassi a gladio et fame vorabuntur; tuncque apparebit tam in pauperibus, quam in eorum oppressoribus, justum Dei iudicium, quos his justam pœnam, illis justum præmium retribuet.

18. VÆ QUI TRAHITIS INIQUITATEM IN FUNICULIS VANITATIS! — Hæc est *tertia labrusca* pertinaciæ, vel impenitentiae, q. d. Væ vobis quibus plane inasedit ambitio, cupiditas, ebrietas, libido, etc., quique illis quasi funibus astricti estis, et callum obduxistis, ut ex ea per longam moram et consuetudinem roborata vos extricare non possitis! Sicut boves loris assueti plaustrum trahunt assidue, sic ambitiosi, cupidi, ebriosi, etc., assidue trahunt longum funem, et plaustrum peccatorum; ut enim obtineant id quod suæ ambitioni aut cupidini præfixerunt, alia ex aliis peccata accumulunt, eaque ob res inanes et vanissimas, uti pulchre ostendit S. Basilius.

Ubi nota: Peccatum vocat *vanitatem*, « quia facientibus peccatum facile textitur, et adeo inane in se est ac futile, uti aranearum tela; sed cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis nec- timur, » inquit S. Hieronymus. Sicut ergo aranea

Vers. 18.
Tertia
labrusca
pertinaciæ.

Peccata
sunt funes
ob
quatuor
causas.

e suis visceribus longa ducit fila, et inutilem orditur telam, qua postea densata quasi fune et reti seipsam implicat: ita peccator sese eviscerat vanis laboribus et curis, in iisque vires, spiritus, succum et sanguinem suum impendit et exhaurit, ut suæ voluptati satisfaciat; iisque tandem ita se implicat, ut quasi laqueo et funibus constrictus videatur, ut ait Sapiens, *Prov. v, 22*. Peccata ergo sunt funes, *primo*, quia fiunt ex filis, id est ex rebus et voluptatibus vanissimis et levissimis; *secundo*, quia distorta sunt, ut funes; *tertio*, quia fortia sunt, ut funes; *quarto*, quia invicem connexa et implicata sunt, ut funes. Hoc representavit Samson, qui cedens suæ Dalilæ, eique revelans secretum, scilicet robur suum esse in crinibus, ab ea tonsus indeque enervis et imbellis a Philistinis funibus vinculus et excæcatus est. Quid enim est Dalila, nisi concupiscentia? quid sunt Philistinim, nisi impetus animæ? Cum ergo homo se concupiscentiæ tradit, mox diabolus, mundus et caro animi ejus oculos eruunt, et peccatorum vinculis astringunt. Si peccator ab his vinculis voluerit absolvi, conteratur et confiteatur, audiatque sacerdotem dicentem: « Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, » uti præcipit Christus, *Joan. xx, 23*.

Secundo, S. Cyrillus et Sanchez per « iniquitatem » et peccatum metonymice accipiunt peccati poenam et supplicium, *q. d.* Væ peccatoribus, quia post se trahunt peccatorum suorum supplicium, quasi plaustralia vincula, quibus instar boum alligati sunt, ut ea abrumpere nequeant! Sic dicitur *Thren. i, 14*: « Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. » Hic sensus appositus, et priori connexus est; poena enim individuus est comes culpæ: unde peccatores quibus funibus culpæ, iisdem et poenæ obstricti sunt.

ET QUASI VINCULUM PLAUSTRI PECCATUM (1).—Sicut plaustrum a bobus trahitur vinculo vel loro, non aliter vos trahitis peccatum, quod quasi plaustrum onustum et gravissimum animam mergit in infernum. Simile est, *Psal. xxvii, 5*, et *Zachar. 5, vers. 7*, ubi pulchrum est emblemata et hieroglyphicum iniquitatis, quæ quasi mulier amphoræ inclusa proponitur, et exire nequit,

(1) Alludit forsitan Propheta in hoc versu ad usum in Oriente vigentem. Tria genera ovium apud Arabes invenias. Aliæ, aliunde satis macilentæ, caudam ad minus trium cubitorum longitudinem, et decem, viginti, vel etiam triginta librarum pondus habentem trahunt, et si eam humum verrere cernerent, mox ulceribus laboraret. Omnes igitur pastores, præsertim in Kurdestano, prope Diarbeker, et in Syria, parvula plaustra vel curricula construunt, quæ ad collum pecudis alligant, et super quæ imponunt caudam istarum ovium. Aliæ caudam habent in latitudinem unius cubiti extendentem, et in clunibus magnam pinguedinis massam gestant. Aliæ tandem informes, cruribus brevioribus, corpore macilentiori, sed vellere optimo. (Herodotus, lib. III; Chardin, tom. III; Jahn, *Biblioth. archaeolog.* tom. I; Olerius, *Voyages*, pag. 786, 787.)

quia talento plumbeo os amphoræ oclusum est: captiva ergo in Babylonem trahitur.

Hinc Chaldæus hic vertit, *væ qui incipiunt paulatim peccata, augentque ut crescant, et fortia fiant ut vinculum plaustrum!* Syriaca, *væ qui protrahunt peccata sua tanquam funem oblongum, et quasi vinculum currus peccatum suum!* Arabica Antiochena, *væ qui multiplicant peccata sua, et ea prolongant (vel continuant et in longum protendunt), sicut funis longus, et circulo revolvunt peccata sua, sicut circumit rota!* Arabica Alexandrina, *væ quos sequuntur peccata sua velut funis longus, et iniquitates sicut incessus currum!*

Tropologice, hic tria hominum genera representantur: *primo*, qui peccatum prius, altero alterius speciei nituntur obtegere: verbi gratia, est aliquis malus Religiosus, peccavit; negat peccatum esse, additur mendacium; respuit correctionem, accedit contumacia; quæritur ad carcerem, aufugit, ecce apostasiam; excommunicatur, fit Minister Calvinianorum; ecce hæresis. Ita S. Augustinus, tract. 10 in Joan.

Triplices
funes
peccati.
Primus.

Secundo, qui ad unum magnum perficiendum, quod sibi præstituerunt, alia plurima præmittunt quasi media; ut qui proposuit ditari mentitur, calumniatur, fœnus exercet, furatur: qui cogitat virginem corrumpere, se ornat superflue, adhibet musicam, convivia, tripudia, mittit litterulas, lenas et conciliatrices, sæpe etiam ad magica dilabatur. Ita S. Basilius.

Secundus.

Tertio, qui, ut ait S. Gregorius, lib. XXXIII *Moralium*, cap. XII, per augmentum culpam protelant, id est eam augent continuatione et extensione ejusdem peccati, puta ebrietatis, luxuriæ, usuræ, etc.; nam consuetudine paratur habitus, et quasi vertitur in naturam. Sicut enim virgula facile potest revelli; sed si sinatur crescere, fit arbor vasta et robusta, quæ securi vix excindi potest: sic et peccatum ejusque concupiscentia initio est instar filii; sed si ei indulgeatur, crassescit instar lori aut rudentis. Ita Basilius. Recte ergo Poeta:

Principiis obsta: sero medicina paratur.

Cum mala per longas invaluere moras.

Ita Delrio, *adagio* 693. Quam valida fuerint hæc vincula malæ consuetudinis, puta concubinitus, in S. Augustino ante conversionem, docet ipse, lib. VIII *Confess.* cap. v: « Suspirabam, ait, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, ac constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. » Vide dicta *Jerem.* cap. XIII, 23. Sicut ergo bos vel equus, dum primum curru adhibetur alligaturque, salit, recalcitrat, jugumque conatur excutere, et manere liber: at ubi jugum subiit, eique assuetus est, sponte illum

subit, imo ex habitu eum adit, mox ut e præsente solvitur, esto in illo ipsi sudandum et gendum sit: ita homo initio peccati onus aversatur; at ubi ei assuevit, sponte illud subit, et quasi in dolore et gemitu suo ridens, ad illud ex consuetudine procurrit.

Audi eundem S. Augustinum, in *Psalm. CXXX*: « Optime, inquit, dicitur restis peccatorum; ut enim torqueatur restis additur, et non adduntur recta fila, sed torta: pravitas sibi connexa ducitur in longum, et non cogitat præcidere quod male texuit; sed addere, producere in longum, protendere, ut habeat in fine unde illi ligentur manus et pedes, et projiciatur in tenebras exteriores. » Idem in *Psalm. LII*, citans hunc Isaiaem locum: « Væ, inquit, his qui trahunt peccatum suum sicut restem longam! quid est aliud quam, Væ his quorum manus connectunt iniquitatem? sed non vis modo dirumpi vincula tua, quia non sentis vincula tua; etiam delectant te, et voluptati sunt, senties in fine cum dicitur: Ligate illi manus et pedes, » etc. Idem rursum alibi: « In modum, ait, funis, qui ex pluribus minimis (flis) crescit in multum (in magnum), peccata semper, tanquam longo fune trahuntur, ut scilicet convalescant in crassum rudentem plaustrum: » quo scilicet ad pœnarum et suppliciorum plaustrum firmiter ligentur peccatores, ut curru in præceps perpetuæ damnationis ruente, haud secus quam jumenta alligata pertrahantur.

Vers. 19. 19. QUI DICITIS: FESTINET, ET CITO VENIAT OPUS EJUS, UT VIDEAMUS. — Est vox Judæorum irridentium verba Prophetæ; dicunt enim: Veniat ira, pœna, et captivitas Dei, quam tu, o Isaia, vosque Prophetæ, comminamini, et assidue nobis intonatis, quasi inevitabilem, et æterno Dei decreto sancitam, nostrisque cervicibus impositam, q. d. Frustra hæc jactatis, inanes sunt minæ vestræ, iis non movemur; satis contra eas, contraque hostes omnes sumus instructi et armati; veniat Titus, experietur nostras vires, videbit quam Jerusalem sit munita et inexpugnabilis. Ita impii, imo athei censent Deum otiosum esse, nec curare res humanas: sicut Epicurus summam Dei felicitatem statuebat, quod omni negotio vacaret. Hinc aiunt: « Festinet, et cito veniat; » quia ex tarditate colligunt vanas esse Dei minas, quas non statim exsequitur. Sic S. Petrus, II *Epist. III*, 4, impios loquentes inducit, ex quo creatus est mundus, omnia eodem tenore et cursu fluere, ideoque frustra post tot sæcula expectari diem judicii divini.

Vers. 20. 20. VÆ QUI DICITIS MALUM BONUM, ET BONUM MALUM! — Aquila vertit: *Væ qui dicunt malo: Bonus es; et bono: Malus es!* Ecce huc evadit funis peccatorum, de quo vers. 13, ut scilicet tandem dicant malum esse bonum, suaque scelera excusent, dicantque esse virtutes; idque didicerunt a patre suo diabolo, de quo S. Gregorius, hom. 8 super illud *Psalm. c*: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*: « Hostis, ait, noster

tanta se arte palliat, ut culpas nostras virtutes fingat; ut inde quisque quasi exspectet præmia, unde dignus est æterna subire tormenta. Plerumque enim in ulciscendis vitiis crudelitas agitur, et justitia putatur; atque immoderata justitiae ira, meritum creditur; similiter effusio, misericordia; tenacitas, parcitas, pertinacia; constantia reputatur. Tales sunt, ait B. Maximus, serm. *De malis*, adulatores, qui scurram vocant, gratiosum; obscœna loquentem, civilem; iracundum, strenuum; parcum, providum; prodigum, liberalem. Tales laudatores illis quidem ore bene precantur, sed corde execrantur: nam hanc laudem omnem execrationem in illorum vitam inducunt; imo eos æternæ damnationi obnoxios faciunt, ipsa vitia approbantes.

21. VÆ QUI SAPIENTES ESTIS IN OCVLIS VESTRIS, — **Vers. 21.** qui humano et politico vestro consilio vos regitis, non lege et voluntate Dei, non prudentia et consilio divino; qui vestro judicio plus tribuitis quam Prophetis, dum bonum, malum, et malum, bonum dicitis! Vide S. Basilium, *Interrogat. 207.*

22. VÆ QUI POTENTES ESTIS AD BIBENDUM VINUM (VÆ HELLUONES, QUI AD OMNIA INVALIDI, INFIRMI, INEPTI ET INSULSI ESTIS! solum valetis et sapitis in vino), ET VIRI FORTES AD MISCENDAM EBRIETATEM. — Hebraice, *ad miscendum*, id est infundendum, *siceram*, id est vinum, cervisiam, et quidquid inebriare potest. Unde apte veteres Græci *siceram*, ad verbum vertunt *μίστρομα*, æque ac Latini *inebriamentum*. Solent enim veteres sobrii vinum aqua miscere; inde *miscere*, significat propinare, vel infundere. Sic Sapiencia miscuit vinum, *Proverb. IX*, 2, q. d. Fortes estis et strenui non contra hostes, sed ad exhauriendos calices: gigantes estis non ad bellandum, sed ad potandum.

Secundo et proprie, *fortes estis ad miscendum siceram*, id est varios liquores et potus inebriantes: verbi gratia, miscetis varia vina fortia, quæ per se et propter commixtionem hanc magis cerebrum feriunt, turbant et inebriant. Simile est *Psalm. LXXIV*, 9; *Isaia XXIX*, 14. Et hoc proprie est Hebræum *מִסְעָךְ* *mesech*, unde Latinum *misceo*.

24. PROPTER HOC, SICUT DEVORAT STIPULAM LINGUA IGNIS, — id est flamma ignis, quæ linguæ habet speciem: nam rubet, et in acutiem tendit; unde dicitur *lambere lingua*, q. d. Romani hanc vineam vitiis luxuriantem et sylvescentem, quasi stipulam aridam ita comburent, ut vix ejus vestigium remaneat. Videre id est hodie in urbe veteri Hierosolymitana, cujus ruinæ vix exant: nam Jerusalem quæ nunc visitur, nova est urbs.

SI RADIX EORUM QUASI FAVILLA ERIT, ET GERMINUM UT PULVIS ASCENDET, — q. d. Sic tota planta, vel arbor cum radice, et germine ac surculis, id est totus Judæorum populus cum suis familiis et stirpibus internecone peribit, evanescet et in fumum ibit. Est hyperbole (1).

(1) « Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et

Vitia palliant se virtute.

Vers. 21.

Vers. 22.

Vers. 24.

25. **CONTURBATI SUNT MONTES.** — Tam horridum erit excidium Judæorum per Titum, ut etiam montes turbari et admirari videantur; et, si sensu præditi essent, reipsa turbarentur et contremiscerent. Est hyperbole. Vide *Can.* XXXII. Arias Moñtanus per « montes » accipit duces et principes.

ET FACTA SUNT MORTICINA EORUM, QUASI STERCUS, — *q. d.* Cadavera eorum putruerunt et foetuerunt ut stercus. Sic tropologice frater S. Bernardi comptam mulierem vocavit « stercus involutum, » ut habetur lib. I *Vitæ* ejus cap. vi. Quid enim est corpus pulchrum, nisi saccus stercoreum, sepulcrum dealbatum, theca et esca vermium?

ADHUC MANUS EJUS EXTENTA, — quia in dies Deus adhuc punit Judæos exsilio et cæcitate; et, ut ait Daniel, cap. IX, vers. 27: « Usque ad finem perseverabit desolatio. »

Vers. 26.

26. **ET ELEVABIT SIGNUM,** — *q. d.* Deus quasi dux belli ipse tuba clanget, ipse præibit, ipse faciet erigi signum militare in nationibus procul, ut Gallos, Hispanos, et alias gentes evocet ad Romanorum exercitum, ut is festinus veniat contra Judæos: faciet, inquam, hæc ea ratione et modo, quo dixi *Can.* LVI. Judæi, Lyranus et Sanchez hæc omnia accipiunt de excidio per Chaldæos: verum ex dictis patet agi de Tito et Romanis.

ET SIBILABIT (*q. d.* minimo signo, quasi sibilo evocabit) **AD EUM,** — scilicet exercitum Romanorum, et Titum contra Judæos. Alludit, ait Cyrillus, ad sibilum apiariorum, qui apes educunt ad flores et pastum, ac reducunt sibilo. Unde cap. VII, vers. 18: « Sibilabit, inquit, api, quæ est in terra

eloquium Sancti Israel blasphemaverunt, » non erit absurdum si de Dei Filio incarnato intelligas locum hunc; nam in ea tempora hæc referenda sunt, quando ipsum Dei Filium conviciis lacesserunt, et injuriis affectum extra vineam ejecerunt et occiderunt. (Forerius.)

Assur. » Rursum alludit ad navarchos: ad horum enim sibilum præsto sunt nautæ jussa facturi; ut videre est in triremibus. Denique alludit ad pastores, qui verno tempore solent ex caulibus sibilo greges educere in pascua: quam vocem pastoris illi audiunt, eique obediunt et sequuntur, *Joan.* X (1).

27. **NON EST DEFICIENTS, NEQUE LABORANS IN EO.** — Vers. 27. Est hypotyposis, qua graphice depingit vires, celeritatem, aviditatem, fortitudinem et feritatem exercitus Romanorum contra Judæos.

28. **UNGULÆ EQUORUM EJUS UT SILEX,** — quia Judæa Vers. 28. petrosa est, neque ideo apta equestri excursioni; hinc equorum Romanorum unguis duritiem instar silicis attribuit.

30. **ET SONABIT,** — magno sonitu et impetu irruet Vers. 30. Titus cum Romanis super eum, scilicet populum Judæorum.

ET LUX OBTENEBRATA EST. — Est hyperbole, *q. d.* Præ magnitudine vastitatis et tribulationis, etiam lux ipsa miseris et attonitis Judæis obscura, et nox esse videbitur. Vide *Can.* XXXII.

(1) Idipsum quod vers. 24 et 25 dixerat, nunc jam manifestius narrat, ipsum scilicet exercitum hostium, per quos percutere decrevisset populum suum, arboremque illam magnam excindere, describens. Si hæc autem de Assyriorum exercitu accipere velis, sit tibi veluti typus adventus Romanorum. Et quidem primo adversus eos qui dicebant ut festinaret divina vindicta, describit celerem adventum velocissimumque exercitum. Et ne aliam causam adventus eorum esse existimes, describitur Deus quasi dux belli, qui signum jubet erigi, et sono tubæ milites convocat. Interim nota quod non sit Deo difficilius innumeram hostium multitudinem numerare, et adversus quodlibet regnum armare, quam sit homini sibilare; et sicut in navi ad sibilum naucleri ministri omnes præsto adsunt ut jussa faciant, sic Dominus a longinquo et ab ultimis orbis partibus quos vult convocat, ut qui « ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt vocare possit. » (Idem.)

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias videt Deum in throno magnifico, et Seraphim ei acclamantes: Sanctus, sanctus, sanctus. Secundo, vers. 6, a Seraphim calculo ignito tactus, purgatus et accensus mittitur ut prophetet Judæis. Tertio, vers. 9, jubetur prophetare Judæorum excæcationem et desolationem; ita tamen, ut semen sanctum in eis remaneat. Potuisset totum hoc caput tribus verbis comprehendere dicendo: Futurum est ut Judæi a Deo reprobentur; sed quia hæc prophetia gravis erat et odiosa, hinc Deus eam sua tam magnifica apparitione præmunivit et confirmavit. Scripsit in hanc Isaie visionem S. Bernardus sermones morales quinque (2).

1. In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. 2. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus;

(2) Sic totum istud caput contrahit P. Henricus Kilber. *Primo*, apparet scena visionis habens notam temporis, VI, 1; *exhibens* Dominum in throno sedentem, et tem-

plum parte vestimenti replentem, 1, Seraphinorum juxta adstantium formam et actionem, 2; *referens* eorum *trisationem*, 3. ortum hinc cardinem motum et fumi diffu-

et duabus volabant. 3. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum ; plena est omnis terra gloria ejus. 4. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo. 5. Et dixi : Væ mihi ! quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 6. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. 7. Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. 8. Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam ? et quis ibit nobis ? Et dixi : Ecce ego, mitte me. 9. Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere : et videte visiolem, et nolite cognoscere. 10. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava ; et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. 11. Et dixi : Usquequo, Domine ? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquatur deserta. 12. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. 13. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos : semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

Vers. 1.

1. IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX OZIAS, — puta anno 52 regni Ozia vel Azariae : hic enim fuit ultimus tam regni quam vitæ ejus. Chaldæus per mortem accipit separationem, qua Ozias percussus lepra, eo quod vellet adolere thymiana, vixit in domo separata, et ejus loco Joatham filius regnavit : hæc enim separatio civilis quædam est mors. Verum alii passim hæc de naturali ejus morte accipiunt. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Origenes, hom. 1 in cap. II *Judic.*; Chrysostomus in hæc verba Isaia, tom. I, causamque reddunt, cur mortuo Ozia prophetare cœperit, aut potius intermissam prophetiam resumpserit Isaia; quod scilicet Deus spiritum prophetiæ subtraxerit Isaia et Prophetis, eo quod Judæi leprosum regem non exturbassent urbe, sed permisissent eum vivere in domo separata : aut esto dederit eis oracula, non tamen, ut ea Judæi regis sui sacrilegio contaminatis manifestarent : mortuo vero rege, quasi remora sublata, rursus eis communicasse sua oracula. Verum incertum est an mortuo Ozia, an ante ejus mortem hæc visio obtigerit Isaia : nam Sanchez et alii censent obtigisse ante mortem ; idque magis insinuant verba : « In anno quo mortuus est rex Ozias. » Rursum parum aut nihil videntur peccasse Judæi, quod permiserint Oziam leprosum habitare in domo separata : nam ut ta-

ceam incertum esse, an hæc domus fuerit intra urbem, an extra; certum est domum hanc ita fuisse separatam, ut urbem et cives lepra inficere non posset. Unde Scriptura, cum factum hoc narrat, II *Paralip.* xxvi, 21, nullo modo illud carpit : præsertim quia regiæ dignitati aliquid tribuendum erat, et lex communis in eo mitius erat interpretanda; scilicet sufficere ut rex leprosus seorsim habitaret, ne quem inficeret, nec esse necesse ut more plebeiorum urbe pelleretur : alioqui enim sacerdotes qui regem leprosum ejecerant templo, etiam urbe eiecissent. Idem enim ad utrumque animus sufficiebat.

Quare si verum est cessasse prophetiam ob peccatum aliquod, verius est illud fuisse ipsummet Ozia peccatum, quo voluit invadere jura et munia sacerdotum, atque adolere thymiana : quod peccatum regis, quasi capitis, punivit Deus in toto corpore, puta in toto populo Judæorum ; præsertim quia aliqui, maxime primores et aulici, de more regi in hoc ausu et conatu favisse videntur ; ob hanc enim causam visioni huic signanter præmittit Isaia, dicitque : « In anno quo mortuus est rex Ozias. » Unde colligas quam peccata principum perniciose sint populo. Sic enim ob peccata filiorum Heli cæsus est populus, I *Reg.* iv et v ; et ob peccatum Davidis totus populus magna clade a Deo percussus est, II *Reg.* xxiv, 15 (1).

Scilicet quo obtulit incensam.

sionem, 4, excitans in Isaia metum mortis ob immunditiam propriam et Deum a se conspectum, 5.

Secundo, actio scenæ, *primo* ex parte Seraphinorum, quorum unus delato ex ara calculo tangit labia Isaia, 6, hoc tactu eundem emundat, 7 ; *secundo*, ex parte Domini, de legato ad Judam mittendo deliberantis, 8, Isaiam ad hoc munus se offerentem acceptantis, 9, mandatum eidem de populo excæcando et obdurando imponentis, 9, 10 ; *tertio*, ex parte Isaia, ad quæstionem factam edocti, de Judææ vastitate et incolarum tenuitate futura, 11, 12, de servandis tamen gentis reliquiis, ad genus sanctorum orogandum, 13.

(1) « In anno mortis regis Usia, » quo mortuus est rex Usias. Conf. similem phrasim infra, cap. xiv, 28. Sed Chaldæus : *In eo anno quo lepra percussus est Usias rex.* Id sequuntur præter Jarchium plures Hebræorum interpretes ; nam ex eorum placitis leprosus pro mortuo habebatur. Verum locus parallelus nostri vatis modo indizatus arguit, verba nostra simpliciter esse intelligenda de obitu Usia regis. Et quemadmodum illud vaticinium, cui cap. xiv, 28, inscribitur *in anno mortis regis Ahasi*, plures volunt Ahaso mortuo editum esse, ita et nostrum, cui eadem epigraphe, non ante, sed post mortem Usia

Tropologice S. Gregorius homil. 14 in Ezech. :
 « Quando Ozias rex superbus et præsumptor moritur, Dominus videtur; quia cum mundi hujus elatio a desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens Dei gloriam contempletur. »

proditum statuunt. Ea Hieronymi est sententia in utraque hujus carminis expositione. Ita enim ille in priore *ad Damassum* : « Regnavit Ozias annis quinquaginta duobus, quo tempore apud Latinos Amulius, apud Athenienses Agamestor undecim annis imperabat. Post cujus mortem Isaias Propheta hanc visionem, quam explanare nunc nitimur, vidit, id est eo anno quo Romulus, Romani imperii conditor, natus est... Vivente leproso rege, et quantum in se est, sacerdotium dissipante, Isaias visionem videre non potuit. Quamdiu ille regnum tenuit in Juda, Propheta oculos non levavit ad cælum; non ei sunt reserata cælestia, non apparuit Dominus Sabaoth, nec in mysterio fidei ter Sancti nomen auditum est. Quando vero ille mortuus est, universa quæ subsequens sermo monstravit, aperto sese lumine prodiderunt » Non hoc vult Hieronymus, hoc carmen omnium, quæ Isaias edidit vaticiniam, esse primum, sed *primam* esse *visionem*, quæ illi divinitus oblata esset. Idem Hieronymus in *Commentario* : « Sub quatuor regibus prophetasse Isaiam super Judam et Jerusalem, primæ visionis (rectius dixisset *vaticinii*) titulo demonstratum est. Mortuo ergo Usia, sub quo dicta sunt universa quæ supra exposuimus, successit filius ejus Joatham, qui regnavit annis sedecim, et fecit rectum in conspectu Domini, et portam templi ædificavit excelsam. Quo imperante vidit Isaias sedentem Dominum super solium excelsum et elevatum, ut habitum regnantis ostenderet. » Sed vere monuit Gesenius, visio quæ hoc capite describitur, si vati objecta fuisset mortuo Usia, credibile esse primum annum Jothami, successoris Usiæ in regno, notari. Causam quidem, cur in hac inscriptione tempus oblatæ vati visionis morte decedentis potius, quam regno tunc regnantis regis Jothami notetur. Chr. Aug. Crusius, in *Progr. de æra Jothamica* (Lips. 1756), tradit hanc : « Annus ille quo rex Usias mortuus est, Jothamicus secundus quidem, sed regni Jothami primus erat, ideoque nomen, si a Jothamo appellabatur, ambiguum erat. Nam eo tempore quo Usias senex functiones sacerdotii sibi arrogans in Sanctuario lepra percussus erat, ideoque cum contumelia separatim degere cogebatur, et Jothamus domui regiæ præerat, etsi regio nomine non utens, vivente patre, qui sequenti anno decessit, anni Jothamici, ut æra secundaria, aliquandiu numerati sunt, etiam post ejus mortem, quam ob causam annus Ahasi tertius nuncupatur quoque vicesimus Jothamicus. Casus autem ille, quo adfectatio sacerdotii in rege cæteroquin probato confestim lepra lethali vindicabatur, in historia religionis veteris Testamenti permagni ponderis est, ostenditque quam divina et inviolabilis sit constitutio per Mosen facta. Hinc operæ pretium utique fuit, annos ab hoc termino numerare, sed non tristi nomine, quodque in defunctum videri posset contumeliosum, annos lepræ Usiæ. » Quod quidem argute excogitatum, sed parum verisimile est. Nec valet hujusmodi ratio epigraphes oraculi, cap. xiv, 28, præmissæ. « Vidi » oculis mentis; nam de visione phantastica, quæ Prophetæ vigilantibus et in *extasim* rapto obtigerit, ea omnia quæ hac pericopa narrantur, intelligenda esse, inter Hebræos recte observat Abarbenel, haud longe diversus a Maimonide, qui in *More Nebochim*, pag. 2, cap. xlv, Isaiæ hoc visum in somnio prophetico obtigisse conseruit, quod ipsum a visione extatica parum aut nihil differt. Eadem ratio visionum est, quæ narrantur a Micha, I Reg. xxii, 49; Amos vii, 1 et 8, ix, 1; Jerem. i, 11, 12, 13; Ezech. i, 1, x, 1; Daniel. vii, 13, DOMINUM, Jovam, Israelitarum

VIDI DOMINUM SEDENTEM. — Isaias vidit hic Deum sedentem in augusto solio, idque in templo, ut patet ex eo quod sequitur : « Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. » Ubi nota : Deus apparet ea forma et habitu, quem res ipsa exposcit : sic Mosi visus est in ardenti rubo, ut ostenderet se quasi pungi et uri ærumnis populi sui ab Ægyptiis oppressi : sic Stephano decertanti apparuit stans, quasi simul cum eo certaturus : sic Magdalenæ apparuit quasi hortulanus; discipulis euntibus in Emmaus, quasi peregrinus; quia in horto, et peregre peregrinis apparebat, et quia hortulanus et peregrinus erat in mente et opinione eorum qui de ejus resurrectione dubitabant, et ejus passione ac cruce obnubilati, in fide Christi vacillabant. Sic Isaiæ hic apparet quasi rex et judex magnificus sedens in illustri et regali solio, quia majestatis suæ speciem Isaiæ, et per eum populo incredulo exhibere volebat, ut Deo credere eumque revereri addicerent, ac judicem et vindicem expavescerent.

Quæres *primo*, cur hæc visio Isaiæ sit objecta? Respondeo *primo*, ut per eam, vers. 7, quasi consecraretur Propheta et Apostolus. Ita Nazianzenus, orat. 2 *De Theolog. Secundo*, ut a cælestibus spiritibus disceret, quomodo divina tractanda sint, ait S. Dionysius cap. xvii *Cælest. Hierarch. Tertio*, ut animaretur a Deo ad libere, vers. 9, arguendam cæcitatem Judæorum. *Quarto*, Isaias hic mysterium SS. Trinitatis, et incarnationis Verbi (sedens enim Deus in throno habuit faciem et pedes, quasi futurus homo) cognovit, et nobis adumbravit, uti patebit ex sequentibus.

Quæres *secundo*, quomodo viderit Deum? Respondeo non vidisse divinam essentiam : si enim « Deum nemo vidit unquam, » Joan. i, ergo nec

regem, ut diserte vers. 5 appellatur. Chaldaeus *gloriam Jovæ* posuit, ut innueret vatem non vidisse ipsum Deum, cujus *essentiam*, uti Hebræorum philosophi loquuntur, mortalium nemo vel oculis usurpare, vel imaginandi vi repræsentare sibi potest, sed symbolicum quoddam phantasma, quod Deum repræsentaret. Specie humana autem vatem animo concepisse Jovam suum patet, inde quod throno eum insidentem splendidaque trabea indutum describit. Et Ezechiel numen in visione sibi oblatum describit, i, 26 : « Figura humanæ simili. » Interpretum antiquiorum et recentiorum haud pauci eum qui hic describitur, *Deum Filium* fuisse, existimant ob locum Joan. xii, 41 : « Sedentem super throno alto et elato. » Notat Kimchi, cui et Gesenius adstipulatur, *altum et elevatum* esse adjectiva substantivi *throno*. Sed est docta Abarbenelis observatio, voces illas æque commode referri posse ad Deum, ut sensus sit, speciem quæ occuparet thronum, visam esse augustam, et humana longe majorem. Certe hæc ipsa epitheta alibi Deo tribuuntur, et apud ipsum nostrum Prophetam infra, cap. lvii, 15 : *Nam sic ait altus et elatus, habitans æternitatem.* Conf. *Psal. xcix, 2.* Ad Deum, non ad thronum, referenda esse adjectiva ista, indicantur et illi qui accentus apposuerunt, uti ostendit H. B. Starckius in *Notis select.* ad hunc locum, et G. C. Dachselt in *Bibliis accentuatis*, part. II, pag. 21, qui locum nostrum docent sic vertendum : *Vidi Dominum throno insidentem, excelsum et elevatum.* (Rosenmuller.)

Deus apparet ea forma et habitu, quem res ipsa exposcit.

Cur hæc visio Isaiæ objecta?

Quomodo?

Moses, nec Paulus, nec Isaias. Ita Theophylactus, Euthymius et alii ibidem. Vidit ergo Deum per speciem aliquam et imaginem corpoream, uti et vidit Abraham, Jacob et Moses: hæc autem species fuit quasi hominis, puta regis. Unde sedisse visa est, vers. 1 et 2; ejus pedes et facies describuntur: et sic passim Deus in veteri Testamento specie humana apparuit, quia futurus erat homo. Rursum hæc species gloriose adornata fuit ingenti lumine et majestate. Unde *Joann. XII, 41*, vocat eam gloriam Christi.

Fuit spiritalis, non corporalis.

Quæres *tertio*, an oculis corporeis hæc viderit Isaias? Nonnulli probabiliter affirmant ex vers. 5: « Vidi, inquit, oculis meis. » Sic enim oculis corporeis gloriam Domini vidit Moses, uti dixi *Exodi xxxiii, 22*, et S. Pachomius, ut patet ex ejus Vita. Sed contrarium verius est, scilicet hanc speciem fuisse imaginationi, ut vult S. Augustinus libro *Contra Adimantum*, cap. xxviii, aut potius menti Isaiæ objectam. *Primo*, quia fuit sublimissima; *secundo*, quia non est verisimile eum audivisse auribus corporeis vocem Dei et Angelorum clamorem, nec vidisse in cælo templum, alas, prunas, iisque revera adustum fuisse os Isaiæ; *tertio*, quia sicut Isaias Seraphim, sic Ezechiel, cap. i, vidit Cherubim: illa autem visio fuit partim imaginaria, partim intellectualis: ergo et hic talis fuit; *quarto*, id magis patebit ex *Quæst. IV*. Vide dicta in Proemio, *Quæst. II (1)*.

Vidit Deum trinum.

Quæres *quarto*, an viderit Deum tantum, an vero etiam tres in eo personas? Alcazar in *Apo-*

(1) Dæderlein visionem divinam, quæ versibus septem prioribus narratur, oraculo, seu potius orationi severiori quæ sequitur, introductoriam esse censet. Prævidisse Prophetam, quantam sibi invidiam oratione inectiva in populi impietatem et minis plena creaturus esset, nisi auctoritate divina præmuniretur. Ad hanc igitur aut cavendam, aut emolliendam, excitandamque attentionem, vatem tradere, se non sine Numinis admonitu talia edicere, sed divinitus instructum confirmatumque publice censoris officio defungi. Cæterum omnem hanc representationem symbolicam esse, variis compositam figuris, aliis ex historia, aliis ex ingenio, aliis ex cultu Judaico petitis, ad depingendam summi omnium imperatoris majestatem aptissimis. Nos tamen haud dubitamus iis accedere interpretibus, qui solemnem inaugurationem ad munus prophetæ gerendum hoc carmine describi statuunt. Sudent id et carminis sublimitas et similes visiones, quibus ad munus propheticum inaugurati sunt Jeremias, cap. i, et Ezechiel, cap. i. Atque quemadmodum Jeremiæ deprecanti munus propheticum sibi oblatum, cui se imparem sentit, Deus animum addit, tactoque ejus ore prophetam consecrat, munerisque partibus instruit; ita et noster haud parum muneris prophetæ gerendo se sentiens labiis contactis igneo lapide a sua immunditie liberatur; et hoc ipso ad suum munus inauguratur. Sic et alii vates, quibus numen sanctissimum visu sese offerret, suæ infirmitatis memores, se tanta visione indignos judicarunt. Vide *Ezech. i, 28*; *Daniel. viii, 17, 18*, et *x, 9, 10*; *Apo. i, 17*. Erit igitur hoc carmen omnium qui Isaias edidit primum; nec obstat huic sententiæ libri inscriptio, in qua Isaias sub Usia prophetæ munere fungi cœpisse dicitur. Cum vero quæ hoc capite describitur visio eo quo Usias rex obiit anno, objecta fuerit (vers. 1), aliquot

cal. iv, 2, notat. 3, censet quod Isaias solum Deum Patrem viderit, non Filium, non Spiritum Sanctum, et citat pro hac sententia S. Athanasium, Irenæum et Origenem. Ex adverso Procopius, Arias et Sanchez censent solum Filium hic apparuisse. Idem censent omnes illi Patres et Doctores, qui putant in omnibus apparitionibus Dei factis in veteri Testamento apparuisse Filium, idque ad hoc, ut patribus daret specimen suæ incarnationis futuræ. Ita sentiunt Theodoretus, Justinus, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus et alii quos citavi, *Genes. xxxii, 24*, imo Concilium Sirmiense, *can. 14*. Ubi nota hosce Patres non negare quin, una persona SS. Trinitatis apparente, aliæ quoque concomitanter adfuerint; imo idipsum confitentur, tum quia omnes conjunctæ sunt in divina essentia, quam unam eandemque habent: tum quia una persona est in alia per *περιχώρησιν*, sive circuminsessionem; tum quia opera Dei ad extra, quale est apparitio, communia sunt toti SS. Trinitati. Ita diserte docet S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. xxiii; imo cæteri omnes fatentur Seraphinos hic ter clamasse « sanctus, » quia illud acclamabant SS. Trinitati. Unde Procopius: « Seraphim, inquit, qui Dominum sabaoth dicunt, in una divinitatis natura Trinitatem ponunt. » Vide Damascenum *De Trisagio*.

Verum dico Isaiæ hic apparuisse tres personas SS. Trinitatis, non per concomitantiam, sed per se directe et expresse; ac proinde dico cum Toletio in *Joan. xii*, et Maldonato ibidem, hanc imaginem non tantum unitatem essentiæ, sed et tres personas representasse divino quodam et ineffabili modo: sicuti si quis videret verbum mentis Beatorum, abstractivè in eo videret Deum unum et trinum; ac proinde excellentior fuit Isaiæ visio quam Abrahæ, qui oculis suis tres vidit, sed mente unum adoravit. Probatur id *primo*, nam Probatur Filium hic apparuisse clare dicitur *Joan. xii, 41*. *primo.* idem de Spiritu Saucto patet *Act. xxviii, 25* conjuncto cum hoc loco Isaiæ: ait enim ibi S. Lu-

menses ante regis mortem id accidisse necesse est. Cur vero qui Isaiana vaticinia in unum volumen collegerunt, hoc quod temporis ratione omnium primum est, non in libri fronte collocarint, ratio probabilis nunc vix reddi poterit.

Carmini huic explicando viri docti haud pauci singularem operam impenderunt. Quorum scripta, quotquot nobis innotuerunt, jam recensebimus.

Hieronymus sub commentarii in hoc caput initio: « De hac visione ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejusdem urbis Episcopum, sanctarum Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitumque tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei, et amicis jubentibus obedirem. » Ille tractatus idem videtur, qui hodiernum exstat inter Hieronymi Epistolæ. Damasceni inscriptus est, legiturque in Hieronymi operum editione, Francofurt., tom. III, pag. 77 seqq., edit. Martianaii, tom. IV, pag. 1120; edit. Vallars, tom. III, pag. 500. Explicatio satis proluxa, sed tota allegorica et mystica. (Rosenmuller.)

cas Spiritum Sanctum dixisse hæc verba quæ hic habentur, vers. 9 et 10, per Isaiam : atqui, ut hic dicitur, vers. 1, Isaias vidit eum, qui dicebat hæc verba, sedentem in solio : ergo vidit Spiritum Sanctum. De Patre docent omnes Patres, quos vide apud Damascenum, tract. *De Trisagio* : nec dubium esse potest.

Secundo. *Secundo*, quia, sicuti ob unitatem essentiae, Seraphim semel tantum clamarunt : « Dominus Deus sabaoth, » ita ob tres personas eidem sedenti in throno ter acclamarunt : « Sanctus, » ut docet Alexander I, *Epistol. 1 Decretal.*, et Benedictus I, *Epistol. 1 Decretal.*, S. Dionysius, cap. VII *Cœlest. Hierarchiæ*, et alii mox citandi; estque communis Patrum et Ecclesiæ sensus, teste Leone Castrio. Hinc ergo patet vera divinitas Filii Dei et Spiritus Sancti, contra Arianos et Macedonianos. Hoc enim argumento Cardinalis Bellarminus convicit Palæologum Arianum : « Ille quem vidit Isaias fuit verus Deus, ut patet, et admittunt Ariani; atqui Isaias vidit Filium Dei, ut patet Joannis, cap. XII, vers. 41; ergo Filius est verus Deus. »

Tertio. *Tertio*, quia graves Theologi docent Deum posse creare et infundere alicui speciem, quæ representet essentiam divinam, et tres personas : quam speciem si quis perfecte intelligendo comprehenderet, is divinam essentiam quidditative, et per proprium conceptum, non intuitive, sed abstractively cognosceret. Si enim datur species Dei expressa, puta verbum mentis Beatorum; cur non possit dari species Dei impressa et indita a Deo? Ergo Isaiæ talis species vel imago dari potuit, et datam esse, ea quæ jam dicta sunt concludunt.

Similitudines SS. Trinitatis. Homo tricornis. Afferunt aliqui simile, scilicet Isaiam vidisse Deum in tribus personis, sicut Poetæ fingunt Geryonem tricorporem fuisse. Sed hoc simile in eo dissimile est, quod deitas non sit in tribus personis, sicut anima Geryonis fingitur fuisse in tribus corporibus : hæc enim tria corpora singula suam habebant essentiam ab essentia alterius distinctam : personæ autem divinæ omnes unam eandemque numero habent essentiam. Unde similior esset imago, si una ponatur anima in eodem corpore ter quasi replicato; visus enim hic est Deus quasi homo et rex sedens in solio : sicut in parelio tres soles apparent, ex radiis solis in nube reflexis, qui tres soles revera tantum sunt unus sol : perinde ac in speculo vultus hominis apparens, iterumque in alio speculo reflexus, non est alius, sed idem et unus cum ipsomet vultu hominis. Mille alios modos representandi SS. Trinitatem habet Deus, quos nos ignoramus, iisque hic uti potuit.

Quarto. *Quarto*, quia veteres Rabbinii sic exponunt, ut R. Simeon filius Joai : Sanctus, inquit, hic est Pater; sanctus hic est Filius; sanctus hic est Spiritus Sanctus, teste Galatino, lib. II, cap. I; additque eos sanxisse ut minimum bis in die, scilicet oriente

et occidente sole, tam hæc Isaiæ, vel potius Seraphim, verba, quam illa Mosis, *Deut. VI, 4*, juxta Hebraicum textum : « Audi, Israel, Deus, Deus noster, Deus unus est, » a quolibet Judæo quotidie recitentur, quod apud eos ad sua usque tempora perseverasse asserit : nimirum ut ita personarum trinitatem cum divinæ essentiae unitate profiterentur. Nam nomen *Deus* in *Deut. ter* repetitum, æque ut *sanctus* apud Isaiam, significat tres personas. *Secundo* vero loco additum *et noster*, significat Verbum assumpsisse carnem nostram, nobisque datum et nobis natum esse Emmanuelem; qua ratione etiam David dixit, *Psal. LXVI, 7* : « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. » Citat et Genebrardus in fine lib. I *Chronol.*, veterem Rabbinum R. Ibba, qui dicit hos tres קדוֹשׁ *kados*, id est *sanctus*, alibi vocari tria specula, tria luminaria, tres supremos patres principio et fine carentes; alibi vocari coronam, sapientiam et intelligentiam, alibi tria יְהוָה *יהוה* designantia tres *Jehova*, id est tres personas divinas.

Trinitatis professio quotidiana apud Judæos.

Varia ejus epitheta.

SUPER SOLIUM EXCELSUM ET ELEVATUM. — Solium hoc simile erat propitiatorio templi, sustentato a duobus Cherubinis, *Exodi XXV*. Erat enim in templo, ut jam dicam. Dicitur solium hoc « excelsum, » respectu terræ in qua stabat Isaias : solium enim hoc videbat ipse in cælo excelso : dicitur « elevatum, » quia in ipso cælo altum, et e pavimento elevatum apparebat. Solium hoc est Dei judicis, ideoque significat definitam esse Dei contra Judæos sententiam de eorum excæcatione et reprobatione. Symbolice aliqui per solium excelsum accipiunt solium Ecclesiæ et Pontificis Romani, in quo sedet et præsidet Deus. Hinc pro *excelsum* hebraice est, כֶּתֶם *ram* : unde Roma, id est celsitudo, teste S. Hieronymo, lib. II *Contra Jovin.*

ET EA QUÆ SUB IPSO ERANT (Symmachus et Theodoretus vertunt, *quæ sub pedibus ejus erant*), **REPLEBANT TEMPLUM.** — Hinc patet Isaiam non tantum vidisse Deum, sed et templum, puta Deum in templo magnifico et glorioso residentem. Putant aliqui, ut noster Prædus in prima visione Ezechiels, sect. VI, hoc templum fuisse templum Salomonis, quasi in eo sedentem Deum viderit Isaias, sicut Pontifex ingrediens Sancta sanctorum audiebat vocem Dei sedentis in propitiatorio. Verum, quia hæc sublimis et divina fuit visio, et quia Isaias ait se vidisse Deum supersolium excelsum et elevatum; rursus se vidisse et audisse cœlestes spiritus, puta Seraphim, clamantes : « Sanctus, sanctus, sanctus; » hinc verius est eum hoc templum vidisse non in Judæa, nec in terra, sed in cælo, uti et vidit S. Joannes, *Apoc. VIII, 3*. In cælo ergo vidit hoc templum augustum, quod tamen erat simile templo Hierosolymitano; unde vidit in eo altare et solium Dei instar propitiatorii, et Seraphim instar Cherubim (1).

Isaias videt Deum in templo cœlesti.

(1) Quid hoc loco intelligendum sit per templum, etc.

Fimbriæ et sirmata Dei. Nota : Pro ea quæ sub ipso erant, hebraice est *שולא* *sculaf*, id est fimbriæ, vel oræ vestium; q. d. Poderis et vestis regalis, sive paludamentum Dei, ita longum erat, latum et sinuosum, ut fimbriæ et oræ ejus replerent templum, quomodo reges et reginæ, æque ac Cardinales, longissimæ habent symmata quæ a pedissequis elevantur et sustinentur. Septuaginta et Chaldæus has fimbrias vocant gloriam : quia augustæ erant et gloriosæ. Unde vertunt, et plena erat domus gloria ejus : quod in nonnulla exemplaria versionis Latinæ irrepsit. Unde et Ecclesia utramque versionem conjunxit in responsorio I Dominic. novembris, dicens : « Plena erat omnis terra majestate ejus : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. »

R. David putat fimbrias has non fuisse vestium Dei, sed stragulorum, quibus regium ejus solium sternebatur; sed *sculaf* significat fimbrias vestium potius quam solii.

Significant Dei majestatem nobis velatam. Ad litteram hæ fimbriæ erant symbola, et significabant immensam potentiam, majestatem et gloriam (uti vertunt Septuaginta et Chaldæa) divinitatis in se, sed nobis absconditam et velatam, revelatam tamen per fidem in ænigmate, obscure et tenuiter ab hominibus etiam Isaia et Prophetis cognosci.

Symboli et humanitatem Christi. Mystice, hæ fimbriæ et vestes significant humanitatem Christi, quæ quasi est fimbria divinitatis, id est vestis extima et infima Verbi, sive Filii Dei, cujus doctrinæ, Evangelii, miraculorum, Sacramentorum, gratiæ et charismatum gloria totum templum, id est tota Ecclesia, impletur. Ita Ru-

consentiunt interpretes. Sunt qui existiment oblatum fuisse Isaia Deum throno insidentem extra templum in caelo, augusta adeo specie, et tam lata et fluxa veste, ut illius fimbriæ implerint templum. Ita Chaldæus : *Vidi gloriam Domini residentem super solium excelsum in et elevatum caelis supremis*. Videtur ejus menti observatus esse locus infra, LXVI, 1 : *Dicit Jova : Cælum est thronum meum, et terra scabellum pedum meorum*. Sed nostri loci alia plane est ratio. De eo recte Grotius : « Visum est vati tribunal erectum in templo tanquam in Dei regia, ut ex sequentibus apparebit. » Primo enim dicuntur fimbriæ vestis replere templum, hoc est ipsam templi ædem, quod intelligi nequit, nisi supponatur Deus in ipso visus sedisse templo. Templum enim cum superne clausum tectumque esset non potuit trabæ regalis lacinia implere templum, si Deus apparuerit vati extra templum. Tum, postquam dictum esset (vers. 2, 3) Seraphos gloriam majestatemque Dei concorde voce prædicasse, additur vers. 4, commotos esse postes limitis a voce clamantium. Quomodo vero si hæc acclamatio in ipso templo facta non sit? Porro, quod subsequitur, domum repletam esse fumo, idem evincit. Denique diserta altaris mentio, vers. 6, extra omnem dubitationem ponit, scenam hujus visi poni in templo. Translatum igitur in spiritu se vidit vates in templo, ubi contemplatus est Jovam in ipso adyto, sanctissimo templi penetrali, eodem in loco, ubi sedes erat arcæ fœderis, throni Jovani imago, sedentem in throno, augusta specie, tam laxa et fluxa veste, majestatis indice, ut oræ sive fimbriæ ejus largæ protensæ fuerint in templum, hoc est mediam templi partem, huic penetrali contiguam, velo et intermurali intermedio, quæ Sanctum ab adyto diviserunt, remotis. (Rosenmuller.)

pertus qui hæc refert ad gloriam Christi, quam habuit post ascensum in cælum, cum Seraphim, id est Apostoli, recepto Spiritu Sancto ignei, Christi fidem et gloriam toto mundo proclamaverunt et propagaverunt.

TEMPLUM. — Hebraice est *היכל* *hechal*, id est templum prius, puta *Sanctum*, in quo erant candelabrum, mensa panum propositionis, et altare thymiamatis; nam posterior pars templi, puta *Sanctum sanctorum*, dicebatur *דביר* *debir*, id est oraculum; in quo erat arca cum propitiatorio, et Cherubim. Verum *hechal* hic, ut et alibi, cum solum ponitur, nec distinguitur a *debir*, significat totum templum, tamque *Sanctum sanctorum* quam *Sanctum* complectitur. Jam sensus est : fimbriæ hæ tam longæ et latæ erant, ut non tantum implerent *Sanctum sanctorum*, in quo sedebat Deus in suo solio Augusto, quasi in propitiatorio inter Cherubim; sed etiam diffunderent se per *hechal*, sive per *Sanctum*, illudque pariter implerent, q. d. Gloria hæc et majestas Dei ac Christi implebat Ecclesiam, tam cœlestem et triumphantem (hanc enim representabat *Sanctum sanctorum*), quam terrestrem et militantem (hanc enim representabat *Sanctum*); puta implebat cælum et terram. Hinc ex loco canit Ecclesia : « Plena erat omnis terra majestate ejus. » Significant ergo hæ fimbriæ minimum divinæ majestatis majus esse tota hominum gloria, totoque orbe.

2. SERAPHIM STABANT SUPER ILLUD. — « Seraphim » est vox Hebræa a radice *שראפ* *saraph*, id est accendit, ussit. Inde « Seraphim » dicuntur quasi ardentes et incendentes, ob substantiam eorum, primo, purissimam, et maculæ omnis expertem; secundo, pervigilem; tertio, mire excitatam; quarto, agillimam; quinto, vi et efficacia singulari præditam; sexto, splendentem instar ignis; septimo, et maxime, ob charitatis ardorem, quæ est summum bonum, et beatitudo hominis in hac vita; ac hominum enim usu, sensu et æstimatione in hac vita, Angelis nomina sunt imposita. Atque licet omnia jam dicta cæteris Angelis sint communia; unde de eis dicitur, *Psalm. ciii, 4* : « Qui facis Angelos tuos, spiritus; et ministros tuos, flammam ignis; » tamen in Seraphinis, qui Deo proximi lucis et ignis divini illustrationem et ardorem immediate et proxime excipiunt, peculiari et perfectiori quodam modo reperiuntur, uti docet S. Dionysius, *De Cœlesti Hierarchia*, quem S. Chrysostomus, hom. 64 ad Populum, et cæteri Patres sequuntur. Pulchre S. Bernardus, serm. 3 in hanc Isaia visionem : « Ut quid, ait, tu qui mane orbavis, Lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur. Tu vero habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses quam lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti

Templum duplex.

Vers. 2. Seraphim, id est, ardentes septupliciter.

enim : Ascendam super altitudinem nubium, sedebam in lateribus Aquilonis. »

Prædicatorum sicut Seraphim. Moraliter, « Seraphim » significant eos, qui Isaiaei similes, id est Prophetæ et præcones Dei, esse volunt, debere ardere charitate. Sic Seraphinorum uti nomine, ita re ipsa imitatrix et æmula fuit S. Serapia virgo et martyr, quæ Christi amore accensa, utrumque ignem carnalem, nimirum venereum et vulcanium superavit; eo denique plures alios, ac imprimis S. Sabinam accendit, atque ad eandem martyrii lauream incitavit; cujus diem natalem recolat Ecclesia die 4 septembris, ut merito de ea canat Poeta Christianus :

Ardentes illæsa tulit Seraphia tædas,
Quæ tolerat Cyprias inviolata faces.

Exempla. Talis præco fuit Elias, de quo *Eccli. XLVIII, 1* : « Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat; » unde curru igneo raptus est in cælum. Talis præco fuit S. Basilius, quem S. Ephrem absens vidit instar columnæ igneæ, et præsens vidit linguam igneam loquentem per os ejusdem, teste S. Amphilochio in *Vita S. Basilii*. Talis præco fuit S. Franciscus, de quo S. Bonaventura, cap. XII *Vitæ* ejus : « Erat, inquit, verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat; cum non humanæ inventionis ornatum, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. » Deinde narrat exemplum, quod, cum coram Pontifice et Cardinalibus concionaturus concionem composuisset, totius oblitus sit; quare conferens se ad orationem, « tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum virorum sublimium mentes ad compunctionem inflectere, ut aperte claret, quod non ipse, sed spiritus Domini loquebatur; veritatem enim fidentissime prædicabat; nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur, et parvis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur, et multis » (notent concionatores qui minuunt animos et studium, cum minuitur auditorium); « omnis ætas, omnisque sexus properabat virum novum, mundo cœlitus datum, et cernere et audire; ipse vero per diversas regiones progrediens evangelizabat confidenter, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Talis non tantum concionator, sed et Doctor fuit ipse S. Bonaventura, qui in suis libris, etiam scholasticis, auditorem æque ad pietatem inflammat, ac sapientia illustrat : quare merito vocatur Doctor Seraphicus. Hunc imitentur Doctores scholastici; præsertim Religiosi, ut se æque religiosos esse ac doctos ostendant. Similiter Ezechiel, cap. I, IV et VII, vidit Cherubinos stantes in igne scintillantes et fulgurantes : « Et scintillæ, inquit, quasi aspectus æris candentis. » Quod explicans mystice S. Gregorius, hom. 3 in *Ezech.* : « Vis, inquit, prædicantium et sonat et ardet :

ardet desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa; sed de candenti ære scintillæ procedunt; quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt, quæ quos in corde tetigerint, incendunt. » Quocirca noster Alcazar ad litteram per duos Seraphim intelligit Petrum et Paulum, virosque Apostolicos, de quo vers. 6.

STABANT SUPER ILLUD, — scilicet solium; « stabant, » inquam, « super » (hebraice *לְעַל* (1), id est juxta vel circa solium), puta super pedem aut pavimentum solii; decebat enim eos esse humiliori gradu, quam erat ipsa sedes et solium Dei. Sic enim videmus reges alto throno considerare, et inferne assistere ei principes.

Nota : Hi Seraphim stipant solium instar Cherubim stipantium propitiatorium, *Exodi* xxv. Imo noster Prado loco jam citato putat hos Seraphim Isaiaei eosdem esse cum Cherubim Mosis et Ezechielis; verum verius est esse diversos. Hinc enim Ecclesia inter novem choros Angelorum, ordinem Seraphim distinguit, et præponit ordini Cherubim quasi summum. Nec enim ordo Seraphim alibi in Scriptura nominatur quam hic. Porro cum Moses et Ezechiel viderint Cherubim, Isaiaei vero Seraphim, ratio est, quia currus Cherubim, quem vidit Moses et Ezechiel, symbolum erat tum sapientiæ et providentiæ divinæ, qua ipse regit mundum, et maxime Ecclesiam ac Synagogam; tum pugnæ et victoriæ divinæ, quæ Pharaonem aliosque hostes populi sui debellavit et protrivit; Isaiaei vero vidit Seraphim, quia ab eo ignito purgandus erat a phlegmate et timiditate, atque igne divino accendendus et inflammandus, ut patet vers. 7.

Cur Isaiaei vidit Seraphim, Ezechiel Cherubim?

Pulchre S. Bernardus, serm. 3 in hanc visionem, notat, Dei esse sedere, Angelorum stare, ac Luciferum cecidisse, quia dixit : « Sedebo in lateribus Aquilonis. » « Stant, inquit, plane Seraphim, quia charitas nunquam excidit. Stant attoniti, et suspensi in contemplatione sedentis in throno; stant in æterna incommutabilitate, et æternitate incommutabili. Tu (Lucifer), sedere tentasti, o impie! propterea tui moti sunt pedes, et effusi sunt gressus tui. Filius est qui sedet in throno, Dominus Sabaoth, cum tranquillitate judicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem; Seraphim vero stant. »

Deus sedet, angeli stant.

SEX ALÆ UNI, ET SEX ALÆ ALTERI. — Hinc patet hanc visionem non fuisse realem, sed imaginariam et symbolicam; nam Seraphim non habent alas, quibus vere et realiter volent; unde et volatus unius Seraphim ad Isaiaei, contactusque labiorum ejus non fuit realis, sed imaginarius.

Nota primo, symbolice Seraphim cum alis fugi et pingi, ut significetur eos esse cœlestis naturæ

Seraphim quid ?

(1) Hebræus textus fert *לְעַל מְעַל* שרפים עמדים מעל, Seraphim adstantes desuper ei.

evolantis ad Deum, et velocissime quocumque commeantis.

Secundo, quisque eorum non duodecim, ut quidam volunt, sed sex tantum alas habebat, ut patet ex seq. : duabus enim volabant. Nam quod hebraice est, *sex alæ, et sex alæ uni*, non significat unum bis sex, id est duodecim, habuisse alas; sed est hebraismus, significans quemque sex habuisse alas, ut vertunt Noster et Chaldaeus.

Cui sex? *Tertio*, sex alæ significant eos, *primo*, agillimos et maxima vi motiva præditos esse, ut ad sex differentias positionum, scilicet sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum, celerrime moveri ac volare possint; ita ut celeritate superent ventos, fulmina, solem cælosque omnes. Ita Pererius in *Apocal. iv*, disput. 24. *Secundo*, eos perfectissima cognitione et amore in Deum tendere. Ita S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch. cap. iv et xiii* : « Sex alarum, inquit, sacratissima fictio absolutissimam summamque in Deum intentionem in primis, mediis et ultimis intelligentiis signat. » Causa est, quod ternarius teste Aristotele perfectionis sit symbolum; geminatio ergo ternarii, id est senarius, magnum cumulum addit perfectioni, duplamque perfectionem significat. Est enim senarius primus numerus perfectus, qui ex primis sui partibus componitur; nam unum, duo, tria, quæ sunt primæ partes senarii, conjuncta et addita faciunt sex.

Rursum sex differentiarum positionum, quibus respondent sex alæ, ut dixi, oriuntur ex ternario, sive ex trina dimensione quantitatis et corporis, puta ex longitudine, latitudine et crassitie; horum enim sunt termini. Nam ante et retro sunt termini longitudinis; dextrum et sinistrum latitudinis; sursum et deorsum crassitie sive profunditatis. Porro hæc trinæ dimensiones oriuntur ex tribus lineis perpendiculariter ad angulos rectos se intersectantibus, puta ex trina cruce, uti dixi *Ephes. iii*, 18. Proprie vero Seraphinis congruebant sex alæ; quia binæ ad velandam faciem, binæ ad velandos pedes, binæ ad volandum requirebantur.

Tropologice, S. Bonaventura, in fine tom. II; scripsit librum de sex alis Seraphim, quas habere debet tum quivis fidelis, tum Superior et Prælati. Fidelis ergo fide et charitate Dei præditi, *prima* ala, inquit, est confessio; *secunda*, satisfactio; *tertia*, carnis munditia; *quarta*, puritas mentis; *quinta*, dilectio proximi; *sexta*, dilectio Dei. Superior vero alam, *primo*, habeat zelum justitiæ; *secundo*, pietatem et paternam compassionem; *tertio*, patientiam et constantem longanimitatem; *quarto*, ut sit exemplar omnis virtutis; *quinto*, discretionem et prudentiam; *sexto*, familiaritatem et unionem cum Deo : hisce alis se et suos ad perfectionem et ad Deum evolare faciet.

Seraphim velant facies suas. DUABUS VELABANT FACIEM EJUS, ET DUABUS VELABANT PEDES. — Hebræum פניו *panaf*, tam facies suas quam facies ejus, scilicet Dei, significat; sic רגליו *raglaf* tam pedes suos quam pedes ejus sig-

nificat. Est hic ergo duplex versio, prior *duabus velabant facies suas, et duabus velabant pedes suos*. Ita vertunt Chaldaeus, Forerius, Vatablus, Sanchez et Chrysostomus, hom. 4 in hanc visionem, itaque legitur in *Præfatione Liturgiæ S. Jacobi et Æthiopum*. Posterior est, *duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus*. Ita noster Interpres, S. Cyrillus, Hugo, Petrus Damiani, *epist. 6*, S. Hieronymus, *epist. 142 ad Damasum*.

Utraque hæc lectio vera est, unaque alteri connexa est. Nam Seraphini hi alas superne conjungebant, itaque iis velabant faciem suam, ac consequenter iisdem sibi quoque velabant faciem Dei. Alæ enim interpositæ inter faciem Seraphinorum et inter faciem Dei, eis tam faciem Dei quam suam propriam velabant, nec poterant aliter alis suis velare faciem Dei, quam iis velando faciem suam; ete contrario non poterant iis velare faciem suam, nisi iisdem velarent faciem Dei, id est faciei Dei conspectum sibi adimerent. Eadem est ratio de alis pedum; jungendo enim alas, quæ erant inferne, iis pedes suos velabant, illisque velatis consequenter sibi velabant pedes Dei, præsertim cum facies jam esset obvelata.

Primo, ergo velabant facies suas præ intima reverentia, quod tantum divinitatis jubar irretorto oculo aspicere non possent; pedes vero velabant præ verecundia, ne quis aspiceret imperfectum eorum amorem et affectum, cujus symbolum sunt pedes. Ita S. Chrysostomus, serm. 4 de hac visione. Discamus igitur et nos, quo metu, quo pudore, et qua reverentia accedere debeamus ad Deum in orationibus nostris, qua modestia ac religione assistere in laudibus ejus. Hac de causa veteres orabant oblecto capite, et facie; unde *amicтус* usus, quo sacerdos sacrificaturus caput velat et tegit, dimanavit.

Rursum, pedes sunt symbolum actionis et executionis. Velant ergo pedes, ut significant se pro suo ardenti ad explendam Dei voluntatem studio, esse tardo atque impedito gradu, tametsi senis alis instructos; sicut etiamsi perspicacissimis sint oculis, tamen adversus tantum splendorem, qui a divino emicat vultu, velata facie atque oculis se cæcos fatentur, ait Sanchez.

Qui et addit, per pedes non tam tibias (nam stabant parati et expediti ad Dei obsequium, et ad volandum; ergo pedes habebant liberos, non velatos), quam femora, ac præsertim partes obscenas accipi (sic enim Hebræis aqua pedum vel femorum vocatur *urina*). Has ergo velabant Seraphini, ut docerent quam sibi gratus sit casti animi habitus, quem populus ille jam magna ex parte perdidit. Nam illis annis, maxime sub Achaz, inhonesta plurima fiebant tam in templo quam in urbe.

Seraphim ergo erant hic schema religiosæ et perfectæ obedientiæ; hæc enim, quasi velatis oculis cæca, præceptum non discutit : rursum velat femora, id est casta est; neque tam suis affecti-

Respon-
utrius-
que.

Suas ex
reverentia.

bus aut voluntati servit, quam paret alienæ, eique manus et pedes offert et accommodat. Significatur ergo hic, verum obedientem debere esse totum alatum, ut Superioris mandata alata aure, alatis humeris, alatis pedibus, quin et alato iudicio suscipiat et exsequatur.

Dei, ob tres causas. *Secundo*, Seraphim quoque velabant faciem et pedes Dei, eo modo quo dixi, ut significant *primo*, divinitatem, ejusque faciem, id est principium et æternitatem; ac pedes, id est finem et abyssum, esse incomprehensibiles. Ita S. Cyrillus. *Secundo*, ut significant neminem posse scire faciem Dei, id est quid ante mundum Deus fecerit; nec pedes, id est quid post mundum futurum sit, quidve facturus sit Deus; media enim quæ inter hæc jacent tantum cognoscimus, inquit S. Hieronymus. *Tertio* et optime, Rupertus: « Facies, inquit, est divinitas Christi, pedes sunt ejus humanitas, et humanitatis mysteria, uti sunt natiuitas, passio, crux, resurrectio, ascensio, » etc., *q. d.* Tam Trinitatis, quam Incarnationis, et totius economiæ Verbi incarnati mysterium, ipsis etiam Seraphinis est impenetrabile, neque illud propter celsitudinem et splendorem, neque hoc propter humilitatem et abjectionem satis mirari et suscipere possunt. Unde admirabundi aiunt, cap. LXIII: « Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » etc.; nam, ut Christus de se ait, *Psal. XXI*: « Ego sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Timantes, excellens pictor, cum tristissimam immolationem et cædem Iphigeniæ pingeret, lacrymas et mœrorem cæterorum expressit, vultum autem Agamemnonis patris ejus velo cooperuit; quia vidit se nulla re melius posse exprimere summum patris dolorem et tristitiam, quam eum non exprimendo et velando. Simili de causa Deum hic velant Seraphini. Ita S. Ephrem, tract. *De Passione Domini*, loquens de Caïpha damnante Christum, ejusque ministro alapa illum cædente: « Contremuerunt, inquit, cœli, fundamenta orbis concussa sunt, expaverunt Angeli omnes atque Archangeli, Gabriel et Michael facies suas alis contexerunt, Cherubim trementia sub rotis se abdiderunt, Seraphim illa hora alas ad invicem collisisse visa sunt, cum daret minister iniquitatis alapam Domino majestatis. Quomodo igitur non protulerunt fundamenta terræ motum atque tremorem, cum hora illa contumeliis affici Creatorem suum cernerent? »

Volatant ob tres causas. *ET DUABUS VOLABANT*, — non circumvelando Dei solium. Hoc enim leviculum et indecens fuisset; sed extentis alis, quasi volaturi in eodem loco consistentes. Unde stetit dicuntur, vers. 2. Hic enim habitus *primo*, designat eos esse paratos et agiles ad omne Dei imperium; *secundo*, volatant, ut significant ingens desiderium quo rapiuntur ad videndum Deum, utque in eum se totos immergant; *tertio*, Sanchez, librant alas, inquit, ut incendium amoris quo vicini Deo quasi

uruntur, alis quasi flabello refrigerent; hac ergo alarum agitatione significatur vis amoris ardentissimi et violentissimi.

Moraliter, alæ duæ, quibus ad Deum et cœlum evolamus, sunt intellectus et voluntas, meditatio et dilectio, contemplatio et actio. Sed quomodo Seraphim stant simul; et volant? Respondet Eucherius (vel quisquis est auctor) *Quæst. veteris Testamenti*, cap. in *Isaia*, Deo astare idem esse, quod volare. Festinas ad Deum? sede in quiete et silentio orationis, elevaberis, et in Deum deorum in Sion evolabis. Ad litteram stabant Seraphini, id est erant erecti, non sedebant, sed stabant alis expansis quasi volaturi, ut dixi.

Mystice S. Bernardus, serm. 5 in hæc *Isaiæ* verba, per duas alas accipit naturam et gratiam: « Vivaci siquidem, inquit, per naturam intellectu et ferventi nihilominus affectu per gratiam, in eum qui supra ipsos est extenti jugiter et intenti, stare quidem per ministerium, sed volare per studium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, velent etiam pedes, sed sibi ista non velant; magis autem sedule volant, et volitant, inter ista, et alta potentiæ ejus, et profunda sapientiæ vestigantes; » et mox: « Superbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantum innixus alæ, casum facere potuit, non volatum. Exsultavit enim lucidus esse, non fervidus, non incensus, quod Seraphim sonat. Sustulit eum naturæ vivacitas, sed in suam plane perniciem; quippe quem defectus gratiæ mox dejecit. »

3. ET CLAMABANT ALTER AD ALTERUM. — Scilicet *Vers. 3.* Filius ad Spiritum Sanctum, ait Origenes, *hom. IV*, sed perperam. Constat enim ex præcedentibus *Non quatuor Seraphim, sed duos vidit Isaïas.* Seraphinos hic intelligi. Putant P. Prado supra, et Pererius in *Apocal. IV*, disp. 7, quatuor Seraphinos visos esse ab Isaïa; unde viginti quatuor (quater enim sex faciunt 24), alas significasse viginti quatuor seniores, de quibus *Apocal. IV, 10.* Ubi etiam vers. 8, quatuor animalia, puta quatuor Cherubim, clamant: « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus; » idque videtur insinuare S. Dionysius, cap. XIII *Cœlestis Hierarch.*, qui tamen alibi contrarium significat; *secundo*, Forerius et Arias putant ab Isaïa visos esse plurimos Seraphinos: sunt enim innumeri; utitur enim Isaïas numero plurali, non duali; *tertio*, alii, et verius putant, duos tantum Seraphim visos esse ab Isaïa. Idque *primo*, quia hoc proprie significant hæc verba: « Clamabant alter ad alterum; » *secundo*, quia Seraphim hi fuerunt instar Cherubim propitiatorii; illi autem erant duo, *Exodi XXV*; *tertio*, quia Ecclesia in octavo responsorio Dominicæ post Pentecosten canit: « Duo Seraphim clamabant alter ad alterum. » Ita S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.* cap. IV, part. III, bis faciens mentionem duodecim alarum, et Origenes, lib. I *Periarchon*, cap. III, S. Hieronymus hic, Philastrius, *hæres. 101*, S. Bernardus, tract. *De Verbis Isaïæ*, serm. 3. Quod intellige, duos tantum illustriores et quasi principes Seraphim ap-

paruisæ Isaiaë (1), cæteros autem a tergo suos stipse principes; est enim Deus Dominus sabaoth, id est exercituum. Et sic hanc sententiam concilia cum secunda. Hac de causa versio Arabica habet Trisagion, non trisagion: « Clamabant, inquit, Sanctus, sanctus, » ut significet eos alternis cantasse per modum chori, non quod neget trisagion. Nam hæc verba *alter ad alterum*, significant eos ἀντιφώνως, id est alternis vocibus cantasse, uti fit in choro psallentium. Ita communiter Patres; unde Damascenus, tract. *De Trisagio*, docet ab his Seraphinis Ecclesiam didicisse chorum, id est modum alternis canendi et psallendi. Sic et S. Ignatius Martyr, teste Socrate, lib. VI *Hist.* cap. VIII, Nicephoro, lib. XIII, cap. VIII, Cassiodoro, Amalario et aliis, vidit Angelos alternis psallentes, indeque alternam psalmodiam in Ecclesiam induxit. Eisdem septies per diem elevata audivit S. Magdalena, pœnitens in sua Bauma. Psalmodia ergo est opus cœlestis et angelicum, ut merito dicat Psaltes, *Psalm.* cxxxvii, 1: « In conspectu Angelorum psallam tibi, » *q. d.* Sumam officium Angelorum coram Angelis, et cum Angelis psallam tibi. Unde notat Cyrillus, Seraphinos alternis cecinisse « Sanctus, » non quod canendo defatigarentur, sed quia sibi ipsis mutuum honorem tribuunt; omnia enim cœlestia ordinata sunt et concinna; maxime vero id fecerunt, ut homines docerent in choro alternis psallere, itaque continuo et concinne laudare Deum, ac se mutuo omnesque homines ad Dei laudem excitare. Pari modo Angelus, psallens duodecim psalmos cum orationum interjectione, docuit eundem psallendi modum Ægyptios monachos, teste Cassiano, lib. II *Institut.* v.

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. — Ter repetunt « Sanctus. » Primo, ut significant SS. Trinitatem in unitate essentiae. Ita docent S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. xxiii, Nazianzenus, orat. *De Pascha*, Damascenus fuse in *Trisagio*, S. Hieronymus et Cyrillus, Procopius, Origenes, *hom.* 4, hic, et alii passim. Audi Damascenum: « Deitas, ait, trine sanctificatur gloriaque afficitur, cum dicitur ter, Sanctus, sanctus, sanctus; ac rursus tres hypostases una tantum gloria afficiuntur, cum dicitur: Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus. Sanctus ergo Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus Sanctus. Ter sanctam ergo dicimus deitatem et Trinitatem, non vero unicam ejus personam. » Additque: « Non propter nume-

rum Trinitati divinitas nest; sed quia divinitas in Trinitate est, idcirco ternarius numerus perfectus est. » Idem docent S. Augustinus, lib. *De Fide ad Petrum*, cap. 1, tom. III et V Synodus generalis, quæ fuit Constantinopolitana II, totaque Ecclesia. Quocirca perperam hic Calvinus idipsum negat, asseritque contra Arianos apertioribus locis utendum esse, ne eis ridiculi simus: « Et certe, inquit, hac repetitione potius indefessa assiduitas notatur, ac si dixisset Propheta, nullum angelicæ melodix finem esse in canendis Dei laudibus: sicut inexhaustam earum materiam nobis suppeditat ejus sanctitas (2). » Ita thraso ille applaudit

(2) Calvino et ejus asseclis consentiunt recentiores rationalistæ, ut videre est in sequenti annotatione ex Rosenmuller excerpta.

In trina vocis *Sanctus* repetitione aliquid mysterii latere, tam Judæi quam christiani interpretes opinati sunt. Ex illis quidem antiquissimus, qui nobis superest, Chaldæus, verba hebræa sic exposuit: *Sanctus in cœlis excelsis, domo majestatis suæ; Sanctus super terram, opus potentix suæ; Sanctus in sæculum et sæcula sæculorum Jova Deus exercituum.* Kimchi numerum ternarium refert ad tres mundos: « Mundum superiorem, qui est mundus angelorum et animarum; mundum medium, qui est mundus orbium et stellarum, et mundum inferiorem, cujus partem facit homo. » Interpretes vero christiani et veteres et recentiores longe plerique *Sancti* nomine repetito Trinitatis mysterium spectari sibi persuadent. Verum recte Grotius trinam vocis unius repetitionem vehementius affirmare observat, allatis locis *Ezech.* xxi, 32; *Jerem.* xxii, 29. Et Joan. Buxtorfius Nepos, in *Catalectis*, cap. lx, pag. 75, illos reprehendens qui ad adstruenda maximi momenti dogmata, argumenta promiscue coarcevant, ne prætermisissis quidem imbecillioribus, in quorum censum et refert argumentum, quod nonnulli ad probandum Trinitatis dogma reperiisse visi sunt in trina divinæ sanctitatis repetitione, quem Isaïas a Seraphis factam esse refert, ita scribit: « Ejusmodi sane repetitiones et alias in sacris paginis offendere est mysterio carentes, nec aliud quid innuentes, præter eximiam rei de qua agitur præstantiam, vel singularem quamdam affectus vehementiam. Ita Judæi olim clamabant: Templum Jovæ, templum Jovæ, templum Jovæ, *Jerem.* vii, 4. Et cap. xxii, 29, Jeremias insit: O terra! terra! terra! audi verbum Jovæ. » *Ezech.* xxi, 27, similis occurrit repetitio: Perversam, perversam, perversam ponam eam, scilicet coronam. Subjiciam his locum II *Sam.* xviii, 33: Fili mi! Absalom, fili mi! fili mi! Itaque angeli simili hic repetitione utentes partim zelum produunt et ardorem, quo flagrant celebrandæ sanctitatis divinæ, partim etiam perfectionem atque excellentiam ejus extollere satagunt. » Similia apud Græcos et Romanos exempla sunt obvia, qui *ter Maximum* vocarunt Mercurium, et honores *tergeminos* amplissimos vocant. In verbis: « Plenitudo omnis terræ gloria ejus, » vox *gloria* accipi potest vel ut subjectum, vel ut prædicatum. Si ut prædicatum, sensus erit: *Quidquid implet terram est gloria ejus*, sive, facit ad gloriam ejus. Ita Piscator: « Omnia creata quæ sunt in terra, testantur, ostendunt, Deum esse dignum omni gloria et laude. In iis enim relucet gloria omnipotentix et virtutis Dei. » De Dieu: « Quidquid in tota terra est, quidquid uspiam terrarum reperitur, est ipsius gloria. » Cui interpretationi Kimchi quoque favet: « Vult dicere, animantia, germina, et similia omnia esse ejus gloriam, quia ipse omnia creavit, et omnium horum causa celebraturæ illum sunt creaturæ intelligentes. » Si vero *gloria* accipias ut subjectum, sententia erit hæc:

(1) Quod dicitur, « clamasse hunc ad illum, » quosdam in hanc induxit sententiam, duos tantummodo Seraphos esse intelligendos: male. Notum enim est formulas synonymas æque de pluribus ac de duobus usurpari, vide *Exod.* xiv, 20 et 36, x; *Isai.* xix, 18; *Jerem.* xlvi, 16, קדוש, venerabilis, omni cultu prosequendus; *Osee* xi, 9; *Isai.* xliii, 4. Vide quæ de hac voce disputarunt Zachariæ, *Bibl. Theolog.* tom. I, pag. 240 seqq., part. II, præfat.; Dœderlein, *Institut. Theolog. Christ.*, part. I, pag. 278, 279, edit. quarta; Hufnagel, *Handbuch der Bibl. Theolog.*, part. I, pag. 321 seqq. (Rosenmuller.)

Seraphim docuerunt chorum, id est, alternis psallere.

Cantant ter Sanctus ob tres causas. Prima-

Arianis, et Patres omnes eis ridiculos facit. Annon merito Hunnius Calvinomastigem scripsit hoc titulo : *Calvinus arianizans*. Docte ergo hunc locum, uti et totum Isaiam, heroico carmine ita reddidit Carpentius Belga :

O sanctum, sanctum, o Dominum, ter denique sanctum !
 O regem armorum Dominum, bellique potentem !
 Sanctus enim Pater ille ingens totius origo
 Fonsque boni, magnum qui complet numine mundum.
 Sanctus et ille Patris supremi Filius, ante
 Luciferum genitus, melioris conditor ævi,
 Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab alta
 Mente Pater, magnique dedit consortia regni.
 Sanctus et ille ignis, divini fomes amoris,
 A Genitore fluens per Natum Numine eodem,
 Amorum communis amor.

Secunda.

Secundo, ut significant Deum esse abyssum sanctitatis, ex qua tam Angeli quam homines et Christus omnem suam sanctitatem participant : sicut radii a sole hauriunt suum lumen. Tria enim sunt omnia, inquit Aristoteles. Unde hoc canticum dicitur τρισάγιον, id est ter sanctum, hoc est sanctissimum ; sicut Mercurius dictus est τρισμέγιστος, id est ter maximus : quia simul fuit rex, sacerdos et doctor, sive theologus. Quocirca Chaldæus vertit : *Sanctus in cælis excelsis, domo majestatis ejus; sanctus super terram, quæ est opus potentiae ejus; sanctus in sæculum, et in sæcula sæculorum, Dominus exercituum*. Hac de causa ingeminant, nec aliud canunt quam « Sanctus, » quasi totum et assiduum sit hoc eorum officium et negotium, scilicet laudare Dei sanctitatem : sic et nos assidue verbo et vita Deum laudare debemus. Audi Procopium : « Seraphini, ait, sanctas laudes non semel tantum, sed sæpe, imo etiam infinitis vicibus iterant, » puta iterant trisagium.

Tertia.

Tertio, ut significant eum, qui ad Deum in cœlum ire velit, sanctum esse debere ; nec Deum aliquid pollutum, vel immundum in suo orbe inultum, aut in suo conspectu impune permissurum, ac præsertim Judæorum impietatem et scelera, quæ hoc cap. et præcedenti Isaias redarguit, acriter puniendum, maxime per excæcationem et obdurationem eorum.

Hinc trisagium Ecclesia usurpat.

Ex hoc ergo Seraphinorum hymno, trisagium quasi angelicum, imo Seraphicum, usurpat Ecclesia in *Præfatione Missæ*, idque jam inde a tempore Apostolorum, toto scilicet populo, vel Clero et choro pro populo occinente : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, » uti testatur Clemens, lib. VIII *Constitut.* cap. xvi. Porro Græci, et ex eis Latini in Parasceve, trisagio addiderunt epitheta dicentes : Ἄγιος ὁ Θεός, ἅγιος, ἰσχυρός, ἀγίος, ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, « Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. » Qui hym-

Gloria Dei est plenitudo totius terræ, hoc est, implet totam terram. Ita veteres omnes. Tunc *gloria* hic erit idem quod *laus*, ut *Hebr.* iii, 3 : « Laude ejus plena est terra. » Eodem significatu *gloria* occurrit in locis parallelis, *Num.* xiv, 21 ; *Psal.* lxxii, 19. (Rosemuller.)

nus, aut potius Litaniam, sub Theodosio Juniore Imperatore anno Christi 446, tempore terræ motus Constantinopoli, revelata est a Deo ad extirpandam hæresin Eutychetis (qui docebat unam tantum in Christo esse naturam, uti est una persona; cumque ea videatur esse divina potius quam humana, inde sequebatur Deum in se esse mortalem, et deitatem in Christo esse passam ac crucifixam : quod est hæreticum), tunc grassantem puero cuidam in aera raptò, qui eandem ab Angelis acceptam Proclo Archiepiscopo aliisque enarravit, ut eandem canendo implorarent Dei opem et misericordiam. Ita fecerunt, et mox terræ motus cessavit, uti id refert Damascenus, tract. *De Trisagio*, et Nicephorus, lib. XIV, cap. xlvi. Vide et Felicem Papam et Acacium Constantinopolitanum, in epist. *ad Petrum Gnapheum*, sive Fullo-nem, Eutychetis asseclam ; quibus eum damnant, eo quod addidisset trisagio, « qui crucifixus est pro nobis, » quasi tota Trinitas sit crucifixus ; aut trisagium soli competat Filio, sitque SS. Trinitas una tantum persona, scilicet Filius, ut volebat Sabellius. Vide Concilium Constantinopolitanum II contra eum celebratum, et Baronium anno Christi 483. Porro Mercurius Trismegistus, et ex eo Rhodiginus, lib. XII, cap. iv, hanc de Deo dictis coronidem imponit : « Sanctus Deus Pater omnium. Sanctus Deus, cujus voluntas a propriis impletur potestatibus. Sanctus Deus, qui tuis familiaribus innotescis. Sanctus es, quem nunquam creavit natura. Sanctus es omni potestate validior. Sanctus es omni excellentia major. Sanctus es omni laude melior. Excipe verborum sacrificia sancta, ab anima et tibi dedito corde manantia ineffabilis, solo silentio prædicande. »

Vide hic quodnam Seraphinorum sit opus, scilicet jugiter celebrare abyssum sanctitatis Dei. Dicamus ergo et nos : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Sanctus in creatione, sanctus in redemptione, sanctus in sanctificatione nostra. Sanctus in cœlo, sanctus in terra, sanctus in gehenna. Sanctus in gloria, sanctus in gratia, sanctus in justitia. Sanctus glorificans Angelos, sanctus justificans homines, sanctus puniens dæmones. Sanctus ante sæcula, sanctus in sæculis, sanctus in æternum et ultra. Sanctus in Seraphim, sanctus in Cherubim, sanctus in Thronis. Sanctus in utero, sanctus in præsepio, sanctus in patibulo. Sanctus in miraculis, sanctus in doctrinis, sanctus in exemplis. Sanctus in labore, sanctus in cruce, sanctus in resurrectione. Sanctus in Christianis, sanctus in Judæis, sanctus in Gentibus. Sanctus in fidelibus, sanctus in infidelibus, sanctus in electis et reprobis. Sanctus in consolatione, sanctus in desolatione, sanctus in jubilatione. Sanctus in potentia, sanctus in sapientia, sanctus in providentia. Sanctus in charitate, sanctus in misericordia, sanctus in vindicta. Sanctus in generatione, sanctus in filiatione, sanctus in spiratione. Sanctus Pater,

Ex revelatione angel.

sanctus Filius, sanctus Spiritus Sanctus : Amen, Amen, Amen.

Moraliter, quid sit sanctitas Dei; quamque omnes ipse velit esse sanctos, vide dicta, *Exodi* xxviii, 36; *Levit.* xx, 26, et cap. xxii, in fine, et cap. xxvii, 28. Porro quam horreat dæmon hunc hymnum et doxologiam SS. Trinitatis, liquet ex eo quod narrat Sophronius in *Prælo spirituali*, cap. cxix : « Dicebat : inquit, nobis Abbas Eusebius, quod dæmon in habitu monachi profectus fuit ad celam senis; et cum pulsasset januam aperuit senex, et dixit illi : Ora. Dæmon autem ait : Et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. Senex autem rursum dixit : Ora, et dæmon similiter ait : Nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. Tunc senex : Et dic : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etiam nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. Hoc autem cum dixisset, dæmon quasi vim passus ab igne, evanuit. »

Mirum vero est; quod ex Nicolao Aragonensi, Sigonio, et aliis refert Baronius, anno Domini 1055, scilicet, cum simonia in orbe grassaretur, Victorem II Pontificem misisse Hildebrandum Archidiaconum, ut ad eam exstirpandam Concilium Lugduni celebraret : in quo Archiepiscopus de simonia accusatus, cum crimen negaret, dixit ei Archidiaconus : « Dic : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. » Tunc ille : « Gloria Patri, et Filio » expedite dixit, sed Spiritum Sanctum proferre non potuit : quod cum sæpius tentaret, nec proficeret; videns se per divinum iudicium confusum, procidit ad pedes Archidiaconi, et confessus est se esse simoniacum : postquam vero a sacerdotali et episcopali officio est depositus, « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » libera et clara voce decantavit : quod factum adeo simoniacos perterruit, ut præter alios Prælatos, Episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse confessi sint, et suis honoribus absque ulla accusatione renuntiarent.

Qualem Seraphim hic Isaïæ, talem S. Gregorio Thaumaturgo S. Joannes Apostolus SS. Trinitatis confessionem et laudem tradidit in Symbolo, quod exstat apud Gregorium Nyssenum, in Vita Thaumaturgi.

Denique miraculum, quo id comprobatur est, narrant Gregorius Turonensis, lib. I *De Miracul.* cap. xiii, et Sigebertus anno Domini 458, scilicet, urbe Vasatensi ab Hunnis obsessa, cum sacerdos Missam celebraret pro liberatione populi, vidit ex alto cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate et candore crystallum vincentes; quæ dum per altare vago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenam, statim in se conjunctæ, quasi unam gemmam pulcherrimam effecerunt : itaque patuit evidenti signo contra Arianam hæresim tunc suppullulantem, tres personas æquales SS. Trinitatis in unam naturam convenire. Gemmam hanc cruci ex auro factæ incluserunt, per quam

Deus multa fecit miracula : nec mora, fugatis Hunnis, civitas liberata est.

PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EJUS. — *Primo*, Plena est terragloria Dei. *Primo*. quia omnis terra per sui creationem, gubernationem, ac nominatim per continuam productionem herbarum, florum, arborum, animalium et hominum, assiduam et copiosam suppeditat materiam divinæ potentiae, bonitatis et majestatis collaudandæ.

Secundo, magis divine ac prophetice cum S. Cyrillo, Hieronymo et Haymone, per gloriam accipe Christi vitam et miracula; ac prædicationem per Apostolos eorumque successores, per quos mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis toto mundo celebratur, q. d. Fastidit jam Dominus templi et Hierosolymæ angustias; laxiores ædes suæ destinat habitationi; universa terra erit deinceps templum, cultorumque ejus et gloriæ ejus sanctuarium; ubique concinent : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. »

Notent hic orantes, psallentes et meditantés optimam esse compositionem loci, qua mentes, cum Deo collectam teneant, elevent, et acuant, si cogitent se cum Isaia, et Daniele, cap. vii, vers. 9 et 10, assistere ante Deum in solio divino residentem, et millia millium ministrantium et assistentium ei; clamantiumque : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. »

Rursum hoc angelico hymno monentur non tantum Ecclesiastici, sed et fideles omnes, ut assidue noctes et dies tam voce quam actione, bonisque operibus Deum laudent ut vita eorum pia et sancta sit assidua laus Dei, qua alios homines, Angelos et creaturas omnes invitent pariter ad Deum laudandum; de qua re plura dixi *Exodi* xiii, vers. 2 et 11, et *Deuteron.* x, 21. Ideo enim vocantur « Seraphim, » id est accendentes, quod omnes Angelos, et consequenter omnes homines ad Dei laudem accendant. Ita S. Dionysius, cap. vii *Cœlest. Hierarch.*

Hinc tropologice : « Anima sancta, inquit Origenes hic, *homil.* 4 (quem vide), plena est gloria Dei, cum omnia, quæ agit et patitur, refert ad laudem et gloriam Dei; » dumque cum Psalte, *Psal.* cxlviii, canit : « Laudate Dominum de cœlis; laudate eum, omnes Angeli; laudate eum, sol et luna; laudate eum, ignis, grando, nix, glacies, reges terræ, juvenes et virgines, » etc. Et cum tribus pueris, *Daniel* iii : « Benedicite, cœli et Angeli, Domino; benedicite, rores, pruina; montes, colles, fontes, Domino; benedicite, sancti, et humiles corde, Domino. » Rursum cum Psalte, *Psal.* cii : « Benedic, anima mea, Domino : et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino; et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus : qui replet in bonis desiderium tuum. » Duplici enim titulo Deus

Anima sancta plena est gloria Dei.

Compositio loci in oratione sit hæc visio Isaïæ.

Seraphim nos docent semper laudare Deum.

Secundo.

summe laudandus est, uti docet D. Thomas, II II, *Quest. XCI, art. 1. Primus* est divina ejus essentia, majestas, sapientia, bonitas, etc., quæ cum in se immensa sint, immensam exigunt laudem. *Secundus* est, innumera, eaque quotidiana in nos beneficia, quibus nos circumquaque coronat et replet: eaque tum communia, tum propria, ob quæ ex toto corde jugiter Deo gratias agere, jubulare et exsultare debemus. Accipe ergo hosce tres hymnos juges Ecclesiæ militantis et triumphantis, eosque crebro per diem noctemque instar orationis jaculatoriæ usurpa, et in cælum ad Deum trinum et unum, in quo est omne bonum, ejaculare. *Primus* est hic Seraphicus: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus. » *Secundus* est Angelicus, *Apoc. VII, 12*: « Benedictio et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen. » *Tertius* est Ecclesiasticus: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. » Quinimo ex hisce vel singulis, vel simul junctis, et recitatis contexe et offer corollam, sive rosarium SS. Trinitati: ut sicut recitas rosarium B. Virginis, legendo quinquies « Pater noster, » et quinquagies « Ave, Maria, » ita recites rosarium SS. Trinitatis ad eosdem globulos, legendo ad quinque majores quinquies « Pater noster » cum « Ave, Maria, » et ad quinquaginta minores quinquagies « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. » Nimirum ad parvos globulos rosarii loco « Ave, Maria, » substituendo doxologiam jam dictam. Ita in praxi faciunt multi docti et pii viri magno fructu; est enim hæc brevis doxologia, *primo*, professio fidei SS. Trinitatis contra Paganos, Turcas, Judæos, Arianos, veteres et novos. *Secundo*, est exercitium religionis, spei, charitatis, aliarumque virtutum. *Tertio*, est excitamentum devotionis et lætitiæ spiritualis, qua fortiter ferimus adversa quæque et tentationes, ac difficilia omnia et ardua generose superamus, dicentes cum Psalte: « Benedicam Dominum in omni tempore. » *Quarto*, facit ut vita nostra sit angelica; ut nimirum sanctitatis et puritatis angelicæ æmuli, ipsorum officium hic usurpemus, et inchoemus, quod brevi cum illis ipsis in cælis consummabimus in omnem æternitatem; ut tota vita nostra, omne tempus nostrum, tota æternitas nostra non sit aliud quam assidua Dei laus, gratiarum actio et glorificatio. Ita incipimus esse beati: altiorem enim terra vitam agimus; omniaque in terra velut exilia mente transcendent, ad Angelos in cælum evolumus, cumque iis ac Beatis conversantes læti et alacres in omnibus laudamus SS. Trinitatem, quæ fons et auctor est omnium. Edidit hoc rosarium P. Nicolaus Serarius. Societatis nostræ Theologus, piæ memoriæ,

in Germania; ac, ut spero, rursum in Italia, et in Belgio edetur. Nihil enim sanctius, nihil homini utilius, ab eo orari aut fieri potest.

Quocirca S. Ephrem, tractat. *De Beatitudinibus*: « Beatus est, inquit, qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spiritali officio nunquam est segnis, sed assidue glorificat Dominum. »

« Beatus, qui in cella sua in Domino, tanquam Angelus cælestis, castas retinet cogitationes, suoque ore collaudateum, qui omnium spirituum potestatem habet. »

« Beatus, qui semper spiritali gaudio plenus est, nec in portando suavi jugo Domini pigrescit: coronabitur enim in gloria. »

4. ET COMMOTA SUNT SUPERLIMINARIA CARDINUM ^{▲ Vers. 4} VOCE CLAMANTIS, ET DOMUS REPLETA EST FUMO. — S. Hieronymus, Cyrilus et S. Thomas putant hic significari eversionem templi; quia illud combustum a Chaldæis et Romanis abiit in fumum: unde Deus eo excessit, abiitque ad Gentes. Hinc Septuaginta vertunt, *elevatum est superliminare*, ut scilicet ostium fieret majus Deo magno per id exituro. Sed obstant sequentia; quod Deus in solio et templo remanens, miserit Seraphim cum calculo, quem tulerat de altari, ad purificandum labia Isaïæ: ergo stabat adhuc templum et solium, Deusque non excesserat, sed in eo adhuc residebat: non nego tamen hic portendi excidium templi, uti mox dicam.

Commota sunt superliminaria vi clamoris.

Dico ergo, sensus est: « Commota sunt superliminaria, » etc., *q. d.* Tanta erat vis et robur vocis, ac ardor utriusque Seraphini clamantis: « Sanctus, sanctus, » etc., ut etiam ipsum templum, puta ipsum cælum, e cardine videretur commoveri et convelli. Alludit ad prodigium illud Judaici excidii per Titum, de quo Josephus, libro VII *Belli*, cap. XIII, scilicet portam æneam templi gravissimam esse reseratam, auditamque vocem: « Migremus hinc. » Seraphim enim clamans « Sanctus » Deo, Isaïæ acclamavit, vers. 10: « Excæca cor populi hujus. » Unde patet, quod hæc visio spectet ad Judæorum reprobationem, quæ contigit sub tempora Christi; quocirca sequitur:

ET REPLETA EST DOMUS FUMO. — Fumus, vel nubes, et nebula erant olim symbolum gloriæ Domini, adeoque vocantur sæpe gloria Domini; per illa enim Deus se ostendebat, aut potius celabat, ut significaret se inhabitare lumen inaccessibile, maxime Judæis, donec Unigenitus, qui est in sinu Patris, nobis illuxit, et divina revelavit ac enarravit. Sic Deus Mosi in Sina apparuit, et locutus est per caliginem, *Exodi xx.* Sic et Salomoni in templo apparuit gloria Domini, id est nebula tegens totum templum, III *Reg. viii.* Sic et apparere solebat Pontifici in propitiatorio tectus nebula, *Levit. xvi.* Sic et visus est Ezechieli in nube, cap. *x*, vers. 3; hinc et Psaltes ait, *Psal. xvii*: « Posuit tenebras latibulum suum. »

Fumus est symbolum, primo, gloriæ Dei.

Secundo, S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Cum *Secundo*

Rosarium Seraphicum SS. Trinitatis.

incendi
templi.

tota terra impleta est gloria et splendore gratiæ et doctrinæ Christi : tunc sola domus et templum Judæorum obtenebratum est ; idque ex fumo, id est ex ira Dei, qui parans se ulcisci quasi naribus efflabat fumum et ignem, jamque illud ipsum fumo et igni destinabat ; et sic primus sensus de incendio templi, quem paulo ante adduxi, hic locum habere potest. Hinc symbolice, Pintus per fumum sive caliginem accipit excæcationem Judæorum, cum gloria Dei et splendor Evangelii gentibus illuxit.

Vers. 5.

5. ET DIXI : VÆ MIHI, QUIA TACUI! — Septuaginta, quia compunctus sum. Unde primo, Prado in *Ezech.* II, 1, sic explicat : Heu me ! perii, occidi, defeci ex consternatione tantæ visionis, ut per metalepsin tacere significet consternari, pavere, percelli, ita ut loqui non possis, sed tacere debeas.

« Tacui » ergo, id est consternatus obmutui. Sic I *Machab.* cap. I, dicitur terra siluisse in conspectu Alexandri, id est ita pavore concussa, ut mutire, eique resistere non sit ausa. Idem dicitur de Moab infra, cap. xv, et de Ascalone, *Jerem.* XLVII. Idem videtur hic contigisse Isaiæ : si enim Seraphim coram Deo velant facies et ora ; quidni cadat Isaias, mortalis homo, videns Deum cum Seraphinis ? Addit Sanchez Isaiam, licet facundum, in conspectu Domini, et audita ea suavitate, et ardore, quo a Seraphinis laudatur Deus, mutum se putasse et elinguem, q. d. Væ mihi, quia tacui, neque laudavi majestatem tantam, quam ab Angelis nunc tanto spiritu laudari cerno ! tacui, inquam, cum loqui poteram : nunc autem ex quo Deum et Seraphim vidi, cogor tacere, etiamsi loqui cupiam : ipsorum enim conspectus et majestas me elinguem fecit, sed jure hæc patior ; quia, quando poteram loqui, nolui, et succumbens timori tacui ; nunc cum maxime volo loqui, non possum. Sic videmus viros etiam eloquentissimos, coram regibus, quasi regis majestatis intuitu attonitos et repercussos, obmutescere.

Tacere
pro pavore.

Facet I-
saias au-
ditis Se-
raphinis.

Secundo, aptius et plenius, S. Hieronymus notat Isaiam cum videret Seraphinos tanta reverentia, tremore et clamore laudare Dei majestatem, optasse illis se in hoc cantu et hymnodia jungere ; sed ob peccati conscientiam id facere non ausum. Dicit ergo : « Væ mihi ! » quia mihi tacendum judicavi, eo quod pollutus sim labiis, et peccator similis populo polluto cum quo habito, q. d. Miserum me, qui nihilo sum civibus meis hac in re sanctior ; cum ipsi mere profani et polluti sint : ideoque in hoc Angelorum concentu tacere cogor, et mutire non audeo ; non enim est speciosa laus Dei in ore peccatoris.

Nota : Pro *væ* hebraice est וַיִּנְאֵם *oi*, quod clarius Prado et alii vertunt *heu* ; et Septuaginta, *o miser ego* ! Est enim vox Isaiæ non minantis, sed dolentis.

Quod ?

Porro hoc Isaiæ peccatum fuisse locutionis censet Origenes hic, *hom.* 5, ex eo quod subdit Isaias : « Quia vir pollutus labiis ego sum. » Facillime

enim, ut ait S. Jacobus, cap. III, vers. 2, lingua peccamus : ergo aliquid timide, vel imprudenter dixisse videtur Isaias, cujus culpam hic agnoscit etsi non exprimat quid illud fuerit, aut quod vana et otiosa locutus sit ; hoc enim vix ullus hominum evadit, maxime qui inter vanos et loquaces degit, inquiunt Origenes et Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. v ; aut quod, cum alios redargueret, seipsum non reprehenderet, inquit Nazianzenus in *Apolog. ad Patrem* : quod intellige de levibus et venialibus culpis.

Secundo et potius, S. Hieronymus, Cyrillus et Haymo (esto id improbet Chrysostomus) censent hoc peccatum Isaiæ fuisse linguæ, at non tam locutionis quam taciturnitatis ; scilicet quod peccata populi ac procerum, vel tædio vel metu victus, insectari destiterit, ac nominatim quod Oziam regem, cum sacerdos non esset, volentem adolere incensum, et sacerdotium invadentem, labiis audacibus ipse, utpote Propheta et e regio sanguine oriundus, non corripuerit.

Taciturnitas in increpando Ozia.

Porro hoc Isaiæ peccatum non mortale fuisse, sed veniale, colligitur ex eo quod Deus eum quasi amicum suum tam sublimi visione sui et Seraphinorum dignatus sit : qua sane peccatorem et hostem suum non decorasset.

Addit Sanchez peccasse Isaiam, quod metu regis tacuerit, et permiserit eum jam leprosum in urbe habitare ; nec curaverit eum juxta legem, *Levit.* XIII, 46, urbe expelli. Unde apposite subdit : « Et in medio populi polluta labia habentis ego habito, » q. d. Ego factus sum quasi unus e plebe, quæ in tam gravi casu mutire non est ausa, cum tamen aliis tacentibus ego, utpote præco Dei, loqui, eumque intrepide increpare debuerim : sicuti Elias et Eliseus increparunt Achab, Joram, aliosque reges Israel. Verum exiguum, vel nullum fuisse hoc peccatum ostendi, vers. 4. Impie Œcolampadius censet Isaiæ labia fuisse polluta : « Quia, inquit, homo ex se nil nisi sordidum et foetoris plenum proferre potest. »

Moraliter, disce hic Dei cognitionem in nobis humilitatem gignere : qui enim videt Deum, videt seipsum ; videt, quantum distet a Deo, quam parum, imo quam nihil sit ; et quo clarius videt Deum ac seipsum, eo magis Deum admiratur et reveretur, seipsum vero deprimit et despicit. Hoc ergo signum est boni spiritus, sicut e contrario signum mali spiritus est, si quis ex eo intumescat, se suaque magni faciat, putet se doctum, sanctum, perfectum, etc. Ita Abraham coram Domino : « Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, » *Genes.* XVIII, 27. Ita Moses, audiens Deum ex rubo, « abscondit faciem suam ; non enim audebat aspiciere contra Deum, » *Exod.* III, 6. Ita Tobias cum suis, agnito angelo Raphael, « prostrati per tres horas in faciem, benedixerunt Deum, » *Tob.* XII, 22. Ita Jeremias audiens a Deo : « Priusquam te formarem in utero, novi te, » etc., dixit : « A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui,

Moralis, Dei cognitio parens est humilitatis,

quia puer ego sum, » cap. I, vers. 6. Ita Daniel videns Antiquum dierum in throno, et millia millium assistentium ei : « Horruit, inquit, spiritus meus, territus sum, et visiones capitis mei conturbaverunt me, » cap. VII, vers. 15. Et cap. X, vers. 8, viso angelo : « Non remansit, ait, in me fortitudo, emarcui, nec habui quidquam virium. Et audivi vocem sermonum ejus : et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. » Et Ezechiel, viso Deo in curru Cherubim, cecidit in faciem, et quasi in deliquium mentis, cap. II, 1. Ita viginti quatuor seniores coram throno Dei « procidebant ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, » *Apoc.* IV, 10. Ita S. Franciscus spiritu elevatus dicebat : « Quis tu, Domine, quis ego? tu abyssus essentiæ, veritatis et gloriæ; ego abyssus nihili, vanitatis et miseriæ. »

ET IN MEDIO POPULI POLLUTA LABIA HABENTIS EGO HABITO. — « Polluta, » id est *primo*, contaminata, tum locutione, tum silentio, ut dixi; *secundo*, « polluta, » id est profana et communia, *q. d.* Labia mea sunt Deo consecrata : deberem ergo loqui sacra et divina, uti decet Prophetam; at nunc cum populo versans, ab eo didici loqui, ut ipse, sæcularia, vulgaria et communia. Unde notant hic S. Hieronymus et Cyrillus, quam noxia sit etiam Sanctis et Prophetis sæcularium, præsertim improborum, societas, quæ tantum Prophetam inquinavit. Vere dixit Sapiens : « Hæc tria non possunt non inquinare : figulus, rota plaustrum in profundo cæno, versantes cum malis. » Et *Eccli.* cap. XIII : « Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. » Et S. Paulus, I *Cor.* XV : « Corrumpunt mores bonos colloquia prava. » Ita S. Petrus, agens inter ministros pontificum, negavit Christum; et Deus Abrahamum e Chaldæa eduxit, ne infidelium societate contaminaretur.

Rursum S. Bernardus : « Nugæ, ait; in ore sacerdotis (et Prophetæ) sunt blasphemias. Labia enim sacerdotis custodient (custodire debent) scientiam, et legem requirunt ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est. »

ET REGEM DOMINUM EXERCITUUM VIDI OCULIS MEIS, — *q. d.* Antea parvi feci peccatum meum; nunc videns Dei puritatem et sanctimoniam, ac Seraphim clamantes : « Sanctus, sanctus, » etc., video quam impurum et horridum sit hoc meum, et omnè aliud peccatum : perinde ac si simul videas tenebras et lucem, solem et cloacam, regem et scurræ, magis perspicis quantum unum ab alio distet : quia « imperfectum meum viderunt oculi tui, » pariter et mei in lumine tuo (1).

(1) Hebraicus textus sic etiam verti potest, *væ mihi, quia in silentium redactus sum, excisus sum, perii*; vel ut ait Forerius, *certe ero mutus seu blæsus et balbus, in-*

6. ET VOLAVIT AD ME UNUS DE SERAPHIM. — *Quæ-* Vers. 6. An Sera- phim fue- rit ex choro Sera- phim? res an hic Angelus vere fuerit ex ordine Seraphim? S. Dionysius, cap. XIII *Cælest. Hierarch.*, ex doctrina sui magistri Hierothei; distinguit choros Angelorum ex Daniel, cap. VII, vers. 10, in Assistentes, qui semper Deo assistunt; et in Ministrantes, qui foras mittuntur. Assistentes docet esse quatuor summos Angelorum choros, eosque sua multitudine longe superare inferiores quinque qui Ministrantes sunt : hunc ergo Angelum, quia missus est, non vere fuisse ex ordine Seraphim, sed ex aliquo ordine Ministrantium; vocari tamen « Seraphim, » vel quia illuminatus et missus fuit ab aliquo Seraphino, vel ab officio, quia missus est ad urendum labia Isaia. Contrarium tamen est verius, scilicet eum vere fuisse ex choro Seraphim. Hinc enim doctores et Ecclesia probant nonum ordinem Angelorum esse Seraphim : nec enim aliunde ex Scripturis probari potest. Ita docent S. Ambrosius, libro I *De Spiritu Sancto*, cap. X, et multi Scholastici, favetque Apostolus, *Hebr.* cap. I, 14, ubi ait omnes esse administratores spiritus in ministerium missos. Vide ibi dicta.

ET IN MANU EJUS CALCULUS, QUEM FORCIPE TULERAT DE ALTARI. — Pro *calculus* hebraice est *רצפא* *ritspa*, græce *ἀνθράξ*, id est carbo, vel pruna ignita, quæ calculo candenti, id est carbunculo, seu pyropo, est similis : prunam enim fuisse patet, tum quia forcipe, tum quia de altari accepta est, ut ureret labia Prophetæ. Et sic *Apoc.* VIII, 5 : « Accepit Angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris. » Idem fecit Cherubim, *Ezech.* cap. X, 2. Ita *ritspa* vertunt *carbonem accensum* Syriaca, Arabica, Forerius, Vatablus, Pagninus et passim recentiores, et ita legit Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XIV; *ritspa* enim vel *רצפא* *retseph*, per metathesin alludit ad *צרה* *tsaraph*, vel *שרף* *saraph*, id est urere, accendere, conflare. Unde apposite ad

Calculus est *retseph*, id est, carbo et carbunculus.

ter meos deinceps vulgi irrisioni expositus aut admirationi; nam vidi oculis meis Jehova, vulgata enim erat opinio, quod qui visiones vidissent, periculum mortis vix evaderent. Vide *Judic.* XIII, et *Genes.* XXVIII; admiratur enim Jacob quod vidisset Dominum et non moretur. Quod vero *נרדמתי* *nidmethi*, non *tacui*, sed *perii*, aut actum est, interpretor, scito quod quamvis *דמה* *damah*, in voce activa *silere*, ac subinde *quiescere* significet, in voce tamen passiva est, *in silentium seu quietem redigi*, et semper est pænæ, et idem valet quod *actum est, dispersit*, etc.; sentiebat enim Isaias præpeditam linguam, quod solemne est iis qui visione quapiam terrenur ac stupent. Hanc autem interpretationem in versione secutus sum, tantum ut sic posse Hebræa reddi significarem, eamque amplecterer nisi novitas obstaret, quæ tamen interdum non modo venia, verum etiam laude digna est; præsertim cum communis interpretatio suos habeat nodos (a). (Forerius.)

(a) Hæc est etiam opinio Bossuetii 1^{er} serm. *sur la Nativité de Notre-Seigneur*, I^{re} part.). Prophetæ exclamatio nobis aliunde in memoriam revocat quod apud antiquas Orientis nationes, « sive vir sive mulier non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur, » *Esther*, IV, 11.

nomen suum « Seraphim » habet in manu *retseph* (1).

Secundo tamen, S. Hieronymus *ritspa* vertit, *calculum*, id est lapillum, sive gemmam, cui versioni ceteri Interpretes, scilicet Aquila, Symmachus et Theodotion, consentiunt, inquit S. Hieronymus, Septuaginta vertunt *ἀνθρακας*, quod carbunculum et carbonem significat. S. Hieronymus, epist. 143 ad *Damasum*, interpretatur *carbunculum*, quæ gemma est flammeo et igneo colore; additque: « sive calculum vertamus, sive carbunculum, in calculo divini sermonis veritas et rigor, in carbunculo ejusdem lucens doctrina manifeste ostenditur, juxta illud *Psalm. xviii*: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. » Unde a *retseph* deducitur *רצופ* *ratsuph*, et *מרצפת* *martsephet*, quod significat stratum lapide, sive pavementum lapideum, libro IV *Reg. xvi*, 17, et *Cant. iii*, 10, ubi pro *charitate constravit*, hebraice est *ratsaph*, quod Septuaginta vertunt *λίθον*, id est stratum lapide, et quinta Editio vertit, *medium ejus calculis* (id est carbunculis, inquit S. Ambrosius, Theodoretus et Nyssenus) *composuit*. Quare noster Alcazar, in *Apoc. ii*, 17, notat. 5, omnino contendit hunc Isaiaem calculum fuisse carbunculum, huncque dat sensum: Vidit, inquit, Isaiaem thronum, quem Deus habet in Ecclesia Christiana; quare Seraphim sunt Apostoli et viri Apostolici, qui Evangelium erant prædicaturi, quod quia erat summæ difficultatis, et quasi ignem complecti; hinc timide forcipe acceperunt carbonem ex altari, id est timide acceperunt ad labores et persecutiones Evangelii; sed ubi eum acceperunt, et inspexerunt, viderunt eum non esse carbonem, sed carbunculum, quia labores hi et cruces pro Christo per charitatem qua accensi erant, et perunctionem Spiritus Sancti eis dulcissimi æque ac pretiosissimi evaserunt. Hic sensus pius et moralis est, non tamen literalis est, nec genuinus, ut volunt Alcazar et Rupertus.

Labores pro Deo videntur carbonem, sed sunt carbunculi.

Carbo Isaia fuit carbunculus.

Carbunculus pretiosior adamantem.

Respuat ignem.

Dico ergo utrumque esse verum, scilicet, et calculum hunc fuisse prunam accensam, et fuisse calculum sive carbunculum; nam in cœlesti templo, et altari, ubi hæc vidit Isaia, omnia pretiosa sunt, æterna et cœlestia: ergo carbonem ejus non lignei, sed lapidei, ut semper durent; imo gemmei, quia tales decet Deum. Ignis ergo ille cœlestis nutritur pyropis et carbunculis; carbunculus enim præ omnibus gemmis pretiosissimus est. Nam carbunculus qui ponderat unam drachmam, sexaginta millibus aureorum æstimatur, id est pluris quam adamantes quatuor ejusdem ponderis. Et licet noster carbunculus ignem nostrum terrestrem respuat, ita ut eum ignis calefacere non possit, ut docent Plinius et Aristoteles, lib. IV *Meteor. cap. XLVIII*, tamen cœlestis ille carbunculus cœlestem

illum Dei ignem facile suscipit. Huic sententiæ favet Ecclesia, quæ orat in Sacro: « Deus qui labia Isaiaem calculo mundasti ignito. » Fuit ergo calculus, sed ignitus.

Quæres, cur Seraphim hoc calculo tetigit labia Isaiaem? Respondeo, ut peccatum labiorum ejus puniret et expiaret, hinc ea calculo hoc adussit; præsertim quia peccarat Isaiaem non reprehendendo Oziam; qui prunas et thymiana altaris invaserat; prunis ergo punitur, hoc est enim quod ait Seraphim: « Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. » Calculus ergo hic *primo*, symbolum est penitentiae et contritionis. Notat cum Alcazare in *Apoc. ii*, 17. Viegas in *Apoc. viii*, Comment. I, sect. IV, in fine, carbonem hunc fuisse carbunculum, uti dixi. Si quis objiciat: Quomodo ignis altaris nutriri potuit carbunculis? Respondetur, in ignem immissos fuisse carbonem, sed vi ignis conversos fuisse in carbunculos, ut significaretur vis nostri altaris holocausti, penitentiae scilicet, per quam peccatores qui erant instar carbonum frigidi et nigri, in carbunculos gemmasque evadunt, puta fiunt vel carbunculi per charitatis ardorem, vel smaragdi per castitatem, vel adamantes per patientiam et fortitudinem; hinc dicitur *Psalm. xvii*: « Carbonem succensi sunt ab eo, » nec tantum succensi, sed et in gemmas divinitus conversi. Hæc speculatio pientior est et acutior quam solidior: nec enim carbunculi ex carbonibus gignuntur, nec ignis potest carbonem in carbunculos commutare. Sed responderi posset hanc visionem (ejusque visa), utpote symbolicam, non naturalem, sed miraculosam et divinam fuisse. Ita legimus S. Vincentium Fererium duos reos, cum ad supplicium ducerentur, sua exhortatione ad tantum dolorem accendisse, ut facies eorum in carbonem quasi versæ fuerint, itaque expirarint. Dolor ergo et amor fuit quasi eorum carnifex, imo opifex novorum hominum.

Calculus ignitus symbolum fuit primo, penitentia.

Penitentia ex carbone facit carbunculum.

Secundo, calculus hic ignitus symbolum erat gratiæ Spiritus Sancti, quæ a peccatis Isaiaem et cuiusvis penitentis animam purificat et sanctificat. Ita S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. IX.

Secundo, gratiæ Spiritus Sancti.

Tertio, calculus hic symbolum erat gratiæ gratis datæ, scilicet prophetiæ, q. d. Ecce hoc signo, scilicet imaginario (fuit enim hæc visio: unde omnia per visionem, non realiter sunt gesta; non ergo realiter combusta sunt labia Isaiaem: sic enim blæsus et ineptus ad prædicandum factus esset) contactu labiorum per prunas, significat Deus se, et tibi peccata remittere, et te implere spiritu prophetico, ac simul fiducia et magnanimitate, ut superato metu magnatum intrepide deinceps prophetes, et populi ac procerum cæcitatem arguas: unde S. Hieronymus, Haymo, et Philastrius, lib. *De Hæres.*, in fine, per calculum accipiunt verbum Dei, quod petitur ab altari, id est e sacra Scriptura. Sic Jeremias consecratus fuit Propheta tactu manus divinæ, cap. XIX. Unde S. Hieronymus,

Tertio, prophetia.

(1) Iste purificationis et consecrationis modus carbone ardenti de altari desumpto in usu erat etiam apud Græcos (Athenæus, lib. IX).

An fuerit hæc prima visio Isaia?

Dionysius Carthusianus, Sanchez et alii censent hanc fuisse primam visionem et prophetiam Isaiaë, illasque, quæ quinque capitibus jam enarratae sunt, fuisse hac posteriores, adeoque Isaiam animatum hac visione intonasse: « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, » uti dictum est cap. 1. Hæc sententia est probabilis; sed contraria videtur verior: nam ante hæc prophetasse Isaiam colligitur non tantum ex capitibus præcedent., sed et ex eo quod ait hic Isaias: « Væ mihi, quia taci! » q. d. Væ mihi, qui cum sim Propheta, tacere non debui! ut passim exponunt Patres et Interpretes. *Secundo*, quia Eusebius in *Chronico* tradit Isaiam cœpisse prophetare anno 17 Oziaë; et Isaias, cap. 1, ait se prophetasse sub Ozia rege, regnantē videlicet; ergo prophetavit ante ejus mortem, imo antequam percuteretur lepra, et separaretur; tunc enim regere desiit. *Tertio*, quia non est verisimile eum suam prophetiam inchoasse sic: « Excæca cor populi hujus, » ut ipse hic incipit, vers. 10. Prius enim solet Deus per Prophetas populum monere et arguere, uti fecit per Isaiam quinque cap. præced., antequam ei excæcationem et obdurationem intentet.

Quarto, amoris et zeli.

Quarto, Isaias optans se jungere Seraphinis in laude Dei, calculo hoc charitatis et ardoris eorum inflammari debuit, simulque per eum quasi consecrari non tantum Propheta, sed et Evangelistâ et Apostolus (mittitur enim ad Judæos, vers. 9), perinde ac Apostoli consecrati sunt per linguas igneas, quas acceperunt in Pentecoste: hoc ergo calculo os igneum, et linguam igneam, accepit Isaias, æque ac Apostoli, ut Judæos igne divino inflammaret, juxta illud *Jeremiæ* xxiii: « Numquid non verba mea quasi ignis? » et *Psalms* cxviii: « Ignitum eloquium tuum vehementer. » Hic ergo candens calculus consignat Isaiam Evangelio, ut nihil ab ore ejus sonet nisi purum, nisi evangelicum, nisi divinum; nihil labia ejus aspirent nisi igneum ab illo cœlesti igne, quem Christus venit mittere in terram. Ita S. Franciscus per Seraphim calculo amoris Dei accensus fuit; nam, ut ait S. Bonaventura, cap. xiii *Vitæ* ejus: « Cum Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, circa festum Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret, vidit Seraphim unum sex alas habentem ignitas et splendidas de cœlo descendere, atque inter alas apparuit effigies hominis crucifixi: duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns obstupuit cum gaudio: intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Hæc enim visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, et in manibus ejus ac pedibus impressit signa clavorum, quemadmodum in effigie illa crucifixi conspexerat. »

Allegorice, calculus hic nos accendens est Chri-

stus; ita S. Basilius et Cyrillus: sicut enim ignis unitur carboni, et carbo igni; sic humanitas unita est Verbo, ut Verbum incarnatum sit quasi carbo ignitus.

Rursum hic carbo est S. Eucharistia, quæ ab omni peccato nos purgat, roborat et inflamat: « Ut tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles, » ait S. Chrysostomus, hom. 61 *ad Popul.* Ita calculum hunc exponit S. Justinus in *Respons. ad Quæst.* XLIV, a Gentibus propositam, et Damascenus mox citandus.

Unde moraliter hic monetur sacerdos, qui purus et fervens debet esse ut Seraphim, ut corpus Christi in Eucharistia ab altari capiat forcipe, quæ biceps est, id est fide et charitate; vel gemina legis perfectione, puta dilectione Dei et proximi, illudque tradat Isaiaë, id est peccatori confesso, plangenti et venerabundo. Copiose hoc explicat S. Cyrillus, lib. *De Incarnat. Unigenit.* cap. viii.

Audi et S. Damascenum, lib. IV *De Fide*, cap. xiv: « Accedamus, ait, desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, et apponentes oculos et labia et frontem divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis insiti desiderii assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, comburat peccata nostra, et illuminet corda nostra, et participatione divini ignis inardescamus, et deficemur. Carbonem vidit Isaias; carbo autem non simplex lignum est, sed unitum igni: sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati. » Hoc experta est S. Monica, quæ in S. Communionem prædulcore se continere non poterat, quin exsultaret cum suspirans ad Christum in aerem a terra raperetur ac diceret: « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. »

Denique Rupertus hoc accommodat ad claves et potestatem clavium datam B. Petro ejusque vicariis. Seraphim enim est sacerdos, qui calculo suæ sententiæ Isaiam, id est pœnitentem, a peccatis absolvit.

Tropologice S. Cyrillus, per calculum hunc ori Isaiaë admotum accipit confessionem, qua fidem ore profitemur, æque ac peccata nostra: hæc enim in ore nostro assidua et constans sit oportet, ut a peccatis emundemur, et Spiritus Sancti fervore accendamus. Insulse ergo Calvinus hic ait, « in Papatu meram esse corruptelam, ubi Sacramenta in actionem histrionicam vertuntur. » Inde enim a pari sequitur Angelum hunc forcipe accipientem calculum de altari, eoque tangentem et efficaciter purgantem labia Isaiaë, fuisse histrionem. Respondet Calvinus Angelum suæ actioni addidisse verbum, in quo præcipua ratio Sacramentorum consistit. Verum hoc pariter verbo utuntur Catholici in suis Sacramentis. Nosti, Calvine, illud Augustini, tract. 80 *in Joan.* « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » Nosti Catholicos rationem formæ dare verbis in Sacramentis: forma

Allegorice, calculus hic nos accendens est Christus; ita S. Basilius et Cyrillus: sicut enim ignis unitur carboni, et carbo igni; sic humanitas unita est Verbo. Secundo, quia Eusebius in Chronico tradit Isaiam cœpisse prophetare anno 17 Oziaë; et Isaias, cap. 1, ait se prophetasse sub Ozia rege, regnantē videlicet; ergo prophetavit ante ejus mortem, imo antequam percuteretur lepra, et separaretur; tunc enim regere desiit. Tertio, quia non est verisimile eum suam prophetiam inchoasse sic: « Excæca cor populi hujus, » ut ipse hic incipit, vers. 10. Prius enim solet Deus per Prophetas populum monere et arguere, uti fecit per Isaiam quinque cap. præced., antequam ei excæcationem et obdurationem intentet.

Tertio, est potestas clavium.

Tropologice, est confessio.

autem potior est materia, et dat esse rei, puta Sacramento. Sed scio tuum ulcus, verbum vis concionatorium, non consecratorium: nimirum vis abolere sacramenta, eaque in conciones convertere. Hæc mens tua, hic scopus.

QUEM TULERAT DE ALTARI. — Altare hoc simile erat Mosaico, et illi quod vidit Joannes, *Apocal. vi, 9*, eratque vel altare holocaustorum, vel potius thymiamatis, de quo *Apoc. viii, 3*; inde enim ascendebat fumus incensi, quo replebatur templum. Altaris meminit, quia vidit Deum in templo, cujus monile est altare: altare enim repræsentat sacrum arcanum Majestatis divinæ, æque ac cultus, religionis et sacrificiorum illi debitum: hisce enim colendus est in altari; et quia carbones in templo ex altari accipi solebant. Quid significet symbolice altare utrumque, dixi *Exodi cap. xxvii, 1*, et *cap. x, 1* et sequent.

Altare
symbo-
licum est
cultus
Dei.

Vers. 7. 7. ET PECCATUM TUUM MUNDABITUR, — id est emundabitur, auferetur et everretur, sicut everri solent sordes e domo. Hinc videtur quod Isaias, in hac visione intellectuali illuminatus et compunctus a Deo, eliceret libere actus contritionis et amoris Dei, per quos fuit dispositus ad purgationem peccati, et infusionem novæ et heroicæ gratiæ ac virtutis. Accepit enim hic a Deo libertatem et audaciam, zelumque intrepide prophetandi et prædicandi; unde vers. 8, ait Deo: « Mitte me; » et mox ex eo libere edicit, vers. 10: « Excæca cor populi hujus. »

Isaias
mit hic
compunctus
ut
a peccato
purificaretur.

Vers. 8. 8. QUEM MITTAM (1), ET QUIS IBIT NOBIS (2). — Rur-

(1) Majestatem suam exhibuerat Dominus Prophetæ, quam Spiritus angelici laudabant ac summa cum reverentia prædicabant, ut quam dignus esset qui a mortalibus etiam coleretur intelligeret, atque pro sua virili eos imitaretur qui magnis vocibus *Sanctum* sæpius vocabant, et dignum esse *cujus gloria et confessione universa terra impleteretur*, prædicabant, optaretque ut hominum corda religione ac timore tanti Numinis tangerentur ac contremiscent, et prædicatione verbi commoverentur, præsertim cum firmissima quæque illius aulæ seu templi Seraphim vocibus tremefacta videret. Sed cum hæc ipsa Prophetam quoque stupefecissent, ne forte agnoscens imbecillitatem suam munus detrectaret, ubi *carbone ignito* impedimento illo ac indignitate liberatus est, viresque loquendi recuperavit, audit vocem interrogantis *quemnam mitteret*. Unde intelligere possumus quorsum tenderet isthæc visio. Dignum quippe visum est Domino ut hujusmodi visum præcederet creationem ac delegationem Prophetæ ad populum illum durum et intractabilem. Poterat sane Seraphim mittere, sed mavult hominem, qui ut culpa non vacasset, si, antequam divino adureretur carbone, id muneris suscepisset, ita laude dignus esset, si a Deo purgatus et jam divina visione instructus, id libenter obire se velle profiteretur. Is enim divini verbi aptus minister censendus est, qui et divina percepit et dono sermonis donatus est. Illud quoque nequaquam prætereundum videtur, quod non dicit: *Ego eo*, aut *ibo*, sed: *Mitte me*, q. d. Si miseris, ibo; *quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* (Forerius.)

(2) Vates liberatus ab indignitatis suæ conscientia paratissimum se jam sentiebat ad serviendum tanto regi cum ministris cæteris Seraphis. Cum igitur audiret quærentem Dominum, quem ad magnam aliquam provinciam

sum hic innuitur mysterium Trinitatis in voce *nobis*, et unitatis essentiæ in voce *mittam*.

Moraliter, nota humanitatem Dei principibus, Prælati, et cuivis Superiori bene regere volenti imitandam. Poterat Deus imperare Isaiæ: *Eccæ jam te consecravi Prophetam, adsum et adero tibi: quare mitto te ad Judæos, vade*. Sed noluit eum ad rem tam arduam suo præcepto cogere: unde eum invitat proponens tantum ei suum desiderium, quod proinde Isaias, ut decet, statim amplectitur, seque ultro offert. *Secundo*, et *nobis* stimulus est Isaiæ et Apostolis, ut sincero et magno animo missiones Dei suscipiant, cogitantes, *primo*, se in hac re Seraphinorum esse socios, atque se ire ad opus divinum, non ex se, sed a Deo vocatos et electos; *secundo*, se Deo hac re peculiare et gratissimum obsequium præstare; *tertio*, se in hoc munere, non suam, sed Dei gloriam spectare et curare debere, inquit S. Thomas et Hugo.

Pulchre S. Bernardus, in serm. *De SS. Petro et*

habiturus esset ministrum, jam audacior factus, ultro se offert. « Quis ibit nobis, » id est pro nobis, ad nostra mandata exsequenda, ut Kimchi explicat, qui præterea observat usurpari pluralem, *nobis*, quod Deus cum Seraphis locutus, et consilium cum eis iniens, de hac re inducatur. Indignum id Deo Michaelis censet. Sed cum hoc viso Deus sistatur ut rex, omnesque illius imagines desumptæ sint ab aula regia, Jova haud incommode describi possit instar regis, e solio consiliarios suos interrogantis de eo quem missurus esset ad Judæos, ut mandata ad eos ferret. Malo tamen *nobis* pro simplici plurali majestati cohabere, quo Deus de se loquens utitur. Conf. Gesenii *Lehrgeb.*, pag. 663, 799. Hieronymus: « Pro eo quod et nos et alii omnes interpretes transtulerunt *nobis*, quod hebraice dicitur *lanu*, nescio quid volentes Septuaginta posuerunt, *ad populum istum*, quod penitus in Hebræo non habetur (videtur Græcus Interpres oculo aberrasse in versum sequentem, ubi legitur *populo huic*). Quando autem ex Dei persona dicitur *nobis*, illo sensu accipiendum est, quo et in *Genesi* legitur (1, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut sacramentum indicet Trinitatis*. Quando enim in Evangelio (*Joan. x, 30*) legimus dicentem Dominum: *Ego et Pater unum sumus, et unum ad naturam referimus, sumus ad personarum diversitatem*. Sic Domino jubente Trinitas imperat. Propterea autem non dicit Dominus, quem ire præcipiat, sed proponit audientibus optionem, ut voluntas præmium consequatur. Et Propheta non temeritate et arrogantia propriæ conscientiæ se ire promittit, sed fiducia, quoniam purgata sunt labia ejus, et ablata iniquitas, mundatumque peccatum. » Chaldaeus: *Et quis ibit ad docendum?* Nec Syrus *nobis* expressit. Cum essent qui ex hoc versu colligerent, hoc carmen esse omnium quæ Isaias edidit, primum, hanc sententiam Kimchi in Præfatione ad suum Commentarium in nostrum Prophetam refutare studet hac observatione: « Ex illo cap. vi, 8, *Quem mittam?* constat exstitisse Isaiæ ætate et alios, præter ipsum, prophetas; et revera vixit tunc Amosus, Zacharias, intelligens visionem Dei, et Oseas, Beerii filius. Ait: *Quem mittam?* nimirum qui reprehendere sciat populum hunc: nisi enim ad eum prophetas, et nihil profecerunt; respondit Isaias: *Eccæ ego, mitte me!* quasi dicat: En! ego adhuc existo; quod si adhuc nihil profeci, forsitan proficiam in posterum. » Qui sensus verbis merito ex lubitu infertur. (Rosenmullerus.)

Paulo : « Hi sunt, ait, viri misericordiæ, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, sive quia misericorditer a Deo donati sunt nobis : scimus quod viri isti nec sibi vixere, nec sibi sunt mortui; sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus. Facit eorum vita, eorum doctrina, et etiam mors ipsa in conversatione eminentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam : hæc nobis beati Apostoli contulerunt, quæ etiam usque hodie conferre non cessant, misericordia pleni, et sanctorum orationum fructibus. »

Et S. Chrysostomus, in homiliis *De Laudibus S. Pauli*, tom III : « Paulus cœli civis, Ecclesiarum columna, angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas. » Paulus ergo fuit Seraphim, et Seraphicus Apostolus. Et rursum : « Misit, inquit, Christus Apostolos quasi sol radios suos; quasi rosa suavitates odoris sui; quasi ignis scintillas suas dispersit : ut sicut sol in radiis apparet; sicut rosa in odoribus suis sentitur; sicut ignis in scintillis suis aspicitur : sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscat. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudet? » S. Augustinus, in serm. *De Apostol.* : « Dedit Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent; super dæmones, ut eos everterent; super elementa, ut ipsa immutarent; super mortem, ut eam contemnerent; super Angelos, ut corpus Domini consecrarent. Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud *Apoc. xi*, 6 : « Hi habent potestatem claudendi cœlum, et aquas convertendi in sanguinem. »

ET DIXI : ECCE EGO, MITTE ME. — Video enim te ad hoc me designare, ex eo quod sentiam labia mea calculo mundata, linguam solutam, et animo meo novam libertatem, et desiderium prophetandi a te inseri; præsertim cum simul me stimulet gloria Majestatis tuæ quam conspicio, et Seraphim quos volantes et paratos ad omne tuum obsequium intueor. Hæ rationes addebant animos Isaïæ, ut ex liberali et alacri magnanimitate Deo ad rem tam arduam se offerret, etiamsi sciret se propterea dissecandum, inquit Origenes in illud *Rom. cap. x* : « Isaïas autem audet, » e contrario Moyses ex humilitate, imo ex pusillanimitate quadam, Dei missionem tertio et quarto detrectavit, uti dixi *Exodi cap. iv*, et docet S. Hieronymus, *epist. 142*.

Ait igitur : « Ecce ego; » quæ locutio promptum animum ad parendum significat. Sic Abraham a Deo vocatus respondit : « Adsum, » *Genes. cap. xii*, vers. 1; seu, ut est in Hebræo et Græco : *Ece ego*. Sic Ananias, similiter vocatus a Deo, ait : « Ecce ego, Domine, » *Act. ix*, 10.

Sic et Isaïas audiens a Deo : « Quem mittam, et quis ibit nobis? » promptus occurrit : « Ecce ego,

mitte me, » *Isaïæ vi*, 8. Qua promptitudine nihil Deo gratius esse solet. Unde D. Ambrosius, *serm. 14* ad illa verba : « Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. » *Psalm. cxviii*, 108, quærit cur Deus ad illam legationem non miserit Isaïam, antequam ille sua sponte ad eam se offerret? apteque respondet : « Utique, inquit, servulo suo poterat imperare, quem dignum qui mitteretur invenerat, sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse se offerret præstolatus est; et quamvis ejus sciret affectum, exspectavit tamen vocem, ut cumularet gratiam.

Isaïas ergo dat hic schema et exemplum perfectæ obedientiæ, qua Deo non jubenti, sed insinuanti, tantum suam voluntatem, sponte prompteque se offert in omne discrimen. Hoc imitentur fideles, præsertim Religiosi, cogitantes se a Deo invitari ac vocari, ac consequenter Deum iis affore, ut ardua omnia generose et facile superent. Hæc enim est obedientiæ tam liberalis vis et merces. Vere dixit Religiosus ille : « Non timeo vocem obedientiæ, ad quidlibet, quantumvis arduum, me vocantis : ad eam me offero, præsto sum : » certus enim sum Deum, qui per Superiorem jubet, mihi affore. « Qui enim instat præcepto, prævenit auxilio, » ait S. Leo. Hinc perfecte obediens; instar Isaïæ, « prævenit præcipientem, » ut docet S. Bernardus, *serm. De Obedientia*. Nam « acceptus est regi minister intelligens, » *Prov. xiv*, 35. Hinc Regula nostra præscribit, ut non exspectemus Superioris præceptum, sed mox ut dat signum voluntatis suæ, prompte statimque illam exsequamur, et innuenti tantum pareamus, ac ad omnem ejus nutum quoquoersum procurramus. Hæc enim melior, Deoque, æque ac Superiori gratior est obedientia, quam illa quæ præceptum exspectat, uti docet D. Thomas, II II, *Quæst. CIV*, art. 2. Et Albertus Magnus in *Paradiso animæ*, cap. III : « Verus, ait, obediens nunquam præceptum exspectat, sed solum voluntatem Prælati sciens, vel credens, ferventer exsequitur pro præcepto. » Denique S. Bernardus loco citato : « Fidelis obediens, inquit, nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. » Ita fecit hic tam Isaïas, quam Seraphini expansis alis sistentes se Deo, ad omnem ejus nutum quolibet volaturi.

Nota Isaïam et Apostolos mitti debere a Deo : hæretici qui sponte se prædicationi ingerunt, nec a Christo, Apostolis et Episcopis sunt missi. Apostoli sunt non Christi, sed diaboli. Unde Christus vocat eos fures et latrones, *Joan. x*, inquit Chrysostomus, *hom. 5 De Joanne Baptista*.

9. AUDITE AUDIENTES, ET NOLITE INTELLIGERE : ET VIDETE VISIONEM, ET NOLITE COGNOSCERE. — Hoc est, audietis et videbitis, sed non intelligetis, vel non voletis intelligere et cognoscere, uti explicant Septuaginta, et ex iis S. Paulus, *Actor. ultimo capite*,

vers. 26. Est hebraismus, et enallage modorum; ponitur enim imperativus pro futuro: nam certum est Deum non imperasse Judæis peccatum; quinimo evidens est eum voluisse et mandasse ut Judæi intelligerent, cognoscerent et exsequerentur sua oracula: ideo enim Prophetis jussit ut ea illis proponerent et edicerent.

Nota: Isaias prophetat hic de excæcatione Judæorum, tum sui temporis cæcorum et surdorum ad minas Isaiaë et Prophetarum, tum maxime tempore Messiaë; ac consequenter de eorum rejectione et reprobatione: sicut enim idem est fluvius, etiamsi alia et alia affluat et succedat aqua; ita idem fuit semper Judæorum populus, etiamsi alii et alii homines in eo invicem sibi successerint, inquit S. Basilius, q. d. Scio, o Judæi! vos avide Messiam promissum expectaturos; sed cum venerit, vos eum rejicietis: conciones ejus et miracula audietis et videbitis, sed non voletis cognoscere, nec credere ea esse opera Messiaë: quinimo dicetis eum in Beelzebub ejicere dæmonia. Ita S. Basilius, Chrysostomus, Cyrillus et Hieronymus.

Vers. 10. 10. EXCÆCA COR POPULI HUIUS, ET AURES EJUS AGGRAVA. — Pro *excæca* hebraice est חַמְסָה *hasmen*, id est impingua (1), incrassa, hoc est, excæca et obdura. Cor enim crassum et pingue, scilicet luxui et ventri serviens, ineptum est ad capiendum cœlestia, ac proinde hebes et cæcum. Excæcatio enim non est aliud, quam mentis quædam obesitas et hebetudo ad videndum et gustandum divina, atque obstructio impediens cœlestis doctrinae admissionem, influxum et intellectum, ut indicant verba sequentia. Cor enim et aures non corporis, sed mentis intelligendæ sunt: mens enim ipsa est cor, est auris, est oculus, scilicet spiritalis; mens enim per se videt ut oculus, audit ut auris, sapit ut cor: eminenter enim in se continet cor, oculos, aures, nares omnesque sensus corporis.

Secundo, excæcatio proprie ad intellectum pertinet; aggravatio sive obduratio ad voluntatem; utraque et peccatum est, et pœna peccati, et causa peccati. « Cæcitas, inquit S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. III, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur; et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur; et causa peccati, cum aliquid mali, cæci cordis errore committitur. Ita concupiscentia carnis et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientis; et causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis. » Sic Judæi ex

cæci cordis errore et duritie Christum vexarunt et occiderunt.

Tertio, ad excæcationem duo requiruntur: *primo*, pravus affectus, quo quis non vult recipere lumen, vel etiam impedimenta objicit (ut qui claudit fenestram, radios solis a se excludit) illuminationi divinae, qua Deus per se, vel per Prophetas aut Apostolos, res ad salutem necessarias sufficienter proponit, explicat et confirmat. *Secundo*, inde sequitur carentia, sive privatio luminis divini, indeque moralis impotentia ad videndam veritatem. Sic Judæi videntes Christum tot facere signa, ut per ea credere possent et tenerentur ipsum esse Messiam, lucem hanc repudiarunt, et sic excæcati fuerunt, idque propter suam avaritiam, ambitionem, invidiam, etc., quam a Christo taxari videbant. Sic et obduratio, *primo*, est improbitas, sive malitia volentis peccare, et nolentis facere officium debitum; *secundo*, est pertinacia et firma adhæsiō ad illam, puta ad aliquam voluptatem, vel bonum illicitum, ita ut nec monitis, nec consiliis, nec minis, nec promissis, nec præmiis, nec flagellis, nec ordinariis Dei inspirationibus et gratiis inde avelli se sinat. Audi miram excæcati et obdurati duritiem. Irenæ piæ Imperatricis successit Nicephorus Iconoclastarum et Manichæorum patronus: hic dum Ecclesiam gravibus premeret exactionibus, omnium ordinum suscitavit querimonias et lamenta. Monitus hac de re a Theodosio Salibara patricio respondit: « Si Deus obduravit cor meum ut Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt a Nicephoro? Theodosi, noli expectare præter ea quæ vidisti. » Hic ergo omnes fere Imperatores ambitionibus, luxuriis et barbaricis crudelitibus superavit. Quocirca Deum vindicem sensit; nam Sclavinorum princeps Crumus ejus recisum caput, per dies complures e sublimi ligno suspendit, posteaque ipsum cute nudans, et argento forinsecus vestiens, bibere ex eo Sclavinorum principes exemplo suo docuit gloriabundus. Ita Zonaras, tom. III, et alibi.

Quarto, S. Hieronymus, S. Thomas, Hugo, Haymo et Glossa putant hæc esse verba Isaiaë, quasi ipse oret, dicatque: Excæca, Domine, Judæos, ut sic Apostoli eant ad Gentes, easque illuminent. Verum S. Cyrillus, Lyranus, Forerius; Adamus et passim recentiores verius censent hæc esse verba Dei ad Isaiaem: hoc enim exigit filium et connexio orationis. Cœpit enim Deus loqui, et pergit, ac tandem concludit: « Ne forte convertatur, et sanem eum. » Quæ sine dubio sunt verba Dei.

Dices: Ergone Deus præcipit Isaiaë ut decipiat et excæcet Judæos? Respondeo, nequaquam. Sed duplex est sensus. Prior, « excæca, » id est ita obscure per ænigmata et parabolas tua Judæis propone, ut ipsi non intelligant, sed obnubilentur et excæcentur: sic enim fecisse Christum docet S. Joannes, cap. XII, vers. 40, ubi citat hunc Isaiaë locum. Posterior et verior sensus est, « ex-

Sunt hæc
verba
Dei, non
Isaiæ.

(1) Samuel Burder (*Oriental Customs*) refert ex testimonio plurimorum viatorum, morem esse in Oriente orbare ad tempus oculorum usu illustres viros, quos pœnis mulctare, sed levioribus decreverit princeps. Horum igitur oculi pice quadam liniantur, quam consuetudinem ut symbolicam forsam innuit Propheta.

Excæcatio quid?

Mens est auris, oculus, etc.

Cæcitas est peccatum, et pœna et causa peccati.

cæca, » id est prædic eos excæcandos : sæpe enim verba realia per mentalia exponenda sunt, ut ostendi Canon. XXIX, q. d. Omnino Judæi per peccata sua excæcati a me deserentur, magis excæcabantur et obdurabuntur : et ita fiet, ut frustra eis concioneris, tam tu, o Isaia! quam tu, o Christe! nec enim ipsi suos inveteratos mores mutabunt, nec justitiam et salutem assequentur; ita tamen, o Isaia! et prædic eos excæcandos, ut sciant hæc a me prævisa et prædicta, ut Christus hoc eis objicere possit; unde Septuaginta vertunt : *Incrassatum est cor eorum* : S. Joannes vero, cap. XII, vertit, et legit : « Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum. » Id factum est, quia eidem verbo Hebræo alia et alia substituerunt puncta. Si enim punctes *השמן hasmen*, erit *impingua excæca*; si *המשמן husman*, erit *excæcatum est*; si *השמן hismin*, erit *excæcavit* : quæ omnia sensu idem sunt, pro quo nota :

Homo directe se excæcat; Deus indirecte. Quinto, hominem proprie obdurare et excæcare se ipsum, hoc enim est, quod ait Sapiens cap. II, 21 : « Excæcavit enim illos malitia eorum; » positiva ergo causa excæcationis, est propria excæcati malitia. Deus vero indirecte excæcat et obdurat, quia impiis lumen veritatis et gratiæ sensum subtrahit, atque errorum et excæcationis occasiones eis objici sinit, ad puniendam eorum peccata, ut fusius dixi Can. XXVII, q. d. Prædic, o Isaia! quod Judæi ob pravos suos affectus directe se excæcabant et obdurabant, ne audiant tuas æque ac Christi prædicationes, ego vero indirecte eisdem ob peccata excæcabo, eo modo quo dixi. Ergo Judæi excæcati sunt primo, a se; secundo, a Deo; tertio, ab Isaia : a se directe et positive, a Deo indirecte et permissive; Isaias vero excæcavit eos, id est prædixit eorum excæcationem. Quare execranda est blasphemia Calvinii dicentis, Deum proprie et directe Judæos, Pharaonem aliosque impios excæcasse et obdurasse, contra quam egi Roman. IX, 17, et Exodi VII, 1. Quocirca cavendus est hic Vatabli commentarius, ab hæreticis depravatus; qui *וְאָזְנוֹתָי אֶגְרָוּ* *causes ejus aggravata*, sic explicat : *Velut mole aliqua obtura, sordibus aut alia re imple, ne possint exaudire*; et aliorum qui vertunt, *inunge, obtini, obtura unguento pingui*; item, *obstina cor populi hujus*. Hæc enim nimis dure dicuntur, Deumque active, directe et positive impios obdurare significant.

Denique S. Clemens, lib. III *Constit. Apost.* cap. VI, hæc Isaiæ verba recte adaptat iis qui negligenter et dormitanter audiunt verbum Dei, ejusque doctores et præcones.

NE FORTE VIDEAT OCVLIS SUI. — Rursum hæc prophetice per futurum exponenda sunt, q. d. Ex hac Judæorum excæcatione omnino fiet, ut non videant, non intelligant, ac consequenter ut non convertantur ac sanentur. Nam, ut pulchre ait vetus doctor : « Deus non hic sanitatem volentibus denegat : qui enim sic intelligit, absolvit hominem, damnat auctorem (Deum); sed contradicentes se

sanare nolle pronuntiat? frustra enim ad conferendum remedium promissa est bonitas medici, intemperantia contradicat infirmi; » si videlicet infirmus nolit sequi consilia, et diætam a medico præscriptam, uti Judæi noluerunt sequi fidem et legem Christi.

11. ET DIXI : USQUEQUO, DOMINE? — q. d. Quamdiu hac pœna excæcationis Judæi mei populares punientur? secundo, et aptius, q. d. Quo evadet hæc Judæorum cæcitas et durities, æque ac tua, o Domine! derelictio et furor in eos? huic enim interrogatione apte congruit sequens responsio Domini

DONEC DESOLENTUR CIVITATES ABSQUE HABITATORIBUS. — Pro donec hebraice est *וְעַד* *ad*, id est usque ad desolationem civitatum totius Judææ, q. d. Eorum cæcitas et durities quæ meam iram inflammant, huc evadet, ut gens tota desoletur, nec ante cessabit donec omnes eorum urbes vastentur a Tito et Vespasiano, a quibus Judæi vel occidentur, vel fuga aut captivitate in totum orbem dispergentur, ita tamen ut toto orbe terrarum non intereant, sed per propagationem sobolescant et multiplicentur, ut sequitur. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, Haymo et Rupertus, qui docent Isaiam loqui de excidio Judæorum per Romanos, non per Assyrios, ut vult S. Chrysostomus, nec per Chaldæos, ut vult Vatablus.

12. ET LONGE FACIET DOMINUS HOMINES. — Loquitur de se in tertia persona, q. d. Ego Dominus ablegabo Judæos a sua patria, faciamque eos extorres, ut toto orbe vagentur.

ET MULTIPLICABITUR. — Gens Judaica, licet pene excisa, tamen quia natura sua fœcunda est, et quia multas habet uxores, rursum multiplicabit se. Septuaginta vertunt, *et multiplicabuntur derelicti super terram*; Chaldæus et Vatablus aliter vertunt sic, *eritque desolatio multa in terra* (1).

13. ET ADHUC IN EA DECIMATIO, — scilicet faciendâ vel tollendâ est, q. d. Gens Judaica ita multiplicans se post excidium Titi, rursum post 50 annos ab Adriano Imperatore ita vastabitur, ut quasi e decem vix unus relinquatur; hoc enim est hic decimare : non enim capitur proprie, ut sit idem quod unum e decem tollere; nam Adrianus Judæos iterum rebellantes majore clade quam Titus affecit, et pene delevit, adeo ut edicto prohiberit fugitivos ad terram suam regredi, eamque aspicere; unde sic dispersi Judæi miserrimi, ostentui et derisui fuerunt, sunt et erunt, uti prædicit hic Isaias. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, Haymo et alii.

Nota : Pro *decimatio* hebraice est *אֶשְׁרֵי־יָרֵךְ* *asiria*, quod denarium, decimam vel decadem significat. Unde varie a variis explicatur.

Primo, sic, « decimatio, » id est decem tribuum abductio in Assyriam, fiet in Israel.

(1) Melius cohærebit sensus antecedentibus si vertas, *multiplicabit dies quæ fuerat derelicta*, sive multo tempore derelicta erit.

Secundo. *Secundo*, Vatablus sic, *q. d.* Adhuc in Juda erit decas, id est decem reges (tot enim fuerunt a Joatham filio Oziaë usque ad Sedeciam); et decimo (Sedecia) regnante iterum ejicientur Judæi, et destruentur.

Tertio. *Tertio*, Adamus, *q. d.* Novem Judæorum partes vastabuntur a Romanis, decima pars Deo debita ei dabitur, eritque semen sanctum (ex frugibus enim decimæ erant sacræ Deo), hoc est, decima Judæorum pars convertetur ad Christum. Ita et S. Basilius, Arias, Osorius, Pintus et Alcazar in *Apoc.* cap. xi, vers. 13, notat. 11.

Quarto. *Quarto*, Sanchez, *q. d.* Novem Judæorum partes perdentur ab hostibus, puta Chaldæis vel Romanis; decima pars reliqua a Deo racemabitur et perdetur, eritque quasi gens furori ejus addicta et devota, non aliter quam victima altari et culto.

Quinto. *Quinto*, idem: *Decimare*, inquit, est decies vastare, et « decimatio » est decies repetita vastitas, *q. d.* Sæpius et multoties vastabitur Juda: denarius enim est symbolum multitudinis; unde aliqui decem Judæorum vastationes post tempora Isaiaë enumerant hoc modo: *prima* facta est a Salmanasare, qui decem tribus abduxit; *secunda*, a Sennacherib; *tertia*, ab Asarhaddon, qui Manassem regem vinctum abduxit; *quarta*, a Pharaone Necho, qui Josiam occidit; *quinta*, a Nabuchodonosore; *sexta*, a Nabuzardan; *septima*, ab Antiocho Epiphane; *octava*, a Pompeio; *nona*, a Tito; *decima*, ab Adriano.

Sexta. *Sexto*, aptissime Chaldæus: Judæi, inquit, decimabuntur, id est unus ex decem relinquetur; decima Judæorum pars tantum remanebit, sicut post vindemiam vinea racematur, id est racemi reliqui colliguntur, ut ex decem vix unus remaneat. *Decimare* ergo hic idem est quod *racemare*. Ita enim racemavit Judæos Adrianus, ut dixi.

ET CONVERTETUR, ET ERIT IN OSTENSIONEM. — Nota enallagen Hebraicam, qua verba *converter*, *revertor*, *addo*, *adjicio*, ponuntur pro adverbis *rursum*, *iterum*, *ultra*: « convertetur » ergo, « et erit in ostensionem, » id est iterum erit in ostensionem. Sic dicitur *Psal.* LXXXIV, 7: « Tu conversus vivificabis nos, » id est tu iterum vivificabis nos; et *Psal.* cap. LXXVII, vers. 41: « Conversi sunt, et tentaverunt Deum, » id est iterum tentaverunt Deum: eadem phrasis crebra est in Psalmis. Ita Forerius.

IN OSTENSIONEM. — *Primo*, ut omnibus gentibus Judæa vastata ostendatur in exemplum justæ vindictæ Dei, quo percellantur aliæ gentes, nè sua impietate Deum iritent.

Secundo et melius, « in ostensionem, » ut scilicet Juda sit ostentui et risui Gentibus, ut ab illis digito ostendatur quasi stultus et stolidus (Hebraice enim בער *baar*, stultum significat), vel quasi infamis ob tanta crimina, æque ac supplicia sua, juxta id quod comminatus est eis Moses, *Deuter.*

cap. XXIX: « Et dicent omnes Gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? Quæ est hæc ira furoris ejus immensa? Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini. »

Tertio, Hebraice לבער *lebaer* verti potest, erit in depastionem, id est, ut Septuaginta vertunt, in depredationem; male enim aliqui codices legunt, in deprecationem.

Quarto, verti potest cum Chaldæo, erit in combustionem.

SICUT TEREBINTHUS (1), ET SICUT QUERCUS, QUÆ EXPANDIT RAMOS SUOS, — scilicet aridos et demortuos, ideoque deformes: pro *expandit* enim Hebraice est בשלכת *bescallechet*, id est defluit, emitit, dejicit folia, ut solos nudosque ramos aridos, eosque paucos et curtos expandat et ostendat, qui idcirco hebraice vocantur מצבת *mattsebet*, id est subsistentia (בם *bam*, id est in eis, scilicet terebintho et quercu), ex qua rursus in vere germen novum revirescat, et semen sanctum quod sequitur suppullulet. Unde Chaldæus vertit, *erunt sicut terebinthus, et sicut quercus, quæ cum deflunt folia ejus, videntur quasi arida, et adhuc retinent humorem, ut ex eis sustentetur semen*; et sic dixit cap. I, vers. 30: « Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis. »

Secundo, Septuaginta *mattsebet* vertunt, *thecam*; habent enim, *erunt sicut glans quæ excidit de theca sua*. Sicut enim hæc est pabulum porcorum, sic Juda erit præda hostium. Alii vertunt, *erunt sicut castanea quæ excidit e theca sua, q. d.* Sicut castanea quamdiu spinosa theca includitur, tuta est; sed ubi ea se aperit, præda est porcis: ita Israel quamdiu Dei vallabatur præsidio, tutus erat ad hostibus; nunc eo nudatus, eis erit in directionem. Ita Sanchez.

Tertio, Vatablus vertit, *sicut ulmus et quercus cum fulcrum eis submittitur, sic semen sanctum erit fulcrum ejus*, sicque explicat: Sicut in ulmo et quercu abjectis foliis est vis quædam generatrix, cujus ope vere novo rursus folia et frondes emittunt: sic se habebunt incolæ Judæ, qui cum mortui esse putabuntur in Babylone, tum reduces reflorescent, producentque semen sanctum, id est filios sanctos, ita ut ex eis nascatur Sanctus sanctorum Christus Dominus.

SEMEN SANCTUM ERIT ID QUOD STETERIT IN EA. — Theodotion vertit, *semen sanctum erit columna foundationis ejus*. Hebræum enim *mattsebet*, significat statuam, columnam, fulcrum, statumen. Aquila vertit, *semen sanctum erit germen ejus, q. d.* Licet arbor hæc (terebinthus vel quercus) id est Judæorum populus videatur in clade Titi et Adriani esse emortuus tamen servabitur in ea aliquod germen et semen sanctum, scilicet Christus Dominus, qui columna est et basis totius sanctitatis: cujus

(1) Terebinthus multo tempore vivit. Antequam pereat, ex radice ascendit surculus quem in locum arboris surgere mox videas, ita ut arbor ista quadam immortalitate prædita videatur. (Jahn, *Archæol. Bibl.*)

mox rami totum orbem implebunt, per quem reliquiae Judæorum salvabuntur, et cui quasi olivæ fructiferæ Gentes quasi oleastri inserentur, *Rom. XI, 25*. Ita fere S. Hieronymus, Chaldæus et alii. Solet enim Propheta a tristibus ad læta, a terrenis ad spiritualia avolare, Judæisque afflictis promittere Christum Salvatorem. Unde *secundo*, « semen sanctum, » hoc est propagatio sancta, sunt Judæi in Christum credentes. Idem enim hic dicitur cum eo quod dixit, *cap. IV, vers. 3* : « Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion; etc., sanctus vocabitur. » « Semen ergo sanctum » sunt Apostoli, alii-

que primi Christiani, ex quibus sanctorum genus toto orbe propagatum est.

Nota : זרע *zera*, id est *semen*, Hebræi vocant non tantum grana seminis, sed et ipsas stirpes, surculos ac germina, ex quibus quasi ex semine progengerantur folia, frondes et fructus. Non ergo ipse truncus arboris, sed rami sive stirpes in trunco vocantur hic *semen* : truncus enim es ipsa arbor in qua stat hoc semen, id est stirpes et rami, quos proinde vocat hebraice *mattsebet*, quasi statumen futuræ germinationis et propagationis, uti vertit noster Interpres.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic secunda generalis Isaiaë propheta, que protenditur usque ad cap. XIII, factaque est sub Achaz rege pessimo (prima enim est ea, quæ a cap. I huc usque exposita est, factaque est sub Ozia et Joatham). Hac præcipue agit de Emmanuele ex virgine nascituro, ejusque salute, victoria, gratis et triumphis. Hoc ergo capite Achaz et Judæis timentibus excidium a Syris et Samaritis, promittit Isaiaes opem et liberationem, Syris vero et Samaritis excidium intentat. Secundo, vers. 10, hujus rei offert et dat signum Emmanuelis nascituri ex virgine. Tertio, vers. 17, Achaz et Judæis incredulis cladem per Ægyptios, et excidium per Chaldæos comminatur.

Nota : Sequentia capita VII, VIII, IX, X, esse connexa, et idem quod jam dixi repetere et inculcare; nam cap. VIII, docet Emmanuelem vocandum celerem prædatorem : quia per Assyrios regnum Syriæ et Samariæ, per se vero regnum diaboli vastabit. Cap. IX, sex alia nomina, potentiam et dotes Emmanuelis significantia, assignat, rursumque Syriæ et Samariæ vastitatem comminatur. Cap. X, Judæorum et Ezechiaë obsessionem et afflictionem per Assyrium Sennacherib, deinde fuisse ipsius Sennacherib exitium et cladem eâ ab angelo illatam denuntiat.

1. Et factum est in diebus Achaz filii Joatham, filii Oziaë regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem, ad præliandum contra eam : et non potuerunt debellare eam. 2. Et nuntiaverunt domui David, dicentes : Requievit Syria super Ephraim, et commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna sylvarum a facie venti. 3. Et dixit Dominus ad Isaiaem : Egredere in occursum Achaz tu, et qui derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via Agri Fullonis. 4. Et dices ad eum : Vide ut sileas : noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ : 5. eo quod consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim, et filius Romeliæ dicentes : 6. Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel. 7. Hæc dicit Dominus Deus : Non stabit, et non erit istud : 8. sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasin : et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus : 9. et caput Ephraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis. 10. Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : 11. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. 12. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum. 13. Et dixit : Audite ergo, domus David : Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ? 14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. 15. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. 16. Quia antequam sciat puer reprobare malum, et

eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. 17. Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, dies qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum. 18. Et erit in die illa: Sihilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api, quæ est in terra Assur; 19. et venient, et requiescent omnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et in universis foraminibus. 20. In die illa radet Dominus in novacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam. 21. Et erit in die illa: Nutriet homo vaccam boum, et duas oves, 22. et præ ubertate lactis comedet butyrum: butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ. 23. Et erit in die illa: Omnis locus ubi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas et in vepres erunt. 24. Cum sagittis et arcu ingredientur illuc: vepres enim et spinæ erunt in universa terra. 25. Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium, et erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.

Vers. 1.

1. ET FACTUM EST IN DIEBUS ACHAZ. — Præcedens prophetia, cap. vi, contigit Isaiæ anno quo mortuus est Ozias: ergo ab illa usque ad hanc fluxerunt sedecim anni, quibus regnavit Joatham pater Achaz. Sub Joatham prophetasse quædam Isaiam, patet ex cap. i, vers. 1; quænam illa fuerint non liquet: non enim in serie capitum servatur series temporum, ut patet in Jeremia: nonnulli censent visionem cap. præced. contigisse mortuo Ozia, cum jam regnaret Joatham (1).

ASCENDIT RASIN. — Vide historiam, lib. IV Reg. cap. xv et xvi, et lib. II Paralip. cap. xxviii, ubi dicitur Judæam ob peccata Achaz graviter et sæpius Deo puniente fuisse vastatam a regibus Syriæ et Samariæ, ac tandem cum ab eis Achaz metueret obsidionem et excidium, implorasse opem Theglathphalasar regis Assyriorum.

ET NON POTUERUNT DEBELLARE EAM. — Est prolep-

(1) Ista secunda pars prophetiarum Isaiæ complectitur primo, legationem Isaiæ ad regem Achaz, cap. vii; secundo, communicationem vaticinii cum populo, cap. viii, ix; tertio, repetitionem et amplificationem prædictorum, cap. ix, x, xi.

Cum Rasin Syriæ et Phæce Israelis regibus armis sociis Hierosolymam invadentibus, cap. vii, vers. 1, Achaz rex Juda cum subditis timore percelleretur, 2, Deus ad eam mittit Isaiam; filium assumi comitem jubet, et locum sermonis habendi designat, 3.

Porro Propheta, primo, jubet Achazum ponere metum, et spernere consilia hostium, 4-6.

Secundo, prædicit indemnitate Judæ, Israelitici autem regni post designatos annos interitum, 7-9.

Tertio, offert signum vaticinii confirmatorum, quodcumque postulare regi libuerit, 10-11.

Quarto, reprehendit Achazum optioni pertinaciter renuntiantem, 12-13.

Quinto, auctarium adjicit per vaticinium remotioris epochæ, de Messia ex Virgine matre nascituro, 14-15; et per vaticinium propioris epochæ, et ad filii Isaiam comitati adolescentiam definitæ, scilicet de Rasini et Phæce interitu, 16; de gravissima Judææ clade ab Ægyptiis et Assyriis infligenda, 17-21; et de hominum infrequentia ac regionis vastitate et horrore, hanc cladem secuturis, 22-25.

sis: hæc enim verba postponenda sunt; nam hæc Isaiæ prophetia præcessit, fuitque causa hujus liberationis: nam cum jam ingrueret rumor belli, et metus Rasin et Phæce Judææ inhiantium, promisit Isaias Deum, qui antea immiserat Rasin et Phæce in Judæam ut eam punirent, nunc eadem tutaturum, irritosque eorum conatus redditurum, eo quod ipsi non missu et nutu Dei, ut ante, sed proprio motu et ambitione Judæam jam plane perdere et evertere cogitarent. Ita S. Thomas.

2. ET NUNTIAYERUNT DOMUI DAVID. — Id est duabus tribubus quæ adhæserunt stirpi Davidis, cum decem aliæ facerent schisma, crearentque sibi regem Jeroboam. Secundo, et aptius, « domui, » id est familiæ regis Davidis, puta regi Achaz, ejusque fratribus et cognatis. Unde sequitur: « Et commotum est cor ejus, » scilicet regis. Vide Cap. xvii.

REQUIEVIT SYRIA, — q. d. Syria et Rasin ejus rex junxit se, et, ut Septuaginta vertunt, conspiravit; et, ut Vatablus, societatem inivit cum Ephraim, id est cum decem tribubus, quarum caput erat Samaria sita in tribu Ephraim, puta cum Phæce rege Israel, contra Achaz et duas tribus Juda et Benjamin illi adhærentes, illique subjectas. Sic I Reg. vii, dicitur: « Requievit Israel post Dominum, » id est iterum sociavit se Domino, cœpit rursus Deo adhærere, eumque colere.

ET COMMOTUM EST COR EJUS (expavit, percussus est, contremuit) SICUT LIGNA A FACIE VENTI, — commoventur et impelluntur. Significatur summa Achaz et Judæorum trepidatio. Qualis enim erat rex, talis erat et populus: similes habebant labra lactucas. Regis est esse cordatum in rebus tristibus, et pavida populi corda animare: verum rex impius et pavet ipse primus, et pavoris auctor est subditis. Semper enim pavet mala conscientia.

3. EGREDERE. — Achaz impius afflictus non confugit ad Deum in templo, sed urbe egreditur ut secum deliberet de modo bellum hoc evadendi;

unde ei licet indigno jubetur occurrere Isaias, et promittere victoriam.

QUI DERELICTUS EST JASUB FILIUS TUUS. — Hebraice est. *Sear Jasub filius tuus* : filius ergo Isaiæ dictus est *Sear Jasub*. Ita Vatablus, Pagninus, Osorius, Forerius. Noster Interpres cum Septuaginta decur-
tat nomen, solumque eum vocat *Jasub*, tum ut in-
nuat mysterium latens in voce *Sear*, quod mox ex-
plicabo, tum quia sic sæpe alibi fit, ut cum Idu-
mæa vocatur *Duma*, Isaiæ XXI, 11, Jerusalem vo-
catur *Salem*, Hierosolyma *Solima*, Ben Ammi vo-
catur *Ammon*, Gen. XIX, 38, Bethlemites vocatur
Lemites, I Paral. XX, 5, in Hebræo. Sic Mardocheus
dicitur fuisse « de stirpe Jemini, » *Esther* cap. II,
id est de Benjamin, sive Benjaminita, uti explica-
tur *Esther* XI.

Nota : Deus non tantum per res et symbola,
sed etiam per nomina solet prophetare. Sic enim,
Osee cap. I, jussit proles suas nuncupare : « Non
misericordiam consecuta, Non populus meus. »
Sic Christo, cap. seq., imponit nomen : « Acce-
lera spolia detrahare, festina prædari. » Ita et hic
Isaias Dei instinctu filio suo imposuit nomen *Sear*
Jasub, id est derelictus redibit, vel reliquiæ con-
vertentur, ut significaret populum Judaicum, qui
cladibus præcedentibus a Rasin, Phacee, et aliis
illatis supererat, ab excidio quod eis hi duo re-
ges jam intentabant, liberandum esse : hacque de
causa jussit Deus, ut Isaias pater filium hunc suum
duceret ad Achaz.

Fabulantur Judæi Isaiam duos habuisse filios,
scilicet Rabsacem, qui transfugit ad Assyrios, et
hortatus est Judæos, ut se pariter Assyriis dede-
rent, IV Reg. XVIII, et hunc, qui propterea dictus
est *Sear*, id est derelictus, quod alio fugiente ad
hostes hic apud patrem relictus sit.

Alii filium hic non carnis, sed disciplinæ acci-
piunt, ut filius sit idem quod discipulus Isaiæ,
quomodo IV Reg. VI, vocantur filii Prophetarum
eorum discipuli. Ita R. Salomon et R. David ex
R. Jonatha. Unde Chaldæus vertit, *egredere nunc*
in occursum Achaz, tu et reliqui, qui non peccaverunt,
et qui conversi sunt a peccato discipuli tui : quasi
jubeatur hic Isaias cum discipulis suis egredi in
occursum Achaz. Hoc secuti nonnulli Catholici,
opinantur Isaiam non fuisse uxoratum, sed cœ-
libem. Verum *qui derelictus est filius tuus Sear*
Jasub, simpliciter et plane significat eum fuisse
filium Isaiæ naturalem et secundum carnem, non
discipulum.

Tropologice; *Sear Jasub* significat justos et sanc-
tos, qui sunt verum Dei semen ex Deo nati, ex
omni suo periculo et angustiis tandem incolumes
Deo duce evasuros.

Allegorice, Achaz sunt Judæi, Isaias est Chris-
tus, *Jasub* sunt Apostoli Christi, qui multos Ju-
dæorum ab exitio æterno liberarunt, et ad Chri-
stum ac salutem converterunt.

Anagogice, quomodo a terrenis ad cœlestia quis
convertatur, et perducatur, vide apud S. Basilium.

IN VIA AGRI FULLONIS, — ubi ob vicinum aquæ-
ductum piscinæ (1), id est lacunæ superioris, plures
erant officinæ fulloniæ, quæ in urbe ob inopiam
aquarum et loci esse non poterant : fullones enim
ad pannos purificandos et tingendos copia aqua-
rum indigent, atque loco aperto ad eos siccandos.

4. VIDE UT SILEAS. — Vide ut quiescas, ut quieto
sis animo, et secure recumbas in mea hac pro-
missione et protectione, ne timeas Syros et Sama-
ritas, q. d. Tu, o Achaz ! cum tuis percelleris et
trepidas audito rumore hostium, pone hos metus,
hos fluctus, sis animo tranquillo : ego tuebor te
cum urbe. Ita Cyrillus, Procopius et Haymo. Unde
sequitur : « Noli timere. » *Secundo*, « vide ut si-
leas, » q. d. Noli desperare, et desperabundus
Deum blasphemare (erat enim Achaz impius) :
noli etiam trepidus cogitare de imploranda ope
Assyriorum ; sed quiesce fidenter in Deo, ejusque
auxilio quod tibi promitto (2).

NOLI TIMERE A DUABUS CAUDIS TITIONUM FUMIGAN-
TIUM. (Quæ sint hæ caudæ titionum explicat sub-
dens :) IN IRA (hebraice enim *bet*, id est *in*, sæpe
capitur pro *in*, id est *a*, *ab*) FURORIS RASIN ET
FILII ROMELIÆ. — Hos ergo duos reges Syriæ et Is-
rael assimilat duabus caudis, sive extremitatibus
titionum, qui igne extracti fumigant, sed mox
exstinguuntur : quia pari modo hi duo reges ira,
superbia et animositate bellandi contra Judæos
accensi, solum fumum, id est molestiam, scilicet
metum aliquem, Judæis attulerunt ; nam ignis,
id est vis et potentia eorum, mox cum regno ex-
stincta et deleta est a Theglathphalasar rege Assy-
riorum, IV Reg. XVI et XVII.

6. ASCENDAMUS AD JUDAM (ad Judæos), ET SUSCI-
TEMUS EUM, — bello eum lacessamus.

ET AVELLAMUS EUM. — Hebraice *נבקיענא* *nab-*
kienna, id est *diffundamus*, vel *abscindamus eum*,
scilicet ab Achaz, et a corona ac stirpe Davidis,
trahamusque eum ad nos. *Secundo*, findamus eum
in duas partes, quasi dicant : Partiamur inter nos
regnum Judæorum, ut partem unam occupemus
Syri, alteram Samaritæ.

(1) Piscina hæc implebatur aquis fontis Siloe, ex quo
deducebatur rivulus dictus *Wogel*, vel Fullonum. Prope
muros et ad Orientem Jerusalem sita erat, in eo loco
unde sub regno Ezechiaë impius Rabsaces ruinas Judæis
intentavit. Forsan rex Achaz tunc cum magnatibus ad
extremum aquæductum aderat, ut mœnia urbis visitaret,
vel ut videret an fontem Siloe, quæ piscinam nutriebat,
obturare aut aquas inde defluentes deflectere, et sic hos-
tibus omnem aquæ copiam abstraheret.

(2) Solet Deus in adversitatibus quietem seu silentium
suis indicare, contra quam mundus solet. Mundani enim
aut desperatione obruuntur, aut facile tumultuantur et
conturbantur : quibus autem Deus sese offert, non opus
est eis mundano præsidio, sed quo magis quieverint,
magis in tuto sunt ; quietis enim pectoribus sese diffundit
copiosius spiritus ille divinus. Hic quoque cogita quan-
tum possit fiducia in Deum ; quam si trepidantia corda
admittant in maxima rerum perturbatione, qualis tunc
erat, possint ex summa trepidatione ad summam quietem
ac tranquillitatem transferri. (Forerius.)

Dua cau-
dæ tition-
um
quid?

Vers. 6.

Signifi-
cat reli-
quas Ju-
dæorum
conver-
tendas.

Tropolo-
gia.

Tabeel
quis?

ET PONAMUS REGEM IN MEDIO EJUS (in eo) FILIUM TABELL. — *Tabeel* hebraice significat bonum et commodum Deum. Unde aliqui putant « Tabeel » esse nomen idoli, sive Dei Gentium, cujus epithetum est bonus, vel optimus et maximus, quasi dicant: Ponamus in templo Judæorum deum nostrum Tabeel excluso Deo ipsorum; ut sic nobiscum coalescant in unum regnum, æque ac fidem et religionem: hac enim de causa Jeroboam fecit idola, puta vitulos aureos, ut populum sibi devinctum detineret. *Secundo*, Chaldæus vertit; ponamus in eo regem qui nobis bonus sit et commodus. Verum *in* filium significat Tabeel hominem fuisse, non idolum: rursus non Tabeel, sed ejus filium designatum fuisse regno Judæ. *Tabeel*, ergo fuit nomen proprium viri, qui vel sanguine, vel arcta amicitia et obligatione junctus fuit cum Rasin et Phacee regibus, cujus proinde filium virum strenuum, sibi quoque obstrictum voluerint creare regem Judææ, ita tamen ut eis maneret devinctus, verbi gratia subjectus aut feudatarius. Ita Cyrillus et alii (1).

(1) « Et ponamus regem, » etc. Hebraice, et constituamus regem in ea, sive, vel constituamus regem, ut sensus sit: Vel partiamur terram Judaicam inter nos, vel præficiamus ei regem, nobis obnoxium, clientem fiduciarum, uti rex Ægypti Judææ præfecit Eljakimum, vid. II Reg. xxiii, 34, filium Tabeelis, unum fortasse ex iis qui contra gentem Davidicam conspiraverant, infra cap. viii, 12. Chaldæus accepit nomen ut commune et appellativum, vertit enim, eum qui nobis placuerit; sed id plane abs re est. Hebræi interpretes hic confugiunt ad Cabbalam, et illam quidem Cabbalæ speciem, quam *Albam* vocant, qua alphabetum in duas dispescitur partes, ita ut undecim litteræ posteriores undecim prioribus recta subjiciantur, et in scriptione, veri nominis occultandi causa, oppositæ pro oppositis sumantur. Quo artificio adhibito in nomine *Tabeel*, id reddet nomen quod idem censi posset cum *Remalia*. Ac si sensus sit: Filium Remaliæ, sive Pechachum, sive quem ejusdem stirpis, aut fratrem ejus, Ahasi loco constituendum esse regem. Nec alienum fuisse a Prophetis, hujusmodi arte vera nomina nonnunquam occultare, patet ex insigni apud Jeremiam exemplo, dum *scheschac*, xv, 26, et li, 41, per aliam Cabbalæ speciem pro *Babel* scribitur. Nostro tamen loco vix ulla probabilis ratio cogitari poterit, cur id nomen, quod supra vers. 4 nude expresserat vates, nunc tali artificio involutum proposuerit. Paulo verisimilior fuerit eorum sententia, qui hunc filium Tabeelis Syrum fuisse e posteris Tabrimmonis existiment. Gens *Tabrimmon* erat inter Syros nobilis, quippe quem constat parentem fuisse Behhadadi, clari Syriæ regis, I Reg. xv, 18. Atque nomina *Tabeel* et *Tabrimmon* idem valent. *Rimon* enim est nomen idoli Syrorum, vid. II Reg. v, 18; quod nomen ingredi potuit compositionem nominis proprii, pro more populorum Orientalium, ipsis quoque Hebræis in nominibus *Et* et *Jehcva* recepto. Exempla plura hujus moris attulit Gesenius in Commentario, pag. 281, not. Ita *Tabeel* significat bonum Deum, et *Tabrimmon*, bonum Rimmon. *Tabeel* vero, uti notat Simonis *Onomast.* pag. 497, « pro *Tabeel* dicitur, vel ob pausam, vel per paronomasiam, quales in Isaia frequentissimæ, quia in hoc nomine intelligitur Deus falsus, qui est *el*, *nihil*, sicuti et alibi deastri vocantur *helilim* pro *heloin*. Conf. Græcum Ταβήλ, *Tob.* i, 1. » Certe cum Rezinis in hoc bello prævalerent auctoritas et vires, neutiquam probabile est illum hanc præ-

7 et 8. HÆC DICIT DOMINUS: NON STABIT, ET NON ERIT Vers. 7.
ISTUD, (q. d. Ego Deus evertam hoc Rasin et Phacee et 8.
consilium, faciamque ut) CAPUT SYRIÆ (scilicet solius, sit) DAMASCUS; ET CAPUT (id est rex, solius) DAMASCI (puta Syriæ, cujus metropolis est Damascus, sit) RASIN, — q. d. Non ergo Rasin quidquam Judææ sibi subjiciet, aut adjunget regno Damasci, sed soli Syriæ et Damasco, uti hactenus fecit, dominabitur. Ita S. Hieronymus, Basilius et Haymo.

Secundo, Sanchez ex his verbis colligit, quod Rasin et Phacee hæredem suum, æque ac regem Judææ, destinarint hunc filium Tabeel, ita ut ipse tam Judææ quam Syriæ et Samariæ dominaretur, quodque voluerint metropolim, caput et arcem horum trium regnorum constituere Jerusalem: unde Deus hoc elidens ait: Non Jerusalem, sed Damascus erit caput Syriæ.

Tertio et optime, Cyrillus per zeugma in omnibus hisce repetit verbum *desinet* quod sequitur, hoc modo: non stabit hoc eorum arrogans consilium: sed e converso caput Syriæ Damascus desinet corruetque, et caput, id est rex, Damasci Rasin desinet, et desinet Ephraim esse populus; et caput, id est metropolis, Ephraim, puta Samaria desinet; et caput, id est rex, Samariæ filius Romeliæ desinet. Hic sensus maxime planus est et appositus. Duorum enim regum superbum supercilium, quo Judææ excidium cogitabant, in ipsorum caput retorquet, ac ipsismet idem exitium et ruinam intentat, idque clare explicat cap. sequent.; vers. 4, itaque reipsa contigisse patet: nam Theglathphalasar et Assyrii vastaverunt et subegerunt tam Syriam quam Samariam, IV Reg. cap. xvi, xvii et xviii.

8. ADHUC SEXAGINTA ET QUINQUE ANNI, ET DESINET Vers. 8.
EPHRAIM ESSE POPULUS. — Tradunt Hebræi in *Seder Olam*, cap. xix, et ex iis S. Hieronymus, Haymo, S. Thomas, Procopius, Hugo et Dionysius, hos 65 annos computandos esse non ab Achaz, sub quo hæc vaticinatus est Isaïas, sed a prophetia Amos, cap. v, vers. 27, et cap. vii, vers. 11, qui idem quod hic Isaïas prophetavit anno 25 Ozïæ regis Juda, biennio ante terræmotum, qui contigit anno 27 Ozïæ. Nam si a 25 anno Ozïæ computes, restabunt ex annis Ozïæ (qui 52 annis regnavit) anni 27. His adde 16 annos Jonatham, et 16 Achaz, denique 6 Ezechiæ (nam anno ejus 6 capta est Samaria), invenies annos 65, q. d. Ego Isaïas repeto et confirmo prophetiam Amos, quæ vulgo nota et trita est, scilicet quod ab ejus vaticinio inchoando, post 65 annos vastabitur Samaria (2).

65 anni
vastatio-
nis Sa-
maria,
qui?

dam relinquere voluisse Pecacho, sed potius suæ gentis et fidei homini eandem committere. (Rosenmuller.)

(2) Ex historia constat regnum Israel a Salmanasare occupatum fuisse viginti duo annos ab ista prophetia. Sed æque ad Assarhadonem, qui colonos misit in terram Ephraim, quædam populi Israelitici reliquiæ istas partes habitabant; et nonnisi sexaginta post annis, coloni ab Assarhadone missi, regnum Israel funditus deleverunt, et Ephraim juxta prophetiam desivit esse populus. Vide

Dices : Terræmotus ille, ante quem Amos prophetavit, contigit sub Ozia, ut patet *Zachar.* xiv, 5, et sub Jeroboam, ut patet *Amos* i, 1. Atqui Ozias cœpit regnare anno 27 Jeroboam, ut patet *IV Reg.* xv, 1. Porro Jeroboam regnavit 41 annis : ergo quatuordecim annis tantum regnavit Ozias cum Jeroboam, quibus consignanda est jam dicta prophetia Amos, quia sub utroque hoc rege contigit, ut dixi : ergo non 27, sed ut summum 14 anno Ozia prophetavit Amos, indeque hos 65 annos inchoare oportet.

Respondeo Oziam cœpisse regnare anno 27 Jeroboam, scilicet regnantis cum patre, qui annus regni Jeroboam, solius post patrem regnantis, erat annus 14, ut colligitur ex *IV Regum.* xiv, 23, collato cum *II Paralipom.* xxv, 1, ubi dicitur Amasias pater Ozia regnasse 29 annis, ejusque anno 15, cœpisse regnare Jeroboam. Ergo cum Jeroboam regnavit Amasias 14 annos, tuncque mortuus est, et statim successit ei Ozias filius eodem anno 14, a quo usque ad 41 Jeroboam numerantur anni 27, quibus cum Jeroboam regnavit Ozias vel Azarias. Ita Cajetanus ibidem et alii.

Porro quod nonnulli addunt Oziam lepra percussus eo tempore quo factus est terræ motus (utraque enim hac pœna punitum fuisse ejus sacrilegium), difficultatem habet : nam sic 25 annis fuisset leprosus, ideoque separatus a populo, ac consequenter totidem annis regnum pro eo administrasset filius Joatham ; hoc autem falsum est : nam Joatham, moriente patre Ozia, tantum erat 25 annorum, ut patet *II Paralip.* xxvii, nisi dicas optimates pro Ozia et Joatham puero administrasse regnum, donec Joatham adolesceret in eam ætatem, qua per se posset illud administrare.

Secundo, paulo aliter hos annos computant Vatablus et Forerius, scilicet ab anno 17 Jeroboam filii Joas ; illo enim anno prophetasse hæc Amos ; ergo ex Jeroboam (qui 41 annis regnavit) regno supersunt 24 anni : his adde decem Manahem, 2 Phaceia, 20 Phacee, et 9 Osee (nono enim ejus anno capta est Samaria), habebis annos 65 quos quærimus. Sed hic computus non consentit cum communi Hebræorum computu, quem jam assignavi : nam Ozia annus 27, a quo Hebræi hos 65 annos inchoant, incidit non in 17, sed in 14 Jeroboam.

Tertio, Sanchez putat hos 65 annos non futurum, sed præteritum spectare, sensumque esse, *q. d.* « Adhuc, » id est abhinc 65 annis prædicta est ab Amos vastitas Samariæ, eaque illi revera, uti prædicta est, obtinget. Sed *τὸ ἀδὺς* et *desinet*, futurum significare solet, non præteritum ; neque ab Amos ad Isaiam interfluere potuerunt 65 anni, ut patet ex dictis.

9. SI NON CREDIDERITIS (scilicet mea ope vos li-

berandos ab excidio, quod vobis intentant Rasin et Phacee, quodque ipsosmet et cum regnis suis puniam et evertam), NON PERMANEBITIS — in regno vestro, sed æque ut ipsi captivi abducemini cum decem tribubus fratribus vestris, sustinentes eorum pœnam quorum secuti estis infidelitatem. Ita S. Hieronymus, Haymo, S. Thomas, Rupertus et alii.

In Hebræo autem pulchra est paronomasia *וְאִמָּן לֹא יִשְׁתָּדָר כִּי לֹא יִשְׁתָּדָר* *im lo taaminu ki lo teamenu, q. d.* « Qui non confidit, non confidet ; » *אָמָן* *aman* enim in *cal* significat credere, in *niphāl* esse firmum, stabilem, considerare et permanere. Septuaginta vertunt, *si non credideritis, non intelligetis*, quod sæpe citant S. Augustinus, Chrysostomus, Cyprianus et alii Patres.

11. PETE TIBI SIGNUM. — Erat Achaz incredulus æque ac impius, diffidebatque prophetiæ Isaiæ et Dei auxilio : offert ergo ei Deus per Prophetam probationem per signum et miraculum, *q. d.* Pete in confirmationem prophetiæ meæ, et veritatis quam prædixi, scilicet vos liberandos esse, et hostes vestros evertendos, signum quod lubet : visne ut scindatur terra, et grandi hiatu infernus pateat, an vero ut cœli aperiatur, aut sol stet uti fecit Josue, rursumque faciam filio tuo Ezechia? dic, elige, præstabo et efficiam quod elegeris. Ita Chaldæus et Abulensis in hunc locum Isaiæ.

12. NON PETAM. — S. Ambrosius, in *Psalm.* cxviii, serm. 8, vers. 4, et alii, putant Achaz ex modestia et humilitate noluisse petere signum, ne videretur tentare Deum : sed quia Propheta contra eum vers. sequenti exandescit, et quia Achaz erat idololatra, hinc verius videtur eum ex hypocrisi et impietate ita respondisse ; quia a Deo aversus, eique diffidens fidebat dæmoniis, et idola sua statuerat consulere, atque opem Assyriorum implorare. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Basilus, Rupertus. *Secundo*, Forerius et Sanchez censent Achaz, confisum opibus suis et auxilio Assyriorum, noluisse rem hanc plane Deo committere, ne videretur Deum tentare per miraculum, cum humana posset adhibere media et subsidia, quibus se rem confecturum putabat. Verum regis impietas, et Isaiæ increpatio quæ sequitur, eum ulterius progressum ostendunt, præsertim quia Achaz facile videbat nullam hic esse tentationem Dei, si acceptaret signum quod Propheta ultro offerebat ; fecte ergo dicit : « Non tentabo Dominum. »

13. AUDITE ERGO, DOMUS DAVID : NUMQUID PARUM VOBIS EST, MOLESTOS ESSE HOMINIBUS? — *q. d.* Vestra impietate, incredulitate et diffidentia, o Achaz ! vosque ejus proceres et consilarii, qua oraculis meis diffiditis, eaque quasi falsa aut vana contemnitis, ideoque signa quæ offero despicitis et respuitis ; non tantum mihi, sed et Deo, cujus ex ore loquor, hæcque promitto, molesti, increduli et injurii estis, et, ut Septuaginta vertunt, *agonem*

Vers. 12.
Achaz ro-
cusat si-
gnum,
cur.

redditis, quasi dicant: Videmini cum Deo velle colluctari, eumque fatigare et tædio afficere, dum assidue vestra impietate eum irritatis, et nunc maxime cum eum tam magna ultro promittentem contentistis, quin et falsitatis vel impotentiae, quasi non possit vos a Rasin et Phacee liberare, tacite accusatis.

14. PROPTER HOC DABIT DOMINUS IPSE VOBIS SIGNUM. — *q. d.* Quia tu, o Achaz! cum tuis non facitis, quod debetis, ut occurratis Deo vestro, et non creditis Deum vos posse liberare a Rasin; hinc Deus faciet aliquid dignum se, non quod debet, sed quod misericorditer decernit, scilicet dabit longe mirabilius et potentius, quam sit hæc liberatio vestra a me hic prædicta, signum potentiae, bonitatis et misericordiae suae; dabit, inquam, vobis non in persona vestra, quia vos increduli et indigni estis, sed in nepotibus vestris, juxta *Can. XXXIV*, ut, cum illi hoc signum viderint, scilicet per Christum se liberatos esse ab hostibus longe potentioribus, puta morte, peccato et diabolo, cujus typus est hæc liberatio Hierosolymæ ab invasione Syrorum et Samaritarum; tunc credant me vera prophetasse tam de typo hoc, quam de ejus antitypo, puta tam de liberatione hac a Rasin et Phacee, quam de redemptione generis humani a potestate diaboli per Christum. Avolat enim Propheta more suo a typo ad rem significatam, puta ad Christum, juxta *Canon. IV*. Simile signum non prævium et prognosticum, sed sequens et quasi posthumum, rememorativum videlicet, et confirmativum prophetiae præcedentis, scilicet liberationis Jerusalem ab obsidione Sennacherib, datur Ezechiae, *IV Reg. XIX, 29*: «Tibi, inquit, hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate et metite.» Hæc autem messis facta est, postquam Angelus cecidit 185 millia in exercitu Sennacherib. Simile signum datur Moysi educturo filios Israel ex Ægypto, *Exodi III, 12*: «Hoc, inquit, habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.» Simile signum datum est Sauli, *I Regum X, 1*. Hic sensus planus est et obvius. Adde, cum rex Achaz signum sibi a Deo oblatum respueret, Propheta ipsum revocat ad fundamentum fœderis, quod ne impii quidem palam rejicere audent, puta ad Messiam, a quo pendebat omnis populi salus, idque Judæi credebant et sperabant. Sensus ergo est, *q. d.* Tu quidem, o rex impie! promissionem respuendo, decretum Dei evertere velles: sed frustra. Nam sancta et inviolabilis manebit ejus sanctio; nec obsistent tua perfidia et ingratitude, quo minus Deus populo suo perpetuus sit liberator. Tandem enim Messiam Judæorum Gentiumque redemptorem et salvatorem ex Virgine suscitabit (1).

Secundo, Sanchez putat hoc signum dari, non quasi futura conceptio Virginis, et incarnatio Emmanuelis signum sint victoriæ Judæorum contra Rasin et Phacee; sed e converso, scilicet

diatis, et interim populi Hierosolymitani animi sint confirmandi, «dabit Dominus ipse vobis signum,» prodigium, ostentum, ad confirmandam promissionem liberationis a me allatam. «Ecce!» qua attentionem excitat auditorum, arguitque rem proponendam esse prorsus singularem, et animadversione dignam. «Virgo concipiet parietque filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel;» virgo quæ, licet jam gravida, sit tamen maneatque virgo, filium pariet, cujus ipsum nomen magni aliquid atque divini portendit. *Virgo illa*, nam *he* articuli virginem certam audientibus notam indicat, uti *haalma* dicitur de Rebecca, *Genes. XXIV, 43*, et de Mirjamo, *Exod. II, 8*. Nomen *alma*, virginem, quæ vere talis dicitur, notare; ostendimus in annotationis ad hunc locum additamento, quo aliorum de hoc vaticinio sententias expendimus, nostramque interpretationem vindicamus. Chaldæus: *Virgo gravida*. Eadem quæ hic formula de muliere gravida, et post aliquod tempus partum editura legitur, *Genes. XVI, 11*; *Jud. XIII, 5*.

Potest verti, vel et *vocabis*, oratione habita ad feminam (ne quis hic de Ahaso cogitet), vel, et *vocabit*, femina puta, quæ concipiet et pariet. Hieronymus: «Quodque sequitur: *Et vocabit nomen ejus Emmanuel*, et Septuaginta, et tres reliqui (Aquila, Symmachus, Theodotio) similiter transtulerunt, pro quo in *Matt. I, 23*, scriptum est «vocabunt,» quod in Hebræo non habetur.... Verbum *carat*, quod omnes interpretati sunt *vocabis*, potest intelligi et *vocabit*, quod ipsa scilicet virgo, quæ concipiet et pariet; hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimoniis, quæ Evangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum.... Unde et in præsentis loco pro *concupiet in utero*, Matthæus posuit «in utero habebit,» et pro *vocabis* «vocabunt.» — Nomina cæterum filiis imponere solebant matres, veluti Eva, *Genes. IV, 1, 25*; filiæ Lothi, *Genes. XIX, 37* seqq.; Lia, *Genes. XXIX, 32*, et *XXX, 18* seqq.; Rachel, *ibid.*, vers. 24. Nomen autem quod virgo paritura filio imponet, «Emmanuel,» vel potest accipi ut nomen pueri *proprium*, vel ut *symbolicum*. Posterius longe est probabilius, quia vates noster in locis similibus per *impositionem nominum* indicat illustria quædam *attributa*, quæ de persona aut re aliqua cum laude prædicare possent, cujusmodi nomina symbolica recte *honoraria* appellaveris. Sic infra cap. *IX, 5*, de eodem, de quo hic agitur illustri puero, dicitur, «nomen ejus appellandum esse Mirabilis, Consiliarius, Heros.» Et cap. *LXI, 6*, populum Judaicum appellandum ait «sacerdotes Jovæ.» Porro, cap. *LXII, 4*, Hierosolymam non amplius vocandam esse «derelictam,» sed «voluptas mea in ea,» prædicat. Ac Jeremias, cap. *XXIII, 6*, et *XXXIII, 16*, Messiae nomen ait fore «Jova justitia nostra.» Vide et *Ezech. XLVIII, 35*. Recte igitur Grotius ad *Matth. I, 22*: «Qui prophetas non supine legit nescire non potest *vocatum tri aliquo nomine* dici ab illis eum etiam, qui non ejus vocis sono sit appellandus, sed cujus rebus celebrandis vox ista conveniat. Loca passim occurrunt. *Isai. I, 26*: Postea dabitur nomen tibi *urbs justitiæ, civitas fidelis*, id est, postea eris urbs justa et civitas fidelis. Conf. cap. *LVI, 7*.» Cæterum, cum «Deus nobiscum esse» Hebræis dicitur, quoties benignus nos respicit et adjuvat, ut *Psalms. XLVI, 8, 12*, et *LXXXIX, 25*, infra apud Nostrum, cap. *XLIII, 2*; *Jerem. I, 8*; *Jos. I, 5*, puero nomine «Emmanuel» appellando portendi patet populi Judaici a malis et adversis liberationem ejusque defensionem ad versus qualescumque hostes. Eam vero præstandam esse ab ipso

(1) «Propterea,» quia vos signum oblatum repu-

quod victoria Judæorum contra Rasin et Phacee signum erit conceptionis Virginis et partus Emmanuelis, q. d. Nunc cum minus dignus apparet rex Achaz impius et incredulus, ut in illum Deus sit beneficus, magis efferet et ostendet se Dei misericordia: dabit enim vobis promissæ opis contra Rasin et Phacee complementum, in signum alterius majoris beneficii, nempe spiritualis salutis afferet aliquando de Virgine natus Emmanuel, qui ex te tuisque posteris, o Achaz! descendet, tuumque et Davidis regnum labans restituet, cap. XI, 1. Simile est, cap. XXVIII, 15, 16: « Quia dixistis, inquit, Percussimus foedus cum morte, etc., ideo ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem. » Et clarius, *Ezech.* cap. XXXVI: « Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis, »

q. d. Deus magnificus ut vestram impietatem superet, sua pietate et liberalitate confirmat quod per me dixit de vestra liberatione, deque excidio Syriæ et Samaritæ: adeoque hoc ipsum statuit signum majoris beneficii quod jam designat et pollicetur, quodque hic subdo dum dico: « Ecco virgo concipiet. » Quæ verba usque ad vers. 16, per genitivum exponenda sunt, hoc modo: Deus hanc liberationem vestram dabit vobis signum virginis concepturæ, nascituri Emmanuelis de virgine, pascendique butyro et melle donec ab infantilibus annis excedat. Unde hoc signum explicans et designans, vers. 16, ait: « Quia antequam sciat puer (Emmanuel quem promitto) reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum, » q. d. Signum, quod vers. 14, promisi, sic explico et enuntio, scilicet « quia, » id est « quod, » derelinquetur quasi desolata Syria et Samaria, dum vastabitur ab Assyriis: hæc enim vastatio erit signum nascituri Emmanuelis, qui vastabit diabolium, ejusque regnum prædabitur. Hic ergo versus pendet a vers. seq. 15 et 16, ibique expletur. Unde ex Hebræo verti potest pro ipse, ipsum (scilicet quod jam dixi de vera liberatione et hostium vestrorum excidio) dabit vobis Deus signum ejus quod sequitur, quod scilicet virgo concipiet et pariet Emmanuelem.

Tertio, plenissimus erit sensus, si utrumque jam dictum jungas: vox enim *signum* hic indeterminate et ample sumitur, ut sit idem quod res nova, stupenda, ac portentum, tamque typo quam antitypo convenit; nam tam liberatio hæc Hierosolymæ a Syriis et Samaritis, signum erat futuræ liberationis generis humani a peccato et diabolo per Emmanuelem Christum, quam e converso: unde utrumque hoc caput ita conjungit et innectit Isaias, quasi unum idemque sit, et utrumque alteri mire congruit et correspondet. Nam *primo*, sicut mira fuit Dei benignitas, quod Judæos liberarit a Rasin et Phacee: ita mira, imo major fuit, quod homines per Christum liberarit a tyrannide diaboli. *Secundo*, sicut Deus hic Judæos, quia non crediderunt Dei promissis, permisit captivos duci in Babylonem: ita eorum posteros tempore Christi ob incredulitatem permisit capi et vastari a Romanis. *Tertio*, tam hic quam ibi fuit, Emmanuel, id est nobiscum Deus. Hisce ergo de causis hoc signum virginis parientis Emmanuelem, potius quam aliud aliquod hic datur a Deo.

Tertius et plenissimus, esse hinc signum reciprocum.

Triplex analogia typi et antitypi.

illo e virgine nascituro masculo, qui vere sit Deus, humana natura assumpta inter homines versaturo, adeoque reipsa *Emmanuel*, θεάνθρωπος, manifestum est inde quod in eodem hoc vaticinio, infra cap. IX, 5, puer ille nasciturus diserte dicitur appellandus inter alia esse « Deus fortis. » Recte Lactantius, *Div. Institut.* lib. IV, cap. XII: « Propheta declaravit hoc nomine *Emmanuelis*, quod Deus ad homines in carne venturus esset. *Emmanuel* enim significat *nobiscum Deus*, scilicet quia illo per virginem nato confiteri homines oportebat, Deum secum esse in terra et in carne mortali. » Hieronymus: « Ergo iste puer, qui nascetur ex virgine, o domus David, nunc appellatur a te *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*, quia rebus ipsis probabis a duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere presentem. » Percrebuerat igitur jam vatis nostri ætate et inter Judæos opinio illa pluribus antiquifatis populis recepta de divino aliquo heroe et rege, e virgine illibata nascituro, qui homines scelestæ sit soluturus, molestiis levaturus, ex miseris erepturus, uno verbo, qui *aureæ ætatis* felicitatem in terram sit reducturus. De qua opinione a variis populis varie formata, vide annotationis ad hunc locum additamentum. Hebræi divinum illum regem in suo populo e virgine Davidicæ prosapiæ oriundum, suæque potissimum gentis vindicem et liberatorem existitum sperabant. Appariturum autem expectabant, qui inter illos veteri illi atque illustri oraculo de regni Davidici stabilitate, II *Sam.* VII, 16, fidem habuere, quotiescumque magnis publicis calamitatibus ita oppressi essent, ut ultimæ sive ferreæ ætatis finem propinquum esse crederent. Conf. *Schol. in Ezechiel.*, vol. II, pag. 464; edit. II. Jam cum a conjuratis Syriæ atque Israelis regibus genti Davidicæ regis totique regno Judaico interitus imminere videretur, anxios demissosque animos vates erigit spe mox nascituri divini illius magnoque desiderio expectati principis, quem virgo modo prodigioso sit paritura. Famam inter illius ætatis Judæos fuisse de illustri quodam sui populi liberatore ac servatore singulari modo nascituro, patet quoque ex Michæ, vatis Isaiæ æqualis, cap. V, 2, ubi postquam, vers. 1, manifeste actum esset de ortu Messis ex Bethlehemo, additur: « Propterea tradet eos usque ad tempus quo pariens (seu illa quam parituram sperant) pepererit. » Oraculum ita nostro simile, ut unum spectare ad alterum, eaque se mutuo explicare satis intelligantur, Judæos Jesu Christi ætate hunc locum de Messia e virgine nascituro intellexisse, patet ex *Matth.* I, 22, 23. Quod spei quæ vatem tenuit, fore ut illustris ille populi sui servator propediem appariturus sit, non respondit eventus, haud debet nos movere, ut de eo vatem cogitasse negemus. (Rosenmüller.)

Adde signum, proprie hic posse capi novo sensu, q. d. Cum videritis virginem parientem, tunc ex eo quasi signo certo scitote, instare tempus redemptionis mundi, cujus typus erit hæc redemptio et liberatio vestra de manu Rasin. Nam virgo pariens non alium pariet, quam redemptorem mundi, quem omnibus hisce capitibus vobis prænuntio, nunc clare et expresse, nunc obscure et implicite per umbram et figuram. Quia enim

Achaz contemptor signorum Dei, iis est indignus, hinc non ei, sed posteris ejus fidelibus futuris, hoc nascituri Messiae do signum, scilicet partum virginis, ut cum eam cognoverint peperisse, sciant ex partu hoc natum esse Messiam. Nec enim decet Messiam nasci nisi ex virgine, nec vicissim virginem decet alium parere quam Messiam.

Denique noster Blasius Viegas in cap. XII *Apocal.*, comm. 3, sect. 14 et 15, et Barradius, tom. IV, lib. VIII, cap. VI, ad illa verba: *Ecce virgo*: «Nec nos, inquit, affirmamus, partum Virginis fuisse signum liberationis Achaz. Pollicebatur quidem regi signum liberationis, si petere vellet. Cum nollet, a praesentibus ad futura, a typo ad veritatem Prophetæ intellectum traduxit.» Subdit, «signum sumi non pro signo liberationis, sed pro miraculo hoc sensu: Dabit vobis Dominus signum, id est ingens miraculum virginis partus.»

Symbolice S. Gregorius, in *Psal. IV Pœnitent.*: «Signum, ait, fuit populis illa Christi sine virili commixtione nativitas, quod his qui credunt in nomine ejus, daturus erat potestatem filios Dei fieri: his videlicet qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Sicut namque B. Maria Christum peperit virgo, et post partum incorrupta permansit: ita et Mater Ecclesia filios Deo sine dolore generat, et virgo semper illibata perseverat. Qui in hoc quoque quod Deum toto corde diligunt, patrem se Deum habere evidenter ostendunt.»

Moraliter, nota *propter hoc*: hinc enim vide indolem Dei aliam esse quam hominum, qui cum incidunt in homines difficiles, aversos, inimicos et impiet., contrahunt et retrahunt se, concipiunt odia et iras, optant vindictam, etc.; Deus vero qui magnifico et liberalissimo est animo, sua pietate certat cum impietate hominum, nec patitur se ab ea vinci: quocirca tunc maxime se beneficium ostendit, cum videt homines esse miserimos et pessimos, uti hic Achaz ingrato et pessimo ultro promittit Verbi incarnationem. Pari modo cum Christus incarnatus est, mundus erat maxime corruptus, ideoque egebat maximo medicamento, scilicet Christo, quem Deus mira sua clementia tunc eis submitit, ut ubi abundavit iniquitas, ibi abundaret gratia, uti per Christum effectum est, qui per se et Apostolos homines bestiarum more viventes in homines, imo in Angelos, commutavit. Impiis ergo et inimicis benefacere divinum est. Hoc imitentur sancti Religiosi et Christiani omnes: ita vincent in bono malum, nec tantum Dei, sed et hominum gratiam sibi conciliabunt, atque sua bonitate et beneficentia expugnabunt aliorum malitiam et maledicentiam. Hoc novum victoriae genus docet philosophia non Aristotelis, sed Dei et Christi. Ita dicebat Sancta illa rogata quomodo ad sanctitatem pervenisset: «Nunquam a quoquam læsa sum, quin ei peculiare beneficium rependerim.»

Exemplum. Sigismundus Imperator hostes bello superatos,

non modo a delicti offensa liberare, sed et inter familiares adoptare solitus, et ob id a Laurentio Hungariæ Palatino reprehensus: «Tibi, inquit, utile videtur hostem occidere, quia mortui bella non excitant. At ego inimicum occido, dum parco; et amicum facio, dum extollo.» Præclare sentiebat pulchrius esse et gloriosius hostem benefacendo quam pugnando vincere et amicum facere. Ita Æneas Sylvius, lib. II *De Gestis Alphonsi*.

Alphonsus Aragonum rex, expugnato Stephato, centuriones ac milites qui sibi maledixerant, mira cum humanitate excepit; cum alii eos morte mulctandos censerent, ait: «Malim ex clementia et humanitate erga hostes quam ex victoria laudem pacisci.»

David, regno pulsus ab Absalomo filio, eo in acie cæso misit Sadoc et Abiathar sacerdotes ad seniores Juda, dicens: «Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? Et Amasæ (qui castris hostium præfuerat) dicite: Nonne os meum, et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab.» Audi fructum et successum hujus clementiæ et beneficiæ: «Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui.» Hæc ergo munificentia Davidis omnium etiam rebellium animos inflexit, ut eum accerserent regnumque ei restituerent, II *Regum* XIX, 12.

Theodosius Imperator interrogatus, cur neminem qui intulisset injuriam, morte mulctasset? respondit: «Utinam potius mihi potestas esset, eos qui mortui sunt ad vitam denuo revocandi! sic enim Deum imitarer, qui solus mortuos resuscitat.» Testis est Socrates, lib. VII, cap. XXII.

Leo Imperator solebat dicere: «Sicut sol quibus affulserit, iis calorem suum impertit: ita etiam Imperator eis clemens et beneficus sit quot aspexerit.» Testis est Zonaras, tom. III.

Spiridion Trimethuntis in Cypro Episcopus, a fastu alienus, pavit oves: media nocte fures stabula aggressi, dum surripere pecudes student, invisibili vi apud stabula vincti sunt; cumque diluisset, accessit ad gregem, illosque videns vinctos solvit, fures multum hortatus ut justis laboribus, et non per injuriam victum quærerent, arieteque donatos dimisit, festive addens: «Ne frustra, inquit, vigilasse videamini.» Ita Socrates, lib. II, cap. VIII.

Adolescens quidam ab Arianis subornatus, S. Gregorium Nazianzenum interficere tentans, cum arcana Dei potentia ita fuisset repressus, ut tantum scelus detestaretur, et ad pedes Nazianzeni provolutus cum lacrymis veniam postularet, respondit Nazianzenus: «Propitius tibi Christus sit, o charissime! tibi que ipse ignoscat qui me quoque servavit: hoc solum ad facinoris purgationem a te peto, ut hæresim execreris, meusque fias, atque ad Deum accedas, ipsique sinceram et

Moraliter
beneficiis
vincere
inimicos,
divinum
est.

Exem-
pla.

voluntariam servitutem offeras. » Idem ad suos cives volentes affligere hæreticos, a quibus fuerant afflicti : « Hoc ego, ait, pro ultione habeo, ut ii a quibus injuria lacessiti fuimus, salutem consequantur, veraque et divina esse confiteantur ea, quæ non ita pridie insectabantur. » Testis est Gregorius presbyter in *Vita Nazianzeni*.

Apollonius monachus et martyr, cum in carcere Philemon chorales omnibus eum opprobriis oneraret, suspirans : « Fili, inquit, misereatur tui Deus; et nihil horum quæ in me modo obloquendo effudisti, reputet ad peccatum. » His dictis ille corde compunctus, et fidem quam persequabatur suscepit, et non recusavit martyrium.

ECCE VIRGO CONCIPIET. — Perfide Symmachus Ebioneus, Aquila et Theodotion, qui fuerunt Judæi proselyti, nostrique Judæi, et nuper Castalion et Ocolampadius verterunt, *ecce juvencula concipiet*. Quod Judæi sic explicant, *q. d.* Juvencula, scilicet uxor Achaz, antea sterilis, nunc concipiet et pariet filium, vel Ezechiam vel aliquem alium. Verum prius aperte falsum est : nam Ezechias jam erat natus. Achaz enim regnavit sedecim annos tantum : Ezechias vero succedens in regnum erat 25 annorum; ergo natus est ante regnum patris.

Secundo. *Secundo*, nec Ezechias, nec quis alius filius Achaz vocatus fuit Emmanuel, id est nobiscum Deus.

Tertio. *Tertio*, insulse et impie Hebræum עלמה *alma* vertunt, *juvencula* : et quod est signum, quid mirum, quid novum, si juvencula quæ genuit Ezechiam, alium pariat filium? Et si jam genuerat Ezechiam, quomodo erat sterilis?

Sed virgo. Dico ergo, de fide est sic vertendum esse, « ecce virgo concipiet; » et hæc verba intelligenda esse de B. Virgine Deipara, integra et intacta virginitate Christum Dominum concipiente et pariente; ita ut qui hoc neget, sit hæreticus, ut fuit Helvidius, contra quem scripsit S. Hieronymus. Id patet *Matth.* 1, 20 et 23.

Probatur primo. Et probatur, quia Hebræum *alma*, præsertim cum articulo העלמה *haalma*, uti hic est, non juvenculam (hanc enim significat נערה *naara*, et subinde בתולה *betula*; quod communiter virginem, cum adjuncto tamen conjugatam significat, ut patet *Joel.* 1, 8, ubi Septuaginta *betula* vertunt nuptam), sed virginem significat; ita enim vertunt Septuaginta, Chaldæus, Noster et veteres Rabbinii, apud Galatinum, lib. VII, cap. xiii. Radix enim עלם *alam* significat abscondere : inde *alma* vocatur virgo abscondita et incognita viro. Hinc et lingua Punica, quæ Hebrææ affinis est, virgo vocatur *alma*, inquit S. Hieronymus.

Secundo, ex Sibyllis. *Secundo*, virginem hanc Isaïæ parituram, et Christum ex virgine nasciturum prædixerunt decem Sibyllæ, inter quas Phrygia ita canit :

Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem, cum nuntiat Angelus *alma*
Matri, quæ miseros contracta sorde levabit.

Et Cumana apud Virgilium, *ecloga* 4 :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas :
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna :
Jam nova progenies cælo demittitur alto,
Clara Deum soboles, magnum Jovis incrementum ?
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis.

Quæ Sibyllæ carmina licet Virgilius vel ignoranter, vel adulando transtulerit ad Salonium Asinii Pollionis Romani Consulis, tempore Augusti Cæsaris, filium, tamen S. Augustinus, lib. X *De Civit.*, cap. xxvii, et Eusebius, lib. IV *De Vita Constant.* aliique passim, tanquam de B. Virgine et Christo dicta accipiunt, idque patet ex ipsis verbis, et ex tota ecloga; tam enim magnifica prædicit, ut ea non Salonio, nec alteri homini, sed soli Christo convenient. Aliarum Sibyllarum oracula vide apud Canisium, lib. II *Marial.*, cap. vii.

Tertio. B. Virginem parituram Christum prædixit Jeremias, cap. xxxi, vers. 22 : « Creavit Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum. » Vide ibi dicta.

Objiciunt Judæi : *Proverb.* cap. xxx, 19, dicitur : « Quartum penitus ignoro, scilicet, viam viri in adolescentula. » Hebraice enim est בעלמה *baalma*; ergo *alma* significat adolescentulam viro cognitam, etiamsi eam esse cognitam, si id ipsa neget, difficile sit probare, cum vix ullum copulæ præteritæ remaneat vestigium.

Respondet Sanchez sensum esse : Ignoro viam viri *baalma*, id est ad virginem absconditam, quæ fugit oculos virorum et domi se abdit, *q. d.* Facilius invenies in aere viam aquilæ, et in mari viam navis, quam vestigia virorum ad januam virginis illius, quæ nunquam se viris videndam offert, imo eos aversatur et fugit, ideoque est *alma*, id est abscondita.

Secundo. R. Haccados et veteres Rabbinii apud Galatinum sic explicant, ut ibi sit prophetia eadem quæ hic de Christo ex Virgine nascituro, *q. d.* Difficillimum est cognoscere Christi (qui vir fuit ab initio conceptionis suæ, perfectus omnibus potentiis animæ, æque ac membris corporis) in Virgine conceptionem et nativatem.

Tertio. simplicissime, « via viri in adolescentula » cognosci nequit, quia post congressum et copulam carnalem nullum ejus remanet vestigium : nam quod nonnulli putant in copula cum virgine rumpi membranulam, quæ sit virginitatis signaculum, falsum esse docent Franciscus Valesius aliique medici : *alma* ergo etiam hic significat virginem, non quæ jam sit virgo, sed quæ virgo fuerit ante copulam, seu potius quæ in ipsa copula a viro inventa sit virgo.

Quarto. et optime, legendum est cum Latinis et Septuaginta, *viam viri in adolescentia*, non « adolescentula : » corrupte ergo in Hebræo legitur *baalma* pro בעלמה *baalmut*. Sensus ergo est, *q. d.*

Difficillimum est cognoscere quid fecerit, quidve faciet adolescens, qui fervore sanguinis et spiritum in alia et alia studia, cogitationes, operaque ac loca statim abripitur.

Objicit *secundo* Calvinus (qui negat penetrationem corporum (ita ut duo sint in eodem loco) Deo esse possibilem; ac proinde negat Virginem manentem virginem peperisse, sicuti negat Christum post resurrectionem clausis januis ad discipulos introisse) non convinci B. Virginem manentem virginem concepisse et peperisse Christum, quia hæc verba: « Ecce virgo concipiet, » possunt accipi in sensu diviso, non composito, *q. d.* Quæ antea fuerat virgo, illa jam post copulam, non virgo, sed corrupta concepit. Verum hoc commentum clare refellit S. Mathæus, cap. I, vers. 20 et 23, ubi, ut omne dubium tollat, dicit: « Quod in ea natum est (non de viro Joseph, sed) de Spiritu Sancto est. » Ergo Virgo manens virgo concepit ex Spiritu Sancto. Deinde subdit: « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Idem refellunt Patres omnes, totaque Ecclesia, quæ ita hæc verba Isaie et Matthæi accipit in sensu composito, ideoque firmiter credit quod B. Virgo fuerit virgo tam in partu et post partum, quam ante partum. Citat Pater noster Canisius, lib. II *Marial.*, cap. xiv et xv. Et quæ, quæso, esset hoc signum, quod virgo jam corrupta conciperet? hoc enim quotidianum et naturale est: unde in Hebræo hic significatur quod hoc signum erit insolitum et admirabile, cum dicitur: *הנה העלמה הרה* *hinne haalma hara*, id est ecce illa virgo (admiranda) gravida erit et prægnans. Hinc ergo contra Calvinum patet, Virginem in sensu composito peperisse Christum, ac consequenter penetrationem corporum Deo esse possibilem. Rursum mysterium Eucharistiæ esse possibile, quod pari blasphemia negat Calvinus. Si enim Deus potest facere ut duo corpora, v. g. corpus Virginis et corpus Christi, sint in eodem loco, cur non possit facere, ut unum idemque corpus Christi sit in pluribus locis et altaribus? Rursum cur non possit facere, ut totum corpus Christi sit in parva hostia? Si enim potest plura tota corpora ponere in eodem loco, cur non possit partes ejusdem corporis ponere in eodem loco, v. g. in parva hostia, imo in puncto? Hæc enim tria plane paria sunt, scilicet æque difficilia et naturæ repugnantia, paremque virtutem et potentiam, ut fiant, requirunt. Tam enim impossibile est unum locum adæquari pluribus corporibus, quam unum corpus adæquari pluribus locis. Denique miraculo idipsum non semel confirmavit Deus. Illustre est quod refert S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. viii, de Petronia clarissima femina, quæ ex despareto morbo miraculose adiens memoriam S. Stephani sanata est. Cum enim pro remedio annulum superstitiosum a Judæo prius

accepisset, quem capillitia zona insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur; pergente illa ad S. Stephanum, annulus integer integra et illæsa zona ad pedes ejus exsiliit; quod miraculum ipsa futuræ salutis pignus accepit: « Non credunt hoc, ait S. Augustinus, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos suos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hoc certe quærant: et si verum invenerint, illa credant. Clarissima femina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitata: ampla civitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt. Martyr certe ipse, quo impetrante illa sanata est, in filium permanentis virginis credidit, in eum qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est. » S. Stephanus credit, S. Augustinus credit; non credis, Calvine?

Ubi nota: Hebraice est *העלמה* *haalma*, Septuaginta *ἡ παρθένος* id est illa virgo rara et unica, illa *phœnix mundi*, illa Virgo illustris, et toto orbe sæculisque omnibus celebranda, quæ nimirum prima votum continentis et virginitatis Deo nuncupavit, ejusque vexillum posteris omnibus erexit, ad quod post eam tot millia SS. virginum, feminarum æque ac virorum, convolarunt. Præclare S. Hieronymus ad Eustochium, *De Custod. virg.*: « Inveniebatur, ait, in veteri Testamento, in viris tantum hoc continentis bonum (in Elia, Eliseo, Jeremia et filiis Prophetarum), et in doloribus jugiter Eva pariebat. Postquam vero Virgo concepit in utero, etc., soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam. Ideoque et ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia coepit a femina. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet et angelos in terris. » Audi et Poetam in hymno Ecclesiastico:

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Rursum:

Partus et integritas discordes tempore longo.
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Nam quod scribunt Gellius, libro IX, cap. iv, et Plinius, lib. VII, iv, P. Licinio Crasso et C. Cassio Consulibus (eratis annus ante Christi epocham 172) virginem peperisse, pro ficto, non pro facto habendum est, uti et illud quod ævo nostro sub Henrico II, Franciæ rege scribit Genebrardus Ambianis in Francia factum, ut virgo pareret.

Unde S. Chrysostomus, Basilius, Hieronymus, Prudentius, Bernardus, et ex iis Canisius, lib. II, cap. xvi, docent B. Virginem sua angelica virginitate, ac mentis et corporis puritate meruisse de congruo ut fieret Mater Dei. Quocirca Venantius Fortunatus canit:

Virginitas felix quæ partu est digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Haalma est illa virgo quæ phœnix est mundi.

Et Prudentius in *Cathemerino* : « Edere namque Deum meruit, » scilicet Virgo sua virginitate : « Omnia Virgo venena domat. » Plura vide apud Canisium, toto lib. II, et Suarez, III part., tom. II, *Quest. XXVII*, disp. 5.

Memoria
deiparae
ta vir-
ginitas
Deiparae.

Denique Deus hoc mysterium virginitatis Deiparae miraculis confirmavit. Referunt historici Hispanici, et ex iis Baronius anno Domini 657, S. II, dephonsum Toletanum Archiepiscopum contra Helvidianos renascentes propugnasse libro edito perpetuam virginitatem Deiparae. Quare cum ipse in festo Annuntiationis B. Virginis ad templum noctu pergeret, templum cepit caelesti fulgore micare. Caeteris dilapsis, apparuit ei B. Virgo dicens : « Cultae in tuo corpore virginitatis, cum mentis puritate fideique ardore conjunctae, nostraeque virginitatis defensionis praemium erit ex caelesti theatro munus allatum. » Inter haec verba vestem suis manibus capiti inseruit : « Hae, inquiens, Filii mei meaque festo anno recurrunt festa celebrato. »

In Vita S. Aegidii, socii S. Francisci, 23 aprilis narratur quemdam Doctorem Ordinis S. Dominici, dubitantem de virginitate Deiparae, cogitavisse hac de re consulere S. Aegidium : cumque eum eminus videret S. Aegidius praevenit, terramque pulsans dixit : « Frater Praedicator, S. Deipara Maria virgo est ante partum ; » statimque ut haec dixit, pulcherrimum illic exortum est lilium. Iterum percussa humo repetit : « Frater Praedicator, S. Maria virgo est in partu ; » et confestim secundum exortum est lilium. *Tertio*, baculo feriens terram : « Frater, inquit, Concionator, S. Maria virgo est post partum, » simulque tertium exstitit lilium candoris ei formositas admirandae. Ita omnem et scrupulum exemi.

Porro causae cur ex Virgine nasci voluerit Deus, sunt : *Prima*, quia, ut ait S. Bernardus, Deum decebat nova, insolita, propria et sublimis generatio ; talis autem est ex virgine. *Secunda*, quia, ut ait Theodorus Ancyrae Episcopus in Concilio Ephesino, *orat. 2* : « Incorruptionis largitor corruptionem non inducit, nihilque incorruptionis auctor corrumpit. » *Tertia*, quia Deus et SS. Trinitas est prima virgo, ut ait S. Nazianzenus in *Carm.* Hinc Pater virgo mente generat Verbum, id est Filium suum, et cum Filio similiter spirat Spiritum Sanctum, per actum amoris sive spirationis. Decuit ergo ut Christus quasi Melchisedech noster in terris esset ἀπατρὸς, id est sine patre ; sicut in caelis secundum generationem divinam est ἀμήτωρ, id est sine matre, ut utrobique virgo ex virgine nasceretur. *Quarta* causa est, ut ex vi originis suae excluderet peccatum originale : hoc enim omnes carnaliter prognati ex Adamo contrahunt, non autem nati ex virgine. Rursum ut concupiscentiae et peccati victor sine concupiscentia et peccato conceperetur. Denique ut purissima esset ejus conceptio, qui omnes homines erat purificaturus, et ex hominibus Angelos effecturus. *Quinta*, ut

ostenderet quanta quamque sibi et Deo chara sit virginitas.

Nota : Sicut hebraice, ita et latine Deipara vocatur *alma* ut cum dicimus : « Alma parens ; alma Dei genetrix, Ave maris stella, Dei mater alma. » Idque *primo*, quia *alma* ; subinde Latinis idem est quod virgo. Sic vocatur « alma Ceres, » et Sibylla a Virgilio, *Aeneid. VI*, vocatur « alma, » eo quod fuerit virgo. *Secundo*, quia *alma* idem est quod sancta vel pulchra, ait Festus. Hinc Deae, ut Musae, vocantur *almæ* ; sic a Lucretio, lib. VI, Pallas nuncupatur *alma*. Proprie vero mater deorum vocata est *alma*. Unde Virgilius, *Aeneid. X* : « Alma parens Idæa Deum ; » et *Aeneid. I* : « Venus alma. » *Tertio*, quia *almus* significat quoque clarissimum. Unde sol dicitur « *almus* » ab Horatio in *Carm. saeculari* :

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas.

Hinc et dies felix et clara vocatur *alma*. Jam quid clarius, quid felicius B. Virgine? *Quarto*, *almus* dicitur ab alendo, quasi alens, ait Festus ; unde Lucretius, lib. II : « Liqueor almus aquarum. » Et lux dicitur *alma*, quod alat universa ; nam per lucem et diem omnia crescere docent Physici, ait Servius, qui et addit, *Aeneid. II* : « Alma proprie est tellus, eo quod nos alat : abusive etiam aliis numinibus hoc epitheton datur. » Et Columella, lib. III, cap. XXI : « Quibus, ait, alma tellus annua vice velut aeterno quodam puerperio læta mortalibus distenta musto dimittit ubera. » Talis est Deipara, quæ Christum aluit, et Christianos jugiter alit fovetque. Nunc singula verba pressius expendamus.

ECCE, — *q. d.* Adeste, proceres ; adeste, Judæi ; audite, omnes gentes, videte et stupete, ecce rem miram et omni ævo inauditam, ecce ostentum saeculorum, ecce novum nunquam visum, quod creabit Dominus, *Jerem. xxxi*, 32. Ecce rem post multa saecula futuram, quam quasi certam et presentem coram intueor. Ecce post 730 annos virgo concipiet et pariet. Hoc tu, o Achaz incredule ! non mereris cernere, cernent posteri tui et fruentur, dicentque : Ecce hoc portentum praedixit Isaias a tot saeculis, nunc illud impletum conspicimus, nunc credimus, imo scimus, Virginem peperisse Salvatorem mundi.

VIRGO. — Hebraice העלמה *haalma*, illa virgo, Angelis, etiam Seraphinis, suspicienda : « Quæ simul est genetrix, filia, sponsa Dei : » quæ Deum homini, cælum terræ, maternitatem virginitati, peccatores sanctitati conjunxit et copulavit : ac proinde non dulia, sed hyperdulia ab hominibus et Angelis colenda. Nam in hoc virginei conceptus et incarnationis Verbi opere tria præ caeteris sunt stupenda, quæ ita describit S. Bernardus, *serm 3 in Vigilia Nativit.* : « Tria, inquit, opera tres mixturas fecit omnipotens illa majestas in assumptione carnis, ita mirabiliter singu-

D. Virgo
est geni-
trix, fi-
lia, spon-
sa Dei.

Tres
mixtura
incarna-
tionis mi-
ra.

laria, et singulariter mirabilia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Verbum enim, anima et caro in unam convenere personam, et hæc tria unum, et hoc unum tria sunt, non in confusione substantiæ, sed in unitate personæ. Hæc est *prima* et superexcellens mixtura. *Secunda*, est virgo et mater, utique et admirabilis et singularis. A sæculo non est auditum, quod virgo esset quæ peperit, et mater esset quæ virgo permansit. *Tertia*, est fides et cor humanum, et hæc quidem inferior, sed non minus forsitan fortis: mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit: quomodo credi potuit quod Deus homo esset, quod virgo manserit quæ peperisset?»

Mirum
quid
de S.
Sincoll.

Mirum quid refert Hegesippus, lib. *De Supplemento Evangelicæ veritatis*, et ex eo Michael Caranza, lib. *De Virginitate B. Mariæ*, cap. xiv, scilicet Simeonem, qui *Lucæ II*, Christum in ulnas accepit, fuisse eximium inter sui sæculi Rabbinos, et hoc Isaïæ oraculum de Virgine paritura in scholis aliquando exposuisse. Verum pro eo quod scriptum repererat *haalma*, quo certo Virgo paritura significabatur, primorem litteram expunxisse, ac legisse *alma*, quasi in sensu diviso pareret illa quæ fuerat virgo, jam vero erat mulier corrupta: sed cum Scripturas denuo relegeret, *haalma* præfixo articulo, sicuti ante erat, reperisse: itaque secundo articulum dispunxisse, eumque iterum divinitus restitutum fuisse: hocque etiam tertio iterasse: unde vim numinis agnovisse, et intellexisse virginem vere parituram, ideoque supplicem Deum rogasse, ut tandem superstitem se conservaret, donec Emmanuelem ex ea natum videret et adoraret: ac responsum tum accepisse, se non visurum mortem, donec videret Christum Domini. Verum hujus historiæ fides sit penes Hegesippum: nam olet Cabalam, id est fabulam alicuius Rabbini. Et quomodo S. Simeon e sacra Scriptura ausus fuisset litteram *he* dispungere? Quis credat hoc de Rabbino, eoque sancto, cum etiamnum Rabbinos alias perfidos, in tuenda Scriptura Hebraica religiosos, imo superstitiosos videamus? Adde, quod *alma* æque ac *haalma* proprie vereque virginem significet.

Verius S. Basilius, hom. *De humana Christi generatione*, censet diabolum ex hoc oraculo expectasse virginem quæ pareret, ut inde agnosceret Salvatorem mundi, eique insidias strueret, ideoque B. Virginem nupsisse Josepho, ut diabolus putaret eam ex Josepho concepisse: « Virgines namque, inquit, in primis observabat, quarum unam parituram e Propheta cognoverat, dicente: Ecce virgo concipiet et pariet filium: virginitatis igitur insidiator observatorque, sub matrimonii specie factus ignorans, a malignitate abstinuit. Sciebat enim suum imperium ob Dominicam carnis generationem perditum iri. » Et S. Hierony-

mus in cap. I *Matth.*: « Martyr Ignatius, ait, quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit, ut partus ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore generatum. » Licet enim naturaliter dæmon scire posset B. Virginem intactam esse a Joseph, tamen a Deo impediatur, ne quod inter B. Virginem et Joseph agebatur, cognosceret.

Denique hoc vaticinium de virgine paritura Christum Isaïas edidit post initium regni Achaz, cum scilicet ipse cladibus a Rasin et Phacee acceptis afflictus, ab eisdem obsidionem et excidium metuens, cogitaret non Dei, sed Assyriorum opem implorare, puta anno 3 Achaz; nam anno Achaz 4 impleta sunt, quæ Isaïas prædicit de strage Rasin et Phacee, uti ostendam cap. VIII, vers. 4. Quocirca multum errant Beza et Vatablus, qui putant hanc prophetiam ab Isaïa editam anno decimo Achaz. Aberrant et alii, qui 24 annos numerant a die hujus vaticinii usque ad sextum annum Ezechie. Hinc enim sequitur illud editum esse ante regnum Achaz. Aberrat et Sixtus Senensis, lib. II *Biblioth.* littera G, dum hoc oraculum habuisse exitum quoad interitum Phacee et Rasin censet anno 6, 7 et 8 Achaz.

Anno 3
Achaz
hæc dicit
Isaïas.

Moraliter, hic discat virgo qualis esse debeat. Primiceria virgo, et virgo virginum docebit eam, quod debeat esse « alma, » id est abscondita, fugiens oculos hominum, domi latens, secreti amans, publici fugax. « Alma » ergo non tantum custos, sed et prima pars est pudicitiae. Docet hoc, graphiceque demonstrat Tertullianus, lib. *De Velandis virginibus*: « Ipsa, ait, concupiscentia non latendi non est pudica: patitur aliquid, quod virginis non sit: studium placendi utique et viris, quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis et multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter jam placere desiderare. »

S. Cyprianus, lib. *De Habitu et Disciplina Virginum*: « Virgo, ait, non tantum esse, sed et intelligi debet et credi, ut nemo cum virginem viderit, dubitet an virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet. »

S. Ambrosius, lib. II *in Lucam*, ad illud *Luc. I*, *Et ingressus Angelus ad eam*: « Sola, ait, in penetralibus; quam nemo virorum videret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenerare depravaretur affatu, ab Angelo salutatur. » Nam, ut idem ait *Exhort. ad Virgines*: « Decet solitudo verrecundiam, et gymnasium pudoris secretum est. »

S. Hieronymus ad Lætam, *De Instit. filiae*: « Imitetur, ait, Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, et ideo forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat aspexit. Æmuletur eam, de qua dicitur *Psal. XLIV, 14*: « Omnis gloria ejus filiae regis ab intus. Loqua-

tur et ipsa electo charitatis jaculo vulnerata : Introdixit me rex in cubiculum suum. » *Cant.* I, 4 : « Nunquam exeat foras, ne inveniant eam qui circumcumeunt civitatem, ne percutiant et vulnerent, et auferant theristrum pudicitiae, et nudum in sanguine derelinquant : quin potius, cum aliquis ostium ejus pulsaverit, dicat : Ego murus, et ubera mea turris : lavi pedes meos, non possum inquinare eos, » *Cant.* VIII, 10.

Talis fuit B. Asella virgo Romana, quam ita laudat S. Hieronymus, epist. 13 ad Marcellam : « Unius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ et solum, orationis locus exstitit et quietis. Ita se semper moderate habuit, et intra cubiculi sui secreta custodivit, ut nunquam pedem efferret in publicum, nunquam viri nosset alloquium, et, quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potius quam videret. Ad Martyrum limina pene invisita properabat. Et cum gauderet proposito suo, in eo vehementius exsultabat, quod se nullus cognosceret; ut solitudinem putaret esse delicias, et in urbe turbida inveniret eremum monachorum. Sermo silens, et silentium loquens. » Vide quæ de Dinæ curiositate et violatione dixi, *Genes.* XXXIV, 1.

CONCIPIET, ET PARIET. — Vide hic quam virginitas non sit sterilis, sed fœcunda et fertilis, quæ genuit Deum creatorem omnium. « Talis partus, inquit S. Bernardus, serm. 2 *De Adventu*, congruebat virgini, ut non pareret nisi Deum; et talis natiuitas decebat Deum, ut non nisi de virgine nasceretur. » Præclare ergo S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.* : « Virginis, inquit, corpus cœlum, » id est sedes et thronus, « est Dei. » Et Poeta :

Nec genitrice tua fœcundior ulla parentum est,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Ita spiritaliter S. Cæcilia virgo Valerianum maritum, Tiburtium aliosque multos convertit et Christo peperit, ut merito de ea canat Ecclesia : « Cæcilia famula tua tibi, Domine, quasi apjs argumentosa deservit. » Lege Vitam S. Juliani et Basilissæ, et miraberis tot millia hominum eos conjuges simul et virgines Deo peperisse. Hanc fecunditatem promittit Deus virginibus, *Isaiæ* LVI, 3 : « Non dicat Eunuchus : Ego sum lignum aridum, » etc., de qua re plura ibidem.

ET VOCABITUR, — id est erit, vide *Can.* XXIX. Hebraice est *vekarath*, feminini generis et secundæ personæ, id est *et vocabis*, ut vertunt Septuaginta, Pagninus et alii, scilicet tu, o virgo ! Alias enim in veteri Testamento patres indebant nomina filiis, non matres. Sed quia hic Virgo concipit et parit sine patre, hinc ipsa quasi pater æque ac mater, nomen *Emmanuel* filio suo imponit. Hoc est quod Gabriel eidem annuntians hunc partum prædixit, *Lucæ* I, 31 : « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesus. » Jesus enim idem est quod *Emmanuel*, uti mox patebit.

Perperam ergo Judæi negant hic agi de Christo, eo quod ipse vocatus sit Jesus, non Emmanuel : nam *primo*, *vocari* in Scriptura sæpe significat esse talem, qualem nomen significat, ut jure eo vocari possit. Sic Christus, cap. IX, dicitur vocandus consiliarius, admirabilis, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi, non quod hæc fuerint nomen proprium ipsius, sed quod talis fuerit, ut merito hisce nominibus et titulis insigniri possit. *Secundo*, nomen hic non significat nomen proprium, sed agnomen sive elogium, *q. d.* Jesu nomen, id est elogium, erit Emmanuel, id est nobiscum Deus. Sic epitheta et honorum tituli vocantur nomina, ut, cum Trajanus Imperator a devicta Dacia accepit nomen Dacicus, Scipio a devicta Asia Asiaticus. *Tertio*, nomen Emmanuel reipsa idem est quod nomen Jesus, id est salvator : salvare enim nos a peccato, morte et inferno nemo potuit, nisi Emmanuel, id est Deus homo, cujus nomen proprium est Jesus. *Quarto*, nomen proprium est duplex : unum, quod ab ortu a parentibus imponitur, ut eo ab omnibus vocetur, et tale Christi nomen est Jesus; alterum, significans propriam rei vel personæ naturam et conditionem : tale est Emmanuel; significat enim hunc hominem non esse merum hominem, sed hominem Deum, idedque Christo est proprium : nulli enim alteri competit. Et sic in festis natalitiis, sæpeque alias, fideles jubilando Christum natum vocant et invocant *Emmanuel*, ac per aphæresin *Noel*.

EMMANUEL, — id est nobiscum Deus, *q. d.* Deus jam erit nobiscum spiritaliter, o Achaz ! et Judæi, vos liberans a Rasin et Phacee ; sed cum virgo concipiet et pariet, erit nobiscum et corporaliter Verbum caro factum, quasi dicas : Virgo pariet non Ezechiam, non Sear Jasub, puros homines; sed Emmanuelem, id est hominem Deum : hic tamen Emmanuel pariet Sear Jasub, id est reliquias Israel convertet, et renasci faciet Deo per baptismum. Hanc ob causam in hac prophetia jussit Deus Isaïæ, ut filium suum Sear Jasub secum adhiberet (1).

(1) Cum eventus ab Isaia in hoc vaticinio prædictus maximi apud omnes Christianos sit momenti, non dubitamus, hanc licet longiorem annotationem Rosenmuller attexere, ut veritatem oraculi Isaici in clariorem lucem prodire nullus non videat.

ANNOTATIONIS ADDITAMENTUM.

De Emmanuele e Virgine nascituro.

Andrææ Sennert *Exercitatio Rabbinico-Philologica ex oraculo Isaï.* VII, 14. Viteb. 1651, in-4.

Joan. Sauberti *Dissertat. de Haalma matre Immanuelis, ad insignem prophetiam Isaï.* VII, 14, 15, 16, Helmstad. 1664, in-4, recusa in Auctoris *Palæstra Theologico-Philologica, sive Dissertat. academiar. Tomo singular.*, Altdorf. 1678, in-4, pag. 130 seqq.

Joan. Deutschmanni *Dissertat. de conceptione et natiuitate temporali Messie,* Viteberg. 1664.

Joan. Frid. Scharffii *Dissertat. de Virgine miranda*

Noel de-
curta-
tum ex
Emma-
nuel.

Virgini-
tas est
fœcunda.

Ex « Emmanuel » Itali decurtarunt *Manuel*, Galli *Noel*, id est nobis Deus vel noster est Deus, quod in hymnis natalitiis jubilando ingeminant, indeque hoc festum vocant *Noel*, id est parvi Emmanuelis festum.

pueros ratione filium paritura, Viteberg. 1673, in-4.

Christoph. Lochner *Dissertatio de loco classico Isaiae VII, 14; in Thesauro Theologico-Philologico, sive Sylloge Dissertationum elegantiorum ad selectiora et illustriora Vet. et Nov. Test. loca*, Amstelod. 1701; vol. 1, pag. 691 seqq.

Sam. Andreæ *Dissertat. de Nativitate Emmanuelis, Isaï VII, 14; ibid*, pag. 697 seqq.

Joan. Dav. Clodii *Dissert. de Conceptu et Partu virginæ*, Gissæ, 1685, in-4.

Henr. Kirschgart (Præf. J. A. Danz) *Partus virginis miraculosus, ex Isaï VII, 14*, Jenæ, 1700, in-4.

Canpeg. Vitringa *Observat. SS. lib. V. cap. I et II*.

Joan. Georg. Abicht *Dissertat. de Emmanuele e virginæ nascituro*, Viteberg. 1717, in-4.

Joan. Frid. Borneri *Progr. ad Isaï VII, 14*, Lips. 1751, in-4.

Andr. Georg. Waehner *Dissert. Jesum Christum Emmanuelem Isaï VII, 14, Matth. I, 22, contra Judæos defendens*, Gotting. 1755, in-4.

Joan. Ehrenfr. Pfeiffer *Progr. Emmanuelem non geminum, sed unicum, Jesum Christum, ex Isaï VII, 14, et Matth. I, 22, 23, proponens*, Erlang. 1761, in-4.

Dissertation on Isaiah VII, 13-16; by Benjam. Kennicott; London, 1767, in-8.

Christ. Frider. Schmid *Vindiciæ nativitatæ Christi e matre virginæ ad Isaï VII, 14, 15, Progr. Viteberg. 1773, in-4*.

Francisci Christoph. *de et in Zwerger Vindiciæ vaticiniæ Isaï VII, 14, de Emmanuele*, Friburg. 1779, in-8.

Frid. Guill. Dresdii *Progr. ad eruendum verum sensum vaticiniæ de Christo Emmanuele ipsis solemnibus natalit. Jesu Christi sacris propositum*, Viteberg. 1780, in-4.

Joan. Gottfr. Hasse *Progr. Jesus Emmanuel πνευματικὸς ἀπὸδ Isaïam VII, 14, seqq. et Matthæum I, 18, 23, part. I et II, Regiomonti, 1792, in-4*.

Joan. Gerar. Greveri *Commentat. de Emmanuel, in ejus Commentationum miscellancarum Syntagmate*, Oldenburg. 1794, in-8.

Planum et simplicem nostri oraculi sensum, quem supra in annotatione enarravimus, obscuratum deprehendimus jam primis rei christianæ temporibus a Judæis contra Christianos disputantibus. Christiani enim hoc vaticinio Jesum Maria Virgine natum prænuntiarum perhibentibus (*Matth. I, 18-25; Luc. I, 26-36*), ut Judæi grave argumentum eriperent, quo divinitus missum esse Jesum probare illi solebant, Hiskiam potius, aut alium Isaïæ ætate nasciturum puerum innui contenderunt. Ita secundo christiano sæculo Judæus, quem secum disserentem inducit Justinus Martyr (*Dialog. cum Tryphonæ*, pag. 262 edit. Lips.), et doctores tunc temporis Judaici celebres hoc oraculum exposuerunt. Eamdem interpretationem profert Hieronymus, simulque vero refutat: « Hebræi, ait, hoc de Ezechia, filio Achaz, prophetari arbitrantur, quod ipso regnante sit capta Samaria, quod omnino probari non potest. Siquidem Achaz, filius Joatham, regnavit super Judam et Jerusalem annis sedecim, cui successit in regnum filius ejus Ezechias annos natus viginti quinque, et regnavit super Judam et Jerusalem annis viginti novem. Quomodo ergo, ut ædemus primo anno Achaz hanc ad eum factam prophetiam, de Ezechia conceptu dicitur et nativitate, cum eo tempore quo regnare cœpit Achaz, jam novem Ezechias esset annorum? nisi forte sextum Ezechia regni annum, quo est capta Samaria, infantiam ejus appellari dicant, non ætatis, sed

Quid est ergo Emmanuel? Est nobiscum **אִנּוּ עִמָּנוּ**, id est fortis, puta Deus, qui dæmonem, carnem, mundum, peccatum, omnesque hominum hostes potenter debellabit.

Quid est Emmanuel? Est filius prophetissæ, cu-

imperii. Quod coactum esse atque violentum, etiam stultis patet. » Recentiores Judæi interpretes alio se vertunt. Et Jarchi quidem, qui ipse refellit hanc suorum sententiam, qui ex Hiskia faciunt Emmanuelem, virgine, quæ Emmanuelem sit paritura, uxorem Prophetæ intelligit, quæ cap. VIII, 3, *prophetissa* dicitur. Hoc modo autem hujus loci interpretationem instituit: « Uxor mea juvenula concipiet hoc anno, qui fuit regni Ahasi quartus, filiumque pariet, quem ob mox futuram liberationem, quam divino concita motu præsentat, Emmanuelem vocabit, id est, rupe nostra erit nobiscum. Id igitur est signum promissum, quod femina admodum juvenula, quæ nunquam antea est vaticinata, afflatu divino ventura videbit. Neque enim uxor Prophetæ *prophetissa* vocatur, nisi ipsa quoque sit fatidica. » Eadem fere Aben-Ezræ est sententia, qui tres recenset filios Isaïæ, symbolica omnes nomina gerentes: Schear-Jaschubum (supra, vers. 3), Emmanuelem, et, qui deinceps occurret, Maher-Schalal-Chasbazum, de quibus ipse Propheta, cap. VIII, 18: « En me et pueros, quos mihi Jova dedit, sumus signa et prodigia in Israele. » Eadem est J. E. Fabri (ad Harmeri *Observat. super Oriente*, a se teutonice factas et notis illustratas, part. I, pag. 280, Pluschkii *Analecten*, part. I, particula II, pag. 66), et Gesenii sententia.

Similem interpretationem affert Hieronymus: « Quidam de nostris Isaïam prophetam duos filios habuisse contendit, Jasub et Emmanuel, et Emmanuel de prophetissa, uxore ejus, esse generatum, in typum Domini Salvatoris. » Haud longe diversa Grotii opinio, nisi quod is Emmanuelem eundem velit esse puerum, qui appellatus mox est Maher-Schalal-Chasbaz (cap. VIII, 3), duplici videlicet nomine prophetico insigniendum. Verum hanc sententiam, quæ *alma* facit conjugem Isaïæ, solide refellit Kimchi, duobus argumentis, quæ speciem omnem illi adimunt. Primum est, si Propheta hic locutus esset de conjugē suā, illam vocasset *prophetissam*, ut infra cap. VIII, 3. Quis enim credat Prophetam, si de sua locutus esset conjugē, non eam designaturum fuisse nomine aliquo, quo cognosci et ab aliis feminis dignosci possit? Imo si vel maxime, quod Grotius vult, locutus esset de virgine aliqua, ab ipso adsciscenda hoc tempore in conjugium, debuisset utique eam certa aliqua nota sic describere et designare, ut alii intelligere possint, illum de sua potius conjugē quam de qualicumque alia loqui. Alterum Kimchii est, non posse hanc sententiam consistere cum loco, cap. VIII, 8, ubi Propheta verba faciens de Assyriis ait: « Extensiones alarum ejus implebunt latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel! » Patere inde per Emmanuelem intelligi personam aliquam illustrem, *cujus* dici possit *esse Judæa*, qui non potest esse minor filio regis. Neque tamen, quod ipse Kimchi contendit, *alma* esse Ahasi conjugem, magis est probabile. Eam enim simpliciter eo nomine appellasse, vix est credibile. Cur enim non dixisset quod quilibet alius in tali casu diceret, *conjug tua?* Vel, si de regina locutus esset, cur eam non potius appellasset *reginam*, aut *dominam*, *augustam*, quæ appellationes usu fuerunt receptæ? Ipsi quoque Kimchio obstat locus cap. VIII, 8, ab eo productus, quo alios oppugnat. Si enim hic intelligatur alius quidam Ahasi filius quam Hiskias, quo modo *cjus* dici potest fuisse terra Judæa? Hiskias enim solus fuit regni hæres. Veteres Judæi cum id animadverterent, hic Hiskiam designari dixerunt.

Verum id jam refutavit Hieronymus, cujus verba supra

jus nomen « Accelera spolia detrahere, Festina prædari, » cap. VIII, vers. 3.

Quid est Emmanuel? « Est admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, magni consilii angelus, » cap. IX, vers. 6.

attulimus, refelluntque ipsi Judæi recentiores, ut antea monuimus. Parum præterea videri queat probabile, Abasum, vel conjugem ejus, si vel maxime detur designari per *alma*, puerum aliquem in sua domo nasciturum vocaturum fuisse Emmanuelem; illum, inquam, Ahasum, quem constat exigua fuisse in Deum fide. Gravissimum vero quod utrique, vel de Isaïæ, vel de Ahasi conjugem, expositioni obstat, est illud, quod *alma* de nupta femina ex usu loquendi intelligi plane nequeat, sed *virginem* denotet. Nihil est quod obvertunt Hebræi, et Christianorum ii qui Emmanuelem Prophetæ filium faciunt, nomen *alma* solummodo respicere ætatem, non *statum* feminæ, *virginalem* aut *conjugalem*, significare igitur *feminam juvenem*, sive *nuptam*, sive *innuptam*, perinde ac *elem* designat *adolecentem*. Hinc est quod Aquila et Theodotion, proselyti Judæi, voce, ad interpretandum *alma*, *ἄρτις*, sunt usi. Verum probat constans vocis usus in veteri Testamento *alma* nunquam de *nupta*, sed ubique de *innupta* femina dici. Occurrit præter nostrum locum sexies: primo, *Genes. XIV, 43*, ubi de Rebecca nondum nupta, quæ vers. 16, « virgo, quam vir non cognovit, » dicitur; tum *Exod. II, 8*, de innupta Mosis sorore adhibetur tertio loco *Psal. LXVIII, 26*, *alamoth* sunt puellæ quæ instrumentis musicis Deum celebrant. Porro, *Cantic. I, 3*, ubi *alamoth* sponsum amare dicuntur, nemo facile de uxoris cogitabit, et *Cantic. VI, 8*, ubi *alamoth* distinguuntur a *reginis* et *concubinis*, illæ vix aliæ, nisi *virgines* esse possunt. Unus restat locus, valde vexatus, *Proverb. XXX, 19*, quem urgent, qui contrariam sententiam defendunt. Illo loco inter quatuor occulta et impervestigabilia recensetur *via viri in virgine*, ubi *alma* Judæi eandem volunt esse, quæ vers. proximo dicitur *femina adultera*, ad eam enim applicari, quæ Paræmiastes de *alma* dixerat. Verum hanc scriptor a femina adultera manifeste distinguit; tantum illius exemplum ad hanc transfert. Locus agit de furtivis et clandestinis amoribus, et congressu, quem vir cum *puella innupta* exercet, nemine præter amantes conscio, dum interea illa pro virgine habetur, et quid vitii sibi hæreat, ita dissimulat, ut ab aliis id frustra pervestigetur. Est igitur quæ hic *alma*, *virgo* dicitur, talis ex communi fama, judicio et opinione aliorum. Nolumus cum pluribus superioris ætatis interpretibus *virginis* notionem voci *alma* vindicare ex ejus etymo, etsi speciosum sit. Observant *alma* esse ab *alam*, cujus forma *niphath*, *absconditum*, *occultum esse*, *ignorari* designat, quæ notio in omnibus vocibus derivatis regnat.

Eam vero etymologiam *soli* convenire *virgini*, quæ sic appellata sit, vel, quod nescia consuetudinis virilis *occulta* hactenus et *tecta* habeat, quæ honestas alii, quam marito, revelari vetat; vel quod, pro more veterum, *domi lateat et occultetur*, non versata in publico, sed sub oculis matris aut custodis clam aliis servetur, cujusmodi virgines appellatur *conclusas* (II *Machab. III, 19*; III *Machab. I, 18*), ut contra *meretricem*, Chaldæi, *prodeuntem foras*, in publico versatam, vocant; et hac ipsa de causa *alam* notare *adolecentem*, nondum ad modum rei publicæ, sed *domi* hactenus sub oculis parentum latentem et educatum; quem veterum morem ad vindicandam voci *alma*, *virginis*, significationem, pluribus illustrarunt Casaubonus (*Exercitat. ad Baronii Annales*, pag. 106 seq.), Grotius ad *Matth. I, 23*, et Huetius *Demonstrat. Evangel.*, Propos. IX, cap. IX). Ita jam Hieronymus in *Commentar.* ad hunc locum: « *Alma* non solum *puella*, vel *virgo*, sed cum *ἐπιτάσει*, *virgo abscon-*

Quid est Emmanuel? Est magnus Dominus et laudabilis nimis, qui factus est nobis puer parvulus, et amabilis nimis.

Quid est Emmanuel? Est « Deus noster qui præparavit terram in æterno tempore: qui emittit

dita dicitur et *secreta*, quæ nunquam virorum patuerit adspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. » Et idem in libro *De Traditionibus Hebraicis*: « *Alma*, quod interpretatur *abscondita*, id est virgo nimia diligentia custodita, majoris mihi videtur laudis esse quam virgo. Virgo quippe, juxta Apostolum, potest esse corpore, et non spiritu. Abscondita vero, quæ virgo est, *ἐπιτάσει* virginitatis habet, ut et virgo sit et abscondita, et quæ abscondita est, juxta idioma linguæ Hebrææ, consequenter et virgo est; quæ autem virgo, non sciat sequitur, ut abscondita sit. » Ejusmodi tamen ex etymologia petitis argumentis, utpote perquam incertis, parum tribuendum videtur, præsertim cum Arabica dialectus aliud etymon offerat non minus, aut forsitan magis commodum, significans *coeundi cupidus*, *libidinosus* fuit, unde *adolescens a nativitate ad juventutem*, et *juvenis plenæ ætatis, cui ala barbæ labiorum emergat*, cujus nominis femininum est *adolescuntula*. Sed nobis, uti diximus, sufficit *usus loquendi*, qui *alma* de *puella innupta* usurpat, seu virgo sit, seu talis censeatur, neque unquam adhibet in puella, quæ sit uxor. Intellexisse autem Isaïam, cum hæc loqueretur, « virginem parituram, » verba ejus ipsa demonstrant. Nam eodem hic loquitur modo, quo postea, cap. VIII, vers. 3, cum dicit: « Prophetissa concepit et peperit filium, » jungens *prophetissa* verbis *concepit*, *peperit*, et partum attribuens ei feminæ, quæ sit uxor, cum parit. Ergo similiter attribuit nunc partum ei feminæ, quæ sit virgo, non quæ antea fuerit. Ita omnes loquuntur; nec dicat maritus, *mea virgo peperit*, cum dicere vellet, *mea uxor peperit*, etsi uxorem suam duxerit virginem. « Lingua quoque Punica, ait Hieronymus, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo *alma* appellatur. » Aditque paulo post: « Et quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitrator *alma* in muliere nupta legisse, sed in ea quæ virgo est, ut non solum virgo sit, sed virgo junioris ætatis, et in annis adolescentiæ. » Quod vero præcipuum est, huic vocis *alma* usui hoc loco suffragatur ipsius rei indoles, atque extra dubium collocat, proponi virginem parturientem tanquam Emmanuelis matrem. Nisi enim partum miraculosum intelligas, quem Deus ipse signum non interituræ domus Davidicæ constituat, nemo dixerit quid illud sit in hac prophetia, quod sustineat locum et vicem *signi* sive *prodigii*. Par est credere, Prophetam hac voce eodem sensu uti, quo eam usurpaverat vers. 11, ubi manifeste sumitur de signo aliquo *prodigiali*, non memoriali, sive verbali, vel qualicumque alio. Quis vero *signi prodigialis*, aut miraculi loco habeat, si ex congressu viri evadit gravida, quæ virgo esse desiit? Recte Hieronymus: « Quando dicitur: *Dabit Dominus ipse vobis signum*, novum debet esse atque mirabile. Sin autem juvencula, vel puella, ut Judæi volunt, et non virgo pariat, quale signum poterit appellari, cum hoc nomen ætatis sit, non integritatis? » Gemina his habet Theodoretus in *Commentar.* ad vers. 14. Item Irenæus (*adversus Hæreses* lib. III, cap. XXI, § 6): « Quid enim magnum aut signum fieret in eo quod adolescentula, concipiens ex viro, peperisset, quod eventum omnibus quæ pariunt mulieribus? » Nec non Tertullianus *adversus Judæos*, cap. IX: « Signum aatem a Deo, nisi novitas aliqua monstrosa fuisset, signum non videretur. » Et paulo post: « Nihil signum videri possit res quotidiana, juvenculæ scilicet prægnatus et partus. » Hærent hic Hebræi, et Christiani interpretes illi, qui

lumen, et vadit : et vocavit illud, et obedit illi in tremore. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatae sunt : vocatae sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit il-

alma de nupta femina capiunt, neque quomodo sese expediant, facile inveniunt.

Jarchi, ut vidimus, signum in eo constituit, quod uxor vatis, juvenis adhuc, tempore partus corripere a spiritu prophético, et ipsa prophetis facta nomen Emmanuelis, futuram liberationem ab hostibus præsciens, filio inderet. Kimchi *sigum* facit hoc, quod nascendus puer a primo nativitatibus tempore vesciturus sit butyro et melle, cum illo iudicii discrimine, ut *dulcia* sit admissurus, rejecturus vero *amara* et insalubria. Aben-Ezra signum tum ponit in ipso nomine Emmanuelis, tum in eo quod puer, quam primum natus esset, mox vesciturus sit butyro ac melle, id enim non esse de more recens natorum. Idem recenset et rejicit simul Saadiae sententiam, signum quærentis in *partu masculino*, quem jam hoc tempore vates prædixerit. Abarbenel signum ponit tam in nomine Emmanuelis, quam in eo quod vates simul hoc tempore indicaverit Ahaso uxorem ejus, vel filiam tenellæ ætatis, nuptam tamen, jam nunc esse gravidam, et enixuram foetum. Srotius signum arbitratur fuisse illud, quod Propheta ipse congregaretur circa id temporis cum femina, quæ tum adhuc virgo esset, sed nupta Prophetæ partum ederet masculinum, qui symbolicum ferret nomen et *Emmanuelis* et *Maher-Schalah-Chasbazi*, in signum instantis liberationis. Sed quam frigide hæc omnia dicantur, quam sint exilia, et longe infra expectationem, quam Propheta magnificis verbis Ahaso et populo fecerat, unusquisque, et nobis non momentibus, sentiet ipse. Miro Steudelium, V. S. V., cum nomine *oth* recte mirabile quid denotari agnosceret (vid. not. ad vers. 11), tamen ad vers. 14 hæc scribere : « *Haalma* utrum *innuptam virginem*, an *nuptam* etiam feminam significet, in nostri loci interpretatione haud ita multum interest. Gravidam adstabat femina, nec in suum finem Prophetæ referebat, utrum *innupta* an *nupta* esset. Non quod *haalma* gravida esset aut fieret, signi loco haberi Prophetæ volebat, sed *oth* erant illi eventus, quos tenera adhuc nascituri puelli ætate civitas Judaica esset expertura. Exempli tantum loco hanc ipsam adstantem *alma* innuit; eodem jure innuere poterat quamlibet isto tempore gravidam feminam. » Ita quoque sentit H. E. G. Paulus in *Clavi ad Isaiam*, pag. 41, 48. Eam sententiam cur nostram facere nequeamus, ex iis quæ supra exposuimus apparet.

Denique minime præmittendum illud, veterem esse opinionem, inter plures pervulgatam populos, de viris insignibus, præclaris, cæteris mortalibus sapientiæ atque præstantiæ laude antecellentibus, quibus cælestis esset origo, præter communem naturæ legem matribus *virginibus natis*. Observavit id jam Hieronymus (*adversus Jovinianum* lib. I, cap. xxvi) : « Apud Gymnosophistas Indiæ quasi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, quod Budham, principem dogmatis eorum, e latere suo virgo generavit. Nec hoc mirum de barbaris, cum Minervam quoque de capite Jovis, et Liberum patrem de femore ejus procreatos, doctissima finxerit Græcia. Speusippus quoque, sororis Platonis filius, et Clearchus in *Laude Platonis*, et Anaxilides in secundo libro *Philosophiæ*, Perictionem, matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam ferunt (conf. Diogenem Laertium lib. III, *segm* II, III), et sapientiæ principem non aliter arbitrantur nisi de *partu virginis* editum. Ac ne nobis Dominum Salvatorem de virgine procreatum Romana exprobraret potentia, auctores urbis et gentis suæ Ilia virgine et Marte genitos arbitrantur. » Hujusmodi plura e Græcis Romanisque scriptoribus attulit P. D. Huetius in *De-*

las. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, etc. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, » *Baruch* III, 38.

Quid est Emmanuel? Est Jesus nostra redemptor.

monstrat. Evangel. Propos. IX, cap. IX, § 4, pag. 774 edit. Lips., et in *Quæst. Alnet.* lib. II, cap. xv, pag. 188 et seqq. Quæ vero Hieronymus ejus, quem adscripsimus, loci initio de Indorum Budha dicit, confirmantur narrationibus virorum fide dignissimorum, qui nostra memoria oras istas invisere. Ita Paulinus a S. Bartholomæo, Malabaræ Missionarius, in *Systemate brahmanico liturgico, mythologico, civili*, etc. (Rom. 1791, in-4), p. 158, Brahmanorum de Budha doctrinam exponens, hæc scribit : « Natus est ex *Maya* (ut Mercurius, quocum Budha non pauca habet communia, ex *Maia*), quæ imaginationis dea est, ex mente, ex voluntate *virgine*, et sine complexu carnali, quemadmodum filii Pandavarum apud Brahmanes per auriculam ex sole, ope orationis magicæ, et sine complexu virili nati fuisse scribuntur in libro *Sambhavam* et *Yudhisthira*. » Similia de suo *Fo*, *Fohi*, sive *Xaca* (qui nomine tantum a Budha est diversus, vide Langles Notas ad versionem gallicam *Thumbergiani Itinerarii* tom. II, pag. 162), narrat Tibetani et Sinenses. Refert ea Augustinus Anton. Georgi in *Alphabeta Tibetano* (Romæ, 1762, in-4), pag. 32 : « *Xaca*, postquam pluries in corpora transmigrasset, tandem, ut depravatos hominum mores emendaret, convolvit in uterum Lhamoghiuprul, Nymphæ omnium pulcherrimæ, et recens nuptæ regi viro Sezan. De ea prædixerant vates, et qui imperendorum nominum auctores erant, fore ut pareret filium venustissimum omnique sanctitate donatum, ipsamque propterea admirandæ pulchritudinis atque virtutis, Deam Lhamoghiuprul appellarunt. Sed antequam in novæ matris sinum reciperetur Cianciub (hoc nomen gessit in penultima incarnatione), Laharum princeps, Chiacio, tantam illius utero splendoris copiam infudit, ut ab omni fæce et coinquinatione purum reddiderit. Totus ita nitidus et pellucidus factus uterus, infantulum, quem clausum gerebat, admirabili tum corporis, tum animi fulgore micantem intuentium oculis ostendebat, quamdiu a latere dextro, nullo relicto hiatus vestigio, genitrix intacta eum in lucem effudit. » Conf. Du Halde *Descript. regni Sinensis*, vol. III, pag. 26, vers. germ., et Couplet *Confucius Sinarum Philosophus*, Declarat. Proœmial. pag. 28. Frequens est hodie apud Sinenses pulcherrimæ mulieris effigies (*Schingmuh*, id est, matrem mentis perfectæ vocat), capite fulgore radiante circumdato, infantem in ulnis gestantis, quem ex ea natum esse aiunt sine ullo virginitalis dispendio. Vide Barrow *Itinerar. Sinense*, parte II, pag. 139, vers. teuton. Vinar. 1804 edit., sive parte II, pag. 247, vers. teut. Hamburg. 1805.

Ejusdem illius opinionis vestigia deprehendimus in Græcorum Romanorumque poetarum fabulis de virgine Justitia, quæ cum olim per aurea sæcula inter homines versata esset eosque rexisset, posthac vero, mortalibus in deteriora labentibus, ad sidera evolasset, inter quæ Astrææ sive Erigones nomen gerit (vide Arati *Phænomen.* vers. 96 seqq., et versionem Germanici vers. 95 seqq., nec non Festi Aviani *Paraphrasin poeticam*, vers. 273 seqq.), reditura sit aliquando, cum in magna illa rerum omnium *Restauracione* aurea ætas ad terram redibit. Ita Manilius *Astronomic.* IV, vers. 543 seqq.

Erigone surgens, quæ rexit sæcula prisca
Justitia, rursusque eadem labentia fugit;
Alta per imperium tribuit fastigia summum,
Ductoremque dabit legum jurisque sacratum,
Sancta pudicitia divorum templa colentem.

tio, amor et desiderium, Deus creator omnium, homo in fine temporum.»

Quid est Emmanuel? Est Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens, ait S. Bernardus.

Quid est Emmanuel? Est parvulus de Bethlehem, uti cum júbilo aiebat S. Franciscus, regnans in cœlo, et jacens in præsepio.

Quid est Emmanuel? Est verbum carne vestitum, est Deus *φιλάνθρωπος*, Tit. III, 4.

Quid est Emmanuel? Est verbum vitæ, « quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo, » I Joan. cap. I, vers. 1.

Quid est Emmanuel? Est « magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, » I Timoth. III, 16.

Quid est Emmanuel? Est Elohim habitans in nobis, frater, convictor, familiaris, amicus et socius noster. Ergo, o filii Adæ! amate fratrem vestrum, osculamini Filium Deiparæ, dissuaviamini cum Emmanuele vestro, specioso forma præ filiis hominum: sed et diligite ac colite matrem ejus benedictam inter mulieres, quæ Deum vobis corporavit. Hæc est scala cœli, Domina mundi, Angelorum regina, Mater Dei.

Eodem spectat Virgilius, dum reversuræ aureæ ætatis descriptionem *Ecolg.* IV, vers. 4 seqq. ita orditur:

Ultima Cumei venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et Virgo; redeunt Saturnia regna
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo.

Sunt autem plura, in quibus Virgilianum carmen congruit cum Isaiano illo, quod cap. VII-12 continetur. Agi nunc ultimam mundi ætatem, qua exacta novus sæculorum ordo inchoaturus sit, puero aliquo nato, canit Virgilius, canit item Isaias (vers. 14.) Puer ille adscriptus erit heroibus, et orbis terrarum pacati erit regnator, apud Maronem vers. 15-17, et apud Isai. IX, 4-6, et XI, 6 seqq. Porro melior illa ætas apud Virgilium per gradus succedit, ita ut puero nato exordia (vers. 18-25, 31 seqq.), incrementa vero sua habitura sit, quando ille adoleverit (37 seqq.). Similia observa in Isaiano carmine; nam Emmanuelis partus et ætas juvenilis cadunt in ultimæ ætatis tristia tempora, quibus bella et discordiæ nondum cessarunt, Isai VII, 15, et VIII, 22 (conf. *Ecolg.*, vers. 31, 36: « Pauca tamen suberunt prisce vestigia fraudis), illo domum adulto desinent dissidia atque certamina omnia, IX, 4-6. (Rosenmüller.)

Liceat etiam indigitare dissertationem quæ in *Annalibus scientiarum religiosarum* Romæ prodiit mense septembris 1836, sub isto titulo: *Apologia S. Hieronymi, seu Explicatio vocis hebraicæ Alma, virginitatem Matris Christi prædicentis*, auctore Vercelloni, quam dissertationem etiam apud *Annates Philosophiæ christianæ* reperias, tom XVII, pag. 361 et seqq.

Porro Emmanuel fuit Θεός άνήρ, Deus vir; hinc actiones ejus a S. Dionysio, cap. II *De Divin. Nom.*, vocantur theandricæ, id est Dei-Viriles: in Christo enim triplices fuerunt actiones, scilicet primo, divinæ, ut creare et regere mundum, spirare Spiritum Sanctum, etc.; secundo, humanæ, ut comedere, fabricare, laborare, etc., in his subditus fuit matri; tertio, theandricæ, quæ partim Dei, partim hominis erant, propriæque Emmanuelis. Tales erant docere, facere miracula, creare Apostolos, omniaque opera Redemptoris. In his soli Deo Patri subditus fuit: erant enim altioris ordinis, et a solo Patre acceptæ et directæ: unde Christus eas vocat opera Patris, et parentibus eas petentibus quasi ex imperio, respondet, illas non ad parentum, sed ad Dei nutum esse faciendas. Joan. II, 4, Matth. XII, 48.

Denique nota: Non dicit: Vocabitur nomen ejus: « Nos cum Deo, » sed « Deus nobiscum. » Non enim nos Deum, sed ipse prior quæsivit nos. Sic etiam hodie ipse cupit esse nobiscum: nos sæpe eum fugimus, et ruimus in nostram perniciem. Cur enim mundi opes et voluptates tam ardentem quærimus, nisi quia, quamvis ipse venerit ut sit nobiscum, nos tamen sine eo esse volumus? Vide hic immensam Dei erga nos pietatem, et incredibilem nostram erga eum ingratitude.

Moraliter, Christus est Emmanuel, id est nobiscum Deus. Primo, realiter et corporaliter in venerabili Sacramento: ibi ergo reipsa idem mysterium peragitur, et quotidie renovatur, quod hic prædicit Isaias, quodque in incarnatione Verbi peractum est: per verba enim consecrationis vere et realiter uti transsubstantiatur panis, ita producit et quasi generatur Christus in altari, adeo potenter et efficaciter, ut, si Christus necdum esset incarnatus, per hæc verba: « Hoc est corpus meum, » incarnaretur, corpusque humanum assumeret, uti graves Theologi docent. Sacerdos ergo est quasi Virgo Deipara, præsepe est altare, parvulus Emmanuel quem parit, est Christus sub parva hostia productus per virtutem Altissimi, et per obumbrationem Spiritus Sancti. Cum ergo accedis ad altare, cogita illud vere æque ac pie dictum Thomæ a Kempis, lib. IV *De Imit. Christi*, cap. II: « Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in utero Virginis descendens, homo factus esset; aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur et moreretur. » Ideo enim Christus nasci voluit, vocarique Emmanuel, quia jugiter nobiscum esse, manere et versari volebat in Eucharistia. Deliciæ enim ejus sunt, esse cum filiis hominum.

Secundo, per providentiam, custodiam et gubernationem; sicut enim rex in toto regno, quousque eminens regit et administrat, ita Christus est in tota Ecclesia, quam e cœlo regit et moderatur.

Tertio, per suos vicarios Episcopos et sacerdo-

Christus est Emmanuel quintupliciter. Primo.

Secundo.

tes, quibus dixit ipse : « Pasce oves meas; » et : « Qui vos audit, me audit. »

Quarto, per S. Evangelia, aliosque similes libros, figuras et imagines, per quas ipse se assidue menti nostræ objicit, et in memoria nostra vivit, ut viva ejus vestigia et virtutum exempla sequamur.

Quinto, per suam opem, gratiam, illuminationem, consolationem, corroboracionem et protectionem assiduam : ipse enim tentatis et afflictis peculiariter adest, eosque consolatur et confortat, sicut promisit, dicens : « Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. » Ita affuit S. Stephano, qui proinde læte atque intrepide lapides excepit dicens : « Ecce video caelos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei; » et : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum. » Sic in naufragio et alias sæpe affuit et apparuit S. Paulo et S. Petro e carcere fugienti dicens : « Vado iterum crucifigi; » itaque eum in carcerem reduxit, et ad crucem ac martyrium direxit. Exstat sacellum in loco ad rei memoriam erectum juxta Romam, quod sæpius video et visito. Ita visibiliter S. Antonio et multis aliis affuit : invisibiliter omnibus Martyribus patientibus, laborantibus et certantibus pro sua gloria adest. Hoc certum est, hoc fixum nobis esse debet, nostramque spem et animos acuere, ut dicamus cum Paulo : (Deus est) « qui triumphat (triumphare facit) nos in Christo; » et : « Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus; » et cum Habacuc, capite III, vers. 18 : « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea; et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem. » Si ergo acris insurgat tentatio, si dæmon, si melancholia, si ira, si cupiditas, si amici, si inimici ingruant, Emmanuelem cogita, eum invoca. Ipse est *el*, id est fortissimus, qui tuam infirmitatem roborabit, ut facile omnia adversa, omnia terricula, quin et tormenta superes : virtus enim ejus et gloria in nostra infirmitate perficitur. Si ergo Emmanuel, si Deus nobiscum, quis contra nos?

15. BUTYRUM ET MEL COMEDET, UT SCIAT REPROBARE. — *Primo*, Abulensis, *tract.* in hæc verba : « Ecce virgo concipiet : » Hisce verbis, inquit, significat Isaias quod Christus qua homo futurus sit valde prudens et intelligens, et ad hujus indicium additur esus mellis et butyri, quæ solent homines facere valde acutos et intelligentes. Sed hæc carnalium Rabbiorum est sententia, licet eam Joannes Huartus medicus in *Examine ingeniorum*, multis argumentis physicis conetur assequere.

Secundo et recte S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, Bernardus, mox citandi, censent hisce verbis Isaiam tantum significare hunc divinum puerum non fore phantasticum, ut voluerunt Manichæi, sed fore verum hominem similem aliis

infantibus, et infantilibus cibis nutriendum, *q. d.* : Eo se demittet Deus natus ex virgine, ut instar infantis melle et butyro indigeat, iisque vescatur; idque ad hoc, « ut sapientia Dei infantie humanæ lactescat; » ut ait quidam Doctor. Alludit ad cibos quibus alebantur infantes in Judæa, quæ ita lacte et melle abundabat, ut dicatur sæpe manare lacte et melle. Hic ergo puer butyrum et mel comedet, idque ut sciat reprobare malum, id est ita ut, quando esuriet cibos, gustu possit discernere, item sensim quasvis res alias per experientiam, bonæne sint an malæ, *q. d.* Puer hic cibo congruo aletur, crescet et adolescet in robur et ætatem maturiorem, qua acquisita per scientiam experimentalem sciet discernere, non tantum cibos, sed et res quasvis bonas a malis. Ita S. Basilius, Hieronymus, Cyrillus, Chrysostomus hic, et S. Justinus, *Dialog. Contra Tryphon.*, et Augustinus, lib. VIII *De Genesi ad litt.*, cap. XIV, et alii. Addunt Isidorus Clarus et Delrio, *adagio* 693, significari Christum ut puerum, electurum dulcia, et amara repudiaturum. Hebræi enim per mel omnia dulcia designant, ut saccharum, uvas, ficus, dactylos omnesque fructus dulces et mellitos, uti notant R. David et Genebrardus, in *Psalm.* LXXX, 17, et Prado in *Ezech.* XVI, 13. Sic Judæa dicitur terra fluens lacte et melle, id est fructibus dulcibus et sapidis instar mellis. Hinc de ea dicitur *Deut.* XXXII, 13 : « Ut sugeret mel de petra. » Et Martialis, lib. VII, in malum poetam ait : « Infanti melimela dato, » id est, dulces fructus. Perperam ergo recentiores aliqui sic exponunt, *q. d.* Christus, ut cæteri pueri, morbis puerorum erit obnoxius. Solent enim pueri cum dentescere incipiunt, dolere et infirmari; cui malo adhibendum mel et butyrum suadent medici, ut Galenus, lib. X *De Medic. simplic.* cap. X, et Plinius, lib. XXVIII, cap. XIX. Perperam, inquam; nam Christus per omnem vitam nulli morbo fuit obnoxius, sed sano robustoque semper corpore, uti passim docent Theologi cum D. Thoma, III parte, *Quæst.* XIV, art. 4.

Porro mel non tantum cibum esse puerorum, sed et ad sanitatem tuendam, ac ad longævitatatem valere, docent physici et experientia. Ita senex ille validus rogatus, quo medio ad tantam tamque robustam senectutem pervenisset : « Melle, inquit, intra corpus, et extra oleo utendo (1). »

(1) Phrasi « reprobare malum et eligere bonum, » ubi de infantibus dicitur, significatur illud tempus tenellæ ætatis quo infans jam puerascens uti incipit ratione ir discernendis bonis et malis, utilibus et noxiis. Patet ex *Deuter.* I, 39 : « Et infantes vestri tenelli, de quibus dixistis, et filii vestri, qui nondum norunt bonum et malum. » Conf. *Joan.* IV, 11. Hieronymus qui vertit : « Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum, » videtur particulam *ut* sumpsisse pro *quamvis*, quod est apud Latinos frequens, hoc sensu : Quamvis Emmanuel perfectam habeat in corpore infantili sapientiam, excedatque infinitis spatiis aliorum infantium capacitatem, illorum tamen instar butyro pascetur ac melle. Sic

Quinto
Deus suus
adest per
opem.

Exem-
pla.

Vers. 15.
Butyrum
et mel
comedere
quid?

Hinc symbolice lac significat maternitatem et fecunditatem (hujus enim est effectus et signum) B. Virginis; mel virginitatem, mel enim prodit ex apibus quæ sine conjunctione corporum generantur; hinc de B. Virgine dicitur *Cant. iv, 14*: « Mel et lac sub lingua tua. » Licet enim de generatione apum variæ fuerint opiniones, et nonnulli eas ex maris et feminæ congressu gigni censuerint, eaque de re dubitet Plinius, lib. XI, XVI; tamen communis pene sententia est apes esse virgines, eo quod nunquam congredi sint visæ, uti fatetur Plinius; ac proinde eas sexu carere, nec alias esse feminas, alias mares: sed ex seipsis ponere ovum, vel semen, illudque fovere et excludere, ut ex illo primo nascatur vermiculus, deinde apicula, quæ nympa dicitur. Ita censent Aristoteles, lib. *De Generat. animal.*, cap. x; Virgi-

enim ille in Commentario ad hunc locum: « Ne eum putes in phantasmate nasciturum, cibus utetur infantia, butyrum comedit et lac. Et licet hoc dicatur, ut veritas humani corporis approbetur, tamen adhuc pannis involutus, et butyro pastus ac melle, habebit boni malique iudicium, ut reprobans mala, eligat bona. Non quod hoc fecerit, aut reprobaverit, vel elegerit, sed quod scierit reprobare et eligere, ut per hæc verba noscamus infantiam humani corporis divinæ non præjudicasse sapientia. » Nugantur, qui hoc versu vatem volunt transire ad aliud quod vocant, subjectum, et postquam vaticinatus esset de Emmanuele, mox demonstrare digito vel gestu aliquo filium suum Schear-Jaschub, quem secum duxisse vates narratur supra, vers. 3, et hunc producere in signum liberationis Ahaso promissæ, ut sensus sit: « Butyrum et mel comedit, » non Emmanuel, sed filius hic meus, Schear-Jaschub, ad quem et referunt ea quæ vers. 17 dicuntur. Eam sententiam peculiari scripto defendere et commendare studuit Joan. Dan. Gottl. Herrius, in *Dissertat. (Præfat. Guil. Christ. Just. Chrysandro defensa) de eo quod justum est circa distinctionem Emmanuelis et Schear-Jaschubi, vindicans verum sensum oraculi prægnantis Isaia, vii, 14, 16, 17.* Helmstad. 1750, in-4°. Verum est perquam durum et violentum, ad aliam personam quæ hic et vers. 16 leguntur referre, cum nullum subjectum aliud ab Emmanuele distinctum hic memoretur; id quod argumenti est, prædicata ad superius et proximum referenda esse; nec est ulla necessitas tale quid fingendi, si nostram hoc vaticinium interpretandi rationem sequaris. Pluribus illam sententiam refutarunt Casp. Jac. Hutherus in Prographo quod inscribitur: *Emmanuel butyro vesciturus ac melle, Isaï. vii, 15*; Erlang. 1750, in-4°; et Joan. Ehrenfr. Pfeiffer, in Prographo: *Emmanuel non geminus, sed unicus*, Erlang. 1761, in-4°.

(Rosenmuller.)

Antiquis mos erat nutrire primulum infantes melle et lacte (*Epist. S. Barnabæ*). Hæc consuetudo apud Græcos obtinebat a retroactis temporibus. Narrat Homerus Venerem orphanas Pandari filias caseo, melle et musto nutritur (*Odyss. cant. XX*). Diodorus refert Jovem a nymphis nutritum fuisse lacte capræ Amalthææ, et melle apum montis Idæ. Dydimus a Lactantio citatus refert et ipse, Metisseum, Cretensem regem duas filias habuisse, unam Amalthæam nomine, alteram Melisseam, quæ Jovem cum lacte caprino et melle aluerunt, unde nata fabula de apibus montis Idæ et capræ Amalthææ. In codice Menou judici legislatoris videmus etiam quod statim nato infantulo, gustandum dabatur paululum mellis et butyri diluti, *De Institut. Menou* a D. Haughton, Londini, 1825.

lius in *Georg.*; S. Ambrosius, S. Gregorius, Prudentius, Albertus Magnus, Scaliger et alii, quos citat et sequitur Ulysses Aldrovandus, lib. I *De Insectis*, cap. *De generatione apum*.

Symbolice quoque Richardus de S. Victore, lib. I, part. I *De Emmanuele*, cap. XIV: « Si Dominus, inquit, Angelorum propter homines comedendo et hibendo factus est particeps jumentorum, cur e converso homo propter ipsum non multo magis fiat particeps Angelorum? Butyrum, inquit, et mel comedit; cur non potius panem et carnem dicit? quid sunt mel atque butyrum, nisi deliciae muscarum? et certe hoc immundarum, illud venenosarum. Nam apes aculeum portant, et venenum habent. Et vide quomodo pro melle laborant ac pugnant, ita ut sæpe et animas in vulnere ponant. Et muscæ lacti se ingerunt et immergunt, modo et vitam deponunt. Emmanuel itaque noster butyrum et mel comedit, et propter nos ad muscarum participationem descendit. Siccine Deo parum fuit propter homines participare cum jumentis, nisi participaret propter nos etiam cum muscis? »

Mystice, idem ibidem, part. I, lib. II, cap. XXI: « Mel, inquit, de cælo venit mediante rore, butyrum de carne mediante lacte: quid est enim butyrum, nisi quædam pinguedo lactis? et quid est mel, nisi quædam dulciflua crassitudo roris? In lacte intelligitur cordis dulcedo, in butyro cordis exsultatio: butyrum de lacte colligitur, et vera cordis exsultatio de vera cordis dulcedine generatur. Juxta abundantiam benignitatis erit et abundantia jucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nullum cor corde illo uberius exsultavit. » Unde cap. XXIII et XXIV, docet quod a Patre et Spiritu Sancto dulcedo omnis gratiæ, consolationis et gloriæ instillata sit nostro Emmanuele, ab hora conceptionis ejus.

Tropologice, S. Ambrosius vel quisquis est auctor lib. posterioris *De Fide resurrectionis*, initio: « Replebitur, ait, puer Spiritu Sancto, cujus doctrina nobis melle et favo est dulcior; mel enim sapientiæ est symbolum, *Proverb. xxiv, 13*; lac innocentia. » Unde Homerus viros justos vocat γαλακτοφάγους, id est lacte vescentes, teste Clemente Alexandrino lib. I *Pædag.* VI. Et id mystice innuitur hic vers. 22, teste Chaldæo, hoc est quod ait Christus, *Matth. xi, 28* et seq.: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. »

Pulchre S. Bernardus, serm. 2 *De Adventu*: « In hac, ait, ove, scilicet Christo, reperies naturam dulcem, naturam bonam, et bonam valde quasi butyrum, non autem coagulum aut caseum peccati. Sic et Christus est apis quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum; unde et ad Nazareth quæ interpretatur flos, ad florem virginitatis Mariæ advolavit, nobisque tantum mel misericordiæ attulit; sed aculeum impiis in die iudicii reservavit. »

Mel et
Lac olim
in baptis-
mo da-
bantur,
cur?

Hac de causa olim recens baptizatis, et alba veste indutis dabatur lac et mel (idem etiamnum faciunt Æthiopes, ut patet ex eorum Rituali, tom. IV *Biblioth. SS. Patrum*), ut significaretur *primo*, eorum infantia in Christo; *secundo*, vitæ Christianæ suavitas; *tertio*, humilitas et mansuetudo infantilis. Unde et primo Sacro quod ipsi audiebant, scilicet sabbato Dominicæ in albis, recitabatur illa epistola B. Petri: « Quasi modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite. » Ita Tertullianus, lib. I *Contra Marc.*, cap. XIV: « Mellis, inquit, et lactis societate suos infantat » creator Deus; et lib. *De Corona militari*, cap. III: « Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus. » Ita et S. Hieronymus in cap. LV *Isaiæ*. Hinc et S. Agnes dicebat: « Mel et lac suscepti ex ore ejus. »

Denique Origenes, *hom. 2 in hæc Isaiæ verba*: « Emmanuel, inquit, butyrum et mel manducat, et quærit ab unoquoque nostrum butyrum manducare. Quomodo a singulis nostrum butyrum quærit et mel, sermo edocebit. Opera nostra dulcia, sermones nostri suavissimi et utiles, mella sunt, quæ manducat Emmanuel, quæ manducat iste qui natus est de virgine. Si vero sermones nostri amaritudine pleni sint, ira, animositate, molestia, turpiloquio, vitiiis, contentione, dedit in os meum fel, et non comedit ab his sermonibus Salvator. Comedet autem Salvator de sermonibus qui sunt apud homines, si fuerint sermones eorum mel. Approbemus hoc de Scripturis: Ecce sto ad ostium et pulso: si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum, et cœnabo cum illo, et ille mecum. Igitur ipse pollicetur se ex nostris cœnaturum nobiscum esse: certum est autem, quia et nos cum illo cœnamus, si cœnemus illum. Comedens quippe de nostris bonis sermonibus, operibus et intellectu, repascit nos suis escis spiritalibus, et divinis, et melioribus. Propterea, quia beatum est suscipere Salvatorem, apertis ostiis principalis cordis nostri, præparemus ei mella et omnem cœnam ejus, ut ipse nos ducat ad magnam cœnam Patris in regno cœlorum, quæ est in Christo Jesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. »

Calvinus
Christi
infantie
admit-
tens
usum ra-
tionis.

UT SCIAT REPROBARE MALUM. — Calvinus hic ex hoc versu et sequenti contendit animam Christi tempore infantie caruisse usu rationis atque intelligentiæ. « Et de hac, ait, Christi ignorantia testatur Lucas, dum ait: Et proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. Oportuit ergo ipsum ad tempus similem esse pueris infantibus, ut quoad humanitatem intelligentia destitueretur. » Calvino consentiunt Bucerus et Wittakerus.

Refellit-
tur
primò.

Verum hic error refutatur *primo*, ex *Jeremiæ* cap. XXXI, vers. 22: « Femina, ait, circumdabit virum. » Fuit ergo Christus in utero vir non mole corporis, sed sapientia et gratia.

Secundo.

Secundo, ex *Isaiæ*, cap. IX, vers. 6, ubi parvu-

lus hic vocatur, « Admirabilis, Consiliarius; » et, ut Septuaginta vertunt, *magni consilii Angelus*. Et cap. XI, vers. 1: « Egredietur, ait, virga de radice Jessa, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, » etc. Flos ascendens ex virga est Christus nascens ex Virgine: super florem ergo, non tantum super fructum, hoc est super Christum infantem, non virum tantum, requievit spiritus sapientiæ.

Tertio, ex S. Paulo, *Hebr. x*, 5: « Ingrediens, ait, mundum dicit, » utique Christus Jesus in die et hora qua Verbum caro factum est: « Hostiam et oblationem noluit; corpus autem aptasti mihi: holocaustinata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. » Demum subjungit Apostolus: « In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. » Ergo Christus ab initio suæ incarnationis habuit actum actionis et voluntatis, quo se suamque mortem obtulit Patri pro hominum redemptione. Rursum primo instanti conceptionis Christi, inhabitavit « in eo plenitudo divinitatis corporaliter, » ergo et tunc « omnes thesauri sapientiæ et scientiæ (in eo fuerunt) absconditi, » ut ait idem Apostolus, et S. Lucas, cap. II, vers. 40: « Puer, ait, crescebat, et confortabatur plenus sapientia. » Hæc enim plenitudo sapientiæ, æque ac gratiæ et gloriæ debebat ei ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo, ex eaque quasi naturaliter manabat.

Quarto, S. Joannes Baptista in utero sanctificatus pollebat usu rationis; unde et « exsultavit infans in utero » mox ut B. Virgo salutavit matrem Elisabeth: de quo canit Ecclesia:

Ventris abstruso recubans cubili
Senserat regem thalamo manentem.
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit.

Quod datum est Joanni, non datum est Christo?

Quinto, S. Hieronymus hic: « Adhuc, inquit, pannis involutus, et butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium, ut per hæc verba noscamus, infantiam humani corporis divinæ non præjudicasse sapientiæ. » Ita et cæteri Patres, Interpretes, et Doctores Scholastici cum S. Thoma, qui præter scientiam divinam, quam Christus habuit qua Deus, eidem qua homo fuit, in primo incarnationis instanti duplicem tribuunt scientiam: *primo*, beatificam, puta visionem Dei et rerum omnium in Deo; *secundo*, infusam, qua extra Deum per lumen infusum omnia cognoscebat: addunt *tertiam*, acquisitam, qua Christus per experientiam didicit expertusque est eadem, quæ jam sciebat per scientiam infusam. Vide D. Thomam et *Scholast.* III parte, *Quæst. X*, XI, XII. Et de hac tertia loquuntur hic Isaias et S. Lucas. Sensus ergo est, « ut sciat reprobare malum, » etc., *q. d.* Quod ironice dictum est Adæ post peccatum, *Gen. III*: « Ecce Adam quasi unus »

ex nobis factus est, sciens bonum et malum, » id de Emmanuele vere dicitur.

Secundo, S. Hieronymus, Haymo et S. Thomas vocem *ut* accipiunt pro *quamvis*, *q. d.* Hic puer erit sapientior aliis pueris, scietque reprobare malum, et eligere bonum; et quamvis erit talis, tamen more aliorum butyrum et mel comedet. Huc accedunt Vatablus et Adamus, qui *ut* accipiunt comitanter, *q. d.* Hic puer ita comedet quasi infans mel, ut tamen simul sciat reprobare malum: erit enim Verbum infans, puer sapiens. Sed Hebræum, *lamed* significat *ut*, non *quamvis*.

Tertio, S. Thomas *ut* accipit causaliter et antecedenter, *q. d.* Hic puer comedet ut crescat ad adultam ætatem, in qua per experientiam discet et sciet reprobare malum, et eligere bonum, quod antea tantum sciebat per scientiam infusam. Unde Septuaginta pro *ut* vertunt, *antequam sciat*, etc.

Quarto, et planissime, Sanchez *ut* accipit pro *usque dum*; unde Chaldæus vertit, *donec*: hoc enim significat Hebræum *lamed* in *לדוהו ledato*, *q. d.* Emmanuel vescetur infantilibus cibus, melle et butyro, usque dum in illam ætatem crescat et adolescat, qua pueri solent separare et discernere inter bonum et malum, *q. d.* Non tantum nascetur Emmanuel, sed et nutrietur ac crescat ut alii pueri ad adultam ætatem.

Moraliter S. Bernardus, serm. 3 *De Nativitate*, hinc infert: Malum ergo est voluptas corporis, sic et laus, et honor; bonum vero est afflictio, contemptus et opprobria, quia hæc elegit, illa reprobavit puer sapiens, Verbum infans. Aut enim Christus fallitur, aut mundus errat: sed divinam Sapientiam falli est impossibile; errat ergo mundus; errant ergo omnes mundani et vanitatis sectatores, juxta illud psalmi: «Dixi: Semper hi errant corde:» Christus vero, qui est via, veritas et vita, docet verbo et exemplo quid vere sit bonum, quid malum, quid fugiendum, quid amplectendum ut beatam vitam assequamur. Utinam hoc digne, uti par est, ponderent, cordi imprimant et moribus expriment omnes Christiani! In hoc enim discursu ejusque praxi latet medulla sapientiæ Christianæ. Ratio est, quia voluptas concupiscentiam naturæ corruptæ accendit, crux exstinguit.

16. QUIA ANTEQUAM SCIAT PUER REPROBARE MALUM, ET ELIGERE BONUM, DERELINQUETUR TERRA QUAM TU DETESTARIS. — *Tò quia*, juxta secundum sensum datum, vers. 14, exponendum est per *quod*; secundum vero primum sensum exponendum est per *sane, certe, verum enim vero*: hoc enim sæpe significat Hebræum *ki*, *q. d.* Verum enim vero ut confirmem promissionem meam de liberanda Jerusalem a manu Rasin, insuper assero et promitto quod, antequam puer iste nascatur et adolescat, ipse, qua Deus est, liberabit Jerusalem et Judæos a duobus regibus, quos tu, o Achaz! adeo perhorrescis, imo terram et regnum eorum per Assyrios omnino desolabit. Ita S. Hieronymus et

Haymo: vide dicta vers. 14: reedit enim Isaias a Christo puero ad sua tempora. Rursum *quia* innuit causam cur vocandus sit puer hic Emmanuel, id est nobiscum fortis, quia scilicet duos reges, et regna hostilia fortiter debellabit et desolabit.

Mystice, Richardus de S. Victore, part. I, lib. II *De Emmanuele*, cap. XVIII: Antequam, ait, puer per experientiam sciat non solum mala reprobare, verum etiam bona eligere, et inferioribus bonis sepositis optima apprehendere; antequam, inquam, ad cælos ascendat, «derelinquetur terra,» id est regnum diaboli et angelorum ejus in terra destruetur: hoc enim fecit Christus in passione, illud in ascensione.

A FACIE DUORUM REGUM SUORUM. — Id est a duobus regibus suis, vel propter scelera duorum regum suorum derelinquetur eorum terra. *Secundo*, Vatablus refert hæc ad *detestaris*, *q. d.* «A facie,» id est propter duos reges qui te obsidero et excindere cogitant, tu, o Achaz! eorum terram et regnum detestaris. Loquitur de strage Rasin et Phacee. Rasin enim ab Assyriis, Phacee ab Osæ præfecto et successore occisus est, ut patebit cap. VIII. *Secundo* nove (sed proprie ad Christi tempus) R. P. Joannes Deckerius insignis Chronologus æque ac Theologus, et meus olim Lovanii collega, per regem Samariæ intelligit Herodem; per regem Syriæ, Obodam: sub his enim regibus natus est Christus, eosque adhuc infans regno et vita spoliavit. Herodes enim misere mortuus est, et vix quindecim mensibus vixit post natum Christum; Oboda obiit paucis mensibus ante Herodem, teste Josepho, libro XVI, cap. XIX, et Strabone, libro XVI *Geographiæ*. Unde signanter ait: «Derelinquetur terra a facie regum,» non istorum, scilicet Rasin et Phacee, sed «suorum» (vel, ut Symmachus, Aquila, Theodotion et Chaldæus vertunt, *ipsius*), scilicet Herodis et Obodæ, quorum typus et antecessores fuerunt Phacee et Rasin. Hi enim reges, ac præsertim Herodes, fuerunt hostes Judæorum, conatque sunt regiam stirpem Davidis et Achaz extinguere. Quocirca Herodes, licet Judææ et Hierosolymæ quoque rex esset, vocatur tamen rex Samariæ tum ab Isaia, tum ab Appiano Alexandrino, lib. V *Bellor. civil.*, eo quod esset alienigena et Judæorum tyrannus et hostis, uti patuit tum in infanticidio SS. Innocentium, tum in crudeli illo decreto quo moriens jussit primores Judæorum in circo conclusos occidi, ne Judæi in morte ejus gauderent, sed cogèrentur vel inviti plorare ob suorum stragem. Sensus ergo est, *q. d.* Hi reges, ac præsertim Herodes sataget Judææ regnum a tua, o Achaz! stirpe ad se transferre, tuosque posteros evertere; sed ecce Emmanuel ex te nasciturus, adhuc infans celeriter eum evertet, et pediculari morbo interimet, itaque regnum Judææ ad se tuamque stirpem revocabit, augebit et illustrabit. Alludit ergo Isaias ad Herodis infanticidi-

Morale,
voluptas
est mala,
quia
Christus
eam spre-
vit.

dium, asseritque quod Emmanuel infans infanticidam Herodem, a quo quærebatur ad necem, superabit et occidet. Hunc sensum quoque esse litteralem patebit, cap. VIII, vers. 4.

Ubi nota apte Phacee fuisse prodromum et typum Herodis : uterque enim fuit maleficus et injustus : armis uterque optimus, moribus pessimus : tyrannico ambo præditi ingenio ; concussionibus et rapinis, suorumque civium viscerationibus assueti ambo inexplebili dominandi cupidine laborantes contra dominos suos insurrexerunt : Phacee contra Phaceia regem Israel eum occidendo ; Herodes non tantum contra Christum, sed et contra Hyrcanum regem suum et pontificem, a quo dux Galilææ fuerat creatus ; et cujus neptem Mariamnem conjugem duxerat : per quam postea accessus illi fuit ad regnum Judææ. Sed homo ingrattissimus et crudelissimus hanc conjugem suam, ejusque matrem Alexandram, duosque filios a se ex ea susceptos, quos annuente Augusto Cæsare, regni statuerat hæredes, Alexandrum et Aristobulum interemit. Alterum quoque Aristobulum Mariamnes fratrem aquis præfocavit. Rursum Antipatrum filium suum quinto ante mortem suam die interfecit. Taceo SS. Innocentes, et alios innumeros, quos vario supplicio, ferro, veneno, laqueo sustulit. Simili modo Phacee occidit de Juda 120 millia die uno, cepit ducenta millia mulierum et puerorum, ac infinitam prædam abduxit in Samaria, lib. II *Paralip.* cap. XXVIII, vers. 6.

Sic Rasin rex Damasci prædationibus assuetus, elatus victoriis, Hierosolymæque inhians, typus fuit Obodæ regis Damasci, qui Arabiam fecerat latronum receptaculum, qui effusi per agros Judæam assidue infestabant. Quin et Aretas Obodæ in regno successor Judæis infestus fuit. Rursum sicut rex Assyriorum, cæsis Rasin et Phacee, occupavit regnum Damasci et Samariæ : ita mortuis Oboda et Herode, Augustus Cæsar utriusque regnum quasi spoliū occupavit, et ad se revocavit ; unde et Samaria Sebaste in honorem Augusti est appellata : et licet Augustus regnum Herodis inter filios diviserit, regum tamen nomen et jus eis ademittit. Sic in Syria diu noluit ut Obodæ Aretas succederet : tandem tamen ei regnum hoc concessit. Hic est ille Aretas, cujus præfectus Damasci S. Paulum comprehendere voluit, cum ille per sportam e muro demissus manus ejus evasit, II *Corinth.* XI, 32.

Ex dictis liquet illud patriarchæ Jacob vaticinium, *Genes.* XLIX, 9, litteraliter de Juda, allegorice de Christo editum : « Catulus leonis Juda : Ad prædam, fili mi, ascendisti ; » non ad virilem tantum Christi spectare ætatem, sed etiam infantilem. Nam agnus ipse anniculus cornua producens et ungulas, leonem et ursum occidit, et exemplo patris sui David de ore illorum prædam extorsit. Sagittæ parvuli factæ sunt plagæ illorum, quarum indignatio ebibit spiritum ipsorum. De-

nique completum est oraculum, *Michææ* IV, 13 : « Cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas ; et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ. »

Secundo, liquet falso Calvinum hæc Isaïæ verba sic interpretari : « Priusquam pueri qui mox nascituri sunt adolescant, utrumque regnum Samariæ et Damasci suis est privandum regibus. » Neque enim adolescentiam, quæ late evagatur, suæ prædictionis limitem figit Propheta, sed infantiam, et antequam Emmanuel verba sonare possit articulata.

Tertio, liquet falli Eusebium, qui putat hic prædici a Propheta, quod Damascus et Samaria paulo ante Christi ortum sublatis regibus relinquentur desertæ et sine rege. Nam constat Christo nascente Herodem regnasse in Samaria, Obodam in Damasco, et post Obodam Aretam.

17. ADDUCET DOMINUS SUPER TE. — Hic transit Propheta a Rasin et Phacee ad Achaz et Judæos, eorum incredulitatem et scelera pari excidio plectit, juxta illud quod eis, vers. 9, comminatus est : « Si non credideritis, non permanebitis. » Sensus ergo est, *q. d.* Prædixi excidium Syriæ et Samariæ per Assyrios ; nunc idem tibi, o Juda ! prædico, scilicet quod adducet Dominus super te dies inauditæ ultionis, quales non es experta in tot cladibus, quot passa es a tempore quo Ephraim, id est decem tribus sub Jeroboam se a te separarunt : « Adducet, inquam, cum rege, id est per regem Assyriorum (est hyperbaton : *ò* enim *cum rege Assyriorum*, referendum est ad *adducet*), quem tu ipse tibi in flagellum adscivisti ; cum enim pressus a Syris et Samaritis, non Dei, sed ejus opem implorasti, ipse videns fertilitatem tuæ terræ, illa inescatus, eidem inhiare cœpit, tandemque invasit et occupavit.

Per regem Assyriorum accipe Sennacherib, vel Nabuchodonosorem, qui eversa Ninive factus monarcha, Assyriis æque ac Babylonis dominabatur : et Babylonii vicini erant Assyriis, eisque permixti : unde a multis eadem ponitur monarchia Assyriorum et Babyloniorum, et utrique Judææ opibus degustatis, illis inhiarunt. Ita S. Hieronymus (1).

(1) Hieronymus : *Cum rege Assyriorum*, et in Commentario : « Locus iste per hyperbaton legendus est, et nos secuti Hebraicam veritatem ita eum interpretati sumus : O domus David, ausculta quæ dico : ut derelinquatur terra Syriæ et Samariæ a facie regum duorum, quos tu vehementissime reformidas, adducet Dominus dies super te, et super domum patris tui David, quos nunquam habuisti ex eo tempore quo decem tribus a duabus tribubus separate sunt, et regnum in Samaria habere cœperunt. Adducet autem istos dies, id est tempora, cum rege Assyriorum, ut illis superatis atque subversis tu Emmanuelis præsentia libereris. Aliter : Interim nunc duo reges, Rasin et Phacee, qui te obsident et vastare festinant, brevi tempore subvertentur : tuæ autem vastationis tempus illud adveniet, quando, quod nunquam speraveras,

18. SIBILABIT DOMINUS, — *q. d.* Sicut sibilo con-
vocate ab apiariis muscæ et apes celeriter advo-

imo nunquam metueras, Assyrius venerit. Per quæ docet
domui David non Syriam et Samariam, sed Assyrios esse
metuendos. Præsenti ergo formidine liberat, et de futuro
tempore comminatur. » Neque tamen quæ vates ab As-
syriis Ahaso ejusque genti obventura denuntiat mala,
unquam ei accidisse legimus. Si quis enim clades, quas
Judæi ab Assyriæ regibus sub Ahaso, Hiskia et Manasse
quoque acceperunt, conferat cum malis quæ perpessi sunt
post discessionem decem tribuum, ab Ægyptiis eorum-
que rege, Sesako, sub Rehabeamo (II Chronol. xii, 2-12),
a Philistæis et Arabibus sub Joramo, Josaphati filio
(II Chronol. xxi, 16, 17), a Syriis sub Joaso (II Chronol.
xxiv, 23), deprehendet singulas graviorese esse, quam quæ
illatæ eis sunt vel a Tigliath-Pulassare, sub Ahaso, vel a
Sanheribo, sub Hiskia, vel ab Assarhadone, sub Manasse.
Tiglath-Pulassar enim simpliciter afflixisse Ahasum dici-
tur (II Chronol. xxviii, 20), vel arctasse, et expressisse
ei grave tributum; Sanheribus occupatis Judææ urbibus
et vastatis agris, magnum regi et Hierosolymitanis in-
cussit terrorem (II Chronol. xxxii, 1, 2; Isai. xxxvi, 1, 2
seq.), sed repressus a potentiore Dei manu a consiliis et
ceptis coactus est desistere, et in Assyriam reverti; Assar-
hadon Manassen quidem cepit (sed extra Hierosolymam), et
abduxit Babylonem. mox rursus liberandum (II Chronol.
xxxiii, 11); sed eæ calamitates non sunt graviorese illis
quas modo recensuimus, ut historiam legenti patebit.
Imo expeditio terribilis, quam Zerah, Cuschæorum seu
Arabum imperator, sub Asa (II Chronol. xiv, 8, 9), et
Ammonitæ, Philistæi, gentesque conterminæ sub Josa-
phato (II Chronol. xx, 1), cum numerosissimis copiis
adversus Judæam susceperunt, non minorem terrorem
sparserunt quam Sanheribus, ne jam de magnis illis cla-
dibus, quibus subinde Judæi affecti sunt ab Ephraimitis,
sive Israelitis, gentilibus suis, quidquam memoremus.
Quæ cum recte perspexisset Vitringa, ei vero, ut cæteris
omnibus suæ ætatis interpretibus, hæc alte infixæ esset
persuasio, singulis vatum Hebræorum effatis certos res-
pondere eventus, ne nostrum oraculum suo careat exitu,
eo confugit ut Nebucadnezarem, Chaldeorum regem,
qui Judaicum regnum evertit, terramque vastavit inco-
lisque exhaust, Assyriæ regibus accenseret. Verum si
demus etiam, latius nonnunquam Assyriæ nomen tam ab
Hebræis quam ab exteris scriptoribus usurpari pro Baby-
lonia ipsaque adeo Media et Perside (ut Esdr. vi, 22),
nihil tamen inde lucrabitur Vitringa. Neque enim post
aliquot sæcula quæ hic minatur vates, dicit futura esse,
sed ipsum illum, ad quem tunc loquebatur, Ahasum illa
experturum esse diserte ait, dum his verbis utitur: « Ad-
ducat Jova super te, tuumque populum, domumque
tuam patriam, talia tempora qualia antea non fuerunt. »
Cæterum verba cum rege Assyriorum Hubigantius existi-
mat non esse Isaïæ, sed alius cujusdam, qui illa ad mar-
ginem scripserit, ut explicaret quenam esset *apis in terra
Assur*, de qua mox vers. 18, postea vero a margine in
contextum allata. Refutatis veteribus horum interpreta-
tionibus ita pergit: « Quod si vero ita convertas: *Addu-
cet Dominus contra te dies... regem Assur*, nemo non videt
incommodè venire post *dies*, personam regis Assur, neque
unum esse posse alterius *appositum*. Deinde non convenit
nominari *Assur*, antequam ideam per similitudinem dica-
tur: *Apis terræ Assur* (uti vers. 18 præcedit *muscæ Ægyp-
tiacæ* mentis); ut neque eum in fine sententiæ unum
nominari, quoniam *dies Judæ mali* futuri erant, nou
modo propter regem Assur, sed etiam propter Ægypti
regem, vers. 18. » Hubigantii rationibus moti Seckerus,
Lowthus, Gesenius et alii, verba cum rege Assyriorum
pro nota a margine in contextum invecta habent. Nec

lant (1), sic et hic ad imperium, id est nutum et
instinctum, Dei volentis punire Judæos, statim
quasi lietores accurrent Ægyptii et Assyrii. Sibile
tantum Dei erit opus ut advolent in Judæam.

Nota, primo, sibilum hunc Dei non fuisse reve-
lationem aliquam peculiarem Assyriis et Ægyptiis
factam, sed tantum internum stimulum et inspi-
rationem Dei, excitantis scilicet eos ut bello pe-
terent Judæos, si juste id poterant, puta si justam
belli habebant causam: sin autem, objicientis tan-
tum eis paratis quosvis invadere (ad augendos
suos fines et opes) Judæos, quasi facile a se sub-
jugandos, idque verisimilius est. Vide Can. XXXVI.

Nota, secundo, Ægyptios vocari muscas, pri-
mo, ob vocis absonæ stridorem; secundo, ob im-
pudentiam; tertio, quia instar muscarum fetidi
erant et immundi; quarto, quia instar muscarum
crescebant et multiplicabantur: Ægyptios enim
naturaliter valde fecundos esse docet Aristoteles,
libro VII *Historiæ animal.* cap. iv; quinto, quia
Ægyptus, utpote calidissima regio, in qua vix
unquam pluit, scatet muscis et culicibus. Apes
vero vocat Assyrios, primo, quia potentes erant
sagittis, uti apes suis aculeis: ita S. Hieronymus;
secundo, quia instar apum auratis armis et varie-
gatis vestibus conspicui erant: ita Cyrillus; tertio,
quod in bellis et actibus suis instar apum seduli
essent, industrii, laboriosi et constantes.

Nota tertio: Loquitur hic Propheta tum de bello
Pharaonis Nechao, quo in punitionem idololatriæ
Manassis regis cæsus est Juda, et Josias rex Ma-
nassis nepos, IV Reg. xxiii; tum de Sennacherib
contra Judæos expeditione.

19. ET VENIENT, ET REQUIESCENT OMNES IN TORREN-
TIBUS VALLIUM. — Persistit in metaphora musca-
rum et apum, quæ ira obsident valles et torren-
tes, ut omnia corrodant et foedent: sic Ægyptii
et Assyrii omnia in Judæa populati sunt.

20. IN DIE ILLA RADET DOMINUS (pergit idem di-
cere alia metaphora) IN NOVACULA CONDUCTA, IN
HIS. — Est appositio, *q. d.* In novacula mercede
conducta, quæ non est alia quam hi qui degunt
trans flumen Euphratem, puta Assyrii cum rege
suo.

Nota: Sennacherib cum Assyriis vocatur *no-
vacula mercede conducta*, quia ipse spoliatorum et
regnorum, ad quæ puniendæ et vastandæ mitte-
batur a Deo quasi conductus, levissime quasi ton-
sor usque ad cutem abrasit omnia, quæ Judæis
et aliis gentibus salutis et honori erant, quæ pilo-
rum nomine significantur; imo totum corpus po-
liticum, puta « caput, » id est principes; et « bar-
bam, » id est sacerdotes et consiliarios; ac « pe-

ego admodum refragor, etsi Kocherus satis probabiliter
monet diem calamitatem cladesve dierum, cum ipso ca-
lamitatis auctore, tritam pro synecdochen, metonymiam-
ve temporis pro re in tempore dici. (Rosenmuller.)

(1) Qui apes ad pastum in Oriente deducunt, sibilare
solent, vel tibia canere, ut ex alveis egrediantur vel in
eosdem redeant, (Lowth et Samuel Burder.)

Ægyptii
vocantur
muscæ,
Assyrii
apes,
cur?

Vers. 20.

Assyrii
fuerunt
novacu-
la.

des, » Ia est artifices et vilem plebeculam Judææ, abrasit et abstulit, ait Cyrillus. Ita Ægyptus Nabuchodonosori a Deo data est pro mercede Tyri ab eo expugnata, ut patet *Ezech.* xxix, 18 et 19. Pro *conducta* Septuaginta vertunt *μαμεθυσμένη*, id est *inebriata*, scilicet pilis, hoc est spoliis hostium: legerunt enim שחירה *scechira* per *schin*: Noster vero et alii legunt per *sin*, tumque significat *mercede conductam*, quæ vox notat Dei clementiam, quod scilicet misericors Deus non alat domi istos lictores, sed aliunde conductos accersat, ut faciant opus suum; nam, ut ait Isaias, cap. xxviii, vers. 21: « Alienum est hoc opus ejus ab eo. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia; et sanabiles (salutiferas) fecit nationes (creaturas) orbis terrarum; et non est illis medicamentum exterminii (venenum exterminans et mortiferum), nec inferorum regnum in terra, » *Sapient.* i, 13.

Tonsio
signum
fuit ser-
vilitatis.

Nota *secundo*: Tonsio et rasio capillorum erat signum servorum et servitutis, in quam a Chaldæis redigendi erant Judæi. Unde Aristophanes ait: « Servus cum sis, comam nutris? » Et Pomponius Lætus *De triumpho Diocletiani*: « Consuetudinis, ait, fuit liberatos e captivitate currum triumphantis sequi abraso capite, in argumentum præcedentis servitutis. » Sic T. Flamini qui de Macedonia triumphavit, currum duo millia Romanorum captivorum quos libertate donaverat, capitibus rasis sequebantur. Sic et S. Petro Antiochiæ prædicanti caput ab improbis abrasum fuit ad ludibrium, quasi homo esset vilis et servilis conditionis, teste Beda in *Histor. Anglorum*. Quod Ecclesia vertit in honorem et decus: jussit enim sacerdotes et Religiosos caput radere, et comam rasam gestare, quasi diadema regni divini et cœlestis: hoc est enim « regale sacerdotium » Christi et Christianorum, ut ait S. Petrus, I *Epist.* cap. ii, vers. 9.

Porro Rabbini hunc capite et barba rasum accipiunt ipsum Sennacherib, de quo hanc historiam vel potius fabulam narrant, quam refert S. Hieronymus, in *Quæst.* in lib. II *Paralip.* xxxii: « Tradunt, inquit, Hebræi illi (Sennacherib) caput et barbam rasam ab Angelo in ignominiam, et hoc fuisse quod per Isaiam dictum est: In illa die radet novacula acuta in rege Assyriorum caput et barbam, etc. Quem cum eadem ignominia pervenisse ad templum Dei sui Hesroch, quem dicunt in reliquiis arcæ Noe culturam habuisse. Cum ergo quereretur deprecans, cur se non adjuvisset, qui etiam filios suos Adramelech et Sarasar sibi offerret, si hoc ille ratum duceret illi; hoc audientes post tot clades, ruinas et ignominias, timentes ab eo interfici, interfecerunt eum. »

21. NUTRIET HOMO VACCAM, — *q. d.* In hac vastatione Babylonica tanta erit hominum paucitas, ut divites olim jam vix unam vaccam et duas oves sint habituri: tanta quoque eorum erit paucitas, ut integræ familiæ lac unius vaccæ et duarum ovium, non tantum sufficiat ad potum, sed et ad butyrum ac cibum; præsertim quia agris desertis et incultis, omnia vertentur in germina et pabula pecorum, quibus pastæ vaccæ et turgidæ copiosum dabunt lac indeque butyrum. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

22. BUTYRUM ENIM ET MEL (quæ terra inculta ultro quasi fundit) MANDUCABIT OMNIS QUI RELICTUS FUERIT, — non triticum, non hordeum, etc., quæ terra non profert nisi colatur et seratur, *q. d.* Terra tunc erit omnino deserta, ac proinde homines non tritico, sed lacte et melle victitabunt.

23. OMNIS LOCUS UBI FUERINT MILLE VITES, MILLE ARGENTEIS, IN SPINAS ET IN VEPRES ERUNT, — *q. d.* Vineta, quia a vepribus et spinis occupabuntur, tam vili erunt pretio, ut vinea uno emenda sit argenteo, id est, ut Septuaginta, siclo et mille vineæ mille argenteis. Ita Cyrillus.

Secundo et melius, *q. d.* Agri olim adeo feraces, ut singulæ vites, id est vitium annui proventus, singulis æstimarentur argenteis, et mille vites mille argenteis, rediguntur in spinas et vepres. Ita Forerius et Sanchez.

24. CUM SAGITTIS ET ARCU, — *q. d.* In hosce saltus desertos, in hæc non jam vineta, sed vepri-ceta et senticeta, ob feras et prædones nemo ingredi audebit, nisi bene armatus.

25. ET OMNES MONTES, QUI IN SARCULO SARRIENTUR, etc., — *q. d.* Valles et agri uberes deserentur; fugientque homines metu hostium cum pecoribus ad munitos natura montes, eosque non aratro, ut olim agros, sed sarculo sarrient, id est a spinis et vepribus purgabunt, ut possint seminari et coli, aut sint in pascua: unde spinæ non erunt illis terrori, etiamsi ab eis pungantur et lædantur; quia necessitas et fames cogent eos non curare has puncturas: et tamen post omnem hunc eorum laborem, illa boves depascentur, et conculcabunt pecora. Ita S. Hieronymus.

Secundo et aptius Sanchez, *q. d.* Montes olim vitiferi, qui non aratro, sed sarculo proscindebantur, quique sedulo a domino spinis circumcirca quasi sepe cingebantur et defendebantur, disjectis jam ab hoste spinis et sepe, nemini erunt terrori, quo minus eo libere quivis irrumpat: unde boves in illa quasi pascua irruent, ab eisque et aliis pecoribus conculcabuntur.

Nota hebraïsmum: « Et omnes montes, etc., non veniet illuc, » hoc est, non veniet ad omnes montes.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur partum virginis prophetissæ, et ortum Emmanuelis. Unde in libro jubetur scribere ejus nomen : Velociter spolia detrahe, Festina prædari. Secundo, vers. 6, incredulis minatur Assyrios, quos tamen paulo post perituros denuntiat. Tertio, vers. 11, monet ne timeant conjurationem Rasin et Phacee, sed Deum exercituum. Quarto, vers. 19, illis qui non Deo, sed pythonibus credunt, eosque consulunt, exitium comminatur (1).

1. Et dixit Dominus ad me : Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis : Velociter spolia detrahe, cito prædari. 2. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachïæ : 3. et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere : Festina prædari. 4. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum. 5. Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens : 6. Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ : 7. propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus : et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super universas ripas ejus, 8. et ibit per Judam, inundans et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel ! 9. Congregamini, populi, et vincimini, et audite, universæ procul terræ : confortamini, et vincimini, accingite vos et vincimini : 10. Inite concilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet : quia nobiscum Deus. 11. Hæc enim ait Dominus ad me : Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi hujus, dicens : 12. Non dicatis, conjuratio ; omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est : et timorem ejus ne timeatis, neque paveatis. 13. Dominum exercituum ipsum sanctificate : ipse pavor vester, et ipse terror vester. 14. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis : et in petram scandali, duabus domibus Israel ; in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. 15. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. 16. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. 17. Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum. 18. Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. 19. Et cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis : Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis ? 20. Ad legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. 21. Et transibit per eam, corruet et esuriet : et cum esurierit, irascetur, et maledicet regi suo, et Deo suo, et suscipiet sursum. 22. Et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua.

1. SUME TIBI LIBRUM GRANDEM. — Jubet Deus Isaïæ, ut grandi membrana in cylindrum convolvili (tales enim erant veterum libri : unde alibi vocantur

volumen) scribat magnis litteris hæc quinque verba : « Velociter spolia detrahe, cito prædari, » idque,

(1) Cap. VIII arctissime connectitur cum præcedenti, et de iisdem futuris eventibus quæstionem habet, scilicet de destructione regnorum Syriæ et Samariæ ab Assyriis, de vastatione regni Juda ab iisdem, et de Emmanuelis, id est Christi Salvatoris ortu.

Eodem igitur tempore quo Propheta hos futuros eventus prædixerat, Deo jubente, istud vaticinium populo communicat, scilicet :

Primo, consignat illud documento authentico, per scripturam solemnem, vers. 1 ; per adjunctionem tes-

STYLO HOMINIS, — id est calamo, seu graphio, ac consequenter caractere et litteris apud homines usitatis, hoc est aperte et clare, ita ut ab omnibus legi et intelligi possint. Unde Chaldaeus vertit, *scripturam claram* idque primo, ut hæc scriptura sit publicum testimonium prophetiæ et promissionis hujus, quo illa, si falsa deprehendatur, mendacii convinci possit; sin vera inveniatur, uti certo inveniatur, quo illa apud omnes auctoritatem, celebritatem et venerationem obtineat.

Secundo, ut illa futuris sæculis, imo æternitati transcribatur. Hæc omnia non reipsa, sed per visionem facta sunt, uti mox patebit: quæ tamen visio publice omnibus proponenda, et posteritati per Isaiam in hoc libro et capite consignanda erat: et hoc symbolice significabat stylus hominis et testes adhibiti, etc.

VELOCITER SPOLIA DETRAHE, CITO PRÆDARE. — Hujus scriptionis causam et mysterium Isaias explicari sibi audiet vers. 3 et 4; nam vers. 3 vidit hoc fore nomen pueri nascituri, idque ob causam quam audiemus vers. 4.

2. ET ADHIBUI MIHI TESTES, — scilicet scripturæ, vel potius accessus ad prophetissam, de quo sequitur, idque ut per testes authenticæ hæc omnia conscriberem, et consignarem futuris sæculis. Testes hi quoque non revera, sed per visionem ab Isaia adhibiti sunt, uti ostendam vers. 3 (1).

URIAM SACERDOTEM, ET ZACHARIAM FILIUM BARACHIAE. — Fuerunt hi testes viri graves et omni exceptione majores, imo videntur fuisse Prophetæ, quibusidem revelatum sit quod hic Isaia revelatur, quique idem prophetarunt de Christo. Unde per visionem ostensi hic sunt Isaia, uti et sequentia: sicut in transfiguratione Christi testes fuerunt Moses et Elias, ut significaretur legem et Prophetas attestari Christo, in eoque terminari. Ita S. Cyrillus et Basilus. Urias enim, utpote sacerdos, erat legis doctor instar Mosis; Zacharias erat Propheta instar Eliæ.

Quisnam fuerit hic Urias, uti et Zacharias, in-

tium, 2; per symbolice actionem, 3; per determinationem temporis, 4.

Secundo, denuntiat Judæis, ad Syros et Israelitas declinantibus, fata instantia ab Assyriis, 5-8; hostibus Judæ frustrationem consiliorum et armorum contra Deum, 9, 10.

Tertio, ad timoratiores alloquium habet, quo consequenter eximatur metus hominum, 11-13; suadeatur timor Dei, 13; spondeatur salus, appositæ contra aliter agentes minis, 14, 15.

Quarto, prophetiam hanc de ruina Judæorum et reliquis servandis, cum testimonio illorum testium quos supra adhibuit, Deo etiam jubente, concludit et obsignat, ut obstinatis celetur, 16-18.

Quinto, dissuadet de consultatione superstitiosa, et commendat legis divinæ observationem, 19, 20.

Sexto, prædicit mala et pœnas quibus affligentur mortuorum neglectores, 21, 22.

(1) Quidam interpretes putant duos istos testes a Propheta adhibitos fuisse, ut matrimonii sui testes fierent, quod probabilitate caret, cum jam filium haberet, cap. vii, 3; nisi dicatur ad secundas nuptias convolasse.

certum est. Aliqui volunt hunc Zachariam esse eum, qui est ultimus inter Prophetas minores: uterque enim fuit filius Barachia, et ille, æque ut hic, Messia ortum et redemptionem hominum, licet diu post Isaiam (scilicet post ducentos annos, prophetavit enim post solutam captivitatem Babylonicam), exultanter prædixit, de quo mox plura.

S. Hieronymus vero putat hunc Zachariam esse sacerdotem illum, qui cum aliis sub Ezechia domum Dei ab Achaz pollutam expiavit, II Paral. xxix, 13. Fuit tertius Zacharias filius Joiadæ, sed hic a centum annis erat mortuus, occisus a Joas rege, qui fuit avus Ozia. Denique potuit esse alius nobis incognitus, cognitus tamen et famosus tempore Isaia, qui patrem habuerit nomine Barachiam, æque ut ille ultimus Prophetarum.

Porro Urias hic nonnullis fuisse videtur Sacerdos summus, tum quidem vir fidelis, qui tamen post hanc prophetiam, puta post expugnatam ab Assyriis Damascum, metu Achaz regis, ejus jussu erexit aram idolis ritu Damascenorum et Gentilium, IV Reg. xvi. Verum quomodo Deus talem, tamque levem, timidum et inconstantem vocasset et adhibuisset ad res tantas, ut testem fidelem, qui tam infidus fuit Deo, tamque facile a fide Dei ad idola deflexit?

Alii forte verisimilius censent hunc Uriam esse Prophetam illum, qui diu post Isaiam vixit tempore Jeremia, et prædixit multa mala eventura duabus tribubus, ideoque occisus est a Joakim rege, uti testatur Jeremias, cap. xxvi, vers. 20. Iidem putant Zachariam filium Barachia, alterum Isaia testem, esse Zachariam qui est ultimus inter minores Prophetas, de quo paulo ante dixi. Cum enim hi testes per visionem sint exhibiti Isaia, non mirum si necdum nati, sed nascituri citentur: Deo enim præsentia sunt quaecumque futura sunt. Idque fecit Deus primo, ut Isaias hoc vaticinio prophetiam futuram Uriæ et Zachariæ, et hi vicissim suis oraculis Isaia prophetiam jam præteritam confirmarent. **Secundo**, quia hæc prophetia Isaia duo præcipue complectitur, scilicet calamitates imminentes Judæis, quas copiose Urias prædixit, et futuram liberationem per adventum et nativitatem Messia; quem lætanter cecinit Zacharias, cap. ii, vers. 10: «Lauda et lætare, filia Sion,» et cap. ix, vers. 9: «Exsulta satis, filia Sion.» Hæc est sententia S. Chrysostomi, Procopii, Chaldaei, R. Akibæ apud Galatinum, lib. VII, cap. xvi.

3. ET ACCESSI AD PROPHETISSAM, ET CONCEPT. — Vers. 3. Rabbini, quos sequuntur Richardus Victorinus, lib. I *De Emmanuele*, cap. viii, S. Thomas, S. Chrysostomus, Sixtus Senensis, Vatablus, Isidorus Clarius, Forerius et Montanus, *prophetissam* hanc intelligunt uxorem Isaia, ad quam accesserit Isaias eam cognoscendo, quæ inde concepit et peperit filium, cui Isaias pater nomen imposuit: «Accelera spolia detrahere, festina prædari;» ut hic filius suo nomine Judæis portenderet, brevi spoliandam et prædæ Assyriorum exponendam esse

Propheta
tissa
quæ?

Testis
Zacharias,

Syriam ac Samariam, uti prædixit Isaias, cap. præced., vers. 16. Unde de eo subdit: « Quia antequam sciat puer vocare patrem, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ, » *q. d.* Antequam puer hic sit trium vel quatuor annorum ut possit fari, et vocare patrem ac matrem, Assyrii spoliabunt Syriam et Samariam. Id ita accidisse probant, quod hæc prophetia edita videatur in principio regni Achaz, qui regnare cœpit anno 17 Phacee regis Israel: Phacee autem tantum 20 annos regnavit, et in fine regni Phacee Theglathazar rex Assyriorum multas urbes Samariæ vastavit, earumque incolas transtulit in Assyriam, IV Reg. xv, 29. Ergo vastari cœpit Samaria, cum hic Isaiæ filius necdum explesset triennium. Achaz enim cum Phacee tantum triennium regnavit.

Porro hunc Isaiæ filium asserunt fuisse typum Christi Emmanuelis nostri, qui cito spoliavit regnum diaboli: ideoque matrem hujus filii vocari Prophetissam, tum quia erat uxor Prophetæ Isaiæ, sicut olim uxor episcopi, vocabatur episcopa; presbyteri, presbytera; diaconi, diaconissa, quæ scilicet ejus ante ordinationem fuerat uxor: nam post ordinationem episcopi, presbyteri et diaconi uxore abstinere, et cælibes juxta Canones vivere debebant; tum quia uxor hæc erat pia et orationi addicta, et forte assumpta ex cœtu virginum quæ Deo serviebant in templo, sicut ex eodem Joseph accepit conjugem B. Mariam; tum quia forte vere habuit spiritum propheticum; tum denique quia typus fuit B. Virginis, quæ vere fuit prophetissa. Huic expositioni favet illud quod ait Isaias, vers. 18: « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel: » tam enim Sear Jasub, quam hic alius Isaiæ filius suo nomine « Accelera, spolia detrahere, » fuit portentum; et prophetavit excidium Israelis.

Verum S. Hieronymus, Cyrillus, Basilius et Chaldaeus hic, R. Haccados apud Galatinum, lib. VII, cap. xviii; Procopius, Rupertus, S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* cap. ult.; Epiphanius, *hæres.* 78; Eusebius, lib. VII *Demonstr.* cap. II, Ambrósius in cap. I *Luceæ*, ad vers. 41 et 44, et passim alii veteres ac recentiores hunc sensum ut crassum et Judaicum, imo spurcum et obscœnum (1), æque ac

(1) Nimis acriter noster Interpres in sententiam a doctissimis comprobata invehitur. Neque enim, ait Forerius de ea re disserens, non possum non vehementer laudare in Patribus ingens illud et prorsus christianum studium investigandi in Scripturis Christum. Verum cum non unica, imo varia sit ratio Christum in Scripturis investigandi, nihil me a religione christiana alienum duxerim tentare, si in hac prophetia alia ratione Christum nitar invenire. Infra hoc ipso capite loquitur Propheta de « suis pueris qui dati erant a Deo in signum et portentum in Israel; » et de altero cui nomen erat *Sear-Jasub*, superius dictum est, quo nomine *salutem reliquiarum* significari volebat Dominus. De altero vero jam hic loquitur, cujus nomen Israelis devastationem indicabat, non solum illam quæ proxime imminebat decem tribubus et regno Jehuda (quam quidem paulo post passi sunt Judæi propter infidelitatem suam), verum etiam illam quam universi sunt

Calvinianum rejiciunt, atque hunc locum explicant de conceptione Virginis et partu Emmanuelis. *Primo*, quia de Virgine et Emmanuele uti cœpit cap. præced., ita agere pergit hoc cap. et seq.

Secundo, quia vers. 8, hunc puerum vocat *Emmanuel*: ait enim: « Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel! » Quæ verba filio Isaiæ competere nequeunt.

Tertio, hic puer idem est cum puero cap. præced., vers. 15 et 16; nam quod ibi ait: « Quia, antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum; » hic de eodem iisdem pene verbis ait, vers. 4: « Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum. » Ille autem puer de quo, cap. præced., non potest intelligi filius Isaiæ (qui tum necdum natus erat, imo Isaias necdum ejus ullam mentionem fecerat; nam hoc cap. dicitur concipiendus), sed Emmanuel sive Christus, ut patet ex eo quod immediate præcedit: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; » ergo et hoc capite non alius puer intelligi potest quam Emmanuel.

Quarto, quia Septuaginta, vers. 4, dicunt quod hic puer spoliabit Samariam. Pro eo enim quod nos habemus, « auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ; » ipsi vertunt, *accipiet fortitudinem Damasci et spolia Samariæ*; quod proprie soli Christo, filio Isaiæ non nisi improprie, convenire potest, hoc modo, *accipiet*, id est accipienda portendet.

Quinto, quia præcedens explicatio non satis coheret cum verbis Prophetæ, et cum historia. Nam regnum Samariæ eversum est anno 6 Ezechiae; cum puer hic Isaiæ jam pridem sciret vocare patrem et matrem: erat enim tum facile 16 annorum: cujus contrarium hic asserit Isaias. Respondent aliqui, tunc quidem eversum esse regnum Samariæ, sed longe ante cœpisse Assyrios eam deprædari, quod hic tantum prædicit Isaias. Sed contra, Isaias non tantum deprædationem, sed et interitum regni prædicit; nam cap. VII, vers. 8, expresse ait: « Adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus. »

Dico ergo cum Patribus et Doctoribus jam citatis, prophetissam hanc esse B. Virginem Deiparam, quæ non tantum prophetissa fuit, eo quod esset sanctissima et religiosissima, Dei laudibus in totum addicta, educataque in templo apud vir-

experti propter contemptum sui Messiae Filii Dei veram salutem afferentis. Non itaque durum videatur cuiquam si dixerò hic, juxta historiam, Isaiæ uxorem vocari *prophetissam*, et filium, *Festinam direptionem*.

Juxta hanc sapientissimam interpretandi rationem, duos sensus litterales (vide annotationem ad *Can. XXXV*) fere totum vaticinium in hoc capite contentum habere arbitramur, si non num litteralem et alterum allegoricum dicere mavis

gines Deo consecratas; sed et proprie, quia futura prædixit, uti in suo hymno *Magnificat* prædixit illud: « Beatam me dicent omnes generationes: » quod etiam hodie ubique impleri et verificari cernimus. *Secundo*, fuit prophetissa, quia genuit summum orbis Prophetam, scilicet Christum. *Tertio*, quia in ea peractum est magnum illud pietatis sacramentum, scilicet ut virgo conciperet et pareret nobis Emmanuelem, ut dixi cap. præced.; eo enim alludit. Prophetare enim in Scriptura subinde significat miracula facere, uti dixi in Proœmio. Maximum autem miraculum et portentum fuit Verbum in Virgine caro factum. Prophetavit ergo B. Virgo, dum concepit et peperit nobis Deum, eumque sua carne induit et incorporavit. Sensus ergo est: In visione ostensa est mihi prophetissa augusta Virgo Maria, indicatumque est mihi ut ad eam accederem; illam enim explicaturam mihi quid esset illud quod audieram vers. 1: « Scribe, Velociter spolia detrahe, cito prædare. » Venerabundus ergo eam adii, salutavi, et vidi illam per obumbrationem Spiritus Sancti concipere et parere Emmanuelem, cui jussus sum dare nomen illud quod audieram vers. 1: « Velociter spolia detrahe, cito prædare; » in eoque completam et explicatam meam visionem vidi et intellexi.

Ut hæc omnia melius connectantur et intelligantur, nota omnia hæc non realiter contigisse, sed per imaginationem et visionem objecta fuisse Isaiaë. Itaque sicut cap. VI, Isaïas per mentalem visionem vidit Deum in throno, et Seraphim ei acclamantes « Sanctus, » unumque ex eis calculo urentem labia sua: ita et hic vidit non corporaliter, sed mentaliter librum grandem, in quo visus est sibi scribere stylo hominis, « Velociter spolia detrahe, » atque mentaliter testes suæ scriptio- nis adhibuit Uriam et Zachariam: cumque quid hæc scriptura sibi vellet non intelligeret Isaïas, innuit ei Deus ut adiret venerandam quamdam matronam ac prophetissam, quam ejus imaginationi objecit. Visus ergo est sibi Isaïas eam adire, ac videre quod illa conciperet et pareret filium, cui ipse jubetur imponere illud nomen quod in libro jussus erat scribere, scilicet: « Accelera spolia detrahere: Festina prædari. » Mox causam et mysterium in hoc nomine latens discit, dum audit: « Quia antequam sciat puer, » etc.

Symbolice, S. Hieronymus et Origenes per prophetissam accipiunt Spiritum Sanctum; רִיחַ *ruach* enim, id est spiritus, hebraice est feminini generis. De Spiritu Sancto enim conceptus et natus est Christus. Dicitur Prophetissa, quia ex eo Prophetæ hauserunt et conceperunt suas prophetias, juxta illud: « Accedite ad eum, et illuminamini. » Hic sensus est duriusculus; nec enim Spiritus Sanctus concepit et peperit Christum, quod hic de prophetissa asserit Isaïas. Planus Eusebius, lib. VII *Demonstr. Evangel.*, cap. II, censet hæc verba attribui posse Spiritui Sancto, *q. d.* Ego Spiritus Sanctus accedam ad virginem, illamque obum-

brabo et fecundabo, ut pariat Messiam. Accedit huc Epiphanius, *hæresi* 30, quæ est Ebionæorum, qui hæc accipit de accessu et ingressu Archangeli Gabrielis ad Virginem, ut ei annuntiaret conceptum et partum Messiaë ex Spiritu Sancto.

Voca nomen ejus, accelera spolia detrahere. — « Voca, » id est prædic talem fore hunc puerum, ut jure sic vocari possit; nec enim de facto Christo hoc nomen, sed aliud, scilicet *Jesus*, impositum est. Vide *Can.* XXXVII et XXIX.

Nota: Isaïas jubetur vocare Christum duobus nominibus quæ idem significant, scilicet *primo*: « Accelera spolia detrahere; » *secundo*: « Festina prædari, » ut certa et magna celeritas hujus prædationis significetur, *q. d.* Tu puer, o Christe! eris celerrimus prædator, tu citissime nos, qui eramus spolia diaboli, ab eo tibi detrahes, orbemque convertes et pervades quasi fulgur, uti Apelles pinxit Alexandrum Magnum fulgur manu tenentem, quia ipse celerrime, scilicet sex annis, orbem subjugavit, factusque est monarcha, *q. d.* Christus celeriter spoliabit et prædabitur regnum diaboli, dum ascendens in altum captivam ducet captivitatem, item regnum Damasci et Samariæ, uti sequitur. Hoc est quod de Christo ait Paulus: « Exspolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, » *Coloss.* II, 15. Talis prædo et spoliator diaboli fuit Paulus, de quo Jacob, *Genes.* XLIX, 27: « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. » *Secundo*, hæc duo nomina innunt quod Christus duos reges, scilicet Rasin et Phacee, rursus Herodem ac Obodam, sit vita et regno spoliaturus; denique quod idem sit bis factururus, primumque velut in signum et præludium posterioris; strages enim Rasin et Phacee fuit signum stragis Herodis et Obodæ.

4. QUIA ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM, etc., AUFERETUR FORTITUDO DAMASCI, ET SPOLIA SAMARIÆ. — Septuaginta vertunt, *quia antequam sciat puer vocare patrem vel matrem, accipiet fortitudinem Damasci, et spolia Samariæ*, quasi dicat: Puer hic nasciturus ex Virgine Deipara mirus erit, existetque antequam nascatur: erit enim Deus, nam antequam sciat naturali et vulgari modo fari, ac dicere quod primo dicunt infantes: Pater mi, mater mea, ut habent Hebræa, imo antequam ex utero matris prodeat, hostes suos spoliare et prædari incipiet: nam liberabit duas tribus regi Achaz subjectas, et hostes earum, puta Rasin et Phacee, eorumque regna Damascum et Samariam perdet per regem Assyriorum. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Septuaginta et alii (1).

(1) Huic secundo filio Isaiaë datur nomen futurorum præfigurativum, et antequam sciat vocare patrem et matrem, Syriæ et Israelis regna delebuntur. Quæ quidem explicatio optime cum vers. 16 cap. præced. concordat, nam nihil omnino obstat quin ex duobus filiis Isaiaë, trium annorum intervallo disjunctis, unus ad ætatem discernendi inter bonum et malum pervenerit dum posterior eam

Repetit
nomen
ob duas
causas.
Prima.

Secunda.

Series et
synopsis
totius
visionis.

Notant exacti Chronologi hæc de Virgine paritura Emmanuelem ab Isaia prædicta esse anno 3 Achaz, aut sub initium anni quarti : quæ autem hoc cap. VIII prædicat, ad annum 4 regni Achaz præcipue pertinere, eoque compleri cœpisse. Nam ex IV Regum XVI, et II Paralip. XXVIII, constat hoc anno 4 Theglathphalasar regem Assur Nephtalitas, magnamque Samariæ partem transtulisse in Assyrios : Phacee quoque occisus est ab Osee, qui regnum invasit, ultimusque fuit Samariæ rex, eversus cum regno a Salmanasare anno 9 regni sui, qui fuit sextus Ezechiae. Similiter Theglathphalasar tunc cepit Damascus occiso Rasin, ejusque incolas transtulit Cyrenen. Hæc enim contigerunt anno 20 Joatham, ut dicitur IV Regum XV, 30, hoc est, ex quo regnare cœpit Joatham anno 20, qui fuit Achaz annus 4; Joatham enim 16 annis tantum regnavit, eique statim successit Achaz. Ita Hebræi in Seder-Olam. Rursum Phacee occisum esse anno 4 Achaz patet ex IV Reg. XIII, 27, ubi dicitur Phacee cœpisse regnare anno 52 Oziae, et 20 annis regnasse. Oziae autem anno 52, successit Joatham, qui 16 annos regnavit : ei deinde successit Achaz, cujus annus 4 fuit vigesimus et ultimus Phacee. Quare turpiter errat Calvinus, dum hic ad vers. 16, affirmat, Phacee interiisse anno 12 Achaz, tuncque ei successisse Osee : nam ex dictis constat hæc ante octennium, scilicet anno 4 Achaz, contigisse. Vide hic quam celeriter impleta sit hæc Isaie prophetia, scilicet eodem anno, ut merito nomen Emmanuelis qui hæc patravit, ab eo vocatum sit : « Accelera spolia detrahare, » etc.

Rursum hæc prophetia impleta est in Herode, et Oboda rege Damasci, ut dixi cap. VII, vers. 16; hos enim Emmanuel jam natus regno et vita dejecit. Fortitudo ergo Damasci et Syriæ sunt Herodes et Herodiani, ac Judæi et Gentes cum Herode eundem funem trahentes, ac Christum et Christianos persequentes. Hos enim omnes aut evertit aut subegit, suæque fidei subjecit Emmanuel, itaque Judæos, id est veros fideles Deum confitentes, eorum servitute et tyrannide liberavit. Quinque ergo prædationes hic prædicat Isaia.

Primo, quod hujus Judææ a Rasin et Phacee liberationis, ac Samariæ Syriæque prædationis antitypo, Emmanuel recens natus Judæam et Ecclesiam a tyrannide Herodis et Obodæ liberabit; ac prædari incipiet, cum tres Magos antea infideles duce stella ex Damasco, id est ex Oriente, cum suis opibus et gazis, de spoliis Samariæ, id est idololatriæ, cui in primis dedita erat Samaria, ad suas cunas et præsepe vocabit, ut illi quasi regi ac Domino suo offerant aurum, thus et myrrham, quæ prius idolis ac diabolo offerebant.

Secundo, Damasco et Samariæ, id est regno diaboli, adimet parvulos innocentes, ab Herode in odium parvuli regis nati occidendos, quos ipse

parvulus rex in cunis martyrii corona laureabit. Ita Irenæus, lib. III, cap. XLVIII.

Tertio, parvulus hic adhuc in ulnis matris existens, Herodem fugiens, et Ægyptum ingressus, ibi idola confringet : uti eum de facto fecisse habet traditio, de qua infra cap. XIX, vers. 1. Itaque ex tunc idololatriam ex ea et ex orbe fugare et dispellere incipiet.

Quarto, quod parvulus hic fidei lumen afferet pastoribus, quos per Angelum ad præsepe vocabit, item Simeoni, Annæ et aliis electis, dum præsentabitur in templo.

Denique, antequam nascatur, infidelitatem, peccatum et dæmonem ex multorum cordibus fugabit; per gratiam et fidem sui, quasi unius et solius mediatoris, atque Sanctos omnes tam in lege naturæ, quam Mosaica, diabolum vincere faciet per merita sua prævisa, quæ Deus in sua præscientia jam acceptavit, et remuneratus est, dando propterea gratiam justis omnibus qui Christum præcesserunt. Ita S. Athanasius, lib. De Incarnat. Verbi, cap. I. Vides ergo ut parvulus hic ab utero, imo ante uterum, spoliare et prædari cœperit.

Hinc patet hos quinque ultimos sensus litterales esse, quia primario et maxime a Propheta et Spiritu Sancto intenti sunt; alludunt tamen simul ad primum, eumque ut propriissimum obiter quasi perstringunt. Ita S. Cyrillus et Irenæus, ac Athanasius, jam citati, et Tertullianus, lib. III Contra Marcion. cap. VIII, et lib. Contra Judæos, capite IX, qui hæc omnia de Christo figurate dici, ex absurdo ita probat : « Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, et signum belli, non tuba, sed crepitaculo daturus; nec ex equo vel de muro, sed de nutricis et gerulæ suæ dorso, sive collo hostem designaturus, atque ita Damascus et Samariam pro mammis subactus. Aliud est, si penes vos infantes in prælium erumpunt; credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare quam lancinare. » Quare ipse per fortitudinem Damasci intelligit aurum, thus et myrrham, quæ Magi Christo recens nato obtulerunt. Per Samariam accipit idololatriam, quam Christus in Magis destruxit. Regem Assyriorum interpretatur diabolus, vel Herodem infanticidam. Sic et Justinus Contra Tryphon. : « Herodem, ait, verbum propheticum regem Assyriorum appellat. » Sic et S. Epiphanius in Anchorato, S. Hieronymus hic, S. Ambrosius, lib. III in Lucam; Chrysostomus, hom. 2 in cap. II Matthæi; Procopius hic, qui omnes per regem Assyriorum Herodem aut diabolus, pauci Augustum Cæsarem intelligunt : per Samariam et Damascus ac virtutem eorum, accipiunt sapientes Magos : quippe qui relicta idololatria, totos se Christo infanti Deoque devoverunt. Audi et S. Augustinum, serm. 4 De Epiph. : « Puer, ait, accepit virtutem Damasci, illius scilicet unde Damascus præsumebat. In divitiis siquidem civitas illa secundum sæculum florens

tantummodo ætatem qua infantes vocare patrem et matrem incipiunt, attigerit.

aliquando præsumpserat. In divitiis autem principatus auro defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt. Spolia vero Samariæ iidem ipsi erant, qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria posita est. »

Damas- Nota : Apposite regnum Damasci et Samariæ **des-** repræsented et significat regnum peccati et diaboli. *Primo*, quia regna hæc erant impia et infidelia, plenaque sceleribus. *Secundo*, quia hæc regna erant hostilia regno Judæ et Davidis, sive populo et templo Dei. *Tertio*, quia colebant idola, ac consequenter diabolum. Hic ergo erat eorum rex, imo Deus. *Quarto*, quia Damascus, vel, ut hebraice dicitur, דמשק *Dammesec*, idem est quod דם דם *dam sac*, id est sanguinis saccus, uti dixi *Genes.* cap. xv, vers. 2; tale autem est regnum diaboli, qui sanguinarius est et homicida ab initio, atque ut leo rugiens circuit quærens quem devoret.

VOCARE PATREM. — Christus enim Josephum vocabat patrem, non tantum quia vulgus putabat eum esse patrem Christi, sed etiam quia vere erat pater Christi hoc sensu, quod Christus ei in matrimonio cum matre Deipara existenti legitime; licet per miraculum, divino quodam modo natus, et a Deo donatus esset filius. Sic ergo Christus vere erat filius Joseph, et Joseph vere erat pater Christi. Sicut enim fructus in agro meo nati, etiamsi a me non sint seminati, mei tamen sunt : sic et Christus Josepho in conjuge sua legitime natus, ejus est filius, estque quasi fructus agri, id est conjugis suæ, uti dicam *Lucæ* II, 48.

CORAM REGE ASSYRIORUM, — id est ad præsentiam, et ad vim regis Assyriorum, hoc est a rege, vel viribus et copiis regis Assyriorum. Simili hebraismo dicitur : Domus est combusta a facie ignis, vi et activitate ignis. Ad litteram enim Theglathphalasar spoliavit Syriam et Samariam.

Rursum nato Christo rex Assyriorum, id est orbis monarcha Augustus Cæsar, regnum Herodis et Obodæ, id est Syriam et Samariam, ad se revocando occupavit, ut dixi cap. VII, vers. 16. Porro Augustus vocatur *rex Assyriorum*, quia erat monarcha : unde et Assyriis dominabatur. Tempore enim Isaiæ monarchia erat penes Assyrios, eaque fuit prima et celeberrima. Hinc per carchesin quilibet orbis monarchæ, sive Græci sive Romani, vocati sunt reges Assyriorum : sicut ab Augusto dicti sunt Augusti, a Pharaone Pharaones. Sic I *Esdrae*, cap. VI, vers. 22, et lib. III, cap. VII, vers. 15, Darius Hystaspis Persarum Imperator vocatur *rex Assur*. Sic Nabuchodonosor, rex Babylonis, vocatur *rex Assur*, lib. II *Esdrae* cap. IX, vers. 32, et IV *Reg.* xxiii, 29, et a Josepho lib. X *Antiq.* cap. VI. Sic et Herodotus, lib. I *Histor.*, Baltassarem magni Nabuchodonosoris filium vocat Labinitum, quem et Assyriæ regem, et a Cyro devictum fuisse scribit. Suidas quoque in Cyro, Cyrum tametsi Persam, appellat regem Assyriorum. Quocirca Eusebius, lib. VII *Demonstr.*

Evang. cap. I : « Nomine, inquit, Assyriorum; quodcumque per singula tempora gentibus impositum est regnum, significari arbitror, quia Assyrii hebraice gubernantes significant. » Radix enim שרר *sara* significat dominari; unde *Sara*, id est domina, vocata est uxor Abraham. Inde et *sar*, quod Syri, Arabes, indeque Galli dicunt *Sir*, est princeps et dominus.

Secundo et potius, signanter dicit non *per sed coram* rege Assyriorum, quia per regem Assyriorum, utpote tyrannum, intelligit diabolum, coram quo gemente et frendente Christus spolia Damasci et Samariæ, id est gentilitatis, rapuit, dum Gentes idololatrias sibi suæque fidei subjugavit : nec enim in typo omnia possunt aut debent respondere et congruere antitypo. Simile enim per omnia non est simile, sed in eo tantum in quo collocatur similitudo : sic hic non ponitur similitudo inter Christum et regem Assyriorum; sed inter spoliationem Syriæ et Samariæ, quam fecit rex Assyriorum, et inter spoliationem gentilitatis quam fecit Christus.

Si tamen velis per omnia esse simile, dicito et concedito Christum assimilari regi Assyriorum : ille enim quasi Dei minister, et quasi executor justæ vindictæ Dei; apte repræsented Christum, Dei legatum, justumque vindicem : idem tamen quatenus ex se superbus, non tam Dei vindictam peragere, quam suæ ambitioni subigere Syros et Samaritas satagebat, diaboli fuit typus. Sic ergo hic puer abstulit spolia Damasci et Samariæ, coram rege Assyriorum, id est coram se, adventu et præsentia sua, vi sua, robore sui, qui est typicus rex Assyriorum; id est peccatorum. Pari modo Christus vocatur leo ob fortitudinem, et diabolus vocatur leo ob crudelitatem. Sic S. Paulus, persequens Ecclesiam, fuit lupus rapax diaboli; postea persequens Judæismum et Gentilismum, fuit lupus Dei.

Tropologice, Christus infans in ipso suo ortu **Tropolo-** cœpit debellare Damascum et Samariam, id est **gice.** mundi fortitudinem, sapientiam et gloriam, domuitque in præsepio æque ac in cruce orbem, non ferro, sed ligno; non feriendo, sed patiendo. Quid enim aliud fuit novi regis nostri nativitas et in mundum adventus sine armis, sine copiis, sine famulis, omnique bellico et regali apparatu, quam inanis mundi fortitudinis et ostentationis, quæ in hisce gloriatur, eversio? Vicit ergo tunc hæc mundi robora eorum contemptu, docuitque verum et Christianum robur ac victoriam non in iis consistere, sed in pura Dei religione et obedientia, in forti patientia, in animi humana cuncta transcendentis celsitudine et constantia : hæc enim insuperabilis est omniaque subjugat. Quid aliud fuit Christum nasci inter paleas et fœnum, ac recitari a B. Virgine in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio, quam humanæ pompæ, vanitatis ac sapientiæ mundanæ clarissima damnatio? Quid aliud fuit nasci peregre in itinere et in sta-

Christus
rex Assy-
riorum.

Damas-
cus des-
gnat re-
gnum
peccati
ob qua-
tuor ana-
logias.

Christus
vere fuit
filius Jo-
sephi,
quomo-
do?

Monar-
cha vo-
catur rex
Assur,
eur?

bulo, nisi docere vitam hanc viam esse et diversorium, non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humiliatio Filii Dei, quam mundi superbiae et jactantiae evidens confutatio? Quid aliud fuit illa summa ejus paupertas, quam auri et argenti quae mundus ita admiratur et ambit, quam opum fluxarum, inconstantium et in casu sitarum risus, et animi celsi in caelo commorantis ludibrium? In illa abjectione et inopia voluit delitescere summus ille rerum opifex, caelorum moderator, et totius universi invictissimus imperator, qui naturam universam immensa virtute coercet, continet, regit et gubernat; ut re ipsa ostenderet fundamentum Christianae philosophiae, veraeque religionis, aequae ac invictae fortitudinis situm esse in rerum humanarum despicientia, ut caelestis patriae desiderio ab hisce vanis et caducis bonis ad solida et semper mansura transeamus; ut quasi conscripti in caelo cives et aeternitati candidati, temporalia omnia tam laeta quam tristia, velut exilia et momentanea superemus et pedibus premamus, vivamusque non temporali huic modico et exili, sed aeternitati. Hoc est quod ait S. Paulus, I *Corinth.* cap. 1, vers. 20: « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi; » et vers. 27: « Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contempnibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. » Tunc ergo Christus sua paupertate prostravit mundi opes et pompas, sua humilitate mundi fastum, sua austeritate mundi mollitiem et delicias, suis latebris et tenebris inanem mundi gloriam, sua infantia mundi jactantiam, sua patientia omnem mundi potentiam evertit et destruxit: effecitque ut hoc ducis sui exemplo tot millia Martyrum, Virginum, Religiosorum et Sanctorum iisdem armis easdem mundi pompas, opes et vires fortissime superarent et supplantarent: quinimo omnes mundi reges et principes per Apostolos et eorum successores, ad hasce suas cunas, ad hanc suam infantiam et paupertatem venerandam et adorandam induxit et compulit. Sicut ergo regnavit a ligno Deus, sic et regnavit a cunis parvulus Emmanuel.

5. ET ADJECIT DOMINUS LOQUI AD ME ADHUC, DICENS. — Haec omnia ad eandem prophetiam pertinent, et eodem tempore praedicta sunt; imo et ea quae sequentibus aliquot capitibus enarrantur.

6. PRO EO QUOD ABJECIT POPULUS ISTE AQUAS SILOE, QUAE VADUNT CUM SILENTIO. — Nota primo: Siloe fons est ad radices montis Sion, qui non jugiter, sed incertis horis diebusque, inquit S. Hieronymus, ebullit cum sonitu; inde silet, id est abscondit se sub terra, et per canales in piscinam Siloe defertur, unde per tubos cum silentio et suaviter derivatur in hortos regios, eosque rigat: quocirca Siloe dicitur hebraice quasi *Missus*, *Joan.* ix, 7. Rursum Siloe dicitur quoque *Geon*, quo nomine etiam Nilus hebraice vocatur, a radice גיח *goach*,

id est pectori quasi incumbere, influere et effluere; eo quod, sicut Nilus effluendo et stagnando Aegyptum quasi incumbit, eumque oblimat et fecundat. sic et Siloe vel Geon hortis et agris Hierosolymae incubat, eosque fecundet. Juxta aquas Siloe vel Geon unctus est Salomon in regem, III *Reg.* 1, 45. Hinc aquae Siloe significant hic regiam stirpem et sceptrum Davidis et Salomonis. Solent enim Prophetae per fluvios significare provincias adjacentes, ut per Nilum significant Aegyptum, per Euphratem Babylonem, per Tigrim Mesopotamiam, per Araxem Armeniam.

Quaeres, quis est iste populus qui contempsit aquas Siloe? Respondent S. Hieronymus, S. Thomas et alii, esse decem tribus quae se separarunt a Siloe et Juda. Melius S. Cyrillus, Procopius, Forerius et alii censent esse duas tribus, quae cum viderent se tot cladibus affectas a Rasin et Phacee, multi ex iis videntes suorum paucitatem, et desperantes de ope Dei promissa ab Isaia, meditabantur defectionem ab Achaz, et a scepro familiae Davidis, quod aquis Siloe modicis et lenifluis simile erat; atque cogitabant se subdere Rasin et Phacee, regemque recipere filium Tabeel, quem eis destinabant Rasin et Phacee.

Hisce ergo minatur Isaia regem Assyriorum Sennacherib, quem comparat primo, flumini Euphrati exundanti; sic enim ipse copia militum obruit Judaeam; secundo, aquilae magnae quae extensione alarum suarum multum terrae obumbrat: sic enim ipse alis et aciebus suis militaribus multas regiones occupavit, sibi que subiecit.

AQUAS SILOE, QUAE VADUNT CUM SILENTIO. — Hinc symbolice, aquae Siloe abierunt in proverbium, et per eas significatur quies, fiducia et animi secura tranquillitas, q. d. Quia populus iste abiecit aquas Siloe, id est quia silere, Deoque confidere, et in ejus ope a me promissa secure conquiescere noluitis, imitando fontis vestri Siloe silentium; idecirco immittet vobis Deus aquas non lenes et silentes Siloe, sed Euphratis validas et sonantes, id est Assyrios, qui vestram regionem inundabunt et perdent.

Allegorice et praecipue, Siloe est Christus lenis, mansuetus, et quasi agnus ductus ad mortem: ipse enim missus et emissus est a Patre, a quo arcano silentio procedit qua Deus in caelis, et qua homo per Virginem in terris. Rursum Christus est Siloe, id est fons aquae salientis in vitam aeternam. Hunc contempserunt Judaei, et invocarunt Rasin, dicentes: Non habemus regem nisi Caesarem; ideo Assur, id est Titus et Romani perdent eos. Ita S. Cyrillus, Basilius, et Eusebius, lib. VII *Demonstr.*, cap. II.

Nota hic quietem et silentium Christi, qui ut ad silentium tam oris quam cordis nos induceret, siluit usque ad annum 30, item tempore passionis. Cum enim reus capitis ageretur, de eo dicitur: « Jesus autem tacebat; » et *Isaiae* LIII: « Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aper-

Siloe est
Christus,
cur?

Vers. 6.

Siloe
fons quae
lis?

riet os suum. » Unde Climachus : « Jesu, ait, silentium admirationi et reverentiæ Pilato fuit; » et S. Bernardus, serm. 1 *De Epiphaniâ*. : « O, inquit, humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et jam silere non possum : impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans, promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebatur, numquid inanem gloriam metuebat? non sane, sed ut nos doceret silere, et silendo ostentationem fugere. » Fluvii qui placide et silenter fluunt, sunt profundissimi : ita corda silentium profundæ sunt sapientiæ. « Altissima quæque flumina minimo sono labuntur, » ait Q. Curtius. Similiter : « Viri fortes, in opere sunt acres, ante id placidi, » ait Aristoteles, lib. III *Ethic.* Et : « Fortissimus in ipso discrimine est exercitus, qui ante discrimen modestissimus, » ait Tacitus lib. I *Histor.* Nam, ut ait Livius, lib. VII : « Pectus animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis differt. » Ita videbis « viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes esse, » ait idem lib. X. E contrario, « ignavissimi quique, et in periculis minimum ausuri, nimii sunt verbis, et lingua feroces, » ait Tacitus lib. I; sicut timidi canes vehementer latrant, sed vix mordent.

Quocirca recte senex ille apud Joannem Moschum in *Prato spirit.*, cap. CLVI, Philosophis pententibus verbum ædificationis dixit : « Sit philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque et quieti vos assuefacite. » Hinc et Arsenius audivit ab Angelo : « Arseni, vis esse salvus? fuge, tace, quiesce. » Et Abbas Pastor, lib. V, in *Vitis*, tit. XI, num. 26 : « Clavis, inquit, silentii sit interrogatio, » ut non aperiatur os tuum nisi rogatus. Alius, lib. VII, cap. XXXII, n. 3, interrogans senem : « Usquequo servandum est silentium, Pater? » audivit : « Usquequo interrogeris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis. » De fructu silentii plura dicam cap. XXX, vers. 15.

7. AQUAS FLUMINIS FORTES (aquas Euphratis, id est copias Assyriorum. Unde explicans subdit) : REGEM ASSYRIORUM, — quia Achaz oppressus a Rasin et Phacee, neglecta Dei ope et Isaïæ vaticiniis, cogitabat implorare opem Assyriorum; hinc Deus eundem ipsi fore flagellum et vastatorem comminatur, imo certo prædicit.

ET ASCENDET (flumen Euphrates jam dictum) SUPER OMNES RIVOS EJUS, — suos, *q. d.* Euphratis aquæ, id est copias Assyriorum, inundabunt et occupabunt non tantum Babyloniam, Mesopotamiam, Assyriam, aliasque regiones Euphrati, ejusque rivis (quos varios habet teste Herodoto) adjacentes, sed inde eluvione quasi egressæ inundabunt et obruent Judæam. Factum hoc est per Sennacherib, qui tempore Ezechïæ filii Achaz

magnam Judææ partem vastavit : nam de Nabuchodonosore, qui longe fuit posterior, postea fuse ager Propheta.

8. USQUE AD COLLUM VENIET. — Caput Judææ erat Hierosolyma, collum erant urbes illi vicinæ, quas omnes occuparunt Assyrii et Sennacherib; sola Jerusalem, obsessa licet, Deo tamen tutante evasit, et ab eo capta non fuit, ut patet infra, cap. XXX, et IV *Reg.* XVIII.

Secundo, et simpliciter : « Usque ad collum veniet, » est proverbium significans Judæam fore in summo periculo capitis et vitæ, id est regni et excidii : nisi enim Deus per Angelum cecidisset 185 millia Assyriorum, eversa ab eis fuisset Jerusalem et Judæa. Est metaphora ab aquis inundantibus et intumescantibus, ita ut ad collum hominum excrescant : si enim paululum ultra extollant se, capita obruent, hominesque submergent : sic si paululum increvissent obsidio et impetus Assyriorum, capta ab eis et obruta fuisset Jerusalem. Ita Sanchez.

ET ERIT EXTENSIO ALARUM EJUS, IMPLENS LATITUDINEM TERRÆ TUÆ, O EMMANUEL! — Sennacherib vocatur aquila, alæ ejus sunt copias militares : hæ impleverunt terram Emmanuelis, id est Judæam, in qua natus Emmanuel regnavit, regnatque in domo Jacob et David in æternum. Nota : Cum ait, « o Emmanuel! » est apostrophe admiratoria ad puerum ex prophetissa et virgine nasciturum, *q. d.* Cum tu, o Emmanuel! sis noster dux et custos, sisque fortissimus et potentissimus, qui fit ut tantam vastitatem ab Assyriis nobis, imo terræ tuæ, inferri patiaris (1)?

(1) Hæc propheta adimpleri cœpit ante Sennacherib adventum, ut diserte docet Forerius his verbis :

« Ibit per Judam, » vel *mutabit se*. *Calaph* nihil aliud quam *mutare* significat, aliquando active, quando scilicet casum regit, aliquando neutraliter, ut supra cap. I, 18, et I *Sam.* X, et *Job* IV, etc. Lege lib. *Regum*, et I *Paralip.* cap. XXVIII, videbisque plures adventus Assyriorum in terram Israel. Et sub Ahaz legitur quod « adduxerit Dominus Talgath Phalasar, qui afflixit eum, et nullo resistente vastavit, neque ei profuerunt munera quæ ad ipsum misit. » Mihi itaque verisimile est quod cum secundo Assyrius adversus decem tribus venisset, in Judæam quoque deflexerit, eamque depopulatus fuerit. Et hoc est quod hic dicitur, « mutabit se in Judam, » ut intelligatur versus hic in universum de bello quod movere cœperunt Assyrii adversus regnum Jehuda, vastato jam regno decem tribuum, non solum sub Ezechia, verum etiam sub Ahaz. *Mutarunt* ergo seu verterunt Assyrii pondus belli adversus regnum Juda, et omnia occuparunt; tandemque sub Ezechia caput ipsum, nempe civitatem Hierosolymitanam, expugnare conati sunt. Sed quia prævidit Propheta adventum Assyriorum adversus regnum Juda, et quæ in eo bello acciderunt, quemdam typum esse et umbram qua mysterium regni Dei adumbrare posset, quo commodius de Christi victoria, et propagatione et gloria regni ejus verba faceret, et mentes auditorum ad ea quæ significare volebat excitaret, apostrophem facit ad ipsum Salvatorem : « Implebunt, inquit, alæ (vel exercitus hostium regni Judæ) totam terram tuam, o Emmanuel. » Quæ verba cum exclamazione etiam nescio quid doloris præ se

9. CONGREGAMINI, POPULI, ET VINCIMINI. — Isaias, qui e speculo prævidens robur et multitudinem hostium Assyriorum, jam quasi expaverat, ad nomen Emmanuelis spiritum et animum resumit, atque per sarcasum hostibus insultat; hostibus, inquam, tum præsentibus, Rasin et Phacee, tum paulo post futuris sub Ezechia, scilicet Sennacherib et Assyriis, de quibus egit vers. 7 et 8, *q. d.* Agite, Syri, Samaritæ, Assyrii, pugnate contra Jerusalem, arma et machinas instruite, facite quidquid potestis: nihil proficietis, sed vincemini et cædemini ab Angelo, quia Emmanuel (ita est in Hebræo), id est quia nobiscum est Deus; Emmanuel est noster dux et protector, est tota spes et causa victoriæ nostræ. Idem cogitandum et dicendum fidelibus, cum belli rumores et tribulationes ingruunt.

11. SICUT IN MANU FORTI ERUDIVIT ME, NE IREM IN VIA POPULI HUIUS, — *q. d.* Deus admirabili æque ac terribili sua inspiratione ac prophetia, qua nobis opem promittit, Assyrii cladem intentat; quasi manu forti erudivit, id est corripuit, et quasi manu injecta cohibuit ac coegit me Isaiam, ne sequerer viam et consilium populi desperandi, quo vult a suo rege Achaz ad hostes Rasin et Phacee deficere; imo erudivit et jussit ut idem aliis persuaderem, diceremque eis: « Non dicatis, Conjuratio, » id est nolite cum hoste contra regem vestrum conjurare. Idem faciendum est et dicendum viris fortibus, cum imminet timor belli vel seditionis, aut conjuratio privata in aliquo collegio vel congregatione. Aut: « Ne dicatis, Conjuratio, » id est ne assidue loquamini, ut soletis, de conjuratione Rasin et Phacee contra Jerusalem: hic enim tunc erat omnis eorum sermo: Conjuratio est contra nos, conjurarunt Syri et Samaritæ contra Judæam. Ita Sanchez.

12. Timorem ejus (scilicet hostilis exercitus Syrorum, sive Rasin, de quo vers. 6) ne timeatis, — sed:

13. DOMINUM EXERCITUUM IPSUM SANCTIFICATE. — Id est colite et glorificate ut pium, fidelem et sanctum, qui promissis stet, suisque opituletur: id facietis sperando in ipsum, ipsi vos vestraque committendo, ipsi per opera bona placendo, ipsum timendo, reverendo, ipsius legi et voluntati per omnia obediendo: ipse enim est Dominus exercituum, ipsi militant Angeli, militat æther, militant venti, militant omnes creaturæ, quibus Syros omnesque hostes vestros facillime

ferunt. Non enim poterat Propheta non dolere cum ei in mentem veniebant quæ populus ille passurus esset ab hostibus: « Tuæ, inquit, terræ, o Emmanuel, latitudinem implebunt, » te sciente atque vidente, etiamsi nobiscum sis. Verum prævidens Propheta quod neque tunc temporis Jerosolyma vastanda esset, neque ultimis temporibus prorsus essent ab hostibus delendi Judæi, quin imo tunc temporis prope Jerosolymam occidendi essent hostes, et in novissimis diebus reliquias sanctis subditurus esset Deus orbem, non potest se continere quin exclamet: « Congregamini, » etc.

quasi pulices occidet. Taxat regem Achaz; qui secutus reges Israel, relicto Deo, ad idola et Assyrios confugiebat.

Moraliter, disce hic Deum sanctificari per spem: honoratur enim ejus bonitas, potentia et fidelitas, si illi nos nostraque credamus, qui unus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

Huc alludit S. Petrus, *epist. I, cap. III*, cum ait: « Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate. » Vere Seneca: « Optimus animus (qualis est sperantis in Deum) est pulcherrimus Dei cultus. »

IPSE (sit) PAVOR VESTER. — Id est objectum pavoris vestri, scilicet quem paveatis, id est revearamini et religiose colatis. « Exigit Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari, » ait S. Bernardus, *serm. 83 in Cantic.* Sic Jacob « juravit per timorem patris sui Isaac, » id est per Deum quem timebat et colebat Isaac, *Genes. xxxi, 53*, hinc aliqui Θεός, id est Deus, a δέος, id est timor, deducunt; nam

Primus in orbe Deos fecit timor.

ET IPSE (sit) TERROR VESTER, — tum passive, quem scilicet ut terribilem vindicem metuatis; tum active, qui scilicet faciat vos hostibus terribiles. Unde Chaldæus vertit, *ipse sit fortitudo vestra*, et hoc significat Hebræum מַעֲרִיץ *maarits*.

14. ET ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM, — *q. d.* Deus vos credentes et sperantes in se sanctificabit et segregabit sibi, atque ut sanctos, sibi que fideles et segregatos proteget ab omni hostium incursu, eritque vobis quasi sanctuarium et asylum, uti ex Hebræo verti potest, vertitque Vatablus.

IN LAPIDEM AUTEM OFFENSIONIS, ET IN PETRAM SCANDALI (erit) DUABUS DOMIBUS ISRAEL. — Duas domos sive familias vocat duo regna Israel, unum duarum, alterum decem tribuum, puta Juda et Samariæ. Convertit hic se Propheta ad impios et incredulos, quales plerique erant in Juda et Samaria, *q. d.* Sicut Deus piis in Juda afferet sanctificationem, tutelam et salutem, uti jam promisi: ita vice versa impiis et ad idola conversis Judæis, maxime Hierosolymitis, afferet offensionem, ruinam et cladem. Rursum erit eis quasi petra scandali et offensionis; videntes enim se capi et vastari scandalizabuntur, dicentque: Deus noster non est tam fortis uti putabamus; ipse enim non potuit nos liberare ab hostibus.

Allegorice, hæc de Christo, qui Judæis fuit lapis offensionis et petra scandali, explicat S. Paulus, *Rom. ix, 32*. Vide ibi dicta.

16. LIGA TESTIMONIUM, SIGNA LEGEM IN DISCIPULIS MEIS. — *Primo*, noster Sanchez putat volumen in quo Isaias, vers. 1, jussus est scribere, « Velociter spolia detrahe, cito prædare, » vocari hic *primo*, « testimonium, » quia per testes Uriam et Zachariam erat confirmatum; *secundo*, « legem, »

id est edictum, *q. d.* Ego Deus jussi tibi, o Isaias! vers. 1, volumen hoc explicari, populoque clare mysteria, proponi (uti Isaias huc usque fecit): nunc jubeo illud ligari, id est complicari et signari, id est claudi, quia video imperitam multitudinem illud non intellecturam, ut servetur discipulis meis, qui illud explicabunt, legent et intelligent. Prophetia enim dicitur claudi et signari cum obscura est, et post multa tempora explicanda, cum re ipsa eveniet tarde et sero.

Secundo, Adamus censet « testimonium » et « legem » vocari hanc prophetiam, qua Deus per Isaiam Judæis revelavit et testatus est voluntatem suam, atque esse metaphoram in voce *liga*, petitam ab iis qui timentes oblivisci rei alicujus, ligant quippiam in manu vel digitis, quo rei admoneantur, eamque in memoriam revocent, *q. d.* Etsi vulgus hasce tuas prophetias negligat, tu tamen consigna eas, conscribe et colliga, quia saltem pueri mei, id est discipuli qui in me credunt, præsertim Apostoli tempore Christi, eas intelligent et observabunt; Christus enim tradet et resignabit eis clavem S. Scripturæ. Hic sensus valde planus et appositus est: nam *in discipulis*, hebraismo idem est quod *in*, vel *ad discipulos*, aut *pro discipulis*.

Unde et Vatablus sic exponit, *q. d.* « Liga, » id est tege involucris hanc prophetiam de Christo venturo, ubi eam discipulorum meorum, eorumque quos per te et alios docuero, oculis subjeceris, illisque exposueris, et ita eam tege, ut ab aliis non possit intelligi. Est metaphora a mercatoribus, qui consarcinant merces suas, quas postea tela colligant et contegant.

Tertio, Ribera in *Hebr. II*, sic explicat, *q. d.* Judæis claudetur et obsignabitur lex Evangelica in discipulis, id est per discipulos meos, qui a Judæis illam ad Gentes transferent. Unde Septuaginta vertunt, *tunc manifesti erunt sigillantes legem*, id est quibus sigillata et clausa est lex, *ne discant*.

17. EXPECTABO DOMINUM. — *q. d.* Licet Dominus videatur oblitus populi sui, atque ab eo abscondisse et avertisse faciem suam; tamen ego non abiciam spem, sed expectabo eum, etiamsi moram fecerit: quia Dominus populi sui miserebitur, ideoque jam nonnulli, sed tempore Christi multo plures, ex eo convertentur; nam illi populo ego et pueri mei dati sumus in signum et portentum, ut sequitur.

ET PRÆSTOLABOR EUM. — Septuaginta et ex iis S. Paulus, *Hebr. II, 13*, vertunt, *et ero fidens in eum*, *q. d.* Ego confido quod Deus nunc populum suum liberabit ab hostibus; et magis quod tempore Christi per Christum convertet aliquos ex Judæis, puta Apostolos, qui deinde reliquias Judæorum omnesque gentes convertant, itaque prædentur et spolient totum regnum Syriæ et Samariæ, id est infidelitatis æque ac diaboli.

18. ECCE EGO ET PUERI MEI. — *Primo*, noster San-

chez sic explicat, *q. d.* Expectabo et sperabo in Deum; nam sperare me jubent filii mei, qui nomine suo portendunt salutem: sicuti nomine suo salutem Gentium, et derelictionem Judæorum portendunt duæ proles, *Osee cap. 1*; sicque fuerunt portentum Israelis: nam unus filius meus, scilicet Sear Jasub, nomine suo significat reliquias populi convertendas; alter, cui nomen est « Velociter spolia detrahe, » significat brevi liberandam esse Judæam a duobus regibus Rasin et Phæcee (1).

Allegorice vero sperat Isaias, id est Christus, mundi fidem et salutem, cujus pueri, id est Apostoli, facti sunt in portentum mundo. Duo enim ejus filii primarii sunt, scilicet Simon, quem vocavit Petrus ob robur et firmitatem fidei; ac Jacobus et Joannes fratres, quos vocavit *Boanerges*, id est filios tonitruum, quia sua prædicatione percellent et convertent Judæos et Gentes. Verum de hoc sensu dixi vers. 3.

Secundo ergo et verius, loquitur Isaias in persona Christi, quasi typus, os et vox Christi, *q. d.* Sicut ego Isaias et mei discipuli ac sequaces, puta alii Prophetæ, ut Ezechiel, cap. xxiv, 24, Zacharias, cap. III, 8, et alii, quia divitias et honores contemnimus, atque tam mira, et concupiscentiæ ac moribus eorum repugnantia populo duro et carnali prædicamus, hinc quasi portenta habemur, et quasi stulti irridemur: ita et Christus, cujus ego sum præcursor et figura, cum suis pueris, id est Apostolis, ob novitatem suæ doctrinæ, vitæ et miraculorum, superbis Judæis et Philosophis videbitur esse portentum, spectaculum et ludibrium: per illa tamen multi cordati et pii Judæi compungentur et convertentur, cupientque et ipsi fieri pueri, id est discipuli, Christi: de Christo enim hæc explicat Paulus, *Hebr. II, 10*. Ita Origines, Basiliius, Cyrillus et passim veteres.

Moraliter Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.*, toto cap. v, pulchre ostendit quo modo Christiani omnes ad instar Christi pueri, de quo ait Isaias, cap. ix, vers. 6: « Parvulus natus est nobis, » debeant esse et vocari pueri, ob animi et morum, *primo*, innocentiam; *secundo*, simplicitatem et candorem; *tertio*, facilitatem et teneritudinem; *quarto*, humilitatem. Apposite Haymo in illud *Matth. cap. xviii*: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli*, etc. « Sicut parvulus, inquit, mulierem non concupiscit, alienas divitias non appetit, læsus non lædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, et iratus non perpetuas tenet discordias: ita et vos nisi talem innocentiam habueritis in mente,

(1) Judæorum religioni multimodi generis prophetias et prodigia Deus dispensabat. Nam non solum Prophetarum scripta vel sermones, sed eorumdem familia, pueri, uxores, ut prophetiæ viventes, et exempla populum docebant (*Osee XII, 18*; *Jerem. et Ezech.* passim). Siquidem decreverat Deus sese revelare et in oraculis et in persona Prophetarum, juxta istud ipsiusmet verbum: « In manu Prophetarum assimilatus sum. »

qualem iste habet in corpore, regnum cœlorum; quod humilibus et simplicibus præparatum est, intrare nunquam potestis.» Vide et ibidem S. Chrysostomum. Pulchre et breviter S. Ambrosius, *sermone* 55 : « Habet, ait, et Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non novit, referire non audet : ita et Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliandis non resistit, cædentibus non repugnat. Denique, sicut jussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit et pallium, verberanti maxillam præbet et alteram.

IN SIGNUM, ET IN PORTENTUM ISRAEL. — A consuetis non fit passio, aiunt Philosophi, præsertim apud homines in inveterata sua peccandi consuetudine obduratos : fecit ergo Deus, ut Isaias et Prophetæ a communi concionandi consuetudine recedentes, novum, insolitum et prodigiosum dicendi, agendi et vivendi modum induerent, fierentque portentum Israelis et orbis, ut hac ratione stupentes et duras hominum mentes excitarent, ferirent, mollirent et flecterent. Ita fecit Deus Isaiam portentum, cum ostendit ei suum solium, gloriam et Seraphim, misitque unum ex eis, qui calculo labia ejus adureret et purgaret, diceretque : « Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava; » et cum cap. vii, prædixit : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

Secundo, « portentum » fuit Isaias, quando sacco quasi cilicio super nuda carne indulus instar Capuccini, habitu pœnitentiæ, ut populum ad compunctionem commoveret, assidue concionabatur. Rursum cum ipse vir nobilis et e regia stirpe oriundus, jussu Dei per celeberrimam urbem Hierosolymam pleno die, toto corpore, etiam pudendis, ut habet Chaldaeus, nudus per triduum, vel, ut alii volunt, per triennium incessit, uti videbimus cap. xx.

Tertio, « portentum » fuit Isaias, cum Ezechie desolato, sed pœnitenti et lacrymanti quindecim annos vitæ adjecit, atque ad prophetiæ huic suæ fidem faciendam, in horologio Achaz umbram, ac consequenter solem omnesque orbis cœlestes, decem lineis et horis retrogredi ac reverti inaudito a sæculis miraculo coegit.

Quarto, Isaias fuit « portentum » sanctitatis, abstinentiæ, mortificationis, ac præsertim misericordiæ, qua assidue consolatus est lugentes in Sion.

Denique « portentum » fuit, cum identidem dicens : « Hæc mandat Dominus; » et : « Iterum hæc mandat Dominus, » irrisus a Judæis subsannantibus « manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta; » constanter nihilominus ac libere eorum vitia arguere et castigare perrexit, donec præmium prophetiæ martyrii lauream lignea serra a Manasse dissectus, obtinuit.

Talia portenta fuerunt pueri, id est discipuli et socii, Isaiæ ac Christi. An non portentum fuit Je-

remias in utero sanctificatus et consecratus Propheta : « Priusquam, inquit, Deus, cap. i, te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te, etc., ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas, et ædifices, et plantes. Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram. »

An non portentum fuit, cum ait ei Dominus : « Quid tu vides, Jeremia? » et ille : « Virgam, inquit, vigilantem ego video, » scilicet Dei oculum, potentiam et vindictam excubantem, et dura verbera intentantem impiis Judæis.

Et rursum : « Quid tu vides? Ollam, ait, succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis. Ab Aquilone pandetur malum, » etc.

An non ipse portentum fuit continentiæ, virginitatis, zeli, misericordiæ, gemens ut turtur, et lamentans assidue peccata atque flagella populi? maxime vero portentum fuit patientiæ, dum per 44 annos prophetans et prædicans a proceribus et Judæis contemptus, irrisus, divexatus et cæsus, hæc omnia fortiter æque ac mansuete sustinuit, dum audiit : « Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, » dum tertio in carcerem trusus, compedibus oneratus, victians in pane doloris et aqua tristitiæ, ac tandem in Ægypto a Judæis suis, in præmium prophetiæ et charitatis suæ, lapidibus obrutus martyr occubuit.

Tale portentum abstinentiæ et sapientiæ ac gubernationis fuit Daniel, qui in aula regia inter pueros regios educatus, cibo et vino regio abstinuit, atque legumine ac jejuniis vivens formosior ac pinguior cæteris pueris qui cibo regio vescebantur, apparuit : unde præmium temperantiæ accepit donum prophetiæ, omnisque scientiæ ac prudentiæ, qua Babyloniorum monarchiam sub Nabuchodonosore admirabili industria et felicitate rexit et moderatus est. Rursum cum tribus sociis portentum fuit castitatis, cujus merito Daniel a sævitia leonum, tres socii ab igne fuerunt inviolabiles, ut quos ignis libidinis non usserat, ignis Babylonius urere non posset.

Tale portentum fuit Ezechiel, cum vidit currum Cherubim, et quatuor animalia quadriformem faciem habentia, ac rotas plenas oculis, habentes spiritum vitæ et motum. An non ipse portentum fuit, cum missus ad Judæos dura facie et indomabili corde, protulit librum in quo lamentationes, carmen et vœ? cum a Deo audiit : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si dicente me ad impium : Morte morieris : non annuntiaveris eis, sanguinem ejus de manu tua requiram. » cum in latere Hierosolymam descripsit, ordinavit adversus eam obsidionem, dormivit super latus sinistrum 390 diebus : « Et portabis, inquit ad eum Deus, totidem annos iniquitatis eorum : diem pro anno dedi tibi? » cum jussus comedere panem

stercore humano opertum, ac deprecans vix impetravit, ut pro eo stercore bouum coopertum comederet.

Christus.

Verum portentum portentorum fuit Christus, cujus nomen Admirabilis, Deus, Fortis, Consiliarius, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, magni consilii Angelus. An non ejus vita et doctrina mundo fuit portentum, cum dixit: « Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati, qui lugent. Beati, qui esuriunt et sitiunt. Beati, qui persecutionem patiuntur. »

Mundus jubet odisse inimicos, persequi vindictam famæ et honoris; dicit: Si quis te percusserit, repercute: si quis det alapam, duas redde. Christus vero edicit: « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Vince in bono malum. » Nobilissima enim vindicta est, ut beneficiis hostem vincas, sibi subjuges, et ad redamandum cogas. Rursum: « Si quis, inquit, te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. »

Mundus jubet alta petere honoresque ambire. Christus vero: « Qui se, inquit, exultat, humiliabitur: qui se humiliat, exaltabitur. » Nonne hoc est paradoxum? via ad exaltationem est, si in contrarium eas, si descendas, si te humilies: hæc tamen verissima philosophia certissima via est ad sublimitatem, quia sola humilitas exultat. Filii Adam, magni esse, dii esse vultis? eritis, si velitis. Erratis in via: viam initis fastus, viam ambitus, viam ostentationis. Erratis ex diametro, via contraria est; descende, late, ama nesciri, submitte te:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potius quam superare juvet.

Sic extolleris, sic scandes ad astra.

An non vita Christi fuit portentum humilitatis, portentum charitatis, portentum paupertatis, portentum crucis et austeritatis? Rex regum, Dominus dominantium, cujus sunt cœli et terra, natus est in stabulo, vixit semper in hospitio, mortuus est in patibulo: « Ego, ait, sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Reclinatus est in præsepio, « quia non erat ei locus in diversorio. Vulpes, inquit, foveas habent, et volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Vixit in fame et egestate, quadraginta dies et noctes sine cibo et potu jejunavit, vixit ex eleemosynis, et subinde mendicatio, dicens: « Ego autem mendicus sum et pauper. »

An non portentum fuit crucis? in perpetuis laboribus, itineribus, persecutionibus versatus in vita; in morte excarnificatus, flagellatus, coronatus, distentus quasi latro occubuit. Et tamen orbem universum subegit non gladio, sed ligno; non lancea, sed cruce: « Ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » Ad hoc vexillum vocatus es, o Christiane! sub cruce militas. Turpe est sub capite spinoso delicata vi-

vere membra. Turpe, ubi imperator laborat, alget, famet, militem torpere, mollescere, deliciari. Clamat Christus: « Videte ne graventur corpora vestra crapula et ebrietate. » Ego abstinentissimam vitam duxi, imo pauperrimam per 34 annos: tune vino et deliciis afflues? Ego in cruce in extremo agone ardentissima siti, cum etiam latronibus vina dantur, felle et aceto potatus sum, ut tuam gulam expiarem, tollerem, abolerem: tu illi indulgebis? mero te infarcies? Inspice ducem tuum, inspice, fac secundum exemplar quod tibi in monte monstravit.

Portentum fuit amoris: me nascens dedi socium, convescens in edulium, me moriens in pretium, me regnans do in præmium. Tibi natus sum, tibi sudavi, tibi concionatus, tibi crucifixus. Ego me totum tibi tradidi, tu te totum mihi trade: dilata cor tuum; frigus torporis et amoris proprii expelle. Da, consecra mihi labores tuos, vitam tuam, studia tua, corpus, sudorem, sanguinem, vitam et animam. Huc usque ego te amavi; redde par pari: imo redde unum pro mille, punctum unum pro infinito. Quid enim es ad Christum, nisi quod punctum ad majestatem immensam et infinitam?

Ecce ego et pueri mei: Apostoli mei portentum **Paulus** fuerunt mundi. Audi Paulum: « Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Propter Christum omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. » Ergo, Paule, opes, dignitates, deliciæ, scientiæ stercora sunt? Omnia sine Christo, præ Christo stercora sunt? omnino sunt. Rursum, propter Christum, inquit, « ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, quinquies quadragenas, una minus, accepi: nocte et die in profundo maris fui, in periculis, in persecutionibus, in jejuniis, in vigiliis multis, in labore et ærumna. » Propter Christum « castigo corpus meum, et in servitatem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. » Tune, Paule, damnari, reprobari times? Castigas corpus tot laboribus attritum; nos otiosi et inertes carnis desideria sequimur, et de salute securi erimus?

An non portentum Apostoli fuerunt? qui dicunt: « Usque in hanc horam et esurimus, et sitiimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, » quasi erronei et exsules incertis vagamur sedibus; » et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc, » *ὡς περικαθάσματα*, tanquam scobs, ramentum, sordes toti mundo verrendo collectæ, *ὡσπερ καθάρματα*, tanquam piacula et lustramenta mundi facti sumus. « Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et

hominibus : » græce est θέατρον, « theatrum facti sumus : » in theatro quasi rei cum bestiis pugnaturi, quasi fures, quasi latrones jugulandi spectamur.

Ita noster Campianus Angliæ Apostolus, Angliæ martyr, vere Campianus, vere athleta uncialibus litteris hoc titulo insignitus : « Hic est seductor Jesuita Campianus, » toto Londino spectante ad carcerem ductus est; damnatus capitis, quasi proditor et perduellis, Deo egit gratias, ac cynæum canens : « Te Deum laudamus, te Dominum confitemur; » productus in theatrum, quo tota non tam urbs quam Anglia confluxerat : « Spectaculum, ait, facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus; » ego hic spector suspendendus, in quatuor partes vivus dissecandus, quasi seductor, proditor, patriæ hostis; spectaculum factus sum mundo. Tu, Domine, scis innocentiam meam, nosti quid spectaverim, seīs me non aliud spectasse, quam fidem et salutem Angliæ. Quod si aliud spectassem, in Anglia amplas opes et honores mihi oblatos ab iis qui me morti addicunt, acceptassem. Veniet dies, veniet, Elisabetha, dies, qui revelabit secreta tenebrarum et occulta cordium; qui ostendet utrum ego et socii mei sincere te amaverimus, qui pro te et salute tua tot laboribus, periculis et morti ipsi nos exposuimus; an ministri tui, qui a te non aliud quam opes, quam dignitates exspectant, tibi adulantur, te in hæresim ducunt et in cædes sanctorum, cædes eorum qui tuam salutem sitiunt. Deum oravi et oro, ut hæc mors mea quam libentissime patior, sit piaculum peccatorum tuorum, tibi veniam, tibi fidem, tibi felicitatem æternam impetret; quam utinam hac morte mea mihi a te illata, tibi emam et conciliem! Ecce pueri mei portentum facti sunt, inquit Christus. Feminam accipe.

Portentum fuit S. Paula Romana; quæ e regibus oriunda, Romanorum nobilissima, relictis parentibus, filiis, familia amplissima, opibus et provinciis. Hierosolymam navigavit, ut in Bethlehem ad præsepe Domini viveret vitam Christianam, imo Religiosam in humilitate, paupertate, devotione et amore Christi. Quinque ibidem monasteria ædificavit; viris præerat S. Hieronymus, ipsa virginibus. Prima erat in psalmis, prima in obsequiis, prima in humilitate, prima in jejuniis. Ita in pauperes et sanctos omnia distribuebat, ut, quod optarat, moriens non haberet linteum in quo sepeliretur, sed filia Eustochium illud emendicare debuerit: suo ita se spoliavit, ut cum Christo sepeliretur in alieno. Ecce portentum, ecce novum et insolitum epitaphium :

Gracchorum soboles, Agamemnonis inclita proles,

quæ

Pauperiem Christi et Bethlemica rura secuta est.

Tale portentum fuit S. Paulus primus Eremita, qui ab anno 15 ætatis usque ad 113 in spelunca

vixit, hominem non vidit, non est allocutus, sed Deum, sed Angelos. Aqua ei erat potus, cibus dimidium panis, quod quotidie ei corvus e cælo afferebat. Venienti Antonio : « Sexaginta, ait, anni sunt ex quo quotidie dimidium panis a corvo accipio; nunc veniente te integrum affert : militibus suis Dominus duplicavit annonam, vere pius, vere misericors. » Ac mox abiens Antonius vidit animam Pauli inter Sanctorum et Prophetarum choros, in cælum ab Angelis deferri.

Tale orbis miraculum fuit S. Antonius; qui ad 105 ætatis annum solitarius in summa abstinentia et rigore vixit, et cum monstris et legionibus dæmonum assidue certavit, ac triumphavit.

Tale fuit et S. Romualdus, qui ab anno ætatis 20 ad 120 in mira austeritate, lacrymis et sanctitate vitam egit angelicam.

Tales fuerunt et Sancti illi, « qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. » Quare? quia aspiciebant in remunerationem. Assidue cogitabant illud : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. »

Vis portenta nobilium et adolescentium? Alexius Romanorum nobilissimus celebratis nuptiis ex ipso convivio et consortio procerum, parentum, sponsæ se abripit : vestem mutat, quasi mendicus toto orbe peregrinatur. Edessæ in templo B. Virginis ad portam cum mendicis stipem petit, septemdecim annos ibi latet : proditor a B. Virgine quis esset : fugit; Romam redit, in conspectum se dat parentis, quasi mendicus admittitur : videt quotidie parentes, sponsam ejulantem : Ubi meus Alexius? ipsos septemdecim annos quasi canis sub gradibus jacet, ridetur; tunditur a famulis; moritur cum hac scheda in manibus : Ego sum Alexius filius vester, sponsus tuus. Quis nosset Alexium, nisi per heroicas has latebras, per fugam honorum et deliciarum? Alexius fuit, est, et erit gloriosior in suo antro, quam Augustus in imperiali solio.

Vis portenta stultitiæ, imo sapientiæ inauditæ? Simeon cognomento Salus, id est stultus, apud Leontium, ita stultitiæ nomen et opinionem affectavit, ut faceret se ludibrium mundi. Currebat per plateas quasi amens et fatuus : a pueris quasi insanus luto et sordibus petebatur : stultissima ad speciem hominum fecit et gessit. Quare? ut impleret illud : « Nos stulti propter Christum. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. » Stulti hi damnant mundi sapientiam, damnant vanitatem, contemnunt opes, honores, fastum, ambitionem et quidquid mundus admiratur : cœlestia spectant, terrena et caduca « immoto rident cuncta supercilio. »

Franciscus.

Tale portentum fuit S. Franciscus, qui quasi stultus cucullo et cappa indutus, stultam fecit sapientiam hujus mundi; tantus paupertatis amator, quantum alii divitiarum sunt. Tantus fuit contemptor sui, ut a suis sibi exprobrari juberet: Tu rustice, tu idiota, tu peccator, tu belluo, tu hypocrita; quibus ipse: «Benedicat, ait, o filii, vobis Deus, quia vera dicitis; talia filium Petri Bernardonis audire decet.» Quare? ut suos et mortales omnes doceret comprimere arrogantiam, extirpare innatum laudis et gloriæ desiderium, inserere et imprimere animo intimam Christi humiliationem, et sui contemptum, quasi diceret: Si insanire libet, mecum sapienter insane; si stultescere, en vexillum præfero; si bacchari, mecum pie bacchamini. Ne te excuses, ne pudeat, ne solus sis, en me et meos, tot millia stulte sapientium, qui te præeunt.

Simeon Stylites

Atque ut concludam, accipe portentum sæculorum Simeonem Stylitem, qui, ut narrat Theodoretus oculatus testis, et Simeonis in spiritu filius (utpote quem Simeon matri filium precibus suis impetravit), pastor ovium existens templum ingressus audivit Evangelicam vocem, quæ beatos pronuntiat eos, qui flent, lugent, et mundo sunt corde; miseros, qui rident et saturantur. Illico rogat Deum, ut ad hanc viam perfectam pietatis et religionis se deducat, secedit inter ascetas et monachos: mox totam hebdomadam jejunos traducit: asperrimo fune lumbos succingit, ut tota illa corporis pars exulceraretur: in laboribus ac poenitentis ad stuporem constans et alacer. Quadragessimam totam sine cibo jejunat. Columnam conscendit, catena pedem illi colligat: pes ad talos putrescit: stat continuo noctes et dies; in hieme et æstate, in pluvia et gelu, in nive et grandine, in æstu et solis ardore. Tota nocte vigilat et orat, æque ac mane usque ad horam nonam. Inde toto orbe ad se confluentes excipit, sanat, docet, lites componit, ac sub vesperam redit ad orationem. Ita vixit ipsos octoginta annos, ac mortuus est cum centesimum ætatis superasset annum. Concurrenere ad eum turmatim Persæ, Armeni, Galli, Æthiopes, Britanni, Duces, Principes et Reginæ, ut angelum terrestrem viderent, miracula impetrarent, charismata quaelibet spiritualia poscerent.

Quid non voce, sed vita hac doces? quid concionaris, o Simeon? Audite, mortales, discite ex me spernere temporalia, sectari cœlestia: videte in me quid possit natura cum gratia Dei, quæ nemini negatur. Nimis vobis blandimini dum dicitis: Non possum istum laborem, istam inedia, illam mortificationem sustinere. Ecce ego homo fui vobis similis, vestra carne indutus: ego ista sustinui, lætus et fortis sustinui: inter homines ut angelus vixi. Quid ergo in columna meditaris, o Simeon? Vivo, inquit, æternitati: pingo imaginem vitæ, quam tota posteritas, omnia sæcula mirentur, ut et imitentur: pingo animam, ut in æternitate coram Deo et Sanctis omnibus hoc vir-

tutum fulgore et gloria resplendeat. Quidni pingam exactissime et pulcherrime 70, 80, 100 annis imaginem, non centum, non mille, non centum millibus, non decies centenis millibus, non mille millies annorum millibus, sed in omnem æternitatem duraturam, et coram Deo, Angelis et hominibus effulsuram?

Pingamus et nos æternitati, vivamus æternitati, ideoque faciamus nos portentum constantiæ et fortitudinis, ut quasi adamantes simus: nullis sociis, nullo pudore, nullis irrisionibus a timore et pietate Dei deflectamus; sed magna, rara et heroica virtutum facinora animo designemus, et reipsa efficiamus. Simus portentum humilitatis, pietatis, sobrietatis, ut quasi Angeli sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo, ut in sanctitate et justitia coram Deo ambulantes, serviamus illi omnibus diebus vitæ nostræ. Simus portentum charitatis et zeli, igne cœlesti afflati (de quo ait Christus *Luce* XII, 49: «Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?») ignem spiremus, habeamus mentem igneam, linguas igneas, ut spiritu Apostolico et socios, et urbes, et totum orbem accendamus amore divino. Sic erimus cum Christo et Sanctis omnibus portentum temporis, portentum æternitatis, portentum laborum et virtutum, portentum denique gloriæ et gaudiorum sempiternorum. Det nobis Deus multos Isaïas, det Christos, det Apostolos, det doctores, det concionatores, qui sint portenta mundi, ut mundanos homines in cordibus raro vitæ exemplo, igneisque vocibus feriant, convertant, et ad cœlum traducant. Amen.

19. QUERITE A PYTHONIBUS, ET A DIVINIS, QUI STRIDENT, etc. — *Pythones* dicuntur spiritus divinatorios, qui humanis corporibus se insinuant edunt vaticinia: item et homines ipsi qui tales habent spiritus et dæmones familiares, vel ab iis correpti aut possessi sunt. Sic *Pythia* dicebatur femina sacerdos Apollinis apud Delphos, quæ consulentibus oracula reddebat; ita dicta *παρὰ τὸ πύθνεσθαι*, hoc est a consulendi interrogandique consuetudine.

Septuaginta vertunt, *ἐγγαστριμύθους*, id est ventri- loquos, quia sæpe per pectus vel ventrem hominis loquebantur: unde hebraice vocantur *אבוֹת* *aboth*, id est *utres*: quia per ventrem quasi per utrem obscuras, stridulas, hiulcas, confusas, ambiguas et perplexas sæpe dabant voces: modum quo id faciebat dæmon, explicat Aristophanis Scholiastes in Pluto.

Hac de causa dicuntur stridere, vel, ut hebraice *Strident*, est, mussitare et submurmurare. Adde, hi enthusiastæ sæpe a dæmone quasi furiis acti, aut quasi phrenetici stridebant et spumabant. Rursum dæmon cum stridore et violèntia coactam vocem per os vel ventrem eorum exprimebat. Denique ipsimet advocantes dæmonem, et petentes ab eo divinationem, carmen magicum recitabant mussitando et submurmurando. Secus fiebat in oracu-

lis quæ dæmon per idola edebat : illa enim per os, vel ad os idoli, claram efformando vocem, edebat, quasi ipse esset anima, vel insessor et habitator idoli. Quocirca et idoloplastæ idolo dabant patulum ingensque os, qualia multa hic in palatio Vaticano vidi, quæ ita hiant, ut integrum ovum in illud injicere liceret.

Jam sensus est, *q. d.* Cum in his rerum angustiis, quibus, o Judæi! a Rasin et Phacee premi-mini, suadent vobis nonnulli politici et impii homines, ut a pythonibus, divinis et magis futurum hujus obsidionis eventum sciscitemini; libere et audacter est respondere quod ego hic doceo et suggero, scilicet: Numquid non est Deus in Israel, a quo populus exquirat visionem, id est oraculum de futuro eventu; numquid pro vivorum salute consulat mortua idola, vel damnatos dæmones, ab iisque petet prophetiam et prænotionem futurorum? Impie ergo hæc torquet Marloratus contra invocationem Sanctorum. Hi enim, licet mortui sint, Deo tamen vivunt et fruuntur.

20. AD LEGEM MAGIS, ET AD TESTIMONIUM, — *q. d.* Ad legem potius et ad arcam ac propitiatorium recurrendum est: ibi audiemus verum oraculum. Lex enim docebit nos quid agendum, quid cavendum sit, tum alias, tum tempore belli, scilicet consulendum esse, non dæmonem, sed Deum in propitiatorio residentem.

Nota: Arca vocatur *testimonium*, quia continebat legem sive tabulas Decalogi, quæ erant testimonium voluntatis divinæ: testabantur enim Judæis quid ab eis fieri vellet Deus.

Secundo, divini consulebant mortuos. *Primo*, quia sæpe evocabant manes et umbras mortuorum, et ab eis sciscitabantur futura, uti fecit pythonissa Saulis, I Reg. xxviii. Unde hæc magia vocatur *necromantia*, id est divinatio ex mortuis. *Secundo*, quia consulebant dæmones, qui mortui sunt morte æterna, id est damnati sunt, atque assidue dolores et agoniam extremam, qualem hic subeunt morientes, patiuntur: unde omnes tam dæmones quam homines damnati, dicuntur versari in regione umbræ mortis. *Tertio*, quia subinde consulebant idola, quæ mortua, id est inanimata, sunt.

QUOD SI NON DIXERINT JUXTA VERBUM HOC (si Judæi aliter responderint quam ego hic doceo et jubeo, putarintque a divinis et magis, non a Deo petendum esse oraculum de futuro belli Syriaci eventu), NON ERIT (oriatur) EIS MATUTINA LUX, — id est veritas, sed in tenebris errorum et falsorum oraculorum degent. *Secundo*, « lux, » id est lætitia et prosperitas, *q. d.* Nihil habebunt lucidum, id est felix, jucundum et prosperum, sed omnia infausta, tristia et adversa.

21. ET TRANSIBIT (scilicet hæc matutina lux) PER EAM, — scilicet domum Jacob, de qua vers. 17, id est Judæam, *q. d.* Si credatis divinis, lux veritatis et felicitatis transibit et recedet a Judæa, tum jam, tum tempore Christi: tunc enim lux Evan-

gelii a Judæis ad Gentes transibit, inquit S. Hieronymus et S. Thomas. Sic ergo Judæam occupabit caligo ignorantiae, infidelitatis et peccatorum; unde subdit cap. seq., vers. 2: « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. » Quid autem Judæa passa sit dum pythones Deo, tenebras luci, magos Isaïæ prætulit, subdit dicens:

CORRUET, ET ESURIET, IRASCETUR, ET MALEDICET REGI SUO, ET DEO SUO (scilicet non lux, ut patet, sed ea, scilicet Judæa; sic enim Hebræi sæpe mutant suppositum, illudque ex circumstantiis lectori mutandum et intelligendum relinquunt: et rursum), SUSPICIET SURSUM. 22. ET AD TERRAM, etc., — *q. d.* Sive in cælum sursum, sive in terram deorsum aspiciat, non nisi tribulationem, tenebras, tristitiam, et miseriam, dissolutionem virium corporis et animi, atque undique angustias se persequentes, quas evadere non poterit, inveniet et intuebitur: sursum enim cælum clausum Deumque iratum et sævientem, deorsum terram undique ab hostibus insessam aspiciet. Ita Sanchez.

Aliter Forerius, « et transibit, » scilicet, inquit, quisque Judæorum impiorum, « per eam, » scilicet legem Dei, eam non curando et prævaricando: unde corruet, esuriet, etc. Sed prior sensus magis planus et connexus est. Loquitur Propheta de vastatione Judææ per Sennaacherib et per Nabuchodonosorem: tunc enim plenissime hæc mala Judæis obvenerunt.

Moraliter, nota hic pœnam eorum qui divinos consulunt. Deus enim vult se consuli, non diabolum; legem et S. Scripturam, non oracula magorum. Ita Meroveus Chilperici regis Francorum filius, ambiens regnum de patre et noverca multa crimina loquebatur: quadam die invitavit ad convivium Gregorium Episcopum Turonensem, petens aliquam animæ instructionem. Gregorius aperiens librum *Proverb.*, incidit in illud cap. xxx, vers. 17: « Oculum, qui subsannat patrem, etc., effodiant eum corvi de torrentibus. » Consuluit deinde Meroveus pythonissam anno Christi 580, quæ respondit Chilpericum eo anno moriturum, et Meroveum solum, exclusis fratribus, in omne ejus regnum successurum. Cumque hæc narraret ipse, corripuit eum Gregorius Episcopus Turonensis, dicens a Deo hæc poscenda esse; dæmonem enim esse mendacem. Meroveus ergo adiit sepulcrum S. Martini, in eoque posuit tres libros, scilicet Psalterii, Regum et Evangeliorum, et vigilans tota nocte petiit, ut S. Martinus ostenderet quid sibi circa regnum eveniret; post tridua jejunia, vigiliis et orationes accedit ad tumulum, et revolvit librum qui erat Regum; versus autem primus paginæ quam reseravit, hic erat: « Pro eo quod reliquistis Dominum Deum vestrum, et ambulastis post deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum ejus, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum, » II Paral. vii; Psalterii autem versus hic est inven-

S. Scriptura consulenda, non magi. Exempla.

Testimonium est arca.

tus : « Verumtamen propter dolos posuisti eis mala : deiecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem ? subito defecerunt, perierunt propter iniquitates suas, » *Psalm. LXXII.* In Evangeliiis autem hoc est repertum : « Scitis quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. » In his responsionibus confusus ille et flens discessit. Merito, nam hæc ei obvenerunt; eodem enim anno Meroveus pressus a hostibus, ne in eorum manus veniret, spontanea nece Fredegundis artibus interiit, narrat Gregorius Turonensis, lib. V *Histor. Francor.* cap. XIV et XVIII.

Ibidem, cap. XLIX, narrat Gregorius de se ipso, quod cum Leudastes calumniator potens, Turonis Platonem Archidiaconum et Galienum in vincula coniecisset, ipse mæstus et turbatus adiit oratorium, ibique Psalterium aperiens, reperit illud *Psalm. LXXVII* : « Deduxit eos in spe, et non timuerunt : et inimicos eorum operuit mare. » Interea ingressi in fluvium, navis illa quæ Leudastem vehebat demergitur; navis vero alia quæ huic in-nexa erat et vinctos habebat, super aquas auxilio Dei vehebatur. Audi tertium.

Cum S. Martinum populus optaret Episcopum, reclamavit quidam nomine Defensor cum suis, dicens eum esse simplicem et parvæ scientiæ; sed

repressus est : cum enim, sumpto Psalterio, lector unus sacras Litteras de more consuleret, aperto libro incidit in illud *Psalm. VIII* : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et defensorem » (sic enim habebat antiqua Gallorum lectio). Quo lecto clamor tollitur, et pars adversa confunditur, et S. Martinus cathedram infantium et lactentium oraculo Spiritus Sancti confirmatam accepit, inquit Sulpitius in ejus Vita.

Ita S. Antonius; S. Franciscus et alii vitæ statum, ut scilicet religiose Deo servirent in paupertate et Christi sequela, captarunt ex lectione vel inspectione S. Scripturæ.

Denique Gregorius Turonensis, lib. II *Histor. Franc.* cap. XXXVII, narrat Clodoveum, mæventem castra contra Alaricum, misisse suos ad ecclesiam S. Martini, ut inde victoriæ vel cladis auspiciam peterent. Illis ingredientibus ecclesiam, primicerius incepit : « Præcinxisti me (Domine) virtute ad bellum; supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti, » *Psalm. XVII.* Quare animose cerva duce Pictavos perrexit, ibique vicit Alaricum ope S. Hilarii : « Pharus enim ignea, de basilica S. Hilarii egressa, visa est ei tanquam super se advenire. »

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS:

Prædicat quod, sicut Assyrii prædati sunt Samariam et Galilæam, ita et Christus easdem prædabitur spiritaliter; unde mira eis lux affulgebit et gaudium : quia parvulus natus est nobis, cujus nomen est Deus, Fortis, etc. Secundo, vers. 9, redit ad sua tempora, atque Syriæ et Samariæ ob scelera cladem et exitium comminatur.

1. Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtali : et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ Gentium. 2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. 3. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiā. Lætābuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia. 4. Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. 5. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis. 6. Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus : et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. 7. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David, et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum : zelus Domini exercituum faciet hoc. 8. Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israël. 9. Et sciet omnis populus Ephraim, et habitantes Samariam, in superbia et magnitudine cordis dicentes : 10. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus : sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. 11. Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos ejus in tumultum vertet :

12. Syriam ab Oriente, et Philisthiim ab Occidente : et devorabunt Israel toto ore. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta : 13. Et populus non est reversus ad percutientem se, et Dominus exercituum non inquisierunt. 14. Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrenantem, die una. 15. Longævus et honorabilis, ipse est caput : et propheta docens mendacium, ipse est cauda. 16. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes : et qui beatificantur, præcipitati. 17. Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus : et pupillorum ejus, et viduarum non miserebitur : quia omnis hypocrita est, et nequam, et universum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 18. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit : et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi. 19. In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus quasi esca ignis ; vir fratri suo non parcat. 20. Et declinabit ad dexteram, et esuriet : et comedet ad sinistram, et non saturabitur : unusquisque carnem brachii sui vorabit ; Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen, simul ipsi contra Judam. 21. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

1. PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST TERRA ZABULON (1). — Prosequitur id quod dixit cap. præced., vers. 3, puerum nasciturum fore velocem prædatorem Samariæ, tum corporalem, tum spiritualem : perstringit enim duas Samariæ vastationes corporales per Assyrios, atque per eas repræsen-

(1) In hoc capite quod est veluti præcedentis complementum, Propheta temperat quæ de horrendis illis tenebris et impulsu dixerat, et pœnarum illarum acerbiter mitigat, prædicendo quod sicut Assyrii prædati sunt Samariam et Galilæam, ita et Christus easdem prædabitur spiritualiter, prosequens quod dixit cap. viii, vers. 3, puerum nasciturum fore velocem prædatorem Samariæ tum corporalem, tum spiritualem.

In hoc igitur fausto prænuntio, quod spectat præsertim ad Galilæam inferiorem et superiorem, vers. 1-2, exhibet primo, lætitiæ magnitudinem, 3; secundo, rationem, quod confregerint inimici potentiam, et regnum ejus et tyrannidem everterint, 4; tertio, aperit bonorum omnium quæ dixerat, fontem atque originem, nempe Christum nasciturum, cujus majestas amplificatur ex titulis, 6; quarto, imperium extollitur ab amplitudine, pace, constantia, 7.

Quæ sequuntur a vers. 8 hujus capituli usque ad vers. 4 capituli sequentis, sunt sicut repetitio et amplificatio prædictorum. Propheta funesta vaticinatur Israelitarum regno, ejusque vastationem denuntiat, quam supra non semel tetigerat, sed propter Judam omiserat. Hæc prophetia quæ tempore paulo posterior est præcedenti, et nonnisi postquam Teglath-Phalasar partem Israelitarum abduxerit, facta est, in quatuor veluti partes dividitur, quarum unaquæque eodem isto intercalari versu terminatur : « In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. »

Primo, videmus funesti hujus eventus prænuntium datum a Propheta, vers. 8; spretum ab Israelitis, 9, 10; et instrumenta nominata, scilicet Rasin junctum cum Assyriis, Syros et Philistæos, 11-12.

Secundo, executio describitur contra Israelitas impœnitentes, 12-14; speciatim contra pseudoprophetas, hypocritas et seductores, 15-17.

Tertio, cumulatim contra impios et superbos ex omni tribu, 18-20.

Quarto, sigillatim contra legislatores et iudices iniquos, cap. x, vers. 1-4.

tat ejusdem deprædationes duas spirituales factas per Christum. Quocirca Syriaca versio et Arabica hæc connectunt cum fine capituli præcedentis. Sensus ergo est, q. d. Primum alleviata, id est leviter spoliata, levi plaga afflicta est Samariæ pars : puta tribus Zabulon et Nephtali (utpote extimæ, per quas Assyrii transeundum erat ad alias tribus) per Teglathphalasar regem Assyriorum expugnatae sunt.

ET NOVISSIMO (id est posterius, deinde; hoc enim est Hebraice אַחָרָוֹן *acharon*) AGGRAVATA, — id est graviori clade affecta et vastata est a Salmanasare reliqua Samariæ pars, maxime Galilæa, quæ Gentium dicebatur. Salmanasar enim regnum Samariæ evertit, omnesque decem tribus in Assyriam captivas abduxit anno 6 Ezechiae. Unde ex Hebræo sic clarius veritas cum Vatablo : *Prius levigavit vel levem fecit*, id est leviter spoliavit et afflixit, Emmanuel qua Deus, terram Zabulon, et terram Nephtali; postea vero aggravavit, id est gravius afflixit, etc., Galilæam Gentium. Ita S. Thomas, Hugo, Vatablus, Adamus, Jansenius in cap. xxv *Concord. Evangel.*, et passim Hebræi.

Verum hic non sistit Propheta, ut multi ex eis volunt, sed hunc sensum quasi obiter innuens, alludens et perstringens, per eum alium longe sublimiorem et potiore intelligenit, q. d. Pari, imo longe potiori modo Christus jam natus homo, incipiens exercere nomen et officium prædatoris celeris, quod ei dedi cap. præced., vers. 3, primo alleviabit, id est leviter prædabitur rapietque e faucibus diaboli, idololatriæ et inferni terram Zabulon et Nephtali : ibi enim Christus primo prædicavit (uti conceptus est in Nazareth, quæ pertinebat ad tribum Zabulon), indeque collegit pene omnes Apostolos, uti docent S. Hieronymus, Cyrillus, Basiliius, Procopius hic, et S. Chrysostomus in demonstratione quod Christus sit Deus : hinc Apostoli, *Psal.* LXVII, 28, vocantur « Principes Zabulon, » et « Principes Nephtali. » Hæc ergo præ-

datio ipsi terræ ejusque incolis felix erit et salutaris : per eam enim ab eis excutietur grave jugum diaboli. Unde Noster vertit, « alleviata est. » Christus enim levi prædatione statim eam alleviavit ab onere infidelitatis et peccatorum, dum multos ex iis ad suam fidem et salutem convertit. Deinde vero gravius prædatus est eandem, maxime Galilæam Gentium, quando assidue ibi prædicans (non tantum per se, sed et per Apostolos, faciensque miracula, longe plures ex iis convertit. Verum hæc prædatio fuit ei commoda, fecitque eam in fide et gratia opulentam. Unde Forerius *ad aggravata est* exponit, *gravis facta est honore et divitiis spiritualibus.*

Probat-
tur.

Hunc esse sensum patet primo, ex sequentibus : « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, » etc. Secundo, ex S. Matthæo, qui ita hunc locum explicat; nam cap. iv, vers. 13, de Christo incipiente prædicare ait : « Habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtali, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon, et terra Nephtali, via maris trans Jordanem, Galilæa Gentium populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. » Ubi clare hunc sensum exprimit, ideoque omittit *ad alleviata et aggravata est*, quia hæc verba obscura sunt.

Tertio, quia juxta hunc sensum optime per omnia respondet typus antitypo, scilicet deprædatio Samariæ per Assyrios deprædationi ejusdem per Christum : utramque enim hisce tribus capitibus vii, viii, ix, ita conjungit Propheta, quasi una eademque sit; unde nunc de una, nunc de altera, nunc de utraque simul loquitur.

Quarto, quia Christi prædicationem comparat spoliationi et prædationi militari : ideo enim vocavit eum « Velociter spolia detrahe, » q. d. Christus fuit velox prædator Samariæ et regni diaboli, quia in Zabulon et Nephtali, ubi cœpit prima Hebræorum idololatria et legis oblivio, ibi et per Christum facta est prima legis novæ prædicatione, ait Glossa. Ideo et hic vers. 3, ait : « Lætantur, etc., sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia. » Et rursum : « Jugum oneris, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. » Ubi Christum comparat Gedeoni liberatori Israelis et vastatori Madian. Et rursum : « Quia omnis violenta prædatio cum tumultu. » Mox enim hunc prædatorem explicat subdens : « Parvulus enim natus est nobis, etc., et factus est principatus super humerum ejus. »

Quinto, quia Septuaginta vertunt, hoc primum bibe, velociter fac, regio Zabulon, q. d. Tu, o terra Zabulon et Nephtali! uti prima bibes calicem vindictæ Dei per Assyrios, ita et prima bibes calicem vindictæ salutaris Christi, qua ipse te de diaboli tyrannide liberabit : nam prima hauries avidè et sitibunde doctrinam Evangelicam, quasi cœlestem pluviam Christi et Apostolorum,

inquit Cyrillus : prima etiam bibes aquam in vinum conversam primo miraculo Christi, in nuptiis factis in Cana Galilææ; hæc enim pertinebat ad tribum Zabulon. Favet versio Syriaca, quæ sic habet, *in tempore primo festinavit terra Zabulon, et terra Nephtali; et invaluit dominium* (potestas, imperium), *et via maris, fines Jordanis fluminis, Galilæa gentium; et Arabica Antiochena, in tempore pristino properavit terra Zabulon, et terra Nephtali; et id super quo inclinarunt dominium* (potestatem) *suum, et confirmata est* (invaluit) *et roborata est via maris, medium Jordanis fluminis Galilææ; et Arabica Alexandrina, tempore antiquo festinavit terra Zabulon, et terra Nephtali; et roborati sunt presidentes in via maris, quæ est transitus* (trajectio) *Jordanis Galilæa populorum.* Zabulon enim et Nephtali primo festinarunt ad Christum, primoque ejus dominio se subjicientes, robur et vim gratiæ ejus senserunt.

Nota : Aliter nec male hæc accipit Hieronymus Prado in *Ezech.* pag. 275. Alleviari, inquit, est vilipendi; aggravari est honorari : nam hoc quoque significat Hebraice *הקל* et *הכביד hecal* et *hicbid*, q. d. Olim nihili a Judæis ducebatur Galilæa, tum quia longius aberat a Jerusalem, tum quia defecerat a Juda et templo, tum quia habebat abjecta oppida, uti fuerunt viginti illa quæ Salomon dedit Hiram regi Tyri, quæ proinde terra Chabul, id est vilis et ignobilis, sunt appellata : unde et Christus a Judæis et a Juliano Apostata per probrum vocabatur *Galilæus* : verum in novissimis diebus hæc Galilæa, eam visitante, incolente et prædicante Messia, erit honoratissima. Simili enim modo dixit Aggæus, cap. ii, vers. 10, templum a Zorobabele constructum fore augustius Salomonio, ob Christi in eo præsentiam et prædicationem. Et Michæas, cap. v, vers. 2, Bethlehæm extollit ex eo quod in ea nascetur Christus.

Denique aliqui sic exponunt : Terra Zabulon et Nephtali primo a Christo alleviata est ab onere infidelitatis et peccatorum, quando multi ex ea crediderunt et sunt conversi : postea vero aggravata est eodem onere et iisdem malis, quando multi alii manserunt increduli, in eoque se obdurarunt et obfirmarunt, præsertim Galilæi qui vicini erant Gentibus, ut fecerunt Scribæ et Pharisæi. Unde Zabulon et Nephtali a Christo audire : « Væ tibi, Corozain ! væ tibi, Bethsaida ! quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent, » *Matth. xi, 21.* Ideoque Galilæa, uti et Judæa, excisa est a Vespasiano. Verum primus sensus per omnia magis convenit et congruit.

VIA MARIS. — Zabulon et Nephtali dicuntur « via maris, » id est ora maritima maris, sive lacus Tiberiadis, inquit S. Hieronymus, huic enim multæ earum urbes adjacebant, uti Bethsaida, Corozain, Capharnaum, etc., erantque ibi multi piscatores, ex quibus vocati sunt Apostoli; unde

Sanchez viam maris exponit institutum piscatorium, q. d. Ubi multi vacabant piscaturæ, ubi multi erant piscatores: sic enim vulgo Belgæ dicunt *t'is een zeeman* est vir maris, id est nauta et piscator. Sed prior sensus est planior.

Secundo, alii, ut Lyranus, mare Mediterraneum accipiunt: ad hoc enim venientibus a Jordane via est Galilæa Gentium.

Tertio, optime Adrichomius hanc viam maris ponit inter utrumque mare, eamque ita describit pag. 115, num. 100, in sorte tribus Nephtali: « Via, inquit, maris, cujus in prophetia Isaïæ, libro Tobïæ, et Evangelio Matthæi fit mentio, indeque nomen habet quod e Syria in Occidentem ad mare Rubrum, seu Mediterraneum ducat; publica quædam via est, quæ initium in Syria sumens, per montana Trachonitidis regionis, et civitates Cedar et Corozain, atque Jordanem fluvium, tandemque urbem Capharnaum transit; illincque per littus maris Galilææ procedens, juxta civitates Bethsaidam, Nephtali, Sephet, et Naason præterit, et per Galilæam Gentium, ac vallem Aser, quæ nunc S. Georgii appellatur, Ptolemaidem decurrens, merces suas in universum Occidentem distrahendas, ad mare magnum exonerat. »

TRANS JORDANEM. — Erat hæc via vel ora maris citra Jordanem; dicitur tamen esse trans Jordanem respectu Jerusalem, scilicet quia erat ultra partem illam nobilissimam Jordanis, quam mare Tiberiadis vocamus, quod medium est inter Jerusalem et Galilæam Gentium, inquit Sanchez. Nam, uti dixi *Canon. XXXIX*, Scriptura consignat situs locorum respectu Hierosolymæ. Verum quia mare Tiberiadis non solet vocari Jordanis, et quia hoc mare ad latus est Galilææ Gentium, ita ut Galilæa hæc sit quidem ultra, non tamen trans hoc mare; hinc facilius dicemus hanc Galilæam dici trans Jordanem respectu Syriæ: ex Syria enim ultra Jordanem incipiebat via maris jam dicta, eaque pergebat trans Jordanem, per Galilæam Gentium ad urbem Ptolemaidem, et ad mare Mediterraneum, ut patet ex tabulis Adrichomii, et ex verbis ejus jam citatis.

GALILÆA GENTIUM, — ita Romana. Verti potest « Galilæa Gentium, » uti vertit *Matth. iv, 15*, idemque est sensus: ipsa enim Galilæa vocatur « via maris, » id est ora maritima: rursus hæc ora erat ora Galilææ Gentium; perinde ergo est sive veritas *Galilææ*, sive *Galilæa*: clarior tamen sensus erit si veritas, *Galilæa*.

Nota: Duplex erat Galilæa, superior et inferior, idque respectu Jordanis cui utraque adjacet. Sicut enim dicitur Germania superior, quæ vicinior est fonti sive origini Rheni defluentis inferius; inferior vero, quæ a fonte longius abest, in quam quasi ex loco supero defluit Rhenus: ita et Galilæa inferior erat, quæ longius aberat a fonte seu scaturigine Jordanis, et in quam sursum oriens Jordanes defluebat: superior vero erat, quæ ipsi scaturigini erat propinquior, eratque vicina Gen-

tibus Tyriis et Sidoniis; unde et « Gentium » dicebatur, quia Gentibus habitabatur ea illius pars, quæ a Salomone data fuit Hiram regi Tyri, *lib. III Reg. cap. xi*. In Galilæa superiori sive Gentium erant Bethsaida, Corozain, Capharnaum, etc., quas Christus sua habitatione, miraculis et concionibus illustravit, uti hic prophetat Isaïas.

2. POPULUS, QUI AMBULABAT IN TENEBRIS (populus Galilææ, populus Zabulon et Nephtali, versans in tenebris infidelitatis, id est Judæismi mixti cum Gentilismo) VIDIT LUCEM MAGNAM (Evangelicam veritatem, et Christum ipsum qui est lux mundi): HABITANTIBUS IN REGIONE UMBRÆ MORTIS (id est in densissima caligine ignorantiae et peccatorum) LUX ORTA EST EIS. — Hoc est Christi fides, gratia et claritas affulsit. De umbra mortis plura dicam *Jerem. cap. xiii, vers. 16*.

Aliter hæc explicat Jansenius in *cap. xxv Concord.*, scilicet non de Galilæis, sed de Judæis sub Ezechia obsessis a Sennacherib: hi enim viderunt lucem, id est liberationem et lætitiā magnam, cum Angelus cecidit in ejus exercitu 185 millia Assyriorum. Verum de Sennacherib et Judæis nulla hic facta est mentio; atque de Galilæis hæc dici non de Judæis, patet tum ex versu præcedenti, tum ex *S. Matth. iv, 15*. Ex quo patet hæc Isaïæ verba a Christo prædicante in Galilæa ad litteram fuisse adimpleta: Propheta ergo totus ad Christum hic transit (1).

3. MULTIPLICASTI GENTEM, NON MAGNIFICASTI LÆTITIAM. — *Primo*, S. Thomas, Lyranus, Hugo et Adamus hæc rursus referunt ad Sennacherib, qui multis copiis invasit Judæam, sed iis cæsis ab Angelo inglorius et tristis ad suos rediit.

Secundo et genuine, alii hæc referunt ad tempus Christi; de eo enim dixit: « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, » q. d. Tu, o Emmanuel! per te et Apostolos, multos e Galilæis æque ac Judæis et Gentibus convertes: sed tibi et Apostolis lætitiā non magnificabis; quia videbis tu, et videbunt ipsi multo majorem eorum partem manere incredulam; et consequenter videbunt cum dolore gentis suæ, putatam Galilæorum quam Judæorum, pro quibus ipsi cum Paulo optabant esse anathema, excidium per Titum. Ita S. Hieronymus Haymo et alii. Hinc dolens et gemens Christus aiebat: « Væ tibi, Corozain! væ tibi, Bethsaida (2)! »

(1) Huic versui duorum sensuum litteralium systema applicari nequit. Nam totam populi Dei historiam perlegenti nullum apparet factum, ex quo constet decem tribus a Teglath-Phalasarē subjugatas, lucem magnam vidisse, et ex umbra mortis emersisse. Hæc igitur solummodo adimpleta fuerunt, cum Christus hanc regionem peragravit, ut prima Evangelii semina spargeret, et ex ea plebsque Apostolos elegit. Si ergo duos sensus litterales in hoc versu agnoscendi essent, nonnisi de tenebris in quibus istæ tribus mersæ fuerunt, dicendum esset quæ fuerunt tenebræ desolationis sub Teglath-Phalasarē, et tenebræ schismatis et idololatriæ tempore Christi. (P. Berthier.)

(2) Juxta sensum litteralem quem strictiorem et tum

Pro multiplicasti hebraice est הרבירי *hirbita*, quod Forerius et Sanchez vertunt, *magnificasti, auxisti*, id est ornasti et ditasti eos tuis doctrinis et miraculis, et sic accipi potest nostrum « multiplicasti, » scilicet tuis donis, gratiis et beneficiis : tuncque sensus est planior et commodior. Sic per enallagen sæpe *multus* capitur pro *magno*, et vicissim *magnus* pro *multo* : sic enim Hebræi ab eadem radice רבה *raba*, id est multus fuit, vocant רב *rab*, vel רבי *rabi*, id est magnum, puta doctorem vel principem ; qui scilicet multa doctrina vel potentia præditus est : sic vocatur multitudo magna, id est multa ; populus magnus, id est multus ; sic *Exod. viii, 24*, quarta plaga Ægypti vocatur « musca gravissima, » id est plurima. Vide ibi dicta.

Nota : Septuaginta, Chaldæi et Recentiores pro לֹא *lo* per *aleph*, id est *non*, legunt לו *lo* per *vau*, id est *ei*. Unde contrarie vertunt hoc modo, *multiplicasti gentem ; ei magnificasti lætitiā* : quæ lectio et versio etiam verum habet sensum, *q. d.* Multi ex Galilæis convertentur, unde magna et eorum, et Christi ac Apostolorum erit lætitiā.

LÆTITIAM. — Lætiā hic, *primo*, proprie capitur pro gaudio ; *secundo*, per metalepsin pro fructu prædicationis, puta pro conversione, pietate et profectu Galilæorum in fide et vita Christiana : hic enim Apostolos et præcones lætificare solet, uti messis lætificat agricolam, *q. d.* Non tam magnus erit fructus concionum Christi et Apostolorum, atque res tanta merebatur.

Apposite hæc adaptat multitudini Clericorum S. Bernardus, *serm. De convers. ad Clericos, xxix* : « Etsi, inquit, multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti lætitiā, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse. Currunt passim ad sacros Ordines, et reverenda quoque spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt, sine reverentiā, sine consideratione. Neque enim signum regni occupare cœlestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritiā regnat, ambitio imperat, dominatur superbia ; sed et iniquitas et luxuria etiam principatur, » etc. Vide Concilium Tridentinum, *sess. XXVI De Reformat. cap. vii*, usque ad *xvii*.

Toti vero Ecclesiæ hæc adaptat S. Hieronymus in *Vita S. Malchi*, sub initium, cum ait : « Historiam scribere disposui ab adventu Salvatoris usque ad ætatem nostram, id est ab Apostolis us-

prophetiæ, tum historiæ magis cohærentem putamus, cum P. Berthiero credimus hic agi de vocatione Gentium, quarum tribus Zabulon et Nephtali, et Galilæa Gentium figura fuerunt. Deus per Messiæ prædicationem istam fidei adoratorum gentem multiplicavit, sed non magnificavit, id est non auxit Judæorum lætitiā ; nam gentes in promissionum hæreditatem sicut et ipsi vocatas fuisse, ægerrime tulerunt, quod tota ad Romanos epistola confirmat. Attamen gaudio magno gavisæ sunt gentes, quum in partem gratiæ Evangelii venerint, et gaudium hoc Isaias messorum gaudio post abundantem segetem, et victorum lætitiæ qui hostium spolia dividunt, assimilat.

que ad nostri temporis faciem, quomodo, et per quos Christi Ecclesia nata sit, et adulta persecutionibus creverit, martyriis coronata sit, et postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta sit. » Alii permulti æque vere et congrue hæc attribuunt Religiosis Ordinibus, præsertim iis qui ad proximorum opem instituti sunt ; in his enim nulla certior est pestis, quam multitudo et turba hominum, uti experientia nos docet. Nam quæ dicuntur pestes Religionis, et sunt, ambitiones, avaritiæ, voluptates, contentiones, otia, ex multitudine oriuntur. Ac si quis putat in magna hominum turba pacem, concordiam, humilitatem, mortificationem, disciplinam, zelum et spiritum conservari posse diu, id putat, quod neque in hunc diem uspiam factum est, neque fiet. In tanta turba necesse est irrepant multi sensuales, torpidi, melancholici, cervicosi, turbatores, cupidi, et aliis titulis inhabiles. Pauci, qui perfecti essent, aut qui ex toto corde ad perfectionem contenderent, omni sæculo inventi sunt : multi qui diu, nullo. Senex est jam mundus, nec mutabit mores, opinor. Quod pretiosum est, rarum semper fuit, et stultorum infinitus est numerus. Pauci ergo et exacte probati in Religionem admittendi sunt, ait noster Ribera in *Osee ii*, num. 101. Hi enim in Ecclesia debent esse exemplar sanctitatis et quasi stellæ lucentes in cœlo. Quam ergo errant hodie, qui non aliud curant, quam ut suos Ordines augeant numero et propagent, ut novas domos, monasteria, residentias conquirant, vel exstruant, parum de disciplina et spiritu solliciti. Hinc scandala, hinc laxatio disciplinæ, hinc votorum violatio, hinc monasteriorum et Ordinum ruinæ. Merito ergo dixit S. P. N. Ignatius, et ex eo noster Borgia : « Religiosi ordinem suum et gradum non numero, sed virtute tenent. » Ita duodecim Apostoli pauci numero, sed magnæ virtutis, totum orbem converterunt. Quocirca illi ipsi non nisi paucos et selectos in Societatem nostram admittebant, et posteris ut idem facerent præscripserunt : quin et hæc de causa noxios et inidoneos a societate dimittendos censuerunt, uti de facto magno sui et Ecclesiæ bono, hoc onere se levat, iisque se expurgat Societas ; uti corpus humanum humores pravos, politicum cives pestiferos amandat et excernit.

LÆTABUNTUR CORAM TE, SICUT QUI LÆTANTUR IN MESSE, — *q. d.* Nihilominus Galilæi æque ac Judæi et Gentes a Christo et Apostolis conversi, videntes tantam lucem, gratiam et salutem sibi præ aliis tot incredulis et infidelibus esse impertitam, lætabuntur sicut lætantur agricolæ in messe. Pariter cum eis gaudebunt Christus et Apostoli, qui eos converterunt, perinde ut gaudent victores, cum opima ab hoste referunt spolia. Vides hic Christum et Apostolos esse veloces prædatores, uti eos vocavit *cap. vii*, vers. 16, et *cap. viii*, vers. 3.

JUGUM ENIM ONERIS EJUS (Hæc omnia de copiis

Sennacherib ab Angelo cæsis accipiunt S. Thomas, Lyranus et Adamus. Verum nos persistimus in nostra explicatione de Christo; unde nota *ejus* scilicet Galilææ Gentium, non diaboli. Sensus ergo est, *q. d.* Jugum servitutis, quo ipsa scilicet Galilæa Gentium quasi onere gravissimo premebatur a peccato et diabolo, eorumque) VIRGAM (et flagellum humeris et dorso ejusdem incumbens, crucians et affligens); ET SCEPTRUM EXACTORIS (id est imperium dæmonis, qui quotidie quasi durus exactor imponit et exigit a suis peccatoribus iniquissima et gravissima peccatorum tributa, ad quæ eos incitat et pene compellit) SUPERASTI (o Emmanuel! o Christe! Ita S. Cyrillus qui apte notat virgam, qua dæmon peccatores verberet, esse suos ipsorum affectus et passiones: hisce enim eos coercet et flagellat; concupiscentiæ ergo dominatus, est Satanæ dynastia). SICUT IN DIE MADIAN, — sicut Gedeon confregit Madianitas famosa illa victoria et die, quæ ab omnibus celebratur; Sic vulgo dicitur *La journée de Pavie*, dies et victoria quam de Francis retulit Carolus V, apud Ticinum, capto eorum rege Francisco. Sic vocantur *Vesperæ Siculæ*, quibus Galli, et *Matutinæ S. Bartholomæi Parisienses*, quibus Huguenotti sunt trucidati. *Dies* ergo metonymice victoriam et cladem eo die peractam significat.

Apposite comparat victoriam Christi victoriæ Gedeonis, qua Israelem, *Judic.* VII, liberavit cædendo Madianitas; quia, ut docent Origenes, homil. 8 et 9 in lib. *Judic.*, S. Augustinus, serm. 108 *De Tempore*, Theodoretus, *Quæst.* XIV et XV in lib. *Judic.* Gedeon liberator et victor expressus fuit

typus Christi redemptoris et triumphatoris. Nam *Primo*, Gedeon hebraice significat eum qui conterit, confringit, sive excindit iniquitatem; et ut ipse destruxit aram Baal et lucum succidit, atque altare Domino exstruxit: ita Christus Dominus Synagogam subvertit, idola destruxit, Ecclesiam et verum altare ædificavit, juxta dictum *Jerem.* cap. I, vers. 10: « Constitui te ut evellas, et destruas, etc., et ædifices et plantes. »

Secundo, purgabat Gedeon frumenta in torculari: in Christi manu ventilabrum est, ut purget aream suam, idque facit in torculari afflictionum et crucis, sicut et ipse illud calcavit solus.

Tertio, obtulit Gedeon sacrificium ex carnibus hædi et farina: Christus obtulit se hædum immaculatum per se in cruce, et sub specie panis et vini in Eucharistia.

Quarto, Madianitæ gravarunt servitute populum Dei: diabolus et adversariæ ejus potestates genus humanum oppresserunt. Rursum Madian hebraice dicitur *litigans* sive *jurgator*, cum quibus nobis jurgia sunt et colluctatio, si non cum adversariis istis spiritualibus nequitiiis et principibus tenebrarum? Nonne Christus etiam adversarios nactus fuit rixatores, de quibus *Psal.* II: « Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania, etc., adversus Dominum, et adversus Christum ejus? »

Quinto, Gedeon convocavit ad opem sibi ferendam domum Abiezer, id est patris mei auxilium; Christus solitus est invocare et orare Patrem æternum, et ejus in cunctis auxilio niti.

Sexto, Gedeon collegit copias ex Aser, Nephtalim et Zabulon, qui et occurrerunt ei: nonne ex iisdem tribubus accesserunt ad Christum primi ejus milites et duces, puta Apostoli.

Septimo, Gedeon vellus in area posuit ut rorem exciperet: ros, ut ostendit S. Augustinus, fides est et verbum Dei, hæc primum fuere penes Judæos tantum qui sunt istud vellus. In area posuit Gedeon vellus, quia illic frumenta trituntur: hæc area est Ecclesia, in qua messis multa, operarii pauci, et in ea vult Christus trituri frumentum sanæ doctrinæ. Expressit rorem in concham Gedeon; Christus in ultima cœna sordes Apostolorum abluturus aquam in pelvim misit, et quotidie id facit expresso rore in baptismi fonte.

Octavo, postea sicco vellere ros in totam aream migravit: sic verbum Dei et fides transiit in Gentium populum.

Nono, Gedeon multos demittit de exercitu, scilicet *primo*, omnes formidolosos et timidos: sic Christus repudiat ut ignavos milites et indignos discipulos, eos qui non tollunt crucem suam, qui parentes et animam suam non oderunt, qui omnibus non renuntiant; *secundo*, eos qui curvo genu biberant: ita Christus rejicit eos qui animo remisso tentationi succumbunt; *tertio*, paucos Gedeon retinet qui more canum tantum lambuerant aquas: nonne a Christo multi vocati, et pauci electi? Tantum scilicet ii qui canibus comparari merentur; quod animal est vigilantissimum, mire velox, domino suo gratissimum et fidissimum, et qui manu haurientes aquam lingua lambuerunt, qui nec strati, nec proni ob peccati sitim vitiis indulserunt; verum flecti nescii ad terrena desideria, et fiducia Domini succincti, stantes audacter pronuntiant illud: « Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Dominus salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? » Ita stantes hauriunt aquam manu, et lambunt lingua, quando verbo et opere militant, quando faciunt ipsi jussa Dei; et docent alios eadem facere.

Decimo, fuere cum Gedeone trecenti, ut ipso numero indicent centenum fructum per Christum triplicandum, et perfectionem virtutum omnium Trinitatis beneficio exhibendam. Præterea Græcis littera T, trecentorum est nota, quæ exprimit crucis formam: crucis autem trophæo spirituales hostes Christus subegit, et sic Gentes, quæ Græcorum nomine in novo Testamento solent designari, ad fidem attraxit. Ita D. Augustinus, cap. XXXVII in lib. *Judic.*, ubi addit hunc numerum etiam in vernaculis Abrahamæ consignari, additis tantum decem et octo; ut singulis temporibus

Gedeon
fuit ty-
pus Chri-
sti.
Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

Octavo.

Nono.

Decimo.

senarium tribuentes, tertio tempore quod est tempus gratiæ, id implendum intelligamus. Similia habet S. Ambrosius, lib. *De Noe et arca*, cap. penult., et lib. *De Joseph patriarcha*, cap. xiii, et lib. *I De Abraham*, cap. iii.

Undecimo, descendit Gedeon speculaturus in castra hostium cum puero suo Phara sive Pura. *Pura* torcular significat, quod Dominus solus calcavit. *Phara* divisionem significat, quia, divisus per orbem Apostolis, Christus spirituales Madianitas subjugavit; et Apostoli, in hoc torculari fiduciam habentes, intrepide castra verterunt exterorum.

Duodecimo, vidit quidam panem subcinerium volvi, et castra hostium subvertere. Quid hæc torta panis est aliud, quam sacrosancta Eucharistia, quæ sub humili humanitatis cinere in ardentissimi amoris clibano, passione dico Dominica, excocta fuit, et subruit quotidie omnes acies infernales, omnesque exercitus hostium Ecclesiam Dei impugnantium.

Decimo tertio, militibus Gedeonis dantur lampades ardentes in vasis testaceis: ita Apostoli, ut de se scribit D. Paulus, thesaurum luminis Evangelici in vasis fictilibus habuerunt, quibus per martyrimum fractis persecutores suos vicerunt, nos etiam jubet Christus stare succinctos, habentes lucernas ardentes in manibus, et luce operum fulgere cum tempus est, ut qui nos viderint, laudent Patrem nostrum qui in cœlis est. Rursum lagena fictilis, quæ intus continet splendorem ardentis lucernæ, optimum est symbolum Emmanuelis, qui cum tectam divinitatem absconderet in carne mortali, ubi ea per passionem collisa atque confRACTA est, divinitas emicuit in resurrectione, atque etiam ipsa ejus morte obscurato sole, concussu terræ, et petrarum crepitu fractæ sunt vires Madian, id est diaboli et tartari.

Decimo quarto, buccinas, sive tubas tenebant in manu læva, inermes cætera milites: ita Apostoli de rebus divinis semper disserebant. Sed cur in Græco hæc tubæ dicuntur cornæ? Forte quia de Christo et Sanctis dicitur: «Cornu ejus exaltabitur in gloria.» Hoc accidit quando Apostoli edisseruerunt sacramenta scientiæ Christi: mysterium sane crucis cornibus solet designari, ut patet *Habac.* cap. iii, 4: «Cornua in manibus ejus.» Rursum in Gedeonis victoria, ubi sine ulla opera hominum deleti sunt hostes, palam apparuit Dei brachium. Quid enim habebat Gedeon præter inanem strepitum lagenarum, quo vix mures abigi potuissent? Et trecentos habebat milites, quos tot millibus hostium opposuit, quibus pro armis dedit hoc inane strepitus terriculamentum. Itaque huic Gedeonis victoriæ divinæ futuram comparat, in qua non minus nuda et illustris Dei manus palam refulgebit, quæ velut igne cœlitus demisso, et contortis repente fulminibus hostes Ecclesiæ delebit. Christus enim dux belli inimicorum exercitus solo nutu et verbo suo profligabit et interficiet, uti dicitur cap. xi, vers. 4, et II *Thessal.* ii, 8.

Decimo quinto, Madianitæ mutua se cæde trunca runt: sic et hostes Christi Judæi potius intestina discordia et seditionibus, quam Romanorum armis perierunt: Philosophorum sectæ altercationibus et contentionibus se invicem destruxere; hæretici nostri quotidie ut Cadmæi fraterculi mutuis sese vulneribus conficiunt. Ita allegorice Madianitæ sunt hæretici, qui mutuis dissidiis se invicem conficiunt et interimunt, uti omni sæculo factum vidimus, et hocce tempore in Hollandia fieri videmus. Cum enim hæresis sit superba, sitque proles Satanae, qui est pater dissensionis, æque ac mendacii, impossibile est inter hæreticos esse pacem et concordiam; unus enim alteri cedere non vult, quisque se sapientem præ aliis reputat, quisque novi aliquid comminiscitur, suisque commentis, uti simia suo foetu, gaudet, eique ablanditur. Error errori contrarius est, ut vitium vitio. Sola veritas habet pacem et concordiam, quia una est et indivisa. Vere dixit S. Hieronymus in *Ezechiel.*: «Hæreticorum compugnatio, nostra victoria est.» Et Hilarius, lib. VII *De Trinitate*: «Bellum hæreticorum pax est Ecclesiæ.»

Ultimo, Gedeon Madianitas objecit jugulandos Ephraimitis: ita Christus et Apostoli reliquere Judæos incredulos et contentiosos Romanis delendos, ut sequens versus docebit.

5. QUIA OMNIS VIOLENTA PRÆDATIO CUM TUMULTU. — *Primo*, Forerius sic exponit, q. d. Omnes sanguinari milites, qui miserorum sanguine conspersa arma et vestes gerunt, cedent igni divino charitatis Christi, atque per ejus gratiam truculentiam vertent in mansuetudinem, iram et rixas in charitatem (1).

Secundo, Sanchez, q. d. Christus prædam hominum e dæmonis manibus extorsit; habebat enim dæmon apud se miserorum hominum, quos in peccatum impulerat, quasi vestimenta ipsorum notata et inscripta sanguine; hoc est, chirographum et obligationem, qua se victos et dæmonum servituti addictos fatebantur; has ergo exuvias et hæc servitutis pignora eripuit Deus, atque ita abolevit, ut instar ignis redegerit in cineres, id est annihilavit.

Tertio, Vatablus hæc de ultione Christi per Titum et Vespasianum accipit, vertitque et explicat

(1) Mos antiquitus receptus fuit, ut hostium prostratorum arma et minoris pretii spolia, tumultu bellico corrupta, ac vestimenta foede commaculata, in acervum congesta, subdito igne concremarentur (vid. *Lydium*, lib. I, cap. I, lib. VI, cap. vi, pag. 229, et *Cf. Ezech.* cap. xxxix, 9, quæque ad eum locum notavimus). Hanc in numismatibus Vespasiani et Domitiani pacem, quæ victoriæ fructus esse solet, ita videas expressam, ut altera manu face ardente ignem spoliis et armis, scutis, pharetris, et aliis instrumentis bellicis injiciat. Gesenius hoc loco calcamentorum et vestimentorum militarium combustionem, pacis universum orbem beantis initium designari existimat, ut *Psalm.* xlvi, 9, 10, ubi pax victoriam secutura describitur, scuta et currus comburenda dicuntur. *Cf. Mich.* v, 5; *Zachar.* ix, 10. (Rosenmuller.)

hoc modo, quia omnis pugna confligentium cum strepitu, id est pugna bellantium Romanorum contra Judæos, hostes Christi et Christianorum, erit cum impetu, vibratione et agitatione hastarum, erit acris; et vestes pugnantium contaminabuntur sanguine cæsorum, ideoque erunt in incendiis et cibus ignis, id est comburentur, *q. d.* Non erit meruenda victoria.

Quarto, D. Thomas et Hugo hæc de militibus Sennacherib accipiunt, qui cum vestimenta sua Judæorum sanguine imbuissent, per Angelum cœlesti igne, ut tradunt Hebræi, consumpti sunt.

Quinto et genuine, quia dat causam cur dixerit: « Superasti sicut in die Madian. » Sensus ergo est, *q. d.* Sicut Gedeonis violenta prædatio facta est cum tumultu castrorum Madian, et cujusvis ducis violenta prædatio solet fieri cum tumultuosa hostium strage ac fuga: ita Christi prædatio violenta tumultum movit tum in tartaro, tum in castris mundi et dæmonis, dæmonesque inter se tumultuantes fugavit et prostravit, adegitque in tartara.

Rursum, sicut vestis quæ in bello humano sanguine cruentata est, lavari non potest, sed igne comburitur, uti vestes Madianitarum tinctæ sanguine, vel Judæorum quos occiderant; vel proprio cum ipsi cæderentur, a Gedeone combustæ sunt cum ipsis eorum cadaveribus: ita dæmonum cohortes cruentatæ quasi sanguine, tum hominum, quos vel occiderunt vel perdiderunt, tum proprio, cum a Christo profligatæ et cæse sunt, gehennæ ignibus deputatæ iis exurentur. Ita S. Hieronymus, Basilius et Rupertus. Hic sensus videtur præ cæteris appositus. Est enim catachresis et metaphora a militia et prælio, in quo corpora et vestes hostium cruentæ comburuntur: sic enim Christus hostes ipsos, scilicet dæmones, eorumque assecras comburet. Vestis ergo pro milite cuius est, puta pro dæmone, ponitur. Loquitur enim de dæmonibus quasi militibus anthropopathos; unde iis attribuit vestes et sanguinem. Simile est cap. LXIII, vers. 3.

Septuaginta vertunt, quia omnem stolam congregatam fraude, et vestimentum cum commutatione restituent, et cupient ipsi esse combusti. Quod Eusebius, lib. VII *Demonstr.*, cap. III, accipit de Judæis Christum per vim et fraudem ac subornationem falsorum testium occidentibus, vestemque ejus cruentantibus, rapiantibus et dividantibus, ideoque igni tum Romanorum, tum æterno gehennæ adjudicatis. Ait ergo Eusebius vestimenta illa fore quasi facem illius incendii, quo postea Judæi conflagrarunt. Hæc enim fuit justa eorum commutatio et quasi restitutio.

Alii vero versionem Septuaginta exponunt, *q. d.* Christus homines a potestate dæmonum eripiet, idque tam ægre ferent dæmones, ut minus horreant gehennale incendium, quam sibi prædam illam extorqueri. Ita S. Hieronymus.

6. PARVULUS ENIM NATUS EST NOBIS. — Ecce hic

est victor et prædator, causa victoriæ jam dictæ, de quo, cap. VIII, vers. 4, et cap. VII, vers. 16, dixit, quod a pueritia et ab utero prædari incipiet, scilicet parvus Emmanuel, qui tamen simul est Admirabilis, Deus, Fortis, etc. Hic est Gedeon noster, qui spirituales Madianitas confecit. Hebraice est *pulehra* paronomasia *לד לד לנו* *ieled iullod lanu*, *q. d.* Gnatus, scilicet puer, natus est nobis; puer, inquam, tum ætate et statura, tum simplicitate et innocentia, sed vir, imo gigas maximus sua virtute et fortitudine. Hinc fideles et sancti vocantur *pueri*; nam, ut ait S. Ambrosius in *Psalm. xxxvi*: « Christus docuit nos pueritiam esse virtutem, dicens: Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. » Vide dicta cap. præced. vers. 18.

Nota: Tò *parvulus natus est nobis*, quasi idem est cum eo quod subdit, et ob elegantiam, ac delicias amoris repetit: « Et filius datus est nobis. » Eusebius tamen Emissenus (vel potius Eucherius, hujus enim stylum redolent hi sermones), *hom. 1*, hæc distinguit: « Natus est, ait, nobis, qui sibi erat; datus est ergo ex divinitate, natus ex virgine. Natus, qui sentiret occasum; datus, qui nesciret exordium. Natus, qui et matre esset junior; datus quo nec Pater esset antiquior. Natus, qui moreretur; datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat datus est, qui non erat natus est. Illic dominatur, hic humiliatur; sibi regnat, et mihi militat. » Similia habet Isidorus, lib. I *De Fide*, cap. VI. Rursum S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. II: Datus est, ait, nobis Christus et a Patre, et a Filio (a seipso), et a Spiritu Sancto. Apage ergo impia Nestorii vox: « Nunquam ego Deum bimestrem aut trimestrem dixerim, » nunquam parvulum, nunquam hominem natum.

Pulchre S. Augustinus, *serm. 27 De Tempore*, loquens de Christo nascente: « Magnus, ait, dies Angelorum parvus fit in die hominum. Conditor solis, conditus sub sole. Effector cæli et terræ, sub cælo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans. Mundum implens, in præsepio jacens. Sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitatis premeretur. Neque enim, quando membra humana suscepit, opera divina deseruit, etc. Ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus. » Et S. Bernardus, *serm. 4 super Missus est*: « Magnificetur, ait, a nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. Parvulus, ait, natus est nobis, non sibi, non Angelis, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant. » Unde infert: « Jam de nobis nato et dato faciamus ad quod natus est et datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus, parvulis desidera-

tus! Studeamus effici sicut parvulus iste: discamus ab ipso quia mitis est et humilis corde; ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus ejus humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine ejus, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris, quoniam ad hoc ipse natus et datus est nobis.»

ET FACTUS EST PRINCIPATUS SUPER HUMERUM EJUS, — *q. d.* Hic parvulus erit, imo nascetur princeps, rex et imperator orbis, cœli et terræ dominus; talis enim fuit Christus ab initio conceptionis suæ; idque ex vi originis suæ, scilicet propter unionem hypostaticam cum Verbo. Quocirca potuisset Christus qua homo Augustum, omnesque reges suo regno deponere; verum noluit in hac vita corporali hoc imperio et regno uti, sed tantum spiritali.

Porro ait hunc principatum esse in humero; primo, quia magistratus, vel pro iis satellites, humeris gestant virgas vel fascies, quasi signa regiminis et imperii. Principatus ergo, id est sceptrum vel fascies, quæ sunt symbola principatus, portantur humero (1). Secundo, principatus vel sceptrum gestatur humero, ut significetur principem debere esse quasi humerum populi, ut eum ejusque onera instar humeri ferat et sustentet, sicut Atlas dicitur humeris suis sustentare cœlum. Hinc princeps hebraice dicitur נָשִׂי *nasi*, id est portitor, bajulus sui populi ac reipublicæ. Hinc et Eliseus Eliæ dum raperetur, acclamabat: «Pater mi, currus Israel et auriga ejus,» *q. d.* Quo raperis, o Elia? quis jam sustentabit Israelem? tu enim eum sustentabas, tu quasi currus onera Israelis portabas, eumque dirigebas; sicut auriga dirigit equos in curru jugatos. Princeps ergo in republica quasi in curru aurigatur et præsidet, et simul quasi currus, et quasi humerus, eam bajulat et portat. Tertio et peculiariter ac pientius, *humerus*, in Scriptura, præsertim cum Christo tribuitur, significat obedientiam, submissionem et

(1) Magistratus regii et ministri aulici in Oriente signum suæ dignitatis super humerum portabant; et ratio hæc est, quod quovis tempore principatum habitus est ut onus quod humeris principis incumbit. Sic usque hodie primi aulæ principes in Oriente vocantur *Vesires*, id est veluti quodam pondere onerati. Gubernator aulæ qui aliis ministris imperabat, inquit Jahn, et curabat quæ ad aulam spectabant, in signum sui muneris singularem vestitum, cingulum pretiosum et elegantem clavem super humerum gestabat (Jahn, *Archeolog. Biblic.* § 230). Sic apud nos ministri qui dicuntur principi a cubiculo, clavi aurea insigniti sunt. Apud antiquos mos erat super humerum gestare cujusvis dignitatis insignia. «Quis mihi tribuat, inquit Job, cap. xxxi, 36, ut librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, et circumdum illum quasi coronam mihi?» Permulta etiam numismata Græca et Latina reperire est, in quibus, v. g. Mars, Apollo, Hercules, Diana, etc., cum insignibus sibi propriis in humero positus exsculpuntur.

patientiam; alludit ad «virgam humeri,» vers. 4, *q. d.* Diabolus et tyranni suam virgam et sceptrum, puta onera imperii sui, imponunt humeris subditorum: at Christus suis humeris sustinebit virgam et onus sui principatus; præsertim quia Christus insigne et sceptrum imperii sui, puta crucem, humeris suis bajulabit, atque regnabit a ligno Deus, uti canit Ecclesia. Ita exponunt Hebræi apud Galatinum, lib. III, cap. xix, et S. Basilium, Cyrillum, Augustinum, et passim alii Patres, quos fuse hic citat Leo Castrius.

Audi inter alios Tertullianum, lib. *Contra Judæos*: «Quis, ait, omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, et non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum? sed solus rex novus novorum sæculorum, Christus Jesus, novam gloriam, potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum Davidis prophetiam (*Psal. LXLV*, vers. 10, juxta Septuaginta) exinde regnaret.» Aquila, inquit S. Hieronymus, deceptus pro מִשְׂרָה *misra*, id est principatus, legit מִשְׂרָה *mesura*, id est mensura; quod tamen recte applices mensuræ et dimensionibus crucis Christi, de quibus dixi *Ephes. III*, 18. Aliqui per cabalam subtiliter hic explicant vocem מִשְׂרָה *misra*, quasi per crasin idem sit quod מִשְׂרָה מִמִּיר שָׂרָה *missir sara* (littera enim *sin* æquipollet litteræ *samech*, hoc est, *ex spina imperium*, significetur, quod Christus per spinas et cruces adeptus sit imperium, ut quia olim gestavit coronam spineam, nunc gestet imperialem, auream, et gemmeam. Sicuti Christus apparuit B. Catharinæ Senensi, offerens ei duas coronas, unam spineam, alteram gemmeam, jubens ut alterutram eligeret in hac vita, alteram habitura in futura. Quare ipsa elegit spineam, eamque capiti suo valide impressit, ut in futuro haberet gemmeam. Ita regnavit a ligno Deus, et regnant ejus Sancti.

ET VOCABITUR NOMEN EJUS, ADMIRABILIS. — Sex hic nomina dantur parvulo nostro Emmanueli: primum, est admirabilis; secundum, consiliarius; tertium, Deus; quartum, fortis; quintum, pater futuri sæculi; sextum, princeps pacis; septimum addunt Septuaginta, magni consilii Angelus, de quo mox; hæc enim singula a singulis aliis distinguenda, et commate dispungenda sunt, uti dispungunt Biblia Romana, Theodotion, Aquila et Symmachus, teste S. Hieronymo (2).

(2) In editione Vaticana Septuaginta nonnisi hæc leguntur: *Magni consilii Angelus vocabitur*, omnibus aliis titulis prætermissis. In versione vero Alexandrina omnia hæc nomina legeris, excepto nomine *Deus*, sicut in versionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis. Qua de causa, haud facile dicere, inquit Calmetus. Hanc rationem dat S. Hieronymus: «Qua nominum majestate perterritos, Septuaginta reor non esse ausos de puero dicere quod aperte *Deus* appellandus sit, et cætera, sed pro his sex nominibus posuisse, quod in Hebraico non habetur, *magni consilii Angelum*, et adducam pacem super principes, et sanitatem ejus.» Sed, ut bene observat Calmetus, hæc ratio non valet, cum istud nomen *Deus* in pluribus

Audi S. Bernardum, *serm.* 10 inter parvos, singula hæc paucis explicantem: « Admirabilis, inquit, est in nativitate, consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, Pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine. » Deinde tropologice, singula hæc nomina conversis et justificatis adaptans, docet ea omnia includi in nomine Jesu, id est Salvatoris; ait enim tam hic quam clarius *serm.* 2 *De Circumcisione*: « Numquid non vere admirabilem eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus et consiliarium sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ, et vitæ ordinatione; ne forte sit nobis absque scientia zelus, et voluntati bonæ prudentia desit. Sane opus est ut Deum quoque probemus in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest; et nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus. » Subdit deinde cætera tria ejus nomina: « Verum ne id quidem sufficit ad salutem, nisi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eisdem rursus concupiscentiis superemur, et fiant novissima nostra pejora prioribus. Videturne jam aliquid deesse Salvatori? Plane deesset quod maximum est, nisi et pater esset futuri sæculi, ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc satis, si non etiam princeps pacis patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum; ne forte sicut filii perditionis utique, non salutis, resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur sane ejus imperium, ut merito Salvator dicatur etiam pro multitudine salvandorum; et pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutem quæ non possit timere defectum. »

ADMIRABILIS. — Hebraice est מִפֶּלֶא *pele*, id est mirabilis, mirificus. Significat hac voce Propheta, in Christo reconditos esse inæstimabiles rerum mirabilium thesauros. In voce *pele* alludit ad Angelum Christi prodromum, qui ad Manue ait,

antiquo codicibus legitur, sicut et in multorum SS. Patrum scriptis; istane igitur prætermissio, Judæorum malitiæ, vel amanuensium incuriæ, vel hæreticorum impietati adscribenda erit? Sed quoad Judæos, cur tunc istam vocem in Bibliis hebraicis servassent? Hæretici aliunde istam vocem in contentionem non deducunt, et quæ veritatis species amanuensibus tantummodo in loco tanti momenti, mendam excidisse. Usque huc Calmetus. Nos vero istam prætermissionem Judæorum perfidiæ attribueri non dubitamus, ut bene notarunt quidam SS. Patres, et recentiores interpretes. In eandem et majorem adulterationis culpam venit Biblia Germanica, cum nullam amanuensium mendam, ut antiquæ versiones, prætere

Judic. cap. XIII, vers. 18: « Cui quæris nomen meum, quod est mirabile? » Imo S. Augustinus, *Quest.* LII, LIII, LIV in lib. *Judicium*, censet Angelum illum dictum *pele*, id est mirabilem, fuisse Christum magni consilii Angelum, ut vertunt hic Septuaginta; ideoque eum in flamma cum sacrificio ascendisse, ut significaret Christum hominem factum non accepturum sacrificium, sed ipsummet fore sacrificium. Verum verius est Angelum illum fuisse verum Angelum, non Christum, sed Christi typum. Symmachus, teste Eusebio, lib. VII *Demonstr.* cap. III, vertit παραδόξαυδε, *q. d.* Paradoxum quiddam, incredibile, inopinatum, ipsa admirabilitas, vocabitur hic parvulus; nam primo, admirabilis est et incomprehensibilis ejus divinitas, æternitas, majestas.

Secundo, quia mirabilis est ejus potentia, et operatio, ac præsertim creatio et gubernatio totius universi.

Tertio, et proprie, quia mirabilis fuit ejus conceptio et nativitas ex Virgine per inoperationem Spiritus Sancti. Mirabilis quoque fuit ejus vita, doctrina, passio, mors et resurrectio: unde Isaias vocat eum « portentum, » cap. VIII, vers. 18. Præclare S. Cyprianus, tract. *De Nativitate Christi*: « Mirabitur, inquit, et dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundissimum sacramentum, in eo quod contemptibilis factus est admirabilis; et qui litteras non didicit, nec legibus instructus est, sufficiens sit divinarum humanarumque rerum consiliarius; quomodo divinitas et humanitas in unam personam convenerint; et ubi æstimata est infirmitas, fortitudo inventa sit; et corpus humilitatis nostræ divinæ claritati configuratum, non in hoc mundo, sed in cœlesti gloria perpetuum habeat principatum. » Et infra: « O Domine, quam admirabile est nomen tuum! vere tu es Deus qui facis mirabilia. Non modo mundi hujus staturam admiror, non stabilitatem terræ, non lunæ defectum, non solem semper integrum, et laborem ejus perpetuum, etc. Miror Deum in utero Virginis, miror Omnipotentem in cunabulis, miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit. » Et mox: « Miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in sepulcro jacentem, miror occisum et resurgentem, » etc.

Quarto, quia mirabilis est ejus gratia in Sanctis suis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, adeoque Christus cuilibet Sancto dat propriam aliquam gratiam, qua aliis præcellat, sitque admirabilis, uti experientia quotidiana nos docet. Invocent ergo Emmanuelem ut *pele*, id est admirabilem, quicumque magna et heroica animo destinant, ut virtute et gratia hujus *pele* faciant illustra et mirabilia; ipse enim est qui facit mirabilia magna solus; ipse est mirabilis in Paulo (qui vere fuit *pele*, ut dixi *Galat.* cap. I, vers. 15), omnibusque Sanctis suis, et mirabilior erit iisdem in futura gloria, ut docet S. Paulus, II *Thessalon.* cap. I, vers. 10. Vide ibi dicta.

Porro e Judæis hunc locum de Christo ita exponit Rabbenu Haccados, id est magister noster sanctus, qui ante adventum Christi temporibus regum Antiochorum, qui in Syria regnabant, floruit, in libro, cui nomen *Gale razeya*, id est *Revelator arcæanorum*. Is ergo (licet fuerit quidam alius ejusdem nominis sub Severo et Antonino Imperatoribus) ita scripsit: « Quia Messias Deus et homo futurus est, vocatum est nomen ejus Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus, nempe in corpore et carne nostra, quemadmodum testatur *Job*, cap. XIX: Ex carne mea videbo Deum. Excogitavit enim mirabile consilium animas a dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatum damnatæ erant, neque possunt ullo modo esse salvæ, nisi rex Messias mortem acerbissimam multaque subeat tormenta; ob eam causam dictus est vir: et quia ipsius est omnis fortitudo, Deus fortis vocatur; et quia est æternus, Pater sempiternus dicitur; item quia in diebus ejus pax multiplicabitur, princeps pacis appellatur; et quia ipse festinabit ut auferat animarum spolia, vocatur expeditus spoliator, festinus prædator; quia autem eos salvos faciet, et paradysum adducet, vocatur Jesus, hoc est Salvator. » Hæc Rabbini ille, quæ divinitus illustratus videtur ante adventum Christi cognovisse in Isaia.

CONSILIARIUS. — Septuaginta, juxta editionem Romanam (nam aliæ editiones hic variant) quam sequuntur S. Basilius, Cyrillus, Procopius, et translatio Arabica et Syriaca, quæ Romæ exstant ex Græco Septuaginta traductæ; Septuaginta, inquam, tot augustorum Emmanuelis nominum majestate perterriti, ait S. Hieronymus, pro iis omnibus, puta sex, posuerunt unum, scilicet *magni consilii Angeli*. S. Cyprianus Græcum βουλῆς vertit, *magnæ cogitationis Angelus*, id est legatus et nuntius; inde ab Orpheo, qui multa didicit a Judæis, vocatur *phanes*, id est Angelus, a φαίνω, id est manifesto, declaro, nuntio, ut testatur Proclus, lib. IV in *Timæum*. Rursus Chaldæus hoc epithetum jungens cum primo vertit, *admirabilis consilii Deus*. Noster melius hæc separat, seorsumque vertit, « consiliarius. » Parvulus ergo noster est consiliarius, primo, ob scientiam et sapientiam ejus divinam, in qua eadem sunt consilia Patris, et Filii, ac Spiritus Sancti, et per quam Angelorum et creaturarum omnium est magister et director. Ita Clemens, lib. VI *Stromat.*, et Lactantius, lib. IV *De Relig.*, cap. VI, ubi asserit Verbum incarnatum a Sibylla quoque vocari *consiliarium*, eo quod per eum mundus hic sapientissime, uti fabricatus est, ita et regatur a Patre. Huc etiam alluisse videtur Plato in *Epinomide*, cum ait Deum sedere in cælo quasi magistrum in cathedra, ut doceat omnes homines, qui intenti esse volent, ea quæ sunt sapientiæ atque salutis.

Secundo, Emmanuel est consiliarius qua homo, ob scientiam ejus beatam, qua a primo instanti

conceptionis suæ perfectissime in ipso Deo conspiciebat omnia Dei consilia circa sæculum præsens et futurum, circa Angelos et homines, circa electos et reprobos.

Tertio, et propriissime, est consiliarius, quia prudentissime et fidelissime peregit consilium et dispensationem œconomiae Dei de humana redemptione faciendâ per ejus incarnationem et passionem; quod omnium Dei operum maximum et divinissimum fuit, ac præsertim mysterium vocationis omnium Gentium, ac reprobationis Judæorum, inquit S. Hieronymus et Basilius.

Huc pertinet illud S. Cyrilli, et S. Cypriani, lib. *De Nativitate Christi*, in fine: Christus, ait, consiliarius dicitur, quia docuit homines arcana Dei et SS. Trinitatis, cæteraque ad salutem necessaria, puta divina mandata et instituta, quibus homines ad vitam novam et cœlestem erudivit, omniaque diaboli consilia, artes et fraudes detexit et discussit; hinc enim lex Dei sæpe vocatur *consilium*, ut *Psalms*. CXXVIII: « Consilium meum justificationes tuæ. » Ita S. Dionysius, lib. *De Cœlest. Hierarch.* cap. IV, et Justinus, *Contra Tryphonem*: « Christus, inquit, vocatur magni consilii Angelus, quia Patrem nemo novit nisi Filius, qui quæ a Patre accepit, revelat nobis, ipse Verbum Patris; ipse mundo evangelizavit. »

Ubi nota inter alia, unum mirabile Dei atque Christi consilium in ejus incarnatione, nimirum quod inter alias causas, cur voluerit incarnari, una fuit, ut daret nobis objectum et exercitium heroicum omnium virtutum, nimirum primo, fidei, qua credimus Verbum carnem factum. Quis enim crederet hunc parvulum jacentem in præsepio ac vagientem, esse Deum Creatorem, nisi fides heroica id dictaret et imperaret? Secundo, spei. Quis enim non speret a Deo salutem omnemque bonum, cum eum videt pro se et sua salute hominem factum, passum et mortuum? Tertio, amoris. Quis enim non summe redamet eum qui nos ita amavit, ut voluerit fieri frater noster, caro nostra, quique ait: « Delicæ meæ esse cum filiis hominum? » Quarto, religionis. Heroicus enim religionis actus est hunc hominem similem nobis, miserum et infirmum, puta Jesum Christum, adorare eadem latria, qua adoratur ipsa SS. Trinitas. Quinto, justitiæ. Quis enim non summe amet justitiam, cum pro ea videt Deum suum crucifixum, ut scilicet hac cruce injuriæ Deo per peccata nostra irrogatæ, ex justitia satisfaceret? Sexto, patientiæ. Quis enim non generose patiatur omnia etiam acerbissima, cum videt Deum tam patienter et fortiter omnes contumelias, omnes cruciatus, omnem pauperiem sustinere? Septimo, obedientiæ. Quis enim non obediat, cum videt Filium Dei Patri obedientem usque ad mortem et mortem crucis? Nono, humilitatis. Quis enim non se humiliet et deprimat usque in abyssum, cum aspicit Deum in humanitate omnino quasi se exinanire? Quis sibi non dicat: Quid superbis, terra et cinis? Deus

Christus factus est homo, ut daret in se exercitium omnium virtutum

ae summe humiliat et tu te exaltas. Idem est detrinæ felicitatis ceciderat, humiliata trinæ afflictione temperantia, modestia, prudentia, aliisque virtutibus.

Pari modo mirabile fuit Dei consilium in instituenda Eucharistia. Ut enim alia taceam, Deus in ea se recondens, voluit nobis dare continuum heroicæ fidei, spei et aliarum virtutum exercitium. Hic enim fides heroica credit et dicit: « Vere tu es Deus absconditus, Deus Salvator. » Hic spes a Deo præsentem, quem realiter sumit et manducat, bona omnia fidenter exspectat. Hic amor inardescit, cum fidelis reipsa corpori Christi unitur, dicitque: « Dilectus meus mihi, et ego illi. » Hic latriæ heroicæ præsens semper et visibile habemus objectum, illudque arduum, et sensus omnes transcendens. Hic humilitatem Christi miramur, qua ad speciem panis, imo ejus punctum quodlibet se demittit, ac quasi coarctat et abbreviat. Hic obedientiæ, temperantiæ, mortificationis, patientiæ, etc. Vivos semper habemus stimulos et objecta, cum in hac manducatione juxta præceptum Apostoli mortem Domini annuntiare, representare, memorari et imitari satagimus.

Denique Haymo: Christus, ait, est consiliarius, quia ab ipso omne sanum consilium procedit, ac præsertim castitatis, paupertatis, aliaque consilia Evangelica, quæ sunt supra naturam, mundique ac humanæ rationis captum excedunt. Ita et S. Cyprianus supra, qui etiam addit: Noli in hisce ejus consiliis sequendis metuere difficultates et tentationes. Nam qui hæc tibi consulit, idem est et Deus, et fortis. « Quia, inquit, qui mundum vicit, victoriam suis promittit militibus, et qui victores sunt sui, cælo vim inferunt. Regnum enim cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. In parvuli hujus nomine cum hoste antiquo congregimur. Defectui carnis nostræ, quæ a primitivis fæcibus originalis mali infecta languerat, ex Christi carne redditur fortitudo; et Sacramentorum communicatio, per quam illius corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo et de diabolo et de nobis ipsis victoria potiamur. Sic hi ad quos sermo fit, dicuntur dii, et filii Excelsi, nominis et hæreditatis et æternitatis participes, fortitudine societatis Christi subigentes certamina; et cum homines sint ex indigniore materia, in captivitatem redigunt, et conspuunt ligantque dæmonia. » Et S. Bernardus de iis qui audiunt Deum in corde vocantem ad statum perfectionis, et tamen eum sequi trepidant: « Quid times? inquit, quid dubitas? vocat te magni consilii Angelus, quo nemo est sapientior, nemo fortior, nemo fidelior. »

Moraliter idem S. Bernardus, *serm.* 23 inter parvos: « Tria, inquit, proposuit Christus magni consilii Angelus affimæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ, scilicet servitutem, vilitatem, asperitatem. In abnegatione sui servitus, in toleratione crucis vilitas, in imitatione Christi designatur asperitas; ut quæ per inobedientiam de statu

tionem miseræ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim a seipsa, a societate Angelorum, a visione Dei, id est a libertate, a dignitate, a beatitudine. Audiatur ergo consilium, ut abnegando se ipsum, id est propriam voluntatem, sui libertatem recuperet; tollendo crucem suam, id est carnem suam cum vitiiis et concupiscentiis crucifigendo, per continentiam bonum recuperet societatem Angelorum; sequendo Christum, id est ejus passionem imitando, recuperet claritatis ejus visionem, quia si compatimur ei, et conregnabimus. »

Si ergo hæres in dubio, fluctuas, nescis quid agendum, quid eligendum sit; adi magni consilii Angelum. Si parvi es animi, depressæ mentis et consilii, invoca magni consilii Angelum. Si in salebris versaris, perplexus es, non potes te expedire, te resolvere; consule magni consilii Angelum. Si de statu vitæ deliberas, ignoras quis tibi sit salutaris, quis capessendus; implora magni consilii Angelum, is tibi instar columnæ Hebræorum in deserto viam ostendet, et præibit in cælum. Si in periculis, in persecutionibus, in ærumnis, in arctis positus exitum non vides, obsecra magni consilii Angelum, dicitur cum Josaphat rege siti presso et ab hoste obsesso: « Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te, » II *Paralip.* xx, 12, et cum Esther, cap. xiv, vers. 3: « Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis est, etc. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, » etc. Et cum *Judith.* ix, 12: « Fac, Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur: capiatur laqueo oculorum suorum. Da mihi in animo constantiam, etc. Da verbum in ore meo, et in corde meo consilium corroborata. » Sic quoque fecit Ezechias obsessus a Sennacherib, IV *Reg.* xix, 15; et David fugiens Absalonem, *Psal.* iii, et Saulem, *Psal.* vii, et lxxxiii, et lvi, et lvii; et Daniel exquirens a Deo somnium regis, *Daniel.* cap. ii, 18; et Judas ac Machabæi obsessi ab Antiocho, Nicanore aliisque hostibus. Denique illustre exemplum est in *Vita Josaphat* apud Damascenum, cap. xxx; cum enim ipse fraudulenter a femina Gentili instinctu patris tentaretur, ut secum una nocte cubaret, adderetque illa sponsionem, si id faceret, se futuram Christianam; videret ergo ne animam perderet, quam tam parva re lucrari posset: hæsit ille perplexus; sed conversus ad orationem, cognovit fraudes serpentis, tentationemque superavit, et astum patris et mulieris sua sapientia et constantia discussit.

DEUS. — Hebraice est *יהוה* *el*, id est Deus qua robustus et invictus, qui facile ardua omnia superabit, bella omnia conficiet, hostesque profligabit. Perfide ergo Aquila, Symmachus et Theodotion, ac Lutherus, et auctores versionis Flandricæ Embdensium et Delphensium Bibliorum *el* vertunt

fortis tantum, omisso nomine Deus. Quibus opponimus Chaldæum, R. Haccados, S. Hieronymum, quin et alios hæreticos, ut Œcolampadium, Strigelium, Leonem Tigurinum, Castalionem, et Genevenses, qui omnes *el vertunt Deus*; et ita vertendum esse patet, quia sequitur *fortis*; esset enim tautologia dicere *fortis, fortis*. Rursum Jeremias, cap. xxxiii, vers. 16, in Hebræo Christum vocat *Jehova*, id est Deum. Quocirca recte noster Possevinus, lib. *De Atheismis hæreticorum*, cap. II et III, inter atheismos et arianismos Lutheri ponit et hunc, quod hoc loco parvulo Emmanuel sustulerit nomen *Deus*, nec monitus licet de hac re illud reposuerit; quodque ex epistola S. Joannis expunxerit illud: « Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt; » quodque ex Litaniis eraserit illud: « S. Trinitas unus Deus, miserere nobis. » Nota, Christus, qua natus parvulus; qua homo, vocatur Deus, per communicationem idiomatum. Hæc enim nomina omnia illi, qua natus est parvulus, imponuntur.

FORTIS.— Hebraice est גִּבּוֹר *gibbor*, id est potens, vir validus quasi gigas, et, ut Vatablus vertit, *heros fortis*. Unde ejus ortum annuntiavit *Gabriel*, quod nomen interpretatum significabat potentiam et fortitudinem Dei, vel Virum Deum. Christus enim heroica et incomparabili fuit fortitudine. *Primo*, quia tot labores exantlavit, tantas superavit difficultates, mortem tam crudelem constantissime pertulit, uti explicat S. Bernardus. *Secundo*, quia ipse quasi judex vivorum et mortuorum potentes potenter condemnabit, inquit Rupertus, et malos in virga ferrea regens, tandem sicut vasa figuli confringet. *Tertio*, quia sine ejus auxilio vana est omnis creaturæ fortitudo, inquit Haymo. *Quarto*, quia nos in omni tribulatione protegit et roborat, atque a nobis aereas potestates arcet et repellit, inquit S. Bernardus. *Quinto* et maxime, quia potentissimum regnum diaboli, peccati et concupiscentiæ evertit.

PATER FUTURI SÆCULI.— *Primo*, quia Christus futurum sæculum, id est futuros Christianos, ad novam et Evangelicam vitam, atque ad sanctitatem futuri sæculi instituit. Ita Sanchez. Sicut ergo Noe, ita et Christus novi sæculi fuit auctor et pater. Unde de eo canit Sibylla apud Virgilium, *eclog. 4*:

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Cæta, fave, Lucina.

Secundo, quia Christus post passionem resurgens, et in cælum ascendens, cæli januam nobis patefecit; atque resurrectionem, ac vitæ æternæ præmia patiundo et moriendo nobis promeruit, inquit S. Hieronymus, Haymo, Rupertus. Unde Chaldæus vertit, *vir permanens in æternum*. Proprie vero vertit Vatablus, *pater æternitatis*. Adam genuit nos tempori, Christus æternitati: Adam ge-

nuit nos morti, Christus resurrectioni: Adam genuit nos terræ, Christus cælo. Unde S. Gregorius, homil. 8 *in Evang.*: « Quid est, ait, quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quod ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate? »

PRINCEPS PACIS.— Hoc est nomen Christi etiam ex consensu Rabbiorum; unde ejus typus fuit Salomon, id est rex pacificus. Ratio nominis est, *primo*, quia Christus pacem orbi dedit, et moriens testamento legavit dicens: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, » *Joannis*, cap. xiv, vers. 27. *Secundo*, quia Christus morte sua parietem medium, qui inter Deum et homines erat, dissipavit; et hominem Deo, summa imis reconciliavit, *Ephes. ii, 18*; *Roman. v, 10*. Ita S. Hieronymus, Rupertus et Haymo. Quocirca pie et nerveose S. Leo, serm. 6 *De Nativit.*: « Natalis, ait, Domini, natalis est pacis: ergo singuli fideles offerant patri pacificorum concordiam filiorum. »

Tertio, quia fines nostros posuit pacem sempiternam, et hic et in cælis, *Psal. cxliv, 14*. Ita S. Bernardus.

Quarto, quia ipse auctor est et dator pacis internæ, qua justorum conscientia perfruuntur. Si ergo conscientia tua ob peccata aut scrupulos te angit et lancinat, adi principem pacis, eum invoca, illius gratiam ambi; ille mentem tuam serenabit.

Quinto, quia ipse est ex omni parte dives et fortunatus, ditium ditissimus et felicium felicissimus, qui suos cœlestibus et æternis bonis ditat et beat. Mos enim Hebræis est nomine *pacis* significare omne bonum, omnes opes, omnem prosperitatem et copiam. Ita Ludovicus Molina, I part., *Quæst. XXVII, art. 1, disp. 2*.

7. MULTIPLICABITUR EJUS IMPERIUM.— Dixerat parvulum nasciturum fore principem pacis: nunc dicti rationem subdit, quia multiplicandi imperii ejus pacis nullus erit terminus, nullæ metæ: nam « dominabitur a mari usque ad mare, et adorabunt eum omnes reges terræ, » *Psal. lxxi*, cum antea soli Judæi Deum colerent, et ab eo Messiam exspectarent.

In Hebræo est לְמַרְבֵּי *lemarbe*, id est multiplicabitur, ubi præter normam in medio est *mem*, clausum, sive quadratum, cum deberet esse rotundum et apertum, quo aliqui significari putant perpetuam virginitatem Deiparæ, sive matris parvuli hujus principis, sicuti eadem significata fuit per portam clausam, *Ezech. xliv, 2*. Alii per *mem* quadratum putant significari, quod per quatuor mundi plagas dilatandum esset Christi imperium. Tertii *mem* quadratum arithmetice accipiunt, ut significet annos sexcentos, quos putant fluxisse ab hac prophetia usque ad ortum Christi. Ita R. Hammay in lib. *Sanedrim*, Finus *Contra Hebræos*, lib. II, cap. vii, et Galatinus, lib. VII, cap. xiii. Sed errant; nam fluxerunt plures quam septingenti. Ego hæc ad Massoretarum et Cabalista-

rum inventa, et symbola Judaica refero. Multa enim talia ab eis in textu Hebraico passim facta esse videmus.

ET PACIS NON ERIT FINIS. — Nec imperium, nec pax ista alia accipienda est, quam spiritualis, quæ sita est in animi tranquillitate et mentium interna consolatione. Unde *Roman.* cap. XIV, vers. 17, regnum Dei dicitur esse justitia, pax et gaudium in Spiritu Sancto. Hoc regnum quotidie petimus, ut nobis adveniat, *Lucæ XI, 2*, non enim petimus, ut statim in cælum rapiamur, sed ut evertatur regnum diaboli et peccati, in ejusque locum succedat regnum Christi, et is per gratiam in nostro et cujuslibet hominis corde regnet. Quocirca Christus hoc regnum intra nos esse affirmavit, *Lucæ XVII, 21*. Hujus pacis in justorum mentibus nullus est finis, ut docent S. Basilius et Cyrillus; et optime S. Chrysostomus, homilia in istum locum, ubi hanc pacem quadrupliciter explicat: nam *primo*, inquit, Christus docuit nos carnem spiritui subjicere; quo facto, bella cessant in anima, ipsaque pace fruitur. *Secundo*, quia cum hostes essemus, ipse nos Patri reconciliavit. *Tertio*, quia Judæos et Gentes vinculo pacis copulavit. *Quarto*, quia quos copulavit, eis etiam gratiam perseverandi largitur, ut jugi pace fruantur: finis vero hujus imperii et pacis non erit, quia Christus usque hodie cum Patre æque operatur, et operabitur usque in finem sæculi, quando pax gloriosa in æternum duratura incipiet.

Dices: Ecclesia et fideles assidue inter bella versantur, certantque cum infidelibus et hæreticis, cum dæmone, carne et mundo. Respondeo: Pax hæc Ecclesiæ et animæ fidelis in hac vita sita est non in debellatione hostium, sed in assidua cum eis lucta, et victoria, quæ sæpe consistit in patientia et in constanti adversitatum sustinentia, ac tentationum tolerantia potius quam in earumdem exclusione et profligatione, ut docent S. Cyprianus et Tertullianus, lib. *De Patientia*.

SUPER SOLIUM DAVID. — Hoc pariter solium Christi et regnum non tam terrenum est quam spirituale, quo Christus in Ecclesia regnat per vicarium suum Romanum Pontificem, uti docent Epiphanius, *hæres.* 29, et alii. Ad hunc Isaïæ locum respexit Angelus, *Lucæ I, 32*, cum ait: « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. »

Nota: Regnum Christi dicitur, *sedes vel solium David*: *primo*, quia regnum ejus spirituale *adumbratum* fuit regno corporali Davidis; *secundo*, quia Davidi sub typo regni sui promissum fuit hoc regnum Messiæ, tanquam filii sui. Sic etiam dicitur Christus regnaturus in domo Jacob, *Luc. I, 32*, non temporali, sed spirituali, id est in Ecclesia seu populo fideli, qui olim erat populus Israel, seu filii Jacob. Simile est *Rom. IX, 6*. Solium ergo David, et domus sive familia Jacob, est regnum Christi, scilicet Ecclesia.

Nota *secundo*: Hoc solium et regnum dedit Deus

Pater Christo quasi in actu primo, in incarnatione; sed in actu secundo cepit Christo prædicante et convertente homines; promotum et propagatum est per Apostolos, perfectum fuit post Christi resurrectionem, et ascensionem in cælum; consummatum et gloriosum erit post judicium generale.

Nota *tertio*: Triplici titulo hoc regnum obtinuit Christus: *primo*, titulo unionis hypostaticæ et hæreditatis; *secundo*, titulo redemptionis; ex quo enim ipse nos sanguine suo emit, magis est Dominus absolutus noster, quam herus sit dominus servi emptitii; *tertio*, titulo meriti, *Philip. II, 9*: « Propter quod et Deus exaltavit illum, etc., ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum. »

SUPER REGNUM EJUS (Davidis patris sui) SEDEBIT. — Id est in regno ejus regnabit, regnum ejus quasi rex reget. *Secundo*, « sedebit, » id est permanebit, jugiterque in regno hoc rex erit. Ita Chrysostomus.

UT CONFIRMET ILLUD, ET CORROBORET IN JUDICIO ET JUSTITIA, — id est justo judicio. Est hendyadis; sic dicitur: Feci judicium et justitiam, id est feci id quod æquum et justum est: jam justitiam non particularem et strictam; sed generalem accipe, quæ est complexio omnium virtutum, quæque est ipsa sanctitatis totiusque hominis rectitudo, qua tam Deo quam proximo, et sibi ipsi tribuit homo id quod debet: justitia enim est virtus, quæ cuique jus suum tribuit.

ZELUS DOMINI EXERCITUUM FACIET HOC. — Est epiphonema omnium præcedentium. « Zelus » est *φιλαυθωπία*, quam vocat Apostolus, *Tit. II, 11, q. d.* Ingens ille, et singularis Christi amor erga Ecclesiam, et ingens ejus indignatio adversus hostes ejus, inquit Cyrillus, faciet hoc, scilicet ut extorqueat prædam acceptam ab hoste cum tumultu, comburatque vestes cruore maculatas, et summat sceptrum super humeros suos, utque tanquam admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, etc., populi sui saluti consulat, eumque ab omni hostili vi et insidiis tueatur. *Tó ergo hoc*, respicit totum incarnationis Verbi mysterium, quod præcessit.

Nota: « Zelus, » sive zelotypia est animi affectus inde natus, quod timet aliquis ne ab alio occupetur, quod sibi soli optaret: ejus fons est amor et dilectio; nemo enim zelat id quo vellet carere, sed id quod appetit et ambit: hinc sæpe zelus capitur pro amore. Zeli comes individua est æmulatio in rivalem, et cum eo contentio: quia partis appetitivæ, sive concupiscibilis conatum juvat semper facultas irascibilis: hac de causa « zelus » sumitur subinde pro indignatione et contentione: unde et Paulus, *Roman. XIII, 13*, zelum conjunxit contentioni, dicens: « Non in contentione et æmulatione. » Contentio enim semper est effectus æmulationis. Sic ergo Filius Dei *primo* vehementer dilexit genus humanum, ideo ægre tulit illud in diaboli venisse potestatem: hoc zelo et æmulatione incitatus voluit incarnari, atque in

Zelus
Dei quid?

Solum
David est
regnum
Christi,
sui?

carne assumpta praelio diabolum corrivalem suum vicit et expugnavit. Hinc redemptio Christi sæpe in Scriptura tribuitur zelo ejus, quasi fonti. Quocirca S. Anselmus scripsit librum hoc titulo: *Quis Deus homo?* ac respondet hisce Isaiaë verbis: *« Zelus Domini exercituum fecit hoc. »*

8. VERBUM MISIT DOMINUS IN JACOB, ET CECIDIT IN ISRAEL. — Misit Propheta a cap. VII hucusque spoliationem Samaritæ per Assyrios cum spoliatione ejusdem spirituali per Christum. Christum enim quasi signum vastationis Syriæ et Samaritæ dedit regi Achaz, cap. VII, vers. 17. Unde identidem ab una spoliatione et prædatione ad aliam transit, avolat et revolat. Hic ergo a parvulo Emmanuele redit ad suâ tempora, hoc est ad excidium Samaritæ. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut Deus Jacobo, sive Israeli, id est decem tribubus, puta Samaritæ, verbo prædixit et comminatus est, ita reipsa cecidit, id est accidit: vastata enim est et interiit ipsa ob superbiam, qua præ se Judam contemnebat, et propter idololatriam vitulorum aureorum in Dan et Bethel, quam, licet monita tot plagis et cladibus, deserere noluit. Est metaphora a sagittariis peritis, qui telis suis scopum, quem destinant, configunt: pari enim modo Deus minas quasi sagittas intendit in Jacob, et comprehenderunt Israel, illum scilicet, in quem intentæ fuerunt. Septuaginta pro דָּבָר *dabar*, id est verbum, legerunt דֵּבֵר *deber*, id est pestem; nam verbum illud quod Dominus misit in Jacob, illi pestem et exitium comminabatur, ac reipsa intulit. Ita Sanchez et alii recentiores. Hæc expositio est planissima.

Secundo, S. Hieronymus et ex eo Haymo: Voluit, inquit, Deus regnare Jacob, id est Judam, puta Davidis posteros, *Genes. XLIX, 10*; sed Israel, id est decem tribus, duce Jeroboam imperium sibi vindicarunt, quæ Judam quasi parvum et abjectum contempserunt.

Tertio, alii putant has minas dirigi non contra Samaritas, sed contra Judæos, qui Christum non erant recepturi, et hos vocari Jacob; itaque illorum excidium per Romanos hic proponi. Israël vero capi pro Israele spirituali, id est pro conversis Gentibus, et reliquiis Judæorum. Ita S. Gregorius, II *Moral. xxx*: « Quid per Jacob, inquit, nisi Judaicus populus? quid per Israel, nisi Gentilis populus designatur? quia quem Jacob studuit per carnis mortem supplantare, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas vidit. Ad Jacob ergo verbum missum in Israel cecidit, quia eum, quem ad se venientem Judaicus populus respuit, hunc repente populus Gentilis invenit. »

9. ET SCIET OMNIS POPULUS EPHRAIM, *q. d.* Solent arrogantes Ephraimitæ, id est Samaritæ, irridere et exhibere hasce Prophetarum minas, quasi vanas et futiles; sed ipso eventu et experientia discent eas fuisse veraces prophetias. Causam minarum et excidii Samaritæ assignat: *primo*, ejus superbiam; *secundo*, hypocrisin, et pseudoprophe-

tarum fraudem; *tertio*, mutuum odium; *quarto*, deprædationem viduarum, pupillorum, et similibus miserorum.

10. LATERES CECIDERUNT, SED QUADRIS LAPIDIBUS ÆDIFICABIMUS: SYCOMOROS SUCCIDERUNT, SED CEDROS IMMUTABIMUS. — Est duplex proverbium idem significans, *q. d.* Nos Samaritæ clades aliquas tum a Juda, tum ab aliis accepimus; sed confidenter et animose dicimus nos illas non curare, quia illas facile sarciemus: nam vilia ædificia nostra hostes destruxerunt; nos pulchriora restituemus: ipsi communes arbores, puta sycomoros, succiderunt: nos pro eis pretiosas cedros plantabimus. Itâ S. Hieronymus. Aut hostes succenderunt domos e fragili sycomoro constructas; nos alias ex nobili cedro ædificabimus; cedrus enim aspectu pulchra, odore grata, duratione æterna est.

Nota: Sycomorus, inquit Dioscorides, est arbor magna, foliis moro, cætera ficui similis, nisi quod poma non ramis, sed ipso caudice effundat: poma hæc lactuosa et dulcia sunt, internis granis carentia, non maturescunt, nisi ungue aut ferro scalpantur, et propter insipidum fructum vocatur sycomorus, id est ficus fatua, hoc est insipida. Hebraice vocatur שִׁכְמִים *sichmim*, quod Septuaginta passim vertunt *sycaminus*. Unde viri docti censent sycomorum eandem esse cum sycamino. Idem sentire videtur Theophrastus, et Dioscorides, lib. I *Histor. plant.* cap. XXIII, et lib. IV, cap. II. Galenus tamen putat sycaminum eandem esse cum moro; sycomorum vero medium quid esse inter morum et ficum, ut dixi, Palæstina, tempore S. Hieronymi, desierat ferre has arbores, quemadmodum et hodie Libanus cedros (1).

11. ET ELEVABIT DOMINUS HOSTES RASIN (*q. d.* Deus hostes Rasini regis Syriæ, puta Assyrios, superiores et victores faciet), SUPER EUM (id est *primo*, contra Rasin; hunc enim proprie respicit vox *eum*: mox deinde contra Ephraim et Israel, eosque) IN TUMULTUM VERTET. — Itâ ut Rasinum Israelitarum socium eisque confœderatum evertant; quo superato faciet, ut Assyrii omne pondus et tumultum belli junctis jam sibi Syris (qui sunt ad Orientem Israelis) et Philistinis (qui sunt ad Occidentem)

(1) שִׁכְמִים esse *sycomoros*, arborum genus in Oriente frequentissimum, Cellius ostendit, *Hierobot.* tom. I, pag. 310, cui addendus Hassequist, *Iter Palæstin.*, pag. 535, vers. german.; Norden, *Voyage d'Égypte et de Nubie*, pag. 57 (tom. I, pag. 85, édit. Paris, 1795), qui et iconem adjicit, Tab. XXXVIII. Arbor est vasta, ramosa et in latum extensa, quæ incolis terrarum, sub fervido cœlo sitarum, insignem præstat usum. In Ægypto et Palæstina frequentissime in littoribus et ad vias juxta pagos plantata invenitur. Ab Ægyptiis veteribus adhibita fuit ad construenda conditoria, in quibus corpora ~~condita~~ balsamo condita reponerent. Arbor huic usui est omnino omnibus ædificiis valde apta, quippe quæ putredinem per plurima sæcula non admittit, et non vetustissima corruptioni obnoxia. Lignum vero cedri durissimum ad ædificandum usurpatum esse apparet ex II *Chronol.* II, 7. Cf. Faber, *Archæologie der Hebræer*, tom. I, pag. 368, 369. (Rosenmuller.)

se debellatis, vertant contra Israel, eumque avidissime et crudelissime quasi hiantes toto ore devorent. Ita S. Hieronymus.

12. IN OMNIBUS HIS NON EST AVERSUS FUROR EJUS (non regis Assyriorum, sed Domini Dei: quia per hanc vastationem Assyriorum Israelitæ non respuerunt, vitulos aureos non deseruerunt, nec ad Deum suum redierunt: unde) ADHUC MANUS EJUS EXTENTA — est ad eos feriendos, et graviore plaga mulctandos.

14. ET DISPERDET DOMINUS AB ISRAEL CAPUT ET CAUDAM, — summos et infimos. Nam *caput* vocat senes et proceres, *caudam* pseudopphetas, uti mox explicat Isaias: quia sicut cauda vile est membrum, quo canis adulatur, et turpitudinem, scilicet podicem suam, occultat: ita pseudopphetæ erant homines vilissimi, qui suis falsis promissis et blanditiis adulantes populo, ejus et sua pariter vitia tegebant, Deique ac Prophetarum minas infrangebant. Est ergo metaphora a canibus, vel a serpentibus, qui cauda blandientes sensim illabuntur, et venenum evomunt.

INCURVANTEM ET REFRENANTEM. — Ita Romana. Hebræum est כִּפָּה וְאַגְמוֹן *kippa veagmon*, id est ramum et juncum; ramus enim hebraice dicitur *kippa*, id est incurvans se frondesque et fructus sibi subditos: ex juncis vero fiunt funes, et frena, sed juncea, quibus pueri et rustici sua pecora infrenant. Est proverbium, idem significans quod « caput et cauda » (sed hoc animalibus, illud a plantis petitum est), hoc est nobiles et ignobiles fortes et infirmi, *q. d.* Omnes; tam summi quam imi, tam senes quam pueri, tam principes quam plebei, cui simile est illud: « Parvi propereamus et ampli. » Ita Hebræi, Vatablus et Septuaginta qui vertunt, μέγαν καὶ μικρόν, id est magnum et parvum ex Israel disperdet Deus.

Incurvans ergo est ramus expansus, qui se suaque curvat: et per hunc proverbialiter denotatur senex, rector, validus, qui in alios vires et imperium expandit, eosque curvat et regit. Refrenans est juncus, quo pueri et pauperes solent frenare jumenta. Ex junco enim, æque ac ex canabe et sparto plectuntur funes, quibus pauperes pro frenis utuntur. Unde *Job* cap. XL, 21: « Numquid pones circulum in naribus ejus? » pro *circulum* hebraice est *agmon*, id est juncum. Junco enim solent piscatores majorum piscium nares trajicere, ut penduli portari possint, ait ibidem Pineda. Hinc et juncus a jungendo dicitur, quod ejus usus sit ad juncturas, puta ad funes, crates, sportas, etc. Sic Ovidius, IV *Fastor.* vocat « vincla juncea. » Hic proverbialiter denotat juvenem, tenerum et imbecillum (talis enim est juncus: inde vocatur virgo juncea, ea quæ mollis est et flexilis), qui suas passiones lege Superiorum, quasi freno, regere et frenare debet.

Rursum, noster Interpret generalius et vicinior ad rem significatam, pro *ramus* et *juncus* vertit, « incurvans » (pro כִּפָּה *kippa*, id est *ramus*, vide-

tur aliis punctis legisse כִּפָּה *kophe*, id est incurvans), « et refrenans; » *q. d.* Senex et equiso, senator et stabularius, consul et camelarius, primus et imus. Stabularius enim, sive camelarius, vel equiso vocatur refrenans, quia ejus est infrenare, curare, fricare et regere equos vel camelos. Sic camelarius fuit Mahomet pseudoppheta, conditor saracenismi.

Est ergo hic triplex parœmia idem significans: primo, caput et cauda; secundo, ramus et juncus; tertio, incurvans et refrenans. Porro hoc loco proprie caput, ramus et incurvans vocatur senex, senator, rector: cauda vero, juncus et refrenans, sive stabularius vocatur pseudoppheta. Ita enim hæc explicat Isaias, dum subdit: « Longævus (id est senex, ideoque senator) et honorabilis, ipse est caput: et Propheta docens mendacium, ipse est cauda. » Senex ergo et senator vocatur *caput*, quia honorabilis præ cæteris, quos consilio vel imperio regit, uti « caput » regit cætera membra. Idem vocatur *incurvans*: quia non minus fructibus operum anteactæ vitæ, quam pectore et dorso recurvus esse, aliosque exemplo, consilio et legibus curvare et dirigere debet. Hic vero τὸ *incurvans*, notat hosce senes et consiliarios recta et æqua judicia curvasse, ac causas pauperum ob favores et munera pervertisse. Ita Adamus. Idem vocatur *ramus*, tum quia cæteris celsior, tum quia recurvus, tum quia frondibus et fructibus pietatis et justitiæ abundare, iisque juvenes et subditos regere et obumbrare debet.

Pseudoppheta vocatur *cauda*. Primo, quia vilissimus, uti hoc sæculo vidimus sutores, cordonos, agasones, pollinctores, fieri prophetas, id est ministros et prædicatores verbi Dei apud hæreticos. Secundo, quia instar canis cauda suis adulatur, sed eadem instar scorpionis venenum suæ hæresis et impietatis instillat. Idem vocatur *refrenans*, quia suis falsis oraculis et dogmatibus frenat flectitque populum. Idem vocatur *juncus*. Primo, quia hoc ejus frenum junceum est, id est fragile, futile et inane. Secundo, quia instar junci sugentis aquam, sugit et exhaurit opes plebis. Tertio, quia aculeatus est magis quam juncus, suosque aculeo mortis æternæ configit. Quarto, quia ut juncus, mollis est et flexilis, docetque mollia, et carni grata. Quinto, quia uti juncus facile curvatur, ita ipse curvat cervicem et caput, ut pietatem et humilitatem simulet. Est enim hypocrita, unde de talibus ait Isaias, cap. LVIII, 5: « Numquid contorquere quasi circulum caput suum? » ubi pro *circulum* hebraice est *agmon*, id est juncum. Quocirca Vatablus et Martinus vertunt, *ut curvet, vel retorqueat quasi juncum caput suum*.

Tropologicè, S. Hieronymus: « Caudam, inquit, appellans, non homines, sed jumenta, hæreticos esse demonstrat, quæ hoc membro utuntur ad sterora protegenda, et ad arcenda parva animalia. » Chaldaeus et alii alii utrumque referunt ad

principes : hi enim subditos curvant et frenant. Unde ex Hebræo אגמון *agmon*, quod Noster vertit, « refrenantem, » chaldaïce vocatur הגמון *hegmon*, is qui præest et imperat, indeque græce ἡγεμὼν vocatur dux et princeps. Sic ergo vertit Chaldaeus cap. XIX, vers. 15, *et non erit Ægyptiis rex qui regnet, nec princeps, nec satrapa, nec præfectus, nec dominator.*

Alii sic exponunt : incurvans est senex, qui curvus incedit : refrenans est pseudopropheta, qui populum a bono refrenat, retardat et cohibet; aut potius, refrenans est adolescens audax et fortis, qui freno indiget, ne præceps feratur sequendo æstus et impetus adolescentiæ suæ.

Alii per incurvantem accipiunt plebem, quæ se curvat et flectit ad jussa potentum : per refrenantem principes, qui plebem suis edictis et legibus quasi freno regunt.

Tertio, Hieronymus in *Comment.* vertit *incurvantem et depravantem*, atque utrumque refert ad caudam, id est ad pseudoprophetam. Hic enim recta Dei oracula et præcepta incurvat, detorquet et depravat : sicuti serpens suam caudam sinuoso flexu incurvat, multisque spiris intorquet et convolvit. Hoc proverbium repetit Isaias, cap. XIX, vers. 19, sed aliter, et aliis applicat (1).

16. ET ERUNT, etc., PRÆCIPITATI — in mortem et captivitatem.

17. PROPTER HOC SUPER ADOLESCENTULIS EJUS NON LÆTABITUR DOMINUS, — *q. d.* Hac falsorum doctorum et prophetarum adulatione atque mendacio, et populi istius vanitate ac impœnitentia offensus Dominus, ne molliori quidem et blandiori ætati, puta adolescentiæ, quæ solet parentibus esse curæ et oblectationi, benevolus aut beneficus erit :

(1) Vers. 15. « Longævus et honorabilis ipse est caput, et propheta docens mendacium ipse est cauda. » Hunc versum Koppe a Judæo quodam qui proverbialem loquendi formulam, ראש וזנב, explicare vellet, inscite additum judicat. Assensorem præter Eichornium et Cubium, nactus est et Gesenius, cui hisce potissimum de causis persuasum est hunc versum haud esse Jesajæ. Primum vix est credibile, ratem medio in orationis flumine inseruisse interpretatorem hanc formulæ loquendi, de cujus significato qui illum addiderunt vel legerunt, non dubii esse potuere. Deinde per זנב vatem mendaces prophetas designare voluisse, ut hic versus dicit, parum est verisimile, cum cauda, capiti opposita, potius inferiores populi indicari credibile sit. Tum repetitum hoc versu ארץ, *id est commentatoris*, non auctoris, stylum arguit. Denique turbat hic versus rhythmicam hujus vaticinii normam, ex qua singulæ ejus partes quatuor versibus constant; hoc vero versu secunda pars reliquis uno versu longior sit. Cæterum hanc interpretationem Gesenius haud adeo longe post Jesajæ tempora factam existimat, a quodam qui falsis prophetis adversatus eos ut perditissimam et infamam populi faciem sistere vellet. (Rosenmuller.)

Licet hæc opinio primo aspectu quamdam verisimilitudinem in orationis serie repositam habeat, et aliunde integritati vaticiniorum Isaiæ non adversetur, non nisi tamen cum magna cautela admittendam judicaremus, tum propter ejus novitatem, tum propter periculosa hujusmodi sententiæ consecraria.

atque ne miserabilium quidem personarum; ut sunt pupilli et viduæ, quas solet speciali studio protegere, miserebitur, quia omnes sunt mali et transgressores legis. Est metalepsis : ex lætitia enim amorem prævium, benevolentiam et beneficentiam intelligit, *q. d.* « Non lætabitur, » id est non miserebitur, non erit clemens; misericordia non commovebitur, non parcet, non benefaciet.

Nota : Deus dicitur lætari super, vel, in populo, quando populus Dei præceptis obedit, et propterea Deus illi benefacit; tristari vero dicitur super peccatoribus, quando eorum scelera aversatur, eaque pœnire destinat. Unde *Genes. VI, 6*, dicitur « tactus dolore cordis intrinsecus. » Hinc et Apostolus ait : « Nolite contristare Spiritum Sanctum, » *Ephes. IV, 30*. Vis ergo lætificare Deum? fac virtutum opera, quæ illi placent, quibus ipse delectatur et pascitur. In Deo enim vera est delectatio et gaudium, sicut et amor circa bona : perinde atque in eodem est odium et tristitia, id est aversio et detestatio circa mala : hæc tamen tristitia nullum Deo dolorem, auxietatem aut molestiam affert, uti facit in nobis.

18. SUCCENSA EST ENIM QUASI IGNIS IMPIETAS. — Vers. 18. Impietatem Israelis late grassantem et dominantem comparat igni omnia populanti, *q. d.* Sicut ignis in sylvam immissus primo vepres et sentes corripit, deinde per frutices, arbores totamque sylvam proserpit et pervadit; ita ut tota densitas saltus convolvatur superbia, id est in elatione, et altitudine fumi ad cœlum usque ascendentis : ita impietas in Israele primo stipulas et vepres, id est ignobiles, corripuit, deinde per arbores et cedros, id est nobiles et proceres, grassata omnia peccati incendio populata est, ut totum Israel suam noxa et culpa convolverit, ac proinde et eundem totum sua pœna, et hostili incendio ac vastatione convolvat. Ita S. Hieronymus (2).

CONVOLVETUR SUPERBIA FUMI. — Hebraice, *elevantur se secundum elevationem fumi*, *q. d.* Eorum superbia instar fumi dissipabitur et evanescet; vel : Spina et saltus simul altissimo igne et fumo involventur, ut dixi.

19. IN IRA DOMINI EXERCITUUM CONTURBATA EST TERRA. — Vers. 19. Ostendit materiam paratam, causamque incendii, *q. d.* Crescente Dei indignatione, totus Israel involutus fuit fumo erroris, et obtenebratus cæcitate, flammis etiam passionum totus corruptus et concussus est : adeo ut in reprobum sensum datus, factus sit quasi esca et alimentum ignis futuri, quo absumetur. Intellige ignem seditionum intestinarum, quibus et Israelitæ inter se, et Judæi quoque postea corruerunt. De Judæis

(2) Similitudine eleganti explicat Propheta, quam late impietas Israeliticæ pervaserit fines, et quam misere omnia prostraverit. Cum magnam cladem aut infortunium accidisse significare volumus, ab igne atque incendio nomina mutuamus. Quia ab aliis sæpe plurima, ab incendio non nisi pauca, eaque perraro tuta sunt. (Rosenmuller.)

Id docet historia Machabæorum, Josephi et Hægesippi : de Israele id patet ex eo, quod servi in dominos insurgentes eos occiderint; ut cum Phæcee rex occisus est ab Osee, quod licet breviter transeat historia Regum, tamen non est verisimile id sine cædibus et tumultu peractum esse. Postea quoque Osee voluit deficere ad Sua regem Ægypti, quod statim ab aliis significatum fuit regi Assyriorum, estque indicium tunc fuisse dissensiones in Israel, IV Reg. cap. XVIII et sequent.

Vers. 19 et 20. VIR FRATRI SUO NON PARCET, ET DECLINABIT AD DEXTERAM, — *q. d.* Tanta erit Israelitarum tum rabies et crudelitas, tum fames, ut, sicut fera pressa fame sævit inter armenta, et modo a dextris, modo a sinistris pecus jugulat; ita et ipsi inter fratres et proximos suos grassaturi sint. Ita S. Hieronymus.

Vers. 20. UNUSQUISQUE CARNEM BRACHII SUI VORABIT; MANASSES EPHRAIM, — *q. d.* Quisque filios, fratres, et quosque proximos opibus et vita spoliabit, sicut stultos et insanos videmus in manus et brachia sua sævire. Fratres ergo et cognati vocantur *caro brachii*, quia hi sunt quasi unum corpus cognationis, et alter alterius est quasi membrum. Quare a Christo et a Paulo proximi nostri vocantur manus, pedes et oculi nostri. Sicut enim rami ex uno nascuntur trunco, indeque in diversa abeunt; et sicut brachia ab uno funduntur corpore: ita et fratres, filii et cognati ab uno promanant stipite, puta patre vel avo. Nota: Carnes alterius

comedere, aut sanguinem sitire, symbolum est summi odii et crudelitatis.

MANASSES EPHRAIM, — una tribus aliam. Has duas nominat, quia hi duo erant fratres germani; scilicet filii Joseph ex eadem matre geniti, inter quos solet et debet esse major conjunctio, quam inter uterinos, vel consanguineos tantum.

SIMUL IPSI CONTRA JUDAM, — *q. d.* Ephraimitæ et Manassenses, qui prius odiis inter se dissidentes in mutuas cædes ruebant, iidem postea conspirabunt more suo contra Judam. Hic est mos impiorum: sic fecerunt contra Christum Herodes et Pilatus. Sic tempore Juliani Apostatæ Judæi et Gentiles contra Christianos. Sic nunc et olim contra Catholicam Ecclesiam lacerantes invicem hæretici, ut notant S. Hieronymus et Rupertus hic.

21. SED ADHUC MANUS EJUS EXTENTA. — Tertia hic est versus hujus repetitio, qua transit ad Judam solum, *q. d.* Vidistis supplicia decem tribuum, vos eorum exempla imitamini, nec terremini; supplicia itaque graviora expectate ab extenta Dei manu. Ita solet fieri: cum vicinos et proximos nostros percutit Deus, tunc vult respiscere: si nolimus, nos quoque ferit. Hoc est quod dicitur *Psal. LIX, 7*: «Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus: ut liberentur dilecti tui,» scilicet emendatione sua consimilem pœnam evadentes. Sic *Osee v, 8*, Ephraim excitatur ad pœnitentiam proposito supplicio urbium, quæ illi erant quasi a tergo, et jubetur eas respicere.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit ab Israele ad Judam, id est, a decem tribubus ad duas, quarum peccata arguit, eisque minatur Assyrium, scilicet Sennacherib: deinde, vers. 8, ipsum Sennacherib, qui suæ virtuti et sapientiæ tribuebat victorias, stuporis et amentię redarguit, eique exitium intentat, reliquiis vero Judæorum, vers. 21, liberationem pollicetur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii.

Allegorice Apostolus, Rom. IX, 27, hæc refert ad Judæorum reprobationem; ita tamen ut reliquiæ, id est, pauci ex eis credentes Christo, salventur (1).

1. Væ qui condunt leges iniquas: et scribentes, injustitiam scripserunt: **2.** ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ

(1) In fine præcedentis capitis, cujus series non nisi vers. 4 hujus cap. absolvitur, Propheta qui funesta tum Israelitarum, tum versus finem, Juda regno prædixit, divinæ vindictæ executionem speciatim descripsit. Hic infamata hujus vindictæ instrumento, id est Assyriorum regi et genti, vaticinatur.

Exponit igitur primo, ministerium Assyriorum ad castigandum Israelitas, ordinatum a Deo, vers. 5, 6; ignotum ab executeribus, 7.

Secundo, culpam et insolentiam præidentię superbientis de viribus propriis, 8-11; jactantiæ exaggerantis fortitudinem et sapientiam nativam, 13, 14; arrogantię negantis Deo auctori gloriam debitam, 15.

Tertio, pœnam et ultionem a Deo decretam contra regem Assyriorum, variis imaginibus expressam, 12-15; contra principes illius ac milites, 16, 17; contra magistratus ejusdem ac subditos, 18, 19.

Quarto, hujusce divinæ vindictæ fructum pro Judæis, qui non ultra spem suam in hominibus collocabunt, sed ex parte convertentur ad Dominum, tum tempore Ezechię, tum tempore maxime Christi, et justificabuntur, 20-23; et liberabuntur tandem ab oppressore ac vindicabuntur, 24-27.

Quinto, Assyrios celeri adventu et victore exercitu Judæam percussuros, 28-31; et Hierosolymam spe jam devoratos, 32; sed mox plaga terribili atterendos, 33; et robore omni et dominio exuendos, 34.

præda eorum, et pupillos diriperent. 3. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram, 4. ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. 5. Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. 6. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. 7. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, et ad interneccionem gentium non paucarum. 8. Dicit enim: 9. Numquid non principes mei simul reges sunt? numquid non ut Charcamis, sic Calano; et ut Arphad, sic Emath? numquid non ut Damascus, sic Samaria? 10. Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem, et de Samaria. 11. Numquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus, sic faciam Jerusalem, et simulacris ejus? 12. Et erit: cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus. 13. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi: et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. 14. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret. 15. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. 16. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem: et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. 17. Et erit lumen Israel in igne, et Sanctus ejus in flamma: et succendetur, et devorabitur spina ejus, et vepres in die una. 18. Et gloria saltus ejus, et Carmeli ejus, ab anima usque ad carnem consumetur, et erit terrore profugus. 19. Et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, et puer scribes eos. 20. Et erit in die illa: non adjiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Jacob, inniti super eo qui percutit eos: sed innitetur super Dominum sanctum Israel in veritate. 21. Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. 22. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundabit justitiam. 23. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. 24. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere, populus meus habitator Sion, ab Assur: in virga percutiet te, et baculum suum levabit super te in via Ægypti. 25. Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum. 26. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in Petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti. 27. Et erit in die illa: Auferetur onus ejus de humero tuo, et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei. 28. Veniet in Aiath, transibit in Magron: apud Machmas commendabit vasa sua. 29. Transierunt cursim, Gaba sedes nostra: obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit. 30. Hinni voce tua, filia Gallim, attende Laisa, paupercula Anathoth. 31. Migravit Medemena: habitatores Gabim, confortamini. 32. Adhuc dies est, ut in Nobe stetur: agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem. 33. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. 34. Et subvertentur condensa saltus ferro: et Libanus cum excelsis cadet.

1. VÆ QUI CONDUNT LEGES INIQUAS. — Sanchez pergithæc usque ad vers. 3, interpretari de Israele.

Unde quædam exemplaria, teste Lyrano, hæc verba referunt ad finem capitis noni: caput vero de-

eimū inchoant a vers. 3. Melius alii interpretantur de Juda : sic enim omnia hoc capite erunt connexa. Taxat ergo Judæorum sub Achaz et Ezechia injustitiam, qua pupillos et viduas deprædabantur, et suis furtis atque calumniis leges iniquas prætendebant.

Allegorice, taxat Judæorum tempore Christi impietatem, quæ per Corban, aliasque pravas traditiones, et legis interpretationes cogebant homines Dei legem prævaricari; ita S. Hieronymus et Cyrillus, quique post Christi mortem multa maligne contra eum finxerunt, ejusque fideles calumniati sunt, qui denique valde impia statuerunt contra Christianos in suis synagogis, eosque crudelissime sunt persecuti, teste S. Justino *Contra Tryphonem*.

3. QUID FACIETIS IN DIE VISITATIONIS (id est punitionis, qua Deus gladium ultionis et) CALAMITATIS DE LONGE (id est ex Assyria) VENIENTIS, — in vestram iniquitatem dstringet?

UBI DERELINQUETIS GLORIAM VESTRAM? — opes scilicet, status et pompam, in quibus gloriamini, q. d. Quid tunc vobis opes male partæ, quid honores, quid officia proderunt? nam hæc omnia diripiet vel evertet hostis.

Tropologice Nazianzenus, et ejus interpres Nicetas, oratione *De Plaga grandinis*, hæc refert ad peccatores et ad extremum judicium.

Nota hic sycophantiam Oecolampadii. Fædisime, inquit, ad firmandam suam sedem et primatum hoc loco Antichristus abutitur, cap. *Aliorum*, ix, *Quæst.* III. Sic appellat S. Symmachum Pappam, qui canone illo (quem habet etiam in Ennodii libro), cum dixisset Romanam Sedem a nullo mortalium judicari, sed solius Dei subesse judicio, subdit, de hac Sede Petri per Prophetam prædictum videri : « Si hæc humiliabitur, ad cujus confugietis auxilium? ubi derelinquetis gloriam vestram? » Quod dicit, quia censebat id quod Propheta de alia re dixerat, accommodari posse Ecclesiis singulis, quibus, si refugium ad Sedem Romanam tollatur, omnis refugii in terris spes sublata est : tolleretur autem, si Romana Sedes ab hominibus esset judicanda; isti enim homines rursus ab aliis essent judicandi, et isti ab aliis, et ita in infinitum iret appellatio. Non vero hoc dixit Symmachus, quod vellet hunc esse sensum Prophetæ litteralem. Tò enim prædictum, ample sumitur : verba enim S. Scripturæ quia omni ætati, homini et sexui scribuntur, hinc dicuntur prædicere id quod apte cuique tempori et ætati congruit, eique adaptari, et de eo dici potest. Quid ergo queritur sycophanta? an illi solus Symmachus est Antichristus, cum tot alii Pontifices sanctissimi, ut Innocentius, Gelasius, Antherus, Nicolaus, Sixtus idem professi sint, ut habetur eadem *Questione*?

4. NE INCURVEMINI SUB VINCULO. — Id est cavete ne captivi abducamini : captivi enim colla subdunt jugo, et catenis gravati curvi incedunt. Est metalepsis.

5. VÆ ASSUR! — Vatablus vertit, *heus Assur! q. d.* O Assyrii! venite perditum regnum Judæorum; ut hebræum וַיִּהְיֶה הוֹי sit adverbium hortandi, vel vocandi. Melius Noster, Septuaginta et Chaldæus *hoi* vertunt *væ* : minatur enim Assyriis cladem duas ob causas. *Primo*, quia licet ipsi essent virga et flagellum Dei, tamen castigationem Judæorum, quam Deus juste intendebat, ipsi tyrannice executi sunt, nec Deo, sed suæ ambitioni servierunt. *Secundo*, quia limites ultionis a Deo designatos transgressi sunt, plusque sævierunt in Judæos quam eis a Deo erat concessum. Similem enim ob causam ait Zacharias, cap. 1: « Ira magna ego irascor super gentes opulentas; quia ego iratus sum parum, ipsi vero adjuverunt in malum. » Ubi nota Dei humanitatem et clementiam, qui prius *væ* in Assyrios, quam in Judæos ab Assyriis puniendos intentat.

ASSUR. — Ad litteram intelligit Sennacherib et Assyrios (1), qui fuerunt quasi virga et securis, ut ait vers. 15, qua Deus utebatur ad puniendum et excindendum alias gentes : nam verba ejus tumida vers. 8, similia, imo eadem sunt cum verbis Sennacherib *IV Reg. xix, 13*. Ita S. Basilius, Hieronymus, Cyrillus, Haymo et alii.

Allegorice, Assur fuit Titus, Adrianus et Romani, a quibus Judæi ultimo excidio sunt obruti. Ita Justinus *Contra Tryphonem*, S. Chrysostomus,

(1) Carmen hoc ad eandem Ahasi ætatem, qua carmina superiora edita fuerant, esse referendum, Vitringa censet hac potissimum ex causa, quod in eo haud pauca iis quæ in antecedentibus dicta fuere, similia deprehenduntur; veluti si conferas vers. 24, 25, 26 cap. x, cum cap. viii, vers. 8, 9, 10; porro cap. x, vers. 6, cum cap. viii, 1-4, et cap. x, 27, cum cap. ix, 3. Verum ex unius aut alterius vocis et locutionis similitudine, quæ in duobus carminibus deprehenditur, non sequitur ex uno eodemque tempore edita esse. Samaritam hoc vaticinio edito jam fuisse excisam, aperte indicatur vers. 11, ubi non quidem Propheta (ut dici possit, ex styli prophetici consuetudine, præteritum tempus hic adhiberi loco futuri), sed rex Assyrius ipse potentiam suam in expugnatione Samariæ demonstratam jactans, et ex ea superbiens, inquit : *Annō non sicut feci Samariæ et vacuis illius diis, sic facere licebit Hierosolymis, eorumque idolis?* quæ verba arguunt, de ea Samariæ expugnatione esse sermonem, qua Israelitæ in captivitatem fuere abducti, idolis eorum destructis; ex cujus expeditionis successu Assyrius majora adhuc ausurus, idem excidium intentabat Hierosolymis et templo Jovæ. Samaria vero expugnata est anno Hiskie sexto (vid. *II Reg. xviii, 9, 10*). Haud longo post tempore, cum illius ruina adhuc in recenti memoria esset, et Judæi eandem ab Assyriis calamitatem sibi metuerent, videtur hoc vaticinium editum, quo suorum animos spe divini auxilii vates erigit. Sententiæ eorum qui hoc carmen ad id tempus referunt, quod proxime præcessit reditum Assyriorum ex Ægypto, Sancheribo duce, circa finem anni Hiskie decimi quarti, quibus et nos olim accessimus, Gesenius vere monet obstare descriptionem adventantis contra Judæam Assyriorum exercitus (vers. 28 et seqq.) ab Aquilone, non ex Meridie. (Rosenmuller.)

Notemus tamen, omnes fere interpretes hanc prophetiam de infelicissima Sennacheribi contra Hierosolymam expeditione, anno Ezechie decimo quarto, intelligere.

oratione 2 *Contra Judæos*, et fuse Leo Castrius.

Symbolice, superbus Assur est diabolus, qui calamitatibus affligit Christianos, et in dies affligit Ecclesiam Christi, ideoque ei Deus minatur iudicium extremum, et pœnam ignis æterni. Ita Nazianzenus supra, Origenes, hom. 11 in *Numeros*; Eusebius, lib. IV *Demonstr.*, cap. IX; Hilarius in *Psalm.* cxviii, littera *ain*.

Tropologice, Assur virga furoris Dei est Turca, et quivis tyrannus. Sic Attila rogatus a S. Lupo Trecensi Episcopo, quis esset? « Ego, inquit, sum Attila rex Hunnorum flagellum Dei. » Sic Tamerlanes, Totila, Hunni, Gothi, Wandali fuerunt flagellum orbis. Sic peccantibus Hebræis Deus quasi flagellum in eos immisit, nunc Chusan Rasathaim regem Mesopotamiæ, *Judic.* cap. III, 8; nunc Eglon regem Moab, *ibid.* vers. 12; nunc Jabin, regem Chanaan, *Judic.* IV, 2; nunc Madianitas, *Judic.* VI, 1; nunc Philistæos, *Judic.* XIII, 1. Sic Nabuchodonosor vocatur « malleus universæ terræ, » *Jerem.* L, 23.

VIRGA FURORIS MEI. — Mali sunt virga et instrumenta, quibus Deus homines, maxime quos diligit, punit et exercet, permittendo, et laxando habenas eorum potentiæ, cupiditati et sævitæ; non ergo Deus tyrannidis et peccati est auctor, ut vult Oecolampadius, sed permissor et director.

Nota: Assur dicitur *virga* respectu filiorum teneriorum, *baculus* autem respectu peccatorum obstinatorum: dicitur « virga furoris, » quia Deus eo non utitur, nisi valde iratus. Hoc est enim quod ait: « In manu ejus indignatio mea, » *q. d.* Ejus manu, opera et armis indignationem meam exsequor, et peccata ac peccatores ulciscor.

6. AD GENTEM FALLACEM. — Ad Judæos, qui toti ex hypocrisi conflati, fidem mihi datam toties fefellerunt, ac mentiti sunt se me culturos, et mea præcepta observaturos, cum ea negligent, et idola colant, quibus proinde justo furore succensens mittam hanc virgam. Ita S. Hieronymus. Unde sequitur:

ET CONTRA POPULUM FURORIS MEI (contra Judæos quibus furor meus irascitur) **MANDABO ILLI, UT AUFERAT SPOLIA.** — Nota: Dei mandatum, jussio, præceptum, vocatur omnis et quævis Dei providentia, atque altissimum ejus dominium et imperium, quo *primo*, res et voluntates omnes, etiam impiorum, continet, comprehendit, arctat, vel laxat; *secundo*, quo eas in se malas in hanc potius partem et gentem, v. g. ad Judæos invadendos potius, quam Ægyptios, agit et dirigit; vel effective per diabolum, vel objective per se, obijciendo scilicet eorum menti ea, quibus per præscientiam conditionatam præscit, eos in hanc partem se sponte et libere inclinatos; *tertio*, quo hæc omnia ordinat ad justam impiorum, v. g. Judæorum, castigationem; consequenter impii tyranni, v. gr. Assyrii, iisdem de causis vocantur virga, securis et arma Dei vindicis. Sic

David, II *Reg.* XVI, ait: « Dominus præcepit ei (Semei), ut malediceret David. » *Præcepit*, id est ordinavit sua providentia ad mei punitionem, qua eum maledicere paratum permisit, ut suam maledicentiam in me evomeret, ad puniendum meum adulterium et homicidium. Ita Hugo Victorinus, tract. 1 *De Sacram.* part. V, cap. XXVII et XXIX. Vide *Canon.* XXX.

PONAT ILLUM (populum Judæorum) **IN CONCULCATIONEM.** — Quidam exponunt, ut solum calcet, non vero absumat. Melius alii, *q. d.* Ut sic prosternat dejiciat et conculcet, uti solent calcari stercora, lutum et res vilissimæ. Sic dicitur aliquid removeri, vel succidi, sicut finus aut sterquilinum, III *Regum* XIV, 10. Item esse vel fieri stercus terræ, *Psalm.* LXXXII, 11.

7. IPSE AUTEM NON SIC ARBITRABITUR, — scilicet quod ipse tantum sit virga mea ad castigandum Judæos aliasque gentes; nam ipse volet eas omnino delere, putabitque suis viribus, se auctore, non a Deo hæc fieri, ut sequitur:

Symbolice, hæc omnia apte conveniunt diabolo, cujus insatiabile est odium contra Deum, et proinde contra totum genus humanum. Unde de eo ait Job, cap. XL, vers. 18: « Ecce, absorbebit fluvium, et non mirabitur: et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus; » in quæ verba vide S. Gregorium et Philippum Presbyterum (1).

9. NUMQUID NON UT CHARCAMIS? — En quam superbus « projicit ampullas, et sesquipedalia verba, » *q. d.* Numquid non ego Sennacherib Charcamis excidium attuli, atque Emath, aliasque munitissimas urbes, quin et Damascum et Samariam expugnavi pari fortitudine et felicitate? Quid ergo obstabit quominus Judam et Jerusalem expugnem?

Septuaginta pro *Charcamis* vertunt, *regiones quæ sunt supra Babylonem, q. d.* Numquid arma mea non protuli supra Sinum Persicum ultra Carmaniam? Ita quidam. Sed præstat cum S. Hieronymo, per *Charcamis* accipere urbem Syriæ, ita dictam, sitamque ad ripam Euphratis.

SIC CALANO. — Supple, a me expugnata est. « Calano » urbs est prope Babylonem; postea dicta est Ctesiphon, fuitque regia Parthorum, teste

(1) Vers. 9. « Numquid non principes mei simul reges sunt? » Pertinet id ad majestatem et amplitudinem imperii. Possunt autem verba duplici sensu accipi: vel *Satrapes* sive *proceres*, quos reges Assyriæ gentibus a se devictis imposuerant, esse regia præditos potestate, quemadmodum vetus Persicum regnum, referente Tabario in *den Fundgruben des Orients*, ab III de Hammer editis, tom. I, pag. 3, not., in septem magnas provincias divisum erat, quarum præfecti regium nomen et diadema gerebant; vel se, ut regem magnum subjectos sibi habuisse minores plures, fiduciariorum et tributarios. Solebant enim reges Orientis ob id maxime superbire, quod ipsis imperarent regibus; unde *μεγάλοι βασιλείς*, reges magni (quod nomen Sennacheribo tribuitur a Rabsake, II *Reg.* XVIII, 19), et *βασιλείς βασιλέων* dicebantur. Confer *Ezech.* XXVI, 7, et ad eum locum not. *Daniel.* II, 37; *Esd.* VII, 12. (Rosenmuller.)

Plinio, lib. VI, cap. xxvi. Septuaginta docent juxta hanc urbem fuisse ædificatam turrim Babel; et recte dicunt *juxta*, quia Ctesiphon a Babylone tertio tantum milliari est dissita; qua de causa Nazianzenus, *orat.* 7, turrim Babel vocat turrim *Calanes*. Calane diversa fuit a Seleucia, licet aliqui has duas urbes confundant ex male intellectis verbis S. Hieronymi.

Porro ne credas Annio Viterbiensi, qui Babylonem scribit uno murorum ambitu integram tetrapolim, sive quatuor ingentes urbes conclusisse, nimirum Babylonem, Arad, Achad et Chalanne; nam Chalannem distinctam fuisse a Babylone docet S. Hieronymus in *Locis Hebraicis*, et Plinius; lib. VI, cap. xxvi.

ET UT ARPHAD, SIC EMATH, — *q. d.* Tam Emath quam Arphaxad a me subacta est. *Arphad* urbs est non longe a Damasco, de qua *Jerem.* XLIX, 23. Mendose pro *Arphad* Septuaginta habent *Arabiam*.

Emath est duplex: una minor, quæ postea dicta est Epiphania, de qua *Amos* VI, 15; altera major, quæ postea dicta est Antiochia, quam Josephus, lib. III *Belli*, cap. 1, scribit fuisse metropolim Syriæ, et inter omnes Romani imperii urbes tertium obtinuisse locum. De hac videtur loqui Isaias.

10. QUOMODO INVENIT MANUS MEA REGNA IDOLI. — *q. d.* Sicut regna Gentium idolis dedita, quæque magnam colebant idolorum multitudinem, mihi, iis etiam multis, subjeci, itaque videor non tantum regna, sed et deos tutelares ac numina eorum mihi subjugasse: ita pariter Jerusalem, ejusque simulacra ac Samariæ, si quæ restant; mihi subjiciam, nec poterit per ea a manu mea liberari; præsertim quia Samariam jam subegi, ac pleraque ejus simulacra abstuli: quidni ergo idem faciam Hierosolymæ, quæ eosdem cum Samaria deos et simulacra colit? Hoc enim putabat Sennacherib, eo quod Samaritæ et Judæi ab iisdem patribus et patriarchis prognati essent: eratque ex parte verum; nam Achaz idola in templum invexerat, IV *Reg.* XVI, 15; sed ea jam sustulerat ejus filius Ezechias, IV *Reg.* XVIII, 4.

Nota fastum tyranni, cum ait: « Invenit manus mea, » *q. d.* Adeo facile regna expugnavi, ut non digner vocare expugnationem, sed inventionem quamdam obviæ prædæ. Simili fastu ait Mezentius apud Virgilium:

Dextra mihi deus, et telum quod missile libro.

12. ET ERIT: CUM IMPLEVERIT DOMINUS CUNCTA OPERA SUA. — Cum per Assyrios obsederit et afflixerit Jerusalem, atque ex ea opes et spolia extulerit, IV *Reg.* XVIII, 15, *q. d.* Cum usus fuero virga Assur, eaque flagellavero Judæos, tunc virgam ipsam in ignem conjiciam, uti faciunt parentes liberis flagellatis.

VISITABO SUPER FRUCTUM MAGNIFICI CORDIS. — Id est, super cogitationes et opera superbissimi

cordis Sennacherib: hæc enim sunt « fructus cordis, » sicut arboris et radicis fructus sunt folia et poma. *Gloria vero altitudinis oculorum est elatum supercilium.* Oculi enim elati certi sunt indices arrogantis et superbi animi. Hinc collige quantum homo possit in his, ad quæ quasi instrumentum a Deo destinatur; quod si ulteriora tentat, frustra laborat, imo sibi sæpe perniciem conciliat, quia Deum non habet fautorem, nec auspiciem. Ita Sennacherib regna, ad quæ a Deo destinabatur, devicit; sed ubi Jerusalem, contra Dei voluntatem, evertere voluit, ab Angelo percussus est.

DETRAXI. — Septuaginta vertunt, *αἰσῶ*, id est commovebo, concutiam. Ita S. Basilius, Cyrillus et alii; perperam ergo Biblia Regia legunt *αἰσῶ*, id est persuadebo.

14. ET INVENIT QUASI NIDUM MANUS MEA, — *q. d.* Tam facile et cito regna subegi, quam ova vel pullos in nido colligit rusticus, qui cum implumes sint, strepere nequeunt, nec matres ei pennis obsistere, aut ore oggannire audent: ita et nemo contra me, measque victrices copias hiscere aut mutire est ausus.

UNIVERSAM TERRAM (universæ terræ opes et populos) EGO CONGREGAVI. — Opes deprædando, populos subigendo.

APERIRET OS, ET GANNIRET. — *Gannire* proprie est vulpium; dicitur tamen et de canibus, cum claro ululatu dolorem aliquem gaudiumve testantur: inde ad aves transfertur (uti hic), ut *gannire* idem sit quod garrire; et hoc significat Hebræum *מִצְצַח* *metsaptsch*, et Græcum *σπουδίζω*. Denique et ad homines translatum est. Unde Terentius in *Adelph.*: « Quid ille gannit? quid vult? » et Persius, *satyra* 5:

Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem.

Porro *gannire* hic sumitur pro oggannire, id est obstrepere et obsistere. Sic enim oggannire solent vulpes et canes advenis et peregrinis.

15. NUMQUID GLORIABITUR SECURIS CONTRA EUM, QUI SECAT IN EA? — Increpat superbiam et stoliditatem Sennacherib, sibi suisque viribus tot victorias attribuentis, *q. d.* Non tuis viribus hæc peracta sunt; ego te ut instrumento usus sum. Quid stolidius, quam si securis dicat secanti: Ego sum quæ virtute mea lignum dolavi? si serra dicat serranti: Ego per me lignum serravi? si baculus per se immobilis dicat verberanti: Ego me sustuli in altum, et istos omnes verberavi? Cur ergo tu, o Sennacherib! cum tantum sis securis, gladius et instrumentum (licet animatum et humanum) voluntatis et iræ Dei, superbis, et tibi tantum victorias adscribis? Deus enim est, qui tibi dedit vires, animos, milites, felicitatem et victoriam; Deus est, qui metum et pavorem iniecit Judæis aliisque gentibus, ut tibi non auderent resistere. Rursum, Deus tuis armis non eguit, potuit per se, potuit per alios, potuit per solos culices et cra-

Vers. 14.
Gannire
quid?

brones perdere Judæos, suosque hostes, uti per eos perdidit Chananæos, *Josue* XIV, 21.

Vers. 16. 16. PROPTER HOC MITTET DOMINATOR DOMINUS EXERCITUM IN PINGUIBUS EJUS TENUITATEM, — id est pingues, torosos et validos milites Sennacherib faciet macros, debiles et imbecilles, quando eos per Angelum cædet, *IV Reg.* XIX (1).

ET SUBTUS GLORIAM EJUS SUCCENSA (tenuitas et macies Assyriorum, quæ præcessit) ARDEBIT QUASI COMBUSTIO IGNIS, — q. d. Consumam gloriosum exercitum Sennacherib, perinde ac consumuntur fascis et stipulæ, si eis ignem subicias. Tradunt Hebræi, teste S. Hieronymo, ex ejus exercitu decem tantum evasisse, et corpora militum feriente Angelo occulto igne, illæsis vestibibus et armis, esse exusta.

Vers. 17. 17. ET ERIT LUMEN ISRAEL IN IGNE, ET SANCTUS EJUS IN FLAMMA. — Lumen Israelis, et Sanctus ejus est Deus vindex, qui a Moyse et Paulo vocatur « ignis consumens; » sicut enim sol hos lumine suo recreat, illos æstu torret, ita Deus bonis est lux et gaudium, malis est ignis comburens. Vel certe est Angelus Dei, qui percussit centum et octoginta tria millia Assyriorum, idque occulto igne, flamma et tabe, si credimus Hebræis; vel igne, id est clade velocissima, efficacissima et quasi ignita, quæ tota castra pervasit. Adde cum Forerio Prophetam alludere ad ignem cælo lap-

sum (ut patebit cap. XXXI, vers. ult.), qui in templo perennis ad sacrificia comburenda alebatur: quasi hic ignis sacer, cultus Dei et religionis vindex, instar columnæ ignis quæ Hebræis erat luci et gaudio, Ægyptiis terrori et caligini; Judæis sanctificationem et liberationem, Assyriis vastitatem intulerit, e templo in eos quasi insiliens; quia scilicet Deus in templo hoc et igne habitans, in eos instar ignis insiluit. Unde subdit:

SUCCEDETUR, ET DEVORABITUR SPINA EJUS, ET VEPRES. — Id est milites Assyrii, tam majores quam minores, ab Angelo occidentur.

18. ET GLORIA SALTUS EJUS, ET CARMELI (id est Duces et principes exercitus), AC ANIMA USQUE AD CARNEM (id est omnino, sive toti), CONSUMETUR, — tum morte præsentis, tum æterna gehennæ (2).

Ubi nota: Metaphorice sicut ignem vocavit plagam Dei, sic saltum, sive sylvam vocat constitutionem armatorum militum Sennacherib, qui cristis, galeis et hastis densissimam sylvam referebant. *Carmelum* vocat, vel eosdem armatos armis suis speciosos, vel copiosum commeatum, et omnium rerum abundantiam in eorum castris. *Carmelus* enim ob loci fertilitatem et amœnitatem in proverbium abiit, sicut apud Latinos *Thessala tempe*, aut *Hesperidum horti*.

Eusebius, lib. II *Demons.* cap. XL, hæc accipit de totius Judææ incendio sub Adriano.

Allegorice, significatur hic incendium peccatorum, qui in die judicii igni æterno tradentur, juxta id quod dicitur cap. LX, vers. 19, Dominum justis futurum in gloriam et lucem sempiternam, et cap. LXVI, vers. 15, perfidis venturum in igne, et increpationem ejus in flamma ignis, et vers. ult., ignem hunc eorum non extinguendum.

Symbolice S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Christi*, sub medium, dicit Christum esse lucem, Spiritum Sanctum esse ignem; quasi loquatur Isaias de igne Spiritus Sancti, qui in festo Pentecostes descendit, et corda discipulorum accendit; Judæorum vero incredulitatem et scelera coarguit,

(2) Hieronymus hic כרמל *carmel* pro nomine proprio montis notissimi habet. « Quomodo saltus, inquit et Carmelus qui est mons in Galilæa nemoribus consitus, supposito igne velociter concrematur; sic ab anima usque ad carnem omnis Assyrii gloria consumetur. Placet hæc sententia Gatakero quoque qui in *Annot. Anglic.* dicit: « Forsan his verbis respicit Deus gloriationes illas Assyrio, *Isai.* XXXVII, 24, de invadendis Libano et Carmel, montibus Israeliticis; imo vero tui Libanus et Carmel ante excidentur. » Aptius vero haud dubie *Carmel* hic pro sylvâ speciosa et amœna accipitur. Scilicet mons Carmel olivetis et sylvis densissimis vestitus est. Vide geographos et itineraria, Hieronymumque, qui ad *Jerem.* IV, 26. « Ipse, inquit, Carmelus, qui mari imminet magno, oleis consitus et arbustis, vineisque condensus » « ab anima usque ad carnem, id est penitus, dictio proverbialis. Non satis quidem hæc convenit montis et sylvæ arboribus et virgultis; verum est sermo de hominibus perituris, quorum ambulata carne vita perit. *Πρότασις* et *ἀπόδοσις* comparationis miscentur. (Rosenmuller).

(1) Subjicitur pœna arrogantiae regis Assyriorum, variis imaginibus expressa. Et primo quidem, dum floreret, et victor aliorum regna invaderet, vates eum comparat corpori pingui, cui scilicet integræ sunt vires, quas solet amittere, dum in maciem et tenuitatem, ex aliquo morbo aut inedia devenit.... « Et subtus gloriam ejus succensa ardebit, » etc. Altera metaphora est petita ab igne exercitum egregie instructum brevi tempore devoraturum et consumpturum. (Rosenmuller.)

« Dominus exercituum. » Qui titulus Deo hic adscribitur, ut significetur successus omnes et victorias, sive Assyrii, sive aliorum, a Domino fuisse. « In pinguibus ejus, » vel « in pingues ejus, » vel « principes, » ut *Jud.* III, 29. Vide *Psal.* LXXVIII, 31, collatum cum *Psal.* CVI, 15. Ita omnes. Sed malim hic intelligi vastum et numerosum ejus exercitum, qui hic animali pinguisimo confertur. Hebr. *in pinguedines ejus.* « Tenuitatem, » vel *maciem*, id est, vel mortem, vel inopiam earum rerum quibus fidebat, v. g., opum, potentiae, etc. Exercitum perdet per angelum. E maximis copiis paucissimi evadent. « Et subtus gloriam (vel *subter* locum *gloriæ*) ejus, » id est, exercitum quo ipse gloriatur. *Et in loco gloriæ ejus*, sive *sua*; nempe, in loco in quo gloriabitur Assyrius; vel, ubi gloria Dei habitat; hoc est, ante mœnia Jerusalem. « Succensa, » etc. Alludit ad vetustum morem comburendi corpora defunctorum (vide II *Paralip.* XXI, 19), maxime cum magno numero strata et insepulta jacerent, unde infectionis periculum esset. Vide *Isai.* LXVI, 24; *Ezech.* XXXIX, 9, 10. Vel alludit ad combustionem sylvæ, ut *Psal.* LXXXIII, 15. Sed prius malo. Significat pestem qua Assyrii enecabuntur, in qua corpora eorum afflata sive siderata erunt, ac in cineres conversa; ita tamen ut vestes eorum (quæ hic *gloria* vocantur, tum quod Assyrii gloriose erant, *Ezech.* XXIII, 12; tum quod eis homines gloriari solent, vide *Psal.* XCIII, 1; *Matth.* VI, 29) illæse essent, sicut illæ, *Levit.* X, 5, ut spolia earum Judæis cederent. (Synopsis.)

Sylva vocatur exercitus.

eaque in pœnitentibus et conversis exussit. Unde Septuaginta vertunt : *Sanctificabit eam in igne*, quia, ut ad litteram explicat S. Augustinus, lib. IV *Quæst.* in cap. xxx. *Numer.*, correptio et pœna unius alios admonet, et facit sanctiores.

ET ERIT TERROR PROFUGUS. — Fugit enim hac clade ab Angelo accepta Sennacherib, et paulo post occisus est a suis filiis Adramelech et Sarasar, IV *Reg.* XIX. Vatablus vertit : *fiat ut pulvis terebinis*; alii, *erit quasi dissolutio signiferi, q. d.* Tanta erit clades, quanta esse solet in exercitu cujus vexillifer cecidit, ac vexillum captum aut dilaceratum est; tunc enim dissolvuntur milites, et cœduntur ac diffugiunt. Septuaginta vertunt, *et erit fugiens quasi fugiens*, id est plane et omnino fugiet, totus erit fugibundus instar exercitus fugientis. Videntur ipsi pro כִּמְסוֹס *kimsos*, id est in liquefactione, hoc est *in pavore*, quo deficit et quasi liquescit animus ac vires, legisse כִּמְסוֹס *kimsos*, id est *quasi fugiens*. Legendo *kimsos*, uti passim legunt, optime et planissime vertit Noster : « Erit terrore profugus. » Unde cap. XIII, vers. 7, pavorem Babylo-niorum describens : « Omnes, inquit, manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet; » hebraice est idem verbum quod hic, scilicet מַסַּמַּס, vel *masas*, id est *liquefiet*.

19. ET RELIQUIÆ LIGNI SALTUS EJUS PRÆ PAUCITATE NUMERABUNTUR, ET PUER SCRIBET EOS, — q. d. Adeo pauci post hanc cladem supererunt ei milites, ut puer possit eos describere, eorumque catalogum facere. Hebræi, ut dixi, tradunt decem tantum superfuisse; sic enim pueri super digitos numerare possunt decem.

Nota : *Tò numerabuntur*, hebraice est *numerus erunt*, id est pauci erunt. Sic enim Hebræi viros *numeri*, vocant viros paucos; quod enim numeramus, exiguum est. Unde Poeta : « Pauperis est numerare pecus; » divites enim qui innumeras habent opes et pecora, ea non numerant. Longe aliud Latinis est *numerum esse*; significat enim esse hominem nihili, ut :

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.

20. NON ADJICIET RESIDUUM ISRAEL. — « Residuum Israel et Jacob » vocat residuos Hebræos Jacobi posteros, sive illi Judæi sint, sive Samaritæ, *q. d.* Residui ex clade Samariæ æque ac Judææ, videntes stragem Sennacherib, amplius non in eo qui eos percussit et vastavit; sed in Deo spem suam collocabunt, idque « in veritate, » id est vere, sincère et firmiter, non fecte, non timide et vacillanter. Alludit ad Achaz, eumque perstringit qui timens Rasin et Phacee invocavit opem Assyriorum, IV *Reg.* XVI, 7.

21. RELIQUIÆ CONVERTENTUR. — Hebraice est *Sear Jasub*, quod erat nomen filii Isaïæ, uti dixi cap. VII, vers. 3; eo enim alludit, ait S. Hieronymus. Significat ergo reliquias paucas Judæorum, quæ stragi huic superfuerant, quasque figurabat et significabat nomen filii Isaïæ, ad Deum esse conver-

tendas, tum tempore Ezechia, uti explicant S. Hieronymus et Cyrillus, tum maxime tempore Christi. Sub Ezechia id factum esse patet, II *Paral.* XXX, 7 et sequent., et de eo loqui Isaiam patet ex antecedent. et sequent. Antecedit enim : « Non adjiciet Israel inniti super eo qui percutit eos, » id est super Assyrio; sequitur : « Propter hoc, etc., nolite timere, populus meus, ab Assur. » Sub Christo id esse factum patet, *Rom.* IX, 27. Avolat Propheta, vel potius extendit se a typo ad antitypum, scilicet ab Ezechia ad Christum; uterque enim fuit liberator et salvator reliquiarum Israelis.

22. QUASI ARENA MARIS. — Alludit ad *Genes.* XXII, ubi Deus pollicetur Abrahæ semen, id est posteros, tum secundum carnem, tum secundum fidem et spiritum, sicut arenam maris innumerabiles. Sic enim fuerunt tempore Davidis et Ezechia ante stragem Assyriorum; per eam enim abbreviati et pauci facti sunt, adeo ut una die a rege Israel ex Judæis cæsa sint 120 pugnatorum millia, et 200 millia captiva abducta, II *Paral.* cap. XXVIII; non pauci etiam cæsi sunt a Teglatphalare, et a Sennacherib.

CONSUMMATIO ABBREVIATA INUNDABIT JUSTITIAM. — « Consummatio, » id est consumptio, hoc enim est Hebræum כִּלְיִין *killaion*; « abbreviata, » id est ad breves, id est ad paucos, redacta; hebraice enim est חַרֻּטִים *charuts*, id est concisa, accisa. Sic dicuntur 70 hebdomades abbreviatæ, id est paucæ decretæ, *Daniel.* IX, 24. Sic et Christus ait de persecutione Antichristi : « Nisi brevati, » id est pauci facti, « essent dies illi, non salvaretur omnis caro. » Est enallage quantitatis; ponitur enim continua pro discreta, brevis pro paucis. Sensus ergo est, *q. d.* Tempore Ezechia vastatio illa Assyriorum, quæ plurimos Judæorum consumpsit et abbreviavit, id est paucos fecit, faciet ut in paucis reliquiis superstitem abundet justitia, eosque hac clade et terrore ad Deum Deique cultum compellet. Frigide ergo et impertinenter Marloratus *charuts* vertit *decisa*, id est *decreta*. De paucitate enim Judæorum hic agitur, non de Dei decreto præcise.

Allegorice, quod maxime intendit hic Spiritus Sanctus, *q. d.* Faciam consummationem, id est finem, et quidem brevi, Judæismi et Judæorum per Titum et Romanos; ita tamen ut abbreviati, id est pauci, ex eis convertantur ad Christum; et tum justitia, quæ ex fide Christi est, inundabit, exuberabit et propagabitur per omnes gentes. Hic sensus plenus et adæquatus est juxta nostram Versionem; unde consequenter

Secundo, Sanchez sic explicat, quasi prædicat Isaias exiguum illum numerum, quem primitivæ Ecclesiæ Christi adjunget Judæorum natio, fore sanctissimum, nam « consummatio abbreviata, » id est parvus ille Judæorum Christo credentium numerus, qui redactus est pene ad consumptionem, et ad nihil, « inundavit, » id est exuberanter stillavit et diffudit, « justitiam, » *q. d.* Paucitas

illa abundavit illustri sanctitate, et perfecta justitia.

Tertio, alii, q. d. Illa paucitas Judæorum Christo credentium et salvandorum in tanta non credentium et reproborum multitudine, ostendet quanta fuerit Dei justitia, qui propter tot tantaque peccata tantam abjecit multitudinem, et tam paucos assumpsit, *q. d.* Justissime reprobatis aliis plurimis, pauci ex eis salvabuntur. Ita Forerius hic, Salmeron et Gabriel Vasquez, ad *Rom. ix.* Huic expositioni favet versio Septuaginta, quam sequitur S. Paulus; habent enim, *verbum consummans, et abbrevians in justitia*, de quo plura mox. Favet et versio Syriaca, quæ sic habet, *amputavit, decidit, traxit* (syriace הָרַג *geraph*, id est *verrit, scopavit, inundatione devolvit*, uti fluvius inundans solet devolvere et abstergere sordes) *in justitia*; et Arabica et Antiochena, *et decidet iudicium veritatis, propterea quod visitationem et iudicium faciet Dominus fortis in universa terra*; et Arabica Alexandrina, *verbum in veritate adimplebitur et decidetur in justitia; quia Dominus fortis descendere faciet perditionem in eos qui sunt in terra*. Hi ergo omnes per justitiam videntur accipere justam vindictam, qua Deus consumpsit et occidit gentem Judaicam.

Quarto, « consummatio abbreviata, » id est pauci credentes, puta Apostoli, inundabunt justitiam, id est instar fluminum, inter Gentes fidem et justitiam dispergent. Hic sensus, uti et secundus, valde appositus est.

23. CONSUMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM DOMINUS, etc., FACIET. — Septuaginta, tam hic quam vers. præced., et ex iis S. Paulus, *Rom. ix, 27*, vertunt, *verbum abbreviatum faciet Dominus*, scilicet duplex illud jam dictum, hoc est, Deus paucos faciet Judæos tempore Ezechiae, et paucos credentes tempore Christi. Unde (1)

(1) Prorsus abjicienda est sententia eorum qui D. Paulum in sensu tantum accommodativo hæc Isaie verba assumpsisse, et non in veritatis argumentum, sed in sermonis ornamentum hunc textum adduxisse arbitrantur. In sensu igitur litterali hunc prophetiae locum Apostolum usurpasse pro certo tenendum est. Nam duo sensus litterales absolute hic admitti possunt, alter ad Isaie tempora et ad statum populi Dei sive post captivitatem Babylonicam, sive post bella cum Assyriis referendus, alter ad Messiae tempora et ad Judæos qui pauci Evangelicam veritatem amplexati sunt addicendus.

Forsan quæretur quæ vis inesse poterat his Isaie verbis D. Paulo allatis, si duo sensus litterales continent; vel potius quomodo illos ad quos scribebat, convincere poterat Isaiam de Judæis nonnisi in parvo numero tempore Messiae convertendis locutum fuisse, si idem plane locus ad Judæos prophetæ coævus pertinebat. Ad quod respondemus D. Paulum pro Judæis et Gentilibus ad fidem conversis scripsisse. Porro Judæi optime noverant multos ex veteri Testamento prophetias nonnisi sub novo Testamento integre et plene adimplendas esse; et aliunde omnia quæ veteris Testamenti Judæis contigerant, futuros Ecclesie Christi eventus figurasse. Quoad Gentiles vero Christianam fidem amplexatos, et in Scripturis minus bene versatos, haud gravate Apostoli iudicio et erudi-

Secundo, per verbum hoc, id est per rem abbreviatam, intelligi potest populus Judæorum consumptus, q. d. Ita Deus populum suum rescindet, ut quod eis erit residuum, videri queat quædam consumptio, et quasi solum vestigium ingentis ruinæ; hæc tamen ipsa paucitas quæ supererit, idonea erit contestandæ universo orbi justitiæ divinæ, tum proprie dictæ et vindicativæ, qua sceleratos Judæos ita punivit et attrivit; tum justitiæ, id est fidelitatis et misericordiæ, qua Gentes hac occasione ad eandem vocavit et justificavit; propter hanc enim paucitatem Judæorum Evangelium suscipientium, Apostoli ad Gentes se converterunt; atque ita abbreviatio salutis Judæorum redundavit in dilatationem conversionis justitiæ et salutis Gentium. Hic sensus plenissimus est, tamque versionem Septuaginta et Pauli, quam nostram hic complectitur et adæquat. Deus enim sicut justitiam ostendit in impios et infideles, eos conterendo: ita et justitiam ostendit in pios et fideles, eos sua gratia cumulando et propagando; et sic tam in pios quam in impios inundat, id est abundat, Dei justitia. Insuper nonnulli docti sic explicant apposite: pro *verbum*, inquit, græce est λόγον , id est rationem, supputationem, *q. d.* Deus est is qui λόγον , id est rationem et *somputam* Hebræorum, consummat et abbreviat; Deus est qui numerum filiorum Israel supputat, eorumque rationes subducit; quocirca eos ad minutissimos calculos numerabit, ac licet ipsi sicut quasi innumerabiles et infiniti, excidioque et cladis destinati; paucissimos tamen quos sibi selegit, et in libro vitæ conscripsit, itaque prædestinavit, ex numero pereuntium subducet, salvosque faciet; *q. d.* Deus rationem et numerum servandorum brevem, id est exiguum conficiet.

Denique Syri et Arabes, *Roman. ix, 28*, vertunt: *Isaias verificat sermonem de filiis Israel per verbum definitum et abbreviatum* (hoc est definite et resolute, sive definitis, præcisus ac brevibus paucisque verbis, nimirum hisce): « Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris reliquæ convertentur ex eo, » et servabuntur. Hæc rite conveniunt versioni Septuaginta quos sequitur S. Paulus; at non æque textui Hebræo, et Latine versioni hoc loco, quæ habent: « Consummationem et abbreviationem Dominus faciet. » Quæ verba sensum initio datum exposcunt: cui etiam recte adaptari potest versio Septuaginta et S. Pauli; ille ergo genuinus est. Adde, Isaias dicit quod Deus abbreviabit verbum (non *per verbum*, ut habent Syri), et faciet consummationem, sive, ut alii vertunt, *consumptionem Israelis*. Plura vide *Roman. vi, 27* et 28, ubi dixi symbolice verbum abbreviatum esse tum Verbum incarnatum, tum ejus Evangelium. Unde S. Bartholomæus apostolus, uti scribit S. Dionysius Areopagita, *De Mystica Theolog.*

tioni obtemperabant, cum Isaie prophetiam de hisce temporibus adimpletam testaretur.

cap. I, dicitur « Theologiam esse magnam et parvam; atque Evangelium esse amplum et grande, ac simul breve et concisum; » scilicet breve verbis et præceptis, amplum rebus, spiritu, documentis et virtutum omnium gradibus.

IN MEDIO OMNIS TERRÆ, — id est in tota Judæorum terra, et ubicumque degent Judæi. Nam, ut ait S. Hieronymus in *Isaiæ XIII*: « Idioma est Scripturæ sacræ, ut omnem terram illius significet provinciæ, de qua sermo est. » Rursum, medium non præcise medium, sed loco aliquo contentum significat. Sic enim Hebræi dicunt: In medio populi, id est in populo: In medio mari, id est in ipso mari magno et vasto.

24. PROPTER HOC. — Hinc patet præcedentia de consummatione abbreviata, spectare quoque ad tempora Isaïæ et Ezechïæ; nam eo hæc spectant: præmunit enim Ezechiam cum populo ne timeant Sennacherib.

IN VIRGA PERCUTIET TE. — Leviter percutiet te, q. d. Vapulabis, et ut pueri virga cæderis, sed non occideris (1).

ET BACULUM SUUM LEVABIT SUPER TE IN VIA ÆGYPTI, — per epistolam minabitur tantum; sed minas non perficiet, arma et sceptrum suum quasi baculum tibi intentabit, sed non feriet; nam ego iræ et furoris mei stimulos exacuam, eumque per Angelum cædam. Historia hæc est: cum Sennacherib appropinquaret Hierosolymæ, audivit Taracam Æthiopiæ regem, ipsum bello petere, et per Ægyptum transire. Itaque per viam qua itur in Ægyptum, contra eum pugnaturus profectus est. Ex itinere tamen scripsit litteras ad Ezechiam superbïæ et minarum plenas, *IV Reg. cap. XIX*. Ita S. Hieronymus. Unde Septuaginta vertunt, ut videat viam Ægypti.

Secundo, Sanchez et alii *in via*, accipiunt pro *instar viæ*; sæpe enim Hebræum *בֵּית*, id est *in*, ponitur pro *בֵּית*, id est *sicut*, q. d. Sicut olim, cum mare Rubrum transistis, minatus vobis fuit Pharaon rex Ægypti, sed vanæ fuerunt illius minæ: ita etiam erit de minis Sennacherib; nam, sicut in via Ægypti virga Mosis percussus et mersus est Pharaon; ita ibidem virga divina percutietur Sennacherib, ut dicitur vers. 26 (2).

(1) Metaphora desumpta est partim a jumentis, quæ dum gravia onera portant, ab actoribus baculo, fuste, stimulo, agi, cædi et citari solent; partim a servis, in peribus servilibus versatis, quibus adsunt ἐπίσκοποι operarum inspectores et exactores, fustibus instructi. Utrumque hic respici, patet ex collata phrasi cap. IX, 3 et 27 seq. (Rosenmuller.)

(2) Vers. 25. « Adhuc paululum modicumque, et consummabitur indignatio mea. » Ab initio regni Achaz, quo hæc Isaïam prophetasse probabile est, viginti et octo anni, usque ad deletionem Sennacherib exercitus elapsi sunt; quod temporis spatium « paululum modicumque » forsitan vocat, cum mille anni apud Deum tanquam dies hesperna quæ præterit. » *Psal. LXXXIX, 4*. Vel hæc verba ad antecedentia referenda sunt. Vobis Assyriorum rex, in via Ægypti, minas intentabit: sed nolite timere, in mo-

26. ET SUSCITABIT SUPER EUM DOMINUS FLAGELLUM, Vers. 26. JUXTA FLAGELLUM MADIAN IN PETRA OREB, q. d. Sicut Deus per Gedeonem non armis, sed pavore subito divinitus et miraculose Madianitis incusso, eos cecidit, eorumque principem Oreb occidit in petra, quæ inde dicta est Petra Oreb; ita et per Angelum subito et miraculose cædet castra Sennacherib.

ET VIRGAM. — Repete « suscitabit, » et supple, *strut*; hoc enim sæpe subaudiunt Hebræi, q. d. Sicut Deus olim virgam suam suscitavit et levavit super mare Rubrum contra Pharaonem reducendo aquas maris, eumque cum suis copiis submergendo: ita simili ultione et virga plectet Sennacherib, idque pariter in via Ægypti, ita factum est; nam, cum inde ab expeditione Æthiopica rediret Sennacherib, ut Jerusalem, cui minatus erat, expugnaret, obsidens urbem Lachis, misit Rabsacen Jerusalem, qui in eam suas minas et blasphemias in Deum evomuit. Quare iratus Deus vindictam acceleravit, et totum exercitum Sennacherib una nocte delevit, *Isaiæ XXXVI* et *XXXVII*.

27. COMPUTRESCET JUGUM A FACIE OLEI. — Jugum Vers. 27. intellige servitutis Sennacherib; illi enim Judæi serviebant, et pendebant annum tributum trecentorum talentorum argenti, et triginta talentorum auri, *IV Reg. XVIII, 14*, majusque ejus jugum exspectabant, expugnata ab eo Hierosolyma. Unde clare vertit Arabica translatio Antiochena, *confringetur jugum de medio manuum bestię*; et Alexandrina, *cessabit jugum ejus*.

Vatablus et Forerius vertunt, *pinguedine laxabitur et solvetur jugum ejus*; Hebræum enim שֶׁמֶן *scemen*, oleum, omnem pinguedinem significat; חֶבֶל *chabbal* vero significat dissolvi, laxari, rumpi, corrumpi, sensus est, q. d. Sicut lora, nodi (hos enim unguendo oleo vel pinguedine solvere solent agricolæ) et funes, ex quibus fit jugum boum, oleo imposita lentescere, mollescere, dissolvi, oleascere et tandem putrescere solent: ita jugum Sennacherib solvetur, rumpetur et quasi putrescet a facie olei, id est a præsentia divinæ opis et misericordiæ, inquit S. Hieronymus.

Nota: Divinum auxilium, quo Ezechias superavit et excussit jugum Sennacherib, comparatur oleo: primo, quia durum ejus jugum fecit molle et languidum, illudque dissolvit; secundo, quia tranquille et sine strepitu, uti fluit oleum, cladem Assyriis intulit: ita ut deletos se prius, quam de-

Oleum significat Dei opem, cur?

mento temporis, in una nocte universum ejus exercitum delebo. (Calmetus.)

Non tibi durum videatur quod, cum superioribus versibus de Christi tempore verba inseruerit, hic rursum ad historiæ filum redeat. Nam his mos est Prophetis quoties historia umbra et delineatio quædam est futuræ veritatis. Adde quod quæ his versibus tribus commemorat facile neque nimis violenta interpretatione in eos dicta accipi possunt qui reliquias illas sanctas persecuti sunt, quos Dominus delevit ante faciem servorum suorum.

(Forerius.)

leri viderint; *tertio*, quia oleum facit nitidos, pingues, alacres, robustos ac validos; tales hic facti sunt Ezechias et Judæi per opem Dei, cum antea obsessi, essent luridi, macilentii, dejecti, imbelles et imbecilles; *quarto*, quia oleum facit lora putrescere, id est ea facit pingua, mollia, resoluta; putre enim sæpe capitur pro pingui et resoluta. Sic ait Virgilius, *Georg.* I: « Zephyro putris (id est pinguis) se gleba resolvit; » Columella, lib. II: « Idem pinguis et putris; » sic ab Ovidio vocatur: « Bos putris; » a Statio: « Arenæ putres, et cineres putres. » Adde, vox « *computrescet*, innuit jugum, id est Assyrios a Deo per Angelum occidendos, futurosque cadavera quæ reipsa computrescant.

Posset *secundo*, sic exponi per metonymiam; « jugum, » id est jugi asperitas, tollitur, et quasi computrescit et perit, cum tam colla boum, quam jugum coriaceum oleo, id est pinguedine vel arvina, inungitur; ea enim fit molle et glabrum. Id magis verum et proprium est in jugo et oleo spiritali, ad quod maxime hic respicit Spiritus Sanctus; de quo mox.

Nonnulli non comparative, sed adversative sic explicant: Jugum corporale solet etiam pingua boum colla deterere, eaque ulcerare ac facere saniosa et putida: at jugum spiritale, puta durities et asperitas servitutis, qua Judæi premuntur ab Assyriis, et mystice peccatores a dæmone et peccato, deteritur, computrescit, et evanescit ab ipso oleo, id est a Dei auxilio, gratia et spiritu. Ita fere Delrio, *adagio* 703.

Aliter explicat Sanchez, idque dupliciter: *primo*, oleum, inquit, olivarum solet ferrum et jugum ferreum penetrare, mollire, exterere et consumere. Unde fabri ferrarii testantur ab oleo arma corrumpi, ideoque, cum ea poliunt, oleo olivarum abstinent; et Pierius, *hierogl.* 54: « Fabri, inquit, qui ferrum lentescere atque emollire volunt, candefactum id oleo intingere consueverunt. » Verum quia hoc non adeo certum est, uti et incertum est agi hic de jugo ferreo: hinc *secundo*, inquit, « *computrescet*, » id est fatiscet, et corrumpetur jugum a facie olei, id est ob defectum olei, quia non est unctum oleo, id est pinguedine, quo crudum corium solet macerari et subigi, ne arescat et rumpatur. Sic dicitur *Psal.* cviii: « Caro mea immutata est propter oleum, » hebraice *ab oleo*, id est quia oleum deficit. Unde Symmachus vertit, *præ non unctione*; nam Hebræum מן *min*, id est *ab*, sæpe negationem significat, ut I *Reg.* xv, 26; מְהִיֹּת *mihioth*, *ab essendo*, id est ne esset, I *Reg.* xxiii, 28; מִרְדֹּף *mirdoph*, *a persequendo*, id est ne persequeretur. Verum obstat *à a facie*, facies enim præsentiam significat, non absentiam et negationem olei. Adde, hic sensus elidit insignem tropologiam quam passim dant Patres; de qua mox.

Tertio, Vatablus per *oleum* metonymice accipit unctum oleo, scilicet Ezechiam regem, *q. d.* Ob

merita Ezechiae regis Deus aufert a Judæis jugum Sennacherib. Hinc

Quarto, allegorice, alii ex Chaldæo sic explicant, *q. d.* Deus a nobis aufert jugum dæmonis propter Messiam, sive Christum, qui unctus est oleo exultationis præ consortibus suis, et cujus nomen est oleum effusum, quod omnem jugi peccatorum duritiem mollit et solvit; denique a quo quasi a capite unctio in omnia membra dimanabat, qui si nos liberaverit, vere liberi erimus. De hoc Christi oleo vide S. Bernardum, sermone 15 *in Cantica*. Vere enim de Christo, id est uncto a Deo, dicitur: « Oleum effusum nomen tuum. »

Tropologice S. Gregorius, XIX *Moral.* cap. xii et xiii, explicans illud *Job.* xxix: « Quando petra fundebat mihi rivus olei. Hoc est, inquit, cum corda discipulorum Spiritus Sancti unctione Christus implevit; oleo enim Spiritus Sancti unctio designatur, de qua dicitur: Computrescet jugum a facie olei; jugum enim a facie olei computrescit; quia, dum Spiritus Sancti gratia ungemur, a captivitatis nostræ servitute liberamur; dumque maligni spiritus dominatio superba repellitur, jugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. Hinc ait Psaltes: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, » etc.

Denique S. Bernardus, serm. 1 *De Dedicatione Eccles.*, hæc derivat et accommodat jugo, id est disciplinæ et pœnitentiæ Religiosorum: Sæculares, inquit, mirantur arctam disciplinam monachorum et Religiosorum, quia jugum vident, oleum et unctionem non vident. Deus enim hunc vitæ rigorem tanta gratia, totque consolationibus lenit et mulcet, ut nullum hoc esse jugum videatur. Hoc est quod ait Christus: « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve, » *Matth.* cap. xi, 28.

Moraliter ergo oleum hoc est triplex: *Primum*, est suavitas amoris sive charitatis, quam aspirant lex et spiritus Christi, cujus jugo suavi qui colla subjicit, non atteritur pondere, sed reficitur dulcedine. Unde S. Augustinus, lib. *De Gratia*, cap. lxxix: « Omnia, ait, fiunt facilia charitati, cui Christi sarcina levis est: aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundum hoc dictum est: Et præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici: Gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur; » et mox: « Quomodo est enim grave cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et ideo grave est; aut diligit, et grave esse non potest. » Semitæ ergo justitiæ « duræ sunt timori, leves amori. » Nam, ut ait S. Bernardus: « Ubi est amor, ibi non est labor. » Si est labor, non est amor. Ut ergo non

Morale
de oleo
amoris
et conso-
lationum?

labores, ama. Sic et B. Gregorius Nyssenus, oratione 2 *De Pauperibus amandis*: « Tollite, inquit, jugum meum super vos. Mandatorum observationem jugum appellat: jubenti pareamus, efficiamur jumentum Christi, induentes vincula charitatis. Tale jugum ne detrectemus, ne excutiamus; suave est, leve est, subeuntis cervicem non atterit, sed demulcet. »

Secundum, est consuetudo; hæc enim omnia dura lenit. Ubi Gillebertus in *Allegoriis* recte urget *incomputrescet*: « Quod computrescit, inquit, lente deficit, non deficit semel. Propositum voluntatis præcidi quidem potest, et quasi dirumpi; sed inveterata passio non tam deceditur quam dediscitur. Et quando operandæ salutis impossibilitas aufertur per gratiam, tunc quasi dirumpitur captivitatis jugum; sed quæ residet adhuc boni difficultas, dum paulatim tollitur, ejus videtur jugum computrescere. »

Tertium, est gratia et consolatio divina. Unde S. Leo, serm. 5 *De Epiphani*: « Nihil, ait, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus; et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia præterdit auxilium, et obedientia mollit imperium. » Hinc sponsa dicit sponso: « Oleum effusum nomen tuum. »

Hoc oleum sentiens, Psaltes canebat: « Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, » *Psal.* cxv, 16; et *Psal.* xxii, 5: « Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam præclarus est! »

Præclare S. Bernardus in *Sententiis*: « Verba, inquit, consolationis Dei sunt ablutio culpæ, restitutio gratiæ, evasio exsilii, consecutio regni, consortium divinitatis, adeptio æternitatis. » Ita noster S. Xaverius in Indicis illis laboribus et ærumnis maximis, cœlestibus gaudiis abundabat, ut exclamaret: « Satis est, Domine, satis est: aut minue gaudia, aut tolle me de hac vita: nec enim cor mortale tanta gaudia capere potest. »

Hoc est quod prævidens in spiritu Psaltes aiebat, *Psal.* xxx: « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » Magna, sed abscondita, iisque tantum cognita, qui Deum timent; et *Psal.* cxvii: « Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum; » et *Psal.* xxxiv: « Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? » et *Psal.* xxxv: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Torrentem vocat propter copiam, et quia e cœlo large demittitur; ebrietatem autem, quia talibus solatiis saturantur, quasi a vita mundi, et a seipsis alienati, nihil in terra vident aut curant; sed intus fervent spiritali æstu, qui fervor ad multa impellit, quæ mundanis inepta, vel etiam stulta videntur. Ita S. Franciscus hoc æstu quasi ebrius fecit se ludibrium mundi; quia non aliud in corde et ore habebat, quam « Deus meus, et omnia. »

Idem prævidit Isaias cap. li: « Ponet, ait,

desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. »

Hoc oleum et manna sapiebat Abhas Joannes, de quo Cassianus, *Collat.* XIX, refert eum tanta perfundi solitum interiori dulcedine, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset; et S. Ephrem, qui, cum ejus præcordia cœlesti lætitia pene rumperentur, dicebat: « Recede a me, Domine, parumper, quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest. » Sanctus quoque Bernardus ita iisdem gaudiis absorbebatur, ut toto die lacum obequitans nunquam eum viderit, et toto anno in una cella degens, adhuc ignoraret an ea tectum haberet; qui proinde, *epist.* 114: « Revera, inquit, illud verum et solum gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore percipitur, et quod, cum possederis, nemo tollet a te, cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit molestum. »

Agedum ergo, o serve! o athleta Christi! ne fugias jugum, disciplinam et crucem Christi; uncta est enim oleo miræ suavitatis et consolationis cœlestis. Scito hanc legem fixam a Deo: quo majus jugum, quo major crux pro Deo suscipitur, eo major a Deo infunditur consolatio, adeoque mensura crucis est mensura consolationis, imo hæc illam non tantum adæquat, sed et longe superat. Hoc non ego assero, sed Psaltes, sed Paulus, sed Spiritus Sanctus, *Psal.* cxiii, 19: « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam; » et II *Corinth.* cap. i, 5: « Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. » Hoc experti sunt, et hodie experiuntur Martyres, Religiosi et omnes qui arduam et austeram perfectionis vitam in-eunt, qui jugum hoc et crucem Christi non horrent, sed amant et ambiunt, ob dulcedinem internam, quam in ea sentiunt. Ergo « in cruce refrigerium, » non alibi.

28. VENIET IN AIATH (1). — Pulchra hypotyposi Vers. 28.

(1) Hieronymus: « Describit sermo propheticus Assyrii iter pompamque redeuntis de Ægypto Jerusalem. » Spectari a vate existimat Sanheribi expeditionem de qua II *Reg.* xviii, 17 et seqq. Verum non ex Ægypto reduci exercitus, sed ex Assyria primum Judæam ingressi Hierosolymamque petentis iter describi, satis arguit illud quod, quæ hic memorantur loca, Hierosolymis ad aquilonem sunt, patetque iter ab Aquilone flecti ad Occidentem et Austrum. Nomen *איא*, *aiath* alias non occurrit, sed non est dubium quin formatum sit ex *אי* *ai*, oppidum satis celebri in historia Israelitarum, Palæstinam occupantium, *Jos.* vii, 1, 2. Atque adeo, *aiath* sit oppidum cum agro circumjacente a Josue plane dirutum et subversum, sed deinceps rursus instauratum, dictum *ai*, ut videtur, ab *אי* quod in tumulo sive loco editiore situm fuerit, et liquet ex historia *Jos.* viii, 2. *ai* urbem fuisse in colle aut tumulo sitam; et quidem in extremis limitibus septentrionalibus sortis Benjaminis, e regione Be-

describit iter superbi Sennacherib, et pompam redeuntis ex Ægypto quanto strepitu, quantaque celeritate ad oppugnandam Jerusalem venerit. Itaque ut ostendat certitudinem prophetiæ suæ, nominat urbes, quas vel capturus vel transiturus erat, subitis victoriis ita cuncta pervadens, ut in Machmas vasa, id est sarcinas, relinqueret: indeque celeri cursu ad alia pergeret. Quare

29. TRANSIERUNT CURSIM. — Assyrii victores, dicentes: Festinato opus est; vesperi enim in Gabaa pernoctabimus. Est mimesis, imitatur enim voces hostium. Unde Rama tam celerem hostium reditum obstupuit, et cives Gabaath, quæ fuit quondam regia Saulis, fugerunt (1).

thelis ad ortum, *Genes. XII, 8*; *Jos. VII, 2*, Hierichunticis autem ad Occidentem et Septentrionem.

« Transibit in Magron. » Loci hujus nulla mentio alia est, præter *I Sam. XIV, 2*; ex quo loco patet fuisse oppidum, proximum Gibeæ, quæ ipsa quoque sita est in limitibus septentrionalibus Benjaminis, ad occidentum australe Ai et Bethelis, habebatque ad australe clima Ramam et Hierosolymam.

« Apud Machmas commendabit vasa sua. » Locus est proximus Magroni et Gibeæ, et huic quidam ad Septentrionem, vid. *I Sam. XV, 5*.... Ad quæ verba Hieronymus: « Tantam capiendæ urbis habebit fiduciam, ut apud Machmas commendet sarcinas suas quasi cito subversa urbe sit rediturus, quibus depositis, transibit eam cursim. » Kimchi quoque regem Assyrium sarcinas suas in Michmasch reposuisse ait, quod persuasus fuerit se Hierosolymam sine magno rei bellicæ apparatu expugnare posse. Vitranga vero illud ideo potius factum putat, quod Michmasch locus fuerit bene munitus natura et situ; quippe ad quem nisi *per angustum trajectum*, quem duæ rupes sibi invicem adversæ faciebant, iter expediri non poterat, ut liquet ex historia Saulis et Philistæorum, *I Sam. XIII, 2, 3, 16, 23*.... Gesenius ipse observat Assyriacum exercitum sarcinas et impedimenta in loco tuto reliquisse, ut expeditior esset ad aggrediendam et oppugnandam urbem. Et alias, *I Sam. XVII, 21*; *XXV, 13*; *XXX, 24*, legimus impedimenta antequam prælium committeretur, post exercitum relicta fuisse sub militari custodia.

(Rosenmuller.)

(1) *Transeunt jam transitum*, מַעְבְּרָה non solum vadum, trajectum fluminis, denotat, sed de montibus quoque dicitur, sicut Hispanorum *porto* seu *puerto*, id est locus asper, angustus et difficilis ad transeundum. Cf. *I Sam. XIII, 23*: *Et exiit statio Philistinorum, et trajectum Michmasch*. Qui trajectus describitur cap. *XIV, 4, 5*. Medius erat et angustus inter rupes duas *Bosetz* et *Sene*, quarum alter in Septentrione rexpexit Mischmascham, alter in Austro Gibeam. Erant hujusmodi loca in Judæa et Benjaminide plura, qualia etiam erant ab Occidente Hierosolymorum, qua iter est ad Bethoronem inferiorem.... Cæterum Gibeæ quæ hic nominatur, est Michmaschæ proxima, nec confundenda cum Gibeæ Saulis seu Benjaminis, quæ mox occurret.

Trepidat rama, רָמָה id est *alta excelsa* plurium urbium in Judæa nomen erat, ideo haud dubie, quod in *collibus*, aut *locis editis* sitæ essent. Nostro loco illa designatur Rama, quæ inter Gebam et Gibeam media fuit, ad septentrionem Hierosolymorum et Gibeæ Saulis. Non est confundenda cum Rama Samuelis, sive Ramathaim Zophim, in tractu occiduo montium Ephraim sita. Nostre Ramæ mentio fit in historia Levitæ, *Jud. XIX, 11, 12, 14*, in qua Levita cum Hierosolymis pernoctare recusa-

30. HINNI VOCE, FILIA GALLIM, (*filia*, id est urbs; Hebræi enim urbes speciosas vocant *filias*, *q. d.* O Gallim! ejula quantum potes, quiritare, et voca in auxilium amicos et vicinos tuos sed frustra: nam certa tibi imminet vastitas. Tuque tibi ATTENDE, LAISA (pariter et) ANATHOTH; — nam vobis quoque imminet hostis (2).

Nota: Urbes istæ varia habuerunt nomina; aliter enim vocantur in libro Josue et a Septuaginta. Unde *Aiath* est Hai, quam expugnavit Josue, cap. *VII* et *VIII*. *Machmas* etiam tempore S. Hieronymi vicus erat grandis, ab Jerusalem tantum distans nono lapide. *Laisa*, sive *Lais*, aut *Lesem*, est Dan, quæ postea Paneas et Cæsarea Philippi est dicta. Ponit ergo Propheta hic urbes in itinere positas, quas Sennacherib cepit, et aliquas etiam remotiores, quas terrore implevit, missa forte eo exercitus parte. Porro videtur ipse ex Ægypto progressus per Judam et Benjamin illa fere via, qua olim Israelitæ, cum transmissio Jordane a campestribus Moab in Galgala et Jerichuntem aciem direxerunt, atque inde progressi ceperunt Hai, et postea adjunctis sibi Gabaonitis superaverunt regem Hierosolymorum et alios.

31. MIGRAVIT MÉDEMENA, — scilicet incolæ præ metu urbem deseruerunt. Medemena est Bersabee, inquit Adrichomius, quæ postea vocata est Gibelina, ait S. Hieronymus.

HABITATORES GABIM, CONFORTAMINI, — *q. d.* Metu hostis fugistis; sed animum resumite, parum vobis est periculi; causam subdit, dicens: « Adhuc dies, » etc. *q. d.* Sennacherib per vos tantum festinus transibit; properat enim Jerusalem, quam certa spe devoravit: atque ante 24 horas pertinet in Nobe, quæ urbs erat sacerdotum, ex qua conspici poterat Jerusalem, inquit S. Hieronymus.

Aliter Sanchez: nam per *Gabim*, quod hebraice significat excelsa, accipit Jerusalem sitam in monte Sion et Moria, ut sit sarcasmus, *q. d.* Robur et arma parate, o Hierosolymitæ! adventat hostis: verum vestrum robur tantum non est,

ret, die jam valde præcipite, famulo dicit: pergamus ad Gibeam non longe videlicet Hierosolymis distantem. Item: age et fac appropinquemus uni locorum istorum, ut pernoctemus Gibeæ aut Ramæ, unde colligere licet esse Ramam ab Hierosolymis Gibeæ remotiorem; quod confirmatur loco *I Reg. XV, 22*. *Gibeath Saulis*, quia Saulis regis patria fuit, *I Sam. XI, 4*, Ramæ ad Austrum, ubi ad Occidentem vergit. (Rosenmuller.)

(2) *Exalta vocem tuam filia Gallim*. Mentio fit hujus loci præter hunc locum tantummodo *I Sam. XXV, 44*; verum ibi nihil de ejus situ dicitur. *Attende Laisa*... Præferenda est ista vulgati interpretatio, qua interpretatione assumpta, non intelligenda erit celebris illa ad Libanum Laisa, sed alia ejusdem nominis urbs, sita in proximo Hierosolymorum, milliari circiter Germanico ab urbe, Ramam inter, quæ septem, et Anathothum, quæ tria miliaria Romana ab Hierosolymis, septentrionem versus.

(Rosenmuller.)

ut ei resistat; nisi Deus pro vobis contra eum pugnet, actum est de vobis.

32. AGITABIT MANUM SUAM. — Sennacherib eminus ex Nobi agitans manum, minabitur excidium Hierosolymæ. Ita S. Hieronymus (1).

33. ECCE DOMINATOR DOMINUS EXERCITUUM CONFRINGET LAGUNCULAM IN TERRORRE, etc., — *q. d.* Cum videberis tibi, o Sion! perdita, et in acie novacula constituta; tunc Dominus potentiam et protectionem suam tibi ostendet; confringet enim copias Sennacherib tam facile et valide, quam ab aliquo laguncula testea confringitur, si lapidi allidatur. Alludit ad victoriam Gedeonis, qui, confringendo lagunculas percudit et prostravit Madianitas: laguncule ergo hæ symbolum sunt illustris, celestis, incruentæ et miraculosæ victoriæ.

Allegorice, hic significatur Christi victoria, idque varie: nam pro laguncula hebraice est **לַגְנָנָה** *pura*, quod primo significat lagunculam; tunc sensus de Christo est, *q. d.* Deus permittet Christum morti, cujus divinitatis thesaurus in humano corpore sicuti in fictili vasculo, et fragili laguncula continetur; ut ea diffracta, jubar divinitatis emicet et prosternat diabolus: sicut, diffractis lagunculis, Gedeonis emicuerunt lampades quæ perculerunt et prostraverunt Madianitas. Ita testæ nomine Christum significari, *Psalm. xxi, 16*, censet ibidem S. Augustinus.

Secundo, *pura*, a radice **פָּאָר** *paar*, significat gloriam; unde nascitur alius egregius sensus: nam quod præcedit **מֵסַעֵפָּה** *mesaeph*, etiam significat ramificans, a radice **סַיִף** *saiaph*, id est ramus, vel cacumen arboris; quare sic veritas: Dominus ramificabit, seu exaltabit in cacumen arboris gloriam. Quid clarius potest de Christi in crucem, deque sanctæ Crucis exaltatione dici?

(1) *Adhuc dies ad consistendum in Noba.* Nob erat urbs tribus Benjamin, *Nehem. xi, 32*. Inhabitata a sacerdotibus, ut notum ex historia Davidis et Achimelechi *I Sam. xxi, 1*.

Rosenmuller.

Tertio, si *pura*, cum Theodotione et Symmacho veritas, *torcular*; quis, quæso, torcular passionis calcavit solus, nisi Christus Dominus?

Denique, si cum Aben-Ezra et Kimchi, omnibus recentioribus, *pura*, veritas *ramum*, nonne Christus tenerrimus ille et minimus ramusculus fuit, quem ex ingenti populi Judaici cedro avulsum Deus in verum Israelem insevit; qui in tantam excrevit arborem, ut sub ejus ramos omnes volucres se recipiant? Unde sequitur: « Et egredietur virga de radice Jesse. »

ET EXCELSI STATURA SUCCIDENTUR, — fortissimi et maximi quique milites Sennacherib cædentur ab Angelo.

34. SUBVERTENTUR CONDENSE SALTUS. — Comparat copias Sennacherib numerosas et validas saltui et Libano nemoroso, in quo arbores sunt milites hastati. Vide dicta vers. 7 (2).

Allegorice et tropologice Nyssenus, homil. 14 in *Cant.*, notat duos esse Libanos: unum electum et pretiosum, cujus elegantia sit divina, qui est Christus Dominus; alterum vero malum, vilem, et cum cedris suis reprobandum et comburendum, qui est cacodæmon. Hinc fieri, ut Libanus in Scriptura aliquando in bonam partem pro justis, aliquando in malam sumatur pro superbis: uti hic Libanus est quivis gloriosus et superbus. Significat ergo allegorice Isaias, quod arrogantia et malitia dæmonis cum cunctis ejus sublimitatibus contra veritatem erectis, nato Christo Domino, sit corruitura.

(2) Sunt qui ex hoc versu colligant, Prophetam Judæis minari; neque enim Assyrio congruere Libani excidium, sed Judæis, quorum limes hic erat, vide *Deut. xi, 24*, quibus etiam et Hierosolymis, applicatur *Jerem. xxii, 6, 23*. *Zachar. x, 10, xi, 1*. Sed Libanus adhibetur ad designandos alios quoque status et populos, præter Judæos. Imo rex Assyrius vocatur *cedrus Libani*, *Ezech. xxxi, 3*; et *Carmel* de eodem et exercitu ejus dicitur vers. 18 *capitis nostri*.
(Rosenmuller.)

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad suum Emmanuelem quasi ad amorem suum, cujus oblivisci nequit, ejusque ortum inchoatum, cap. VII, 14, gratiam, prædicationem et conversionem Gentium pertexit. Ita S. Hieronymus et Hebræi. Nam totum hoc caput et sequens, ut ait S. Hieronymus de Messia tam Christiani, quam tota Circumcisio loqui fatentur: hoc tantum discrimine, quod Judæi de venturo, et de regno ejus temporali omnia simpliciter ad litteram accipiunt; Christiani pleraque metaphorice de spirituali regno ejus, qui jam venit, Christi Dei intelligunt.

Primo ergo prædicat Christum quasi florem de radice Jesse ascensurum, quodque requiescent super eum septem dona Spiritus Sancti. Secundo, vers. 6, quod sub ipso lupus habitabit cum agno. Tertio, vers. 10, quod sepulcrum ejus erit gloriosum, æque ac vexillum crucis, ad quod omnes Gentes et Judæi unanimiter confluent. Quarto, vers. 14, quod Apostoli prædabuntur Philistinos, Idumæos, Moabitas, Ægyptios, etc. (1).

1. Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. 2. Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis. 3. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; 4. sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. 5. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: et fides cinctorium renum ejus. 6. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. 7. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas. 8. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. 9. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo; quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. 10. In die illa, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. 11. Et erit in die illa: Adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, et ab Ægypto, et a Phetros, et ab Æthiopia, et ab Ælam, et a Sennaar, et ab Emath, et ab insulis maris. 12. Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. 13. Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt: Ephraim non æmulabitur Judam, et Judas non pugnabit contra Ephraim. 14. Et volabunt in humeros Philistiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. 15. Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti; et levabit manum suam super flumen, in fortitudine spiritus sui: et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. 16. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.

Vers. 1. 1. ET EGREDIETUR VIRGA DE RADICE JESSE. — Pro virga Symmachus et Theodotion vertunt, *germen*, quod dedit florem; alludit ad gloriam sal-

tus et Carmeli, id est ad Sennacherib et Assyrios, quos cap. præced., vers. 18, dixit plane comburendos et excindendos, ita ut eorum imperium

(1) Conjunctio et hoc caput præcedenti connectit, et quam diversæ sortes Israelitas et Assyrios maneat, ostendit. Commemorato enim excidio hostilis exercitus, quem *dense* atque specioso saltu proxime antea (x, 33, 34) com-

paraverat, significat longe aliter futurum esse de genere Judæorum stirpeque regia, quam trunco succiso exterius pene emortuo significat. Et sic, postquam funesta Israelitarum regno, cap. ix, 8-20; cap. x, 1-4; infausta Assy-

florens et viride intereat, ac transferatur ad Chaldæos, *q. d.* Hæc arbor, imo sylva politica Assyriorum, quæ jam ita floret et viret, excindetur radicitus, nec unquam revirescet; at vero arbor Judæorum, et stirps regia Davidis, licet per Senacherib sit vastanda et abbrevianda usque ad reliquias, ut dixit ibidem vers. 22, et deinde per Chaldæos pene excindenda, tamen remanebit truncus et radix, ex qua revirescet et reflorescet, dans novam virgam et novum florem, cujus gloria et regnum nunquam deficiet.

Porro virga est B. Virgo Maria, flos est Christus, radix est familia Davidis jam ablato sceptro quasi emortua et succisa (hoc enim significat Hebræum *גֵּזַל geza*), ita ut sola ejus radix in plebe latere et virere videatur: sed hæc ipsa reflorescens proferet florem Christum, tanquam Regem regum. Ita S. Hieronymus, Tertullianus, Augustinus et Ambrosius, lib. *De Benedict. patriarchar.* cap. iv, qui sic ait: « Radix, familia Judæorum; virga, Maria; flos Mariæ, Christus est qui fœtorem mundanæ colluvionis abolevit, odorem vitæ æternæ infudit. » Ita et S. Leo, Bernardus et passim alii, Patres quos fuse hic citat Leo Castrius. Unde Chaldæus clare vertit, *et egredietur rex de filiis Jesse, et Christus de filiis filiorum ejus ungetur.*

Nota: Christus vocatur flos ob decorem, et suavitatem odoris tam sanctæ vitæ, famæ, doctrinæ et passionis. Pro flore hebraice est *נֵצֶר netser*: unde Maldonatus, Jansenius, et alii apud S. Hieronymum, Christum dictum putant Nazareum vel Nazarenum, *q. d.* Floridum omni virtute et gratia, atque excrecentem in magnam et gloriosam arborem, quæ multos et magnos dedit fructus Martyrum, Confessorum et Virginum. Unde et in titulo S. Crucis qui exstat Romæ, *נֵצֶר נֹטְרִי notseri*, id est Nazarenus, scribitur per *tsade*, quasi a *netser* hoc descendat, uti testatur Sanctes Pagninus, quanquam mihi titulum hunc in basilica S. Crucis Romæ studiose diuque intuenti, litteras Hebræas in eo jam non posse discerni certo, et si discernantur, *notseri* potius scribi per *zain*, quam per *tsade*, visum sit), et eum secuti Jansenius, Maldonatus, Salmeron, Barradius, Cajetanus, Franciscus, Lucas et alii in *Matth.* cap. ii,

rriorum imperio, cap. x, 4-19; et variantia pro utroque populo vaticinatus est, 20-34; fortunata Judæis, et in sensu altiori et vere litterali universis per Christum prænuntiat, cujus describit:

Primo, prærogativam personalem, tum a prosapia Davidica, cap. xi, vers. 1; tum a dotibus quæ supremum judicem aut magistratum decent, per dona Spiritus Sancti expressis, 2, 3; tum ab officiis justitiæ exercendis, 3-5.

Secundo, felicitatem regalem, ex mutua subditorum, alias dissidentium concordia, 6, 7; ex orta hinc securitate undique innoxia, 8, 9; ex supplicii omnium ad illum concursu, 10.

Tertio, potentiam triumphalem, in iterata populi sui reductione, 11, 12; in restituta Israelis et Judæ conciliatione, 13; in prolata ad omnes orbis partes dominatione, 14-16.

vers. ultim., quin et S. Hieronymus, scribens ad Pammachium, de optimo genere interpretandi Scripturam, vertit hic, *et Nazareus de radice ejus crescet*; atque reprehendit Septuaginta quod hoc omiserint; sed de hac re dixi, *Matth.* ii, 3 et 23. Pulchre S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. v: « Virga, ait, Maria, flos Mariæ Christus, sicut ipse dixit: Ego flos campi, et liliam convallium. Flos odorem suum succisus reservat, et contritus accumulatur, nec avulsus amittit: ita et Dominus Jesus in illo patibulo crucis, nec avulsus evanuit, nec contritus emarcuit; sed illa lanceæ punctione succisus speciosior fusi cruoris colore veravit, mori ipse nescius, et mortuis æternæ vitæ munus exhalans. » Hinc cruci Christi vice tituli inscriptum fuit, « Nazareus rex. » Ubi prodigium illud accidisse videtur, de quo querit Poeta:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores?

In cruce enim nomen regis nostri nomine *Nazareus*, id est floris floridi inscriptum apparuit.

Secundo, paulo aliter S. Basilius, Cyrillus, Hilarius in *Psalm.* ii, ad illud: « Reges eos in virga ferrea, » et Origenes, *homil.* 9, in fine, hæc explicant. Nam per radicem intelligunt B. Virginem, per virgam et florem Christum, qui est virga malis, flos bonis. Christus enim est virga, quia fuit rex, pastor et judex; *secundo*, quia instar virgæ fuit flexilis paupertate, humilitate et mansuetudine.

DE RADICE JESSE. — Non dicit *David*, cui hic flos fuit promissus, sed *Jesse*, quia sicut regnum David ex humili stirpe Jessea sumpsit initium, sic etiam ex humili prosapia Christi Salvatoris fuit restitutum. Dei ista potentia est, de minimis facere maxima. *Secundo*, ne Christus a Davide gloriam accepisse, sed potius ejus familiæ gloriam dedisse videatur.

Nota: Pro *de radice* Symmachus et Theodotion vertunt, *de trunco*; sed Noster et Septuaginta melius vertunt, *de radice* quia Hebræum *גֵּזַל geza* non est quivis truncus, sed truncus cujus pars extra terram quasi emortua, pars autem major eaque viva, nempe radix tota, intra terram est: significat ergo non ex ipso trunco, qui extra terram emortuus et inglorius sine ramis, id est sine regibus suis, exstabat; sed ex ipsa radice, quæ in plebeia familia, quasi in terra latebat, virgam hanc et florem enascitura. Christo enim nascente, regia Davidis familia redacta erat ad homines privatos et pauperes: talis enim fuit Joseph pater Christi, ejusque avi et abavi (1).

(1) *וְנֵצֶר*. Et surculus propago, cap. xiv, 9; lx, 21; *Daniel.* xi, 17. *בְּשֵׁרֵי שֵׁי*. E radicibus ejus *Isai.*, vers. 10; *יִפְרֹחַ*, fructuosus erit. *Genes.* i, 28; ix, 1, 7; xxxv, 11; *Exod.* i, De surculo usurpatur hoc verbum, ubi in eo vis et vigor apparet vitæ recentis, et læta pullulat fronde, quæ spem faciat optati profectus, ut nimirum ex surculo

Vers. 2.

2. ET REQUIESCET SUPER EUM SPIRITUS DOMINI. — Vox *requiescet*, significat *primo*, firmitatem; *secundo*, plenitudinem; *tertio*, locum proprium et connaturalem, *q. d.* Spiritus Domini firmiter et

vel stolone novi nascuntur surculi ex propagine arborum.

Virga et surculo e stirpe radicibusque Isai prodituro, intelligi *sobolem* seu filium, qui genus ab Isæo, Davidis patre, ducat, sponte intelligitur. Latini in eadem metaphora eleganter utuntur voce *soboles*. Vel uti Livius in oratione Scipionis ad milites, *Histor.* lib. XXVI, cap. xli: « Vos modo, milites, favetote nomini Scipionum, *sobol* imperatorum vestrorum, velut accisis, recrescenti stirpibus. » Ammianus Marcellinus, *Histor.* lib. XXVI, cap. ix, § 3, in historia Procopii Constantini filiam parvulam appellat « imperiale germen. » Darius apud Curtium, lib. IV, cap. xiv: « Ochum, in spem hujus imperii genitum, *sobolem* regiae stirpis. » Plura exempla ex Græcis Romanisque scriptoribus collegit Wetstenius ad *Luc.* I, 78, quibus nonnulla addidit F. V. Reinhard in *Explanatione loci Isai*, xi, 5, Viteb. 1783, in-4^o, repetita in *Commentat. Theolog.*, a Velthusenio, Kuinoelio et Ruperti edit. vol. I, pag. 1 seqq. et in Auctoris *Opuscul. Theolog.*, vol. II, pag. 1 seqq. Sadi, Persarum poeta nobilissimus in Præfatione ad opus suum *Gulistan*, id est Rosarium, inscriptum, de principis, quo regnante suum librum concinnavit, filio (pag. 12 edit. Gentii): « Sic crescat palmæ surculus, cujus ipse radix. » Conf. Sylvestre de Sacy, *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse*, pag. 94, ubi inter alia hæc leguntur: « Cette expression *germe de*, pour dire *de la race de*, est très-usitée dans les livres des Perses. Zoroastre y est appelé *germe de Minotchehr*, Yezdedjerd, *germe de Sassan*, Gustasp, *germe de Kéan*, » etc. Hiskiam, Judæorum regem, a vate nostro innui per *Sobolem Davidis*, Moses quidam, *Haccohen*, dictus, referente et probante Aben-Esra, perhibuit. Inter Christianos eadem in sententia fuit Grotius, qui Isaiam hic redire ait ad Ezechiae laudes, sub quibus sensu sublimiore latere vult Messiae laudes. Eam interpretationem exornavit Hermes, von der Hardt in *Dissert. Philog.*, qua *Hiskiam in Sigismundo resurgens ex Isaia*, cap. xi, et *libris Regum ac Chronicorum illustratus*. Helmst. 1695, in-4^o, eamdemque nuper commendavit Joannes Tobias, Theophilus Holzappel in *Progr. quo disquiritur, quisnam Isai. xi, intelligendus sit rex ætatem auream restiturus*. Rintel. 1808, in-4^o. Erant, qui de Serubbabele hoc vaticinio descripto cogitarent, quam sententiam nemo propugnavit operosius et fidentius Justino Henrico Jungmanno in *Daniele novo et inaudito modo reserato*, lib. II, sect. III, cap. VII. Si vero illud excipias, quod rex a vate hic celebratus e trunco succiso Isai oriundus dicitur, quod Hiskiae accommodari potest, quia decem tribuum amissione et tot hostium incursionibus valde accisæ erant res domus Davidis, et magis etiam Serubbabeli, qui ex trunco Davidis jam succiso efloruit, si hoc, inquam, excipias, cætera omnia quæ de re isto hoc vaticinio prædicantur, neque Hiskiae, neque Serubbabeli applicari satis apte poterunt. Ait Noster, regem illum omne genus dotibus spiritus divini perfectissimo modo fore instructum, eorumque usu perpetuo gavisurum (vers. 2); in jure dicendo, bonisque malisque, insontibus et noxiis, finite discriminandis, illum nunquam falli, regnum ejus fore pacatissimum (vers. 6-9); Judæos per totum orbem sparsos in terram patriam redituros, depositaque æmulatione et invidia mutua junctis viribus hostibus communibus oppugnandis operam daturus (vers. 13, 14). Talia vero quis evenisse demonstrat sub Hiskia aut Serubbabele? Nulla igitur dubitatio, depingi a vate nostro illustrem illum principem, *Unctum* appellatum, qualem ab antiquissimis inde temporibus aliquando inter ipsos apparituum sperant He-

plene replebit Christum, in eoque requiescet necessario et constanter, quasi in loco et supposito sibi proprio et connaturali, scilicet ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo. Hic enim spiritus naturaliter est et existit in Deo incarnato, *q. d.* Nec in Adamo, nec in ullo cæterorum hominum potuit constanter manere et quiescere Spiritus Sanctus, nisi in solo Christo; omnes enim alii declinaverunt, inquit Psaltes. Ita Cyrillus. Dixit Isaias, cap. ix, vers. 6, Emmanuelem futurum admirabilem, consiliarium, patrem futuri sæculi, principem pacis. Nunc ei dotes et dona ad hos status necessaria assignat, *q. d.* Talis tantusque erit Emmanuel, ut dixi cap. ix, quia Dominus replebit eum suo spiritu septemplici: nam a spiritu consilii, erit consiliarius; a spiritu fortitudinis, erit fortis; a spiritu sapientiæ, erit princeps pacis; a spiritu pietatis, erit pater futuri sæculi, etc.

Opponit Christum regem regi Assyriorum, regi Samariæ, regi Achaz et aliis, qui stulta habuerunt consilia et consiliarios, vitam inertem et effeminatam egerunt, pauperes oppresserunt, leges iniquas sanxerunt, ut suas opes et gloriam auferent, *q. d.* E contrario Christus regnum suum, scilicet Ecclesiam, moderabitur, et instituet spiritum sapientiæ, fortitudinis; pietatis, etc.

SPIRITUS DOMINI. — Aliqui per *spiritum Domini* intelligunt ipsam substantiam Spiritus Sancti, quæ semper futura erat cum Christo; quia Christus, qua Filius Dei, una cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Ita Origenes et Justinus, *Contra Tryphonem*. Unde Galatinus, lib. II, cap. vi, pro « Spiritus Domini, » vertit, *Spiritus Dominus*, id est Spiritus Sanctus, qui est Deus; itaque verti potest ex Hebræo. Verum hic non agitur de spiratione, sed de donis septem Spiritus Sancti. Spiritus ergo in genere est incitatus animi motus, impetus et ardor immissus vel a natura et cupiditate, vel etiam a dæmone, tumque dicitur furor

Spiritus
quid?

bræi. Eum hoc loco describi inter nostræ ætatis interpretes agnoverunt et Eichhorn atque Gesenius. Eadem, qua Noster, *germinis* imagine principem illum e stirpe Davidica oriundum, sistit *Jeremias*, xxiii, 5, et xxxiii, 15, nec non *Ezechiel*, xvii, 22, 23, qui de fastigio summo arboris cedri familiæ Davidicæ tenerum aliquem surculum, vel stolonem decerpendum plantandumque in excelso monte Israelis dicit, ubi facturus sit fructum, et excreturus in altam et amplam arborem. Conf. *Zach.* iii, 8, et vi, 12. Recte igitur Chaldæus nostrum verum sic explicavit: *Et egredietur rex de filiis Isai, atque Unctus, Messias, ex filiis filiorum ejus, Isæi, excrescet*. Idem sequuntur Hebræi interpretes longe plerique. Conf. Isaaci Abarbenelis *Præco Salutis in linguam Latinam translatus a Joanne Henrico Maio* (Frcof. 1741, in-4^o), pag. 51 seqq., Joanne Frischmuth *Dissertat. de primo, quem in veri nominis Messia Judæi exigunt characterere, ex Isaia vaticinio*, II, 1; Jen. 1666, in-4^o, et ejusd. *Dissert. de secundo, tertio et quarto, quos in veri nominis Messia Judæi exigunt characteræus, ex Isaia vaticinio*, II, 2, 3; ibid. eodem anno. Utraque *Dissertatio* legitur quoque in *Thesaurio Theolog. Philolog. seu Sylloge elegantiorum Dissertat.*, vol. I, pag. 763 seqq. (Rosenmuller.)

et insana cupido : sic vocatur spiritus superbæ, iræ, acediæ, etc., vel a Deo, tumque dicitur spiritus Domini : estque aliquando permanens, aliquando cito transiens. Rursum, vel est in intellectu, et tunc est spiritus sapientiæ, consilii, intellectus, scientiæ; vel est in voluntate, et tunc est spiritus pietatis, timoris, vel fortitudinis. Sic *Exodi xxxi, 3*, dicitur Deus implese Beseleel spiritu scientiæ in omni opere, id est inspirasse illi artem fabricandi tabernaculum. Sic Apostolus, *II Tim. I, 7*, ait : « Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis. » Sic passim alibi spiritus metonymice vocatur virtus vel res aspirata, ut spiritus lenitatis, humilitatis, charitatis vocatur ipsa lenitas, humilitas, charitas a Deo aspirata.

SPIRITUS SAPIENTIÆ. — Nota *primo* : Hinc Patres et Theologi recte, quidquid ogganniat OEcolumpadius, colligunt septem dona Spiritus Sancti, scilicet primaria. *Secundo*, sub hisce septem, quasi sub numero plenitudinis, intelligit Propheta omnia alia ejus dona, *q. d.* Spiritus Sanctus cum plenitudine suorum donorum requiescet super Christum. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. *Tertio*, S. Thomas et aliqui alii distinguunt dona a virtutibus hoc modo : Virtutes, inquit, acquisite dantur homini, ut recte suos actus dirigat secundum legem et normam rationis; virtutes vero infusæ et Christianæ dantur ei, ut se dirigat secundum normam et legem supernaturalem fidei, spei, charitatis, etc.; dona vero dantur ei, ut se dirigat secundum impulsum et afflatum vehementiorem Spiritus Sancti, quo præter communes leges ad actus fidei, spei et charitatis divinitus rapitur, vel, ut ait D. Thomas : « Dicuntur dona, quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina, sicut dicitur *Isai. cap. L* : Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico : retrorsum non abii. »

Verum probabilius alii censent ordinarie hæc dona non distingui nisi ratione a virtutibus ejusdem nominis, ut donum pietatis, fortitudinis, sapientiæ, a virtute pietatis, fortitudinis, sapientiæ : dicuntur enim virtutes, quia animam perficiunt : dicuntur dona Spiritus Sancti, quia ab eo donantur et aspirantur animæ, vel ut habitus, vel ut actus; maxime cum actus sunt heroici, ad quos vehementi impulsu movet et incitat Spiritus Sanctus, quia sunt effectus Spiritus Sancti; sicut Samson heroica illa fortitudinis opera irruente in se spiritu Domini, patrasse legitur, *Judic. xiv* et seq. Unde ad heroica opera opus fere est nova ac valida aspiratione et excitatione Spiritus Sancti. Hunc ergo crebro invocent, qui ad talia aspirant. Ita S. Hieronymus, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Athanasius, Augustinus, Hilarius et Cyprianus, quos citat Leo Castrius, et plerique Scholastici moderni.

Hinc sequitur cuivis fideli in justificatione infundi hæc dona, saltem illa quæ virtutibus mo-

ralibus identificantur; hæc enim cum gratia et charitate simul infunduntur : Christo tamen soli infusa sunt excellentissime et perfectissime, ideoque de eo solo ait Isaias, quod requiescet super eum Spiritus Domini.

Dico : « Quæ virtutibus moralibus identificantur : » nam donum intellectus, et ex parte donum sapientiæ et scientiæ, cum non sunt virtutes morales, non infunduntur cuilibet in justificatione.

Moraliter, disce hic ingens Dei donum esse sapientiam (quæ primo loco hic ponitur, estque parens cæterorum) et prudentiam, tum supernaturalem, de qua hic agitur; tum etiam naturalem : hæc enim dirigit omnes actiones hominum ad finem eorum naturalem, vel supernaturalem. Quocirca prudentem esse beatum hoc sorite concludit Seneca, *epist. 85* : « Qui prudens est, et temperans est. Qui temperans est, et constans est. Qui constans est, et imperturbatus est. Qui imperturbatus est, sine tristitia est. Qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est, et prudentia ad beatam vitam satis est. »

Rationem dat, quia sapiens malis non premitur, sed utitur : novit enim in adversis æque ac in secundis suam explicare virtutem. Idipsum duplici similitudine declarat. Prior est : « Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra, faciebat ex ære; si marmor illi, si adhuc viliores materiam quis obtulisset, fecisset quale ex illa fieri optimum posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit; si minus, in paupertate; si poterit, in patria; si minus, in exilio : si poterit, imperator; si minus, miles : si poterit, integer; si minus, debilis : quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. »

Posterior est : « Domitores ferarum sævissima animalia docent pati jugum, imo usque in contubernium mitigant. Leonibus magister manum insertat; osculatur tigrim suus custos; elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua, et ambulare per funem. Sic sapiens est artifex domandi mala: dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, quæcumque horrenda, cum ad hunc pervenere, mansueta sunt. » Socrates apud Platonem in *Phædro* asserit, « animi sapientiam esse aurum divinum. » Jamblicus apud Stobæum, *serm. De Prudentia* : « Prudentia, inquit, virtutum princeps est, reliquisque omnibus utitur, atque ipsarum ordinem, modum et occasionem tanquam oculus mentis undequaque lucidissimus ostendit; ipsa sui possessores efficit Deo similes. » Socrates rogatus quid esset prudentia? « Est, ait, animæ concinnitas. » Philo : « Prudentia, ait, est mentis sanitas. » Auctor apud S. Augustinum ad fratres in eremo, *serm. De Prudentia* : « Prudentia, ait, te docet ut in cunctis semper idem sis, tam in prosperis quam in adversis, sicut manus quæ eadem est, et cum in palmam extenditur, et cum in pugnam restringitur. » Bion, apud Laertium, *lib. IV, cap. VII*, asserit prudentiam tanto cæteris virtuti-

Mc: aliter de prudentia.

Dona Spiritus Sancti sunt idem virtutibus.

bus antecessere, quanto cæteris sensibus præstat visus, prudentiam animi esse virtutibus, quod oculus est sensibus. « Nam quomodo, ait, justus redderet cuique suum, nisi prudentia commonstret quid cuique debeatur? » Vis præcepta prudentiæ Gentilium? Accipe tria e multis. Bias aiebat: « Considera, et postea rem aggredere. » Item: « Aggredere tardus; aggressus age constans. Nec cito desistas, nec temere incipias. » Ita Laertius Periander: « Ea facito, ait, quorum te non pœniteat. » Rursum: « Nihil aggredere, nisi quod vides te posse perficere. » Democritus rerum omnium pretiosissimam dicebat esse prudentiam, quæ nihil admiraretur.

SPIRITUS SAPIENTIÆ ET INTELLECTUS, etc. — Spiritus sapientiæ, sive sapientia, est donum sive virtus Christiana, qua contemplamur divina et æterna, et secundum ea de rebus omnibus judicamus. *Secundo*, scientia est donum seu virtus, quo cognoscimus temporalia ad salutem conducibilia et modum illis bene utendi: hæc maxime elucet in Proverbiis, Ecclesiastico, Ecclesiaste. *Tertio*, intellectus est virtus seu donum penetrandi obscura, maxime in Scripturis, eorumque figuras allegoricas, cæremonias: hoc donum habent doctores. *Quarto*, consilii donum est pene idem quod virtus prudentiæ (Christianæ, puta ejus pars), quæ una cum fide infunditur omnibus Christianis in baptismo, qua omnes nostras actiones honeste et christiane dirigimus: consilium enim præcipuus est actus prudentiæ. Hinc Gentiles, consilio Deum Consum præfecerunt. Plutarchus in *Romulo*, dicit repertam ab eo « aram conditam sub terra in Circo, » eique nomen indidisse « Conso, » a consilio: aramque ipsam reliquis latere temporibus, in equestribus vero certaminibus aperiri. Unde de ea Tertullianus, lib. *De Spectaculis*, cap. v: « Ara, ait, Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione hujusmodi: Consus consilio, Mars duello, Lares comitio potentes (1). » *Quinto*, fortitudinis dono adversa et martyria sus-

(1) *Spiritus sapientiæ et intelligentiæ*, הכמה et בינה, distinguunt ita ut illud sit lux et cognitio rerum, quæ dicitur sapientia, hoc vero iudicium, quod ex hac sapientia oritur, quo inter res discernimus, quod Græci διαγνώσκου vocant, et Latini *intelligentiam* seu *prudentiam*. ונכורה רוח עצה, *spiritus consilii et fortitudinis*. Duo hæc iudicii summopere necessaria sunt, ut optimum scilicet consilium sequatur, neque inter deliberandum apparentibus rationibus cedat, et ut *fortitudine animi* vel *robore* cæteris superior factus, quod statuerit faciendum nulla difficultate territus, constanter exsequatur. דעת ויראת יהוה רוח, *spiritus scientiæ et pietatis*. Hæc duo, ne cum superioribus, sapientia et prudentia, confundamus, ad divinæ legis cognitionem et Scriptorum sacrorum intelligentiam, et quæ ex hujusmodi studio et cognitione oriuntur, reverentiam, religionem, cultum, quæ una voce ויראת יהוה רוח (Cf. *Prov.* 1, 7, et Ziegleri *not.* ad loc.), Hebræi significant, referenda sunt. דעת, licet in genere universam scientiam denotet, tamen, *Malach.* 1, 1, et alias cogni-

oni voluntatis divinæ ex Scripturis sacris tribuitur.
(Rosenmuller.)

tinemus. *Sexto*, donum pietatis est *justitia Christiana*, cujus præcipua pars est pietas seu religio, qua Deum ut summum parentem veneramur et colimus maxima reverentia, atque cum proximis quasi fratribus æquitatem et benevolentiam servamus unius Dei communis parentis causa. *Septimo*, timor est quasi fons et complementum omnium, timor, inquam, filialis ex amore nascens, seu potius consummatio quædam dilectionis. Ita Hilarius in *Psalm.* xxvii, et Ambrosius in *Psalm.* cxviii, serm. 5 in illa: « Statue servo tuo in timore tuo eloquium tuum » de quo plura, *Proverb.* 1, 7. Hic timor in Christi anima nascebatur ex intima reverentia, et clara cognitione divinæ Majestatis, et vilitatis suæ humanitatis, quæ ex nihilo venerat, et ad nihilum a Deo reduci poterat. Rursumque ex eo quod considerabat Christus, quid de ea futurum fuisset, nisi gratuita sua misericordia Deus illam sic adjuvisset, et ad eum unionis gradum evexisset: potuisset enim peccare et damnari æque ac Judas et alii damnati: quæ omnia sacrum quemdam horrorem mixtum suavi lætitiæ, gaudio, amori et reverentiæ, id est quemdam timorem securitati permixtum in Christo pariebant; quo non tam quod futurum erat metuebat, quam quid fieri poterat considerabat. De hoc timore casto vide S. Augustinum in *Psalm.* xviii, ad illud: « Timor Domini castus permanet in sæculum sæculi. » Ex hoc ergo Isaïæ loco timorem reverentialem et filialem fuisse in Christo, docent S. Thomas Alensis, Magister Sententiarum, Bonaventura, Gabriel Cajetanus et alii, quos citat et sequitur Gabriel Vasquez, III part. *Quæst.* VII, art. 6, disp. 44, cap. II.

Quoad ordinem donorum, Hilarius et Ambrosius superius citati videntur velle hic Isaïam ascendere ab imo ad supremum; alii contra a supremo ad imum descendere: omnes optime; ut enim in circulo undecumque incipias, et quocumque loco desinas, potes rursus inde incipere ubi desieris, et desinere ubi inceperis; ita fit in diversis istis donis: unde enim ad sapientiam quis pervenit? ab intellectu: unde ad intellectum? a consilio: unde ad consilium? a fortitudine: unde ad fortitudinem? a scientia: unde ad scientiam? a pietate: unde ad pietatem? a timore Domini. Potes iterum regredi per eadem vestigia: nam timorem Dei sapientia informat, sapientiam instruit intellectus, intellectum dirigit consilium, consilium roborat fortitudo, fortitudinem regit scientia, scientiam decorat pietas, pietatem stabilis timor castus, qui permanet in æternum. De quo ascensu vide Gregorium, homil. 19 *super Ezech.*, ante medium.

Symbolice, hæc dona septem beatitudinibus adaptat S. Bernardus, serm. *De donis Spiritus Sancti*, qui sequitur parvos ejus sermones. Vide de his donis S. Thomam, I II, tota *Quæst.* LXVIII, et III part., *Quæst.* VII, art. 2.

3. ET REPLEBIT EUM SPIRITUS TIMORIS DOMINI. —

Ordo donorum Spiritus Sancti.

Pro *replebit* hebraice est *הריחו haricho*; quod *primo*, Vatablus vertit, *odorari faciet illum spiritus timoris Domini*, id est spiritus Domini dabit Christo sagacitatem et acre iudicium, ut statim possit percipere an homines timeant Deum, necne, perinde ac si id, non visu, nec auditu, sed solo olfactu perciperet. Unde sequitur: « Non secundum visionem oculorum iudicabit. » Sic S. Hilarion, S. Maria Oigniacensis, et alii Sancti ex solo odore cognoscebant an quis esset in gratia Dei, necne; nam accedentibus peccatoribus mirum sentiebant fetorem. *Secundo*, alii vertunt, *odoriferum faciet illum spiritus timoris Domini*, juxta illud in *Canticis*: « In odorem unguentorum tuorum curremus; » et illud Isaaci de Jacob, *Gen. xxvii*: « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. » *Tertio*, Sanchez vertit, *spiritus olere faciet Christum timorem Domini*, id est faciet spiritus, ut Christus in omni opere et loco ex se emittat odorem timoris Domini. *Quarto*, Forerius vertit, *respirare ejus erit in timore Domini, q. d. Spiritus Domini faciet ut respiratio, id est omnis vita et actio, Christi sit in timore Domini: timor Domini erit spiraculum, halitus, vita et anima Christi. Quinto*, optime veritas, *Spiritus Domini spirare faciet eum (Christum) timorem Domini*; quia faciet ut Christus nihil nisi Dei timorem, religionem et pietatem corde, ore, oculis, manibus totoque corpore exhalet et spiret: sicut rosæ et lilia undique odorum fragrantiam emittunt et exspirant. Sic ait Apostolus: « Christi bonus odor sumus. »

In Hebræo, pro *pietas et timor*, est eadem vox *יראה irah*; unde utrobique *timor* vertunt Pagninus Vatablus et Forerius: inde Oecolampadius vult sex tantum dona hic recenseri, non septem. Respondet Leo Castrius *irah* posteriori loco deduci a *ירא rare*, id est timuit, et significare *timorem*, priori vero loco deduci a *ראה raa*, id est vidit, et significare *visionem* vel *illuminationem*, quæ ἐπισημαίαν, id est pietatem, parit. Sed hoc longe est *petitum* (1).

Dico ergo *irah* duo significare: *primo*, timorem et reverentiam; *secundo*, pietatem: hæc enim naturaliter consequitur reverentiam. Timor enim hic est amor Dei, omniaque alia dona consummat et complectitur. Ita Arabica versio hæc duo distinguit, ponitque septem spiritus. Ait enim: *Descendet super eum spiritus sapientiae, etc., et timoris Domini, et orietur in (cum) fiducia Domini, vel spe in Deum. Ubi per timorem, accipit pietatem, per fiduciam Dei invocationem, cultum et reverentiam. Sic et Syriaca: Descendet super eum spiritus sapientiae, etc., et timoris Domini, et orietur in timore Domini, vel in religione et cultu, modoque colendi*

(1) In lingua hebraica, scire et facere, sapientia speculativa et practica conjunctim his verbis, *sapientia intellectus, scientia, timor*, exprimuntur, quod rerum naturæ et veritati consentaneum est, nam scientia et actio disjunguntur nequeunt, cum utraque suum, ut ita dicam, munus implent. (Allioli.)

Deum. Abbas Chæremon apud Cassianum, *Collat. XI, cap. xiii*, notat, non dici *requiescet*, uti dicitur in aliis, sed, *replebit enim spiritus timoris Domini*: «Tanta enim, inquit, ubertatis ejus est magnitudo, ut quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam ejus occupet mentem, nec immerito; illi enim quæ nunquam excidit charitati cohærens non solum replet, sed etiam perpetua et inseparabili eum quem ceperit, possidet jugitate, nullis lætitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminutus, quod nonnunquam illi qui foras mittitur, timori (servili, qui proinde in Christo non fuit, ut ait ibidem Chæremon) evenire consuevit. »

Quocirca S. Ambrosius in *Psal. cxviii, octon. 5*, ad illud vers. 38: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, notat hic timorem inter dona Spiritus Sancti ultimo loco poni, quasi formam et complementum cæterorum. « Quantis, inquit, subjecit timorem, ut haberet quod sequi possit; informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur. »

NON SECUNDUM VISIONEM OCULORUM JUDICABIT. — *Primo*, aliqui sic explicant, *q. d. Christus non curabit, nec magnificet ea, quæ oculi hominum curiose spectant et magnificiunt, scilicet vanas opes et mundi pompas.*

Secundo et genuine, quasi dicat: *Homines judicant secundum speciem et apparentiam externam, quæ sæpe fallit; nam hypocritæ per eam iudicibus fucum faciunt, cum se bonos simulant: sed Christus plenus spiritu sapientiæ, consilii, pietatis et timoris, iudicabit non secundum apparentiam externam, nec etiam ex relatione aliorum, aut rumoribus, quia visus et auditus in his sæpe falluntur; sed secundum ipsam causæ æquitatem, quam in seipsa introspectet. Videbit enim interna et intima rei, scrutabitur corda et renes, et, ut ipse ait: « Filius hominis scit quid sit in homine; » quare fucum detrahet et deteget, atque in fucata sanctitate, et in velata malitia iniquitatem et fraudem, in fallaci sermone, et lingua duplici dolum et imposturam deprehendet et patefaciet. Ita S. Hieronymus, Sanchez et alii.*

Huc pertinet quod Platonicus tradunt, omnes homines iudicandos esse, anima eorum nudata ab omni ornatu bonorum operum exteriorum, et in ea apparentibus solis virtutum luminibus, vel maculis vitiorum: ex quorum sententia nonnulla cecinit Claudianus, *lib. II Contra Ruffinum*.

4. JUDICABIT IN JUSTITIA PAUPERES, — id est, inculpatum et sincerum iudicium reddet pauperibus, quos potentes sæpe opprimunt, vel mali iudices contemnunt et inique condemnant. Unde Irenæus, *lib. III, cap. II*, vertit: « Iudicabit humilli iudicium (1). »

(1) Etsi enim pauperum causa interdum mala esse potest, tamen quod communi usu evenire consuevit Scrip-

ET ARGUET IN ÆQUITATE PRO MANSUETIS TERRÆ, — *q. d.* Christus pauperes suos discipulos, qui se mansuete subdent ejus prædicationi, defendet contra duros et superbos Scribas, Phariseos et similes adversarios, quorum fastum, fraudes et scelera arguet et increpabit, uti fecit, *Matth.* XI et XV.

Septuaginta vertunt, *arguet humiles terræ*, scilicet id fecit Christus, cum dixit Petro: « Vade post me, Satana; » et alibi: « Nescitis cujus spiritus estis; » et alibi: « Nescitis quid petatis. » Unde Clemens Alexandrinus, I *Pædagog.* VII, sic explicat: Castigabit mansuetos in utilitatem eorum erudiens, et a morte servans eos, juxta illud: « Castigans castigavit me, et morti non tradidit me. »

Nota: In Scripturâ iusti et sancti vocantur mansueti, mites, humiles; propria enim Sanctorum virtus, et sanctitatis nota est humilitas et mansuetudo.

ET PERCUTIET TERRAM VIRGA ORIS SUI. — « Virga oris » est acris objurgatio et increpatio, *q. d.* Christus peccatoribus non adulabitur; sed spiritu fortitudinis armatus liberrime, gravissimis verbis objurgabit homines terrenis desideriis deditos. Ex hoc spiritu, et hac virga manant illæ voces, imo fulmina contra Phariseos, *Matth.* XXIII, et contra divites ac voluptuarios, *Lucæ* VI, quibus vae damnationis intentat.

Hanc virgam oris a Christo participant concionatores, non theatrici, non politici, non frigidi; sed Apostolici, zelosi et efficaces, qui urbes et orbem convertunt, uti fuerunt S. Dominicus, S. Vincentius Fererius, S. Bernardinus et alii.

ET SPIRITU LABIORUM SUORUM INTERFICIET IMPIUM. — *Primo*, jussu suo pellendo, non tantum peccata, sed et dæmones, tum ex animabus hominum, ut ex impiis faciat pios; tum ex corporibus: dæmoni enim hæc expulsio est acerba instar mortis et interfectionis.

Secundo et proprie, « impium, » id est caput impiorum, scilicet Antichristum, occidet, uti explicat Paulus, II *Thes.*, II, 8, et simul cum Antichristo omnes impios sententia secundæ mortis, id est damnationis æternæ, plectet.

5. ET ERIT JUSTITIA CINGULUM LUMBORUM EJUS ET FIDES CINCTORIUM RENUM EJUS, — *q. d.* Justitia et fides, id est veracitas sive fidelitas (hanc enim significat Hebræum אמונה *emuna*), perpetuo Christo adhærebunt more cinguli eum stringentes, ornantes et roborantes. Sicut enim Christi humanitas tota cingebatur a divinitate, ita et a justitia ac fidelitate, ut quæcumque diceret vel faceret, illa prompte, strenue et constanter secundum justitiam et fidelitatem semper diceret et faceret (1).

tura commemorat, significans non idcirco esse damnandos, quia tenues sint et exhausti et ab aliis omnibus despecti. (Forerius.)

(1) Erat et est adhucdum in Asia duplex genus cingulorum, alterum commune coriaceum. ζώνη δερματίνη, latitudine dimidii pedis, et fibulis instructum quibus ad ventrem clauditur, lib. II *Reg.* I, 8; *Matth.* III, 4; *Marc.* I, 6; alterum pretiosum ex gossypio vel lino, nunc quidem

Nota: Hebræi per *cingulum* significant primo, adhærentiam et conjunctionem; secundo, robur et vires. Unde « dissolvi cingulum lumborum, » est vires amittere, *Daniel.* V, 6; et « accingere lumbos » fortitudine, est strenuo et virili animo aliquid aggredi et facere, *Proverb.* XXXI, 17. *Tertio*, alacritatem et expeditionem, *q. d.* Christus crit accinctus ad justitiam et veritatem tuendam super terram. *Quarto*, pretium et amorem: sicut enim virgini fascia pectoralis, ita viro balteus est in delictis, *q. d.* Christo regi justitia et fides erunt chara, et nunquam deponentur, ac si essent ejus balteus. Ita Sanchez. *Quinto*, justitiam et fidem Christo fore propriam, perpetuam et immutabilem: tale enim suum cuique est cingulum.

Cingulum
quinguo
res notat

Hinc *secundo*, aliqui per *cingulum* accipiunt gladium, quo per cingulum accingimur; hic enim decet Christum judicem et regem, *Psalm.* XLIV, 4: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. »

Tertio, Chaldæus per *justitiam* intelligit fideles et justos, quibus circumdabitur Messias, juxta illud *Isaiæ* XLIX: « Omnibus his (fidelibus) velut ornamento vestieris. »

Moraliter, disce hic quam principi cordi et curæ debeat esse, *primo*, justitia. Vere S. Augustinus, lib. IV *De Civ.*, cap. IV: « Remota, ait, justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? » Et Cicero in *Paradoxa*: « Jus et æquitas vincula sunt civitatum. » Augustus apud Senecam in *Ludo*: « Pietate et justitia principes dii fiunt. » Hesiodus in *Theogon*:

Justitia
et fide
principi
esse cordi
debeat.

Hoc uno reges olim sunt fine creati,
Dicere jus populis, injustaque tollere facta.

Aristoteles, lib. V *Polit.* X: « Rex, ait, debet et vult esse custos, ut nec opulenti injustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat. » Quare barbara est illa barbari vox apud Tacitum, lib. XV: « In summa fortuna id æquius, quod validius. » Et illa apud Lucanum, lib. VIII:

Sceptorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit.

Et illa Spartiani in *Caracalla*: « Licet si libet. »

etiam ex serico textum, olim autem acu pictum, latitudine palmæ quod antierius ad ventrem colligabatur, *Jerem.* XIII, 1. Femine cingulum non raro bulla vel umbilico clauderant, *Cant.* VII, 3, et gestabant etiam cingula pretiosissima, et fasciam pectoralem, atque ipsum quoque cingulum laxius, et aliquantum infra lumbos ligabant, cum viri cingulum perpetuo in lumbis gestarent, unde dicitur cingulum lumborum, et cingere lumbos, I *Reg.* XVIII, 46; *Prov.* XXXI, 37; *Isaiæ* XI, 5; *Jerem.* I, 7. (Jahn, *Archæolog Biblic.* part. I, cap. VIII.)

Cingulum, ut potentie signum acceptum, Ægyptiacis usibus alludit: « Gentes christianæ sæpe principes suos designant ab unctione sacra qua inunguntur; Ægyptij vero ab ornamento quod eorum corpori, manu sacerdotis magni circumligabatur illos vocabant. Reges Ægypti *cincti* dicebantur sicut reges christiani *uncti* vocantur. »

(*Journal des Savants*, septembre 1817, pag. 548.)

Secundo, fides. «Fides enim justitiæ fundamentum est,» ait Cicero, lib. I *Offic.*; et «sanctissimum humani pectoris bonum,» ait Seneca, *epist.* 89. Audi Silium Italicum, *ad Fidem* :

Ante Jovem generata, decus divumque hominumque,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt :
Justitiæ consors, tacitumque in pectore numen.

Quocirca Romani in Capitolio fidem vicinam Jovi optimo maximo esse voluerunt, ut aiebat Cato; ut enim ille tutor humani generis, sic ista : «Nec ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides,» inquit Cicero, lib. III *Offic.* Est ergo fides justitiæ, ut sic dicam, *παρήλιος* : æque ac de clementiæ lumine, modestiæ lumen refulget.

Vers. 6.
Lupus cum agno snb Christo habitabit, quo sensu?

6. HABITABIT LUPUS CUM AGNO (1). —*Primo*, Judæi hoc ad litteram accipiunt ut sonat, *q. d.* Tempore Messiæ lupus, pardus, leo, aliæque bestię cicularuntur, nec amplius justis et bonis nocebunt. Unde ipsi colligunt necdum venisse Christum, quia adhuc leo lacerat, lupus vorat, serpens mordet. Quidam Catholici hoc applicant et expli- cant de Apostolis et Martyribus, quibus viperæ, leones et bestię in eos immissæ sæpe nocere non potuerunt. Verum non satis apposite; nam dicit Propheta : «Habitabit lupus cum agno :» jam si lupus proprie accipitur, ergo et agnus; nusquam autem videmus tempore Christi lupos habitare cum agnis. *Secundo*, quia dicit hoc universaliter futurum : constat autem multos Martyres a bestiis esse laniatos. *Tertio*, quia sequitur : «Leo quasi bos comedet paleas.» Quid hoc ad Martyres? Quare merito Judæos refutat ex veteribus Rabbinis Galatinus, lib. V, cap. VIII.

(1) «Habitabit lupus cum agno,» juxta agnum. Id ipsum in aurei sæculi descriptione legitur infra, LXV, 25. Inimicitia omnes finitæ erunt, adeo ut belluæ feritatem deposituræ sint. Opus enim justitiæ est pax. Tanta igitur erit illius temporis æquitas et justitia, ut, si fieri posset, animalia invicem adversa simul pastum itura essent. Poetæ orientales recentiores, cum effectus justitiæ et æquitatis describere volunt, similes imagines adhibent. Veluti Ibn Onein, poeta Arabs apud Jones in *Commentar. Poeseos Asiat.*, pag. 380 :

Justitia, a qua mansuetus fit lupus fame astrictus,
Esuriens, licet hinnulum candidum videat.

Et Ferdusi Persarum nobilis poeta, apud eundem, *ibid.* :

Rerum Dominus, Mahmud, rex potens,
Ad cujus aquam potam veniant simul agnus et lupus.

Romani poetæ iisdem imaginibus sunt uti in aureæ ætatis felicitate describenda. Sic Virgilius, *Ecolg.* IV, 21 :

Ipsa læte domum referent distenta capellæ
Ubera : nec magnos metuent armenta leones.

Et paulo post :

Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet.....

Et *Ecolg.* V, 60 :

Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnia.

Secundo, Lactantius, lib. VII Institut. cap. XXIV, putat hæc ad litteram ut sonant, vere futura post judicium per mille annos, quibus Sancti cum Christo regnabunt in terra. Erit enim tunc aureum sæculum : et ita Sibyllas, quæ idem prophetarunt, quod Isaias hic, intelligit. Sic enim canit Cumana apud Virgilium, *ecloga* 4 :

Nec magnos metuent armenta leones :
Occidet et serpens, et fallax herba veneni.

Verum hic fuit error Chiliastarum, sive Millenariorum, quorum auctor fuit Papias discipulus S. Joannis, ut dixi *Apocal.* xx, 4.

Dico ergo, cum Patribus et Christianis Interpretibus, hæc omnia metaphorice dici de hominibus, quorum mores similes sunt bestiis istis. Quidam per efferatas intelligunt Gentes; per mansuetas, Judæos, *q. d.* In Ecclesia Christi simul pacifice degent Judæi et Gentes. Ita Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*

Rectius alii per *leonem, lupum, aspidem* accipiunt quosvis homines fortes, potentes, rapaces et noxios; uti per *pardum* irretitos variis erro-

Sic et Claudianus, in *Proleg. lib. II De Raptu Proserpinæ*, ubi describit effectum lyræ Orphei alterius, post Herculem, orbis pacificatoris (vers. 25 seqq.) :

Securum blandi leporem fovere molossi,
Vicinumque lupo præbuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride damæ,
Massylam cervi non timere jubam.

Sed ante eos Theocritus, *Idyll. XXIV, 84*, in vaticiniis de tempore, quo pacatus foret orbis ab Hercule : «Erit ille dies quando hinnulum in suo strato lupus, dentibus serratis, videns lædere nolet.» *Vitulus et leo, etc.*; vel : *Et vitulus, leunculusque atque pecus saginatum una erunt, sine antipathia atque discordia. Et puer parvulus, etc.*; vel : *Et puer parvus ducet ea.* Hieronymus : «Hæc Judæi et nostri judaizantes juxta litteram futura contendunt, ut in claritate Christi, quem putant in fine mundi esse venturum, omnes bestię redigantur in mansuetudinem, et pristina feritate deposita lupus et agnus pascantur simul, et cætera cum cæteris quæ nunc videmus sibi esse contraria. Quæ interrogare debemus, si omnia præsentia loci sic accipiuntur, ut scripta sunt, et nihil refertur ad intelligentiam spiritualem, juxta illud Apostoli qui ait : «Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo;» ergo et radix, et virga, et flos non referantur ad sensum, terraque percussa verbo Dei, et interfectus impius spiritu laborum ejus sic intelligantur, ut scripta sunt, et docere cogantur, quomodo rebus incorporeis, justitia et veritate, renes Domini circumdantur? Sed et hoc eos interrogemus, quid dignum sit Domini majestate, ut lupus et agnus pascantur simul, et pardus cum hædo accubet, et leo paleas comedat, et puer parvulus mittat manum suam in foramine aspidum? Nisi forte juxta fabulas poetarum aureum nobis Saturni sæculum restituent, in quo lupi et agni pascentur simul, et multo vino plena current flumina, et de foliis arborum stillabunt mella dulcissima, lacteisque fontibus omnia complebuntur. Quod si responderint, pro beatitudine temporum hæc futura, ut absque cujusquam noxa homines bonis omnibus perfruantur, audiant a nobis, nihil esse bonum nisi virtutem, et nihil malum, nisi vitium.» (Rosenmüller.)

ribus et vitis, hæ enim sunt maculæ pardi; per *agnum* vero, *hædum vitulum*, *bovem*, infirmos pæuperes, mansuetos et laboriosos, *q. d.* In Ecclesia Christi simul quiete versabuntur iusti et peccatores, mites et feroces; patientes et cholericus, pauperes et divites, infirmi et potentes. Per has ergo metaphoras significatur, quod Gentes feræ et barbaræ deposita feritate mansuescent, et cum hædis et agnis, id est cum humilibus et simplicibus Christianis, sanctissime conspirabunt in unitatem fidei Ecclesiæ, ut verbi gratia lupus, id est, S. Paulus, qui spirans minarum et cædis in Christianos, jure comparatur lupo, *Genes. XIX, 27*, habitet cum agno, id est, cum S. Joanne et Petro, inquit S. Hieronymus. Sic et Origenes, *homil. 2* in cap. VI *Genes.*, et ibidem Chrysostomus, *homil. 23*; Basilius, *homil. 10 Hexam.*; Gregorius, super *Ezech. hom. 16*, qui similiter accipiunt locum *Osee*, cap. II, 18, ubi ait: « Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum bestia agri, et cum voluere cœli, et cum reptili terræ. » Significat ergo Isaias per Christi gratiam fore Gentium omnium unionem et concordiam, quæ omnis prosperitatis et felicitatis est mater. Id significavit Vespasianus Imperator nummo, in quo sculptæ erant pulchræ plenæque spicæ ex duabus manibus datis, simulque junctis egredientes: hoc enim innuit, ex concordia et fide rerum felicium abundantiam dimanare. Idem significavit Julius Cæsar sculpsens in nummo suo caduceum cum cornu copię: caduceus enim concordiam, cornu copię rerum affluentiam significat. Vide dicta cap. II, 4.

Pulchre hæc verba: « Habitabit lupus cum agno, » accommodat S. Ambrosius, lib. II *De Virgin.*, militi Christiano, qui ut virginem pro fide Christi ad lupanar damnatam a stupro eriperet, commutans cum ea vestes, se pro ea substituit; ideoque ad mortem damnatus, accurrente virgine, cum eoque de martyrio concertante, cum ea illius lauream adeptus est. Plura de hac sententia dixi *Eccli. XIII, 22*, in fin.

ET PARVULUS MINABIT EOS. — Fabulantur Gentiles Herculem adhuc in cunis existentem elisisse serpentes; sed vere hoc fecit noster parvus Emmanuel, qui ab ortu cœpit Magos, Pastores, et alios sibi suoque Eva gelio subjicere. Ita S. Justinus, *Contra Tryphon.* Rursum « puer parvulus » est humilis quisvis Apostolus et prædicator, qui populum minat, id est, ducit, docet et regit. Ita S. Cyrillus, Hieronymus et alii passim. Hæc clarissime contigerunt in primitiva Ecclesia, *Actor. IV, 32*, et etiamnum contingunt in conversione Brasillorum, Japonum, Indorum: item in Religionibus bene constitutis, ubi maxime servatur et viget spiritus Christi: ibi enim videre est superbos et feroces fieri humiles et mites quasi agnos, ut etiam a parvulis et simplicibus se regi sinant. Hoc est enim quod aiebat S. Franciscus: « Quanto contemptibilior est qui præsidet, tanto

magis humilitas obedientis placet. » Unde et ipse, ait S. Bonaventura in *Vita ejus*, cap. VI: « Fratri, cum quo solitus erat ire, semper obedientiam promittere consueverat et servare, dicens obedienti nullum tempus transire sine lucro, aiebatque: Inter alia quæ dignanter mihi pietas divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri; nam subditus Prælatum suum non ut hominem considerare debet, sed in eo illum pro cujus est amore subjectus. » Vide similia apud Climachum gradu *De obedientia*. Significat ergo hic Isaias, in Ecclesia Christi fore summam humilitatem, pacem, subordinationem, et omnium obedientiam sub quovis Prælato, etiam ignobili, indocto et imperfecto.

7. REQUIESCENT CATULI EORUM, — *q. d.* Pax Christi perveniet ad natos natorum, et qui nascentur ab illis. Hoc est quod eleganter ait Tertullianus, lib. *Contra Hermog.* cap. XI, sub Christo « pecora bestiis condixisse, » id est, se consociavisse quasi ex conventionem et pacto.

LEO QUASI BOS COMEDET PALEAS. — Idem dicit et inculcat hic, uti et in sequenti metaphora, *q. d.* Sævi homines, superbi et sapientes, deposita sævitia, superbia et tumore sæcularis doctrinæ, induent mansuetorum mores, cum iisque simul vivent, et utentur eadem cum illis mensa et cibo, tum corporali, tum spirituali: comedent enim non carnes, ut ante, sed paleas, id est, mansuetorum et simplicium cibum, puta prima fidei rudimenta. Unde S. Ambrosius, lib. I *De Panit.* cap. XIII, legit: « Leo cum bove paleas comedit. » Ita Æschylus dixit non esse in republica alendum leonem, id est homines immanes; superbos et tyrannos. Et Plato asseruit in sua republica nos domi alere diversa genera brutorum. Quin et Aristoteles in *Polit.*, hominem a lege et justitia alienum, ait esse pessimum omnium animalium. Denique S. Chrysostomus: « Quælibet, inquit, bestia unum habet et proprium malum; homo autem omnia. »

Alii per *leonem* intelligunt homines indoctos, sed fide plenos; per *paleas* simplicia Scripturæ verba, sive ipsam litteram; per *triticum* vero, interiorum ejus medullam et sensum reconditum; atque prædici, quod homines idiotæ, quales dixi, non capientes mysteria Scripturæ, nuda et simplici ejus lectione pascentur. Ita S. Hieronymus et alii.

8. ET DELECTABITUR INFANS AB UBERE SUPER FORAMINE ASPIDIS. — Id est, infantes vix ab ubere depulsi non horrebunt aspides, sed cum eis ludent, in eorumque antra manus fidenter immittent, hoc est, recenter conversi, etiam juvenes et pueri, libere et fiducialiter agent cum idololatriæ et tyrannis, cum regulis intrepide congregentur, iisque fidem annuntiabunt, nec horrebunt, sed ambient mortem et martyrium: gaudebunt enim

concionari tyrannis, qui initio volent eis nocere; sed ab eis edocti et cicurati abjecto infidelitatis veneno credent Evangelio (1).

Exempla puerorum tyrannos vincuntium. Audi exempla puerorum cum tyrannis certantium atque triumphantium: Josaphat adolescens cum Abennar patre et rege certavit, et vicit; patremque ac totum regnum ad Christum convertit: testis est Damascenus in ejus Historia.

Apud Homeritas, inquit Procopius, et ex eo Baronius, egregium virilis animi specimen edidit quidam puer Martyr, qui matrem aspiciens conjici in ignem, femur tyranni momordit, et ad illam procurrit, atque ita una cum matre sacrificium suaveolens per litationem ad Deum transmissus: de quo plura *Threnor.* III, 27.

Victor Uticensis, lib. III *Wandal.*, narrat duodecim puerulos symphonicos, segregatos per vim a Confessoribus orthodoxis, tentatos fuisse ab Arianis, primum blanditiis, deinde iterata fustigatione; sed constantes illi steterunt, ut Ariani erubescerent se superatos a pueris, et orthodoxi exsultarent et confirmarentur. Hos pueros, inquit, nunc « Carthago miro colit affectu, et quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit puerorum. Una degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur. »

Narrat Prudentius libro *Peristephanon*, seu *De Coronis*, puerulum non adhuc septennem Romani Martyris nobilissimi rogatu, coram Asclepiade præfecto Dei unius essentiam et Christi deitatem, explosa deorum Ethnicorum multitudine, constantè asseruisse. Matre accersita, jussit tyrannus carnificibus, ut pusionem in sublime tollerent, et virgis verberarent: cunctis flentibus ad tam immane spectaculum, mater imperterrito vultu, et serena fronte amore Christi contumax, in doloribus stetit. « Parvus se sitire exclamat; » mater autem, eum increpans, dicit « Christianum cedere morti non debere, aquam vitæ in Christo sufficere: fontem illum perennem esse proximum, calicem infantium Bethleemiticorum esse exhauriendum. » Isaaci parvuli obedientiam, et septem puerorum ex Machabæorum historia constantiam commemorat. Puerulus virili animo virgas strepentes, et dolores vulnerum ridet, tortoribus et tyranno insultat victor. In rabiem actus Ascle-

(1) Hæc adimplere existimo quando in delubris et templis dæmonibus dicatis discipuli Domini verbum ipsius prædicabant, ex loca illa in templa Dei cæli vertebant, traduentes cultores dæmonum ad lucem et agnitionem veritatis: quæ ingentis voluptatis erant amplissima argumenta. Hic quoque considera quibus nominibus Spiritus Sanctus appellet suos, « agnos, hædos, vitulos, altilia, boves, pueros, parvulos, lactentes, ablactatos; » quibus nominibus ipsos quoque verbi ministros intelligit: quæ omnia simplicitate, mansuetudinem, innocentiam declarant. Juvat etiam videre quibus appellentur peccatores. Quid sunt nisi « lupi, ursi, leones, aspides, viperæ, » et similia? O jucundam Spiritus Domini « percussio-nem! » o cædem salutarem, qua omnis improbitas tollitur, et innocentia terris redditur! (Forerius.)

piades puerulum capite mulctari jubet: mater natum gerebat amplexu et sinu. Puerum poposcit carnifex, mater nec lacrymata est, tantum osculo impresso ei valedixit, et dum amputat cerviculam carnifex, mater psallere docta ex Davidis *Psalm.* cxvi, canebat: « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. »

Cum Valentis Imperatoris Præfectus Edessæ multorum militum manu stipatus, ut Imperatoris in Christianos iram exsequeretur, ad templum, quo ipsi convenerant, properaret; mulier quædam paupercula, filiolum suum manu trahens ad martyrium, currebat, et ordinem satellitum Præfecti interrumpibat. Indignatus autem Præfectus mulierculam ad se duci jubet, illamque alloquitur, dicens: « Quo tam incondite curris, infelix mulier? » Cui illa: « Quo alii, inquit, currunt. » Ille vicissim: « Non audisti, inquit, Præfectum cunctos interempturum, quos ibi reperit? » Mulier: « Audivi, ait, et ob eam causam festino, ut et ipsa ibi inveniar. Sed cur, inquit, adducis et puerum? » Respondit illa: « Ut et ipse ejusdem coronæ sit particeps. » Audito hoc, Præfectus admiratur convenientium dementiam, Imperatoremque accedit, ac instruit, cunctos esse pro fide sua mori paratos, nec consonum esse rationi, ut tantus hominum numerus brevi tempore occidatur, atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit. Itæ Socrates, lib. IV *Histor.* capite xviii. De Iberis per ancillam Christianam captivam ad fidem Christi perductis, mira ex Rufino et Eusebio, narrat Baronius anno Christi 327.

Rursum « delectabitur infans super foramine aspidis, id est simplices fideles gaudebunt ejicere dæmones de corporibus obsessorum, qui recte vocantur foramen aspidis. Completum est hoc in Apostolis, quibus a Christo datum est calcare super serpentes et scorpiones, et super omnem fortitudinem inimici. Ita S. Hieronymus.

ET QUI ABLACTATUS FUERIT (id est, provecior jam in fide, etiam) IN CAVERNA REGULI, — id est, ad gentes feras, irrumpet, imo in eorum antris, specubus (uti fit apud Indos), fanis et delubris Christi fidem prædicabit. Ita S. Hieronymus et alii, præter S. Cyrillum, qui per aspidem hæreticos intelligit, per regulum dæmonem.

Ita S. Franciscus Xaverius in India mittebat pueros, qui fidem Christi docebant parentes et vicinos, idola eorum demoliebantur, atque per crucem et pias preces infirmos curabant, et dæmones ab energumenis pellebant, uti narrat TurSELLIUS in ejus *Vita*, lib. II, cap. VI et VII.

Ita et Gaspar Barzæus Xaverii discipulus, puerorum agmen in processionem ducens Armuziæ, in mosquitam sive ecclesiam Mahometis irrupit, et in culmine crucem Christi defixit: percussis Saraceni fugerunt, ædemque occuparunt Christiani, quam expiatam B. Virgini victrici a monte cognominatæ dedicarunt, uti narrat P. Nicolaus Trigautius in ejus *Vita*, lib. II, cap. XIX.

Ita Brasilius et alios Indos nostri Patres ali- que converterunt, maxime per eorum pueros. Hi enim pueri quasi rasæ tabulæ tenacius imbi- bebant Christianismum, eumque parentibus aliis- que instillabant.

Vers. 9.

9. NON NOCEBUNT. — Scilicet qui prius erant vi- rulentissimi idololatræ, jam ad Christum conver- si, non amplius nocebunt fidelibus in Ecclesia, quæ est mons Dei sanctus. Ita S. Hieronymus. Quare perperam ex hoc loco infert Lutherus : Ergo in Ecclesia non licet occidere hæreticos ; in- ferre enim debuisset : Ergo hæretici (hi enim sunt serpentes et aspides) non occident, neque noce- bunt Christianis in Ecclesia : licet enim videantur eis nocere, tamen revera non nocent ; sed eos exercent, et in doctrina ac virtute crescere faciunt.

QUIA REPLETA EST TERRA SCIENTIA DOMINI, — cognitione Dei : hoc est quod ait Psaltes, *Psalm. VIII* : « In omnem terram exivit sonus eorum. » Ita S. Hieronymus, S. Cyrillus et alii. Porro *quia* significat mutationis hujus causam esse scientiam Domini : hæc enim animos mutat et mansuefacit : quis enim noscens serioque cogi- tans Christum Deum humilem, mitem, paupe- rem, sobrium, etc., non statim ponat cristas, iras, avaritiam, gulam, etc. ? Ita qui serio ad Chri- stum convertuntur, cum ante crudelitate essent leones, voracitate lupi, veneno reguli, fiunt mansuetudine agni, sobrietate hædi, candore vi- tuli : hæc est admiranda Evangelii vis, quod feros animos perdomet. Inepte colligunt ex hoc loco Lutherus et Œcolampadius licere laicis et idiotis sacræ Scripturæ cognitionem et explicationem profiteri : hæc enim scientia non est doctrina doctorum, sed disciplina fidelium, quam ipsi ut discipuli haurire et augere debent per instructio- nem et prædicationem Apostolorum et Doctorum. Scientia ergo hæc est fides in Christum, quam habent omnes Christiani, in qua tamen crescere et perfici debent audiendo doctiores se.

SICUT AQUÆ MARIS OPERIENTES, — scilicet terram aliquam, *q. d.* Sicut aquæ maris exundantes, ter- ram vicinam occupant et operiunt : sic Ecclesia toto orbe et in omni terra dispersa, doctrina prædicationis Evangelicæ inundabitur et operietur. Ita S. Augustinus, lib. *De Unitate Eccles.* cap. VII, et Eusebius, lib. II *Demonstr.* IV ; aut ut Gue- vara in *Habacuc* II, *q. d.* Sicut mare tellurem cin- git et ambit, ita et fides Deique cognitio totum orbem ambiat.

Carpit hic nostrum Interpretem Forerius : ne- gat enim ex Hebræo verti posse, « aquæ maris operientes, » quia, inquit, in Hebræo dicendum fuisset *כמי לים* *comme laiam*, in regimine ; jam autem habetur in statu absoluto, *כמים לים* *cam- maim laiam*, id est sicut aquæ mare operientes. Ve- rum respondeo : Familiaris est Hebræis enallage casuum, æque ac modorum et temporum ; sæpe enim ponunt statum absolutum pro regimine,

sive nominativum pro genitivo, et vice versa. Unde et Leo Hebræus hic vertit, *sicut aquæ maris operientes*.

Fateor tamen proprie verti posse cum Septua- ginta, Pagnino, Forerio et Vatablo, *sicut aquæ mare operientes*, ut mare ponatur pro alveo, vel cratere maris, *q. d.* Sicut aquæ operiunt alveum maris, aut etiam superficiem maris cum exæs- tuant, uti aqua vel vinum operit craterem, cum is super plenus est, et supereffluit : sic etiam co- gnitio Dei in lege nova exuberat, et super omnes funditur. Simili enim modo ait Habacuc, cap. II, 14 : « Quia replebitur terra, ut cognoscant glo- riam Domini, quasi aquæ operientes mare, » he- braice *כמי לים* *al haiam*, id est *super mare*, id est sicut aquæ copiosæ et fluctus exæstuant et ebul- liunt super mare, ut supereffluent, et terras vici- nas inundent et obruant. Ita Theophilus ibidem et Guevara. Tertio, idem Guevara ibidem vertit, *sicut aquæ e mari operientes* (ut *ל* ponatur pro *למי*), id est veluti si mare redundaret, ut operi- ret terram, sicut in diluvio accidit, et alias sæpe. Nam Pyrrham et Antissam circa Mæotim Pontus abstulit ; Elicen quoque et Buram in sinu Corin- thio, quarum in alto vestigia exstitisse suo ævo testatur Plinius. Atlantis insulam mare sorbuit ; et, si credimus Platoni, quidquid contegit Atlan- ticum mare, olim insula fuit.

10. IN DIE ILLA, RADIX JESSE, QUI STAT IN SIGNUM Vers. 10.
POPULORUM, IPSUM GENTES DEPRECABUNTUR. — Est hebraismus, quem Latine ita clare exprimas, *erit radix Jesse stans in signum populorum*, vel, ut Vatablus, *tunc usu veniet, ut radicem Jesse quæ stat in signum populorum, gentes quoque requirant*. Nota primo : Radix Jesse vocatur surculus ex ra- dice Jessæa natus, puta Christus : hinc ait *qui*, non *quæ*, quia transit a typo ad antitypum, sci- licet a radice ad Christum.

Secundo, Hebræi repetunt idem, ponendo pro- nomen demonstrativum vel relativum simul cum suo antecedente, ut « radix Jesse et ipsum, » ideoque *radix* ponitur in nominativo abso- lute, quia sequitur accusativus *ipsum*, quem poscit verbum *deprecabuntur* ; suffecisset enim di- cere : « Radicem Jesse gentes deprecabuntur. » Sic *Psalm. x, 4*, dicitur : « Dominus in cælo sedes ejus, » id est Domini sedes est in cælo. Tertio, *signum*, hebraice est *נס* *nes*, id est vexillum, quo significatur Emmanuelem fore imperatorem, qui elevabit vexillum, ad quod omnes gentes confluent. Sensus ergo est, *q. d.* Cum ita prædi- cabitur Evangelium, uti dixi, tunc surculus iste e radice Jessæa germinans, puta Christus, exal- tatus in crucem, ibique erectus in vexillum, om- nes, tam Judæos quam Gentes, trahet ad se et sua castra, ut illum requirant, in eum sperent, ejusque opem invocent, qua hostes suos, diabo- lum, peccatum, carnem et mundum devincant. Hoc est quod ait Christus, *Joan. cap. XII, vers. 32* : « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad

meipsum. Ita S. Hieronymus, imo S. Paulus, *Rom. xv, 12*. Vide ibi dicta (1).

ET ERIT SEPULCRUM EJUS GLORIOSUM. — Quia de signo crucis, quod infame erat, egit Propheta; hinc hanc infamiam abstergit dicens, quod crucifixi Christi ducis nostri sepulcrum erit gloriosum. Hebraice est, *et erit requies ejus gloria*. Jam per requiem accipi potest quidquid Christi mortem consecutum est, ait Sanchez. Nam *primo*, mors Christi fuit gloriosa, quia eam terræ motus, lapidum crepitus, et cæli luctus solisque eclipsis honestarunt. *Secundo*, resurrectio Christi fuit gloriosa. *Tertio*, nominis ejus ante despecti mira facta est exaltatio. Unde Septuaginta vertunt, *et erit requies ejus honor*. *Quarto*, sepulcrum ejus fuit gloriosum, quasi dicas: Requies Christi a labore et morte, et id quod opprobrio crucis et mortis successit, ut sepulcrum, nominis exaltatio, resurrectio, triumphus, gloriosa fuerunt. Quocirca S. Chrysostomus, homil. *Quod Christus sit Deus*, diserte docet, quod Christi passio, crux,

sepulcrum, omnesque ignominie post requiem, id est mortem, in gloriam et triumphum sunt versæ, quod S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evangelist.* cap. xxxi, ostendit fuisse insolubile divinitatis.

Mystice, *erit requies ejus gloria*, id est Christus post mortem requiescet, et gloriosus erit in animis credentium, inquit S. Hieronymus et Cyrillus. Unde sequitur: « Et erit in die illa: Adiciet Dominus, etc., ad possidendum residuum populi sui. »

Rursum *requies* hæc est Ecclesia, ejusque Sacramenta, maxime Eucharistia, in qua Christus requiescit, quæ vere gloriosa est; unde Chaldæus vertit, *et erit locus mansionis ejus in gloria*.

Anagogice, *requies*, id est beatitudo Christi, ejusque fidelium, erit gloria cœlestis. Ita S. Basilus.

Porro per *requiem* Noster optime accepit « sepulcrum: » ibi enim post vitæ labores et agones Christus mortuus requievit.

Sepulcrum autem Christi fuisse gloriosum patet *primo*, ex terræ motu et resurrectione Sanctorum, quæ ex morte Christi jamjam sepeliendi secuta est, *Matth. xxvii, 51*.

Secundo, quia S. Helena sepulcrum Domini magnificentissimo templo exornavit, in quo postea Godefridus Bullonius recuperator Terræ sanctæ, et primus Hierosolymæ rex, ac deinceps omnes alii Hierosolymæ reges sepulti sunt, uti Willelmus Tyrius in *Historia belli sacri* testatur: unde etiamnum ibidem nobiles decorantur titulo Equitum, fiuntque Equites Aurati, teste Adrichomio, pag. 177.

Tertio, quia a multis sæculis etiamnum ad sepulcrum Domini, licet inter medios Turcas situm, celeberrima est fidelium ex toto orbe peregrinatio, ad quos recipiendos Franciscani Patres suum ibi semper habent Patriarcham, et sui ordinis perpetuam residentiam; nec Turca, licet infensus Christianis, unquam illud evertere ausus est, licet id Pontifici se facturum minatus sit, nisi ipse cogeret Emmanuelem regem Lusitanie Indicam expeditionem dimittere; sed partim ob lucrum et vectigal, quod a peregrinantibus percipit, partim ex reverentia et metu, ne Deus hoc ejus sacrilegium puniat, hactenus minas hasce exsequi non sustinuit, uti Osorius et alii narrant.

Quarto, quia ibi multa facta sunt et fiunt miracula: nam peccatores convertuntur, dæmones fugantur, morbi curantur; testis est S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.* cap. viii. Unde ibi Maria Egyptiaca peccatrix conversa est, indeque ivit in eremum, ubi 47 annos sine cibo in oratione et lacrymis sanctissimam egit vitam: testis est Zozimas oculatus testis, qui ejus vitam scripsit.

Narrat Sophronius in *Prato spirit.*, cap. XLVIII, Cosmianam uxorem Germani patricii, hæresi Severi infectam, adiisse sepulcrum Domini; sed a B. Virgine apparente fuisse repulsam, ne illud

Sepul-
cri
Christi
gloria,
Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.
Miracula
sepul-
cri
Christi.

(1) Gentes exteræ, ad illum regem consultum venient. *שש* *radix* hic usurpatur de surculo qui ex radice pullulat. Et infra quoque, *Lam, 2*; *Hos. xiv, 6*, radix ponitur pro eo, quod ex radice germinat atque exoritur. Cf. *Apoc. v, 5*; *xxi, 16*: *Quæ virga erit stans in signum populorum*, locutio desumpta a vexillis sive signis, quæ in montibus aut altis quibuscumque locis eriguntur tempore necessitatis, aut imminenti alicujus periculi, ut ad ea concursus fiat. Cf. Arn. Baetii *Animadvers. S. Script.*, lib. I, cap. vii, et Henrici Jacobi Bashuysen, *Dissert. de vexillo Messie*, erecto inter Gentes, ad *Jesaj. xi, 10*, Servest. 1717. J. D. Michaelis hanc imaginem desumptam esse arbitratur, vel inde quod arbores altæ, cum solæ stant, et eminus prospici possunt, iis qui in regione circumjecta habitant, signo quo convenient, esse possint, vel inde quod ejusmodi arbores, præsertim vetustæ, sanctæ essent, et oracula sub iis ederentur. (Rosenmuller.)

Si mihi liceret omnino aliquid novi afferre, ego *menueah*. quæ vox hic cum affixo est, non a verbo *nuac* deducerem, neque esse idem nomen quod *מנוח* *manuah*, seu *מנוחה* *menuahah*, ut omnes existimant, atque ut ego ipse quoque interpretatus sum, sed esse illam quam Hebræi a tempore punctationis Bibliorum sic punctarunt, *minhah*; cujus origo est, ut jam supra dictum est, a verbo *נאח*; significat autem *donarium* seu *donum quod homini aut Deo honoris causa offertur*, eo quod sensim et cum pompa quadam deferatur. *Oblationem Deo factam* significat, *Genes. iv*; de *donario autem homini facto*, *Gen. xxxii* et *xlvi*, et *Jud. iv*. Ex quibus locis et aliis quamplurimis intelligas consuetum fuisse jam olim deferre regibus ac principibus, illisque quos placare vellent, munera atque donaria. Dicerem ergo hoc loco de his muneribus esse sermonem, nempe quod gentes, quæ ad Dominum venirent, *donaria gloriosa afferrent*, vel darent Domino gloriam, et Dei magnificentiam atque misericordiam prædicarent cum Paulo, ex psalmo: « Gentes autem super misericordia laudate Deum. » Nec me moratur punctatio; nam, ut ipse jam monui, parvi interdum faciendâ est. Et in hac ipsa voce, *Jerem. li*, ubi Vulgata habet « princeps prophetiæ, » et Hebræi vertunt « princeps quietis, » *manuah*, quod scilicet cum rege quiesceret aut regem recrearet, Chaldæum, Targhum, quasi scriptum esset *minhah*, *princeps muneris*, id est *munerum*, dixit, *princeps thokerabatha*: quod satis probat Biblia tunc non fuisse punctata, et liberiore interpretandi rationem. (Forerius.)

ingrederetur, nisi veram fidem amplecteretur. Quare confusa et pœnitens, fidemque amplectens, et communicans admissa fuit ad S. Sepulcrum, illudque venerata est. Et cap. XLIX, narrat Palæstinæ Ducem volentem ingredi S. Sepulcrum ab ariete apparente, et cornibus eum impetente, fuisse rejectum, idque sæpius, eo quod Severianus esset: quare abiecit hæresim, et communicans calici Domini, libere permissus est illud intrare et venerari.

Audi quid ex S. Augustino scribat Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Martyr.* cap. VII: « Terra ipsa insuper quæ Domini adjacet sepulcro, divinam quamdam ex Dominico corpore proxime posito virtutem hausit, ut merito fideles illuc peregrinantes avide solerent ex ea accipere, quantum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones fugandos uti consueverunt. » Deinde idipsum confirmat testimonio S. Augustini: « Est ejus rei locuples testis S. Augustinus, dum hæc ait de Hesperio viro tribunitio: Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus ejus ab illa infestatione purgata est, quid de terra illa fieret cogitabat, quam diutius in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Forte accidit, ut ego et collega meus Maximus Episcopus in proximo essemus; ut veniremus rogavit, et venimus; cumque omnia nobis retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt congregari. »

Quinto, sepulcrum Christi gloriosum est annua representatione et pompa, qua fideles multis in locis Sabbato sancto quotannis solent magnificentibus Christo passo et mortuo sepulcrum excitare, ejusque sepulturam gloriosam representare.

Sexta. Denique sepulcrum Christi gloriosum fuit, magna Christi ex eo resurrectione, qua illud per dotem subtilitatis penetravit.

Rupertus Tuitiensis, lib. VIII *De Divin. Officiis*, cap. IV, narrat, anno Domini 1111 contigisse Leodii in monasterio S. Laurentii, cum Sabbato sancto caneretur antiphona: « Mulieres sedentes in monumentum; » Religiosi cujusdam cingulum, quo erat succinctus, ante pedes ejus quasi projectum exilivisse, quod arripiens ipse ut se rursus cingeret, vidit nodo astrictum et clausum, atque sibilum audivit:

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.

Simili miraculo annuli e zona clausa elabentis in terram sine ulla annuli aut zonæ fractura, Christum e clauso virginis matris utero prodiisse demonstrat S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.* cap. VIII.

Pari modo sicut Christi, ita et Christianorum illustrium sepulcra voluit Deus esse gloriosa, ut etiam in iis, non tantum in suo Christus esset glo-

riosus. Ita S. Catharina martyrium subitura oravit: « Da, Domine Jesu Christe Deus meus, ut hoc corpus meum, quod pro te fuit conscissum, non possit ab iis aspici qui quærunt illud. » Deus itaque honorans et exaudiens Martyrem suam, misit Angelos, qui corpus ejus composuerunt, visique sunt ab iis qui præsentibus erant, illud in Sina montem deducere. Ita habet ejus Vita.

S. Sebastianus telis confixus, projectus in cloacam, noctu apparuit S. Lucinæ, jubens ut corpus suum e cloaca tolleretur, illudque perduceret in catacumbas, et sepeliret juxta vestigia Apostolorum; quod ipsa præstitit.

S. Armogastes Episcopus, insignis fidei contra Arianos propugnator anno Domini 456, moriturus se jussit sepeliri sub arbore, quam suffodientes conspiciunt sarcophagum splendidissimi marmoris præparatum, qualem forte nullus omnino regum habuit, inquit Victor lib. I *Wandal.*

Theodoricus Abbas, S. Remigii discipulus, qui a mortuis suscitavit filiam Theodorici, filii Clodovei regis Francorum, cum multas virtutes operatus esset, et Angelis eum suscipientibus cum gloria migrasset, Theodoricus rex, ad monasterium veniens, sanctum corpus propriis humeris ad sepulcrum evexit. Ita Usuardus in *Martyrolog.* Julii 1.

S. Ermelendis virgo, corpus affligens jejuniis et pœnitentiis, moritura honorata fuit Angelorum choris Christo canentibus gloriam, et quia Christo fuit dilecta, ab ipsis est officiosissime sepulta, inquit auctor Vitæ 29 octobris.

S. Petrus Abbas, in mari demersus, ignobili loco a loci incolis sepultus est. Sed Deus, ut quanti esset meriti ostenderet, omni nocte supra sepulcrum ejus misit lucem radiantem: quod advententes incolæ, eum Bononiam transtulerunt, et in ecclesia honorifice sepelierunt, ut refert Beda, lib. I *Histor. Anglic.* cap. XXXIII.

B. Sigismundus Burgundiæ rex, cum a Clodoviro tribusque ejus fratribus, filiis Clodovei Franciæ regibus, injuste regno et vita spoliatus esset, atque cum conjugate et liberis in profundum puteum præcipitatus, mox in puteo clara lux refulsit, ac S. Mauritius cum Thebæis (quorum corpora in eadem urbe Agaunensi quiescebant) S. Avito apparens, eorum in cœlis gloriam demonstravit, uti narrat Gregorius Turonensis, lib. III *De Gest. Franc.* cap. VI, et lib. *De Gloria Martyr.* cap. LXXI et LXXV, Baronius et alii.

S. Carbonius, Episcopus Populonii, jussit moriens se in sua ecclesia, licet a Longobardis insessa, sepeliri: factum id est eis insciis et invitis; nam coorta ingenti procella, quæ omnes dispulit, sola navis qua vehebatur Sancti corpus, immunis fuit a pluvia circumquaque depluente, uti refert S. Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. XI.

Anno Domini 1007, mortuus est Batisbonæ S. Romualdus Abbas S. Emmeranni, cujus feretro Henricus Germanorum rex, et postea imperator,

era gloriosa. S. Catharina ab angelis sopulta.

S. Sebastianus, a S. Lucina.

S. Ermelendis ab angelis.

Lumina visa.

Quinta.

Sexta.

Christianorum sepul-

propriam supposuit humerum, ut illud ad sepulturam deferret, uti ex Arnulfo Comite refert Baronius.

Anno Domini 1079, elevatum est S. Gerardi Martyris corpus, et Ladislai regis Hungariæ, ac principum humeris translatum, honorificeque depositum miraculis coruscat, ut habet ejus Vita 24 septembris.

S. Constantius, Episcopus Perusinus et Martyr sub Antonino Pio, cum cœlesti monitu honorifice sepeliretur a Leviano viro probo, irrisus fuit tam Levianus quam ipse Sanctus a duobus viris: qui mox cæcitate percussi, pœnitentes, tactu corporis Martyris oculorum lumen receperunt. Ita habet ejus Vita 29 januarii.

Hinc *secundo*, voluit Deus et Ecclesia, fidelium sepulturam cantu, tædis, cereis, floribus, campanarum pulsu, vestibibus pretiosis, etc., ornari. Narrat Venerabilis Beda, lib. I *Hist. Anglor.* cap. VII, et ex eo Baronius, anno Christi 681, cum in quodam monasterio Britannicæ pestis multos absumeret, atque Abbatissa Edilburga dubitaret, quo loco defunctas sorores sepeliret, locus ei divinitus ostensus fuit. Nam post psalmodiam matutinam lux cœlitus dimissa, velut linteum magnum venit super omnes, in cujus comparatione sol meridianus videbatur obscurus; inde in meridianam monasterii partem secessit, ibique aliquandiu morata, et ea loca operiens, sic videntibus cunctis ad cœli alta se subduxit, ut nulli esset dubium, quin ipsa lux quæ animas famularum Christi esset ductura, vel receptura in cœlum, et corporibus earum locum, in quo requietura, et diem resurrectionis essent expectatura, monstraret.

Audi sepulturam S. Paulæ ex S. Hieronymo: « S. Paula, vidua nobilissima Romana, ut audivit sponsum vocantem ad mortem: Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hiems transiit et recessit, pluvia abiit, sic læta respondit: Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit. Et: Credo videre bona Domini in terra viventium. Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter sæculi homines fieri solet; sed psalmodiarum linguis diversis examina concrepabant: translataque Episcoporum manibus et cervicem feretro subjicientibus, cum alii Pontifices lampadas cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncæ Salvatoris est posita. » Sed audi funeris pompam: « Tota ad funus ejus Palæstinarum urbium turba convenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant qui non tali feminæ ultimum præstitisset officium. Viduæ et pauperes, in exemplum Dorcadis, vestes ab ea præbitas ostendebant. Omnis inopum multitudo matrem et nutritiam se perdidisse clamabat. Quodque mirum sit, nihil pallor mutaverat faciem: sed ita dignitas quædam et gravitas ora compleverat, ut eam putares non mortuam, sed dormien-

tem. Hebræo, Græco, Latino Syroque sermone Psalmi in ordine personabant; non solum triduo, donec et subter ecclesiam et juxta specum Domini conderetur; sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant suum funus, et proprias lacrymas credentibus. Venerabilis virgo filia ejus Eustochium, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi a parente non poterat, deosculari oculos, hæerere vultui, totum corpus amplexari, et se cum matre velle sepeliri. »

Dum magnus ille Daniel Stylites extremum ageret spiritum, aderat Antistes Episcoporum, is erat Euphemius, cum aliis ad emigrationem animæ ejus: aderat et Rais mulier fidelissima, et vir quidam qui possidebatur a dæmone, ac pergebat ad columnam: qui et Sanctorum ad Sanctum adventum clamando aperte significabat, et eos suis appellabat nominibus; et ipsorum, ut qui convenissent, meminerat Angelorum. Deinde adiciebat, fore ut tertia hora ejus diei Daniel excedat ad Dominum, et a diuturna habitatione immundus expellatur spiritus. Quæ utraque suo tempore evenerunt. Quæ autem prius dicta est Rais, magnifice parabat ea quæ pertinebant ad sepulturam: et cum multos adduxisset artifices, et jussisset fieri tumulum in inferiori parte columnæ, et usque ad fastigium, statuit ex utraque parte tumuli homines, qui faces ferrent, et lampades tenerent in manibus, et ea canerent, quæ cani solent in decessu. Hæc ergo peracta sunt, et expulsus est immundus dæmon, cum multum hominem discerpisset, inquit auctor *Vitæ S. Danielis*.

S. Gallus Arvernorum diaconus, et postea Episcopus, cernens ad tumulum S. Amabilis multa fieri miracula, ædificavit ei in prima templi fronte egregii operis testudinem, et sub ea altare, eoque transtulit solemniter sacrum illius corpus, psallente clero, populoque cereos et lampadas gestante, ut habet ejus Vita.

Refert Jacobus Meyerus, lib. III *Annal. Flandr.*, anno Domini 1062, cum quidam fame enectus reptus esset juxta Aldenburgum, dum sepeliretur, sacerdos prohibuit ne pulsarentur campanæ, eo quod homo esset ignotus; sed ecce, stupentibus cunctis, per se æra illa miraculose personuerunt.

Tertio, bestię feræ Sanctorum corpora sepeliebant, vel tutatæ sunt. Ita cum S. Antonius vellet sepelire S. Paulum, duo leones plorantes, pedibus suis terram effodientes, foveam illi paraverunt.

Sic leo pedibus eruit terram, fossamque effecit, in qua Zozimas corpus S. Mariæ Ægyptiacæ sepelivit. Porro invenit Zozimas corpus ejus mortuum cum hac inscriptione in terra: « Sepeli, Abba Zozima, miseræ Mariæ corpusculum, redde terræ quod suum est, et pulverem pulveri adjice, et ora Domini pro me. » Ita habet ejus Vita 2 aprilis.

S. Anastasii Martyris in Perside corpus, anno Domini 627, canes illæsum servarunt, quod fideles deinde in S. Sergii Martyris monasterio hono-

S. Danieli Stylite.

Bestiæ sepeliebant Sanctorum.

Ornatus sepulture Christianæ.

S. Paulæ.

rifice sepelierunt. Ita habet ejus Vita, et ex ea Baronius.

S. Stanislai Episcopi Cracoviensis et Martyris, a Boleslao rege occisi, corpus feris projectum aquilæ inusitatæ magnitudinis defenderunt a canibus et avibus.

Rursum sepulcrum Martyrum erat altare; quia enim Martyres instar holocausti erant immolati Deo supra altare, hinc sub eo sepeliebantur, juxta illud *Apoc. vi*: « Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant. » Id fiebat *primo*, ut loco tam sacro honorarent Martyres; *secundo*, ut Martyrum corpora orantibus essent excitamentum devotionis et virtutis; *tertio*, ut Martyres eorum preces apud Deum offerrent et adjuvarent. Hinc altare vocabatur Sepulcrum Martyris, Martyrium, sive Confessio. Hinc rursum hisce eorum sepulcris et altaribus superædificata ecclesia, vocabatur Martyrium. Ita in Concilio Chalcedonensi vocatur Martyrium, id est Ecclesia, S. Euphemie. Inde quævis ecclesia dicta est Martyrium, uti ecclesia Resurrectionis Hierosolymis in Golgotha erecta, dicta est Martyrium, ait Cyrillus Hierosolymitanus, *catechesi* 16. Vide Baronium in *Martyrol.* 6 julii. Atque hæc est origo et causa cur Romæ hic in Vaticano, in templo S. Pauli, S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Cæcilie, S. Susannæ, et alibi passim in templis videamus gradus et descensus in cryptas, sive in sacella subterranea. In hisce enim cryptis proprie sepeliebantur Martyres: unde vocabatur ipsa crypta sive sepulcrum Martyris, Confessio vel Martyrium: supra quam deinde ædificabant altare et templum, quod exinde quoque Martyrium dicebatur. Atque hinc intelligimus illud quod toties in Vitis Sanctorum legimus: « Hic sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentii, S. Susannæ, S. Priscæ, » etc. Nam *in confessione*, idem est quod in crypta vel sepulcro. Nec enim totum templum vocabatur Confessio, sed Martyrium, uti solerter annotavit Baronius.

Audi miram S. Luciani sepulturam ex ejus Vita, et ex Baronio, anno Christi 326. Lucianus Martyr cum jussu Imperatoris Maximiani in mare projectus esset, magno lapide appenso, ut submersus nusquam appareret, et corpus ejus nullam assequeretur sepulturam; Martyr in somnis apparens cuidam Glycerio discipulo suo, qui tunc versabatur in adversa regione Nicomedie, dixit ei: O tu! cum primum mane surrexeris, abi in hunc locum, ostendens locum littoris; te enim ibi conveniam. Ille assumens socios venit in locum qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens delphinus ascendebat e mari, et ad terram contendebat. Ferebat autem extensum mortuum, tanquam in lecto jacentem. Cumque accederet ad littus, fluctu sublimis fuit sublatus, et terræ mortuum appulit. Atque ille quidem statim exspiravit. Hæc autem omnia cum S. Helena perceperisset, ut erat Sanctorum

Martyrum studiosissima, digno trophæo triumphum Martyris ornare decrevit, atque illic sumptuosam desuper basilicam erigendam curavit.

Narrat Baronius, anno Christi 878, quemdam instinctu Photii violantem sepulcrum S. Ignatii Patriarchæ, cujus æmulus erat Photius, morte fuisse percussus. Quomodo irreverentia in sepulcrum S. Equitii sit punita, narrat S. Gregorius, I *Dialog.* cap. iv.

Exstat hic Romæ sepultura Thomæ de Vio Cardinalis Cajetani, qui in D. Thomam et sacram Scripturam subtiles edidit Commentarios, humilitate ejus illustris: voluit enim sepeliri non in ecclesia Fratrum Prædicatorum, sed ante eam: eo quod ecclesia tali se indignum existimaret. Vidi ego sæpius lapidem sepulcrum, simpliciter ejus tantum nomine inscriptum: vidi et celebravi tanti viri humilitatem.

Denique gloriosa sunt Sanctorum sepulcra, quæ corpora eorum a multis annis, imo sæculis emortua, integra adhuc et incorrupta cum carne et membris omnibus conservant. Vidi Tridenti integrum corpus S. Simonis pueri a Judæis occisi: vidi et Bononiæ integrum corpus S. Catharinæ Bononiæ sedentis in cathedra. Ita hic nuper a Clemente VIII Pontifice integrum repertum est corpus S. Cæcilie, quod omnibus sacrum horrorem et reverentiam incussit: ut merito jam templum ejus marmore et lampadibus plurimis semper ardentibus resplendeat, et ingredientibus cœli speciem objiciat. Pari modo gloriosum hic est S. Agnetis sepulcrum, æque ac S. Pudentianæ; S. Praxedis, S. Felicitatis, S. Susannæ, S. Alexii, cujus gradus (sub quibus in domo paterna, delituit) ac imago B. Virginis, quæ Edessæ ejus latebras et sanctitatem patefecit, in ejus templo marmoreo ostenduntur, ac miro hominum concursu et veneratione celebrantur. Quin et ipsæ cryptæ et catacumbæ, in quibus sævientibus Imperatoribus Christiani latebant et sepeliebantur, jam a fidelibus mire coluntur. Videre est multos prostratos ipsam terram, ipsa pavimenta, quæ olim calcaverunt, demisse exosculari, suspiria et gemitus in cœlum emittere.

Porro quam gloriosa sint SS. Petri et Pauli sepulcra quis explicet? Videre est tres fontes ex relicto S. Pauli capite exsistentes, et ejus gloriam sæculis omnibus celebrantes. Videre est basilicas a Constantino in eorum honorem erectas, ac basilicam S. Petri in Vaticano a S. D. N. Paulo V vere orbis miraculum, effectam et perfectam. Videre est Prælatos et Principes ad sepulcra eorum prosterni, pavimenti pulverem osculari, vota nuncupare, etc. Hæc est fama eorum posthuma, hæc est gloria omnibus Sanctis ejus, hæc coronæ, hi triumphus. Nulla jam supersunt sepulcra Pompeii, Scipionis, Augusti, Neronis, Trajani; periit memoria eorum cum sonitu: at sepulcra Apostolorum, Martyrum, Virginum marmore, auro et gemmis coruscant, celebrantur et adorantur: quia beatam

Integra
corpora
Sancto-
rum.

Tem-
plu " 70-
catur
Marty-
rium,
unde?

S. Luciani
nus
d. lphi-
no.

resurrectionem expectant in gloria, qua jam animæ eorum fruuntur. Hæc virtutis est laurea. Constantinum Imperatorem vita functum Constantinus filius intra basilicam SS. Apostolorum tumulare non est ausus, sed in ejus atrio. Quod expendens S. Chrysostomus, hom. 26 in epist. II ad Corinth., ait: « Hic quoque (Constantinopoli) Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet; quodque Imperatoribus sunt in aulis janitores, hoc in sepulcro piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut domini, interiores loci partes obtinent, hi autem velut accolæ ac vicini, præclare secum agi putarunt, si vestibuli janua ipsis assignetur. » Ostiarii ergo SS. Apostolorum sunt reges.

Vers. 11. 11. ET ERIT IN DIE ILLA: ADJICIET DOMINUS SECUNDO MANUM SUAM AD POSSIDENDUM RESIDUUM POPULI SUI. — Quænam est hæc secunda populi a Deo possessio? *Primo*, S. Hieronymus putat *primam* Dei possessionem fuisse Gentes, quæ prius ad Christum conversæ sunt; *secundam* Judæos, qui post Gentes credituri sunt.

Secundo, S. Thomas, Haymo, Dionysius, Lyranus respondent *primam* possessionem fuisse fideles, quos Christus prædicans per se convertit; *secundam* fuisse eos, quos Apostoli post Christi ascensionem converterunt.

Tertio, alii *primam* possessionem censent fuisse in primo Christi adventu, *secundam* fore in secundo; tunc enim reliquiæ Judæorum salvabuntur.

Quarto, Sanchez *primam* possessionem fuisse dicit Ezechiam et Judæos, quos Deus e manibus Sennacheriberipuit sibi vindicavit; *secundam* fuisse Judæos, qui a Cyro e Babylone in Judæam remissi sunt. Verum alludit quidem Propheta, et quasi obiter perstringit reditum a Babylone quasi typum, sed sub eo alium nobiliorem intelligit. Unde

Quinto et optime, *prima* populi a Deo vocatio et possessio fuit, quando Deus Judæos per Mosen evocavit, et eduxit ex servitute Ægyptiaca, sibi que in Sina per legem devinxit. *Secunda* fuit, qua Christianos per Christum a diaboli servitute liberavit, sibi que in Sion per Evangelium astrinxit: illa enim prior fuit typus et figura posterioris, ut patet ex vers. ult. Sensus ergo est, q. d. Sicut Deus ex Ægypto salvavit populum suum, et illis primam legem in tabulis lapideis dedit, itaque eos fecit suum populum suumque peculium, Exodi cap. XIX, 5; sic Christus adventu suo a peccato, et morte æterna liberabit fideles, dabitque novam legem, qua quædam ad veterem legem adjiciet, quibus illa perfectior reddetur, atque per prædicationem, fidem et gratiam suam possidebit corda credentium, totamque Ecclesiam in sempiternum.

QUOD RELINQUETUR AB ASSYRIIS, ET AB ÆGYPTO, etc. Recenset varias provincias, per quas ob bella et clades diversas dispersi sunt Israelitæ colligendi

ab Apostolis, ut possideantur a Christo et Ecclesia: nam *primo*, abducti sunt in Assyrios a Salmanasare.

Secundo, in Ægyptum multi cum rege Joachaz a Pharaone Nechao abrepti sunt, IV Reg. XXIII, 33.

Tertio, fugerunt « in Phetros, » id est in Arabiam Petream, cujus metropolis erat urbs Petra; vel ad Parthos, vel potius in Phaturas, quæ est urbs Ægypti: ad hanc enim Judæi fugientes Chaldæos se contulerunt, ut patet Jerem. XVI, 1. « Phetros » enim et « Phatures » hebraice iisdem litteris scribuntur, et solis punctis discriminantur. Ita Sanchez.

Quarto, nomine « Ælam » olim continebantur Persæ, Medi, Sogdiani et Bactriani: postea tamen Elamitarum regio contracta fuit, et pars, quæ supra Eulæum flumen sita est, dicta est Elamitica; quæ infra, dicta est Susiana. Ita conciliandus est S. Hieronymus, qui cum Daniele, cap. VIII, Susan collocat in Elamitide cum Gentilibus scriptoribus, qui volunt Susan partem fuisse Persidis, nempe regiam illorum, et quæ denominarit Susianam provinciam. Vide Pererium in cap. VIII Daniel., lib. IX, Quæst. IV. « Ælam » urbs regioni nomen dedit, quam Benjamin in Itinerario male confundit cum urbe Susan.

Quinto, « Sennaar » est Babylonia. « Emath » ad Libanum spectat, non longe distans a Damasco, a qua ad rivum, seu torrentem Ægypti longitudo terræ promissionis describitur in sacra Scriptura.

Sexto, « insulæ maris » vocantur Græcia, Italia, Hispania, et tota Occidentalis plaga, quæ quasi clauditur Oceani ambitu, longe contractior, quam vasta illa Asia et Africa. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Jam sensus est, q. d. Ubilibet locorum et gentium dispersi fuerint reliquiæ Judæorum, inde a Deo evocabuntur, et convertentur ad Christum, ut dixi cap. præced., vers. 21. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus et Procopius.

12. ET LEVABIT SIGNUM IN NATIONES. — Sicut dux vexillum erigit, eoque convocat suos milites dispersos, vel profugos in alias regiones: ita Christus eriget, vexillum crucis, cruxque Christi prædicabitur et erigetur apud omnes gentes, quæ ad Christum conversæ, confluent ad hoc ejus vexillum, uti et reliquiæ Judæorum et Israelitarum: id cœptum est ab Apostolis, sed perficietur in fine mundi (1).

13. AUFERETUR ZELUS EPHRAIM, ET HOSTES JUDÆ PERIBUNT. — Sanchez per *zelum* accipit studium

(1) Desumptum a more Imperatorum qui collecturi milites signum sive vexillum ponunt in colle aut monte ad quod copiæ confluant. Cæsar, De Bello Gall. lib. II, cap. x: « Cæsari omnia uno tempore erant agenda. Vexillum proponendum quod erat insigne, cum ad arma currere oporteret. » Ammianus in Hist. Valentin. lib. XXVII, cap. x: « Signis illico fixis ex more, cum undique ad arma conclamaretur, imperio principis et ductorum stetit regibilis miles. » (Rosenmüller.)

vindictæ, quo Deus et hostes Ephraim, id est Samaritas et Judæos, puniendo persecuti sunt.

Verum S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, Vatablus et alii per *zelum* accipiunt similitates et odia, quæ inter regnum Ephraim, id est decem tribuum, et regnum Juda fuerunt maxima. Unde explicans Propheta subdit: « Ephraim non æmulariabitur Judam, » etc., *q. d.* Schisma, simultas et bella, quæ decem tribus contra duas assidue exercent, tunc cessabunt: « et hostes Juda peribunt, » id est esse desinent; quia utrique simul redibunt, et convenient in unum ovile Christi. Id cœptum est impleri in Apostolis, quorum alii oriundi fuerunt ex decem, alii ex duabus tribubus, ait Eusebius, in diesque magis impletur; sed plenissime id fiet in fine mundi. Idem prædixit *Ezech.* cap. xxxvii, vers. 17, dicens duo ligna simul unienda.

Œcolampadius ex hoc loco colligit hæreticos varias doctrinas proferre, et inter se dissectos esse; Christianos autem veros idem sentire et inter se concordēs esse. Euge, tenebrio, nihil unquam verius dixisti. Sed nonne contrarium Luthero in multis dogma fovisti? et in Eucharistico mysterio ab illo dissectus Zuinglianis adhæsisisti? Igitur, te iudice, tu Lutherusque tuus hæretici fuistis: Catholici, qui idem semper in omnibus fidei dogmatibus senserunt, et inter se concordēs sunt, fuerunt et erunt, veri et orthodoxi sunt Christiani.

14. ET VOLABUNT. — Doctus interpres hæc refert ad tempora Machabæorum, qui ulti pristinas injurias Philistæam sibi subegerunt. Porro volare in humeros Philistiim, inquit, nihil est aliud, quam eos habere ad sarcinarum pondera, et ad omnia munera servorum obeunda subjectos.

Verum nos cum Patribus hæc de Gazensibus, Ascalonitis aliisque Philistinis ad Christum conversis accipimus (1), apud quosquam floruerit Ecclesia tempore S. Athanasii et Chrysostomi videre

(1) « Et volabunt in humeros, » etc. Hæc de conversione gentium per Apostolos intelligenda sunt, quibus cessit Palæstina omnis, et regiones illæ ad quas per mare Mediterraneum adiri potest, tota scilicet Europa, et Oriens atque Occidens. Quod autem hæc spiritaliter, ut dixi, intelligenda sint, probant quæ sequuntur, vers. 15 et 16. Nam cum hoc versu dicat quod Judæi, veluti aves, *in terga Palæstinorum involarent, subjugarentque Idumæos, Moabitas, Ammonitas et Orientales populos deprædarentur;* quonam pacto, vers. 15 et 16, non victoriam, sed regressum filiorum Israel ex captivitate commemorat? Intelligant ergo Judæi victoriam hanc esse per verbum Dei et prædicationem Evangelii, qua audita filii Dei, qui erant dispersi, ad Deum Israelis convenerunt, sublato omni impedimento. Neque te conturbent nomina « Assyriorum, » et « fluminis, » scilicet Euphratis, quasi hic de reditu ex Assyriis sit sermo. Nam neque ab Assyria leguntur rediisse Israelitæ, neque aliter redituri sunt quam modo exposui; sicut neque ex Ægypto: neque enim rursus exsiccandum est illud mare, neque rursus suffocandi Ægyptii. Quam interpretandi rationem si in Prophetis non adhibeas, aperte judaizare te passim oortebit. (Forerius.)

est apud Adrichomium et Baronium; hæc enim, uti et præcedentia, spectant Christi tempora et triumphos, *q. d.* Reliquiæ Judæorum, id est Apostoli, et alii ex eis credentes, alacerrime ad Philistæos, Syros, aliasque gentes etiam Orientales tum per terram, tum per mare navibus proficiscentur, ut eas e diaboli jugo ereptas Christo prædentur et subigant. Ita Thomas prædatus est Indiam, Bartholomæus Armeniam, Matthæus Æthiopiam. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus. Vide *Can. XLI.* Porro involare in humeros vel cervices hostium, est militum acerrimorum, qui non nisi martem spirant, ita ut etiam in humeros et cervices gigantum involent et insiliant. Sic Jacob, *Genes. XLIX,* ait Judæ: « Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. »

PER MARE. — Philistæa enim mari Mediterraneo adjacet. Vatablus vertit, *ad Occidentem,* ut opponatur filiis Orientis. Scriptura enim per *mare,* quod est occidentale Judææ, significat Occidentem, *q. d.* Apostoli subigent Christo tam Occidentales quam Orientales populos.

PRÆDABUNTUR FILIOS ORIENTIS. — Hi sunt Idumæi, Ammonitæ, et Moabitæ; aut potius Madianitæ, aliique posterii Abrahæ nati ex Cetura. Hi enim habitaverunt ad Orientem posterorum Isaaci et Ismaelis (qui fuerunt primi Abrahæ filii), ideoque in Scriptura vocantur filii Orientis, ut dixi *Genes. cap. xxv, vers. 6 (2).*

IDUMÆA ET MOAB PRÆCEPTUM MANUS EORUM, — scilicet sequentur, *q. d.* Jussis et nutibus Apostolorum obedient. Solent enim principes et magistri non solum ore, sed et manu aut digito indicare subditis discipulis sua jussa; sed obstat quod Hebræa habeant. *Edom et Moab erit immissio manus eorum, et filii Ammon obedientia eorum,* id est, ut Septuaginta et Chaldæus, immittent (Apostoli) et injicient manus in Idumæam et Ammonitas, multosque ex eis facient obediētes et morigeros, id est convertent ad Christum. Ita Vatablus. Hoc est quod ait Psaltes in persona Christi, *Psal. LIX, 10:* « In Idumæam extendam calceamentum meum. »

Rursum imponent eis manus baptizando et confirmando eos. Nonne hoc impletum est, *Actor. x, 20,* misso Petro Joppen? et *Actor. viii, 40,* a spiritu translato Philippo in Azotum? nam Azotus et Joppe sunt urbes Idumææ, ait Strabo. Aliter S. Hieronymus, Rupertus et Haymo hæc non victoribus, sed victis et subactis tribuunt, *q. d.* Idumæi victi et subacti de more victoribus Apostolis manus dabunt. Solent enim victi supplices manus ad vic-

(2) Quælibet tribus ducis vel familiæ imperantis nomine designatur. Quando de iis ex quibus componitur tribus, loquuntur, talis vel talis filios eos vocant, etsi non omnes ex ejus sanguine orti sint, et ipse ex multo tempore vita functus sit. Iste loquendi modus ad regiones ipsas per metaphoram devenit: sic Arabes, *Oulad Masr* vocant Ægyptios; *Oulad Cham,* les Syriens, *Oulad Mosqou,* Moscovitas dicerent, etc. (Volney, *Voyage en Egypte et en Syrie,* tom. I, art. 5.)

tores extendere, veniamque precari. Verum vox eorum victores respicit, non victos, ut patet.

Sed cur Noster pro *immissio* vertit, « præceptum? » *Primo*, aliqui causam dant, *q. d.* Idumæi et Moabitæ tam pii erunt, tamque sancte colent legem Evangelicam, ut possint esse quædam regula, norma, lex et præceptum manus Apostolicæ, id est Spiritus Sancti gratiæ, quam manus impositione acceperunt. Sic multi satis violenter explicant.

Secundo, alii, *q. d.* Præbebunt se faciles et obediētes Apostolis: ut manibus eorum formentur. Hoc melius est, sed non satisfacit.

Tertio ergo, videtur *Interpres præceptum* nove usurpare, pro eo quod ante reliqua capitur, ut præceptum sit idem quod ante captum, a verbo *præcipio*, id est, antecapio, prævenio, præoccupo: tunc enim apte nostra Versio respondet Hebræo, Septuaginta et Chaldæo, *q. d.* *Primo*, Apostoli immittent manum, primo capient, et fidei subigent Idumæos et Moabitas: hi enim Judæis sunt vicinissimi. Sic vocem *præceptus* et *præceptum* capit Livius, cum ait: « Tempore illi præcepto; » et Cicero, III *Tuscul.*, cum ait: « Hæc cogitantem fore beatum, præsertim si et tuis præceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec deos expavesceret: præceptis, » id est, prægustatis, et ante captis; et vocem *præcipio* Virgilius, *ecloga* 3:

Cogite oves, pueri, si lac præceperit æstus;

et Cicero, II *Offic.*: « Præcipiant (id est præoccupent) oratione benigna multitudinis animos, ad benevolentiam alliciant milites. » Utitur vero *Interpres* hac voce *præceptum* potius, quam ante captum, vel, ut est hebraice, *immissio manus*: quia hoc præceptum Apostolorum vere quoque et proprie fuit præceptum, id est, instructio, doctrina, jussio scilicet activa in Apostolis, sed passiva in Idumæis; quia ipsi eam in se receperunt, eisque se subdiderunt.

Vers. 15. 15. ET DESOLABIT DOMINUS LINGUAM MÆRIS ÆGYPTI. — Judæi omnia hæc ad litteram expectant, quasi futura sub Messia, sicut facta sunt sub Mose in mari Rubro.

Nota: *Lingua maris* hebraice significat sinum, ostium, aut brachium maris, quod e mari in terram instar linguæ excurrit, eamque allambit. *Lingua* ergo *maris Ægypti*, est sinus maris Rubri, quo Oceanus in terram ad Ægypti fines usque se insinuat. Ita Forerius, Vatablus, Sanchez hic, Masius, et Serarius in *Josue*, cap. xv, 2. Hunc enim Hebræi exeuntes Ægypto sicco pede transierunt, ut sequitur. « Flumen » est Nilus, qui septem rivis et ostiis in mare decurrit.

Jam est hic continua allegoria, quæ tantum significat, quod nullus fluvius, nullum mare, nulla obstacula viarum vel hominum impedimento sint futura Apostolis et aliis Christum prædicaturis; quia Deus hæc omnia vel amovebit, vel superare

eos faciet: sicut Hebræis aquæ maris Rubri in transitu non obstiterunt, sed Dei nutu cesserunt; hoc enim illius fuit typus. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus et alii, quos citat Leo a Castro.

Secundo, *lingua maris* vocantur scopuli et promontoria, quæ e terra in mare instar linguæ prominent et excurrunt. Ita Plinius, lib. XXXVII, et Cæsar, lib. III *De Bello Gallico*. *Lingua* ergo *maris Ægypti* vocatur promontorium, sive scopulus, in quo situm est Pelusium, ut respiciat Isaias ad ea quæ ibi gesta sunt ab Augusto Cæsare, sub quo natus est Christus. Is enim bellum gerens contra Antonium et Cleopatram, exercitum admovit ea parte qua Ægyptus pene est inaccessa, nempe ad promontorium Pelusiacum, quod undique circumdatum est paludibus cæno et voraginibus, teste Strabone, lib. XVII. Hæc autem Ægypti claustra tam facile et celeriter occupavit Augustus, ut fama fuerit id accidisse ipsa Cleopatra per Seleucum prodente, uti narrat Plutarchus in *Antonio*, et Dio Cassius, lib. LI. Revera autem id contigerat, quia tunc Dei nutu ventus Auster violentissimus aquas paludum et Nili in mare propulerat, itaque paludes siccarat; quo factum est, ut milites Augusti, sicco pede, potuerint transire, et Augustus, victo et cæso Antonio imperii consorte, occupavit Ægyptum, factusque sit monarcha: idque factum est Dei consilio, ut scilicet hac ratione aditus Christi Evangelio tum in Ægypto, tum per totum orbem, utpote pacificum, et ad monarcham redactum, patefieret. Et sic plane ad litteram hæc Isaiæ verba, ut sonant, accipiunt S. Hieronymus, Procopius, et clarissime S. Cyrillus.

Summa ergo hujus prophetiæ est, quod Deus omnia impedimenta removebit, quæ fidei propagationi possent obesse, imo faciet ea ipsi prodesse.

Tropologice Gregorius, lib. XXXIII, *Moralium*, cap. ix per linguam Ægypti intelligit sæcularem mundi doctrinam, quam Dominus sua incarnatione destruxit.

ET LEVABIT MANUM SUAM SUPER FLUMEN. — Jam dixi flumen hoc esse Nilum; hoc enim Deus percussit, id est, flante vento, siccavit transeuntibus Apostolis, sicut siccavit mare Rubrum transeuntibus Hebræis, scilicet eo sensu quo explicui. Aliiter censet Sanchez; censet enim hic continuo agi de reditu Judæorum e Babylone: Flumen ergo, inquit ipse cum Chaldæo, est Euphrates, qui in septem fossas et rivos dissectus et derivatus est a Cyro in gratiam Judæorum, qui cum illius imperio libertatem aspexerunt, ut tradunt Herodotus in *Clio*, Xenophon, lib. IX, Orosius, lib. II, cap. vii. Nam quo loco Euphrates in urbem Babylonem influit, ibi Cyrus altis et latas fecit fossas, cumque Babylonii ludis et poculis vacarent, Euphratem in has fossas derivavit, sicque, sicco pede, milites in urbem immisit, et incautos op-

Augustus quo modo occupavit Ægyptum.

Præceptum pro ante captum.

Vers. 15.

Lingua maris est sinus maris

pressit. Verum, ut dixi, hæc Isaiaë oracula sublimiora sunt, nec Judæos Babylone redeuntes, sed Christum et Christianos spectant: et per flumen hic Nilum intelligi patet ex septem rivis; hi enim in solo Nilo reperiuntur. Eadem Nili siccitas prædicatur inferius, cap. XIX, 5. Quod vero indicat S. Hieronymus, Nilum prius uno alveo fluentem, tunc primum in septem alveos fuisse derivatum, id cum veteribus historiis non consentit (1).

(1) Sub נהר hic non est intelligendum Nilus, multo minus Jordanes, sed Euphrates. Is enim sæpissime נהר אר'־עֶזְרָא vocatur quod satis notum, vide supra, VII, 20; VIII, 7. Nilus contra quem haud pauci Interpretum hic intellexerunt, occurrit nomine נַאֲר, Genes. XII, 1; Exod. I, 2; vel נַחַל, Num. XXIV, 5; II Reg. XXIV, 7; vel שׁוֹרַר, infra XIX, 5, et Gen. XV, 18. (Rosenmüller.)

Observatu dignum est נַחַל significare flumen vel torrentem, sive æstate fluat, sive deficiat; נַהַר autem fluvium

Theodoretus per *flumen* intelligit regnum et imperium, quod, cum antea esset unum, a Romanis in septem provincias dicit dissectum; sed hoc tropologice dici, jam ante Theodoretum annotavit S. Hieronymus.

QUI RELINQUETUR AB ASSYRIIS.—Vide dicta vers 14.

magnum et si cum articulo ה' usurpetur (ut in hoc loco), fere Euphratem designare. (Jahn, part. I, cap. I.)

In fortitudine spiritus tui, immittes ventum maximum, qui dividet flumen illud in septem rivos (hoc est multos, numerus certus pro incerto) qui vado transiri possint. Quia Euphrates posset esse impedimento electis venientibus ab Assyria in Ecclesiam Jerusalem, Ecclesie Christi figurativam, dividet illum Dominus in tot partes, ut etiam a calceatis citra ullum aquæ periculum transmitti possit. Et sic percusso Euphrate, efficietur via facilis et expedita Israelitis redituris ex Assyria, ut olim egressuris ex Ægypto.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hoc caput epinicion Jesu Christi victoris et salvatoris. Dixerat Propheta in fine cap. præced. quod Deus Apostolis et fidelibus complanaret omnia avia et invia, sicut Hebræis siccavit et complanavit mare Rubrum. Quocirca sicut post transitum maris Rubri, et liberationem a Pharaone, Moses et Hebræi cecinerunt Deo carmen Eucharisticum Exodi XV, ita hic Isaiaë similia, imo majora Emmanuelis beneficia, quibus nos a peccato et morte liberabit, de quibus hactenus egit, hoc carmine quasi epiphonemate concludens, omnes Sionidas, id est, Christianos ad gratiarum actionem invitatur, utque in eo uno, venia et gratia jam ab eo accepta, contempta morte, diabolo, peccati conscientia, infirmitate carnis, et mundo, fidentem conquiescant, admonet. Docet enim redemptionis Christi effectum positum esse in animi tranquillitate et fiducia, in qua populus redemptus sancte conquiescit, et fretus ac subnixus Jesu auxilio nullum amplius malum metuit, sed haurit in júbilo aquas vivas salientes de fontibus Salvatoris (1).

1. Et dices in die illa: Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. 2. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: 4. et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. 5. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. 6. Exsulta, et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

VERS. 1.

1. ET DICES (O turba conversa et redempta a Christo!) IN DIE ILLA, — quando completa in te videbis omnia, quæ hic de Christo Christique gratia et donis prædixi.

(1) Quia proxime dixerat Isaiaë, Assyriacam liberationem similem fore Ægyptiacæ, nunc ostendit, liberatos ex Assyriaca servitute carmen cantaturos relicto Euphrate, quale ex Ægypto in libertatem vindicati quondam mari Arabico trajecto cecinerunt. Cæterum, hujus capituli series ejusque connexio demonstrat præcipuum Isaiaë objectum, in hac solempni gratiarum actione, non tam esse

CONFITEBOR (laudabo et gratias agam) TIBI, DOMINE! — quoniam, cum esses mihi ob peccata

liberationem a captivitate Babylonica, sed liberationem a peccato per Messiam salvatorem factam.

In hoc igitur epinicion, primo, enarrat conversionem sortis in meliorem, vers. 1.

Secundo, designat salvatorem hujus lætitiæ auctorem, vers. 2, 3.

Tertio, excitat populum fidelem ad beneficii a Deo præstiti divulgationem per orbem universum, 4, 5; et ad lætitiæ et prærogativæ suæ contestationem, 6.

iratus, per mortem Filii tui Christi conversus est furor tuus in clementiam et gratiam, qua condonans peccata mea consolatus es me.

Nota : Hoc tantum est Dei donum, ut Christianus in hac quiete conscientiae, et spe salutis aeternae hilarescens, jugiter Deo gratias agere, psallere et exsultare debeat; adeoque tota vita ejus non aliud sit oportet, quam continua laetitia et laus Dei, ut quidquid cogitat, loquitur, agit, patitur, laeto id faciat animo, ac in omnibus tam adversis quam prosperis laudet Deum, imo omnia alacris faciat et subeat ex amore et laude Dei. Ita jubilabit perpetuo, ac inchoabit vitam Sanctorum in caelis, qui in felici pace, gaudio et deliciis perenne canunt Alleluia. Haec est vita excelsa, humana et terrena cuncta transcendens, coelestis et beata. Hanc agunt Angeli omnes, tum ministrantes, tum magis assistentes, qui Dei immensam majestatem, gloriam, pulchritudinem ac beneficentiam contemplantes, semper exsultant, et admirabundi canunt : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. » Hoc est jure eorum negotiosum otium et otiosum negotium. Beati qui hoc capiunt, beati qui hanc viam vitamque ineunt. Ita S. Franciscus accepta revelatione suae praedestinationis et salutis, qua certo hujus doni se competentem esse et fore intellexit, noctes et dies nec edere, nec bibere, nec dormire, nec aliud quid facere poterat quam jubulare, ut gaudio ebrius nil eructaret, nisi hoc : « Laudetur Deus, laudetur Deus ! »

Porro varii sunt gradus et modi laudandi Deum : *primus* est celebrando eum verbis et hymnis, v. g. iterando saepius per diem : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » et : « Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, » etc.

Secundus, vitando peccata (haec enim sunt summa Dei contumelia et vituperium) etiam minima.

Tertius, insistendo sanctis actionibus et virtutibus, praesertim charitatis et humilitatis (de quo dixi *Daniel. III, 87*), eas referendo ad Dei laudem et gloriam, ut monet Apostolus, *I Corinth. X, 31* : « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite. »

Quartus, studendo perfectioni, et insistendo heroicis operibus (uno enim tali saepe plus honoratur et celebratur Deus, quam decem communibus), omnesque tentationes, dolores et difficultates, omnia dura et contraria generose superando ex amore et laude Dei.

Quintus, meditando saepe infinitam Dei excellentiam, sanctitatem, potentiam, amorem, etc.; indeque se excitando ad abyssalem Dei reverentiam, laudem et glorificationem, ut praeter Deo nihil in mundo altum, nil magnum et sublime, nil laude dignum existimes, quin et teipsum despicias, dicasque cum Daniele : « Tibi, Domine, gloria; nobis autem confusio faciei nostrae; » et cum S. Francisco : « Quis tu, Domine? quis ego? Tu abyssus majestatis, sapientiae, virtutis et glo-

riae; ego sum abyssus nihili, ignorantiae, peccatorum et miseriarum. » Utque optes ardentem in vita et morte, in laetis et tristibus, in tempore et aeternitate mille (si fieri posset) linguis, mille etiam cordibus celebrare Dei laudes.

Sextus, invitando alios vita et voce ad Dei laudem, praesertim eos qui Deum ignorant aut blasphemant, v. g. convertendo peccatores, Indos, Japones, etc., atque orando assidue : « Domine, sanctificetur nomen tuum, » ut omnes gentes et homines te agnoscant, colant, ament, glorificent. Rursum, invitando omnes Angelos et creaturas, etiam inanimes, ad Dei laudem, uti faciunt tres pueri in fornace Babylonia, *Danielis, cap. III* : « Benedicite, omnia opera Domini, Domino, etc. Omnis spiritus laudet Dominum. »

Septimus et perfectissimus est, multa opprobria, persecutiones, aërumnas, verbera et mortem fortiter patiendo pro Dei gloria. Hinc maxima Dei laus est martyrismus. Sic Christus in cruce patiendo acerbissima tormenta, convicia et mortem, maxime glorificavit Deum. Ita et SS. Innocentes, omnesque Martyres magis moriendo quam loquendo Deum confessi sunt, ejusque nomen celebrarunt. Ita S. Theodorus Martyr, dum unguibus costae nudarentur, laetus canebat : « Benedicam Dominum in omni tempore; » alii : « Laus tibi, Christe; » alii : « Gloria Patri; » noster Campianus : « Te Deum laudamus. »

2. ECCE DEUS SALVATOR MEUS. — Sic canit Moses, *Exodi XV* : « Iste Deus meus, et glorificabo eum. » Vox *ecce* significat miram in rebus desperatis salutem, eamque aeternam quam attulit Salvator sive Jesus. Unde aliqui vertunt : « Ecce Deus Jesus meus, » quasi hic pueri et Emmanuelis nascituri, de quo haecenus egit, nomen significet; sic enim gaudii magnitudo, et amoris deliciae magis exprimuntur. Ad verbum in Hebraeo est : « Ecce Deus salus mea. » *Salus*, id est, Salvator sive Jesus, *q. d.* Ecce Jesus, qui mihi tantam e tantis malis salutem attulit; quidni in eo totus exsultem? quid ulterius horream? quid timeam? quid amem? quid sperem? quid dicam, nisi, Deus meus, Jesus meus, et omnia? Hinc nomen salutis, id est, Salvatoris, sive Jesu, hoc versu et sequenti ter repetit.

NON TIMEBO; — quia nihil mihi amplius conscius sum, nec ulla pallesco culpa : « Nihil enim damnationis (nihil damnabile) est iis, qui sunt in Christo Jesu, » *Rom. VIII, 1*. In Hebraeo elegans est rhythmus et paronomasia in voce *אֵבֶתַח ebtach*; id est, sperabo, et *אֶפְחָד ephchad*, id est, timebo.

FORTITUDO MEA. — Accepi a Jesu omne robur meum, quo jugum daemone excussi, et quo deinceps ejus illecebras, vires et peccata superabo. Pulchre et solide ex hoc loco docet S. Prosper, *lib. III De Vita contemplativa, cap. XX*, quae et quanta sit fortitudo Christiana, ac cui nitatur, scilicet uni Deo : « Haec, ait, animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum Propheta cantamus : For-

titudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia, invicta protectione, corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissolvant, nec adversa dejiciant; et tunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed divina in nobis cupiamus munera prædicare. » Subdit deinde in quibus sita sit: « Is ergo cui est Dominus fortitudo animi, nullis carnalibus desideriis cedat, nullis voluptatibus acquiescat, ambitionem ac popularem gloriam vincat; non eum pecuniæ amor adducat, non acerbitas passionum damnorumque subiciat; sit illi Deus laus tota, perfecta gloria, delectatio pura, spes certa, securitas firma, possibilitas sana, sanitas incorrupta, ut ei, quidquid carnalibus placet, displiceat; quidquid pretiosum videtur esse, vileseat; quidquid nitidum, futurorum contemplatione sordescat; nec ab his quæ per gratiam elisit, se patiat elidi. » Denique addit eam non uni vitio, sed omnibus dominari debere: « Quando non ille fortis haberi solet, qui adeundis laboribus periculisque claruerit, aut frenandis voluptatibus ac domandis institerit; sed ille magnus, ille sublimis, ille potens, atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare aut dominari permiserit. » Verum hoc et aureum.

ET LAUS MEA (id est, materia et objectum laudis, quem scilicet laudare assidue teneor, quemque jugiter laudo, et in quo exulto); ET (id est, quia) FACTUS EST MIHI IN SALUTEM, — in Salvatorem et Jesum; *secundo*, Jesus est laus mea active; quia scilicet facit me apud omnes laudabilem, et laude dignum. Alii pro *laus mea*, vertunt, *musica mea, cantio, sive canticum meum est Dominus*.

DOMINUS — Deus: hebraice est יהוה יראו Ia *Jehova*; quod verti potest: *Deus Dei*, vel *Deus de Deo*. Rursum, *Ia* est abbreviatum *Jehova*; hic est Jesus, qui per incarnationem semetipsum et exinanivit et abbreviavit.

3. HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO DE FONTIBUS SALVATORIS. — Alludit ad fontem Siloe, cui comparavit Emmanuelem, cap. viii, 6; rursum ad petram, quæ Mosis virga percussa dedit fontem aquæ suavissimæ, ex qua populus siti aridus cum gaudio bibit: hæc enim petra typus erat Christi, qui flagellis et virga crucis percussus factus est fons aquæ spiritualis, quæ animas arentes, mœrentes et squalidas reficit et recreat (1). Unde huc allu-

(1) Alludit ad petram Mosis virga percussam, ex qua copiosus erupit fons aquæ dulcissimæ, quam populus urente siti anhelans cum gaudio bibit, *Exod. xvii, 1 seq.* Alii ad ritum quemdam festi Tabernaculorum aquæ hauriendæ e fonte Siloe, ejusdemque cum magna pompa et hilaritatis demonstratione, vino mixtæ a sacerdote in altari effundendæ, respicere existimant. Vide Adriani Preusermanni *Dissert. de fontibus salutis*, ad *Jesaiam*, xii, 3, Gissæ 1696, et J. H. Maii, *Fil. Dissert. epistolica* de haustu aquarum e fontibus salutis ex illustri loco, *Jes. cap. xii, vers. 3.* (Ex Rosenmüller.)

sit Paulus, dicens *I Corinth. x, 4*: « Omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus). » Imo Christus ipse, *Joan. vii*: « Si quis sitit, ait, veniat ad me, et bibat, » et cap. *iv, 14*: « Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Ita Sanchez. Unde

Primo, S. Cyrillus et S. Hieronymus hic, et Origenes, homil. 12 in *Numeros*, et Procopius in cap. 1 *Genesis*, per aquas has accipiunt sacram Scripturam et doctrinam Evangelicam, quam haurimus a Christo.

Secundo, S. Ambrosius in *Psal. iv et xxxvii* per aquas has intelligit Ecclesiæ Sacramenta, quæ de vulneribus Christi, quasi de fontibus fluxerunt, maxime calicem Eucharisticum: unde et Origenes supra intelligit baptismum. Hæ sunt aquæ salutaris.

Tertio, alii per aquas accipiunt abundantissimam Spiritus Sancti gratiam, consolationem, devotionem, charitatem, lacrymas: quæ omnia manant de Christi meritis, et fonte sanguinis ejus. Unde aliqui pro *de fontibus*, vertunt, *de visceribus Salvatoris*; tum quia viscera Christi fuere fontes sanguinis pro nobis effusi; tum quia Hebræum כַּעֲנִי מַיָּם *maiane*, id est *fontibus*, per apocopen est מַעֲי *mee*, id est *visceribus*, illudque includit.

Quarto, S. Bernardus, serm. 1 *De Nativitate*, qui est de fontibus Salvatoris, accipit aquas remissionis, discretionis, devotionis, zeli et vitæ æternæ: « Sicut, inquit, in paradiso terrestri fuere quatuor fontes, qui universam irrigarent terram: ita in Christo, qui noster est paradysus, quatuor est reperire fontes: primus fons est misericordiæ, ad diluendas culpas aquis remissionis; secundus fons sapientiæ, ad potendam sitim nostram aquis discretionis; tertius fons gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum aquis devotionis; quartus fons est charitatis, ad condiendum et decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis, et de istis intelligi potest illud Isaïæ: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Adde quintum, qui est fons vitæ, quem post hoc sæculum repromittit, ad quem sitiebat Propheta, cum diceret: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Fortasse propter hos quatuor fontes quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce; propter quintum, cum jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. »

Quinto, idem Bernardus, serm. 66 *inter parvos*, per fontes hos accipit *primo*, fontem veritatis, e quo fluunt aquæ judiciorum; *secundo*, fontem sapientiæ, e quo manant aquæ consiliorum; *tertio*, fontem virtutis, e quo scaturiunt aquæ præsidiorum; *quarto*, fontem charitatis, ex quo profluunt aquæ sanctorum desideriorum; quæ dein-

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Jesus est laus nostra active et passive.

Vers. 3.

de ipse fusius prosequitur. De his verum est illud Euripidis in *Medea* :

Sorsum sacrorum fluviorum feruntur fontes.

Hæ omnes expositiones veræ sunt, et fere eodem recidunt.

Hinc unum Christi nomen est « fons patens, » *Zachar. XIII* : « Erit fons patens domui David ; » de cujus aquis multa pulchra habet S. Gregorius, homil. 29 in *Ezechielem*.

Vers. 4. 4. ET DICETIS (id est, propterea dicetis) : CONFITEMINI DOMINO, — celebrate Dei in nos beneficentiam. Solent memores beneficii, et lætitia gestientes impares se agnoscere, ut gratias referant Deo tam benefico : quare et alios etiam Angelos et Sanctos, quin et creaturas omnes inanimas invitant, ut secum et pro se gratias agant Deo, eun-que laudibus celebrent. Ita fecerunt tres pueri in fornace Babylonia, et David, *Psalm. CXLVIII*, uti dixi vers. 1.

NOTAS FACITE IN POPULIS ADINVENTIONES EJUS, — id est, consilia, cogitationes, vias et molimina ejus in redemptione generis humani. Septuaginta vertunt, *gloriosa ejus*, scilicet opera miraculosa ejus.

QUONIAM EXCELSUM EST NOMEN EJUS. — Quanquam nomen Jesu Christi sit laude omni et gloria excelsius, vos tamen, o redempti ! laudibus et festis celebrate, quantum potestis, nomen quod ipse passione et resurrectione sua promeruit, ut scilicet in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.

Vers. 5. 5. MAGNIFICE FECIT. — Septuaginta, *fecit excelsa*, id est res admirandas, sublimes et magnificas.

6. EXSULTA, — jubila quantum potes ; quidam vertunt, *hinni* ; alii, *exalta* vel *intona*. Hebræum

הניח *tsahal* significat valide et totis viribus clamare, uti faciunt equi hinnientes.

SION (cœtus fidelium, Ecclesia sancta ; quia) MAGNUS (exaltatus et gloriosus) IN MEDIO TUI (est) SANCTUS ISRAEL, — scilicet Deus Israelis, ipse enim longe aliter, et sublimius est in medio tui, quam fuerit in medio Synagogæ, vel etiam in medio tui dum viveret, ante ascensionem in cœlum : nam tunc fuit in te homines docens, miracula faciens, moriens, et in viscera terræ descendens ; post ascensionem vero gloriosus est in cœlo ; et adhuc in venerabili Sacramento in Ecclesiæ militantis medio permanens.

Alludit ad nomen Emmanuelis, id est, nobiscum Deus ; nam : « In medio tui, » idem est quod tecum, aut inter te

Hujus hymni et jubilationis exempla clarissima exstiterunt in primis Christianis et Martyribus. Atque, ut alios taceam, SS. Processus et Martinianus custodes sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in carcere Mamertino, videntes eorum in cœlestem vitam et doctrinam, conversi sunt ad Christum : cumque aqua deesset, S. Petrus, facto in saxo Tarpeio signo crucis, fontem elicuit, quem etiamnum fluentem cernimus et gustamus, indeque eos baptizavit. Qui mox tanta gratia, robore et júbilo dotati sunt, ut, cum Paulinus præfectus saxo os eorum, maxillas et dentes contundi juberet, illi oculis in cœlum fixis canerent : « Gloria in excelsis Deo. » Rursum, cum equuleo, candentibus laminis, scorpionibus aliisque diris tormentis cruciarentur, non aliud resonabant, quam : « Benedictum sit nomen tuum, Domine, in sæcula. » Tandem, securi percussi via Aurelia, læti et exsultantes martyrium obierunt. Ita habet eorum Vita, 2 julii. Annon hauserant illi aquas exsultationis de fontibus Salvatoris ?

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc cap. est tertia pars prophetiæ (secunda enim est a cap. VII hucusque) Isaia, duratque usque ad cap. XXIV, et continet oracula minacia de Babyloniis, Idumæis, et aliis gentibus; tum ne Gentes insultent Judæis, audientes vel legentes in Isaia oracula de eorum excidio; tum ut Judæorum cladem, aliorum, præsertim hostium, clade soletur. Hoc ergo cap. et seqq. graphice depingit excidium Babylonis, et sub ejus typo diem judicii, excidium orbis, damnationem Luciferi (quem et nominat cap. XIV, 12) et reproborum. Idem argumentum tractat Jeremias cap. I et LI.

Hoc ergo capite, primo, Deus quasi dux belli elevans vexillum, evocat Cyrum et Persas contra Babylonem. Secundo, vers. 6, prædicit, quam horribilis sit ille dies excidii futurus; ita ut sol, luna et stellæ de cælo cadere videantur. Tertio, vers. 12, prædicit non tantum viros, sed et infantes occidendos, et mulieres constuprandas. Quarto, vers. 19, ait Babylonem subvertendam sicut Sodomam; ita ut non homines, sed fere et dæmones ibi habitent (1).

1. Onus Babylonis, quod vidit Isaïas filius Amos. 2. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces. 3. Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea. 4. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum, gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli, 5. venientibus de terra procul, a summitate cæli: Dominus, et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram. 6. Ululate, quia prope est dies Domini: quia vastitas a Domino veniet. 7. Propter hoc, omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet, 8. et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt; quasi parturiens, dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. 9. Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. 10. Quoniam stellæ cæli, et splendor earum, non expandent lumen suum: obtenebratus est sol, in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. 11. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo. 12. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. 13. Super hoc cælum turbabo: et movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus. 14. Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis: et non erit qui congreget: unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. 15. Omnis, qui inventus fuerit, occidetur: et omnis, qui supervenerit, cadet in gladio. 16. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. 17. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: 18. sed sagittis parvulos interficient, et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcat oculus eorum. 19. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inelyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrhham. 20. Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem et generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. 21. Sed requiescent ibi bestię, et replebuntur domus eorum draconibus: et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi: 22. et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis.

(1) Hanc tertiam prophetiarum partem ad hostes et vicinos Judæorum pertinentem Isaïas incipit a Babyloniis, cap. XIII et XIV, vers. 1-27.

Primo, præcedit expositio eventuum præparatoria, per evocationem divinam hostium contra urbem, vers. 2, 3; per expeditionem copiarum hostilium, ad Dei imperium

Vers. 1.

1. ONUS BABYLONIS. — « Onus » a Prophetis vocatur prophetia tristes et calamitosa, tum quia illa quasi onus grave, et pondus pœnæ his illisve im-

susceptam, 4, 5; per præsagium vastitatis, consternationis et afflictionis hinc secuturæ, 6-9.

Secundo, subsequitur narratio vindictæ divinæ, ex turbato naturæ ordine et hominum strage emicantis, 10-13; Babyloniorum fuso exercitu, cæsisque armatis et inermibus, exhaustorum, 14-18; Babylonis subversæ, et ad desolationem omnimodam et diuturnam redactæ, 19-22.

Rosenmuller, cujus *Scholæ in Vetus Testamentum*, licet philologica eruditione et historica scientia sint refertæ, in pluribus tamen longe rejiciendum rationalismum olent, hanc contra Babylonem prophetiam Isaïæ adjudicari posse negat; hæc sunt momenta quibus fulcire conatur suam sententiam: « *Primum*, inquit, vers. 19, cap. XIII, Babylon urbs Chaldæorum *superbia* vocatur. Jam vero Jesajæ tempore, Chaldæos vagam tantummodo, et nomadum errantium, interdum etiam prædonum (Cf. *Job. i, 17*) more, terram peragrantem gentem fuisse constat. Post Jesajæ demum mortem boreales Chaldæi eruperunt, et sub Nebucadnezare Babylone potiti sunt, quam ingentis imperii metropolim fecerunt. *Deinde*, vers. 17, cap. ejusdem, *Medorum* crudelitas, qua in urbis expugnata incolas sæviissent, memoratur. Hi ipsi vero in ea Babylonis expugnatione, qua Cyrus hanc urbem cepit, principes egerunt partes, ut videbimus infra ad illum versum. *Tum* ex versu quatuor prioribus cap. XIV apparet, Israelitas eo tempore quo hoc carmen scriptum est, adhuc quidem in servitute Babylonica fuisse, verum etiam spem in patriam redeundi iis factam esse. Quæ omnia me movent, ut carmen nostrum referendum existimem ad illud ipsum tempus quo regnum Chaldæorum, postquam ab initiis Nebucadnezaris per 70 fere annos florisset, duce et imperatore Cyro, a Medis et Persis est subversum, et urbs Babylon, Balsasare, ultimo Chaldæorum rege, interfecto, ab iisdem illis vi capta et expugnata est. »

Si huic Interpreti objicias quod ista prophetia Jesajæ nomen in fronte gerit, audacius quam rationabilius respondet: « Quasi vero non constaret esse tam in hoc nostro, cui a Jesaja est nomen, vaticiniorum corpore, quam in aliis vaticiniorum collectionibus, plura capita, quibus ab illis qui hos libros conscripserunt et in unum collegerunt, falsum scriptoris nomen esset præpositum. »

Nemo est qui non videat quam levia, quam infirma sint hujusmodi argumenta. Nam qua ratione Interpres christianus et quidem tam doctus, ignorare videtur unum ex præcipuis et mirabilibus prophetiarum characteribus in eo constare, quod longe antequam fiant et existant, futuros nationum et regnorum eventus prædicant; et sic in isto vaticinio, Isaïas Babylonis casum prænuntiet (194 circiter annos ante eventum), non cum summum potentia et magnificentia apicem attigisset, sed, ut notat ipse Rosenmuller, « cum Chaldæi vagam tantummodo et nomadum errantium gentem fuisse constat. »

Cæterum, ut absque ulla controversia illa duo capita Isaïæ adjudicentur, hæc ex doctore Jahn subjicere libet, in quibus totum hoc de Babylone vaticinium et alia similia, cap. XXI, XL, et LXVI, Isaïæ vindicare et quidem feliciter studuit.

Vaticinia contra Babylonem.

Vaticinia de eversione regni Chaldæo-Babylonici et de reditu Hebræorum ex captivitate, *Isai.* cap. XIII, vers. 1-14, 23; XXI, et XL-LXVI, conjiciuntur in tempora exilii, et argumenta sunt: *Primo*, diversitas elocutionis; nam in ultimis XXVII capitibus distinguitur potior pars populi tanquam servus vel cultor Jehovæ, XLI, 8-9; XLII, 1, et

pendet, et imponetur a Deo; tum quia Prophetæ cum molestia, et ægre eam quasi pondus in os levant, enuntiant, et imponunt audientibus, ea-

seq.; XLIV, 1; XLVIII, 12 et 20; XLIX, 7; LII, 13, quod in prima libri parte non observatur.

Idololatria ludibrio et risui exponitur, XL, 19-20; XLIV, 9-17; XLVI, 5-7, quod in illis quoque primæ partis locis, in quibus idololatria, ut II, 19, arguitur, frustra quæviseris. — Sæpius annotatur, vaticinia antiquiora eventu fuisse comprobata, ut XLI, 21-24, 26-29; XLIV, 6-7; XLV, 21, XLVIII, 5, quod arguit auctorem recentiore, nec reperitur in priori libri parte, in qua etiam voces et dictiones sæpius recurrunt, quæ in secunda parte desiderantur. *Secundo*, accuratio vaticiniorum, et distantia eventuum. Ætate Isaïæ nulla erat monarchia Chaldaica, nec celebres erant Medi et Elamitæ seu Persæ, qui Chaldaicam monarchiam eversuri prædicuntur. Ab anno 14 Ezechiaë elapsi sunt 90 anni, donec conderetur monarchia Chaldaica; et 115 anni, donec nasceretur Cyrus, qui anno post Ezechiam 155 dux exercitus Medorum designatus est, et tandem anno 176 monarchiam Chaldæorum evertit. Propheta autem noster jam videt Judæam et Jerosolyma per Chaldæos vastata, XLV, 26-28; cernit monarchiam Chaldaico-Babyloniam, quæ strages has Judææ intulit, ad interitum vergentem, et hostes ejus jamjam ex septentrione irruentes, XLII, 14; XLI, 2-25; imo ipsum quoque Cyrum bis expresso nomine compellat liberatorem Hebræorum, XLIV, 28, et XLV, 1. *Tertio*, vaticinia usque in ætatem Cyri perspicua sunt; quæ vero ulteriora tempora respiciunt, sunt obscuriora; unde concluditur auctorem ævo Cyri vixisse; nam si Deo placuisset, hæc clarissima vaticinia in tempora tam remota largiri, et ipsum quoque Cyri nomen revelare, cur XLV, 14, dicuntur Hebræi post reditum in patriam, commercii Cuschæorum et Sabæorum participes fore, quod, ut ex Esdra, Nehemia et Malachia liquet, eventu comprobatum non fuit? Nec grandes illæ promissiones, LX, 6-10, effectum habuerunt. Coævi Isaïæ profecto discernere non potuissent, illa de Cyro verbo tenuis, hæc autem nonnisi ex parte complenda, vel tropice intelligenda esse.

Vaticinia contra Babylonem sunt ab Isaia.

Primo, lingua, stylus et elocutio profecto non est ea quæ ex exilio repeti debeat, et ab Isaia proficisci non potuerit; e contrario linguæ puritas, styli sublimitas, et elocutionis elegantia talis est, qualis ex plumbea linguæ hebraicæ ætate expectari nequit, sed ætatem argenteam prodit. Differentia styli, quæ intercedit, major non est quam quæ *Mich.* I-V, et VI-VII, reperitur, imo minor quam quæ *Osee*, I, et III, atque II, et IV-XIV; vel *Amos* I-VI, et VII-VIII, atque in diversis Davidis Psalmis observatur. Dictiones quæpiam, in aliis ætatis Isaianæ scriptis non occurrentes, nihil evincunt; neque enim in tenui rerum Hebraicarum suppellectili expectari potest, omnes dictiones et voces alicujus certæ ætatis, sæpius redire debere. Sunt vero et hujusmodi voces oppido paucae. Observatur e contrario in his vaticiniis consueta Isaïæ vehementia orationis, eadem dismembratio objectorum, eadem antithesis Jacob et Israel. Omnis differentia in eo est, quod Propheta in priori parte vitia reprehendebat, in his ultimis capitibus magis docere et consolari studet, prout materia substrata exigebat, nonnunquam tamen in his quoque invehitur in vitia, ut cap. LIX, vers. 9-57; LVIII, 1-7; LIX, 1-8; LXV, 11-14. Si Isaïas hæc vaticinia ultimis vitæ suæ annis conscripsit, facile percipitur, Prophetam jam senem (ætate Manassis, quæ passim notatur), in prospectibus solatio plenis, docere maluisse quam reprehendere; doctorem autem quam maxime decebat, populum, tanquam servum Dei, alloqui, potiorum gentis partera dis-

que illos gravant. Ita S. Hieronymus, Septuaginta et alii. *Secundo*, pro *onus*, hebraice est **משקל** *massa*, quod varia significat, scilicet onus, pondus, assumptionem, elevationem. Unde Septuaginta vertunt, *λήμνα*, id est assumptio, eo quod prophetia quasi mandatum Dei aure et mente Pro-

tinguere, atque insaniam idololatriæ illustrare, quod autem in parte quoque prima, non solum, II, 18-19, sed etiam II, 8; VIII, 19-21, etsi paucioribus præstat: Ad doctrinam quoque apprime faciebat annotatio, antiquiora vaticinia eventu comprobata esse, sive Propheta deportationem decem tribuum, sive liberationem Judæorum ab Assyriis, sive alias antiquiores prophetias respexerit; nequaquam igitur arguit recentiore ætate. Id in priori voluminis parte non occurrit, quia Propheta in illa non docet, non consolatur, sed reprehendit. Quod quæpiam dictiones in alterutra parte desiderantur, evinceret alium auctorem, si Isaiæ esset jejunium et sterile ingenium. *Secundo*, accurata eventuum tam longe distantium prædictio est quidem admirabilis; ast Propheta idipsum sæpius, tanquam singulare, lectori commendat; unde apparet jam ejus ævo id multis visum fuisse incredibile, atque adeo ipsa hæc temporis distantia, in vaticiniis his annotata, antiquiorem auctorem prodit. Dein supra jam ostendimus, Chaldaeos, Medos et Persas seu Elamitas, tempore Isaiæ non fuisse populos tam obscuros, ut propheta de illis loquens, neque eatenus, quatenus oportuit, intelligi potuisset. Denique prophetas de remotioribus quoque eventibus locutos fuisse jam supra exemplis, et quidem ex ipso etiam Isaiæ depromptis, comprobavimus; addimus in ipsa hac secunda voluminis parte, prædici, LU, 13-53, Messiam Jesum, ubi omnes conatus, locum de alio quocumque interpretandi, frustranei sunt (Cf. LV, 1-5). Imo mox in prima visione, cap. VI, prospicit Propheta omnimodam vastationem Judææ, et novam rerum restorationem. Denique propagatio religionis, in ipsa secunda parte prædicta a fine quoque captivitatis Babylonice remotissima fuit ut, transmissa paulisper hypothesi de recentiori origine vaticiniorum, nihilominus adsit prophetia in longinqua demum posteritate eventu comprobata, in qua populus Hebræus, et quidem potior ejusdem pars, per quam complenda fuit prædictio, definita est. Propheta cernit omnino hostile regnum Chaldaico-Babylonicum, urbes Judææ eversas, rudera Jerosolymorum, eversionem monarchiæ Chaldaicæ, et nominat non modo Medos et Elamitas, sed ipsum etiam Cyrum. Ast Isaiam, sub Ezechia vel Manasse tales revelationes nactum, potuisse se totum ita in illa longinqua tempora transferre, ut, præsentium oblitus, non nisi futura scriberet, non negabit qui observavit, Micham, Joelem, Habacuc et Nahumum, totos in longissime remotis temporibus versari. Atque de hoc Isaias ipse monet lectorem, XL, 1; XLI, 7, 21; LXVI, 9, per illud **יאמר יהוה**, dicit *Jehova* (conf. quoque *Isai*. XLIV). *Tertio*, vaticinia usque in ætatem Cyri magis esse perspicua; illa autem de temporibus remotioribus obscuriora, mirandum non est; nam remotiora objecta in visionibus, uti in prospectibus, minus accurate discernuntur.

Guschæos et Sabæos, magna olim commercia tractasse, et Hebræis quoque post exilium merces attulisse, dubitari nequit; neque Hebræi id temporis omnes, ut prætenditur, pauperes erant; nam *Aggæi*, cap. I, laquearia construebant, et sumptus pro structura templi, atque ætate Nehemiæ etiam pro munimentis Jerosolymorum suppeditabant. Denique in his locis non adeo de commerciis quam de conversione horum populorum ad cultum veri Dei, sermo est, ex quibus non paucos Judæismum amplexos esse, et templum Jerosolymitanum visitasse, ut *Isai*. LX, 6-10, prædicatur, vel ex *Act. Apost.* II, 10-11; VIII, 27-28, constat. (Jahn.)

phetæ excipiatur, ut illud proferat ad eos, ad quos a Deo dirigitur. Rursum, prophetia vocatur assumptio et elevatio, eo quod mens Prophetæ in ea elevetur ad Deum, ut ejus oracula audiat. Syri vertunt, **משקל** *maskelo*, id est asportatio, decessus, eo quod mens Prophetæ a se discedere videatur, et asportari a Deo ad videndum ea quæ remota et futura sunt: quanquam Syre *maskelo* plura significet, omnia scilicet quæ hebraice *massa* (1).

Moraliter, vide quantum sit onus peccati, quod tantum onus pœnæ secum trahit.

Mystice, S. Bernardus serm. *De undecim Oneribus Isaiæ*, sigillatim ea exponit, aitque: « Sanctus Isaias undecim nobis onera prophetico sermone describit: *primum*, onus Babylonis; *secundum*, onus Philistiim; *tertium*, onus Moab; *quartum*, onus Damasci; *quintum*, onus deserti maris; *sextum*, onus Ægypti; *septimum*, onus Duma; *octavum*, onus in Arabia; *nonum*, onus Vallis visionis; *decimum*, onus Tyri; *undecimum*, onus jumentorum Austri. Et quid est onus nisi pondus quoddam deprimens animam, et ad terram inclinans, faciens eam ad inferiora respicere, et negligere superiora? Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione, et hoc onus Babylonis; aliquando ex immundorum spirituum immersione, et hoc onus Philistiim; aliquando ex naturali quadam et inevitabili necessitate, et hoc onus Moab; aliquando ex tenebris ignorantiae, et hoc onus Ægypti; aliquando ex innata nobis infirmitate, et hoc onus Damasci; aliquando ex ma-

Mystice,
onera un
decim,
quæ?

(1) « Onus Babylonis, » etc. Figuras veritati commiscet Propheta; ex qua commixtione et cæci magis excæcantur et pii homines plus confirmantur. Redemptio ex Babylone typus fuit redemptionis quæ per Christum contigit, ut omnibus planum est. Jam igitur Babylonis eversionem commemorat, quam consecuta est libertas populi Dei: quemadmodum et in fine mundi evenient. Quo enim propinquior fuerit ejus desolatio, et redemptio filiorum Dei propior erit, ut Dominus suos adhortatur, cum ait: « His fieri incipientibus, levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. » Non solum autem hac ratione his quæ sequuntur capitibus prophetias texti Isaias de Babylone et aliis nonnullis provinciis ac regnis evertendis, sed etiam propter Jehudam et Jerusalem, ut Dei justitiam discerent, qui omnium gentium rationem habeat, et scelera earum suo tempore puniat, intelligerentque perstultum esse, dum res prosperæ sunt, ita eis incumbere, ut non etiam meminerint posse earum omnium rerum brevi tempore fieri commutationem, atque aliam vicissitudinem multo diversam se posse experiri. Eas autem nationes et regna tantum commemorat quæ populo Judæorum nota erant et quorum res ad populum Hebræorum aliqua ratione pertinebant. Ita tamen orationes disponit Propheta, ut fere nulla sit prophetia exterorum regnorum, in qua redemptionis per Christum futuræ quidquam non interserat; nam huc tendebant omnia. Hujusmodi autem prophetias in quibus gravia ac tristitia nuntiabant Prophetæ, *onera* appellabant; non solum quia quæ dicebant, gravia, veluti onera, essent, verum etiam quia ea quoque audire grave, imo neque ea prænuntiare valde esset jucundum; sed parendum erat Spiritui. (Forerius.)

lorum persecutione, et hoc onus deserti maris; aliquando ex occulta animi vexatione, et hoc onus Duma; aliquando ex timore mortis, et hoc onus in Arabia; aliquando ex vanitate, quando proficimus, et hoc onus Vallis visionis; aliquando ex angustia pro his quæ toleramus, et hoc onus Tyri; aliquando ex charitate, quando aliis prodesse desideramus, et hoc onus jumentorum Austri. » Deinde singula ordine prosequitur, quæ suis quibusque locis intexam, ac tandem singulis oneribus singula assignans remedia, ita concludit: « Inspiciat unusquisque seipsum, videat et quod onus sustineat, et quod in futurum sustinere formidet. Si sub onere Babylonis est, detestetur illud et abjiciat, ne si fuerit conformis operibus ejus, a pœnis ejus non sit immunis. Sub onere Philistiim videat, ne potationibus eorum inebrietur, eisque fiat similis in culpa, futurus eis similis in pœna. Quod si sub onere Moab se senserit laborare, satagat sic necessitatibus corporis indulgere, ne Nabuzardan muros destruat Jerusalem; nec sic ei satisficiat, ut cum illo in æternum ardeat. At si onus Damasci humerum presserit, caveat ne ipse sibi manus injiciat; et ita seminans in carne, de carne metat corruptionem. Sane, si onus Ægypti incubuerit, abjiciat opera tenebrarum, et armis lucis induatur; ne, si hic interioribus tenebris mentem libens tradiderit, quandoque in exterioribus nolens crucietur. Porro, si onus deserti maris malis eum persecutionibus infestaverit, non deficiat, nec frangatur; ne quod ipsi injecerint per malitiam, ille per impatientiam patiat. Si autem onus Duma, id est silentii, effecerit impatientem, vel pudor et confusio obstruxerit confessionem, caveat pondus pœnæ, quod talibus silentibus Propheta intentat. Verum, si onere Arabiæ pressus mortem timuerit, secundum naturam sese habeat, ut eam non timeat propter conscientiam; ne non solum ab Arabia prematur, sed insuper cum Arabia æternæ damnationis onere comprimatur. Præterea, si sub Vallis visionis onere suspirans contra vanitatem pugnaverit, caveat ne a monte contemplationis cadat in vallem erroris, eo utique onere obruendus, quod in onere Vallis visionis Propheta describit. At, si sub onere Tyri, ob præsentis labores et dolores, mentem pusillanimitas in desperationem dejecerit, caveat præ omnibus propriæ voluntatis angustiam; ut, corde dilatato, per omnes hujus vitæ angustias gratanter incedat, et sic æternum miseriæ pondus, quod Tyro intentatur, evadat. Postremo, si sub onere jumentorum Austri affectus tædio defecerit, cogitet, sciatque quia, si onus charitatis abjecerit, onus damnationis immerito sustinebit. » Denique docet S. Bernardus ab his omnibus oneribus Christum nos liberare, per gratiam inchoate in hac vita; per gloriam perfecte in futura. Ejus ergo opem onerato assidue esse implorandam. Omnia satis apposite, nisi quod in ultimo onere per jumenta Austri accipiat pios et compatiētes, cum

ad litteram ita vocentur Judæi impii et impatientes.

2. SUPER (id est contra) MONTEM CALIGINOSUM. — Ita per tropum vocat Babylonem, licet in loco campestri sitam, scilicet « montem, » ob magnificentiam et fastum palatiorum, turrium, murorum, etc. « Caliginosum » vero, primo, ob omnium rerum in ea caliginosam confusionem, ob quam hebraice dicta est *Babel*. Ita S. Hieronymus. *Secundo*, quia idololatriæ et errorum tenebris erat involuta. *Tertio*, « caliginosum, » id est calamitosum; caligo enim symbolum est calamitatis, præsertim quia noctu in caligine capta est Babylon illa incluta, cum non minor civitati a nocte, quam civium animis a perturbatione et crapula offusa fuit caligo. Ita Sanchez. *Quarto*, et magis ad litteram, « caliginosum, » quia Babylon loco humido et palustri sita juxta Euphratem, ob densos vapores et nebulas inde ascendentes, aerem habebat nubilum et caliginosum, accedentibus præsertim hortis pensilibus quos in gratiam Nitocris uxoris suæ fecit Nabuchodonosor. Hi enim horti fuerunt orbis miraculum; erant enim alti, et sua altitudine umbram et caliginem inducebant urbi, præsertim accedentibus nebulis jam dictis, et fumo ex foco et igne tot domorum et familiarum.

De hortis hisce audi Josephum; lib. X *Antiq.* XIII: « Moles saxeas fornicibus suspendit (Nabuchodonosor) montium speciem referentes, superne consitas variis arborum generibus; atque ita celebratos illos pensiles hortos absolvit, eo quod uxor educata in Media concupisset quamdam patriæ suæ similitudinem. » Vide de iisdem et Curtium, lib. V.

Pro *caliginosum* hebræum est נִשְׁפָּה *nispe*, excelsum elevatum; Septuaginta vertunt, *campestem*; Syriaca, *calcatum*, tritum, æquum, planum; Arabica, *calvum*, abrasum, sine arboribus. S. Hieronymus *nispe* deduxit a נִשְׁפָּה *neseph*, id est crepusculum, quod male taxat Pagninus. Nam *Jerem.* XIII, 16, vocantur montes *neseph*, id est crepusculi, montes caliginosi. Ita Forerius.

LEVATE SIGNUM. — Deus hic quasi classicum canit, eoque Darium ac Cyrum cum Persis et Medis evocat ad excidium Babylonis, q. d. Vos, o Dari et Cyre! elevate signum, id est, ut hebraice est, vexillum contra Babylonem, ut eam expugnetis; « exaltate vocem, » uti solent clamores edere milites, dum invadunt urbem: « levate manum » contra urbem, vestro gladio direptioni et triumpho devotam: « Ingrediantur duces (Cyri) portas » Babylonis, quas ego eis pandam (1).

(1) Juxta Rosenmuller, נִשְׁפָּה אֶרֶץ *ar nischefa*, omnino est vertendum *mons rarus*, nudus, nullis arboribus aut fruticibus consitus, unde signa aut vexilla in ejus fastigio erecta eminens prospici possunt, ut infra cap. XLII, vers. 18; XLIX, 19.

« Levate manum, » quod pertinet ad convocationem, ut cum quispiam advocans alterum, quod propterdis -

Vers. 2.
Mons caliginosus est B bylon, cur? Primo.

Secundo.
Tertio.

Quarto.

Vers. 3. 3. MANDAVI SANCTIFICATIS MEIS. — Persas et Medos vocat suos *sanctificatos*, id est a se destinatos, et quasi consecratos milites ad sanctum hoc bellum, et sanctam vindictam Dei complendam; de quo plura, *Jerem. vi, 4*. Hinc Syriaca et Arabica vertunt, *mandavi sanctitati*, sanctimonie, vel sanctificationi *meæ*, hoc est, militibus sanctissimis, Cyro sanctissimo, utpote ad bellum sanctissimæ vindictæ destinato.

Aliter alii: *Sanctificati*, inquit, id est sancto juramento adacti, *q. d.* Sacramentarii milites.

EXSULTANTES IN GLORIA MEA. — Quia scilicet ego eis gloriosas victorias dedi; per eos enim punivi et debellavi Gentes, ob earum scelera. *Gloria* ergo hic significat gloriosam vindictam et victoriam.

Vers. 4. 4. VOX MULTITUDINIS, — *q. d.* Videor mihi in spiritu audire turbas et tumultus Persarum et Medorum, contra Babylonem turmatim adventantium.

DOMINUS EXERCITUUM PRÆCEPIT. — Potest verti cum Vatablo: *Dominus exercituum recenset vel lustrat exercitum bellicum*, scilicet Persarum, sicut dux solet agere delectum, et lustrare suas copias; Deus enim hic inducitur, quasi dux belli sacri.

Vers. 5. 5. A SUMMITATE COELI, — *q. d.* Venient Persarum copiae ab extremitate terræ, ubi videtur terra cælum tangere. Accommodat se Scriptura phrasi vulgi, quod putat cælum esse hemisphæricum instar arcus, ibique finiri ubi terminatur visus, ibique terræ jungi. Nec id mirum; nam et S. Chrysostomus et Lactantius, et alii, quos citat noster Acosta, lib. I *De novo Orbe*, cap. 1, opinantur (et S. Augustinus, lib. II *De Genesi ad litteram*, cap. II dubitat) cælum non esse sphæricum, nec ambire et complecti totam terram; sed instar semicirculi terræ medietatem circumdare, eique in terminis suis copulari.

DOMINUS (scilicet adest ulturus scelera Babylonis), ET VASA FURORIS EJUS, — id est instrumenta iræ ejus, scilicet Darius et Cyrus cum suis copiis, armis et quadrigis quasi lictores Dei advolant.

OMNEM TERRAM, — scilicet Babylonem subjectam, de ea enim hic agitur. Simile est vers. 10.

Allegorice hæc veriora erunt in die judicii, cuius hic est typus.

6. ULULATE, QUIA PROPE EST DIES DOMINI. — Licet enim 150 annis abesset hoc excidium Babylonis, tamen hoc tempus exiguum est respectu æternitatis, imò respectu regni alicujus; licet respectu cœtatis et unius hominis multum sit. Vide *Can. IV.*

tantiam loci non possit exaudiri, manum elevat, innuens ut veniat. (Idem.)

Ista consuetudo super montes elevandi signum, ad populos provincie colligendos, in pluribus Isaie et Jeremie locis consignatur, *Isai. v, 6*; *xi, 17*; *xliv, 22*; *Jerem. iv, 6*; *vi, 1*, supra fastigium montis editissimum magnam arborem plantabant, in cujus vertice erigebatur vexillum per trochleam, ductariosque funes, « quasi malus in vertice montis, et quasi signum super collem, » inquit Isaia, *xxx, 17*; et in *Jerem. vi, 1*: « Super Bethacaram levate vexillum, quia malum visum est ab Aquilone. »

QUASI VASTITAS A DOMINO VENIET. — Tò quasi hic est nota veritatis, non similitudinis, *q. d.* Tanta et tam horrenda vastitas incumbet Babylo ni, qualis et quanta decet Deum offensum et iratum. Unde Hebraice est nervosa paronomasia; *שׂוּד מַשְׂדַּי scod missaddai*, id est vastitas a vastante Deo veniet. De nomine Dei *Saddai*, vide dicta *Genes. cap. xvii, vers. 1*, et *Exodi vi, 3*.

7. OMNES MANUS DISSOLVENTUR, ET OMNE COR HOMINIS CONTABESCET. — Corde deficiente, a quo ad membra diffunduntur spiritus vitales, ac per eos motus et sensus, omnia membra concidunt, tremunt, virtute destituuntur, et quasi paralyti resolvuntur. Quocirca Septuaginta pro *omnes manus dissolventur*, eleganter vertunt, *ἐκλυθήσονται*, id est solventur quasi paralyti, fientque instar paralyticorum. Sensus est, *q. d.* Deus injiciet Babylo niis adventante Cyro tantum pavorem, desperationem et stuporem, ut manus eorum tremant et languescant, nec possint arma continere, ut mens consilii inops stupescat, utque animi concidunt et contabescant. Id ita Balsasari contigisse scribit Daniel, cap. v, vers. 6.

8. UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM STUPEBIT. — Sic enim solent rebus perditis homines attoniti invicem se aspicere, quasi stupefacti et elingues.

FACIES COMBUSTÆ VULTUS EORUM. — Intelligitur more Hebræo *τὸ sicut*, *q. d.* Sicut facies combustæ, scilicet aridæ, luridæ, nigræ et terræ (talis enim coloris sunt quæ exusta sunt), erunt vultus eorum. Sic Joel, cap. ii, de Judæis a Chaldæis obsessis et arctatis ait: « Omnes vultus redigentur in ollam, » id est, ut Nahum ait, cap. ii, « erunt sicut nigredo ollæ. » Facies ergo combustæ sunt luridæ, exsanguis et tetræ ex pavore, mœrore et anxietate.

Hebraice est *facies flammæ*, quod Vatablus et Sanchez explicant, *q. d.* Rubore quasi flammeo ex pudore suffundentur, uti contigit iis, qui in scelere et re pudenda ex inopinato deprehenduntur. Sic de Lavinia canit Virgilius, *Æneid. XII*:

Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.

Solet enim facies eo sanguine, quem pudor ad maxillas evocat, rubere et quasi ridere.

Noster Interpres recte per *facies flammæ* accipit facies flammis exustas, ut sit metalepsis. Alii de colore flammæ, hoc est de pallore, interpretantur, qualem habent non tam ipsæ flammæ, sed et fabri ferrarii antelucano tempore ad ignem operantes; quorum facies sic apparent pallidæ et luridæ, ac si prorsus essent factæ exsanguis.

9. ECCE DIES DOMINI VENIET, CRUDELIS. — Aliqui hæc ad litteram accipiunt de die judicii, sed patet ex præced. et sequentibus, ad litteram hæc dici de excidio Babylonis, quod tamen consummationis sæculi, et diei judicii viva fuit imago. Ita S. Hieronymus.

AD PONENDAM TERRAM (Babyloniorum) IN SOLI-

TUDINEM. — Dices : Etiam post Cyrum floruit Babylon tempore Alexandri Magni, qui eam denuo vastavit. Respondeo hanc Babylonis vastationem ceptam esse a Cyro, perfectam vero ab Alexandro et aliis, uti dicam *Jerem.* I, 39.

Vers. 10. **10. QUONIAM STELLÆ COELI.** — Est hyperbole et hypallage, qua Prophetæ solent significare extremam cladem, calamitatem et afflictionem. Ita enim afflictis, ob spiritum vitalium et animalium debilitatem, et reditum ad cor, atque ob capitis deliquium et vertiginem, omnia videntur esse caliginosa, imo volvi et inverti. Contrarium accidit in lætitia.

Allegorice, hæc, ut sonant, vere contingent in die iudicii, uti et ea quæ dicuntur vers. 13. Vide cap. XXXII.

Vers. 11. **11. SUPER ORBIS MALA.** — Babylonem vocat orbem quia erat ob frequentiam hominum, opificum et mercium, instar parvi mundi. Sic Romam, Parisios, Venetias, Constantinopolim vocamus parvum mundum, Hebraica vox תבל *tebel*, id est orbis, alludit ad כבל *Babel*.

Vers. 12. **12. PRETIOSIOR ERIT VIR AURO,** — *q. d.* Miles Medus Dei vindicis nutu et instinctu nulli Babylonio parceret, etiamsi lytrum et pretium auri maximum offerat; quia gloriosus et ferus malet gloriam et vitas quam opes, ut dicitur vers. 17. Ita Vatablus et Sanchez.

Aliter Adamus, *q. d.* Pretiosus, id est rarus, supererit vix; nam plurimi occidentur a Chaldæis.

MUNDO OBRIZO. — Hebræus et Chaldæus, *auro ophir*, id est optimo. Vide dicta *Jerem.* x, 9.

Vers. 13. **13. MOVEBITUR TERRA.** — Est hyperbole et hypallage; afflictissimis enim videtur terra et cælum moveri, rotari et confundi. Sic vulgo dicimus: « Cælo terram misceri, aut mari cælum, » id est omnia commisceri et confundi.

Vers. 14. **14. ET ERIT QUASI DAMULA FUGIENS,** — *q. d.* Exercitus Chaldæorum fugiet veniente Cyro, sicut damula et ovis inermis et imbellis fugit ad rugitum leonis vel lupi.

UNUSQUISQUE AD POPULUM SUUM CONVERTETUR. — Loquitur de exteris et auxiliariis copiis, quæ ex aliis subditis, vel fœderatis provinciis venerant auxilio Babylonis contra Persas; hæ enim videntes castra Cyri fugerunt, et redierunt ad suos.

Vers. 16. **16. INFANTES EORUM (Babyloniorum) ALLIDENTUR.** — Signum hoc est extremi odii et crudelitatis, idque factum est justo Dei iudicio, qui parentum scelera etiam in infantibus eorum innoxii vindicavit. Idem prædictum fuit *Psal.* CXXXVI, 9: « Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos (o Babylon) ad petram (1). »

(1) « Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærunt, » etc. Descriptio hostis barbari et crudelis, ut *Jud.* v, 19, « quæstum argenti non acceperunt, » si quis vitam redimere vellet. Tantam igitur Noster ait esse Medorum crudelitatem, ut frustra cruoris sitim pretio oblato quis tentet restinguere, vel auro vitam charosve pueros redimere. Cum his conveniunt Cyri verba quibus

19. **ET ERIT BABYLON ILLA GLORIOSA.** — Supple, Vers. 19. excisa et subversa, « sicut Sodoma. » Babylon hic vocatur « gloriosa in regnis, » hebraice תְּשֵׁבִי *tsebi*, id est decor, deliciæ, gloria, magnificentia regnorum (2).

INCLYTA SUPERBIA CHALDÆORUM. — Ita enim legunt S. Hieronymus in *Comment.*, Complutensia, Plantina et alia passim; Hebraice est, *gloria superbæ* (id est magnificentiæ) *Chaldæorum*, id est ob quam gloriari et superbire solent Chaldæi, inquit Vatablus; sic et Pagninus. Tigurina, *decus splendoris Chaldæorum*, Babylon est urbs inclyta, superba et magnifica Chaldæorum. Nihilominus lectio Romana uti nervosior, ita germanior videtur. Babylonem enim vocatur *inclyta superbæ*, id est inclyta gloria et magnificentia Chaldæorum, de qua nimirum uti urbe superbissima et magnificentissima ipsi superbire et gloriari solent apud omnes gentes; hoc est, ipsa erat « domicilium superbæ, et sedes luxuriæ, » ut loquitur Cicero, lib. II *De Legibus*. Sic et ait Virgilius, II *Æneid.*: « Barbarico postes auro spoliisque superbi procubuere. » Sic vocantur urbes superbæ, agri superbi, conjugium superbum, forma superba, fortuna superba, honor superbus, sceptrum superba, et « belli insigne superbum, » *Æneid.* VIII. « Babylon omnium quas sol aspexit urbium maxima, inquit S. Hieronymus, jam nihil præter muros reliqui habet. »

20. **NEC PONET IBI TENTORIA ARABS,** — qui solet habitare in tentoriis, et vagari per loca compascua (quales jam sunt multi in Africa, qui de loco in locum migrant, vocanturque Arabes Scenitæ, vel Nomades), pecoris et gregum, quos alunt, causa; idque quia ob Babylonis ruinas multi erunt specus et antra, in quibus latere solent leones et

Medos alloquitur, apud Xenophontem, *Cyropæd.* lib. V, § 3: Ἄνδρες Μῆδοι, καὶ πάντες οἱ παρόντες, ἐγὼ ὑμᾶς οἶδα σαφῶς, ὅτι οὔτε χρημάτων δεόμενοι οὐδὲ ἐμὸι ἐξήθετε: « Optime novi, viri Medi, et qui adestis alii, vos ob penuriam pecuniæ mecum hanc expeditionem non suscepisse. » Ammianus Marcellinus, lib. XXIII, cap. VI, ubi Persarum, sub quibus ille Medos quoque et Parthos censes, mores describit: « Magnidici, ait, et graves, ac tetrici, minaces juxta in adversis rebus ac prosperis, callidi, superbi, crudeles, » etc. (Rosenmuller.)

Nota Medos sese in libertatem vindicasse viginti annis ante annum mortis Achaz, quo hæc prophetia ab Isaia edita est.

Vers. 18. « Sed sagittis parvulos interficient. » Textus hebræus reddi potest: *Et arcus illorum pueros allident*; vel ut Chaldæa paraphrasis: *Et arcubus suis parvulos scindent*. Et revera usque ad illam crudelitatem his temporibus devenerant ut loco sagittarum, in arcubus pueros ponerent, et sic contra muros vel lapides emitterent, ut alliderentur, quod textus innuere videtur.

(2) Ista contra Babylonem vaticinia non nisi labentibus sæculis perfecte adimpleta esse dixerimus. Nam Medi et Persæ primam illam cladem intulerunt, et sub Persicis regibus Cyri successoribus, splendor ejus magis ac magis obtenebratus est. Sub Alexandro, cujus brevissimum imperium fuit, paululum reviviscere visa est, sed mox in oblivionem et inde plane in interitum demersa est.

feræ gregibus inimicæ; et quia Babylon exusta erit in tumulum aridum, nec herbas aut gramina proferet.

Arabum præ aliis meminit, tum quia Arabes sunt pastores pecorum, ut dixi; tum quia Arabia Deserta vicina est Chaldææ. Hoc vaticinium etiamnum perdurat, et experientia liquet. Narravit mihi Romæ vir eruditus et religiosus, qui recenter illa loca peragravit, ruinas Babylonis etiamnum cerni, easque ingentes et immanes, et extendi ad tres diætas, esseque plane desertas et desolatas. Causam, inquit, percunctatus sum, ac præsertim cur Arabes et pastores in locis adeo vacuis et compascuis, saltem greges non pascerent? Qui illico mihi responderunt, loca illa plena esse spectris ferarum et dæmonum, quæ hic recenset Isaias, ideoque neminem ad illa audere propius accedere. Dæmones ergo Babylonem tot nominibus et vitiis sibi debitam, ideoque adeo justo iudicio sibi datam possident, ut hominibus terrorem incutiant, ne Babylonis scelera sequantur, sciantque, si id fecerint, se pariter dæmonum habitaculum fore, et ludibrium æque ac pabulum in gehenna, juxta illud *Psalm. XLVIII, 15*: « Positi sunt sicut oves in inferno: mors depascet eos. »

Vers. 21. 21. PILOSI. — Fauni et Satyri, de quibus Plinius, libro VII, cap. II, hoc est, ut Chaldæus et Septuaginta, dæmones, scilicet qui in sylvis et locis desertis apparent hirsuti specie hircorum, quasi dii nemorum, de quibus plura cap. XXXIV, vers. 14. Hoc est quod ait S. Joannes huc alludens, *Apocal. XVIII*: « Cecidit, cecidit Babylon magna: et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi. »

SALTABUNT. — Alludit ad lusum, quo lascivientes hæduli, militare in modum ex diversis stationibus emissi, adversis frontibus congregiuntur, insultant et cornutant (1).

Vers. 22. 22. ET RESPONDEBUNT IBI ULULÆ. — Septuaginta, *onocentauri*. Ulula est avis nocturna gemens, sic

(1) « Et pilosi saltabunt ibi, » שׂעירי passim: ircum denotare constat, et posset a שׂעיר *pitus*, significare quodcumque aliud animal pilosum et hirsutum. Sed hoc loco alienum esset de hircis cogitare, uti et infra, XXXIV, 14, ubi de desolatione Edomi, « unus alterum inclamabit. » Utroque loco intelliguntur *Satyri*, a Græcis Romanisque sic dicti; estque nomen *Satyr* ipsissimum hebræum שׂעיר, littera *t* interposita, et aspirationem quæ est in littera *y* compensante... Credebant autem veteres, dæmones aut spectra in nemoribus, sylvis, desertisque locis solitos esse, noctu imprimis, apparere forma satyrorum, id est capite cornuto, caprinis pedibus, et cauda porcina, eosque de nocte inter se convenire, choreas ducere salaces, et sonos edere qualescumque, qui homines terreant; vide Plinii *Histor. natur.* lib. V, cap. I. In eadem opinione versari etiamnum incolas ejus regionis, in qua vetus Babylon sita erat, narrat Rich in *den Fundgruben des Orients*, tom. III, pag. 144. Satyros vero saltare, ut hic vates dicit, idque iis proprium esse docet illud Virgilii, *Ecl. v, 73*: « Saltantes Satyros imitabitur Alpheisibæus. » Hieronymus: « *Scirim* vel incubones, vel satyros, vel sylvestres quosdam homines, quos nonnulli fatuos sicarios vocant, aut dæmonum genera intelligunt. »

dicta, quod semper gemat et ululet. Ita Babylon factum; nam, ut ait S. Hieronymus: « Didicimus a quodam fratre Eremita, qui de illis finibus egrediens, nunc Hierosolymis vitam exigit monachorum, venationes regis esse in Babylone, et omnis generis bestias murorum ejus ambitu tantum contineri. » Mystice, Babylon est mundus, ululæ sunt mundani et sæculares, qui ob mundi curas, fastidia, lites milleque ærumnas assidue gemunt et ululant, sed tamen sicut ululæ suis in Babylone cavernis egredi nolunt: imo, si eas extrahas, resistunt: sic mundani mundi miseriis quas perditæ amant eximi nolunt, ut ad vitam quietam et religiosam transeant, sed in iis vivere et morari cupiunt. Est hæc maledictio Babylonis, id est mundi.

SIRENES. — Chaldæus, *dracones*; Septuaginta, *ericii*; hebraice est תנינ תנינ *tannim*, id est, ut ait S. Hieronymus, dæmones, aut monstra, aut dracones magni, cristati et volantes; hi enim vere sunt in locis desertis, et horum speciem sæpe assumunt dæmones. Noster pro genere *speciem* vertit. *Siren* enim est species monstri aquatici et marini, ore et pube tenus virgo, inferne piscis; qualis nostro sæculo in Frisia captus, vixit inter homines multos annos, didicitque nere. Hac etiam specie homines ludificat dæmon. Minus recte Scholiastes Græcus in *Isaiæ XXXIV, 23*: « Sirenes, inquit, vocantur ea quæ inter volatilia emittunt noctu querulam vocem, ac prope ululant, uti noctua, et similia. » Nota: Hac phrasi significat Propheta extremam loci vastitatem, quod scilicet ita desolandus sit, ut fiat habitaculum dæmonum et monstrorum, ita ut nemo eo ire audeat.

Tropologice, *Siren*, ait S. Basilius, est dæmon, qui animam voluptate illicit et decipit. Unde de Sirenem Ulyssis fabula, ejusque mystica mythologia, et victoria per crucem, vide S. Ambrosium, lib. IV in *Lucam*, initio.

IN DELUBRIS VOLUPTATIS. — Vatablus, in *palatiis voluptuosis*. Babylon enim erat constructa et comparata ad omnem voluptatem et pompam; at post excidium in ea pro deliciis erunt dracones, pro citharædis ululæ et bubones, pro famulis et asseclis Fauni et Satyri horribiles.

Mystice, S. Bernardus, tract. *De undecim Oneribus Isaiæ*, serm. 1: « Primum, ait, onus Babylonis est, quod necesse est ut auferatur ab humeris nostris. Babylon significat mundum, cujus amor cupiditas est; onus itaque grave, multos premens et ad inferiora incurvans. Tripliciter autem miseros onerat, labore, timore, dolore. Cum labore pervenit homo ad hoc quod cupit, cum timore possidet, cum dolore amittit. Eia, fratres, quis regum non cum labore acquirit quod cupit? quis regum ita securus, ut nullum timeat? quis non cum dolore aliquid amittit? Sed retorqueamus ad nos parabolam istam. Nullusne nostrum sub hujus oneris pondere suspirat? Nullæne in nobis mundanæ delectationes resederunt? Quid? quod

Tropologice Siren est dæmon.

qui sua relinquere, aliena quærere non formidant, pro quibus, laboribus fatigantur, cruciantur doloribus, timoribus conteruntur? Numquid vel ille ab hoc onere liber est, qui cum nihil vel parum in monasterium attulerit, tamen ut aliis det, quidquid potest de monasterio auferre non desinit; qui importune petit; qui irascitur, si non accipit; dolet, si corripitur; sævit, si proclamatur? Quid illi, qui tanto parentum stringuntur affectu, ut Religionis dispendium, maximosque labores pro eis subire non dubitent, et ob hoc etiam dies vacuos et noctes ducunt insomnes? Quid de illis dicam, qui honores ambiunt? quid oneris non sustinent? nunc adulantur, nunc detrahunt, nunc pro aliorum promotione insaniant; nunc frustrati spe sua, in ipsos etiam patres suos maledictis insurgunt. Itaque, fratres, omnes hi conformantur huic sæculo. Unde et nomine Babylonis censentur, illo pœnarum onere, quod Propheta super Babylonem describit, miserabiliter opprimendi. » Hisce ergo adapta singulas Isaïæ hoc capite et sequenti, contra Babylonem sententias et minas, ac præsertim illam cap. XIV, 44 : « Concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Detracta est ad inferos superbia tua. Quomodo

cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris, » etc. (1).

(1) D. Raoul Rochette in prælectionibus quas explanavit Parisiis, anno 1835, in Bibliotheca regia, *De monumentis et antiquitatibus Asiæ*, sic Babylonis ruinarum quæ in spatio decem et octo leucarum jacent, descriptionem absolvit : « Tel est l'aspect général du terrain qui fut autrefois Babylone. La désolation y règne dans toute sa hideur. Pas une habitation, pas un champ, pas un arbre en feuille : c'est un abandon complet de l'homme comme de la nature. Dans les cavernes formées par les éboulements ou restes des antiques constructions, habitent des tigres des chakals, des serpents, et souvent le voyageur est effrayé par l'odeur du lion. Ces ruines sont un objet de terreur pour toute la contrée, l'homme ne s'y arrête que pour détruire, les caravanes évitent de les traverser, et ce n'est qu'en affrontant la mort que l'antiquaire peut les observer et les décrire. C'est ainsi que s'est accomplie à la lettre la prédiction du prophète Isaïe : *Et erit Babylon illa gloriosa*, » etc. Vide *Annales de Philosophie chrétienne*, tom. XI. Maurice Rich : *Memoirs on the ruins of Babylon*; dans le Recueil de Hammer; tom. III : *Observations on the ruins of Babylon*, Lond. 1816. *On the topography of ancient Babylon*, in *Archæolog. Britann.*, tom. XVIII, pag. 243. — Robertker Porter : *Travels in Georgia, Persia, Armenia, ancient Babylon*. — *Voyages aux ruines de Babylone*, opus ex anglico in gallicum conversum a J. Raymond, in-8°, Parisiis 1818. *Mém. sur les antiq. Babylon.*, *Journal des Savants*, 1790, p. 777. *Voyage de Nieburh*, t. III, et de Keppel, *Mém. de l'Acad. des Inscript.*, tom. XLVIII.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit depingere excidium Babylonis (quod fiet propter Judæos, ut ipsi ex ea liberentur), atque Balsasaris regis factum et ruinam quasi alterius Luciferi, cui proinde, vers. 10, alios reges in inferno insultantes inducit. Tertio, vers. 18, ejus nomen, sobolem et memoriam interitura prædicat. Quarto, vers. 28, Philistinis cladem per Ezechiam denuntiat (2).

1. Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam : adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. 2. Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum : et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas : et erunt capientes eos qui se ceperant, et subjicient exactores suos. 3. Et erit in die illa : cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua

(2) Hujus capituli idem est argumentum ac præcedentis, scilicet Propheta, primo, ut consecraria eversæ Babylonis, redintegrationem populi a Deo electi exhibet, per reliquias in patriam reductas, a proselytis auctas, vers. 1; per possessionem hæreditatis receptam, et dominatu in hostes amplificatam, vers. 2; per quietem ex omni parte reditam, vers. 3.

Secundo, illustrat expositionem per canticum, quod refert, primo, tyrannidem Babylonicam justo Dei judicio compressam, 4-6; secundo, gaudium reliquarum gentium, de sua hinc quiete ac securitate orta lætantium, 7, 8; tertio, insultationem devictorum illudentium usurpatori tyrannico, ad sortem suæ similem redacto, 9, 10; præsumptuosa spe et arrogantissima machinatione frustrato, 11-14; ab omni auctoritate, etiam in suis hæredibus, ex-

cluso, 20, 21; quarto, sententiam Dei, decernentis excidium et deletionem omnimodum Babylonis, 22, 33; conformantis hoc decretum juramento, et exemplo sumendæ de Assiriis vindictæ, 24, 25; obsignantis sua fide et potentia consilium hoc constitutum, 26, 27.

Hujusce capituli ultima pars vaticinium de Philistæis exhibet scilicet, primo, tempus prophetiæ editæ anno postremo vitæ Achazi, 28; secundo argumentum ejusdem: dehortatur Isaïas Philistæos a vana lætitia et gloriatiōne quam de infortunio Judæorum, vel, si mavis, de Assiurum clade et eversione concipere potuissent, prædicando calamitatem sibi ipsis instantem, et contra Judæos ad pristinam felicitatem redituros, 29, 30; imperat iisdem luctum ob excidium illis aliunde inferendum, et prosperitatem populo Dei stabiendam, 31, 32.

ante servisti : 4. sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? 5. Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, 6. cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. 7. Conquievit et siluit omnis terra, gavisata est et exultavit : 8. abietes quoque lætatae sunt super te, et cedri Libani : ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. 9. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solis suis, omnes principes nationum. 10. Universi respondebunt, et dicent tibi : Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. 11. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum : subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. 12. Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? 13. Qui dicebas in corde tuo : In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. 14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. 15. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacu : 16. qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient : Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, 17. qui posuit orbem desertum, et urbes ejus dextruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem? 18. Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua. 19. Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta lacu, quasi cadaver putridum. 20. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura : tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti : non vocabitur in æternum semen pessimorum. 21. Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum : non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum. 22. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum : et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus. 23. Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. 24. Juravit Dominus exercituum, dicens : Si non, ut putavi, ita erit : et quomodo mente tractavi, 25. sic eveniet : Ut conteras Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcetur eum : et auferetur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolletur. 26. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus extenta super universas gentes. 27. Dominus enim exercituum decrevit : et quis poterit infirmare? et manus ejus extenta : et quis avertet eam? 28. In anno, quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud : 29. ne læteris, Philistæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui : de radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrum. 30. Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent : et interire faciam in fame radicem tuam, et reliquias tuas interficiam. 31. Ulula, porta; clama, civitas : prostrata est Philistæa omnis : ab Aquilone enim fumus veniet, et non est qui effugiet agmen ejus. 32. Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus.

1. PROPE EST UT VENIAT TEMPUS, — scilicet excidii Babylonis, de quo cap. præced. (unde Hebræi hunc versum jungunt cap. præced.), quo excidio Deus misertus est Judæorum, scilicet solvendo captivitatem eorum per Cyrum, et faciendo ut victi antea Judæi victoribus Chaldæis, mutata jam fortuna devictis, insultarent et dominarentur, ut sequitur (1) :

(1) Tempus futuræ Judæorum liberationis prope esse prædicit Isaias, quamvis non nisi ducentos post annos in

2. TENEBUNT, — *q. d.* Honorifice Judæos excipient aliæ gentes, uti fecisse Cyrum et Artaxerxem

libertatem vindicandi essent : *primo*, quia Prophetæ divino lumine perfusi, longiora temporum spatia pro nihilo reputare consueverunt, utpote qui loquentes in nomine Dei, omnia ut præsentia, in sua æternitate intuentis; *secundo*, quia Isaias se suosque jam durissimo Babyloniorum jugo subjectos considerat, nam ad captivitatis tempus istud vaticinium respicit. Porro, sub illo respectu, proxima erat Babylonis calamitas, cum 70 tantum annos duratura erat Judæorum captivitas. (Berthierus.)

patet *Esdrae* lib. I et II. Unde S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Multi e Gentibus, puta Medis, Persis, Babylonis, et aliis, invitati exemplo sanctæ vitæ Judæorum Babylone redeuntium, venient Hierosolymam relinquentes idola. Et sic Judæi spiritualiter subjicient eos, quibus ante subjecti fuerant; corporaliter vero subjicient eos qui se sponte illis subdent, aut pauperie pressi se eis in servos et ancillas vendent.

Allegorice et verius, omnes gentes obedient Israeli spirituali, id est Ecclesiæ Christi (1).

Vers. 4.

4. SUMES PARABOLAM.—« Parabolam » vocat parabolicum, elegans et eximium carmen, canticum et dicerium (hoc enim significat hebræum מַסְכָּל *mascal*), quod quasi lugubre et patheticum est Babylonis epitaphium (2).

(1) Post captivitatem hæc ad litteram, ex parte adimpleta fuit prophetia; nam reges Persarum multum comitatum Judæis in suam patriam reversuris dederunt, et ipsi plurimos Chaldæos ut servos assumpserunt, ut videre est apud *Esdrae* II, 65: « Exceptis servis eorum et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem. » Sed nonnisi cum Evangelium Orientis populis, Persis scilicet, Medis, Syris, apostoli prædicarunt, perfecte adimpletam vidimus. Nam ex Judæis orti erant Apostoli, et jugo Christi has nationes populo Dei olim infensissimas submiserunt.

Animadvertite, lector, quod qui extra « terram Domini » aliis serviebant, ingressi « terram Domini » dominis suis imperare cœperunt. Sed quia hæc nunquam consecutos legimus Israelitas, etiam Babylone vastata, postquam in patriam remeassent, superest ut « electionem, » de qua supra diximus, vers. 1, hanc benedictionem accepisse dicamus. Nam si adhuc adimplenda hæc dicant Judæi, ergo rursus instaurabitur Babylon, quod Prophetæ prorsus negant, et rursus captivi ducentur Judæi in Babylonem; hæc autem dixit Isaias antequam illi captivi ducerentur, et Babylon vastaretur. « Cipientes eos qui se ceperant. » Hebræa hunc sensum habent: *Abducent in captivitatem eos a quibus in captivitatem abducti fuerant*; id enim significat verbum *schabah*. Quando hoc, quæso, factum est? aut quando fiet? Dicant Judæi, si possunt. De altera ergo libertate, nempe spiritali, qua jam fruimur, hæc recte intelligi possunt. Hostes qui in exilium mittebant servos Domini, aut servis Dei manus victas dederunt, et ministri fuerunt ad omnia quæ servis Dei opus erant, ut vitam tranquillam et beatam ducere possent, aut aucto Christi imperio et imperatoribus factis Christianis passi sunt interdum a Christianis eadem quibus prius Christianos affecerant. (Forerius.)

(2) Sequitur hunc (usque ad vers. 23), præclarum illud epicinium in regni Babylonici occasum, quod data opera illustravit Aurivillius in singulari dissertatione, quæ exstat in omnium Aurivilliarum Dissertat, collectione a Michaele edita, pag. 389 et seqq. Eleganter translatum illustratumque hoc carmen legitur a C. G. Justi in libro a se edito: *National-Gesange der Hebraer*, pag. 92 et seqq. Vide et Blumen, *Alt-hebr. Dichtkunst*, pag. 449, et a Davide a Coëlln, in *den Analekten für das stud der exeg. Theol.* vol. III, fasc. n, pag. 1 et seqq. Orationem elatam et gravem, comparationibus, imaginibus, figuris multum ornatam, recte dixit Lowthus in *Prælect. IV De poesi Hebræor.*, pag. 64, 65 edit. Götting. (Rosenmuller.)

Istud propheticum carmen translatum et annotationibus ornatum etiam fuit ab Herder, in opere cui gallice titulus: *De l'esprit de la poésie hébraïque*, part. I, pag. 262, quod etiamnum ornatissimis versibus prosecutus est Racine nostri celeberrimi poetæ filius.

QUOMODO CESSAVIT EXACTOR? — Est pulchra hypotyposis tyrannici imperii, quo reges Chaldæi alias gentes duris tributis et oneribus gravabant et exhauriebant. Unde subdit: « Quievit tributum, » hebraice מַדְהֵבָה *madheba*, id est aurum tributarium, inquit Vatablus. Alii vertunt, *cessavit aurata*, vel *auraria*, id est auro plena et superba, vel avara et auri avida. Quocirca alii vertunt, *cessavit congregatrix auri*.

8. ABIETES QUOQUE LÆTATÆ SUNT SUPER TE, ET CEDRI.—Metaphorice comparat principes et regna Gentium abietibus et cedris; regem vero Babylonis, lignatori sive cæsori, *q. d.* Reges et principes a rege Babyloniorum subacti, afflicti et vexati, lætati sunt Babylone excisa, et rege occiso, sicut naturaliter quasi gaudent arbores, si moriatur lignator vel cæsor earum. Quocirca lætantes dixerunt id quod sequitur (3):

9. INFERNUS SUBTER CONTURBATUS EST.—Est sarcasmus, sive hostilis irrisio regis Babyloniorum occisi, et fictio poetica, ait S. Hieronymus, qua tantum vult significare Prophetam, quod infernus, id est incolæ inferni, præsertim principes olim et tyranni, admirati sint casum regis Chaldæorum, eumque irriserint et subsannarint. Hunc schemati similes sunt dialogi Luciani, in quibus Alexander, Mausolus, et alii principes a mortuis irridentur.

Porro per *infernum*, tum infernum, tum sepulcrum accipe: priori enim regis gloriæ objicit squalorem sepulturæ, deliciis præteritis opponit tabem et putredinem cadaveris, pristino nitore et elegantiae opponit tineas et vermium stragula.

Sensus ergo est, *q. d.* Uti principi in bello victo et capto occurrunt alii principes, novitatis, admirationis et irrisionis causa: ita tibi, o Nabuchodonosor! vel potius tibi, o Balsasar! cum occisus es a Cyro, et descendisti ad inferos, occurrerunt principes et gigantes, id est heroes, et viri fortes ac terribiles jam mortui, et positi in inferno, præsertim ii quos tu ante regno, vel etiam vita spoliaveras, hi te irriserunt, tibi que insultarunt dicentes: Ecce tu vulneratus es et occisus, sicut nos vulnerasti et occidisti; descendisti ad inferos; sicut et nos: veni ergo, o princeps noster! occupa primum, id est imum et deterrimum, in inferno locum: illum tibi cedimus, illum tibi offerimus, tanquam victori nostro, imo monarchæ. Sic enim veniente rege omnes principes assurgunt, eum ad sessum invitant, et ad primum locum, quasi ad thronum regium, deducunt.

(3) Juxta quosdam, victores hostes suam dominationem in subactas provincias ostentabant, sylvas cædendo, ut videre est infra, cap. xxxvii, vers. 24: « Ego ascendi altitudinem montium, juga Libani, et succidam excelsa cedrorum ejus. » (Allioli.)

Sed melius cum S. Hieronymo dicemus: « Per abietes et cedros Libani principes Gentium intellige, qui Nabuchodonosor percutiente succisi sunt, qui et ipsi in vocem lætitiæ perrumpentes dicunt: Ex quo ad inferna deductus est, nullus alius potuit inveniri, qui magnos potentesque succideret. »

Nota: Hæc potius Balsasari, quam patri ejus Nabuchodonosori conveniunt; nam Nabuchodonosor gloriose vixit, mortuus et sepultus est, atque regnum ad posteros transmisit. Balsasar vero turpiter a Cyro victus et occisus est, in eoque stirps regia defecit, atque excisa est urbs et monarchia Babyloniorum, *Daniel. v, 30 et 31*. Adde multos probabiliter affirmare Nabuchodonosorem non descendisse ad inferos, id est ad gehennam, sed esse salvatum, uti dixi, *Daniel. iv, 34*.

Ex dictis patet, non congrue, imo perperam, Leonem Castrium hæc intelligere de Christo crucifixo, quasi hic sit Lucifer, qui corpore ad sepulcrum, anima ad inferos descendit, cui quasi mortuo, et a morte superato insultarint dæmones. Citat Leo Eusebium, lib. X *Demonst. ult.*, sed frustra, et perperam, uti et alios plures. Nam Eusebius ibi nil aliud dicit, quam Christo descendenti ad inferos occurrisset dæmones, et Luciferum, de quo ait Isaias: « Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer? infernus subter conturbatus est, etc., detracta est ad inferos (ad sepulcrum, et etiam proprie ad inferos) superbia tua, » Hebraice גֵּאוֹנְךָ *geonecha*, id est *gloria tua*; ut vertunt Septuaginta et Chaldæus; item fastus, elatio, arrogantia tua, ut vertit Noster, et alii.

Vers. 11. 11. CONCIDIT CADAVER TUUM, — projectum est instar canis, vel asini mortui, qui in fimetum projectus ibi vel putrescit, vel a canibus et feris devoratur. Sic de Joakim rege dicitur, *Jerem. xxii, 19*: « Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas. » Legit Interpres pro הִמִּיתָ *hemiath*, id est *sonitus*, aliis punctis הִמִּיתָ *hemit*, id est *occidit*, scilicet Deus vel Cyrus, hoc est occisum est, concidit. Rursum legit נִבְלַתְךָ *niblatcha*, id est *cadaver tuum*: jam legunt נִבְלֶיְךָ *nebalecha*, id est *nabla tua*. Unde Vatablus et alii vertunt, *sonitu naborum tuorum*; vel, ut Chaldæus, *strepitus laudis musicæ tuæ*; vel ut Septuaginta, *multa lætitia tua, q. d. Tua gloria, tuæ epulæ et convivia, o Balsasar! in quibus musica et nablis personantibus te recreabas, defecerunt, detracta sunt te moriente et descendente ad inferos*.

SUBTER TE STERNETUR TINEA, ET OPERIMENTUM TUUM ERUNT VERMES, — *q. d. Reges mortui solent aureo tapete et peristromate tegi et ornari; rursus reges Assyrii, teste Strabone, lib. XVI, et reges Babylonii, teste Herodoto, lib. I, solent post mortem condiri unguentis et aromatibus, ne male oleant et putrescant, sed ut bene olentes diu conserventur. At tu, o Balsasar! in turba populi occisus, nihil horum habebis, sed inter cæsorum cadavera, jacebis oppletus sanie et vermibus, qui e tuo corpore putido, et aliorum occisorum enascuntur, q. d. Tuum cadaver putrescet, fietque esca vermibus, uti et cæterorum.*

Notent hoc superbi, molles et delicati: quid enim saginando corpus faciunt aliud, quam ut opiparum vermibus epulum parent, qui adipem,

quo se impinguant, rodant et vorent? Pie et sapienter nuper adolescens quidam, fastidians solitas carnis et mundi illecebras, factus Capuccinus, cum a socio postmodum visitatus audiret: Eheu! quam pallidus, quam macilentus in Ordine effectus es! Respondit: Hoc curo, hoc sagtato, ut abstinentia, mortificatione, adipem et sanguinem Deo consacrem et exhauriam: nolo enim corpus brevi moriturum impinguare vermibus, ut illi in eo epulentur; nolo saginam præparare lumbricis; nolo esse obsonator et cocus bufonum. Ita sæcularis ille, quem memorat noster Platus, lib. III *De Bono status Relig.*, cap. ult., cum in deliciis mollem vitam ageret ac nullum sibi de conversione verbum fieri pateretur; Religiosus quidam comiter eum invisens ad extremum in digressu: Scis, inquit, quis post mortem erit lectus tuus? quæ stragula? docebit te Isaias, dicens: « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes: » qui versus ita eum pupugit, ut jam nihil aliud animo volvere posset, quam vermes illos et illas tineas: quin etiam cum molestam hanc recordationem ludis variis, et æqualium solatiis abstergere conaretur, ita nihil proficiebat, ut potius magis ac magis infingeretur. Quare hoc reputans, si ipsa cogitatio illius pœnæ tam erat intolerabilis, quanto intolerabilior futura esset ipsa pœna; manus denique Deo dedit, seque ei in Religione dicavit. Denique præclare B. Petrus Damiani, lib. VII, epist. 19 *ad Blancam*, ante finem, docet carnem in vita delicatius nutritam, mortuam magis quam aliam fetere; idque confirmat exemplis Sophiæ Marchionissæ, Ducissæ Venetiarum, quæ tunc recenter mortuæ fetorem intolerabilem exhalabat, eo quod delicate nimis corpus enutriisset.

Symbolice S. Athanasius, serm. *De Passione et Cruce Domini*: Subter Satanam, inquit, sternitur putredo, ut eum jam Passione Christi quasi mortuum, id est enervatum et debilitatum nemo metuat; sed Christum, et per Christum Patrem omnes adorent.

12. QUOMODO CECIDISTI DE COELO, LUCIFER, QUI MANE ORIEBARIS? — Pro *Lucifer* hebraice est הִילֵל *helel*: quod verti potest, *ulula*; unde Aquila vertit, *ulula, fili auroræ*. Sic et Syrus. Verum alii passim vertunt, *Lucifer*.

Quæres primo, quis sit hic « Lucifer? » Primo, Quis hic Lucifer? Leo Castrius, ut dixi, accipit Christum, quasi hic sit vox dæmonum irradientium Christum crucifixum et mortuum. Secundo, Origenes, Eusebius, Ambrosius, Athanasius, et passim veteres, quos citat Leo Castrius, hæc ad litteram intelligunt de casu diaboli e coelo. Tertio, S. Cyprianus, epist. 55 *ad Cornelium*, per Luciferum, accipit Antichristum.

Quarto, et genuine, S. Hieronymus; Cyrillus, Basilius, S. Thomas, Haymo, et S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christ.* cap. xxxvii, per Luciferum accipiunt regem Chaldæorum: hoc est

Lucifer
hic Bal-
sasar.

Delicati
parant
vermibus
epulum.

enim onus Babylonis, ejusque regis, de quo egit toto cap. xiii et xiv. Porro licet S. Hieronymus, et alii per Luciferum accipiant Nabuchodonosorem, qui ut alter Lucifer divinitatem sibi arrogavit, voluitque coli ut Deus in statua aurea, quam crexit, *Daniel. III, 1*; tamen verius est per Luciferum hic intelligi Balsasarem, ut dixi. Petulanter et imperite Calvinus hic taxat Ecclesiam, quod principem dæmonum vocet Luciferum. Ait enim: « Crassior etiam ignorantia fuit, quod Luciferum diabolorum regem, eique a Propheta hoc nomen inditum esse finxerunt. Sed cum hæc figmenta nihil prorsus habeant coloris, tanquam inanes fabulas omittamus. »

Omnes enim Patres et Interpretes docent per Luciferum hic intelligi principem dæmonum; per catachresin vero Luciferum vocari regem Chaldæorum, ob causam quam mox afferam. Cui enim competunt ea quæ hic de Lucifero dicuntur, nisi dæmonum principi? ut: « Qui dicebas: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, » etc. Ergo Isaias hoc nomen Luciferi proprie dat principi dæmonum, metaphorice Balsasari (1).

Quæres, secundo, cur Balsasar vocetur Lucifer: an quia similis fuit stellæ Veneris, quæ Lucifer et Hesperus dicitur? an quia similis fuit diabolo, qui dictus est Lucifer? Respondeo primo eum vocari Luciferum, quia similis fuit stellæ Veneris. Nam ait Propheta: « Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? » hebraice est *Lucifer, fili auroræ*, id est Lucifer, qui cum aurora et ex aurora quasi filius nasci videbaris: unde Septuaginta pro *Lucifer* vertunt, *ἑσπέρως*, id est

auroræfer, qui scilicet in aurora lucet, eamque quasi defers. Hinc et Arabica Alexandrina versio habet: *Quomodo cecidit stella auroræ* (vel sidus eruptionis auroræ) *de cælo, oriens in diluculis?* hinc enim hæc stella hebraice vocatur *helel*, latine *Lucifer*, græce *ἑσπέρως*, quod mane primam lucem et auroram orbi afferat; eadem vocatur Hesperus et Vesperugo, quia vesperam et noctem affert: nam sicuti mane in aurora præcedit solem orientem, ita vesperi eum occidentem sequitur. Quocirca hæc stella imaginem refert utriusque fortunæ et conditionis, scilicet nigræ et adversæ, cum solem occidentem sequitur, et dicitur Hesperus, secundæ vero et candidæ, cum solem orientem præcurrit, et dicitur Lucifer. Hinc enim ait Sophar ad Job, cap. xi, 17: « Quasi meridians fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. » Nam, ut canit Boetius:

Et qui primæ tempore noctis
Agit argentes Hesperus horas,
Solitas iterum mutat habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Lucifer
typus
fortuna
secundæ
et adversæ.

Hinc et Virgilius, libro VIII *Æneid.*, Pallantem splendidum comparat lucifero, mane radios solis primo excipienti, indeque splendenti, dum ait:

Ipsæ agmine Pallas
In medio chlamyde et pictis conspectus in armis;
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda
Extulit os sacrum cælo.

Quare sicut Horatius Julium Cæsarem comparat sideri dicens:

Micat inter omnes

Julium sidus:

ita sponsa pulcherrima in *Canticis* comparatur auroræ et lucifero, cap. vi: « Quæ est ista, inquit, quæ progreditur quasi aurora consurgens? » Et Ecclesiasticus cap. I, vers. 6, de Simone Oniæ filio ait: « Quasi stella matutina in medio nebulae, etc., sic ille effulsit in templo Dei. »

Balsasar ergo vocatur hic « Lucifer, » primo, quia illustre et splendidum habebat imperium, ita ut ejus claritas, majestas et fulgor videretur non tam esse terrenus quam cœlestis et sidereus. Secundo, quia erat monarcha, atque inter homines et reges velut Lucifer inter astra eminebat et elucebat, inquit Cyrillus. Hoc est enim quod de Lucifero sive Hespero canit Poeta:

Hespere, qui lucet cælo jucundior ignis,

id est jucundissima stella: putabant enim veteres stellas esse igneas. Rursum Luciferi cursus est soli coævus, firmus et perpetuus, q. d. Quam incredibile est ut lucifer de cælo cadat, tam incredibile videbatur ut Balsasar e suo regali solio, celsitudine, majestate et gloria dejici posset. Tertio, quia, sicut lucifer primo lucet, et mox

Tertio.

Est Balsasar, cur?

(1) Plerique SS. Patres hunc Isaiæ locum de diabolo intellexerunt, quæ sententia adeo communis evasit, ut S. Thomas eam ut Scripturæ definitionem producere non dubitet. Nam, I part., *Quæst. LXIII, art. 5*, refellendo eos qui statim dæmones in primo instanti suæ creationis malos fuisse posuerunt, sic ait: « Hæc opinio auctoritati Scripturæ contradicit, dicitur enim sub figura principis Babylonis de diabolo, *Isai. XIV*: Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris, » etc.

Sed ea occurrit difficultas. Iste de diabolo sensus estne secundum litteram, vel simpliciter accommodativus? Porro si non esset nisi accommodativus, cum iste sensus ad cujusque arbitrium flectitur, nihil aut fere nihil probaret. Si e contra iste sensus est metaphoricus vel allegoricus, hanc figuram esse prorsus dissimilem aliis quæ in Scripturis disseminantur fatendum est. Nam hæc quidem rem figuratam antecedit, illa vero subsequitur, cum malorum angelorum interitus tot sæculis Babylonis ejusque regum ruinam et interitum antecesserit. Attamen, cum aliunde Babylonis eversio, Jerusalem, necnon et idololatriæ, totique orbis in ultima consummatione, interitus typus et figura fuit, dici potest hæc etiam figura fuisse eversionis et disperditionis Satanæ. Juxta hunc sensum in Apocalypsi fundatum, ubi sæpius de Babylonis eversione quæstio est, verum est regis Babylonis interitum, regni diabolici fuisse etiam eversionem, quod Salvator innuit cum discipulis narrantibus quæ in dæmoniis operati erant, ait: « Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. » (Ex Berthiero.)

adveniente sole non comparet; ita prima fuit monarchia Babyloniorum, quæ mox evanuit adveniente Cyro, id est sole: Cyrus enim persice solem significat, ait Herodotus. *Quarto*, quia reges Chaldæi lucem et ignem, quem ut deum colebant, sibi præferri curabant, quasi ipsi essent soles et dii, quos præcederet lucifer. Idem postea imitati sunt Romani Imperatores; nam ignem sibi præferri curarunt, teste Herodiano; quia ignis symbolum est principatus, felicitatis potentiae et gloriæ. Sic Holofernes, ut habent Septuaginta, *Judith* cap. x, vers. ultim., cum egressus est ad Judith in proscenium, lampades honoris causa eum præcedebant: nam jam ortus erat sol, ut lampadibus ad lumen non indigeret. Hac de causa reges Chaldæorum primi suo capiti coronam imposuerunt radiis distinctam, ut speciem præ se ferrent radiantis solis. Hinc etiam Solis nomine vocari et salutari voluerunt, uti vocatus est Cyrus, quasi dicas sol. Sic a Deo filius Manue vocatus est Samson, id est solivulus, parvus sol, qui scilicet Hebræis inter tenebras afflictionum, quibus a Philistinis premebantur, cœlitus quasi sol salutaris illuxit, easque sua fortitudine discussit et depulit. Balsasar ergo vocatur « Lucifer, » quia eum radiata corona instar solis splendidum antecedeat collucens ignis; sicut lucifer solem ategreditur, inquit Sanchez. *Quinto*, quia, sicut lucifer mane oriens in occasu fit Hesperus, ita et Balsasar, q. d. Quomodo tu, o Balsasar! qui in ortu tuo fulgebas ut lucifer, jam in occasu tuo versus es in Hesperum, imo de cœlo in terram quasi corruisti?

Quocirca apposite S. Bernardus, serm. 3 in visionem Isaia, cap. v: « Quid, ait, festinas mane oriri ut Lucifer? quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua: sequitur sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter et splendore in nihilum redactus omnino dispereas. Quam melius Joannes Baptista Lucifer fuit, qui solem justitiæ Christum præcurrens magis fervere studuit quam lucere? Bonum erat tibi, si ignifer magis esse quam lucifer.» Quomodo ergo, o Lucifer! factus es noctifer, imo furcifer? Quomodo de cœlo in cœnum, de summo in imum, de vita in mortem, de gloria in gehennam corruisti? Vide eumdem S. Bernardum, serm. 17 in Cant., qui totus est de Luciferi dejectione.

Dico, secundo, Balsasarem comparari quoque Lucifero, id est diabolo: hic enim dictus est Lucifer, quod gratia et gloria in cœlo fulgeret, ut stella quæ dicitur « lucifer; » sed per casum factus est obscurus ut Hesperus: superbiam enim Luciferi imitatus est Balsasar, unde et simili cum eo poena mulctatus descendit ad inferos: nec enim stellæ hic descensus congruit.

Poetico ergo schemate graphice depingit hic casum diaboli, et sub eo quasi typo intelligit ad litteram casum Balsasaris, uti fieri solet in paraboli-

lis. Sic enim, *Thren.* II, 1, Jerusalem a Chaldæis vastata dicitur de cœlo in terram defecta. Simili prorsus schemate Ezechiel, cap. xxviii, sub typo angeli Cherubini, gloriam et casum regis Tyri describit; fuit enim ipse quasi alter Cherub: sic et Balsasar fuit quasi secundus Lucifer. Vide *Canon.* XXII. Sic ait Virgilius: « Alius Latio jam parvus Achilles, » scilicet Turnus, et rursus:

Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo:

« Argo, » id est quævis navis; « Tiphys, » id est quivis nauclerus et gubernator.

Assero ergo quod, sicut in parabolis est primo, veritas ipsius parabolæ seu historiæ, aut rei quæ parabolice narratur; et secundo, est veritas rei per parabolam significatæ, quæ secunda est sensus litteralis ipsius parabolæ: ita in hoc schemate describitur fastus et casus Luciferi instar parabolæ, sed per eum ad litteram intelligitur fastus et casus Balsasaris. Hunc esse sensum docet ipse contextus, et unanimiter Patres, ut S. Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, Tertullianus, Athanasius et alii, quos citat hic Arias Montanus. Huc allusit Christus, *Lucæ* x, 18, dicens: « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. »

Mystice, significatur hic mystica ruina diaboli, quæ contigit in aurora, id est in initio creationis ipsius et mundi. Unde Syriaca habet: *Quomodo cecidisti de cœlo? ulula, mane* (in matutino) *corruisti*; et Arabica Antiochena: *Quomodo cecidisti de cœlo super terram in aurora, mane corruisti?* Porro Christus eidem dominium in homines et in Ecclesiam ademit. Hinc dicitur in Scriptura projectus jam esse accusator ille fratrum, et a Christo catenis alligatus; imo Forerius putat hunc esse sensum litteralem hujus loci.

13. IN COELUM CONSCENDAM, SUPER ASTRA DEI EXALTABO SOLIUM MEUM. — S. Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. IV, censet superbum hunc dæmonem creatum in aere, et rebus terrestribus præpositum fuisse: « In cœlum conscendam. »

Secundo, S. Hieronymus censet Luciferum conditum in firmamento, inde in cœlum empyreum ascendere voluisse: « Vel antequam de cœlo corrueret ista dicebat; vel postquam de cœlo corruit. Si adhuc in cœlo positus, quomodo dixit: Ascendam in cœlum? Sed quia legimus: Cœlum cœli Domino; cum esset in cœlo, id est in firmamento, in cœlum, ubi solium Dei est, cupiebat ascendere; non humilitate, sed superbia. Sin autem, postquam de cœlo corruit, loquitur ista verba, arrogantiam debemus intelligere, quod nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat; non ut inter astra, sed super astra Dei sit. » Verum communis sententia est, Luciferum angelosque omnes creatos esse in cœlo empyreo. Ita, ex Strabo et Beda, Magister Sent. lib. II, dist. II; Janilius, initio *Hexam.*; Hugo, *Summæ Sent.* tract. 2, cap. 1; D. Thomas, I part., *Quæst.* LXI, art. 4, et alii.

Pro explicatione ergo nota: Uti in parabolis

Quarto.

Balsasar comparatur etiam Lucifero, q. d. est diabolo.

quædam magis, imo soli litteræ, id est parabolæ; quædam vero magis rei per eam significatæ conveniunt: ita et hic fit. Fingitur enim parabolice Veneris stella, quæ in cœlo suo erat, in cœlum altissimum super omnia astra ascendere cupivisse; quia a Saracenis culta fuit ut numen. Audi S. Hieronymum in *Vita S. Hilarionis*: «Hilarion, ait, pervenit Elusam eo forte die, quo anniversaria solemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita est.» Et Theodoretus in *Histor. Patrum*, cap. xxvi, testatur Simeonem Styliem convertisse Ismaelitas a cultu Veneris ad cultum Christi: «Simulacra, inquit, conterentes, et Veneris orgiis renuntiantes (ab alto enim repetitis temporibus acceperant cultum hujus dæmonis), divina percipiunt Sacramenta.» Hinc et Mahomet in Alcorano astri, quod Cubar vocant, id est Luciferi, cultum suis indixit. Fingitur ergo hæc stella deitatem appetiisse, quia scilicet Lucifer, id est diabolus, in cœlum divinitatis et æqualitatis Dei appetit, in illudque conscendere voluit: ita et rex Babylonis quasi alter Lucifer non quidem tam demens fuit, ut in cœlum proprie volare vellet; sed summum gloriæ, majestatis et honoris etiam divini thronum, qui proprie est cœlum, ambivit: voluit enim haberi et coli ut Deus; unde explicans subdit: «Similis ero Altissimo,» *q. d.* Colar ab hominibus eo honore et reverentia, qua Deus in cœlo colitur: hoc enim tantum, non aliud significant omnes hæc parabolice et hyperbolice exaggerationes. Tyranni enim volentes coli ut dii, et subinde ut soli, ideoque abolentes omnes alios deos, reipsa invadebant ipsum solium Dei, volebantque quasi in cœlum conscendere, et Deum de suo solio deturbare, aut certe cum eo in eodem solio sedere. Simili hyperbole ait Callimachus:

Tellurem pedibus, capite attingebat Olympum.

Quem imitatus Virgilius:

Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.

Et Horatius:

Sublimi feriam sidera vertice.

Et Seneca:

Altum superbo vertice attingens polum.

Quam vere dixit Timon:

Ambitionis homo est vanæ plenissimus uter.

Addit S. Thomas Gentiles fuisse tam ventosos et stolidos, ut crederent principes et heroes post mortem inter astra referri, aut inter cœlestes deos numerari; quomodo Hercules, Castor, Pollux et alii cœlo insiti et infixi dicuntur.

Denique tumidus tyrannorum animus ita subinde erat inflatus et elatus, atque ex elatione ita amens et stolidus, ut se mari, ventis et cœlo do-

minari posse jactarent, imo putarent; hoc enita de Antiocho tradit Scriptura, II *Machab.* cap. ix, 8: «Qui, inquit, sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, etc., et qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.» Sic Balsasar hic impius et amens ait: «Super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium,» *q. d.* Dominabor astris et nubibus, inde jaculabor tonitrua et fulmina, ero Jupiter altitonans. Audierat ab Hebræis captivis Deum per columnam nubis eos deduxisse, Mosique in nube sæpe apparuisse. Unde David de eo canit, *Psal.* cui: «Qui ponis nubem ascensum tuum.» Quocirca S. Chrysostomus, hom. 2 in *Acta*, nubem vocat «vehiculum Dei.» Hinc et Christus, quasi Deus ascendens in cœlum, nube eo vectus est. Idem ergo vehiculum hic sibi arrogabat Balsasar.

Sic tumidus Pharao dicebat: «Meus est fluvius, et ego feci memetipsum,» *Ezech.* xxix, 3. Sic Diocletianus Imperator post triumphum de Persis, mortalitatis oblitus, ut Deus adorari, et ut frater solis ac lunæ haberi voluit: unde coram eo homines venerabundi se in terram projiciebant, atque osculum pedibus figebant. Proinde hæc ejus superbia a Deo acriter punita fuit: nam toto corpore intumuit, eo deinde varie disrupto lente ita emarcuit, ut lingua ejus blasphema intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes, fœtore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremo autem more canis latrans sceleratam animam exhalavit. Ita Nicephorus, lib. VII, cap. xx; Sigonius, lib. I *De Occident. Imperat.*, anno Domini 297.

Heliogabalus Imperator hoc nomen assumpsit, quia sol esse et vocari voluit; *ἥλιος* enim solem significat: nam antea Gabalus vocabatur, cujus mores impurissimos videre est apud Lampridium.

C. Caligula pro Deo haberi, adeoque rem cum luna habere videri voluit. Quocirca quæsit a Vitellio senatore, vidissetne se cum dea congregari? Cui Vitellius astute adulando respondit: «Solis, Domine, vobis diis licet invicem videre.» Ecce quo stoliditatis agit fastus mortales. Testis est Dio, lib. LIX. Ratio Caii Caligulæ, inquit Philo in lib. *De Legat. ad Casum*, erat hæc: Ovium pastor non est ovis, boum pastor non est bos, nec caprarum capra; ergo hominum pastor non est homo: quid ergo? Deus. Fecit itaque se deum. Deorum insignia, Mercurii caduceum, talaria, chlamydem; Apollinis radiatam coronam, arcum et sagittas; Martis thoracem, gladium et clypeum assumebat, eaque ratione divinitatem ostentabat. Ita vesanus ille homines pecora faciebat, ut se faceret Deum.

Xerxes Hellespontum ratibus, quasi ponte, junxit, ac deinde injecta humo pedibus per eum cum toto exercitu iter fecit. Verum cum pontem qui primo factus fuerat, tempestas disjecisset, Xerxes

Diocletianus voluit haberi frater Solis.

mare illud virgis jussit verberari. Audi Herodotum, lib. VII : « Xerxes indigne ferens, quod mare naves disjecisset, jussit trecenta Hellesponto verbera infligi, et in ejus pelagus par compedum demitti. Jam audivi, misisse quoque cum his qui stigmata Hellesponto inurerent. Certe mandavit, ut colaphos Hellesponto incuterent, dicentes barbara verba ac vesana : O aqua amara! dominus hanc tibi irrogat poenam, quod eum læsisti, qui de te nihil male meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis nolisque, transmittet. »

Julianus
deus.

Julianus Apostata, ut deus haberetur, moriens fingere voluit se ex oculis hominum evanuisse, et quasi in cœlum conscendisse, ideoque secreto in fluvium se mergere cogitavit; sed a suis rem odorantibus impeditus est, uti refert S. Gregorius Nazianzenus, orat. in Julianum.

Chosroes.

Chosroes Persarum rex, victoriis insolens, voluit coli ut deus. Hinc currum ex auro fabricavit, in quo inter subtiles et occultos ductus, quasi deus desuper aquam infundebat, ut pluviam dare videretur : et in specu subterraneo equi quadrigas trahebant in circuitu, sonitumque tonitru æmulum edebant, ut ipse tonare videretur. In tali fano profanus resedit, quasi Deus Pater, et juxta se crucem Domini a dextris posuit loco Filii, et gallum a sinistris loco Spiritus Sancti : se ergo jussit Deum Patrem nominari et coli. Quocirca a Deo punitus, ab Heraclio victus, et tandem a filio trucidatus est. Ita Siffridus presbyter, lib. I *Epitome*, anno Domini 612; et Baronius, anno Domini 614.

Canutus.

Audi quid de Canuto rege scribant Chronica Danorum, et ex iis Polydorus Virgilius : Canutus, inquit, rex Daniæ et Angliæ, sedili in littore posita dixisse fertur : « Mare regni mei pars es, itaque mihi obtemperes : » sed illud mox impetu facto sinum ejus undis perfudit. Quare territus rex de solio surrexit : « Vana, inquit, omnium regum potestas, et solus Deus omnipotens est ; » ac corona cruci imposita, postea egregius pietatis et modestiæ cultor exstitit, magis quam ante, idemque suis (quorum causa hæc faciebat) ut facerent persuasit.

SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI. — Intellige per hebraismum *sicut, q. d.* Sicut Deus cultus fuit in monte Testamenti, id est in templo Hierosolymitano, antequam illud a patre meo Nabuchodonosore everteretur : ita et ego Balsasar colar ut deus in solio meo, vel in delubris Babylonis.

Templum
vocatur
mons
testamenti,
cur?

Nota : Templum Salomonis vocatur *mons*, tum quia altum erat instar montis, tum quia situm in monte Sion. Vocatur *Testamenti*, id est foederis, quia in eo tabulæ legis et arca foederis, conservabantur. Idem templum vocatur « latera Aquilonis, » quia erat ad Aquilonarem urbis partem situm, ut patet ex illo *Psalm. XLVII, 2* : « Mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. » Unde Septuaginta hic vertunt : *Super montes excel-*

los (Sion et Moria), *qui sunt ad Aquilonem* (1).

Parabolice notat *primo*, sub hoc schemate superbiam diaboli, quod tam in cœlo quam in terra æquali cum Deo throno sedere voluerit, puta in templo, ut ibi adoraretur. Hinc S. Chrysostomus, homil. *De Adam et Eva*, tom. I, censet angelum hæc dicentem vocatum fuisse « Sathael, id est positio Dei, vel ponens se ut Deum : » « Unus, inquit, angelus primus, qui Sathael dictus est, malignam et nefariam præsumptionem assumens, dixit : Ponam sedem meam ad Aquilonem, et similis ero Altissimo. » Qui ergo latine dicitur Lucifer, hebraice vocatur Sathael. « Et ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, ut angelus primus præcipitatus de culmine angelico, diabolus nominaretur. » S. Bernardus, serm. *De S. Benedicto* : « Dixit, inquit, Lucifer (sed non jam lucifer, sed tenebrifer et vespere) : Sedebo in monte Testamenti,

(1) Hunc montem non esse Sion montem sic probat Rosenmuller, cujus opinioni non pauci adstipulari videntur : « Montem illum, inquit, jamdudum rex Babylonis non in potestatem solum redegerat, sed et templum everterat et combusserat ; quid ergo speret se in eo sessurum, qui multo plus jam fecerat ? (a) Obstat et orationi gradatio : præcesserat, *ascendam in cœlum, et supra stellas Dei firmabo solium meum* ; jam quam non humile solum, sed præceps lapsus, et *sedebo in monte Moria* ! Accedit quod sequitur, *in lateribus Septentrionis*, cum templi montem ab austro Hierosolymorum fuisse constat. Quas difficultates bene perspicuus J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* part. V, pag. 191, et in *Supplem.* pag. 1112, aliam hunc locum interpretandi viam ingressus est. Ei *sub monte conventus et extremus Septentrionis, post stellas Dei*, majus quid et sublimius, *Deorum* intelligi videtur *conventus*, qualem ethnici fingebant, in summo aliquo monte, cœlum sustinente, nec vero Atlante, aut Olympo, sed sub ipso polo arctico stellaque polari. Nempè solent, ut satis notum, in præaltis montibus, maxime borealibus, Olympo Græci conventum aliquem et concilium *Deorum* fingere, cui opinioni aut fabulæ Aurora fortasse borealis in illis montibus visa occasionem dedit. Ipsum adeo cœlum montibus sustineri, et oculis videbatur, et fingebant Poetæ. Cui ignotus

Cœlifer Atlas

Axem humero portans stellis ardentibus aptum,

ipse quoque Superorum conventu nobilis? Sed huic quidem fictioni ipsa terrarum natura in Asia facile occasionem dare potuit. Babylonis boream versus altissimi montes Armeniæ, quos altiores etiam, ut ad Septentrionem magis vergeret terra, expectabantur. Jam cum ad Septentrionem, in quo polaris stella semper sublimis, erigi mundus prisca illis hominibus videretur; sub ipso axe major aliquis et Atlante multo sublimior expectabatur, fingebaturque a Babyloniis mons cœlifer, verum ac summum Deorum concilium, atque sic hunc ipsum Jesajæ locum accepisse videntur Alexandriini, τὸ ὄρη τὰ ὑψηλὰ τὰ πρὸς Βεβρόν; et Syrus, *in monte alto, in limite Septentrionis*.... In hoc ergo summo monte se sub stella polari consessurum, reliquasque ex alto despecturum stellas, Babyloniis somniabat.... Ab hæc explicatione non multum differt Dæderleinii de hoc loco sententia, *montem conventus* poetice dici pro axe polari, quoniam in altissimo hoc loco, quasi in centro, totum cœlum cum stellis coire et conjungi videtur. (Rosenmuller.)

(a) Quam infirma sit hæc prior ratio, vide in primâ ad cap. XIII annot.

similis ero Altissimo. O impudens! o impudens! Millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei: et tu sedebis? Cherubim stabant, et non sedebant. Quid laborasti, ut jam sedeas?»

Secundo, sub hoc schemate, inquit Hieronymus, Cyrillus et Basilius, significat superbiam regis Babylonis, quasi dixerit: Ego studebo efferre meum nomen et regnum super omnes et omnia, ut toti universo dominem; et quasi abjecta omni Dei reverentia vix mortalem se esse sciret, putaretque sibi divinum aliquod numen inesse, ideoque ut deus in templis coli et adorari voluerit.

Addunt et Hebræi voluisse Nabuchodonosorem ut deum adorari et coli in templo Hierosolymitano, quod vix est credibile: nam ipse illud evertit. Simili tropo Ezechiel, cap. xxviii, 14, ait de rege superbo Tyri: «Tu Cherub extensus et protegens, et posui te in monte sancto Dei: in medio lapidum ignitorum ambulasti.»

Mystice, S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christ.* cap. ult., juxta regulam VII, Ticonii hæc accipit de diabolo, id est diaboli corpore, quod est cœtus infidelium, impiorum et reproborum; et S. Bernardus, tract. *De XII Grad. hum.*, gradu 1, in fine, per Aquilonem intelligit reprobos: «O Lucifer! inquit, qui mane oriebaris, imo jam non lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer. Rectus tuus cursus erat ab Oriente ad Meridiem, et tu præpostero ordine tendis ad Aquilonem; quanto magis ad alta festinas, tanto celerius ad occasum declinas: nimirum Aquilo hic frigidus sunt reprobi; sedes tua, potestas in illos.» Idem, serm. 85 *in Cant.*: «Diabolus, ait, in veritate non stetit, quia non innixus est Verbo, qui in sua virtute confisus est. Et ideo fortasse sedere voluit, quia stare non valuit. Dicebat enim: Sedebo in monte Testamenti. Cæterum Deo aliter judicante nec stetit, nec sedit, sed cecidit dicente Domino: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur: Sine me nihil potestis facere.» Idem, serm. 4 *De Ascens.*: «Heu miser, inquit, in lateribus Aquilonis! Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiae. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur infeliciaque vestigia, imo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Quem sequimini, miseri homines, quem sequimini? Annon videtis Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem? Nonne iste est mons in quem ascendit angelus, et diabolus factus est?»

14. SIMILIS ERO ALTISSIMO, — *q. d.* Ut verbo dicam, ero summa et sacra Majestas, non tantum humana et regia, sed et divina, et ut talis adorabor. Didicit hoc Balsasar a patre suo Nabuchodonosore, qui in statua aurea altissima, scilicet sexaginta cubitorum, adorari voluit, *Daniel.* iii. Sic rex Tyri, *Ezech.* xxviii, 2, dicebat: «Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris;»

cui proinde Deus, vers. 9, replicat: «Homo es, et non Deus; in manu occidentium te morte incircumcisorum morieris.» Sic Augustus Cæsar divinos honores usurpavit, et aras sibi poni voluit. Unde Horatius, lib. I, *epist.* 16:

Augustus ut deus coli voluit.

Attingit solium Jovis, et cœlestia tentat.

et Virgilius, *ecloga* 1:

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Neque aliud ille Phaeton, ille Icarus Gentilium, suo in cœlum volatu significarunt.

Nota *in similes ero*: Lucifer enim sive diabolus initio non fuit tam stolidus, ut vellet esse Deus, aut Deo æqualis, et secundus quasi Deus; sciebat enim hoc esse impossibile et stultum: sed initio considerans eximiam naturæ suæ pulchritudinem, sapientiam, potentiam et gratiam, sibi in ea nimis complacuit: inde fastu intumuit, qui crescens eo processit, ut, quasi sibi ipse sufficeret, nollet pendere a Deo, nollet Deo subdi, nollet ejus legi et imperio subjacere. Unde fuit excæcatus, potuitque hæc cæcitas cum superbia ita crescere, ut vere æqualitatem Dei et divinitatem appeteret, uti videmus tyrannos quosdam eam appetiisse. Sed initio antequam excæcetur, eam ambire non potuit. Quocirca verisimilis est illa Doctorum sententia, diabolo revelatam fuisse Christi hominis unionem hypostaticam cum Filio Dei, eumque hanc Christo invidisse, et sibi eam appetiisse. Sciebat enim hoc fieri posse, putabat et ipse ita fieri debere, quod ipse, utpote angelus, nobilior esset homine. Et sane si hoc mysterium unionis ei revelatum fuit, vix dubium est quin illud superbus angelus ambiverit, et Christo inviderit. Sed hoc ei revelatum esse opinari licet, demonstrare ex Scriptura vel Patribus non possumus.

15. VERUNTAMEN AD INFERNUM DETRAHERIS. — Nota justam superbiae poenam. Balsasar et diabolus ascendere voluerunt in summum cœli; ideo descenderunt in imum laci: opponit enim Propheta imum summo, infernum cœlo, latera laci, ut habent Hebræa, lateribus Aquilonis. Huc spectat Homeri adagium: «A Tartesso in Tartarum.» Tartarus enim est locus infelicitatis, Tartessus felicitatis; est enim Tartessus urbs in finibus Hispaniæ, ob loci fertilitatem celebris.

Vers. 15.

Recte Climachus, gradu *De humilitate*: «Superbia, inquit, ex angelis dæmones facit, humilitas ex dæmonibus angelos facit.» Sic S. Michael humiliter dicendo *לך כאלו mi ca el, quis sicut Deus?* Luciferi sedem, eo deturbato, obtinuit. Deus enim deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Michael humilis sedem Luciferi obtinuit.

Recte S. Joannes Abbas, qui Theodosio Imperatori victoriam contra tyrannos prædixit, apud Palladium in *Lausiaca*, cap. XLIV, narrat monachum quemdam superbientem de sua virtute, tentatum fuisse ac superatum a dæmone apparente ei in specie mulieris, eumque illiciente ad

libidinem. Cui cum tandem ille consensisset, dæmon evasit evanescens ex manibus ejus sicut umbra aliqua. Risus autem in aere auditus est multorum dæmonum clamantium : « Qui se exaltat, humiliabitur. Tu autem ad cœlos quidem exaltatus es, humiliatus vero es usque ad abyssos. » Quocirca surgens ipse lamentans et desperans de sua salute, ad sæculum reversus est.

E contrario senex ille in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XIII : « Quantumcumque, inquit, se deposuerit homo in humilitate, tantum quoque proficit in altum; sicut enim superbia, si ascenderit in cœlum, usque ad infernum deducitur : ita et humilitas si descenderit in infernum, tunc exaltabitur usque ad cœlum. »

Moraliter ergo disce hic quid sit superbia, quid ambitio : nimirum est peccatum Luciferi, quod ex angelo pulcherrimo fecit teterrimum diabolum. Qui ergo ambiunt episcopatus, praelaturas, vel principatus, sciant *primo* se ambire regimen animarum, de quibus rationem ab eis exiget Deus, earumque damnationem, si pereant, eis imputabit : est ergo praelatura onus etiam angelicis humeris formidandum. *Secundo*, sciant ambitionem æque ac avaritiam, multa peccata secum trahere : ambitiosi enim parati fere sunt quaslibet occasiones arripere crescendi per fas et nefas.

Tertio, sciant plerasque hæreses ortas esse ex ambitione ; ambitiosi enim cum ad suas spes et dignitates, quas prætebant in Ecclesia, pervenire non potuerunt, facti sunt Ecclesiæ hostes et hæresiarchæ, vereque Luciferi. *Quarto*, cogitent illud S. Chrysostomi, homil. 34 in epist. ad Hebr. : « Mirabile est si salventur multi Prælatorum, » plures enim damnantur ; sciantque multos damnari in dignitate positos, qui salvarentur, si viverent privati ; proportionaliter enim multo plures in humili subditorum, quam in alto Prælatorum statu salvantur ; nimirum multi tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant, feriuntque summos fulmina montes. *Quinto*, cogitent illud Sapientis : « Potentes potenter tormenta patientur. » Audiant Origenem : « Omnis, inquit, adeundi honoris Ecclesiastici abscederet ambitio, si se judicandos potius, quam judicatuos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent. » *Sexto*, sciant ambitionem nunquam satiari ; quia semper ad majora tendit : sicut Lucifer non quievit, donec thronum Dei invaderet ; nam, ut ait Seneca, « ambitioso non tam jucundum est multos post se videre, quam aliquem ante se habere molestum. » Ita superbum Aman magis torsit unus Mardocheus illi prælatus, quam recrearint omnes populi et principes ei se submittentibus. *Septimo*, cogitent illud Julii Cæsaris : « Qui in excelso vitam agunt, eorum facta ab omnibus notantur ; » suntque expositi multorum censuræ, invidiæ, detractionibus, odiis. *Octavo*, cogitent quod honor et dignitas cito perit, ut flos ; unde Psaltes ait : « Periiit memoria eorum cum sonitu. » *Nono*, quod variis

fluctibus agitentur ambitiosi, ut mare ; tum ob multas distractiones et curas, quibus honorem aucupari vel tueri volunt ; tum ob æmulos ; tum ut suis, vel Superioribus, vel subditis adulentur. *Decimo*, cogitent exemplum Christi, qui quæsitus ad regnum fugit, et privatam egit vitam ; quin et subditus fuit parentibus. *Undecimo*, quod Sancti fugerint dignitates, et, cum coacti illas subierunt, quasi sub gravi onere ingemuerint. Ambrosius, populi vocibus Mediolanensis Episcopus postulatus, nocte ex urbe aufugit. S. Chrysostomus, episcopatum metuens, in solitudinem secessit. S. Martinus, teste Sulpitio, ne diaconatum quidem suscipere voluit, nedum episcopatum, nisi coactus. S. Gregorius, electus in Pontificem, non tantum fugit, sed etiam ad Mauricium Imperatorem scripsit, rogans ne consentiret suæ electioni. S. Ammonius eremita aurem sibi præcidit ne Episcopus fieret. S. Malachias, ut scribit S. Bernardus in ejus Vita, nisi Episcopi congregati illi anathema comminati fuissent, non suscepisset episcopatum. « Omnem enim, inquit Bernardus, locum sublimem velut præcipitium reformidabat. » S. Augustinus, cognita sui Episcopi morte, fugit ab urbe. Audi eum, serm. 1 *De communi vita Cleric.* : « In quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem, cavebam ; et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer. » Idem fecit S. Fulgentius, qui per vim tandem creatus est Ruspensis Episcopus. Sic et S. Leo, electus in Summum Pontificem, exhortuit. Audi eum, sermone 2 *in sua assumptione* : « Domine, audivi auditum tuum, et timui ; consideravi opera tua, et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti ? » Vere Seneca in *Hercul. Fur.* :

Dominare tumidus, spiritus altos gere.
Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

E contrario « humilitas » et fuga dignitatum, *primo*, est « tullissimus virtutum omnium thesaurus, » inquit S. Basilius, cap. XVII *Constit. monast.* *Secundo*, « est custos pudicitiae, et mater patientiae, » inquit S. Bernardus, tractat. *De Ordine vite.* *Tertio*, « est totius spiritualis structuræ solidissimum fundamentum, » inquit Cassianus, *Collat.* XIX, cap. XII. *Quarto*, « est tota Christianæ sapientiæ disciplina, » inquit S. Leo, serm. 7 *De Epiphany.* *Quinto*, Deus humiles exaltat, superbos humiliat, ait Christus. *Sexto*, humilitas gratiæ et opis divinæ est efficacissima conciliatrix. Sicut enim pluvia et flumina in valles defluunt, ita gratia Dei in animam humilem depluit et descendit. *Septimo*, omnia Dei dona omnesque virtutes pesum eunt, nisi adsit humilitas, inquit S. Gregorius, XXVII *Moral.* cap. ult. *Octavo*, humilis est amabilis Deo et hominibus, superbus omnibus est exosus. *Nono*, cogitet illud Christi, *Lucæ VI* : « Væ vobis, cum benedixerint (laudarint) vobis homi-

Decimo.

Undecimo.

Humilitatis fructus.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Sextus.

Septimus.

Octavus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

Nonus.

fecimus. nes! » *Decimo*, cogitet illud S. Augustini, epist. 56 *ad Dioscorum*: Non aliam ad capessendam et
Via ad
Deum est
humili-
tas. obtinendam veritatis viam tibi munias, quam
quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum
verus Deus videt infirmitatem. Ea autem prima
est humilitas, secunda humilitas, tertia humili-
tas; sic fiet, ut illud Annæ impleatur: « Sterilis
peperit plurimos, et quæ multos habebat filios,
infirmata est. » Denique, humilis est quasi alter
Michael, superbus est quasi alter Lucifer: sicut
S. Franciscus per humilitatem factus est Seraphi-
cus, et per Seraphinum impressa sibi accepit stig-
mata Christi, atque post mortem in caelis ad cho-
rum Seraphinorum evectus est, uti cuidam viro
sancto in visione revelatum est, teste S. Bonaven-
tura. Ita Pharao, Arius, Calvinus per superbiam in
abyssum, et in ima tartari demersi et dejecti sunt,
ut in sedibus igneis Lucifero assideant. Audi Pa-
trum sententias in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XIII:
« Quidam ex Patribus dicebat: Humilitas est præ-
cursor charitatis, sicut Joannes Baptista Christi;
et sic attrahit ad Deum: quia Deus charitas est; »
alius rogatus, quid esset humilitas, dixit: « Arbor
est vitæ in altum excrescens; » alius: « Est terra
in qua jussit Deus sibi sacrificium offerri; » alius:
« Perfectio hominis est humilitas; » alius: « Hu-
militas nec irascitur, nec alios irasci permittit. »

Signa
humili-
tatis. Porro signa humilitatis paucis ita describit Al-
bertus Magnus in *Paradiso animæ*, cap. II: Humi-
litas, inquit, vera et perfecta est, cum exhibita
gloria contemnitur, nec exhibenda appetitur. *Se-
cundo*, verus humilis semper timet ne sibi aliqua
gloria exhibeatur; et cum sibi exhibita fuerit,
expavescens medullitus contristatur. *Tertio*, verus
humilis nunquam de aliqua gloria vel gratia
gloriatur, nisi ex hoc audientibus confidentiam
ad Deum præstare intendat. *Quarto*, verus humi-
lis nec majori, nec minori, nec æquali se com-
parat: imo nullum inferiorem se credit, nullum
omnino spernit, et se solum ex corde despicit, et
ab omnibus despici ferventer appetit, gaudetque
cum despectus fuerit: talis nullam timet contu-
meliam, quia nullam amat gloriam. Ita Albertus.

Vers 18. 18. OMNES REGES GENTIUM, etc., DORMIERUNT IN
GLORIA, — gloriose sepulti sunt, scilicet non cum
plebe, sed *in domo*, id est in parentum et regum
sepulcro, sive mausoleo.

Vers 19. 19. TU AUTEM (O Balsasar!) PROJECTUS ES DE SE-
PULCRO TUO. — Balsasar sepulcro extrahi non po-
tuit, quia caruit sepulcro (1). Sensus ergo est,
q. d. Tu, o Balsasar! occisus a Cyro projectus es,
nec illatus in sepulcrum regum, quod majores
tui, tuque ipse tibi destinaveras et magnifice ador-
naveras. Unde Vatablus vertit, *abjectus es de se-
pulcro*, id est abjectus es procul a sepulcro, ne in
illud infereris.

(1) Sed quid vetat Baltasar regis corpus prius inhu-
matum, deinde sive propter odium, sive post regionis de-
vastationes effossum fuisse et in terra derelictum, nec
ultra sepulcro illatum?

Hebræi hæc accipiunt de Nabuchodonosore;
quem fabulantur extractum fuisse de sepulcro a
filio Evilmerodach, ut sic ipse Babylonii ostende-
ret patrem non in bestiam, ut ante, esse mutatum,
sed vere mortuum, itaque ab eis in regni succes-
sionem, quasi filius et hæres admitteretur; idque
fecisse ex consilio Jechoniæ, ac propterea eum ex-
altasse. Ita refert S. Hieronymus hic. Addunt Abu-
lensis in libro IV *Reg.* cap. xxv, Quæst. XXXVII,
Haymo et Hugo hic, ejusdem consilio divisum
esse cadaver in trecentas partes, easque in toti-
dem vultures (ut eas devorarent), fuisse disperti-
tas, ne ulla spes esset reditus ejus. Credo trecenta
hæc esse, non prodigia, sed mendacia.

QUASI STIRPS INUTILIS, — quasi surculus sterilis,
vel amarum et malum ferens fructum, qui terræ
non inseritur, quin et insertus evellitur.

POLLUTUS ET OBVOLUTUS — sanie et sanguine et
cadaveribus occisorum, vermibusque inde sca-
turientibus; hoc est quod dixit, vers. 11: « Sub-
ter te sternetur finea, et operimentum tuum erunt
vermes. »

DESCENDERUNT AD FUNDAMENTA LACI. — Ita vocat
profunditatem tam sepulcri quam inferni; verisi-
mile est enim cadaver Balsaris, cum aliis cada-
veribus Babyloniorum cæsum projectum fuisse
in lacum, vel fossam aliquam ingentem. Unde
quod sequitur: « Non habebis consortium, neque
(ne quidem) cum eis in sepultura: cum eis, »
subaudi « regibus gentium; » his enim eum op-
posuit, vers. 18, non autem *interfectis gladio*; his
enim eum assimilat hoc versu.

20. NON VOCABITUR IN ÆTERNUM SEMEN PESSIMORUM, Vers. 20.
— *q. d.* Delebitur memoria seminis et stirpis im-
piorum; nam Balsasari nemo de stirpe Nabucho-
donosor successit, sed cum ipso omnis stirps re-
gia extincta est. Ita S. Hieronymus.

21. PREPARETE FILIOS EJUS OCCISIONI. — Hinc pa- Vers. 21.
tet Balsaris filios vel naturales vel adoptivos,
puta destinatos ab eo regni hæredes, pariter fuisse
occisos; plures eum habuisse naturales, cum tot
haberet concubinas, satis est verisimile.

NEQUE IMPLEBUNT FACIEM ORBIS CIVITATUM. — Id est
non implebunt superficiem civitatum orbis, id est
non implebunt civitates orbis; est hypallage: vel
orbis civitatum, id est orbis qui civitatibus abun-
dat, *q. d.* Deus succidet eos, ne orbem et urbes re-
pleant præfectis et hominibus sibi similibus, sci-
licet impiis, Deoque exosis: qualis enim est rex,
tales sunt et aulici et populi et urbes. Ita Vata-
blus.

Secundo, Arias et Forerius vertunt, *non imple-
bunt faciem orbis urbibus*, ut scilicet multas in eo
urbes condant vel illustrent.

Tertio, Sanchez explicat, *q. d.* Filii Balsaris
non implebunt faciem orbis, id est totum orbem,
civitatis suis, id est, non habebunt sub ditione
sua civitates totius orbis, uti jactabant; facies enim
orbis, venti, gladii, vocatur ipse orbis, ventus,
gladius.

Aliter Chaldæus, Septuaginta et Pagninus pro **ארמ** *arim*, id est urbibus, legentes **צרים** *tsarim*, id est adversarios, vertunt, non implebunt (Balsaris filii) orbem infensis castris, uti fecerunt ejus parentes, qui bellicis motibus omnia turbent, ut regnum amissum recuperent et propagent. Ita **3. Cyrillus.**

Vers. 23. 23. ET IN PALUDES AQUARUM. — Babylon enim est in paludibus juxta Euphratem, quem in varios rivos et fossas Persæ deduxerant: ipsa ergo eversa, remanserunt solæ paludes et rivi Euphratis (1).

ET SCOPABO EAM IN SCOPA TERENS. — Id est, ut Vatablus, *scopa vastatricæ verram eam, q. d.* Ita studiose et exacte Persæ vastabunt et diripient Babylonem, sicut studiose ancilla scopis verrit pavimentum, ut illud scopando et fricando quasi atterat, uti faciunt ancillæ Hollandicæ nitoris amantissimæ. Simili tropo ait Plautus: « Converret hic jam me totum cum pulvisculo; » et de Tyro ait Ezechiel, cap. xxvi: « Radam pulverem ejus de ea. »

Vers. 24. 24. JURAVIT DOMINUS, etc.: SI NON, UT PUTAVI, ITA ERIT, — *q. d.* Juravit dicens: Si non ita eveniat ut dico, non sim Deus, non habear verax. Vox enim *si* Hebræis est nota juramenti execratorii, in quo ipsam execrationem per euphemismum subticent (2).

Vers. 25. 25. UT CONTERAM ASSYRIUM, — id est Sennacherib: hunc enim in terra sua, id est in Judæa, contrivit Deus. Redit enim Propheta ad sua tempora, et ad Sennacherib urbi jam incumbentem, de quo egit, cap. vii, et deinceps: ut scilicet Judæi videntes Isaiam de clade Sennacherib vera prædixisse, crederent quoque ea quæ de Babyloniis, aliisque longe post futuris prædixerat, vera fore, vereque eventura (3). Alii nonnulli per Assyrium accipiunt

(1) Semiramis molem quidem jecerat, quæ extra ripas diffluentem Euphratem coerceret. Ista opera postea aucta et amplificata fuere. Sed cum Cyrus aggeres perrupisset, ut fluminis cursum alio detorqueret, rursus aquæ regionem inundaverunt. Persidis reges quibus nulla fere cura erat de Babylonis splendore et salubritate, nihil ejus causa fecerunt, ita ut tota prorsus regio paulatim in vastissimam paludem conversa est. (Strabo, lib. xvii; Lowht, vers. 1 cap. xxi *Isaiæ.*)

(2) Prophetia quæ sequitur, vers. 24-27, de Assyriæ interitu quem iterum prædicat (vide cap. x), juxta S. Hieronymum, sic cum Babylonis eversione connectitur: sed, dicit aliquis, quam consolationem regni adhuc tam remoti Chaldæorum eversio nobis afferre potest, cum tam dura ab Assyriis nunc patimur? Respondet Propheta: Ideo vobis iterum prænuntio Deum Assyriis vos obruentibus divissimam pœnam illaturum esse, et ex eorum manibus vos liberaturum. Juxta alios, hanc contra Assyrios prophetiam iterat Isaias, veluti confirmationem quæ vaticinii contra Babylonem adimpletionem assecuraret. (Allioli.)

(3) « Ut conteram Assyrium, » etc. Hic versus, qui omnino videtur intelligendus de cæde exercitus Assyriorum per angelum, torquet eos qui omnia hæc intelligi debere (ut prima fronte apparet) de Babylonis excidio contendunt. At nos, qui sub typo delineari putamus libertatem filiorum Dei per Christum (quod quoties Propheta faciunt, quædam admiscere solent quæ non tam typo et

Holofernem: hic enim missus a Nabuchodonosore regnante in Assyria, puta in Ninive, contritus est in montibus Israel juxta Bethuliam cum toto exercitu, cum caput ei amputatum est ab heroina Judith.

26. HOC CONSILIUM, QUOD COGITAVI SUPER OMNEM TERRAM, etc., ET SUPER UNIVERSAS GENTES. — Commode hoc accipe pro subjecta materia, scilicet omnem terram et omnes gentes Assyriis subjectas, aut confœderatas, quæ cum eis contra Judæos arma tulerunt, uti fuerunt Syri, Samaritæ, Moabitæ, Idumæi, Philistini et Ægyptii: quibus proinde cladem in sequent. capitibus ex ore Dei Propheta denuntiat. Ita S. Hieronymus.

28. IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX ACHAZ, — cui successit filius Ezechias: ergo 1 anno Ezechie pii regis, facta est hæc prophetia contra Palæstinos hostes Judæorum, ut per eam erigerentur Judæorum animi, scirentque fore felix et auspicatum novum pii regis regnum. Ex hoc loco censet S. Hieronymus, omnia deinceps oracula usque ad finem libri facta esse sub Ezechia, uti dixi, cap. i, vers. 1.

29. NE LÆTERIS, PHILISTEA, etc., QUONIAM COMMINUTA EST VIRGA PERCUSSORIS TUI. — Percussorem vocat non Achaz regem, ut volunt S. Hieronymus, Haymo et S. Thomas; Achaz enim a Philistæis cladem magnam accepit, II *Paralip.* xxviii, 18; sed Samsonem, Davidem, et Oziam avum Achaz: hic enim valde attrivit Philistæos, ut patet II *Paralip.* xxvi, *q. d.* Nolite lætari, o Philistini! quod vestri olim percussores sunt mortui, scilicet Samson, David et Ozias, qui vobis videbantur esse colubri, id est asperi et crudeles, suo tactu et plaga vos ferientes; quia ab eis nascetur Ezechias filius Achaz, Oziae pronepos, quasi

historiæ quadrare videntur quam veritati, in quam oculos deflexerant, aut ordinem narrationis pervertere, dum aliena consuunt), nihil hic transitus moratur. Intelligimus enim Babylonis regnum deletum, ac tenebrarum potestatem per Evangelium eversam, et tyrannum illum qui opprimebat gentes, in Judæa atque adeo Hierosolymis cum toto ejus exercitu victum, fugatum, expulsum atque deletum. Triumphavit certe de *Assyrio* illo in cruce Dominus noster Jesus, et totam ejus virtutem *proculcavit in monte Calvarie*, atque ita liberavit suos. Hoc multo ante *cogitaverat*, id non semel se facturum *juraverat*. Jam nos factum et adimpletum novimus, neque extitisse qui hoc Domini *consilium labefactaret*. Qui hæc non credunt Judæi, et qui cæcos istos duces sequuntur Christiani, in tractandis similibus Prophetarum locis quo se vertant plerumque nesciunt. Nam de Babylone erat sermo, cujus nemo negare potest, qui Scripturas legit, his quatuor versibus conclusionem contineri. *Juramentum* ergo atque *consilium* de vastanda Babylone et occidendo rege erat; at loco *Babylonis* et *regis* substituit *Assyrium* in Judæa delendum, quasi idem fuerit. Erat profecto idem quod utriusque victoria significabatur; historiæ autem, ut constat, longe diversæ. Scio quid ex historiis responderi potest, propter mutationes imperii Assyriorum et Chaldæorum; sed malo Christum præ oculis habere, et omnia, salva tamen veritate et fide interpretis, ad ipsum referre. (Forerius.)

Ezechias
fuit ba-
siliscus,
cur?

regulus, id est basiliscus, longe vobis nocentior. Sicut enim basiliscus non tantum tactu, sed et visu, puta pestilenti halitu, quem ex oculis emit, homines enecat, quin et aves volantes interficit, itaque eas ad se trahit et absorbet : ita et Ezechias sua vi et armis omnia vestra pervadet, et potentissimos vestrum quasi eminus solo aspectu, præsentia et imperio suo percellat et absorbebit, inquit S. Hieronymus. Ita contigisse narrat, libro IV Reg. cap. xviii, cum ait : « Ipse (Ezechias) percussit Philistæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum a turre custodum usque ad civitatem munitam (1). »

Alludit primo Propheta ad virgam Mosis, quæ versa est in colubrum, et rursus in virgam, quæ percussit, et tot plagas intulit Ægypto, q. d. Talis virga et coluber vobis, o Philistæi! erit Ezechias.

Secundo, ad Samsonem, qui valde afflixit Philistinios, de quo prædixit Jacob, Gen. xlix : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, » q. d. Nondum perit coluber ille, qui in vos, o Philistini! desæviit, et venenum mortiferum evomuit : ex illo enim nascetur, id est illi succedet, non jam coluber, sed eo peior basiliscus, scilicet Ezechias.

Nota : Apud Hebræos proverbium est : « De radice colubri egredietur regulus ; » quo utuntur cum minori cladi, calamitati, hosti aut vastitati succedit major et infestior ; cui simile est illud Roboam : « Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus ; » tale est illud : « Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim ; » et illud : « Leonem fugiens occurrit urso ; » et illud Job. vi, 16 : « Qui timent pruina, irruet super eos nix. » Ita Sanchez.

Mystice S. Bernardus, tract. De Undecim oneribus, serm. 2, sic ait : « Sequitur onus Philistiim, qui interpretantur cadentes potione, illos significans, qui superbia inebriati ceciderunt de habitatione cœlesti. Isti miseros onerant nunc tentatione, nunc afflictione. Hi Ægyptios onerabant plagis multis et magnis, sicut habes in psalmo : Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et tribulationem : immissiones per angelos malos. Hi cor Judæ oneraverunt avaritia, et cor Pharisæorum invidia, et cor Pilati stultitia. Hi cor fidelium multis tentationibus onerant : insultantes animæ consentienti, et dicentes : Incurvare, ut transeamus. » Hisce ergo attribue Isaïæ contra Philistiim minas.

ET SEMEN EJUS ABSORBENS VOLUCREM. — Semen colubri est regulus, puta Ezechias filius Ozia, solo quasi spiritu et halitu suo afflans, comburens

(1) Alii, inter quos Berthierus, « percussorem » istum intelligunt Sennacherib, qui ipsam Philistinam regionem invaserat, et qui mox exercitum et post reditum in Assyriam ipsam vitam amissurus erat. In ista sententia sane non contemnenda, regulus e radice colubri egressurus est Asarhadon, cujus dux, nomine Thartan, urbem Asoth Philistinorum quasi metropolim subjugavit, totamque regionem devastavit.

(hoc enim est Hebræum שָׂרָפָה saraph, enecans et absorbens Philistæos, ut dixi. Huic adagio simile est illud Eubuli poetæ : « Locustæ habens oculos, non prolato ore utrinque mobilis, depugnator filiorum ingenitorum semen perimens : » quo significatur ichneumon Ægyptium animal, quod crocodilorum ova perrumpit et absumit, priusquam in feras semen evadat. Est enim ἀμφίστομος, id est ancipiti ore : nam pungit inferius, labris autem mordet.

Septuaginta vertunt, et semen ejus serpens pennatus. Pro serpens hebraice est saraph, id est serpens ardens et urens, quales fuerunt illi immissi in Hebræos murmurantes, Num. xxi. Porro serpentes aliquos pennatos esse et volare constat, talesque esse dracones Arabicos asserit Solinus, cap. xxxv, contra quos pugnant ibides aves ; unde Ægyptii eas quasi deos colebant. Hic ergo serpens pennatus idem est qui paulo ante regulus vocatus est : nam et Isaïas, cap. xxx, vers. 6, regulum habere alas et volare asserit. Talis ergo Philistæis fuit Ezechias. Talis et allegorice est Christus, diabolum ac reprobos mordens, fideles vero et pios salvans : hinc enim quasi serpens alatus exaltatus fuit in ligno, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam ; et sub eo principes Apostoli, pauperum pauperrimi, securi vitam duxerunt.

Paulo aliter vertit Syriacus interpres, scilicet : De radice serpentis egreditur serpens biceps (amphisbæna, de qua Solinus, cap. xl, et Plinius, libro XX, cap. xx), et fructus ejus regulus qui volat ; et Arabicus Antiochenus : De stirpe serpentis egreditur vipera, et de progenie serpentis surda serpens volans ; et Arabicus Alexandrinus : De serpente egreditur basiliscus, et serpens volans devorans primogenitos.

ET PASCENTUR PRIMOGENITI PAUPERUM. — Primogenitum in Scriptura sæpe vocatur id quod est præcipuum et primarium, inquiunt Forerius, Vatablus et Sanchez : talis enim in domo inter filios est primogenitus : primogeniti ergo pauperum et successores inopiæ parentum, sunt Judæi sub Ezechia jam paulo ante a variis gentibus vastati, ut patet II Paralip. xxviii, q. d. Erit pax et rerum copia in Israel, etiam apud pauperes, cum Philistæa fame conficietur ; hoc est enim quod sequitur :

ET INTERIRE FACIAM IN FAME RADICEM TUAM. — Loquitur de Philistæa, quasi de arbore desiccanda, vel excindenda radicitus, q. d. Quando vires et copias Philistinorum siccabo, omnesque eorum reliquias consumam ; tunc populus meus Judæus, antea miser et pauper, requiescet et lætabitur.

31. ULULA, PORTA ; CLAMA, CIVITAS. — Ululate, portæ et urbes Philistinorum. Notat in portis magistratum et principes (hi enim sedebant et judicabant in portis), in civitate plebem et vulgus, q. d. Ululate, tam principes quam olsluni

Vers. 31.

AB AQUILONE ENIM FUMUS VENIET, — *q. d.* A Jerusalem, quæ Philistinis est ad Aquilonem, veniet non Sennacherib, ut vult S. Hieronymus; sed Ezechias (de eo enim Prophetam loqui patet ex dictis, et ex anteced. et sequent.) cum copioso militum agmine, quod magnum pulverem et fumum pedibus suis adveniens excitabit. Unde hic pulvis signum est adventantis exercitus; hinc Virgilius, *Aeneid.* IX :

Quis globus, o cives! caligine volvitur atra?...
Hostis adest.

Vers. 32. 32. QUID RESPONDEBITUR NUNTIIS GENTIS, — id est gentium, qui scilicet de more e vicinis provinciis et gentibus venient ut de statu belli rogent, an

Philistini, an Judæi superent et vincant: aut potius, ut victoria jam parta Ezechiae congratulentur; quibus Ezechias et Judæi non sibi, sed Deo tribuentes victoriam, respondebunt id quod sequitur:

QUIA (quod) DOMINUS FUNDAVIT SION, ET IN IPSO SPERABUNT PAUPERES POPULI EJUS, — *q. d.* Gratias agimus Deo, qui nobis hanc dedit victoriam, eo quod amet Sionem et Jerusalem, eamque firmare et stabilire destinaverit: quocirca deinceps pauperes et afflicti in populo nostro hoc videntes et cogitantes, in quavis calamitate ardentius in eum sperabunt, eumque invocabunt.

Allegorice et tropologice, hæc facile est adaptare spirituali Sioni, id est Ecclesiae, et animæ fideli.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit vastitatem et planctum Moab (1).

1. Onus Moab. Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit: quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit. 2. Ascendit domus, et Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, et super Medaba, Moab ululavit: in cunctis capitibus ejus calvitium, et omnis barba radetur. 3. In triviis ejus accincti sunt sacco: super tecta ejus, et in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum. 4. Clamabit Hesebon, et Eleale, usque Jasa audita est vox eorum. Super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi. 5. Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. 6. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. 7. Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum: ad torrentem salicum ducent eos. 8. Quoniam circuivit clamor terminum Moab: usque ad Gallim ululatus ejus, et usque ad Puteum Elim clamor ejus. 9. Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terræ.

Vers. 1.
Moab
est Ara-
bia Pe-
t.æa.

1. ONUS MOAB. — Chaldæus: *Onus calicis maledicti ad propinandum Moab.* Moab est pars Arabiæ Petrææ, ita dicta a Moab filio Lot, qui cum posteris eam incoluit. Cum enim Lot fugeret ex Sodomis cœlesti igne conflagrantibus, et versis in mare Mortuum, filia ejus minor inebriavit patrem, et accedens ad ebrium concepit ex eo filium, quem vocavit *Moab*, id est ex patre, quasi diceret:

(1) Prædictio calamitatum Moabitis imminentium, continet primo, vastitatem præcipuarum urbium, conjuncta cum incolarum stupore et planctu, vers. 1; 2; luctu et desperatione, 3, 4; fletu et dolore miserandis, 5.

Secundo, desolationem terræ, ex siccitate et frugum corruptione, 6; ex inevitabili fugæ necessitate, deportatione et dispersione incolarum, qui fletus ac ploratus latissime circumferent, 7, 8; ex strage residuorum a bestiis illata, 9.

Ex patre meo genui hunc filium, qui proinde mihi filius est, simul et frater; Moab adjacet et terminatur mari Mortuo versus Occasum, versus Orientem Euphrate, versus Aquilonem torrente Arnon, versus Meridiem deserto Cadesbarne et Idumæa. In Moab metropolis erat Ar; urbes illustriores erant Dibon, Nabo, Medaba, Hesebon; Eleale, Luith, Oronaim. In hac Arabia Petræa est ampla urbs Mecha, distans itinere tridui a mari Rubro, in qua celebre est Mahometis delubrum, longum passus centum, latum octoginta, quod quadringentis columnis fulcitur: ejusque undique parietes auro obducti, qui cum lychnorum pensilium ad tria millia semper ardentium lumen recipiant, miro fulgore intuentium oculos perstringunt, uti ex Bocharo, Bredenbachio, Ludovico Romano et aliis, tradit Adrichomius, pag. 78.

Moab erat fertilis, utpote vicina Pentapoli fertilissimæ, feraxque tum frugum, tam magis pecorum, ait S. Hieronymus. Hinc incolæ, in luxum et Venerem soluti, coluerunt suis symposiis et lasciviis Chamos sive Bacchum, uti dixi *Jerem.* XLVIII, 7. Rursum Moabitæ hostes erant populi Dei, scilicet Judæorum, eosque sæpe vexaverunt: hinc eis hic excidium intentat Deus, vel per Sennacherib, ut volunt S. Hieronymus et Cyrillus; vel potius per Nabuchodonosorem, ait idem S. Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, Haymo, Dionysius. Nam Moab vastatam esse per Sennacherib non liquet ex sacra Scriptura, Josepho, aut aliis historicis; sed per Nabuchodonosorem id factum esse constat, *Jerem.* XLVIII, ubi Jeremias iisdem pene verbis, quibus hic utitur Isaias, Moabitis cladem intentat. Unde videtur Isaias de eodem quo Jeremias excidio agere, scilicet per Chaldæos illato: nam clades Sennacherib, si quæ fuit, diu præcessit tempora Jeremiæ; unde ab eo prædici non potuit (1).

(1) Gentis Moabiticæ cui hoc vaticinio interitus denuntiatur, origo (*Genes.* XIX, 31), ex veteri fama refertur ad Lothi nepotis Abrahami ex Harane, filiam natu majorem, quæ cum prolis cupida ex incesto cum patre concubitu filium peperisset, ei nomen *כנאן*, ex patre genitus, sive *כנאן אב*, ingressus, coitus patris. Ejus familiæ prima sedes in solo fuit natali, in confiniis Zoaris (*Genes.* XIX, 30), sitæ ad oram australem lacus Asphaltitis. Dehinc aucta gens numero viribusque latius ditionis terminos protendit, et expulsis veteribus incolis (*Deut.* II, 10), quidquid est regionis ad latus orientale Jordanis, intra fluvios Zered, Arnon et Jabbok occupavit. Pars hujus regionis septentrionalis hodie *Belka*, australis *Carak* vocatur; vide *Handbuch der bibl. Alterthumsk.*, vol. II, part. I, pag. 129, et vol. III, pag. 53 et seqq. Sed magna hujus imperii parte paulo ante adventum Israelitarum ex Ægypto, Moabitis exuerunt, sub Sichone rege, Amorrhæi, trajecto Jordane, totam illam provinciam, quæ Arnonem et Jabbocum interjacet, in suam redigentes potestatem; vide *Numer.* XXI, 26. Sic Arnon factus Moabitarum terminus, memoratus *Numer.* XXI, 13; *Judic.* XI, 18, locisque pluribus aliis, et a Josepho, *Antiquit.* IV, VI, § 1, cui dicitur, *ὄριζον τῆν τε Μωαβίτιν καὶ Ἀμωρίτιν*. Intra hos limites invenerunt istos Israelitæ in Canaanem ingressuri, relinquendos tamen intactos, juxta expressum Dei mandatum, *Deuter.* II, 9. At regionem Amorrhæorum Moabitis ablatam, cum transitum armata manu negarent, post reportatam insignem victoriam Hebræi sibi vindicarunt integram (*Num.* XXI, 35), et Rubenitis atque Gaditis ceu possessionem hæreditariam assignarunt, *Numer.* XXXII. Nomen tamen Moabitis, ab antiquis possessoribus, regioni, incolentibus jam Israelitis, aliquandiu inhæsit. Ita mons Nebo dicitur esse in terra Moabitarum, qui tamen situs ad septentrionem Arnonis, ex adverso Jerichuntis, *Deuter.* XXXII, 49, XXXIV, 1. Huc et referenda campestria Moabitarum, in quibus castrametati Israelitæ; Jordani proximi, *Numer.* XXXIII, 48-50. Insequenti tamen ævo ipsam hanc regionem trans Arnonensem, olim ab Amorrhæis, tandem ab Israelitis occupatam, Moabitæ denuo receperunt, et in antiquas sedes postliminio restituti, ipsius Jesajæ ætate, tanquam propriam provinciam tenuerunt et inhabitarunt. Quod clarissime apparet ex nominibus urbium Moabitarum, quibus vates nostro oraculo interitum et excidium prædicit, sitarum licet in tribubus Rubenitarum et Gaditarum. Sic Chesbon, metropolis olim Amorrhæorum,

Quæ hoc capite dicuntur; obscura nobis sunt, tum quia urbes, quæ in eo nominantur, jam pridem perierunt, et nescimus quo loco præcise fuerint sitæ; tum quia modum vastationis Moab Scriptura non enarrat.

Mystice S. Bernardus, tract. *De Undecim oneribus*, serm. 3, sic pergit: « Additur onus Moab; qui interpretatur, de patre. Naturalem illam exprimit necessitatem, quam pater generatione transfundit in filium; sicut est inevitabilis manducandi, bibendi, dormiendique necessitas, et cætera quæ ad necessariam pertinent corporis curam. Quale hoc onus, fratres charissimi, quo cogimur, post solis splendorem, ad carnis hujus curam, quasi ad foetidum cadaver redire, et post spirituales cibos mentis procurare onera ventris? Quale hoc onus? quod quotidianum a nobis miseræ servitutis tributum exigit; et quem quotidie implevimus, evacuatum, crastino ventrem reimplere compellit? Quid dicam? quantarum sollicitudinum ac curarum onus miseris mortalibus necessitas

numer. XXI, 26, a Josue Rubenitis assignata, *Jos.* XIII, 17), a Jesaja Moabitis vindicatur, cap. XV, 2, et *Jerem.* XLVIII, 22; quæ tamen a Mose Gaditis concessa, *Numer.* XXXII, 34. Taceo Medabam, Elealem, Jachzam, Sibmam, Jæzerem, de quibus omnibus idem facile posset demonstrari. Hinc et Josephus, *Antiquit.* XIII, XV, ex historia Alexandri Jannæi urbes Ἐσσεβῶν, Μιδάβα, Λαυβᾶ, Ὀρόνας, Γελλίθων, Ζᾶρα, Πελλᾶν, vocat Μωαβίτιδας; quæ omnes ultra Arnonem, et ex parte ultra Jabbocum sitæ. Quo autem factum sit tempore et occasione, ut Moabitæ totam illam provinciam recuperarint, historia tacente, non satis liquet. Valde tamen probabile, id demum contigisse, Rubenitis, Gaditis et dimidia tribu Manassis in exilium abductis a Phule et Tiglath-Phulasare, Assyriæ regibus, ætate Pekæ, Israelitarum regis, II *Reg.* XV, 29. Tum enim Moabitæ regionem sibi proximam, incolisque nudatum, recipere, imo et trajecto Jabboco, partim Basanitidis, quæ Manassarum fuerat, occupare facillime poterant. Quod ad historiam et fata Moabitarum, ad vatis nostri tempora usque, attinet, quæ in monumentis veteris Testamenti reperiuntur, hæc fere sunt. Rempublicam peculiarem illos satis mature constituisse, præfæctis sibi regibus, inde patet quod jam Mosis ætate regem eorum, Balacum filium Sephoris, memoratum legitimus, *Numer.* XXII, 4. Judicum tempore Eglon rex Moabitarum tributarios fecit Israelitas, etiam cis-Jordanenses, ab Ehude tandem restitutos in libertatem, *Judic.* III, 12 et seqq. Postea utraque gens videtur mutuis commerciis, quin et conjugiiis (*Ruth* I, 4), se permiscuisse, ad Saulem usque creatum regem, qui veteres injurias, ac forte etiam recentes, vindicaturus Moabitis, pariter ac reliquos in vicinia, hostes Israelitici nominis, gravissime afflixit, I *Sam.* XIV, 47; multa autem feliciori vi aggressus David, II *Sam.* VIII, 2; *Ps.* LX, 10. Servire tributarios coegit, gentemque adeo universam Judaici finibus imperii conclusit. Ac permansit huic obnoxia, post discessionem etiam decem tribuum, quo tempore Ephraimitas, haud libenter quidem, dominos passa est. Nam mortuo Achabo excutere impositum jugum coepit, II *Reg.* I, 4, pendique solitum tributum recusare. Rebellantes, Achabi filius, Joramus, inito fœdere cum Judæorum et Idumæorum regibus, quamvis gravi bello vexaverit, sub jugum tamen reducere non potuit, II *Reg.* III, 6-27. Nam paulo post adversus Judæos, ob latas Joramus suppetias expeditionem susceperunt, a quibus tamen magna affecti sunt clade, II *Chron.* XX,

ista imponit? adeo ut quorundam hominum Deus venter sit, pro cuius non dicam delectatione, sed onere, ipsam justitiam, et divinam doctrinam venalem habent? Hujusmodi, ut ait Apostolus, Domino Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri. Quid præterea oneris in ipsa ciborum distinctione sustinentes, hos desiderantes, illos rejicientes; cum alii ventrem torqueant, alii caput gravent, alii pectus oppilent, alii cor corruptis humoribus premant. Verum de illis quid dicam, quos ista necessitas nunc murmurare, nunc detrahere, nunc insuper litigare compellit? Contristantur, si cibus vilior sit, si potus minus sapidus apponatur, si præparetur tardius, si negligentius accuretur. Fratres, qui hujusmodi sunt secundum carnalem generationem viventes, Moab dici possunt, pondere pene, quod in onere Moab Propheta commemorat, damnandi. »

NOCTE VASTATA EST AR. — Apposite nocte vastatus est Moab, qui nocte ex incesto concubitu, tenebris et silentio involvendo, natus est, inquit S. Hieronymus. Unde hoc convicium, quod scilicet essent noctis filii, Moabitis objicere solebant aliæ gentes. « Ar » erat metropolis Moab. Unde hebraice dicta est *רר* *ir*, moabiticæ *Ar*, id est urbs, scilicet prima regni, per antonomasiam, inde postea dicta est Areopolis, *q. d. Ar, πόλις*, id est Ar urbs, non autem quod *ἄρεος*, id est Martis, esset *πόλις*, id est civitas, ut multi existimant.

NOCTE VASTATUS EST MURUS, — *q. d.* Moab contigit capta urbe Ar, quæ murus erat et propugnaculum totius provinciæ. Cyrillus ex historicis docet, venientibus Chaldæis, muros Ar terræmotu corruiisse, itaque urbem facile ab eis fuisse occupatam.

Pro *muris* hebraice est *קר* *kir*, quod Vatablus et alii accipiunt quasi nomen urbis Moab, quæ æque vastata sit ac Ar; idque valde est veri-

22-30. Post ea tempora usque ad editum Jesajæ vaticinium, nihil in veteris Testamenti libris historicis legitur de hac gente memoratu dignum. Fuisse autem Moabitis superstitioni et idololatriæ omni tempore addictos, tum idola ab iis culta, Baal-Pheor (*Num. xxiii, 28*), et Chemosch (*I Reg. xi, 7; Jerem. xlviii, 7-13*), testantur tum Ienocinia, quibus ad parem impietatem Israelitas persæpe illexerunt, *Num. xxii-xxv.* (Rosenmuller.)

Notandum Isaiam istud contra Moab vaticinium anno mortis Achaz regis Juda edidisse (*xiv, 28*). Porro in *IV Reg. xviii*, legimus Salmanasarem Assyriorum regem, regnum Israellem occupasse quarto anno regni Ezechiaë, qui patri Achaz successit. Eodem igitur tempore Salmanasar Moabitarum oppida cepit, eorumque regionem depopulatus est. At tamen ex isto excidio velut renati, damna sua resarciverunt, et Jeremias, octoginta post annos, ultimum interitum a Nabuchodonosore infligendum prædicendo, easdem ac Isaias Moabitarum urbes nominat, cap. *xlviii*.

Duas igitur clades simul vaticinatur Isaias contra Moab, prior, quæ tres post annos Assyrio veniente eventura erat, et post quam Moabiticæ fracti et debilitati, pauci relinquuntur in terra, qui subrutas habitent civitates, et desertos agros exerceant (*xvi, 14*); posterior a Jeremia etiam prænuntiata, quam plenus et sine ulla spesalutis interitus excipiet, et post quam Moab desinet esse populus.

simile, ut patebit cap. seq., vers. 7. Unde et correctiora Biblia *to Murus* scribunt majuscula M (1).

2. **ASCENDIT DOMUS,** — id est, ut S. Hieronymus, *Vers. 2.* domus et familia regia, item tota urbs Dibon ascendit ad excelsa, id est ad fana, quæ erant in montibus excelsis, ubi colebant Chamos deum suum, ut ibi plangant, Chamos invocent, et in eum quasi tutum a Chaldæis locum se recipiant.

Secundo, Pagninus et Vatablus vertunt, *ascendit* (*Ar* vel *Kir* urbs, id est incolæ urbis) *in Baith*, id est in ædem ipsam, hoc est ad templum Chamos, ut rogent idolum suum.

Tertio, Forerius et Sanchez censent *Baith* vel *Beth*, id est domus, esse nomen proprium urbis, et forte decurtatum esse ex Bethgamul, vel Bethmaon, vel Bethoron, quæ erant urbes Moab.

CALVITIUM, — in luctu enim veteres caput decalvabant, et barbam radebant. Idem de Moab ait Jeremias, cap. *xlviii*, vers. 37.

4. **EXPEDITI MOAB ULULABUNT.** — Pro *expediti* hebraice est *חללתי* *challutse*, id est accincti armis, parati et expediti Moabiticæ ad tuendam patriam, hi fracti animis arma deponent, et ululabunt. Ita Vatablus. *Vers. 4.*

ANIMA EJUS ULULABIT SIBI. — « Ejus, » id est eorum; vel « ejus, » id est cujusque Moabiticæ; « sibi, » id est in sinu suo ululabit. Porro « anima » significat hunc ululatum non fore fictum vel compositum, qualis est præficarum; sed serium, ex intimo corde et dolore manantem.

5. **COR MEUM AD MOAB CLAMABIT.** — Est vox Isaiaë *Vers. 5.* compatiens Moab, licet hostis Israelis, *q. d.* Licet hostes nostri sint Moabiticæ, tamen revera doleo, et ex dolore ejulo et exclamo ob tantam eorum cladem et miseriam, quia

VECTES (id est, fortes), **EJUS** (qui suo robore Moab tutabantur, sicuti vectes tutantur portas urbis), **USQUE AD SEGOR,** — id est, usque ad terminos regni fugient. Segor, inquam, quæ est vitula contentnans, id est, ut habent Hebræa et Græca triennis, vel triennizans, id est populus fortis, validus, et copia rerum abundans, similis vitulæ trienni; ea enim ætate vitulæ et vituli sanissimi sunt, pinguisissimi, robustissimi, pariter et petulantissimi. Vide dicta *Jerem. xlviii, 24* (2).

(1) Urbis Ar Moab nomen exstat jam, *Numer. xxi, 15-28; Deut. ii, 9*. Erat in Moabitudine urbs princeps, ut ex illis locis patet, hinc *Rabba*, magna, dicta *Jos. xiii, 25*, Ἀρεόπολις vocabant Græci, teste Eusebio, quique ex eo hausit, Stephano, de urbibus, in *Ῥαββότιμωβα*. Erat sita juxta ripam australem Arnonis, nunc in vicum conversa exiguum, quem adhuc *Mab*, *Mob*, et *Arrabat* Arabes appellant (Cf. Cellarii, *Geograph. Antiq.*, tom. II, pag. 674; Relandi, *Palestin.*, pag. 577; Schultentii, *Indic. Geog. ad Vitam Saladin*, voce *Caracha*; Abulfedæ, *Tabul. Syriæ*, p. 90, etc.). (Rosenmuller.)

(2) Segor erat una ex quinque urbibus quæ igne de cælo consumendæ erant, sed huic urbi Deus pepercit Lothi causa, qui in illam se recepit. Juxta S. Hieronymum vitula contentnans vocatur, quia tribus terræ motibus quasi sata sicut vitula subsiluerat.

Tametsi nostris moribus humile putetur, nec ferendum,

Vitula contentnans quæ?

Moabitæ noctis filii.

Secundo, Sanchez putat Segor et Moab dici vitulam triennem, quia post triennium gravem accipiet cladem, ut dicitur cap. xvi, vers. 14, de quo ibi.

PER ASCENSUM ENIM LUITH FLENS ASCENDET. — Videtur Luith urbs fuisse via ex Moab in Babylonem, sita in colle : quare Moabitæ, abducendi in Babylonem, flentes eo ascenderunt, indeque pervenerunt Oronaim, quæ erat terminus Moab versus Babylonem : ibi ergo quasi extremum valedicentes patriæ, ex intima animi contritione et dolore clamores et ejulatus ediderunt.

Vers. 6. **6. AQUÆ ENIM NEMRIM DESERTÆ ERUNT, q. d.** — Tota urbs et regio Nemrim deserta est, quia vastatione hostili omnis viror absumptus est et exaruit. Simili tropo, cap. viii, per aquas Siloe regnum Juda significavit. *Secundo* et aptius, *q. d.* Aquæ Nemrim ab accolis in hac vastitate deserentur, nec suis aggeribus concludentur, ideoque ex aquis maris Mortui adjacentibus salsæ in eas influent, easque inficient, ut fiant amaræ et pessimæ, ut ait Jeremias, cap. xlviii, vers. 34. Vide ibi dicta (1).

QUIA (id est ut Vatablus vertit, et Septuaginta, unde) **ARUIT HERBA, DEFECIT GERMINUM, etc.** — Causa enim cur arescat herba, est, quia aquæ deficiunt, non contra. Sic Hebræum *כי* *ki*, id est *quia*, sæpe non causam, sed concomitantiam, eventum, effectum, et id quod consecutum est, significat.

Vers. 7. **7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS, — q. d.** Pro magnis demeritis malorum operum graviter punientur Moabitæ. « Visitatio » enim hic, uti et alibi sæpe, idem est quod punitio.

AD TORRENTEM SALICUM DUCENT EOS, — id est captivos Moabitas ducunt Chaldæi in Babylonem : nam torrens salicum, ait S. Hieronymus, vel est vallis Arabiæ, per quam ex Moab itur in Assyriam et Babyloniam, vel Euphrates, cui adjacet Babylon; hic enim de more abundant salices. Unde *Psal. cxxxvi* dicitur : « Super flumina Babylonis, etc., in salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra. »

Septuaginta vertunt, *inducam super vallem* (Moabitarum) *Arabes*. Arabes enim vicini Moabitis videntur juvenisse Chaldæos in vastatione Moab. Unde

si vitulæ aut vaccæ appellatione gens quædam notaretur, veteribus tamen, qui in re pastoritia, nil per se indecorum, aut probis auribus non tolerabile spectabant, videbatur aliter. Vide *Osee iv, 16*, et *v, 2*; *Jerem. xlvi, 20*, et *i, 11*.

(1) Hoc oppidulum, ait S. Hieronymus, super mare mortuum est, salsis aquis, et ob hoc ipsum sterilibus. Sive autem allusit ad nomen, sive quod ante non fuerat, post vastitatem accidit ut etiam aquæ in amaritudinem vertentur.

et alii vertunt, *asservata illorum ad flumen portæ Arabes*, puta latrones et prædones opes eorum reliquas rapient et asportabunt (2).

9. PONAM ENIM SUPER DIBON ADDITAMENTA. — Qui *Vers. 9.* dam legunt *Dibon*; alii *Dimon* : sed idem est *Dibon* et *Dimon*; nam litteræ *b* et *m*, cum utraque sit labialis, ideoque sono affinis, facile inter se commutantur. Jam per « additamenta, » primo, Vatablus et Forerius accipiunt novos rivus, *q. d.* Tunc plurimis novisque rivis defluet sanguis cæsororum Moabitarum in flumen Dibon (3).

Secundo, S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Occludam incolis Dibon omnes ad evasionem et salutem aditus.

Tertio, Chaldæus per « additamenta » accipit exercitum Chaldæorum.

Quarto et planius, Haymo « additamenta » plagarum intelligit, *q. d.* Addam eis plagam ad plagam, ut scilicet « his qui fugerint de Moab et reliquiis terræ, » id est reliquiis Moabitarum profugis, inducam « leonem, » id est leones, vel proprie dictos; vel potius leones, id est milites Babylonios feroces instar leonum, quos Nabuchodonosor in viis disposuit, ut omnes fugitivos Moabitas exciperent, captivarent vel occiderent. Est proverbium, quod aliis verbis explicat et Moabitis intentat Jeremias, dicens, cap. xlviii, vers. 44 : « Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam; et qui conscenderit de fovea, capietur laqueo; » et simile est illi Isaïæ : « De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem, » de quo dixi cap. xiv, vers. 29, *q. d.* Qui unam cladem effugerit, incidet in aliam, eamque majorem : hanc enim significat leo, laqueus, regulus, etc. Leo enim terribilis symbolum est formidabilis et horrendæ sævitæ et cladis; unde Ægypti in hieroglyphicis leonem pingebant, cum significare vellent hominem horrendo ac terribili aspectu, inquit Pierius : quin etiam si quis somniavisset se leoninum habere caput, eum onirocritæ terrificum fore hostibus denuntiabant. Unde, *I Paralip. xii, 8*, de pugnacissimis militibus Davidis dicitur : « Facies eorum, quasi facies leonis. »

(2) In textu hebræo vox *יללאתה* *illetatah*, ululatus quam Vulgata secundo reddit per « clamor ejus » geminata est. Porro, inquit Rosenmuller, geminavit vates hanc vocem, ideo haud dubie, ut repetita tristissima significationis voce, sonum ipsum ubique percellentis stridoris, auribus æque legentium ac animis sentiendum præberet. *Harmonicam imitationem* vocant poetiæ artis doctores, suntque in hebræa poesi minime insolentes earundem vocum ejusmodi repetitiones, quoties major affectus jussert.

(Rosenmuller.)

(3) Aquis Dibonis videtur Arnon fluvius designari, a cujus ripa septentrionali urbs illa haud procul sita erat. (Rosenmuller.)

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Optat, vers. 1, mitti de Moab Agnum dominatorem terræ. Inde, vers. 2, dat eis consilium, ut benigne accipiant Judæos profugos. Tertio, vers. 6, ait superbiam Moab majorem esse quam sit ejus fortitudo. Quarto, vers. 7, pergit in clade et planctu Moab, quam vers. 14, ait in tribus annis futuram (1).

1. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. 2. Et erit : Sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. 3. Ini consilium, ege consilium : pone quasi noctem umbram tuam in meridie : absconde fugientes, et vagos ne prodas. 4. Habitabunt apud te profugi mei : Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris : finitus est enim pulvis, consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram. 5. Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est. 6. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus. 7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit : his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas. 8. Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, et vineam Sabama Domini Gentium exciderunt : flagella ejus usque ad Jazer pervenerunt : erraverunt in deserto, propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare. 9. Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama : inebriabo te lacryma mea, Hesebon, et Eleale : quoniam super vindemiam tuam et super messem tuam vox calcantium irruit. 10. Et auferetur lætitia et exultatio de Carmelo, et in vineis non exsultabit, neque jubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat : vocem calcantium abstuli. 11. Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris. 12. Et erit : cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non valebit. 13. Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc : 14. et nunc locutus est Dominus, dicens : In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur parvus et modicus, nequaquam multus.

Vers. 1. 1. **EMITTE AGNUM.** — Codices Septuaginta Sixtini, Basilius et Cyrillus habent : *Mittam quasi reptilia super terram*, id est mittam serpentes in Moab ; nimirum in Hebræo pro כר מושל ארץ *car mosel arets*,

(1) Istud caput est quasi præcedentis continuatio, et exhibet : primo, contestationem Prophetæ, precatoriam ad Moabitas, et in sensu altiori ad Deum, pro reparatione Judæ, vers. 1 ; comminatoriam ad Moabitas, 2 ; suasoriam ad eosdem, pro benevolentia afflictis Judæis exhibenda, 3, 4 ; consolatoriam ad Judæos, ob restaurandum eorum imperium sub Ezechia rege, et in sensu sublimiori sub Christo Salvatore, 5.

Secundo, expositionem ampliorem prophetiæ, primo, arguentem malorum causam, superbiam nempe Moabitum et arrogantiam virium limites transgressam, 6 ; secundo, denuntiantem pœnas in universum populum diffundendas, 7 ; et cum excidio urbium, exilio incolarum et vastitate agrorum conjungendas, 8-11 ; ab idolis frustra invocatis non mitigandas, 12 ; tertio, designantem priorum pœnarum tempus, antea jam prædictum, post tres annos eventurum, 13, 14.

id est agnum dominantem terræ, legerunt per diastolem כרמש לארץ *keremiss laarets*, id est sicut reptile terræ.

Secundo, Hebræi et R. Salomon ex Hebræo vertunt : *Mittite agnum dominatori terræ*, et interpretantur sic, quod, cum Moabitæ consueissent pendere regi Israel annuum tributum centum millium agnorum, mortuo Achaz id detrectarint, IV Reg. III. Quocirca sub Ezechia pio et felice rege animos et vires resumens Israel, nunc Moabitis insultans dicit : Mittite, o Moabitæ ! ut soletis, tributum, scilicet agnos, dominatori terræ, id est novo et potenti regi Ezechia, de Petra deserti, id est de Moab. Verum frustra hæc a Christo torquent ad Ezechiam ; nec enim Ezechias fuit rex Israel, sed Juda : multo minus dici potest dominator terræ, nec ipse in Scriptura Moabitis bellum intulisse, aut tributum imposuisse legitur. Adde, tam Septuaginta quam nostrum vertere : « Emitte agnum

dominatorem (non, dominatori) terræ. » Pluribus id refutat Leo Castrius. Multo minus potest hic locus accipi de Osee ultimo rege Israel : quia is jam erat occisus, et regnum Israel eversum, non a Moabitis, sed ab Assyriis.

Tertio, Hebræi aliqui et Forerius pro « agnum » vertunt, *arietem*, et per arietem accipiunt vel machinas bellicas, quæ ob similitudinem arietum arietes vocantur, vel duces et milites fortes instar arietum, quasi per ironiam et irrisionem dicat Propheta : O Moabitæ! instruite arietes, duces et milites ad oppugnandum Sion, qui dominantur terræ sanctæ, eamque sibi subjiciant; sed frustra id facietis, quinimo arrogantiae vestræ pœnas dabitis.

Agnus Verum dico cum S. Hieronymo, Hugone, Lyrano, Adamo, Vatablo et aliis, per « agnum » hic accipi Christum, qui ex Ruth Moabitide prognatus est. Cum enim Isaias vaticinaretur de excidio Moab, videretque gentem pene interituram, indoluit. Unde altera ex parte videns ex Ruth Moabitide nasciturum esse Christum, ad eum more suo obiter (unde Biblia Plantina hunc versum parentesi includunt) advolat, ejusque nativitate consolatur tam se quam Moabitas, indeque statim redit ad institutam narrationem, et ad onera Moab : Vide *Can. IV, q. d.* Mitte, o Domine! vel, ut hebraice est, *שלח* *scilichu*, id est mittite, et rorate, scilicet; o cœli! vel vos, o Pater! o Fili! o Spiritus Sancte! non agnos illos mutos et vectigales Moabitarum, sed agnum dominatorem terræ, id est Christum, qui quasi agnus Dei tollat peccata mundi, totique Ecclesiæ et orbi dominetur : mittite, inquam, eum de Petra urbe deserti, quæ est in Moab, puta de Ruth Moabitide; quæ in hac urbe nata, jam olim ex ea migravit ad Judæos. Quare quod Vatablus sic exponit : O Domine! ne perdas Moabitas, ut tandem nascatur Messias, sic accipi debet, scilicet ut nascatur Messias, qui salvet suos cognatos, videlicet Moabitas. Nam ipse nascetur ex Ruth, quæ olim ex Moab hoc Dei consilio ad Judæos transiit, ut scilicet ex ea descenderet Christus, qui Moabitis salutem afferret. Nam alioqui etiamsi omnes Moabitæ fuissent deleti, adhuc Christus descendisset ex Davide et Ruth; utpote quæ diu ante hanc cladem, Judæorum genti fuerat inserta. Booz enim ex Ruth genuit Obed, Obed genuit Jesse, Jesse genuit David, ex quo prognatus est Christus.

Car? Christum vocat « agnum, » vel « arietem : » utrumque enim significant Hebræum *car*. *Primo*, quia alludit ad vectigal agnorum, quod pendebant Moabitæ regi Israel. *Secundo*, quia Moabitæ rei pecuarie erant studiosissimi, et ovibus ditissimi. *Tertio*, quia agni et arietes Moab corpore et viribus superabant agnos et arietes aliarum provinciarum, erantque quasi duces gregum : unde recte agnus vel aries hic significat ducem et dominatorem Christum. Unde Syrus vertit : *Mitte filiam dominatoris terræ. Perperam Arabicus Ale-*

xandrinus vertit : *Mittam ad eos muscas, vel bruchos; et Antiochenus : Mittam ad eos dominantes super terram.*

Porro, quod Hebræi nonnulli tradunt, Ruth fuisse filiam regis Moab, nomine Eglon, quem occidit Aod judex, Hebræorum fabula est; nam inter Eglon et Ruth interfluxerunt 230 anni, nec credibile est regem dedisse filiam suam uxorem homini plebeio, qualis fuit maritus Ruth. Ita Abulensis et Lyranus.

Denique pro « dominatorem » verti potest, o *dominator!* Hebræi enim, cum careant casibus, idem nomen usurpant pro quolibet casu, *q. d.* O dominator terræ! mitte nobis Agnum, id est filium tuum dilectum, qui quasi agnus piacularis nos redimat et salvet.

DE PETRA DESERTI. — Urbs hæc dicta est Petra, quia in circuitu rupibus et præcipitiis est murata, inquit Strabo, lib. XVI, et ab ea tota regio dicta est Arabia Petræa. Hanc urbem auxit Balduinus rex post bellum sacrum. Deinde Soldanus, ea recepta, collocavit ibi thesaurum Ægypti et Arabiæ. Ita Adrichomius.

Nota : Christus emissus dicitur de Petra Moab, non in se, sed in sua avia Ruth; hæc enim inde a Deo quasi emissa venit in Sion : sicut nepotes Judæ dicuntur ex Chanaan egressi, et ingressi in Ægyptum, non in se, sed in suo parente Jacob; nam ipsi nati sunt post ingressum parentis in Ægyptum. Vide dicta *Genes. XLVI.*

Mystice, Petra deserti est B. Virgo, quæ iis qui ab omni auxilio deserti sunt, præsidio est instar petræ, inquit Hugo; hæc enim proximius quam Ruth edidit nobis hunc Agnum. Vide Viegas, *Apoc. XII, Comment. III, sect. XXIV.*

Demum, ad Moab, id est ad peccati excidium missus est Christus. Ita Alcazar in *Apocal. XIV, 1*, notat. *1*, ubi contendit hunc sensum esse litteralem; sed ex dictis liquet esse mysticum.

2. ET ERIT : SICUT AVIS. — Redit Propheta post *Vers. 2.* *parentesin*, qua breviter aspiravit et avolavit ad Christum, ad inchoatam cladem et captivitatem Moab, *q. d.* Moabitæ trans fluvium Arnon, ubi sunt termini Moab, in Babylonem violenter et celeriter abducentur, ibique dispergentur, sicuti disperguntur aves e nido avolantes, cum aliquis prædo nidum invadit.

3. INI CONSILIUM, — *q. d.* inquit S. Hieronymus. *Vers. 3.* Vis cladem evadere, o Moab! Deumque tibi propitium et protectorem reddere, accipe consilium tuum a tuis, tum potius a me; fac, inquam, quod suggero; dum subdo (1) :

(1) Forerius qui in primo versu capitis ironiam contineri putat in hunc modum : « Vos qui divites estis arietum et ovium, mutate tributum, videte an placare possitis muneribus regem et ducem qui nunc dominatur, » sic hæc verba : « Ini consilium, » explicat :

Continet hic versus alteram ironiam non minus acrem adversus Moabitas. Isti enim (ut est verisimile) cum rex Assyrius adversus Jehudam contenderet, et civitates regni

Ruth
an filia
regis Mo-
ab?

Arabia
Petræa
dicta
Petra
urbe.

Petra est
B. Virgo.

Vers. 2.

Vers. 3.

PONE QUASI NOCTEM. — Symbolice, sicut meridies et aestus significant ingentem afflictionem et calamitatem; quia in meridie sol maxime urit: ita umbra et nox significat ejus remedium, refugium et refrigerium. Unde, cap. iv, vers. 6, dicitur: « Erit in umbraculum diei ab aestu. » Sensus ergo est, *q. d.* O Moabitæ! vultis esse salvi, vultis evadere manus Nabuchodonosoris? Facite quod dico: nimirum Israelitas cognatos et vicinos vestros patria exsules et profugos, tum ob metum Sennacherib, tum ob alios tyrannos, tum maxime ob vastationem Nabuchodonosoris, humaniter excipite, fovete, protegite, vicesque eis rependite. Nam sic Abraham pater eorum Lot patrem vestrum excepit, juvit, fovit, et a Chodorlahomore captum liberavit. Porro exigit umbram quasi noctem, id est umbram densissimam, quasi dicat: Susceptio, pietas et humanitas vestra non sit levis, arcta et brevis, sed copiosa, larga et liberalis.

Tropologice, nota hic optimum remedium ad evadendam instantem afflictionem et Dei vindictam esse misericordiam: vis evadere miseriam? esto misericors in miseros; vis suscipi caelo? suscipe peregrinum hospitio: nam « beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Hinc ait S. Nazianzenus: « Esto calamitoso Deus, et Dominum in calamitate Deum invenies, » et Daniel Nabuchodonosori, ut impendens exitium evaderet, suasit: « Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. »

Ita Lot in Sodoma hospitio suscepit Angelos, putans esse homines peregrinos; eosque contra procaciam Sodomitarum defendit, ut potuit. Unde ab eis ex incendio Sodomæ liberatus et eductus est, *Gen. xix.*

Rahab exploratores, quos miserat Josue in Jericho, hospitio excepit, et fideliter custodivit ac dimisit. Proinde domus ejus tota sola ab Hebræis in clade Jerichuntis servata est, *Josue II et VI.*

Mulier Sunamitis Eliseum transeuntem hospitio

Jehuda cœpisset subjugare, *consilium cogebant*, et (quod fit in arduis deliberationibus) vocatis regni satrapis in dubium vocabant an excipiendi essent profugi Judæi qui metu Assyriorum ad Moabitæ confugiebant; timere enim poterant ne in se provocarent Assyriorum indignationem. Insumebant itaque dies in hujusmodi deliberationibus; cum interim Israelitæ vagi huc atque illuc abirent latebras quærentes. Hos irridet Propheta, quod regnum Jehuda sub Ezechia fuerit a Deo confirmatum, et Assyrii deleti; ipsi autem Moabitæ pœnas luerent hujusmodi crudelitatis, eadem perpessi quæ Israelitæ. « Coge consilium, » ad verbum, *fac judicium*. Sed sensus est quem Vulgata expressit. Verba Hebræa habent *vau pro Jod*. « In meridie. » Sic verba expresseris, *in medio meridie*, id est in fervore meridiano, in ipso nempe persecutionis fervore. « Pone, absconde, » etc. Non inducta persona loquentis, sed posita hæc verba juxta illa: « In consilium, coge consilium, » significant inhumanitatem Moabitarum, qui, cum res proximorum præsens postularet auxilium, ad deliberationes sese convertabant.

recepit, qui ei ob id filium impetravit, eumque mortuum suscitavit, *IV Reg. iv.*

Zachæus gaudens suscepit Christum in domum suam, ideoque ab eo audivit: « Hodie salus domui huic facta est, » *Lucæ xix.*

Narrat S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XI, « quod Cerbonius, Populonii Episcopus, quosdam milites transeuntes hospitio exceperit, eosque a Gothis supervenientibus absconderit, et in vita conservaverit. Quod dum Totilas rex Gothorum audiisset, jussit eum ursis objici coram toto populo, ut ab eis devoraretur. Sed ursus in eum immissus ferocitatis suæ oblitus, deflexa cervice, submissoque humiliter capite, lambere cœpit pedes Episcopi: « Ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei et ferina essent corda hominum, et quasi humana bestiarum. » Quare populus et rex ipse ad venerationem ejus permoti sunt.

Idem Gregorius, homil. 23 *in Evangel.*, narrat de quodam viro valde hospitali, qui per hospitalitatem meruit Christum in sua persona recipere, a quo per visionem audivit: « Cæteris diebus me in membris, heri me suscepisti. »

Narrat S. Augustinus, lib. XXII *De Civit. viii*, Innocentium quemdam, hospitalitati deditum, miraculose curatum fuisse a vulnere periculosissimo.

Leo IX Pontifex, vir mire fuit hospitalis, adeo ut, cum semel ante fores suas leprosum invenisset, eum in lectulo suo collocari jusserit: sed apertis mane a janitore foribus, nusquam leprosus inventus est: creditum est Christum pauperis nomine eo loci recubuisse. Ita Platina et alii in ejus Vita, sub annum Domini 1050.

4. FINITUS EST ENIM PULVIS. — Martinus de Roa *Vers. 4.* vir doctus, lib. IV *Singul.*, cap. III, sic explicat, *q. d.* Misera et vilis tua, o Moab! conditio, pariter et luctus abiit, depulsa est servitus, atque hostis defecit, cui in pulvere sedendo, vel fronte tangendo humum et pulverem, supplicare cogaris. Hæc enim omnia pulvere significantur apud Hebræos, Romanos et Græcos: omnes enim in luctu caput inspergebant pulvere; vel in eo sedebant. Verum sequentia ostendunt non agi hic de pulvere Moab et amicorum, sed Sennacherib et hostium. Licet enim agat Propheta de excidio Moab peracto non a Sennacherib, sed a Nabuchodonosore; tamen meminit imminentis Judææ Sennacherib, quia multi e Judæa propter eum fugituri erant in Moab. Monet ergo Isaias Moabitas, ut eos humaniter excipiant, si Dei gratiam et opem promereri velint. Si enim in eos sint duri et inclementes, eos propter hoc peccatum et alia plura, impleta tandem mensura, vindictam Dei expecturos, et immisericorditer pariter vastandos esse a Nabuchodonosore.

Sensus ergo est, *q. d.* Ne te, o Moab! excuses ab excipiendo Hebræos profugos, dicendo te metuere Sennacherib, aut quem alium eorum hostem et vastatorem, quia is brevi finietur et eva-

Remedium misericordie est misericordia in alium.

nescet quasi pulvis, atque cito consumetur miser; « et præparabitur, » etc., id est, atque vetus solium regni Hierosolymis, et Ezechie regi justo et bono, ejusque posteris præparabitur, id est confirmabitur et corroborabitur, *in*, id est *per*, misericordiam Dei. Ita Adamus et alii.

Allegorice solium hoc est regis Christi, qui judicat tam pauperes quam divites in judicio et justitia, *Psal.* LXXXVIII. Imo Sanchez et alii volunt hunc sensum de Christo esse litteralem; sed verius et planius est esse allegoricum.

Nota, per hebraismum intelligi notam similitudinis *sicut*; sic enim hæc explicanda sunt: finitus est vastator, quasi pulvis. Comparatur Sennacherib, ejusque similes pulveri. *Primo*, ob innumerabilem exercitum, qui videbatur esse instar arenæ vel pulveris. *Secundo*, quia levi plaga Angeli cæsus est, sicut levi flatu venti totus pulvis difflatur et dispellitur, ita ut terra solida et nitida appareat, ac si scopis esset versa (1).

Vers. 6. 6. AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB. — Hæc superbia evertit Moab: eversa enim est, eo quod suis armis et mœnibus lateritiis superbiens et præfidens contempserit hostem se potentiorum. Vide dicta *Jerem.* XLVIII, 29.

Vers. 7. 7. IDCIRCO ULULABIT MOAB AD MOAB, — *q. d.* Ululabit alter ad alterum, cives unius civitatis ad cives alterius. *Secundo*, « Moab ad Moab, » id est Moabitæ superstites lugebunt Moabitas occisos, inquit Vatablus. Aliter Sanchez: « Moab ad Moab, » inquit, hoc est, *Moab ad seipsum*, vel *secum* ululabit, uti mœrentes et desperantes solent.

SUPER MUROS COCTI LATERIS, — super muros lateritios. *Secundo*, et melius hoc est nomen proprium urbis, quæ hebraice dicitur קיר הרשת *kir charescet*, id est habens muros lateritios. Id patet ex IV *Reg.* III, 25, ubi cum dixisset scriptor: « Ita ut muri tantum fictiles remanerent, » subdit: « Et circumdata est civitas a fundibulariis: » quæ verba plane significant *in muri fictiles*, esse civitatem jam dictam *Kircharescet*, ad quam utpote munitissimam rex Moab in extremo discrimine confugit. Sensus ergo est, *q. d.* Dicite Moabitis, quod *Kircharescet*, quæ eis est arx inexpugnabilis, in qua superbiunt, non eos tutabitur, sed capietur ab hoste.

(1) Vers. 5. « Et præparabitur in misericordia solium; et sedebit super illud, » etc. Quamvis hæc de Ezechia pro Israele adversus Moabitas dicta videantur, ne dubitet christianus lector hæc in Christum Dominum rectius convenire, qui populo suo dum extrema pateretur adfuit, regnum David stabilivit, deletis hostibus, peccato, morte et inferno, ~~et~~ universos nobis inimicos irridere merito possimus. Facit quoque hic locus adversus divites avaros, qui negligentes et difficiles sunt ad subveniendum pauperibus, et in nulla re magis cunctabundi quam in eleemosynis erogandis, cum interim pauperes fame et frigore pereant, etc. Non hæc diu perferent pauperes Christi, o divites; non semper vobis erunt ludibrio: deficient hostes, cessabunt gemitus et lacrymæ, et Dominus judicabit in justitia pauperes, etc. (Forerius.)

8. ET VINEAM SABAMA. — Solet Scriptura civitates vocare vineas, tum ob propagines filiorum et familiarum, tum ob fertilitatem; uti Moab vinetis, vino et frugibus erat fertilis: quo alludit Jeremias, cap. XLVIII, vers. 11. Hanc ergo vineam, id est urbem Sabama, « domini gentium, » id est principes, vel Sennacherib, vel potius Nabuchodonosor, exciderunt.

FLAGELLA EJUS USQUE AD JAZER. — « Flagella » vineæ vel vitis vocantur ejus propagines et surculi circumstantes, quibus vitis se ad palum vel arborem alligat et retinet ne cadat: unde et claviculi vocantur. Per has autem propagines metaphorice intelligit populum Moab profugum, qui transiit mare, cum abductus est in Babylonem. Ita S. Hieronymus. Vide dicta *Jerem.* XLVIII, 31.

9. PLORABO IN FLETU JAZER. — Jazer erat ultima civitas Moab juxta Jordanem, quæ videtur prius vastata quam Hesebon et Sabama; nam ait Isaias se ploraturum in excidio Sabama, sicut comploratum fuit in excidio Jazer.

VOX CALCANTIUM (id est Chaldæorum deprædantium tuam messem et vindemiam, eamque calcantium et exprimentium) IRRUIT. — Nota: Hostium vastatio metaphorice recte comparatur concalcationi uvarum et segetum. Hæc omnia fusius et clarius exprimit Jeremias cap. XLVIII.

10. AUFERETUR LÆTITIA, etc., DE CARMELO. — Carmelus non est in Moab, sed in Judæa; sed, ut notat S. Hieronymus, solet Scriptura proverbialiter per *Carmelum* significare quemvis locum uberem et fertilem: talis enim est mons Carmelus. « De Carmelo » ergo, id est de agris Moab pinguibus et fertilibus, « auferetur lætitia, » solent enim lætari et exsultare vinitores in ubere vindemia, et messorum in copiosa messe.

VOCEM CALCANTIUM ABSTULI. — Jeremias habet: « Nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit. » Vide ibi dicta.

11. SUPER HOC VENTER MEUS AD MOAB QUASI CITHARA SONABIT, — *q. d.* Intima viscera mea, tacta dolore, edent lugubrem cantum et gemitus ob Moabitarum, hostium licet nostrorum, vastationem; sicut cithara, plectro tacta, dat sonitum in funere funereum. Jeremias habet: « Cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit. » Nota: Citharæ et tibiæ, quia lugubre quid sonant, solebant olim adhiberi luctui et funeribus; ut dixi *Jerem.* cap. XLVIII, 36.

12. ET ERIT: CUM APPARUERIT (*q. d.* Moab, adveniente hoste, videns se frustra laborare in excelsis suis, aris et idolis colendis, nec ab iis ferri opem, alia) SANCTA (scilicet templa sua publica), INGREDIETUR (id est ingredi conabitur, ut deos suos exoret; sed) NON VALEBIT, — partim ob pavorem, fatigationem et virium dissolutionem; partim ob subitum hostium impetum, qui eum opprimet (1).

(1) Atque hoc præter alia malum habet superstitio eorum qui falsos deos colunt, ut, qui certo loco addictum

Vers. 13. 13. HOC EST VERBUM, — *g. d.* Hucusquæ enarravi oracula et minas contra Moab; hoc est quod ait *Jerem.* cap. XLVIII: « Hucusque judicia Moab. »

QUOD LOCUTUS EST, etc., EX TUNC, — id est ab olim, jam pridem, scilicet per Amos, qui cap. II, idem excidium Moab ante Isaiam prædixit.

Vers. 14. 14. IN TRIBUS ANNIS. — Non quod hæc clades Moab facta sit a Sennacherib, post triennium ab hac prophetia: facta est enim a Nabuchodonosore, ut dixi initio cap.; sed quod Nabuchodonosor post tres annos ab excisa a se Jerusalem, id est quinto ab ejus vastatione anno, vastaverit Moab: hoc enim diserte docet Josephus, lib. X *Antiq.* XI, vel certe quod trium annorum spatio vexaverit et vastaverit Moab. Ita S. Hieronymus, Hugo, Pintus, Leo Castrius et alii. Audi S. Hieronymum: « Potest, ait, et de Babylonica captivitate prædici, quod post captam Jerusalem, transitis annorum trium circulis, Moab a Chaldæis vastata sit; sive quod trium annorum spatio nulla ei data sit requies. »

ANNI QUASI ANNI MERCENARIUM. — Id est qui (scilicet tres anni jam dicti) sunt « quasi anni mercenarii, » id est præfixi, integri et certi, quibus nihil addi aut demi potest. Mercenariis enim certum tempus præstituitur, cui ipsi nihil patiuntur addi; nec qui conducit eos, aliquid ex eo tolli patitur. Ita Vatablus, Forerius, Arias, Osorius et alii, imo S. Cyrillus.

Secundo, sicut mercenarius, finitis conductionis suæ annis, recedit, ita recedet et auferetur con-

et affixum putant divinum Numen, cum corpore illuc accedere non possint, omnino eis desperandum sit in rebus adversis. Cultores autem veri Numinis ita religionem certis locis ac temporibus assignant ut tamen intelligant Deum ubique adesse, et omni tempore et loco, ut si manus cordis levant, et genua flectant Deo suo, exaudiantur. Ne existimes autem Prophetam in miseria aut infelicitate numerasse quod « non possent adire excelsa sua Moabitæ; » nihil enim auxilii a diis suis possent, etiamsi maxime adiissent, impetrare; sed secundum depravatam opinionem eorum hoc addidit. Nemo enim est qui non torqueatur et crucietur animo, si in adversis rebus intelligat præpeditam sibi esse viam, quominus quem pro Deo colit possit adire, precari atque consulere. Neque quisquam est tam barbarus qui, cum humana omnia adversa sibi experiat, a Deo petendum auxilium non arbitretur. (Forerius.

dicto tempore, scilicet triennio, gloria Moab, ita ut vix racemus in ea remaneat, ut sequitur.

Tertio, proprie hi anni direptionis Moab vocantur *mercenarii*, eo quod hisce quasi pro mercede excisæ a se Jerusalem, et divinæ vindictæ exercitæ, regnum et spolia Moab accepturus sit Nabuchodonosor, inquit S. Hieronymus, uti idem pro expugnata Tyro, in mercedem quasi a Deo accepit Ægyptum, *Ezech.* XXIX.

Quarto, hi anni vocantur *mercenarii*, id est laboriosi et molesti ab hoste vexante et spoliante. Sic enim mercenarius diem agit laboriosum et ærumnosum, assistente semper et ad opus urgente hero. Ita Sanchez et Adamus. Vide Pinedam in *Job.* VII, 2.

Symbolice, S. Basilius, qui hic finit suum Commentarium in Isaiam: Qui ad gloriam, inquit, populi captandam bona opera faciunt, horum gloria vertetur in ignominiam in tribus annis, id est in omni dimensione temporis, scilicet præteriti, præsentis et futuri.

SUPER OMNI POPULO, — de tam numeroso populo Moab, in quo ipse gloriatur, post hanc cladem relinquentur paucissimi, sicut paucissimæ relinquantur uvæ post vindemiam. Unde aliqui codices legunt: *Relinquetur sicut racemus parvus.* Vide hic in Moab vanitatem regnorum, omnisque pompæ et fastus. Brevi enim, Deo puniente, eorum gloria in probrum, multitudo in paucitatem, potentia in imbecillitatem, sapientia in stultitiam, opes in egestatem, magnificentia in sordes, excellentia in humilitatem, gratia in odium, securitas in angustiam, pax in mille discrimina commutatur (1).

(1) Qui plura de antiqua Moabitarum regni amplitudine, incolarum numero, urbium frequentia, regionis fertilitate, et præsentis vastitate, solitudine, sterilitate, discere voluerit, diligenter perlegat relationes et testimonia viatorum qui hisce recentioribus temporibus illam regionem peragrarunt. Inter quos indigitabimus Irby et Manglès; Joannis Ludovici Burckardti, Ulric Jasper Seetzen relationes, et ipsius Volney testimonium in operibus: *Les Ruines et Voyages en Syrie*, etc.; qui omnes Isaiam prophetæ de Moab veracitatem, diverso licet animo, attestantur. Vide *Annales de Philosophie chrétienne*, tom. V; *Les Prophéties confirmées par les découvertes des voyageurs modernes les plus célèbres*, art. II.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat exitium Damasco et Syris æque ac Samaritis, quodque tam pauci relinquentur, quam paucae remanent spicæ post messem. Secundo, vers. 7, dicit reliquias per hanc cladem, quæ eis obtigit eo quod obliti sint Dei, ab idolis ad Deum convertendas (1).

1. Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. 2. Derelictæ civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat. 3. Et cessabit adjutorium ab Ephraim, et regnum a Damasco : et reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum. 4. Et erit in die illa : attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet. 5. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium ejus spicas leget : et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. 6. Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. 7. In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient : 8. et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus : et quæ operati sunt digiti ejus non respiciet, lucos et delubra. 9. In die illa, erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ sicut aratra, et segetes quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel, et eris deserta. 10. Quia oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata : propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. 11. In die plantationis tuæ labrusca, et mane semen tuum florebit : ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter. 12. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis : et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. 13. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, et increpabit eum, et fugiet procul : et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. 14. In tempore vespere, et ecce turbatio : in matutino, et non subsistet, hæc est pars eorum qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos.

1. ONUS DAMASCI. — Nota : Prophetiæ Isaïæ, uti et aliorum Prophetarum, non ex ordine sunt editæ, quo sunt in hoc volumine collectæ : nam Damascus ab Assyriis eversa est ante mortem Achaz, ac consequenter ante cladem Philistinorum; quæ facta est ab Ezechia filio Achaz, de qua egit cap. XIV, vers. 29, et multo magis ante cladem Moab, de qua capitibus XV et XVI; hæc enim facta est

diu post, scilicet tempore Nabuchodonosoris.

Prædicat ergo Propheta hic Syriæ, cujus caput erat Damascus, excidium imminens per Theglathphalasar, IV Reg. XVI, 9; qui tamen nonnullas in ea reliquias dimisit, quas post 134 annos Nabuchodonosor delevit, uti prædixit Jeremias, cap. XLIX, vers. 23; sed postea Damascus sub Macedonibus et Ptolemæis restaurata est, inquit S. Hiero-

(1) Cum semper, inquit S. Hieronymus, decem tribus regnum Damasci contra Judam præbebat auxilium, ut Regum et Paralipomenon narrat historia, etiam ipsa vastitatem ab Assyriis appropinquare significat Isaïas.

Porro inscriptio *Onus Damasci* non totum prophetiæ argumentum, ut bene notant Rosenmuller et Allioli, sed priorem tantum ejus partem complectitur. Nam inde a versu 4, regno Israelitico sive Ephraimitico denuntiat futurum esse, ut totum evertatur, paucis solummodo reliquiis mansuris, et similiter a vers. 12, ut suo loco notabimus, de Assyriorum irruptione et clade vaticinatur Propheta.

Primo igitur, Syris septentrionalibus seu Damascenis prædicat evertendam Damascum, vers. 1; redigendam in

solitudinem regionem, 2; cessandum sociale ab Israelitis subsidium, regnum et gloriam, 3.

Secundo, meridionalibus seu Israelitis denuntiat, *primo*, statum illorum tenuem ac inopem duplici similitudine desumpta, una a corpore quod integra florens valetudine subito marcescit, ita ut decus omne et species ei pereat, altera a collectione æstivæ et autumnali fructuum, 4-6; *secundo*, illorum conversionem ad Deum abjecto idolorum cultu, 7, 8; *tertio*, vastitatem et sterilitatem terræ Israel, quæ multo tempore desolata permanebit propter Dei oblivionem, 9-11.

Tertio, Orientalium, seu Assyriorum, depingit irruptionem hostilem, strepitus terrore plenam, 12, 13; et durationem ejusdem brevissimam, 14, 15.

mus, estque etiamnum nobilis Orientis urbs, de qua plura *Jerem.* XLIX (1).

Mystice S. Bernardus, tract. *De Underim oneri-*

(1) Quam Damasci cladem et eversionem præ oculis in hoc vaticinio Isaias habeat, inter se interpretes non consentiunt; alii enim de Teglath-Phalasare (noster Cornelius, Allioli, Rosenmuller); alii de Salmanasare (Grotius, Calmetus); alii de Sennacherib (Berthierus) expeditione hæc intelligenda arbitrantur.

Primo aspectu sententiæ D. Calmeti satis proni essemus; ille etenim doctissimus interpres quatuor Damasci clades optime discernit, priorem a Teglath-Phalasare, secundam a Salmanasare, tertiam a Sennacherib, quartam tandem a Nabuchodonosore, huic regno infligendam; quas quidem clades Prophetæ distincte prædixerunt. Nam Amos, quæ Damasci regnum a Jeroboam secundo vel a Teglath-Phalasare (*Amos* 1, 3, 4 et 5, et IV *Reg.* XIV, 25, 26); Isaias, quæ a Salmanasare (cap. VII, 8, VIII, 4), et in hoc capite quæ a Sennacherib; Jeremias vero (XLIX, 23, 24), quæ ultimo a Nabuchodonosore perpeßum est, vaticinati sunt. Porro hæc vetant, inquit, quin de eversione Damasci per Teglath-Phalasarem hanc prophetiam intelligamus, in qua legimus scilicet paucos Israelitas post hanc cladem derelinquendos, et ad Dominum convertendos, quod quidem nonnisi post Damasci expugnationem a Salmanasare et decem tribuum abductionem evenisse constat.

Attamen, quantum historia quæ pauca de his eventibus narrat, niti licet, cum Cornelio, Allioli et Rosenmuller, hoc vaticinium ad excidium Damasci imminens per Teglath-Phalasar referimus; his momentis ducti quæ a Rosenmuller mutuata subjicimus.

Regnum Damasceno-Syriacum, Ephraimitarum fines a septentrione proxime contingens, regni Salomonici initiis conditum fuisse a Rezone aliquo, qui cum defecisset ab Hadadezere, Syriæ Zobeæ rege, factionis princeps, manu promptus, cum turba hominum Damascum occupavit et ibidem fundavit regnum, cognoscitur ex I *Reg.* XI, 23, 24. Illud vero procedente tempore valde confirmatum, opibusque et robore militiæ adauctum, admodum infestum fuit regno Israelitico seu decem tribuum. Bellum illi erat cum hoc fere continuum a temporibus Benhadadi, nepotis Rezonis ab Aza rege incitati (I *Reg.* XV, 48), sive æmulatio inter populos, viribus fere pares, sive ambitio Damascenorum, producendis regni sui finibus intentorum, sive lites veteres, nunquam bona fide sopitæ, huic igni identidem novam subjecerint materiam. Longum erat, ut ascribitur in historia, si pax per triennium duraret, I *Reg.* XXII, 1. Quin ne Judæis quidem, paulo longius remotis, a regibus Syro-Damascenis pax fuit, sic idem ille Hazaël qui Ephraimitas tantopere pressit, Joasum Achazæ filium bello petiit et spoliavit, non exigua regno inflicta clade, II *Reg.* XII, 17, 18; II *Paral.* XXIV, 23, 24. Razinum vero inito cum Pecacho, Israelitarum rege, fœdere regni Judæici meditatam esse excidium vidimus supra VII, 1 et seqq. Sub idem tempus quo, quæ eo loco narrantur, acciderunt, et nostrum editum esse vaticinium, recte observat Lightfootus, *Chronolog. et ord. textuum veteris Testamenti*, in *Opp.*, tom. I, pag. 101. Certe argumenti utriusque oraculi, et præcipue quidem, cap. VIII, 1-4; IX, 7-20, tanta affinitas est, ut non possit esse major. Sed quod unum hoc sufficit: cum vaticinium nostrum editum sit adversus Damascum, stante adhuc et florente eo regno, ut patet ex versibus 1, 2, 3, et adversus Ephraimitas, Syriæ societate junctos; liqueat vero ex iis quæ leguntur II *Reg.* XVI, 9, coll. cum XV, 29, solutam esse illam societatem, et eversum regnum Damascenorum a rege Assyrio, anno Ahasi tertio vel quarto, necesse est hoc oraculum ante annum Ahasi quartum scriptum esse. Grotius quidem editam hanc prophetiam existimat primo

bus Isaiæ, ita hoc onus Damasci exponit: « Damascus interpretatur fundens sanguinem, illam nobis innatam exprimens corruptionem, quæ quodam modo nolentes et invitos trahit ad peccatum. Ipsa est lex in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ, et captivos nos ducens in legem peccati, quæ est in membris nostris. Omnis sensus vitalis in corpore, ex sanguine est; vitalis autem sensus in anima, ex ratione est. Et scitis, naturalis motus peccati quomodo nonnunquam in quamdam delectationis pœnam, ipsam rationem absorbeat, et totam animam, ut ita dicam, reddat exsanguem. Sed quidam sentiunt, sed non consentiunt; impugnantur, sed non expugnantur; onerantur, sed non prosternuntur. Hi onus quidem sustinent a Damasco; sed Damascus non sunt. At ille qui consentit, et præbet arma iniquitatis peccato, profecto Damascenus est, proprium sanguinem fundens, et suis se manibus interficiens. Hic, procul dubio, pondere pœnæ, quod in onere Damasci describitur, se noverit opprimendum. »

2. AROER. — Civitas hæc erat Syriæ, diversa ab Aroer urbe Judææ: ita dicta, quod esset arida instar deserti, in quo crescunt myricæ. « Aroer » enim hebraice significat myricam. « Aroer » ergo Syris talis erat qualis est Campinia Belgis.

3. CESSABIT ADJUTORIUM AB EPHRAIM. — Solet enim Ephraim (id est decem tribus) confœderatus esse Syris et Damascenis, præsertim pugnando contra Judam. Samaria enim, quæ mox vocatur « gloria filiorum Israel, et gloria Jacob, » sub idem tempus, puta anno sexto Ezechizæ, ab eodem rege Assyriorum vastata est; unde tunc

Hiskizæ anno, eaque prædici Salmanasaris irruptionem. Hunc enim cum Samariæ regnum subverteret sexto Hiskizæ anno, Damascum jam a Tiglath-Phalasare captam et subiectam, demum excidisse. Sed historia de eo nihil habet, et quo tempore editum est hoc vaticinium, obtinebat adhuc Damascus regnum, ut patet e vers. 3, ubi gloria sua privanda dicitur. Ex eodem versu haud obscure patet tempore hujus vulgati vaticinii societatem Syrorum et Ephraimitarum nondum fuisse solutam. Si vero hæc prophetia edita esset post cladem, quam Damasceni et Ephraimitæ tulerunt a Tiglath-Phalasare, non facile explicari potest, quæ occasio subministrata sit Prophetæ nostro, adversus Damascum et Ephraimum denuo declamandi eo tempore quo Damasceni et Ephraimitæ jam magnam partem, in exilium abducti essent. Sed si sumamus, vaticinium hoc sub Ahaso editum esse, occasio se ultro prodit, et nemini obscurum est. Tum vero nostrum oraculum suo loco non positum, digestumque esse ab iis qui hoc vaticiniorum syntagma collegerunt, fatendum erit, nam supra, XIV, 23, jam facta est mentio mortis Ahasi; Cf. not. ad locum. « Ratio autem, inquit Lightfootus, lib. I, quare hæc prophetia eo loco collocata sit, quo conspicitur, hæc est: quia plures ibi prophetiæ adversus plura regna junguntur; et quando Dominus distribuit minas inter omnes regiones circumcirca, Damascus et Ephraim non poterant esse immunes; ideoque cum tria capita, quæ proxime attigimus (VII, VIII, IX), eo loco posita sint, quo comparentur, speciales denuntiationes adversus hæc duo regna; hoc caput (XVII) suo hoc loco collocatum est, ut reliquas comminationes comitaretur. »

Vers. 2.

Vers. 3.

non poterant Syri amplius ab Ephraim, id est a Samaritanis, auxilium expectare.

8. ET ERIT SICUT CONGREGANS IN MESSE. — Nota, cum S. Hieronymo et Haymone, hic inopiam et paucitatem tam Israelitarum sive Samaritanorum, quam Syrorum, ad quam redigentur a vastatore Assyrio, describi per triplicem comparisonem: *prima* est, quod erunt tam pauci, quam paucae sunt spicae, quae post messem in agro amplissimo, verbi gratia Raphaim, remanent, et a pauperibus colliguntur; *secunda*, quod erunt tam pauci, quam pauci racemi vindemiatores fugiunt, et post vindemiam relinquuntur; *tertia*, quod erunt tam pauci, quam quatuor vel quinque olivae quae in olea excussa remanent, vel quia latent sub foliis, vel quia sunt in summitate aut cacumine arboris, ut manus collectoris eas attingere nequeat.

Allegorice, tam pauci erunt salvandi et electi, quam paucae remanent post messem spicae, uvae et olivae, et, ut ex aliis ait S. Hieronymus, reliquiae Israel salvabuntur; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Ita B. Nilus vir mirae sanctitatis, qui floruit ante sexcentos annos, fuitque fundator monasterii Cryptae Ferratae juxta Tusculum, in quo ejus sepulcrum vidi et colui; cum visitaretur a primoribus Constantini Imperatoris, ex S. Simeonis libro et doctrina eis dixit: « Intelligite, quia nisi virtute, et magna virtute praediti fueritis, nullus vos liberabit a poenis inferni; » additque: « Ex decem millibus hominum vix unum salvari, » idque asserere S. Basilium, Chrysostomum, Ephrem et alios. Cumque a primoribus istis rogaretur an Salomon salvus esset, necne, respondit: « Nihil in S. Scriptura legimus, quod post peccatum poenitentiam egerit, sicut Manasses. Quis ergo de illo dicere poterit, quod salvus sit? » Ita habet ejus Vita, et ex ea Cardinalis Baronius, anno Christi 976, tom. X. Vide dicta Num. xiv, 30 et 38.

6. SIVE QUATUOR AUT QUINQUE IN CACUMINIBUS EJUS (oleae) FRUCTUS EJUS, — hoc est olivae, q. d. Sicut quatuor vel quinque fructus oleae, id est olivae quae remanent in olea. Noster legit פריה *piria*, id est *fructus ejus*; jam legunt פריה *poria*, vertuntque, in *cacuminibus ejus (oleae) frugiferis*. Ita Vatablus.

7. IN DIE ILLA INCLINABITUR, — q. d. Residui ex hac clade Samaritae, uti et Syri nonnulli, qui Assyriorum manus effugerint, relictis idolis fallacibus, quae ipsos salvare ab hoc excidio non potuerunt, ad Deum, verum in adversitatibus asylum et protectorem, confugient, ejusque fidem et cultum amplectentur. Factum id est, monente et excitante Ezechia, II Paralip. xxx et xxxi. Ita S. Hieronymus. Unde subdit: « Ad Sanctum Israel respicient, » id est revertentur et convertentur, a quo antea fuerant aversi.

9. ERUNT CIVITATES FORTITUDINIS EJUS DERELICTAE, — q. d. Assyrii quasi torrens Syriam et Samariam uno impetu pervadent et prosternent, ita ut eorum pavore et formidine civitates Israel

tissimae a civibus fugientibus deserantur, non secus quam olim ad adventum filiorum Israel ex Aegypto venientium percussi Chananæi et Amorrhæi dereliquerunt sua aratra et segetes, fugeruntque in sylvas et latebras. Ita S. Hieronymus.

9 et 10. ET ERIS DESERTA (o Samaria!), QUIA OBLITA ES DEI, — quia avitam Dei veri, qui tibi in adversis solent esse praesidio, fidem et religionem deseruisti.

10. PROPTEREA PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELIEM. — *Primo*, S. Hieronymus censet esse ironiam. Unde Septuaginta pro « fidelem » vertunt, *infidellem*, quae mox vocatur *germem alienum*, id est spurium et adulterium. Per haec autem intelligit plantas et arbores degeneres, quod scilicet Deus iis ob peccata incolarum sterilitatem inducet.

Secundo et aptius, Sanchez: Ager, ait, *fidelis* est, qui agricolae spem et laborem non fallit, sed ei reddit quod accepit cum usura et ubere fructu; *infidelis* est, qui aut nihil reddit, aut, si quid profert, id non domino, sed alieno producit. Unde pro *germem alienum*, ex Hebraeo verti posset, *germen alieno seminabis*: id ita factum est; nam quod seminarunt Israelitae, hoc messuerunt alieni, scilicet Assyrii. Sensus ergo est, q. d. In agros tua manu plantatos et excultos grassabuntur alieni; et licet in se fidelis futura sit planta, fructusque redditura, tibi tamen erit infidelis, quia non tu, sed alieni eos colligent. Hoc eis minatus erat Dominus, Deut. xxviii, 51.

Tertio, aliqui haec referunt ad filios Israelitarum, quos ipsi pessimi pessimos, et a Patriarcharum sanctitate degeneres ac quasi spurios genuerunt. Verum hic sensus non est litteralis, sed symbolicus (1).

(1) « Quia oblita es Dei salvatoris tui, » etc. Possunt autem haec dupliciter accipi, *primo*: « Quia oblitus es Dei tui, » o Israel, propterea posteriora tua non respondebunt principiis tuis; initio enim floruisti, et brevissimo tempore in florentissimum regnum evectus es; sed tandem misere periisti; *secundo*: « Quia oblitus es Dei tui, » propterea factum est ut ex illa magna specie justitiae quam oculis hominum tam studiose exhibuisti, ob quam toti mundo admirationi eras, nulli fructus colligerentur; quinimo « cum tempus fructus ferendi appropinquaret, » ut est in Evangelio, subito universa messis periit, et occisis servis Domini vineae insuper, et ipso haerede, tibi ingentem et « desperatum dolorem » peperisti: ut merito statim initio, cum promptam obedientiam promitteres sub Mose, dixerit, nimirum finem tuum praevident, Dominus: « Quis det talem eos semper habere mentem, ut timeant me omni tempore, et bene sit illis, » etc. Quis enim ignorat quam jucundae fuerint primae illae plantationes, quam suaves ritus, quam suavia judicia? Nihil erat in ulla alienigenarum republica observatione dignum quod sua multo melius insertum non viderent Judaei. Nulla enim gens erat ita sapiens et intelligens, ita Deum colens; nullus populus ita sanctus, teste Mose. Fructus vero qui inde expectabatur, erat fides in Christum, et ejus cum adveniret susceptio; at « Israel sectando justitiam in legem justitiae non pervenit, » quia « ex operibus » illis et dignitate meritorum illorum arbitrabatur se dignum esse cui omnia Deus praestaret; cumque in exteriora tantum

Ager fidelis quis?

Paucitas salvandorum.

Vers. 6.

Vers. 7.

Vers. 9.

Vers 11. 11. IN DIE PLANTATIONIS TUE LABRUSCA (*q. d.* Cum plantaveris vineam, invenies ex ea excrescentem non vineam, sed labruscam): ET MANE SEMEN TUUM FLOREBIT, — *q. d.* Ante tempus florebit, ac proinde præcox erit, nec maturescet.

Tales tropologice sunt ii qui toti sunt in studiis, nec ea referunt ad Dei gloriam, ad suam et aliorum salutem, nec ea virtute et pietate condiunt; hæc enim florem dant, sed non fructum; is enim evanescit, omnisque labor consumitur in vana quadam cognitione, et inani speculatione.

Secundo, q. d. In die quo plantam et vitem fidellem et fertilem serere aut plantare videbaris, revera labruscam plantasti, quæ te inani spe et specie lactabit; sed amarum tibi dabit fructum; nam illa quidem florebit, sed cum ad fructum et messem pervenerit, auferet eam hostis, quod tibi cordis dolorem et amaritudinem pariet. Loquitur enim Propheta de more parabolice.

IN DIE HÆREDITATIS. — Id est cum advenerit tempus possidendi et hæreditandi eam, scilicet tempus messis et vindemiæ.

ET DOLEBIT, — scilicet messis, se ab alieno et hoste carpi; est prosopopœia. Vel « dolebit, » id est dolebis tu, videns tuam messem ab alienis colligi; ut sit enallage personæ; *tertio*, et planissime, « dolebit, » id est dolere te faciet, in Hebræo enim est כָּאֵב *kieb*, in Piel, quod est activum.

intentus esset, et cor ejus longe esset a Deo, quia « oblitus est salutis suæ et totius fortitudinis suæ, » id est Dei sui, interiit et spe sua frustratus est. « In die hæreditatis. » Non dubium quin *nacal* forma masculina, et *nacalah* etiam forma feminina, *torrentem* significet, ut *Num. xxxiv, Psal. cxxiv*: « Torrens transivit super animam nostram; » et *Ezech. xlvii*. Unde hic vertere possumus « in die torrentis, » id est quando hostis velut torrens irruit in Israelem. Nam juxta historiam, Israel, qui propter victoriam quam de Jehuda reportavit, florere et gloriari videbatur, paulo post usque ad interuptionem deletus est, ut nemo in rebus prosperis sibi valde placeat. (Forerius.)

Cæterum, utrumque hunc versum figurate arguere summum Ephraimitarum studium in sectandis exterarum gentium vel superstitionibus vel fœderibus, vix dubium esse potest. (Rosenmuller.)

12. VÆ MULTITUDINI (ita Romana, non *multitudo*, Vers. 12. ut habent Plantina) POPULORUM. — Aliqui putant Isaiam hic transire ad Sennacherib, ejusque pœnam prædicere; ipse enim vastavit Judæam et Syriam. Unde ait, « et increpabit, » id est coercabit et compescet Deus eum vespere, id est nocte, cædendo 185 millia, ita ut mane cum summa turbatione fugere ipse debeat. Verum dura et insolens videtur hæc transitio. Quare melius dicemus Prophetam hic pergere intentare væ Damascenis et Israelitis, qui contra Judam sæpe conjurarunt. Unde exercitus eorum copiam, impetum et fremitum comparat fluctibus maris: hos enim Deus increpavit, id est contudit et contrivit per Assyrios; perinde ac pulvis a vento, et turbo a vehementi tempestate dispellitur, idque « vespere et mane, » id est brevissimo tempore; hoc enim significat istud proverbium, cap. xxxviii, 12, et *Psal. lxxxix, 6* (1).

Nota: De hoc exercitu nunc loquitur in singulari, dicens: « Increpabit eum; » nunc in plurali, dicens: « Sonabunt populi multi. »

13. SICUT TURBO CORAM TEMPESTATE. — Septuaginta vertunt, *sicut pulverem rotæ tempestatis impellentis; Vatablus, sicut globus ante turbinem.* Hebræum enim גַּלְגַּל *galgal* significat rem volubilem, qualis est turbo, rota et globus, qui, ubi a turbine corripitur, totus impetu illius rotatur ac projicitur. Exercitus ergo Damascenorum videbatur esse mons ingens, superbus et immobilis: sed ecce coram Deo fuit quasi rota et globus, non tantum mobilis, sed et volubilis ac instabilis.

(1) « Hæc fere omnes, inquit Forerius, de Assyriis interpretantur, quam apte ipsi viderint. Ego historię filium secutus, hos versus de Syris et Israelitis qui Judæos vehementer afflixerunt, intelligendos existimo. » Idem sentit D. Calmetus. Nos vero cum Berthiero, Rosenmuller, Allioli, irruptionem, clademque Sennacheribi, de qua cap. sequenti, ab Isaia depingi putamus, et editum fuisse hoc vaticinium anno decimo quarto Ezechię regis, paulo antequam Assyrii, Sennacheribo duce, in Palæstinam et in Ægyptum irrumperent. Cf. eandem fere descriptionem, cap. x, vers. 28-34.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Predicit cladem Æthiopum instantem per Sennacherib, et futuram per Nabuchodonosorem: quam enim choavit Sennacherib, hanc Nabuchodonosor complevit Deinde, vers. 7, eos ad Dominum convertendos predicit (2).

1. Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, 2. qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilace-

(2) Vaticinium in hocce capite contentum permulta obscuritate involvitur, propter quod dissentiant interpretes maxime in explicandis characteribus quibus Propheta ænigmatice terram illam, cujus incolis subitam

ratam; ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus. 3. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubæ audietis: 4. quia hæc dicit Dominus ad me: Quiescam, et considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis. 5. Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinabit, præcidentur ramusculi ejus falcibus: et quæ derelicta fuerint, abscidentur, et excutientur. 6. Et relinquetur simul avibus montium, et bestiis terræ: et æstate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestię terræ super illum hiemabunt. 7. In tempore illo, deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato; a populo terribili, post quem non fuit alius; a gente expectante, expectante et conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

1. VÆ TERRÆ CYMBALO ALARUM. — *Primo*, Ludovicus Legionensis et Montanus in *Abdiam* putant hic, uti et apud *Abdiam*, in fine, esse prophetiam de Indis, et novo orbe subjugando et convertendo; pro *Væ* enim hebraice est *ווי הוי* *hoi*, quod potest verti, *Age, heus*, ut vertit Forerius: quasi Deus hortetur hic Hispanos cymbalo alarum, id est classibus, instructos, ut gentes illas convulsas, et expectantes opem ad salutem, adeant et adjuvent. Unde Vatablus (cui et consentit Forerius) sic vertit et explicat: « Heus, terra umbrae alarum, quæ es ultra flumina Æthiopiæ, id est quæ navibus abundas, quæ recipis umbram velorum multarum navium. Vocatio Gentium describitur, et liberatio de manibus mundi et Satanæ per Christum facta. Heus, inquit, terra, quæ es sita ultra Æthiopiā; quæ scates fluminibus, id est terra in extremo orbe posita: synecdochice intelligens quoque alias regiones ultimas, in omnium hostium cladem jubet nuntiari, designat, aliis Ægypto, aliis Æthiopiæ signa illa diacritica convenire contendentibus.

Porro illæ obscuritates paululum clarescere videntur, si hujus vaticinii cum immediate præcedentibus connectionem perpendas. Quid enim in ultimis cap. xvi versibus vidimus? Multorum contra Judæos conspirantium populorum, scilicet Assyriorum, molimina temporis momento irrita reddi, Deo increpante et disturbante; hanc igitur Sennacheribi ejusque exercitus, non solum Ezechiaë imminentis, sed Ægypti et Æthiopiæ regibus cum Ezechia consociatis, cladem internecinamque stragem, Propheta prædicit.

Primo, incolis terræ quæ est trans flumina Æthiopiæ, scilicet Æthiopsis, væ prænuntiat, eosque excitat ad legatos mittendos ad Ægyptiacam gentem, quam propriis characteribus designat, ut Assyriorum irruptioni primi sese opponant, transitumque prohibeant, vers. 1, 2.

Secundo, Isaias, Dei jussu, omnes gentes excitat veluti ad spectaculum luculentum, ut attendant ad cladem illam qua constituerit ille compescere ferociam atque arrogantiam Assyrii regis, 3.

Tertio, exhibet Deum veluti spectatorem tantæ cladis, et sub similitudine palmitum ac propaginum, quæ ante messem in vitibus amputantur, designat duces militesque hostilis exercitus, qui dum maxime meditabantur victoriam, communi cæde disjicientur, copia cadaverum inscultata, 5, 6.

Quarto, gratum Æthiopum animum prænuntiat, eorumque ad Deum conversionem, 7.

nem terram exivit sonus eorum, q. d. Evangelium ubique prædicabitur. Populos remotissimos invitat ad Christum. » Hucusque Vatablus, Confirmat id Bozius, tom. II *De Notis Eccles.*, lib. XX, signo LXXXIV: *primo*, quia cum ait: « Trans flumina Æthiopiæ, et post quem non est alius, » notat extremos Indiarum populos; *secundo*, quia Indi e « vasis papyri, » id est e suberibus et corticibus arborum, cymbas excavabant, quibus legerent littora: carebant enim magnis navibus, magnete arteque navigandi altum mare; *tertio*, quia ait: « Cujus diripuerunt flumina terram ejus, » ut ostendat populos illos divulsos a nobis, nostroque continenti, vel absorptam ab intercurrenti Oceano terram. Refert enim Plato in *Timæo* et *Cratia* maximam insulam Atlantidem, et quæ amplitudine Europam et Asiam superaret, Hispaniis olim adjunctam, sed Oceani vorticibus demersam; vel ob plurimas aquarum inundationes, quibus illa tellus obnoxia fuit; et quarum memoria et fama permanent etiamnum in Indorum mentibus, ut scribit Franciscus Gomez, *Hist. Indicæ*, part. II, cap. cxxii. Sic de Indis hinc locum accipiunt Arias Montanus, Josephus Acosta, Fredericus Lumnius, Joannes Fernandes, quos citat et sequitur Delrio, *adagio* 723.

Verum patet ex vers. 5 et 6, hanc prophetiam, uti et reliquas hisce capitibus, continere onus, id est prophetiam minacem contra Æthiopiā vel Ægyptum, eique væ intentare.

Secundo, Justinus, *Contra Tryphonem*; Oecumenius, in Prologo *Epist. ad Rom.*, et Leo Castrius, *Secundo Judæam*, putant hic agi de Judæa. Sic enim *Apoc. xi, 8*, Hierosolyma vocatur « Ægyptus, » q. d. Væ Judææ, quæ mittit undique litteras ad Christi nomen et fidem blasphemandam et perdendam! Hoc mysticum est, non litterale, uti patebit ex seqq. Tale est et illud S. Gregorii, XIII *Moral. vii*, in Romana editione 5: *Væ terræ*, etc., inquit, hoc est, væ Antichristo superbo, qui præcones suos per totum orbem mittit!

Tertio, S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Procopius, D. Thomas, Lyranus, Adamus et Ribera in *Sophon. iii*, putant hic agi de Ægypto, q. d. Væ Ægypto, quæ in umbra alarum suarum, et, ut

Septuaginta, *in navibus alatis*, auxilium pollicetur Judæis! Notum enim est Judæos ab Assyrii aliisque afflictos, ad Ægyptiorum opem confugere solitos, perinde ac Israelitæ confugiebant ad opem Syrorum seu Damascenorum, ut dixit cap. præcedenti. Ita sub hoc tempus rex Ægypti pollicetur rat opem Ezechie contra Sennacherib, ut patet *V Reg. xviii*. Sicut ergo cap. præced., Syrorum, ita hic Ægyptiorum pœnam et cladem denuntiat, quæ a Chaldæis peracta est. Nam Nabuchodonosor anno quinto post excidium Hierosolymæ vastavit Ægyptum, teste Josepho, lib. X *Antiq. xi*. Hunc sensum de Ægyptiis secutus noster Carpentius, ita eum docte heroico carmine expressit:

Væ tibi, quæ reducem sistris crepitantibus Apim
Concelebras, crotalos et inania cymbala pulsans,
Amne superba sacro tellus, quem nobile munus
Æthiopes mittunt ignotis fontibus ortum.

Quarte. et optime esse Æthiopiam. Verum dico hic non de Ægypti, sed de Æthiopiæ clade agi, quæ est sub Ægypto, puta de Abyssia ubi regnat Preto-Joannes, qui imperium habet juxta Nilum, et late dominatur usque ad mare Rubrum. Probatur id:

Probatur primo. *Primo*, quia capite sequenti incipit onus Ægypti, ergo non hoc.

Secundo. *Secundo*, quia Æthiopes sunt vicini Ægyptiis; unde æque ut Ægyptii infestarunt Judæos, ut patet de Æthiopicis, qui cum Sesac rege Ægypti contra eos conjurarunt, II *Paralip. xii, 2*, et de Zara Æthiophe, qui cum innumeris copiis venit contra Asa regem Juda, II *Paralip. xiv, 9*: ergo sicut Ægyptii, Idumæi, Syri et alii Judæorum hostes hic a Deo plectuntur, et suum excipiunt onus, ita et Æthiopes. Unde iis Sophonias, cap. II, 12, et Jeremias, cap. XLIX, gladium et exitium intentant.

Tertio. *Tertio*, quia quod hoc capite dicitur de Æthiopicis, idem dicitur de Ægyptiis capite sequenti; si enim utrobique loqueretur de Ægyptiis, frustra idem capite sequenti repeteret.

Quarto. *Quarto*, quia verisimile est Æthiopes, æque ac Ægyptios, per legatos opem promississe Judæis contra Assyrios; ideo enim Tharaca rex Æthiopicum videtur venisse contra Sennacherib, ut scilicet eum a Judæa et Ægypto depelleret, quia non cupiebat hostem adeo potentem tam habere vicinum.

Quinto. *Quinto*, quia Ægyptus proprie non est trans, sed intra rivos Nili; Æthiopia est autem trans eos. Rursum papyrus et naves ex papyro tam sunt in Æthiopia, ubi incipit Nilus, quam in Ægypto; unde naves papyraceæ vocantur Æthiopicæ; imo Æthiopia pene solum habet Nilum, et per eum descendit in Ægyptum.

Sexto. *Sexto*, quia Æthiopicis competit *τὸ cymbalum alarum*, id est apes et muscæ suis alis, id est copiis, cymbalizantes, id est strepitum instar cymbali excitantes. Sicut ergo Assyrios comparavit apibus et muscis, cap VII, vers. 18: ita et hic iis-

dem comparat Æthiopes: *primo*, ob eorum nigrorem; *secundo*, ob eorum frequentiam, quæ etiamnum est innumera; *tertio*, ob eorum turbam et strepitum; item ob eorum in suis copiis et armis inanem gloriationem; bombizabant enim instar apum et muscarum, quæ præter bombos et streperum alarum sonitum, nihil habent virium; unde *quinto*, significatur hic, quod in armis sint imbelles et invalidi.

Septimo, quia eadem congruitate aptari possunt Æthiopicis, qua Ægyptiis, imo nonnulla majori, ut illud: « Post quem non est alius. » Ita de Æthiopicis hæc exponunt Pineda in Salomone prævio lib. IV, cap. XIV, vers. 3, Sanchez et Forerius. Porro, Æthiopia post Ægyptum, cui adjacet, vastata est primo a Sennacherib, ut ostendam cap. XX, 1. Deinde a Nabuchodonosore, ut docet Sophonias, cap. II, 12, cum ait: « Et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis; » et Megasthenes apud Josephum, lib. I *Contra Apionem*. Hic magis agi de prima vastatione, patebit cap. XX. Denique id clare docet versio Arabica Alexandrina quæ sic habet: *Væ terræ, cujus fines umbrosæ sunt extremitates, quibus includitur, in qua incessus prolongatus est, videlicet terra Æthiopia, de qua opinati sunt filii Israel, quod ea protegerentur!*

VÆ TERRÆ CYMBALO ALARUM! — Est appositio, *q. d.* Væ terræ Æthiopiæ, quæ est cymbalum alarum, id est cymbalata in alis, vel habens alas sonantes instar cymbali! quæ a Æthiopes magno strepitu, prædicatione et gloriatione, instar apum et muscarum, ut dixi, alarum complosione, id est virium et copiarum suarum ostentatione ac jactatione personantes instar cymbali opem suam Judæis spondebant. Sic Tiberius Cæsar Apionem grammaticum, qui gloriabatur se eos quos scriptis suis laudasset, immortales facere, vocabat *cymbalum mundi*, teste Plinio in præfatione ad Vespasianum, et Apostolus, I *Corinth. xiii*, scientiam charitate carentem et eloquentem vocat « cymbalum tinniens (1). »

Secundo, quia instar cymbali tantum tinnitum, id est sonitum inanem et futilem, edebant, promittentes opem quam reipsa non erant præstituri; hoc est, ut vulgo dicitur, erant baculus arundineus, cui nemo ob inanitatem tuto innititur.

(1) Hebræum sic etiam reddi potest: « O terra umbræ alarum, » vela navium alis comparat, *q. d.* O regio maritima, quæ abundat navibus quæ reguntur velis, quæ recipit umbram velorum multarum navium! sive quæ tegitur umbra velorum, etc. Ob multitudinem enim navium in quibus vela obumbrantia tenduntur cum ambulant, similis erat avibus volantibus alis suis, inquit docti inter Hebræos: qui etiam dicunt, hac locutione metaphorice significari multitudinem negotiorum et species varias rerum quæ ad alias terras ex illa egrediebantur. Sic Vatablus, Chaldæa paraphrasis: *Væ terræ ad quam veniunt cum navibus a terra longinqua, et extendunt vela sua ut aquila volans alis suis; quæ omnia optime Æthiopicis conveniunt.*

Cur?

Causa prima,

Secunda,

tur, *Isaia* xxxvii, 6 : hic ergo baculus, uti et cymbalum, significat auxilium inane et fallax.

Tertia. *Tertio*, Sanchez : Æthiopia, inquit, abundans navibus in Nilo et mari, vocatur *cymbalum alarum*, quia cymbalum sua cavitate est quasi navis; unde alii pro *cymbalum* vertunt, *cymba*, et, ut Vatablus, *nassa*, in qua vela sunt quasi alæ; unde Septuaginta vertunt, *navium alis*. Ab hoc alarum remigio naves vocantur velivolæ, ait Delrio, *adagio* 171. Rursum Æthiopicæ naves vocantur cymbalum vel cymbalæ, quia Æthiopes, et post eos Ægyptii, molles, inter navigandum lituis ac sistris concrepare solebant; unde Plutarchus in *Vita Antonii* describit navem Cleopatæ, in qua remi ad fistulæ tibieque modulos movebantur et personabant.

Quarta. *Quarto*, aliqui putant Æthiopiam vocari *cymbalum alarum*, propter Nilum, qui ad Catadupa cum strepitu præceps ruit instar avium (hinc Theodotion pro cymbalo vertit, *aves*). Unde Catadupi sunt Æthiopum populi ad novissimum Nili cataractem, ubi inter occursantes scopulos tanto fragore Nili aquæ ruunt, ut nimia soni vehementia acolas surdos efficiant, de quo Plinius, lib. V, cap. ix.

Pro *cymbalo alarum* Hebraice est צלצל *tsiltzel*, quod verti potest, *inumbrialis*; Aquila aliis punctis legit per diastolen צלצל *tseltzel*, ut sit nomen geminatum significans *umbra, umbra*, id est maxima umbra. Unde et Syrus vertit: *Væ terræ umbra alarum!* Sicut enim mater pullos protegit velo et umbra alarum suarum, ita Æthiopia spondebat se suis copiis et alis militaribus tutaturam Judæos. Sic et Vatablus ac Forerius: « Nomen, inquit, *tsel* geminatum frequentiam umbrarum notat, id est frequentiam et copiam velorum, quæ sunt instar alarum, quasi dicat: Heus terra quæ frequentibus navium velis mare obumbras et flumina! » Talis enim fuit Æthiopia, indeque Ægyptus. Vide Plinium, lib. XII, cap. xi, et Strabonem, lib. XVII.

QUÆ EST TRANS FLUMINA ÆTHIOPÆ, — id est trans Nilum, quem de Æthiopia in Ægyptum fluere nemo dubitat, ait S. Hieronymus. Porro Nilum vocat *flumina*, quia Nilus habet septem rivos instar septem fluminum, quibus se in mare septem ostiis exonerat. Unde et Ezechiel hos rivos vocat *flumina*, cap. xxix, 3. Dicitur Æthiopia trans flumina, id est trans septem rivos Nili, respectu Hierosolymæ; ejus enim respectu plagas orbis consignat Scriptura. Sed cur utitur hac periphrasi Propheta? cur non clare dicit: *Væ Æthiopiæ?* Respondeo: *primo*, quia Prophetæ gaudent obscuritate; *secundo*, fluminum meminit, quia sequitur: « Qui mittit in mare legatos, » etc.; *tertio*, hoc ipso quo nominat flumina Æthiopiæ, significat se de Æthiopia loqui; solet enim Scriptura per flumina designare provincias et regna, uti ostendi cap. viii, vers. 6. Unde τὸ Æthiopiæ tam ad τὸ trans flumina (eo enim pertinere patet ex regimine Hebræo) quam ad τὸ *væ terræ* referri potest, *q. d. Væ terræ*

Æthiopiæ, quæ est trans flumina Æthiopiæ, id est sua; solent enim Hebræi pro pronomine meum, tuum, suum, etc., ponere et repetere ipsum nomen antecedens. Sic Psalm. cxxi dicitur: « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem: Jerusalem quæ ædificatur ut civitas. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem. » Ubi secundo repetitur nomen antecedens, scilicet Jerusalem, poniturque pro pronomine quæ et ejus.

2. QUI MITTIT IN MARE LEGATOS. — « Qui, » scilicet **Vers. 2.** « rex. » Est enallage personæ; transit enim a terra et regno ad regem. Vide *Can. XVI, q. d. Rex Æthiopiæ, v. g. Tharaca, mittit per mare legatos in vasis, id est in navibus papyri, tum ad alias gentes, tum ad Judæos, promittens eis opem contra Assyrios* (1).

ET IN VASIS PAPYRI SUPER AQUAS, — *q. d. Mittit legatos et milites auxiliares in navibus, quæ in Æthiopia, uti et in Ægypto, fiunt ex papyro frutice. Vide dicta Exodi II, 5.*

Notat rursum in papyro levi et fragili, licet picturata, fucatam et fragilem opem et vires Æthiopum. Hæc enim Æthiopiæ conveniunt, non Ægypto: nam Ægyptii copias suas in Judæam mittebant terra, non fluvio: Æthiopes vero fluvio; nam Nilo descendebant secundo flumine in Ægyptum, inde pedestri itinere pergebant in Judæam.

Septuaginta vertunt, *qui mittit epistolas byblinas* (hæ enim æque ut naves fiebant e papyro), scilicet ad Judæos, quibus eis auxilium pollicetur. S. Cyrillus hæc refert ad superstitionem Ægyptiorum, qua litteras mittebant in mare, quasi gaudentes de reperto Adonide Veneris amasio, de quo *Ezech. VIII, 14.*

Sanchez per *epistolas byblinas* accipit naves papyraceas; epistola enim græce significat *aliquid missum et extrusum*, aut potius, inquit, epistolas vocat naves perferentes legatos cum epistolis, per metonymiam; tales enim naves a Seneca, lib. XI, cap. lxxviii, vocantur *tabellariæ*. Arabicus vertit, *mittit scripturas vel libros papyri, sive chartæ.*

ITE, ANGELI VELOCES, AD GENTEM CONVULSAM. — S. Hieronymus et alii putant esse mimesim, sive imitationem vocis regis Ægypti, *q. d. Ite, o legati, o nuntii mei! per Nilum ad Judæos, qui sunt gens bello convulsa; licet olim sub Davide et Salomone fuerit terribilis, cui alia non fuit similis* (nam pro *post quem*, alii legunt, *præ quo, non est alius*), nunc vero afflicta est expectans auxilium: quia flumina, id est reges Israel, Assyriorum e

Angeli
veloces
qui?
Resp.
primo.

(1) Ægyptii fluvium Nili honoris causa Oceanum vocabant, et hodie adhuc mare appellant. Qui mos apud Hebræos etiam invaluerat; et magnam aquarum congregationem sive in flumine, sive in lacu, mare vocabant. Nam haud credendum istos populos talibus cymbis quæ ex papyro, et scirpo et arundine texebantur (Plin. lib. VII, cap. lvi), mari Mediterraneo se commisisse.

Cum tenet omnia Nilus
Conseritur, bibula Memphis cymba papyro.
(Lucan. Pharsal. iv, 36.)

Flumina
Æthio-
piæ sunt
rivi Nili.

Chaldæorum instar fluminum eam obruunt (1).

Secundo, alii cum Vatablo censent hic gentes, maxime remotas et Indicas, vocari ad Christi fidem, ad easque mitti Angelos, id est Apostolos, quia ipsæ a dæmone, infidelitate et peccatis convulsæ sunt, ut per Christi gratiam restaurentur et salventur, doceanturque ferre crucem et mortem optare pro Christo, ideoque hos angelos opponi angelis sive legatis Judæorum, de quibus iidem accipiunt vers. 1, ut dixi. Ita Oecumenius, Procopius, Castrius, *q. d.* Ite, o Angeli, o Apostoli! ite, o Xaveri! o Gaspar! ite, o Religiosi, zelosi! ad Barbaros, ad Indos vitiis convulsos, et ad tartara ruentes, vestramque opem exspectantes, afferte eis fidem, gratiam, salutem.

Tertio,
genuine.

Tertio et genuine, Sanchez censet legatis Æthiopum infirmis et papyraceis, de quibus vers. 1, opponi angelos, id est legatos Dei, puta Sennacherib et Assyrios, quos Deus misit contra Tharaca aliosque Æthiopes, qui proinde sunt gens ab eis convulsa, conculcata et dilacerata, id est ex Dei decreto brevi convellenda et dilaceranda, licet antea videretur esse terribilis; hi etiam proprie sunt « populus, post quem non est alius: » sunt enim in fine orbis versus Meridiem. Pertingunt enim per regnum Congi et Monomotapæ ad promontorium Bonæ-Spei, in quo terminatur terra, sive continens versus Meridiem: nam ultra illud non est nisi Oceanus, ut patet ex Tabulis cosmographicis Ortelii et aliorum.

AD GENTEM EXSPECTANTEM (aliqui legunt, *exspectantem exspectantem*, id est plane et omnino exspectantem; Hebræa enim geminant קף קף *kaf kaf*) ET CONVULSAM, — id est mox certo convellendam, et in Dei præscientia ac decreto jam convulsam. Nota: Hebræum *kaf*, primo, significat *extensum*, puta *lineam*: inde *secundo*, *spem et exspectationem*; spes enim sperantis animum quasi lineam extendit ad rem speratam. Ad verbum ergo He-

(1) Ista descriptio optime designat Ægyptiorum gentem, quæ tunc temporis intestinis factionibus dilacerabatur, ut constat ex Herodoto, cum Diodoro Siculo collato (vid. Calmetum et Berthierum). Populus terribilis vocatur, quia victoriis suis, præsertim regis Sesostri, inflata, ultra modum gloriabantur. Alii dicunt, *ad gentem depilam, glabram*, idque de Ægyptiis exponunt, quos Herodotus, lib. II, cap. XLVII, testatur sæpe scitos fuisse pilos corporis abraderere.

Loco vocis *exspectantem*, quæ in Vulgata latina legitur, cuius significationem S. Hieronymus a קרף *exspectare* accersivit, melius cum aliis diceremus, *ad gentem lineam et lineam*, id est, inquit Forerius, et Sanchez a Cornelio citati, ad gentem quæ frequentibus lineis terram metiri solet propter rationes ab eodem nostro Cornelio allatas.

« Ad gentem conculcatam; » vel juxta Hebræum, *gentem conculcationis*, quam vocem alii sumunt active, ut designetur populus, qui omnia conculcat; alii passive, de populo a victore proculcato, id est dariter tractato. Nos vero putamus Isaiam illum Ægyptiorum usum innuere, quo solebant Nilo in alveos suos regresso pecudes in agros seminatos agere ad semina conculcanda; qui quidem usus ab Herodoto relatus, lib. II, cap. XIV, recentiori D. Champollion testimonio confirmatur.

bræa sic veritas cum Vatablo, Pagnino, Forerio et aliis, *ad gentem lineam lineam, et conculcationis*. Gens lineam vocatur, cui ad lineam, quasi ad amussim, pro demeritis admensa et commensa, hoc est decreta, est a Deo pœna et vindicta. Est metaphora a fabris et architectis: hi enim ad lineam, quasi ad normam, perpendiculum, regulam et directorium fabricant et ædificant. Sic et Deus ad lineam meritorum vel demeritorum cuique destinatus, cudit et fabricat præmium, vel pœnam. Sic cap. XXXIV, vers. 11, dicitur: « Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem; » hoc est, ut Chaldæus vertit, *extendetur super eam linea desolationis, et perpendiculum destructionis*. Et, ut Septuaginta, σπαρτίον γεωμετρίας ἐρήμου, id est *funiculus geometriæ deserti*, ut scilicet justa mensura diruatur, et redigatur in desertum. Sic IV Reg. XXI, 13, dicitur: « Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, » hoc est eadem linea, sive norma et mensura pœnæ ac vastationis demoliar Jerusalem, qua demolitus sum Samariam. Rursum, sicut fabri materiam secandam vel deasciandam, prius filo seu linea signant, quæ Græcis γραμμή dicitur: sic Deus delineat quasi gentes, quas exitio destinatus, et deasciare decernit. Hunc esse sensum patet primo, ex eo quod paulo ante hanc gentem vocavit « convulsam et dilaceratam, » et subdit *direptam*. Inde enim homines macilenti, exhausti et extenuati dicti sunt μόρον γραμμή, quasi *unicam lineam*, inquit Delrio, *adagio 724*. *Secundo*, quia Chaldæus vertit, *populum oppressum et direptum*; Septuaginta, *gentem sine spe* (id est desperatam, deploratam) et *conculcatam*; Syrus, *gentem depilatam, cujus pennæ detractæ sunt, et eradicatam*; Arabicus, *gentem sine robore, fœdam, despectam* (vel nequam, absurdam). *Tertio*, quia Noster vertit, *gentem exspectantem*. Æthiopes enim vocantur gens exspectans, scilicet adventum Assyriorum, quia timent eos, avideque præstolantur eventum expeditionis ipsorum. Rursum exspectant, id est experientur certam cladem, quam Assyrii eis inferent. Sic de legatis Ezechie ad Sennacherib dicitur cap. XXXIII, vers. 7: « Angeli pacis amare flebunt. »

Aliter Sanchez: *Exspectant*, inquit, quotannis inundationem Nili, ut per eum agri oblimentur et fœcudentur. *Secundo*, idem pro *gens exspectans*, inquit, hebraice est, *gens lineam lineam, et* Forerius, Pagninus et Vatablus, *q. d.* Æthiopes, uti et Ægyptii, quia adjacent Nilo, qui exundans obruit agros, hinc utuntur linea, sive regula et gnomone, quo agrorum spatia dimetiantur, ut sciat quisque quid suum fuerit et sit. Hinc ex hac Nili inundatione ortam esse apud eos Geometriam, docet Strabo, lib. VII, et Diodorus, lib. II, *q. d.* Æthiopes et Ægyptii sunt, gens quæ lineis aliisque instrumentis geometricis utitur, ut designet cuique suos agros et limites, quos egressus ex alveo Nilus obruerat, confuderat et occæcaverat. Porro sicut in vasis papyraceis eorum infirmitatem; sic

Geometria apud Ægyptios inventa est Nilum.

nunc in limo et cœno Nili, atque in linea agrorum mensuratrice regionis sordes, et fortunam incertam et instabilem demonstrat. Hucusquæ Sanchez.

CUJUS DIRIPUERUNT FLUMINA TERRAM EJUS. — Significat Nilum exundantem, qui Æthiopiam, uti et Ægyptum, inundando obruit. Symbolice significat Assyriorum et Babyloniorum copias turmatim coeuntes, instar fluminum obruituras Æthiopiam, ut eam conculcent et vastent.

3. OMNES HABITATORES ORBIS. — Pergit loqui Deus, q. d. Cum Assyrios et Babylonios quasi legatos meos misero, tunc videbunt omnes gentes bellum acre, quod per eos contra Æthiopes ego geram.

4. QUIESCAM ET CONSIDERABO IN LOCO MEO (q. d. Eminus e throno meo tacitus, imo gaudens spectabo quasi ludos, scilicet hæc spectacula vindictæ meæ, puta stragem Æthiopum) : SICUT MERIDIANA LUX CLARA EST, — q. d. Cum Æthiopes erunt in tenebris, id est angustiis, ego in clara et serena luce mea habitans, clarus, serenus, imo gloriosus eos contemplabor. Sic Moses et seniores viderunt gloriam Dei, « quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est, » *Exodi* XXIV, 10. Vide ibi dicta. Simili adagio usus fertur Heraclitus philosophus. Nam cum aquæ intercutis morbo laboraret, sic solebat medicos interrogare : « Num ex imbre sudum et ex nubilo serenum efficere nossent? » per imbrem hydropem, per sudum et serenum sanitatem intelligens. Quod cum medici non intelligerent, ille se boum fimo totus obruit, ut illius calido vapore noxius corporis humor exudans exsiccaretur : ubi cum diutius obrutus permansisset, interiit, si credimus Laertio et Plutarcho (1).

ET SICUT NUBES RORIS IN DIE MESSIS, — q. d. Æthiopes erunt in ardore, tum solis quo torrentur (sunt enim in Zona torrida), tum cladis et excidii : ego autem ero in refrigerio beatus, perinde ac si essem in nube roscida, quæ tempore messis solet messorum refrigerare; indeque vastationi Æthiopum aliquid roris instillabo, id est moderationem afferam, eamque clementia temperabo, ne penitus deleantur.

Vers. 5. 5. ANTE MESSEM ENIM TOTUS EFFLORUIT. — Persistit in metaphora messis, quæ dum in flore luxuriat, omnemque succum et vires in flores effundit, segete et fructu destituitur. Idem fit in arbore,

(1) S. Hieronymus hunc versum ita enarrat : « Quid est quod locutus est Dominus ad Prophetam? Hoc quod sequitur : Donec veniant quæ præcepi, in mea sede requiescam, ut Judæi putant, in templo, ut nos, in cœlestibus. Et considerabo, inquit, qui rerum finis eveniat. Sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis; sicut in toto die nihil est clarius meridie, quando sol de medio cœlo rutilat et omnem orbem pariter illustrat, et sicut in aestu et calore torrente, quando nudus messor excoquitur, et operis magnitudinem anhelitus probat, gratissima est roris temperies, si arentes stipulas matutinus humor secabiles faciat; ita meus sermo, quem considerabo in loco meo, cunctis in me credentibus gratus et veniet. »

quæ, antequam maturescat fructus, in flores, germina et surculos totam se effundit : de ea enim dicit, quod « immatura perfectio, » id est immaturi surculi et ramusculi, licet in se perfecti germinabunt, sed fructus non dabunt maturos. Causam dat cladis Æthiopum, scilicet eorum præpropere gloriationem et provocationem hostium, q. d. Æthiopes florebant et superbiebant suis viribus gloriose præfidentes, et sibi promittentes amplum imperium : ideoque audientes Sennacherib eminus in Judæa versari, præpropere arma moverunt, ac contra eum aciem direxerunt, eumque ad prælium provocarunt. Sed hic omnis eorum flos fuit intempestivus et præcox, nec maturuit, sed in herba periit et succisus est : nam primo a Sennacherib, deinde a Nabuchodonosore succisi sunt : hoc est quod ait : « Et præcidentur ramusculi ejus faucibus, » id est juvenes et milites ardentiores Æthiopum gladiis Assyriorum occidentur; « et quæ derelicta fuerint, abscidentur et excutientur, » id est reliquias Æthiopum ex bello profugas persequentur Assyrii et Chaldæi, easque partim occident, partim capient, spoliabunt et dissipabunt. Ita juvenes animosi et temerarii dum milites validos lacesunt, suæ efflorescentis audaciæ dignam referunt messem, scilicet cædem et cladem.

Nota totus, id est fere totus, plerique; nam mox aliquos, vers. 7, excipit. Vide *Can.* XXX.

6. ET RELINQUENTUR SIMUL AVIBUS MONTIUM, — Vers. 6. q. d. Tanta erit Æthiopum strages, ut cæsum cadavera sufficiant integra æstate et hieme, ad voraces feras et carnivoras aves alendum.

7. IN TEMPORE ILLO (scilicet in diebus Messis, vide *Can.* XII); DEFERETUR MUNUS DOMINO. — Solent Prophetæ post tristia, ut ea leniant, læta subjungere : ita hic fit, q. d. Post hanc Æthiopum cladem, Æthiopes relicta vana spe, quam habebant in suis, tum viribus, tum idolis, agnoscent verum Deum, eumque colent in monte Sion, id est in Ecclesia. Factum hoc est, cum Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum conversus a Philippo, *Actor.* VIII, fidem Christi per Æthiopiam sparsit; cumque S. Matthæus Apostolus, eo profectus, regem et regnum convertit : unde in Æthiopia mire floruit Christianismus. Hoc est quod ait *Psalm.* LXXVII : « Coram illo procident Æthiopes, » et *Psalm.* LXVII : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo. » Vide nostrum P. Cotignium et alios, qui de Ecclesia et historia Æthiopiæ scripserunt (2).

A GENTE EXSPECTANTE. — Ita legendum cum Romanis, id est plurimum exspectante. Est auxesis.

(1) In II *Paratip.* xxxii, 22, 23, legimus : « Salvavitque Dominus Ezechiam et habitatores Jerusalem de manu Sennacherib. Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem, et munera Ezechie regi Juda; qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. » Illud factum hic innuere videtur Isaias; nam consentaneum est credere Ægyptios a Sennacheribi metu liberatos inter eos fuisse qui hostias et sacrificia Domino obtulerunt.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit cladem Ægypti, ob incolarum dissidia, et superba ac stulta consilia principum, quibus Pharaonem in bellum et cladem induxerunt, vers. 11. Deinde, vers. 15, prædicit salutem et gratiam, quam Ægypto offeret Christus: ita ut simul Ægyptii et Assyrii cum Judæis in Christi cultum et Ecclesiam conspirent.

1. Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingrediatur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. 2. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. 3. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo: et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos. 4. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. 5. Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur. 6. Et deficient flumina: attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum. Calamus et juncus marcescet: 7. nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. 8. Et mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. 9. Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia. 10. Et erunt irrigua ejus flaccientia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. 11. Stulti principes Taneos, sapientes consilarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? 12. Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum. 13. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Memphæos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus. 14. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis: et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens. 15. Et non erit Ægypto opus, quod faciat caput et caudam, incurvantem et refrenantem. 16. In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam. 17. Et erit terra Juda Ægypto in pavorem: omnis, qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam. 18. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocatur una. 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. 20. erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. 21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus: et vota vovebunt Domino, et solvent. 22. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam, et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos. 23. In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, et intrabit Assyrius Ægyptum, et Ægyptius in Assyrios, et servient Ægyptii Assur. 24. In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio: benedictio in medio terræ, 25. cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel.

1. ONUS ÆGYPTI (1). — Mystice S. Bernardus, *De Onere Ægypti*, serm. 5, sic philosophatur: (1) Si in priscis Ægyptiorum historiæ reliquiis, nobis servatis paucis quidem illis, circumspiciamus, ad quæ

« Ægyptus interpretatur tenebræ. Sunt autem tenebræ ignorantiae, sunt et iniquitatis. Eia, fratres, non est leve hoc onus, quod de ignorantiae nostræ cæcitate portamus, nescientes in multis quid expediat, quid laudemus, quid improbemus; ita ut sæpe dicamus malum bonum, et bonum malum. Sed et quid oremus sicut oportet nescimus, et in luce Scripturarum sicut in nocte incedimus. Qui ergo hujusmodi sunt, ab Ægypto onerantur, sed cum Ægypto non onerantur, cum illis scilicet qui Ægyptus sunt et tenebræ, filii tenebrarum, de quibus Dominus in Evangelio: Omnis qui male agit, odit lucem. Et Apostolus: Qui dormiunt, inquit, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Hi nimirum eo pondere pœnæ

nunc reipublicæ Ægyptiacæ fata Noster in hoc carmine respexerit, nihil commodius et facilius se nobis offeret, quam tempus *Ἀδελφότητος*, de quo Herodotus, lib. II, cap. CXLVII et CLI; et Diodorus, *Bibl.*, lib. I, cap. LXVI. Tradunt hi Ægyptios *Sabacone* (a) Sethone (quo regnante Sennacheribus, Assyriorum rex, Ægyptum invasit), mortuo, restitutos libertati, per biennium fuisse in statu anarchiæ, quo tempore, plebe ad tumultus et cædes intestinas conversa, duodecim duces primarios se ipsos, conjunctione inita, reges fecisse, et Ægypto inter se divisa, statum firmasse; sed cum duodecim illi reges per annos quindecim Ægypto imperassent, ortis jurgiis turbisque civilibus summam rerum devolutam esse ad unum Psammetichum. Hujus belli civilis causam Diodorus inde repetit, quod Psammetichus Saïtes, cui maritimæ Ægypti oræ obtigerunt, aditum ad Ægyptum liberum faciens Phoenicibus et Græcis, magnasque sibi colligens opes, et amicitias etiam sibi comparans exteriorum principum, reliquorum Ægypti regum in se concitaverit invidiam, qui proinde ipsi intulerint bellum, ex quo, commisso ad Memphim prælio, victor abierit Psammetichus auxilio Ionum Carum, Græcorumque, quos ipse conduxerat milites, adjutus. Turbas hæc Ægypti internas a vate nostro in hoc carmine respici, præstantissimi jamdudum viderunt interpretes, quibus et nos accedere non dubitamus, cum hac assumpta hypothesis totum carmen clariore appareat luce. (Rosenmuller.)

Usque huc cum Rosenmuller sentire libet, sed ab eo desciscere cogimur, cum, asserens incidisse bellum illud Ægyptiorum civile in initia Manassis inde dubitari posse dicit, utrum hoc carmen ab Isaia ipso, an potius ab alio, paulo seriore vate profectum sit, quia credibile non est illum adhuc functum esse munere prophætico, sub rege Manasse. Miseranda sane ratio propter quam ipse cum Eichorn, Isaia abjudicat et alii cuidam vati qui Manasse regnante Ægyptum adierit, hoc vaticinium tribuit!

Sit igitur hoc argumentum sensus litteralis proximioris: sed quod non omnia quæ hoc capite de Ægypto dicuntur, in Ægyptum conveniant, neque juxta historiam de provincia illa intelligenda sint, optime probat S. Hieronymus in hoc loco. Non dubium autem quin in sensu sublimiori hæc prophetia referenda sit ad necessitates spirituales Ægypti idololatriæ deditæ, quæ vividius ante adventum Christi affligebatur, sed a quibus tum ipsam Ægyptum, tum alias gentes Salvator liberaturus veniebat.

Hanc prophetiam ab Isaia editam esse sub fine dominationis trium regiarum familiarum, paulo ante Sennacheribi cladem (715 ante Christum), rerum series nobis suadet. Nam tunc temporis Ægyptus ab hoste imminente

(a) Sabaconem fuisse cognomen omnibus regibus Æthiopum proprium ut Ægyptiorum Pharaon, satis verisimile fecit Gatterer, *Weitgeschichte in ihrem ganzen Unif.*, part. I, pag. 225, 226.

puniuntur, quo Ægyptum Propheta docet esse puniendum.»

ECCE DOMINUS ASCENDET SUPER NUBEM LEVEM. — Symbolice et poetice hoc dicitur: solent enim Poetæ, ut celeritatem et cœlestem majestatem, robor, pugnam et victoriam Dei significant, dicere, Deum nubibus vehi, nubibus insidere et inequitare, quasi inde procellas, ventos, grandines et tonitrua in hostes jaculetur, si velit. Ita facit Psaltes, *Psalm. xvii, 11*. Unde S. Athanasius, lib. *De Incarn. Verbi*, legit, *super nimbum levem* (1).

Secundo, «nubes levis» significat exercitum Assyriorum velocissimum, cujus quasi dux et ductor fuit Deus, qui eos in Ægyptios celerrime et potentissime immisit, ut instar nubis densæ

Nubes
levis
quid?
Resp.
primo.

Secundo.

liberata tam superba evaserat ut opportunum judicaverit Deus per Prophetam illas calamitates mox eventuras prænuuntiare et minari.

Primo igitur pœnas a Deo idololatriæ vindice de Ægypto sumendas vaticinatus, vers. 1: *primo*, bellum civile ita ut regnum in regnum, civitas in civitatem sæviant, 2, 3, et dominatum tyrannicum illius qui victor ex hoc bello discesserit, 4; *secundo*, Nili defectum et siccitatem, indeque proveniente tum agrorum sterilitatem, tum piscatorum et pannificum inopiam et desperationem, 5-10; *tertio*, stoliditatem et mendacem adulationem consiliariorum regionum, 11-13, omnibus aliunde veluti de mentis sensu et ratione disjectis taxquam correpti essent vertigine, 14, 15.

Secundo, transit Propheta ad beneficia a Deo bonorum largitore Ægyptiis præstanda, et prædicat, *primo*, Ægyptios calamitatibus hisce oppressos, et a Deo ipsis hæc mala immissa esse intelligentes ad Israelitarum Deum auxilium petendum trepidos venturos esse, 16, 17; *secundo*, conversionem præcipuarum urbium ad veram religionem, 18, 19; *tertio*, salutem a Deo datam, et gratiarum professionem a fidelibus redditam, 20, 21; *quarto*, indulgentiam post relapsam divinitus dandam, amicitiam post inimicitias cum vicinis, ipsisque Assyriis reparandam, et benedictionem ad omnes derivandam, 22-25.

(1) Eleganti exordio Propheta viam sibi sternit ad describendam Ægypti calamitatem. Jovam, rectorem mundi, infert vectum celeri nube, tanquam curru, ad judicandos et plectendos Ægyptios. Desumpta est fictio ab imperatore seu rege, populorum suorum giudice, qui cum intellexerit, in remotiore aliquo ditionis suæ tractu enormiter adversus leges delinqui, celerrimo vehiculo usus illuc se transfert, ut soutes puniat. Cæterum, hæc fictio nil novi aut insoliti habet, nubes enim sæpe a vatibus Hebræis proponuntur tanquam currus et vehicula Dei, ut regis, res humanas ubique insipientis, procurantis, et ubi vult, ad præmia et pœnas dispensandas, absque mora præsentis. (Rosenmuller.)

Deus itaque a Propheta proponitur tanquam dux Assyriorum regis ad Ægypti depopulationem appropinquantis. Quis vero sit ille rex? Multæ rationes nobis suadent esse Assarrhadon, Sennacherib filium, cujus irruptio in Ægyptum internis hujus regni discordiis accedere potuit, sive sub regno Sethonis, sive sub duodecim tyrannorum dominatu, sive tandem cum Psammetichus summam rerum vi obtinuit.

Haud prætermittendam duximus recentioris auctoris sententiam cui tamen non assentimur. (Naulac, *Etudes sur le texte d'Isaïe*), juxta quem hoc caput referendum est ad tempora quibus Ægyptus a ducibus a rege Persarum missis tyrannice regebatur, et qui per regem fortem (vers. 4) Alexandrum intelligendum censet.

fulmina, id est tela et sagittas, in Ægyptios vibraret, eosque prosterneret. Ita S. Hieronymus, S. Thomas, Haymo, Hugo et Lyranus. Vastata fuit Ægyptus, tum a Sennacherib, ut patebit cap. sequent.; tum a Nabuchodonosore, ut prædixit Jeremias, cap. XLVI, et Ezechiel, cap. xxx.

Allegorice est corpus Christi. Allegorice, S. Cyrillus, Hieronymus, Procopius, Theodoretus hic, Eusebius, libro II *Demonstrat.* cap. IV, S. Athanasius, Augustinus, Bernardus, et alii quos citat Leo Castrius: Veniet Christus in nube levi, vel, ut Aquila vertit, *in crassitudine levi*, id est in corpore concepto de Spiritu Sancto, ex sacra Virgine Maria; sicut enim nubes ex spiritu et vapore terræ generatur: sic Christi corpus formatum est ex Spiritu Sancto, et terrena substantia deitatis solem temperante, quo vectus est Christus puer, fugiens Herodem in Ægyptum, quasi pariens pluviam, id est doctrinam spiritualem, qua paulo post Ægypto impluit tot sancta germina Monachorum, totque flores illustres Ecclesiæ Alexandrinæ sub S. Marco, et deinceps.

Et B. Virgo. *Secundo*, idem S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et S. Ambrosius, *Exhortat. ad Virgines*, docent « nubem levem » esse B. Virginem, cujus ulnis Christus puer delatus est in Ægyptum, ibique statim deorum simulacra confregit, uti S. Hieronymus et alii multi tradunt. Vide dicta *Jeremiæ* cap. XLIV, in fine. Unde Palladius in *Lausiaca*, cap. LII, et Ruffinus, lib. II, cap. VII: « Vidimus, inquit, in Thebaide in finibus Hermopolis templum, in quo ingresso urbem Salvatore ceciderunt omnia simulacra in faciem super terram. » Porro B. Virgo dicitur *nubes levis*, quia nullius concupiscentiæ, aut conjugii onere prægravata, inquit S. Hieronymus, super omnes res terrenas, quasi nubes, ait Procopius, eminebat, mundumque suo peccatorum fœnore et onere alleviabat. Hæc nobis pluit Christum, et per eum interna mentis nostræ humectat, ac concupiscentiam restinguit. Ita S. Ambrosius, lib. *De Instit. Virginis*.

Et baptismus. *Tertio*, Procopius per *nubem* accipit baptismum. Christus ergo primum ingressus est in Ægyptum in nube levi, cum incarnatus corpore ex Virgine assumpto, ejus brachiis veluti curru Cherubico eo delatus est. Postea vero ingressus est, veluti in nube gravi aquis onerata, quæ rorem pluviamque baptismi cœlestem, post ascensionem in Ægyptios effudit.

Egregie ergo solvit hospitium Christus Ægypto, quando illa tot idolorum monstris superstitione addictam, ad Dei unius cultum salutemque traduxit, imo tot Religiosorum et virginum examina in ea erexit, ut dicat S. Chrysostomus, homil. 8 *in Matth.*, Ægyptum a Christo in paradisum esse conversam, ibique innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus: « Non ita varii, inquit, astrorum choris cœlum refulget, ut Ægyptus innumeris monachorum ac virginum distinguitur et illustratur habitaculis. » Mercurius Trismegistus apud S. Augustinum, lib. VIII *De*

Civitate, cap. XIV: « Ægyptus, inquit, imago est cœli, imo totius mundi templum. » Hoc verum fuit tempore non Trismegisti, sed Christi: tunc enim ipsa fuit imago cœli, et vitæ angelicæ, Deique templum.

ET COMMOVEBUNTUR SIMULACRA ÆGYPTI, — *q. d.* Assyrii spoliabunt et diripient templa, deosque aureos et argenteos Ægyptiorum, eosque cum Ægyptiis in Babylonem captivos abducent, uti ait Jeremias cap. XLIII, vers. 12. Porro ex Ægypto quasi ex fonte fluxisse idololatriam in Græcos, docet Herodotus in *Euterpe*.

Allegorice, idola Ægypti corruerunt, cum Christus puer illam ingressus est, uti jam dixi: sed perfecit id Theodosius Imperator, qui in Ægypto templa Canopi, Isidis, Serapidis, et in toto orbe delubra idolorum evertit, anno Christi 379. Vide Baronium. Rursum Ægyptus est mundus, quem debellavit Christus, cum ejus idola, errores et vitia per Apostolos dejecit et contrivit: « Ægyptus totus orbis intelligitur superstitionis et maledictionis elogio, » ait Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. IX.

ET COR ÆGYPTI TABESCET. — Vatablus, *liquescet*, *q. d.* Sion cera tabescit, liquescit et defluit coram igne: ita animus et spiritus Ægyptiorum frange-tur, mollescet et concidet coram Assyriis et Babylonis.

2. ET CONCURRERE FACIAM ÆGYPTIOS ADVERSUS ÆGYPTIOS. — *Vers. 2.* Quia, cum Assyrii Ægyptum invaderent, facta est inter Ægyptios discordia, primo animorum, deinde armorum: cum enim alii se Assyriis dedere, alii repugnare vellent, orta est inter eos seditio, ut mutua se cæde conficerent.

REGNUM ADVERSUS REGNUM. — Septuaginta, *ῥῆμος ἐπὶ ῥῆμον*, quod non bene vertit Interpres Bibliorum Rectorum, *lex contra legem*. Nam Septuaginta *ῥῆμον* metonymice vocant provinciam, vel diœcesin, quæ vulgo territorium, vel jurisdictio dicitur: hæc enim quæque suas habet peculiare leges et jura. Ita ex Procopio et Epiphania Leo Castrius. Unde Plinius, et ex eo Ortelius in *Theatro*, *nomos* interpretatur præfecturas, quas in Ægypto Ortelius numerat sexaginta sex (1).

5. ET ARESCEAT AQUA DE MARI. — *Vers. 3.* Scriptura *mare* vocat aquarum copiam. Nilus ergo hic vocatur *mare*; hic enim, nisi supra duodecim cubitos intumescat, et oppleat Ægypti agros, famem inducit Ægypto, ut alibi dixi ex Plinio, lib. V, cap. IX, *q. d.* Inducam raritatem aquæ Nilo, ut non exundet, itaque sterilitatem et famem afferam Ægypto. Addit S. Hieronymus: Naturale, inquit,

(1) Quando autem hoc impletum sit juxta historiam, Scriptura non commemorat (licet, ut supra diximus, ad quædam certa tempora regni Ægyptiaci hæc referri videantur); at juxta mysterium hoc illud est quod Dominus in Evangelio dicebat futurum, et non semel factum scimus: « Insurgit gens adversus gentem, etc. Frater in mortem tradet fratrem, et pater filium, etc. Ignem enim et gladium misit Dominus in terram, » etc. (Forerius.)

est, ut Dei iram et gentis cladem sequantur siccitas et pestilentia, atque adversus peccatores omnia elementa desæviant (1).

Secundo, hæc uti et sequentia usque ad vers. 11, accipi possunt metaphorice et figurate, scilicet ut in fluvio regnum, in rivis duces, in virore, calamo, junco, papyro, cunctam Ægypti abundantiam et opes intelligamus, inquit S. Hieronymus, q. d. Hæc omnia ab Assyriis siccanda, id est vastanda et rapienda, sunt. Nominat *calamum* (id est arundinem et *juncum*, quia his abundat Ægyptus, usque vestitur et ornatur in ripis Nili: atque ex iis naves, vela, funes, stragula, chartam, quin et succum ad cibum conficit, teste Plinio lib. XIII; cap. XI. Sicut ergo palma Indis est cornu copiae, omniaque eis suppeditat: ita calamus est Ægyptiis (2).

(1) Recte de his Jarchi: « Quoniam terræ Ægypti omnis utilitas venit per Nilum, neque enim eo descendit pluvia, sed Nilus ascendens irrigat eam (terram) per rivos, qui hominum manibus facti sunt, ideo comparat pœnam qua terra illa afficitur, arefactioni rivorum. »

Et revera constat Nilum et Ægypti lacus magna piscium copia abundasse. « Recordamur, inquebant Hebræi, piscium quos comedebamus in Ægypto gratis. » (Numer. XI, 5; Diodorus, lib. I; Pococke, *Lettres edifiantes*, tom. V, 1780, pag. 358 et seqq.). Ægyptii in texendo lino maxime pollebant. Isim hanc plantam invenisse et notam fecisse dicebant.

Ab omni hominum memoria celebris erat Ægyptus pro lini productione et fabrica, Herodotus, lib. II, pag. 121, cap. CV, pag. 154; Plinius, *Hist. nat.*, lib. XIX, cap. I; Arrianus, *Peripl.* pag. 143; Kircher, *Ægypti rest.*, pag. 360; Philostratus, *Vita Apollonii*, pag. 258; Goguet, *De l'Origine des lois et des arts*, tom. I, lib. II. In inferiores vestes elaboratum præcipuus erat incolarum vestitus, nec presbyteri aliud vestis genus superponebant (Herodotus, pag. 116). Subtile Ægypti lino celebratur apud omnes veteres auctores, deque ejus superiore excellentia mentio fit in Scripturis *Prov. VII, 16; Ezech. XXVII, 7*. Lini fabrica adhuc viget in hac regione. Rabbi Benjamin Tudela de fabrica Damietæ loquitur, et Edmont Heymanque describit lino hujus fabricæ, ut speciosissimo colore, adeoque subtiliter notum, ut fila vix discerni possint (William Carpenter, *Scripturæ histor. natural.*).

Sunt interpretes, ait Rosenmuller, ut Grotius, Vitringa et Dathius, qui Nili exsiccationem, in præcedentibus descriptam, non proprie, sed figurate intelligant, Ægyptum per ista bella civilia ad summam omnium rerum inopiam redactum iri; ex Nili enim inundationibus Ægyptus omnem suam percipiebat fertilitatem. Sed nulla est ratio, cur illa non sint proprie intelligenda. Sæpius enim factum esse ut Nilus æstivis diebus nulla ceperit incrementa, Ægyptumque non irrigarit ex narrationibus et antiquiorum et recentiorum constat. Quæ calamitas, cum jam per se satis magna esset, si accedebat ad bella civilia, satis digna erat, quæ memoraretur a vate, miserum Ægypti statum deplorante.

(2) Vers. 6. « Et deficient flumina, » etc. Propriam verbi **נָחַל** significationem primus ascendit et exposuit N. G. Schræderus, in *Observatt. aa origg. Hebr.*, pag. 74 et seq. Scilicet **נָחַל** primaria et antiquissima potestate notans *sidere, subsidere*, peculiariter de fluminibus et stagnis usurpatum fuit, quorum aqua, quando *sidit*, et in terram paulatim absorbetur, exlutulentis reliquiis, et limo putrescente, tetrum illum putorem quem *rancorem* dicimus exhalat: unde per metonymiam significatio *rancescendi*

9. CONFUNDENTUR QUI OPERABANTUR LINUM. — Lino præstans et subtile producebat Ægyptus, teste Plinio lib. XIX, cap. I, eratque ejus usus in sacris: unde sacerdotes Ægyptii a Martiali vocantur *ligneri*. Dicit ergo arescentibus aquis viridia omnia, ac lino quo gloriatur Ægyptus, interitura, ut lini carminatrices, netrices; et textores depauperandi sint et confundendi: et, id est quia, *irrigua ejus* erunt arida et *flaccientia*, hoc est flaccida, vel flaccescentia. Idem mox dicit de piscatoribus, qui lacunas faciunt juxta Nilum, ut in eas ex Nilo exundante deferantur pisces, ibique eo refluyente capiantur: hi enim pariter deficiente Nilo ejusque exundatione, depauperandi sunt et confundendi, atque fame et ærumnis tabescent et marcescent. Nota: Pro *textentes subtilia* hebraice est **חוראי** *chorai*, quod Vatablus et alii vertunt, *textentes plagas foratas*, vel *foraminulentas* (**חור** *chur* enim significat foramen), id est textentes retia. Verum de retibus jam dixit, et hebraice non est *churai*, sed *chorai*: quod significat vestes subtiles et byssinas, quales sunt heroum et principum. Unde Septuaginta vertunt, *operantes byssum*. Et notum est telas pretiosissimas fuisse confectas in Ægypto. Forte etiam notat indecorum et inhonestum luxum feminarum, quæ tam subtilibus vestibus sese induebant, ut nuditas membrorum per illas transpareret et ostentaretur (3).

11. STULTI PRINCIPES TANEOS. — *Tanis* erat me-

succevit. Hæc significatio totius orationis seriei aptissima est. *Et ecce videndo, rancescent fluvii rivi et fossæ Nili, tenuabuntur et exsiccabuntur rivi Ægypti*. Ubi facile animadvertitur, verbo **הִנְחִיחוּ** hac in serie, nihil aptius, et ad elegantem gradationem, qua utitur vates, accommodatum esse. Nam fluvii quando exsiccantur primo *subsidunt*, ex quiete stagnantium aquarum *rancorem*, seu corruptionem cum ingrato odore et sapore conjunctam, contrahentes; dein magis magisque *extenuati* tandem penitus *exarescunt*.... Cæterum, id quod vates modo dixit, *rancescere et subsidere aquas Nili, et brachiorum atque canalium ex illo derivatorum*, egregie illustratur recentiorum nonnullorum qui oras illas adierint, narratione, Annem Trajanum, quod nomen est canalis cujusdam ex Nilo per urbem *Cahira* ducti antequam vivi Nili aqua in illo ascendat, pessimum odorem exhalare, adeo ut vasa argentea, licet in cistis condita, ferrugine obducantur.

(Rosenmuller.)

Vers. 8. « Et mœrebunt piscatores, » etc. Omne genus hominum enumerat qui beneficio aquarum vitam debebant. Et commoda omnia quæ Ægyptiis ex aquis proveniebant enumerando, denuntiat defutura et omnino abolenda; et nemo sit qui calamitatis sit expertus, præter eos qui Dominum venientem susceperant. (Forerius.)

(3) Vers. 10. « Omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. » Ad verbum juxta textum hebraicum, *clausuram stagnorum animæ*, id est qui stagna muro claudunt, sive vivaria in quibus sunt animæ, hoc est pisces viventes. Sic Jarchius qui nomen hebræum **שַׁכַּר** gallico *écluse* exponit, additque: « Claudebant enim Ægyptii aquas egredientes extra ripam fluminis (Nili), quæ dein sese extendebant, atque stagnum efficiebant aquarum collectarum in quibus multi pisces erant. Dicit igitur vates fundamenta fossarum, quas illi foderant conterenda esse et diruenda esse stagna conclusa ab ipsis facta.

tropolis Ægypti, et regia Pharaonis, unde ibi Moses olim cum Pharaone disceptavit, decemque plagas ei et Ægypto inflixit, de quo plura *Exodi* VII, in fine, *q. d.* Superbi et stulti consiliarii et principes Pharaonis superbum, ideoque stultum consilium dederunt Pharaoni, scilicet illud quod sequitur. Verum est illud Ciceronis in *Officiis*: « Parva sunt arma foris, nisi consilium sit domi; » et illud Vegetii: « Dux belli callidior sit quam fortior; » facilius enim et tutius hostis arte quam armis vincitur (1).

QUOMODO DICETIS (persuadetis) PHARAONI (ut ipse cogitet, et dicat (est enim mimesis): FILIUS SAPIENTIUM EGO, FILIUS REGUM ANTIQUORUM, — *q. d.* Hæreditaria et quasi naturalis ex prosapia tot sæculorum, mihi est sapientia æque ac regia majestas; ergo ea excidere, aut ab Assyriis vel Chaldæis deijci non possum. Ita Haymo, Forerius et Sanchez. Tacite ridet Ægyptios, qui suam antiquitatem jactabant, quasi ipsi fuissent hominum primi, et ante multa annorum millia existissent. Sic Lucianus, in lib. *De Astrologia*, tradit Arcades ob eam causam stupidos habitos, quod astrologiam contempserint, seseque fecerint antiquiores ipsa luna. Unde et *προασληνάιοι*, id est antelunares, sunt dicti. Aristophanes, in *Avidus*, variis titulis irridet eos qui jactant antiquitatem suam, atque:

Antiquiores et Chrono et Titanibus fuistis.

Et alius:

Antiquior quam chaos, et Saturnia regna.

Alii putant consiliarios hæc dicere de seipsis, quasi ipsi suam sapientiam ab avis acceptam, et stemma regum apud Pharaonem deprædicent, itaque apud eum sibi auctoritatem concilient; nam, ut ait S. Hieronymus, Ægyptii sui generis conditores, heroes et deos esse putant, nempe Oron, Isin, Osiridem, Tryphonem; et ob id se, non jam ex regio, sed ex divino semine productos jactant; unde et Septuaginta vertunt, *quomodo dicitis regi, Filii sapientium nos*. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas et Hugo. Vere Satyricus: « Noli respicere ad phaleras et nomina vanæ Catonum. » Et rursum: « Et genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi: Vix ea nostra voco. » Grande est nobilem esse, non videri; nobilem vivere, non nasci; nobilem esse non gente, non genere, sed virtute et gestis.

13. DECEPERUNT ÆGYPTUM, ANGULUM POPULORUM EJUS. — *Angulus*, quia in ædificio principem tenet locum, et utrumque parietem continet et stringit; hinc metaphorice ab Hebræis usurpatur pro principe, qui populum suis legibus stringit et continet, estque firmamentum, columna et de-

cus regni ac reipublicæ. Ita Christus dicitur « factus in caput anguli, » et esse lapis angularis Ecclesiæ, *Psalm.* CXVII, 22, et *Matth.* cap. XXI, 42. Sic Helvetiorum reipublicæ vocantur *Cantones*, id est anguli.

Sensus ergo est, *q. d.* Consiliarii deceperunt Pharaonem, dicentes Ægyptum esse angulum, id est principem populorum, qui scilicet vicinis populis præemineat, ejusque sit, eos in officio et pace continere, eosque contra hostes tueri, *q. d.* Tuum est, o Pharaon! tueri Judæos contra Nabuchodonosor, hic tuus est titulus, hoc tuum avitum stemma; scilicet Pharaon est angulus populorum, Pharaon est defensor et protector Judæorum aliarumque vicinarum gentium. Hoc est consilium eorum stultum, de quo dixit vers. 11; nam hac ratione Pharaoni et Ægypto exitium attulerunt; irritarunt enim et provocarunt Chaldæos, eorumque potentissimum et bellicosissimum regem, qui proinde invaserunt et vastarunt Ægyptum. Alii, ut Leo Castrius, Arias et Lyranus hæc accipiunt de excidio Ægypti per Romanos. Unde argute Lyranus: « Angulus, ait, qui duabus lineis concurrentibus efficitur, hic dicitur conjunctio Antonii et Cleopatræ. »

14. SPIRITUM VERTIGINIS, — quo caput turbatum V verti solet, ut putet omnia quæ videt gyri et rotari. « Spiritus ergo vertiginis » est spiritus perturbatus et erroneus. Unde Chaldæus et Septuaginta vertunt, *spiritum erroris*. Hinc et Noster mox explicat, subdens: « Et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, » *q. d.* Deus excæcavit eos, Deus invertit et infatuavit consilium eorum: quomodo id faciat Deus, dixi *Can.* XXVII.

15. ET NON ERIT ÆGYPTO OPUS, QUOD FACIAT CAPUT V ET CAUDAM, — *q. d.* Consilia et opera Ægyptiorum erunt imprudentia, inutilia et noxia; ita ut non sit opus eorum aliquod « quod faciat, » id est arguat et demonstret in eo gerendo fuisse « caput, » id est senem et sapientem virum; et « caudam, » id est juvenem vegetum ac validum, qui exsequeretur ea quæ senes et sapientes prudenter decreverant (2).

Nota hebraismum: *facere caput*, id est principem, est facere opus principis, dignum principe, ob quod mereatur fieri vel esse princeps, ita ut opus illud videatur quasi ipsum facere principem. Unde Antiochena versio habet: *Non erit Ægyptius vir qui fiat primarius* (princeps) *neque cauda, et in illa die erit Ægyptius quasi mulier, timebit et pavebit a manu Dei potentis*. Et Arabica Alexandrina: *Non erit Ægyptio vir, quem constituat caput et caudam, primum et ultimum*.

INCURVANTEM ET REFRENANTEM. — Idem est cum eo quod præcessit *caput et caudam*. Ita Arabica & Syriaca jam citata. Unde Septuaginta vertunt;

(2) In nominativo casu hebræus textus potest verti, ut infra notat Cornelius, *non erit Ægypto opus quod faciat caput vel cauda, ראש וזנב* quæ translatio sensum reddit clariorem.

(1) Quod hujus urbis potius meminerit propheta, quam alius cujusdam, ut mox vers. 13, Memphis, ratio hæc est, quod urbes essent celebriores aulique regiis a longissimo tempore decoratæ, Judæisque notissimæ, vide *l'Égypte sous les Pharaons*, par Champollion, tom. II.

principium et finem, q. d. Opus Ægyptiorum, quasi ebriorum, erit imprudens, insulsum et mancum, non habens caput et caudam, principium et finem. Audi S. Hieronymum: « Dominus, ait, miscuit eis spiritum erroris, et errare fecerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut errat ebrius, et vomens, qui inebriatus est vitiis, de quibus ebris Joel loquitur: Væ qui ebrii estis absque vino! Et non solum ebrii, sed et vomentes furorem draconum, et furorem aspidum insanabilem, ut postquam hujuscemodi vinum evomuerint, intelligant ebrietatem suam, atque cognoscant, quod quamdiu ebrii fuerint, nec principium habuerint nec finem, id est nec caput nec caudam, sed truncum ex utraque parte animal. Unde Septuaginta et Symmachus transtulerunt, ἀρχὴ καὶ τέλος; Aquila, *incurvum atque perversum*: in incurvo senes intelligi volens, in perverso lascivientes pueros qui omnia perversa faciant, ac per hoc esse sensum, quod in Ægypto non solum caput desit et cauda, sed et senes et pueri, id est et principium et finis. Juvenes ergo et pueri vocantur perversi et refrenantes, quia aguntur æstibus passionum, quæ frenari debent.

Pagninus et Vatablus hæc vertunt in nominativo, hoc modo: *Nec erit Ægypto opus, quod faciat, sive caput, sive cauda; sive ramus, sive juncus*, sicque explicant, *q. d.* « Neque magnates, neque plebeii agent quidquam, quod prosit reipublicæ, neque eorum opera aut industria liberari poterit Ægyptus ab Assiriis: caput et ramus sunt homines primi ordinis; cauda et juncus, plebeii et ignobiles. » Vide dicta cap. IX, 14.

17. ERIT TERRA JUDÆ ÆGYPTO IN PAVOREM. — *q. d.* Etiam ipsum Judæ nomen pavori erit Ægyptiis, eo quod cum illi opitulari voluerunt, tantam cladem ab Assiriis acceperunt. Unde Aquila pro pavorem vertit, φόβου, « cum qui pavidus et tremens circumfert oculos, et advenientem formidat inimicum, » ut ait et explicat S. Hieronymus; secundo, S. Cyrillus: Juda, inquit, erit terror Ægyptiis, propter Christum ex se natum, qui conteret idola Ægyptiorum; tertio, et optime Sanchez: Pavor, inquit, significat reverentiam, religionem, observantiam et admirationem. Unde S. Hieronymus in *Comment.* pro pavorem vertit solemnitatem, *q. d.* Veniet tempus, cum Ægyptus Christiana sacra suscipiet, tuncque eandem religionem, eademque festa colet, quæ colit terra Juda, id est Ecclesia, quæ cœpit in Sion et Juda. Ita diserte explicat Zacharias, cap. XIV, 16. Transit enim hic Propheta a clade Ægypti ad ejus restorationem per Christum, ut de more læta tristibus subnectat, et vetera omnia patrum facta Christi liberatoris consolatione et redemptione concludat: patet ex sequentibus (1).

(1) « In pavorem. » *Festivitatem* legendum est. Fatetur quodam loco Hieronymus errorem suum, quod pavorem verterit, cum *festivitatem* debuisset interpretari, quod utrumque dictio significaret. Sicut enim verbum *cagay*,

18. IN DIE ILLA ERUNT QUINQUE CIVITATES. — Vers. 18. « Quinque, » id est multæ; ponitur enim numerus definitus pro indefinito, *q. d.* Ægyptii nunc valde abhorrent a Judæis, eorumque lingua et religione, licet eis contermini sint; sed futurum est, ut ipsi studiosi sint linguæ Hebræicæ (quæ hic Chanaanæa vocatur; quia Hebræi incolebant terram, quæ olim fuit Chanaanæorum), vel Syriacæ illi affinis, et non tantum linguæ, sed et religionis. Perinde ac si ex adverso hodie in Hungaria urbes aliquæ ita impiæ inveniantur, ut Christiani nominis pertæsæ usque adeo ad Mahometismum aspirent, ut ipsam etiam linguam Arabicam, in qua scriptum est Mahometis Alcoran, vulgo discant et loquantur: « Lingua Chanaanitis, inquit S. Hieronymus, media est inter Ægyptiam et Hebræam, et Hebrææ magna ex parte confinis (2). »

licet proprie significet *gyrare, circūmagi, in orbem agi, etc.*, transfertur tamen ad *festivitates quæ celebrabantur in epulis, potationibus, choreis, et circumrotationibus*; ita nomen *caga* potest ad *festivitatem* transferri, etsi proprie *circumagitationem* designat, sicut et *cag*. Ego *circumagitationem* dixi ea ratione quam jamjam exponam. Cum intelligerent Ægyptii adventum Assyriorum, non minus præ timore inepti facti sunt ad bellum, quam si omnes essent feminæ, quod iratum adversus se Deum perciperent, quasi decrevisset Ægyptum totam veluti in oblationem sibi offerri. Est enim tacita allusio in nomine *thenupha* ad ritum et cæremonias legis, in qua quoddam genus oblationis *thenupha* dicitur, quæ hinc et inde in sublime agitabatur. Quia autem Deus in Judæa colebatur, quod de *agitatione manus Jehova* et *pavore* qui agitationem illam consequebatur dixerat, nominibus *telluris Jehuda, et festivitatis, et consilii quod Deus cogitasset*, repetit, ut mysterio campum aperiret. Timor, inquit, ingens universam Ægyptum pervadet, timor inquam, irati Dei; adeo ut *Judæa* (in qua scilicet Deus colitur et habitat, et unde ad cæteras orbis partes proficisci dicitur) *et Ægypto festivas seu circumrotationes*, id est ut auditu nomine *Judææ Ægyptii circumrotentur*, et huc atque illuc discurrant, sicut in *festivitatibus* Judæorum fieri solet. Et si quis *Judæam commemoret*, et populi Dei mentionem ingerat, super sic *commemorantem Ægyptii expavescent*, intelligentes quid Judæorum Deus super ipsos *statuisset*. Hæc eo admirabiliora erant, quo reges Ægyptii potentiores erant, et parvi faciebant Judæos. Unde postea sub Josia, quem prælio vicerunt, Judæam oppreserunt, et regem quem voluit præfecit illis Pharaon. Quamobrem non multo post tempore per Assyrios ipsi oppressi sunt. Adde quod mundum totum perterruit rex Judæorum, et perinde imbecilles fuerunt ipsi Ægyptii ut verbo Dei et exercitui ejus resisterent, *ut feminæ* in prælio. Agnoverunt enim esse *agitationem manus Domini, et expaverunt*: proindeque *terra Jehuda Ægypto fuit terrori* ex qua prodibat tantæ virtutis exercitus, et *super narrantes* quæ in *Judæa gesta fuerant, expavebant Ægyptii*, intelligentes *consilium Dei* esse, ut crucifixo cederent cultus omnes et religio universa, corruerentque atque perirent dii gentium, sola autem religio a Judæa profecta et per Apostolos annuntiata obtineret. Quod manifestius Propheta mox aperit. (Forerius.)

(2) Vers. 18. « Lingua. » *Sephath, labium, seu utrumque* Hebræis pro *loquela* sumitur. Gen. XI: « Labii unius, » etc. Dixit autem *labio Chanaan* potius quam *Hebræo*, ut obscurior esset prophetia, et ne Judæi ad litteram acciperent quod Hebræa lingua locuturi essent Ægyptii, ac si de lege Moisaica et littera tantum occidente esset sermo. Nihil

Porro inter illas Ægypti civitates erit una Heliopolis (id est civitas solis; quia in ea erat templum solis: unde solis, quasi dei sui, cultui erat dicata). Hoc, inquit S. Hieronymus, usque hodie factum esse patet: Ostracina enim civitas, et cæteræ juxta Rinocoruram, et Casium, quæ conterminæ sunt Judææ, loquuntur syriacæ, et putant nonnulli vicinos Syros a Nabuchodonosore eo esse translatos; *secundo*, verius et clarius hæc impleta sunt tempore Christi, et S. Marci, uti patebit vers. 19. Quasi dicas: Ægyptus suscipiet fidem et cultum Christi, loqueturque pie et christiane, uti loquuntur Apostoli aliique Judæi ad Christum conversi. Ita S. Cyrillus et alii passim. Numerat quinque civitates, quia quinque erant primariæ urbes, et quasi metropoles in Ægypto, quas nominat Ezechiel cap. xxx, scilicet Memphis, Tanis, Alexandria, Bubastus et Heliopolis. Præ aliis autem nominat Heliopolim, quæ sita est inter Alexandriam et Coptum, tum quia Heliopoli vigeat solis et deorum cultus; unde erat illa civitas sacerdotum, teste Strabone lib. XVII: quocirca maxime illa initio restitit Evangelio Christi, tum quia subacta a Christo et Apostolis, tantum Christo quantum soli et idolis addicta fuit, mireque in ea florere Christiana religio et Monachismus. Unde Heliopolis, ejusque monasteriorum et monachorum toties apud Palladium, Ruffinum et alios fit mentio.

Turpiter ergo errat Calvinus, qui pro *civitas solis*, vertit: *Civitas desolationis una vocabitur*, huncque dat sensum: « His verbis sextam quamque urbem exitio designat, significans omnes sine spe restitutionis perire, qui non convertuntur ad Deum, ut ipsum colant. Opponit enim urbes Ægypti quæ incipient eum agnoscere, aliis quæ exitio devotæ sunt. **חרם** *cherem* enim execrationem et maledictionem significat, quam *desolatio*, id est excidium et mors æterna, consequitur.» Errat, inquam, nam pro **חרם** *cheres*, id est *sol*, uti legunt et vertunt S. Hieronymus, Septuaginta, Chaldæus, Symmachus, Vatablus, et alii passim, legit *cherem*, id est anathema; atque patet ex ipsa textus serie nullam esse hic oppositionem, sed ejusdem materiæ et sententiæ continuationem. Denique quia Hebræum *cheres* non tantum solem, sed et *testam* significat; hinc aliqui **δοτρακον**, id est *testam*, vertunt, per eamque putant significari Ostracinam urbem, ait S. Hieronymus.

enim aliud significabat quam quod Ægyptii a viris terræ illius, nempe discipulis Domini, fidem Christi edocti, eadem crederent, eadem loquerentur quæ Chananæi illi; quinimo et eisdem Scripturis incumberent, ei linguam Hebræam addiscerent, ut Scripturas melius penetrarent. Puto autem significari quod ex omnibus civitatibus Ægypti quinque totæ fidem Christi amplecterentur, ut omnes habitatores earum Christiani essent. (Forerius.)

Æterum cum Judaica religio nunquam in Ægypto primatum vel principatum obtinuit, bene vero religio christiana, sequitur per religionem populi electi hanc, non *illam* intelligendam esse.

Mystice S. Hieronymus: Aliqui, inquit, per *has* quinque civitates, intelligunt quinque Ecclesiæ ordines tempore Christi: scilicet Episcopos, presbyteros, diaconos, fideles et catechumenos.

Tropologice, Procopius, Ambrosius, Augustinus, et ex iis Leo Castrius, quinque civitates, inquit, sunt multæ Religiosorum familiæ, lauræ et mandræ, id est monasteria in Ægypto; adeo ut in una ejus urbe, scilicet Oxirincho, fuerint viginti millia monachorum: unus Abbas Or haberit sub se tria millia, Abbas Serapion decem millia monachorum; in aliis pluribus Thebaidis urbibus, multa eorum fuerunt millia; ita ut urbes, non tam laicorum essent, quam Religiosorum habitacula, in quibus ipsi quasi formicæ innumera-biles degebant, operi manuum et orationi dediti. Hi corporis et animi sensibus quinque toti ferebantur in Deum, et lingua loquebantur Chanaanitide, id est Judaica, qua psalmos Deique eloquia assidue canebant, Deumque laudabant; quinario enim perfectio, et plenitudo servorum et Religiosorum Christi significatur, ut docet S. Ambrosius in *Psal.* cxviii, serm. 22, ad illa verba: « Erravi sicut ovis quæ periit; » et S. Augustinus, tom. X in *Matth.*, serm. 23, ubi pariter mystice sic explicat quinque virgines prudentes, de quibus Christus in Evangelio. Addit S. Hieronymus, quinque sensus loqui lingua Ægyptia, cum carnales voluptates sectantur; Chanaanitide vero, cum spirituales. Vide eum.

JURANTES PER DOMINUM, — id est Dominum colentes et invocantes. Scriptura enim per juramentum, omnem Dei cultum significat, scilicet ex parte totum per synecdochen.

19. IN DIE ILLA. — Nota: Prophetæ dicunt in *die illa*, id est in tempore illo, licet diu post futuro. Hoc autem *diem* vocant, licet post, vel per plures annos evolvatur, quia in præscientia Dei decursus unius regni, imo totius sæculi, unus quasi idemque est: respicit autem ad diem novi Testamenti, de quo egit vers. 17. Vide *Can.* IV.

Nota *secundo*: Onias, Oniæ sancti pontificis, de quo II *Machab.* III et IV, filius, cum tempore Machabæorum Judæam ab Antiochis, Demetriis, et aliis Syriæ regibus vastari videret, fugit in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem, eique hunc Isaïæ locum allegavit, quasi juberet hic Deus, sibi extrui templum in Ægypto, illudque ei persuasit; qui Heliopoli templum Judæis extruxit, ejusque pontificem constituit Oniam jam dictum. Ità Josephus, III *Antiq.* VI. Verum perperam; nil enim tale voluit Isaïas, nam Onias vituperatus fuit a Judæis, qui merito hoc ejus factum improbaverunt; quia non licebat in lege veteri extra Jerusalem altare vel templum Deo erigere, hi vero altaris erectores laudantur ab Isaïa (1).

(1) Si cautum erat, inquit Calmetus, ne Judæi altaria Domino alibi præter Hierosolymam erigerent, quo jure hic Propheta loco eximii beneficii populo spondet erigendum in medio Ægypti altare Domino consecratum? Altare

Onias
templum
in Ægypto

Dico ergo Prophetam advolare ad tempora Christi, quem Deus misit Ægyptiis omnibusque gentibus redemptorem, adeo ut in Ægypto sub S. Marco, et deinceps maxime viguerit Christianismus, imo ibidem a S. Marco et Essæis cœperit vita monastica et religiosa. Ita S. Augustinus, lib. I *De Unitate Ecclesiæ*, cap. XIV. Vota enim Evangelica (id est de servandis consiliis Evangelicis), et præsertim monastica paupertatis, castitatis et obedientiæ, hic notantur, foreque asseruntur in Christianismo, cum dicit Propheta: « Et vota vovebunt Domino, et solvent. » Frustra ergo hic se torquet Calvinus, ut ea elidat hoc titulo, quod non sint consona verbo Dei, sed sint ἐθελοθρησκεία, quam Paulus damnat, *Coloss. II, 23*. Verum hoc probandum est Calvino; contrarium enim ostendi, *Coloss. II*.

ET TITULUS DOMINI JUXTA TERMINUM EJUS. — Titulos vocat, vel templa, ut Cyrillus, vel crucem Christi, vel statuas, vel columnas erectas in honorem Christi, q. d. Ægyptii per suas provincias et terminos erigent cruces, templa, altaria, etc. Christo; hunc enim, non autem idola, ut olim, invocabunt cum erunt in tribulatione, qui mittet eis

illud, ex dogmate Judaicæ religionis, perinde habendum erat ac profanum et impium, utpote invito Numine erectum; nisi hoc ponamus, illius constructionem sive præcepisse Dominum hoc ipso oraculo, sive probasse. Agnoscendum est igitur cum Patribus, nonnisi post christianæ Religionis exordium legitima et auspicata Domino altaria in Ægypto stetisse. Tunc primum puro et perfecto cultu Dominus ibi, uti et alibi per orbem coli cœpit. Ipsi pariter Judæi ætatis S. Hieronymi uno cum Christianis assensu oraculum hoc ad Messiam referebant: ac Judæi implendam ejus rei fidem rejiciebant in tempus remotum et incognitum, quo liberatorem operiebantur; Christiani vero litteralem ejus veritatem intuebantur in ea, quæ tunc in Ægypto florebat, Christiana religione.

« Et titulus Domini juxta terminum ejus. » Quod sic vertit ex Hebræo Rosenmuller, et cippus apud terminum ejus Jovæ. מצבה matseba Hebræis est qualicumque cippus, tumulus aut monumentum, sive sit lapis major rudis, sive columna ex ligno aut lapide formata, ad rei aliqujus memoriam conservandam erectum aut Deo consecratum, vid. *Genes. XXVIII, 17; XXXIII, 20*. Erat enim moris vetustissimi, ut si cui in hoc illo loco obtigisset singulare aliquod beneficium divinæ providentiæ, cippum sive titulum, vel aram in ejusmodi loco poneret, et Numini consecraret, subinde etiam addita inscriptione, quæ vel simpliciter Dei illius, cui consecratum erat monumentum, nomen exhibebat, vel beneficii memoriam latius explicabat. Cujus rei insigne exemplum vide, I *Sam. VII, 12*. (Rosenmuller.)

salvatores, scilicet insignes Prælatos et Principes, qui eos ab hostibus tum corporalibus, tum spiritualibus liberent et defendant.

22. ET PERCUTIET DOMINUS, — q. d. Vastabit Deus Ægyptum, tum per Assyrios, tum per Chaldæos; sed post 40 annos eam sibi restituet, uti prædixit Ezechiel, cap. XXIX, vers. 13; secundo, et potius, q. d. Deus Ægyptios jam Christianos effectos castigabit, tum ad expiationem peccatorum, tum ad probationem, et majorem coronam eorum.

23. IN DIE ILLA ERIT VIA DE ÆGYPTO IN ASSYRIOS, — q. d. Tempore Christi erit mutua pax, commercium et societas inter gentes olim hostiles, quales fuerunt Ægyptii et Assyrii. Christianismus enim est lex pacis, quæ gentes inimicas in unam fidem, et charitatem, et Ecclesiam cogit et unit.

ET SERVIENT ÆGYPTII ASSUR, — scilicet iis obsequiis, quibus Christiani per charitatem sibi invicem serviunt, præsertim mittendo eo prædicatores et sacerdotes insignes.

Secundo, planius ex Hebræo verti potest cum Vatablo et Montano: Colent Dominum Ægyptii cum Assyriis, sub quibus et Babylonios accipe. Et sic Sanchez nostram Versionem explicat, q. d. Servient (Deo) Ægyptii Assur, sive Assyrio, id est simul cum Assyrio. Unde sequitur:

24. IN DIE ILLA ERIT ISRAEL TERTIUS ÆGYPTIO. — Tertius, qui scilicet æque ut Ægyptii et Assyrii fidem et cultum Christi recipiat, ideoque benedictio, id est maxime benedictus, erit, q. d. Tres hæ nationes, scilicet, Israelitæ, Ægyptii et Assyrii, quæ nunc ita inter se dimicant, conspirabunt in Christianismo.

BENEDICTIO IN MEDIO TERRÆ. — Sicut Israel erat medius inter Ægyptios et Assyrios, ita ex eo, utpote Dei populo, benedictio per Christum effundetur in Ægyptios aliasque gentes. Unde, licet aliæ gentes sint a me benedicendæ, tamen hæreditas mea est, eritque Israel; sicut enim Israel olim fuit populus peculiariter a Deo electus, ita et nunc erit. Nam ex eo nascentur Christus, B. Virgo, Apostoli, primi Christiani, imo Christianismus et Ecclesia Dei, « opus manuum mearum (scilicet, tu es, dicet Deus) Assyrio (1). »

(1) Per multa alia de Ægypto Prophetæ vaticinati sunt, quæ olim fuisse adimpleta docte demonstravit Newtonius in sua *Dissertatione de Prophetiis*. Vide *Ezechiel. XXIX, 14, 15; XXX, 7, 12, 13; XXXII, 15*. Vide etiam Volney, *Voyage en Syrie et en Egypte*, tom. I, cap. VI, VII, et alias viatorum relationes supra indicatas.

Vers. 22.

Vers. 23.

Vers. 24.

79

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quo cap. XVIII, de Æthiopia, et cap. XIX, de Ægypto vastanda seorsim prædixit, hic conjunctim prædicit, et utrique imminens exitum per Assyrios intentat. Quocirca jubetur Isaias nudus incedere, ut portendat Ægypti et Æthiopiæ spoliationem, et captivorum nuditatem (1)

1. In anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam : 2. in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaïæ filii Amos, dicens : Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus. 3. Et dixit Dominus : Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum, et super Æthiopiam : 4. sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenum et senum, nudam et discalceatam, discooperitis natibus ad ignominiam Ægypti. 5. Et timebunt, et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua. 6. Et dicet habitator insulæ hujus in die illa : Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum : et quomodo effugere poterimus nos ?

1. IN ANNO, QUO INGRESSUS EST THARTHAN IN AZOTUM, CUM MISISSET EUM SARGON. — Sanchez putat Sargon esse Salmanasar, patrem Sennacherib, qui anno sexto Ezechie vastavit Samariam, tumque irruisse in Philistinos vicinos, et obsedis Azotum, misso eo suo duce Tharthan.

Verum passim alii, teste S. Hieronymo, censent Sargon esse Sennacherib, qui plura habuit nomina. Nam Tharthan, qui hic dicitur missus a Sargon, idem, IV Reg. XVIII, 17, dicitur missus a Sennacherib; ergo Sargon est Sennacherib. Nam non Salmanasar, uti omnes fatentur, sed Sennacherib vastavit Ægyptum et Æthiopiam. Id disertè docet Josephus, lib. X Antiq., cap. 1 : « Ezechie, inquit, anno 14 Sennacherib, cum instructissimo exercitu eum aggressus est, cepitque omnes urbes Juda et Benjamin, jamque moturus erat castra contra Hierosolymam; sed Ezechias per legatos pacem cum eo iniit, ea conditione, ut solveret argenti talenta trecenta, auri triginta. Accepit Assyrius pecuniam, sed pacta non præstitit. Nam profectus ipse cum copiis contra Ægyptios et Æthiopes, Rabsacem ducem ad continuandum Hierosolymitanum bellum reliquit. » Citat Josephus in fine capituli Berosum, qui pariter Sennacherib totam Asiam et

Ægyptum bello infestavisse narrat. Unde colligas Berosum Annianum, apud quem nulla Sennacherib est mentio, a vero Beroso valde esse diversum. Idem quoque docet Herodotus, lib. II; sed ex eo quod audierat ex sacra historia, castra Sennacherib cœlitus esse deleta, finxit eum ab Ægyptiis et Æthiopibus esse profligatum per mures, quos ipsi a diis suis impetrarint : « Nam una nocte, inquit, in castris Sennacherib tanta murium vis exstitit, ut hostium arcus et reliqua arma corroderent; quo factum est ut exarmatus rex a Pelusio suum exercitum abduceret. » Sed hæc sunt Gentium Judæis invidentium fabulæ. Ex dictis patet hanc Isaïæ prophetiam contigisse anno 14 Ezechie.

Fabula
murium.

Dices : Sennacherib, IV Reg. XVIII, dicitur tantum venisse contra Judam. Respondeo : Directe, et in persona venit contra Judam, sed comitantes venit etiam contra vicinos : unde manens ipse in Judæa, misit Tharthan in Azotum cum parte copiarum. Prophetat ergo hic Isaias contra Ægyptios et Æthiopes, ne, adventante Sennacherib, ad eorum opem de more confugiant Ezechias et Judæi; sed in Deo spem suam reponant (2).

(1) In hoc vaticinio, primo notatur tempus prophetiæ factæ, vers. 1, 2; secundo, refertur symbolum a Deo imperatum, a Propheta exhibitum, 2; tertio, subjicit signi explicationem docens Ægyptiorum et Æthiopum sub Assyrii jugum missorum, captivitatem et transmigrationem, post triennium securam vel per triennium duraturam, 3, 4; quarto, ostenditur spei in his olim repositæ vanitas at frustratio, 5, 6.

(2) Juxta alios (Calmetum, Berthierum, Kalinsky, Michaellem, etc.), quibus libentius assentiremur, iste Sargon fuit Assarhidinus vel Assarhaddon, Sennacheribi successor, non vero ipse Sennacherib, propter rationes sequentes quas ex singulis supra citatis deprompsimus. Primo, ex IV Reg. XIX, cum ad ingrediendum Ægyptum Sennacherib se accingeret, ut Tharacam regem Æthiopiæ contra se egressum debellaret, in una nocte totum ejus exercitum profligatum scimus. Aliunde, Josephus et Herodotus, quibus altera sententia nisi conatur, nihil aliud dicunt nisi quod Sennacherib occupationem Ægypti in animo

Vers. 2.

2. SOLVE SACCOM. — Errant, qui putant hanc tantum fuisse visionem imaginariam nec revera Isaiam incessisse nudum, sed ita sibi in visione visum esse (1). Nota: Saccus Isaiaë et Prophetarum nudum erat cilicium, contextum ex pilis caprarum vel camelorum, eoque vestiebantur super nuda carne, ut Capuccini, uti fecit rex Israel, IV Reg. VI, 30, et Judith, cap. VIII, vers. 6 (uti et modo

volveret; amboque ejus exercitus cladem, antequam Ægypti fines transisset, memorantur.

Secundo, est quædam synonymia inter Assarhaddon et Sargon, et præsertim Saragon, ut Aquila et Theodotion vertunt.

Tertio, omnia melius constant, si intelligas Assarhaddonem regno Sennacherib potitum, voluisse patris injurias ulcisci contra Ægyptum et Æthiopiam tunc temporis Judææ consociatas; cum aliunde legitur Assarhaddonem Thebam evertisse, et magnas in Ægypto victorias reportasse.

Quarto, quid obstat quin iste Tharthan, cujus nomen in controversiam venit, quia, ex IV lib. Reg. fuit dux exercitus Sennacherib, sit vel idem vel alius ejusdem nominis, si non cum Calmeto dicere mavis, istud nomen fuisse non proprium, sed dignitatis significativum?

Hæc prophetia edita videtur sub regni Assarhaddonis initiis, anno ante Christum 709 vel 710, quo Assarhaddon, qui Ægypti invasionem jam moliebatur, per Tharthan obsessit Azotum, fortissimum oppidum Palæstinarum, cujus expugnatio difficilis, sed necessaria volentibus Ægyptum debellare, tanquam clavem Palæstinæ maritimæ, quam urbem Psammetichus Assyriis postea rursus eripuit post obsidionem 29 annorum, ut testatur Herodotus, lib. II, cap. CLVII. vide intra vers. 3.

(1) Non revera ita incessisse Isaiam, sed quæ hic leguntur gesta esse in visione, plurimum est interpretum ex Judæis sententia. Ita Maimonides, Kimchius, Aben-Ezra, quibus adnumerandus est Stændlin, Theologus Gottingensis, et ex nostris Berthierus, qui eo quod nec Æthiopes, nec Ægyptii hujus signi testes fuerunt, satis fuisse asserit ad Judæorum doctrinam, ut istos populos ad summam inopiam redigendos esse ante diem scirent: et ne turpitudinem in hoc facto agnoscere cogatur, omnia in visione gesta esse dicit. In hujus sententiæ probationem affert illud Ezechiel. II, 9, et III, 1, 2, ubi Propheta a Deo jubetur librum comedere, quod certe non nisi in visione actum est.

Quæ sententia etsi de pluribus aliis, quæ Prophetæ symbolice egisse narrantur (veluti Osee I, II) verissima sit; tamen cum Rosenmuller dicere non dubitamus hoc loco vix intelligi, quomodo Propheta dici possit, vers. 3, hominibus sui temporis esse « signum et portentum, » id est signum quod in aliis excitet admirationem et stuporem ob rei novitatem atque insolentiam. « Signum » est apud omnes gentes quod sensibus externis excipitur, ad rem aliam obscuriorem significandam vel declarandam aptum: quare quæ Prophetæ objiciebantur per visionem, etiamsi ea aliis narraret, apud eos non potuerunt habere rationem signi. Ergo potius quod hic dicitur comparandum est cum mandato simili supra VIII, 1, 2, 3, et Jerem. VII, 1 seqq.; XLIII, 8, 9. Prophetæ vere erant signa et portenta, uti diserte vocantur, Zachar. III, 8 (Cf. Ezech. XII, 6, et supra VII, 18). Multa egerunt insolita, et a communi consuetudine abhorrentia, quædam etiam, ut videbatur, absurda, ut æqualium suorum excitarent attentionem. Quid enim sibi vellet res nova et insolita, quam in habitu, gestu, motu prophetæ observabant, nemo quin quæreret a se impetrabat; et cum quæreret, edocebantur etiam nolentes de divina voluntate.

est; si enim quis modo non super nuda carne; sed exterius tantum se vestiret cilicio, haberetur hypocrita); erat enim vestis austeritatis et pœnitentiæ, ut ejus exemplum darent populo, eumque ad pœnitentiam commoverent, et simul pro populi peccatis apud Deum satisfacerent, eique veniam et gratiam a Deo impetrarent. Id patet ex eo quod pseudoprophetæ fingentes se Prophetas, induebantur cilicio, ut ait Ezechiel cap. XIII, 5: « Nec operientur, inquit, pallio saccino, ut mentiantur. » Et hic fuit habitus Eliæ prophetæ; erat enim « vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus, » IV Reg. I, 8; et S. Joannis Baptistæ, cujus vestis erat aspera ex pilis camelorum. Hunc habitum objice mollibus hæreticis, qui ornantur quasi sponsi Penelopes, ideoque carpunt peculiarem habitum Capuccinorum et Monachorum. Ita Clemens Alexandrinus, lib. II Pædagogii, ostendit asperum fuisse vestitum Isaiaë et Prophetarum: « Ovina, inquit, pelle Elias utebatur indumento, et ovinam pellem stringebat zona facta ex pilis. Isaias vero nudus erat, et nullis utebatur calceis; sæpe autem sacco quoque utebatur, quod est indumentum humilitatis. Quod si etiam vocas Jeremiam, is cingulum solum habuit lineum. Quemadmodum autem bene nutrita corpora, si nuda sint, vires ac vigorem apertius indicant: ita etiam pulchritudo morum, si ineptis nugis non involvatur, magis indicat animi magnitudinem et magnificentiam. »

Nota secundo: Hugo, Forerius et Sanchez putant Isaiam non omnino fuisse nudum, sed extimam vestem, quæ erat cilicina et prophetalis (sine qua incedebat indecore, ac si plane plebeius fuisset), deposuisse, ac interiorem tunicam breviorum retinuisse, quæ verenda contegebat, quomodo Saul, I Reg. XIX, 24, nudus, id est deposito amictu regio, dicitur cecidisse; et David nudus, id est deposito cultu regio, saltavisse ante arcam; nam dicitur amictus fuisse ephod lineo, non ergo erat omnino nudus. Ratio est: nam Isaias hac nuditate portendebat captivorum Æthiopum et Ægyptiorum nuditatem; illi autem non omnino futuri erant nudi, sed laceris et brevibus vestibus vestiendi. Similis esset mortificatio, si Religiosus, deposita veste Religionis, juberetur cum solo thorace et femoralibus prodire in publicum. Hæc sententia probabilis est, et castior ac honestior in speciem.

Verum S. Hieronymus, S. Cyrillus (et indicat S. Ambrosius in Psal. XXXIX), Haymo, Dionysius et Adamus censent Isaiam omnino fuisse nudum, etiam iis partibus, quas naturalis verecundia maxime tegit. Idque probatur primo, quia vers. 4, dicitur quod, sicut Isaias, incessit nudus, « sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, etc., discoopertis natibus (Chaldæus vertit, pudendis) ad ignominiam Ægypti; » ergo pariter Isaias incessit nudis natibus. Si nudis natibus, quid mirum si reliquo corpore nudus incesserit? imo si reliquo corpore tectus, natibus nudis incessit, eo

An Isaiam plane nudus incesserit?

Negam. multi.

Verius asserunt alii.

Probatur primo.

turpius fuit hoc ludibrium, eo ignominiosius hoc Prophetæ spectaculum. Quod ergo Pintus et Montanus Isaiæ subligacula relinquunt, id non tantum gratis dicitur, sed et huic Scripturæ adversatur, atque mori Hebræorum, qui subligaculis sive femoralibus uti non solent, sed tunicis longis, instar Orientalium. Id colligimus ex eo quod Deus jusserit sacerdoti sacrificanti vestire se femoralibus, quasi alias sacerdos, æque ac laici, more gentis iis caruerit; vestis ergo non laicorum, sed sacerdotum et sacra, erant femoralia; idque ad hoc, ne scilicet, si inter sacrificandum toga sacerdotis aperiretur aut spargeretur, apparerent eorum femora nuda, uti dixi *Exodi* xxviii, 42.

Secundo. *Secundo*, quia saccus erat pœnitentiæ vestis super nuda carne, ut dixi: ergo exuens saccum sive cilicium, totus erat nudus.

Tertio. *Tertio*, quia Isaias dicitur hic factus in portentum populi: portentum autem est, si quis omnino nudus incedat, non, si in veste plebeia. Et sic Ezechiel factus est portentum, comedens fimum boum, et dormiens 390 dies in uno latere; et Jeremias, cum catenis onustus incessit; et Zacharias, cum sumpsit vasa, id est instrumenta, stulti pastoris; et Osee, cum duxit fornicariam. Jubebat enim subinde Deus Prophetis, ut quædam plane exotica facerent, ad hoc ut duras Judæorum mentes, alioqui immobiles et inflexiles, ferirent et flecterent.

Quarto. *Quarto*, quia hac nuditate portendit extremam ignominiam, tum spoliationem, et paupertatem Ægyptiorum; ergo plane fuit nudus.

Quinto. *Quinto*, quia allegorice, Christi in cruce nuditatem representavit, quæ fuit plena et omnimoda ad expiandum Adæ peccatum et concupiscentiam, indeque prognatam verecundiam et erubescenciam: erubescabant enim quod viderent se omnino nudos in membris illis, in quibus dominantur libido atque concupiscentia rebellans rationi. Hoc enim homini pudendum et erubescendum est. Ad hanc enim Adæ nuditatem et verecundiam expiandam, Christus in cruce eam in se luendam suscepit, fuitque hæc ingens Christo virgineo ignominia, pudor et crux. Christus ergo in cruce totus nudus, uti ex matris utero prodiderat, pependit. Ita docent S. Ambrosius, Athanasius, S. Bonaventura, et ex iis Franciscus Suarez, III part., *Quæst.* XLVI, art. 8, sect. 4, et Jacob. Gretserus, lib. I *De Cruce*, cap. xxii et seq., Franciscus Lucas in *Matth.* xxvii, et alii.

Dei jussio honestat in honestum. Dices: Incedere plane nudum, est turpe et scandalosum, ac incentivum libidinis; ergo hoc Isaiæ non præcepit Deus. Respondeo ad antecedens, id verum esse, si sponte et ex petulantia fiat, non autem si fiat ex necessitate, ut cum quis nudus fugit ex incendio, aut excidio urbis; aut si fiat ex voluntate et jussu Dei: tum enim Dei mandatum omnem ab hac nuditate fœditatem abstergit. Hic autem Judæis constabat Isaiam esse Prophetam Dei, et ex Dei jussu nudum incedere, idque ad hoc, ut populum pari modo ab hoste nu-

dandum repræsentaret; unde eum magis ad metum et pavorem, quam ad libidinem hac nuditate sua incitabat: præsertim quia corpus ejus jam effectum hirsutum, macie et inedia confectum, horrorem potius movebat quam concupiscentiam. Sic Deus jubens Osee Prophetæ et viro honorato, ducere vilem meretricem (quod turpe erat et indignum), omnem ab hac re fœditatem abstersit. Sic Deus concedens polygamiam Abrahamæ, Jacob et aliis, omnem ab ea turpitudinem hac sua dispensatione ademit. Sic Judæis jussit non tantum nudari, sed et circumcidi partes genitales.

Nota secundo, cum S. Hieronymo et aliis, insignem hic obedientiam et mortificationem Isaiæ, quod vir nobilis e regia stirpe, non erubuerit per triduum celeberrima urbe, concionabundus media die plane nudus incedere: licet enim hoc in se indecorum et fœdum esset, tamen honestabatur, eratque actus insignis virtutis per Dei mandatum: « Nihil enim honestius est Dei præceptis, » inquit S. Hieronymus. Idque ad hoc, ut illo ternario, et triduana sua nuditate, ipso facto et incessu suo repræsentaret ternarium captivitatis, scilicet, quod per triennium vastanda, omnibusque rebus nudandæ essent Ægyptus et Æthiopia, hominesque inde nudi abducendi essent ad ignominiam: dies enim hic Isaiæ, uti et Ezechielis cap. iv, 6, pro anno computabatur. Ita S. Hieronymus et Cyrillus (1).

Forerius vult Isaiam, non triduum tantum, sed totum triennium nudum ambulasse; idque habent Septuaginta juxta editionem Caraffæ, licet editio Complutensis et aliæ omittant τὸ per tres annos. Sed hoc non videtur verum: nam hoc ternario nuditatis, portendit ternarium annorum captivitatis Ægypti futurum: ille autem fuit futurus, non post triennium, sed post triduum ab hac propheta. Nam Sennacherib hoc eodem anno 14 Ezechielis, quo aggressus est Judam, perrexit contra Tharacam et Æthiopes, uti dicam vers. 3(2).

(1) Nos paulo crudiori hac sententia relicta alteram amplecti malumus, juxta quam Isaias nudavit se non *absolute*, sed *restrictè*. Nam præter exempla a nostro Cornelio, licet dissentiente ex Scriptura sacra deprompta, apud omnes olim, ut notat Rosenmuller, *nudi* dicebantur superiore veste, sive ἐπέδύτην, exuti, licet *tunica* vel *interula* hactenus non nudati, uti pluribus ostendit Gisb. Cuperus, *Observatt.* lib. I, cap. vii; et Deyling, *Observatt. SS. Script.*, part. IV, pag. 888. Sic Aurelius Victor, *De Viris illustribus*, cap. xvii, de L. Quinctio Cincinnato: « Ad quem missi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt, id est unica indutum tunica » Cæterum mandatum Isaiæ injunctum, incedendum ipsi esse veste exteriori deposita et discalceatum, non tam respexisse videtur habitum ejus domesticum, quam commercium publicum, si prodiret foras, et in conspectu aliorum versaretur.

(2) Si tamen per triennium sic incessisse Isaias dicitur, concedatur saltem Prophetam non semper aut quotidie per triennii illius spatium deposita tunica et nudatis pedibus incessisse, sed subinde, data occasione, certisque casibus et temporibus se ita conspiciendum dedisse, quod satis erat ut intelligeret populus, tamdiu expectandam

Triduum nuditatis symbolum est triennii spoliationis.

Vers. 3.

3. SICUT AMBULAVIT.—Refer hæc ad vers. 4 : « Sic minabit rex : » ibi enim similitudo per redditionem expletur ; reliqua ergo quæ intercurrunt, scilicet, « trium annorum signum, » usque ad *sic*, parenthesis intercipienda sunt.

TRIUM ANNORUM SIGNUM ET PORTENTUM ERIT. — Subaudi *quod*, vel *quæ*, scilicet, ambulatio Isaia erit portentum trium annorum. Dupliciter hoc exponi potest : *primo*, quod hæc tridua nuditatis Isaia portendat vastitatem Ægypti et Æthiopiæ fore post tres annos ab hac prophetia ; *secundo*, et melius, quod hæc vastitas durabit per triennium. Cœpit enim anno 14 Ezechia, quo Sennacherib audiens adventare Tharacam regem Æthiopum, contra eum perrexit, relicto in Judæa Rab-sace, uti docent Josephus, lib. X *Antiq.* I, et Scriptura, IV *Reg.* XIX, 9 ; atque post tres annos rediit Hierosolymam, ubi ab Angelo cæsus est, ut patet ibidem, vers. 35, et *Isaia* XXXVII, 36. Abfuit ergo distentus bello et vastatione Ægypti et Æthiopiæ per triennium. Ita Sanchez. Quare quod ibidem subdit Josephus : « Sennacherib multum temporis contrivit in apparanda oppugnatione Pelusii, jamque aggerem pene mœnibus æquaverat, et videbatur assultum propediem facturum, cum audivit adventare Tharsicem (hic est Tharaca) regem Æthiopum Ægyptiis laturum suppetias : territus hoc rumore, propere cum suis abiit. » Hæc, inquam, non satis consentiunt præcedentibus ejus dictis, nec Scripturæ, quæ docet Sennacherib non Pelusii, sed in Judæa audisse adventum Tharaca : atque videtur Josephus hausisse hæc ex Herodoto, qui hic plane fabulosus est. Quocirca immerito vir doctus motus hisce verbis Josephi, hanc Ægypti et Æthiopiæ cladem hic ab Isaia prædictam, refert ad tempora Assarhaddon filii Sennacherib ; vel potius ad Nabuchodonosorem, qui post triennium a vastata Jerusalem, vastavit Ægyptum et Æthiopiam.

NUDUS, ET DISCALCEATUS. — Peculiariter exprimit, et ad *nudus* addit *et discalceatus*, quia præter ignominiam, nudis Prophetæ pedibus accedebant magna molestia et afflictio incedendi per loca aspera et saxosa ; majorque erat futura Ægyptiis et Æthiopiis, nudis pedibus ex Ægypto ituribus longissimo et difficillimo itinere Babylonem usque. Ex hoc Isaia præcepto et facto orta est hæresis Nudipedum, de qua S. Augustinus, lib. *De Hæres.* in 68 : « Est alia hæresis, inquit, nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moysen vel ad Josue : Solve calceamentum de pedibus tuis, *Exod.* III, *Josue* V ; et quod propheta Isaia nudis pedibus jussus fuerit ambu-

lare. inde ergo hæresis est : quia non propter corporis afflictionem sic ambulat, sed quia testimonia taliter intelligunt. »

4. SIC MINABIT (quasi pecora, puta quasi mancipia in bello manu capta : hæc enim proprie ante se minant victores, uti pastores sua pecora) CAPTIVITATEM (captivos) ÆGYPTI, ET TRANSMIGRATIONEM (transmigrantes et abductos) ÆTHIOPÆ JUVENUM ET SENUM. — Juvenes enim armis, senes consiliis rempublicam administrant et propugnant. « Consilia enim senum, hastæ sunt juvenum, » ait Pindarus apud Plutarchum in *Lycurgo*. Et Aristoteles, lib. VII *Politic.*, cap. IX : « Vires, ait, in juvenibus, prudentia est in senibus. » Et Poeta :

Ἔργ' ἀνδρῶν, πολεμοίτε νεῶν, βουλαὶ δὲ γερόντων.
Opera virorum, prælia juvenum, consilia vero sunt senum.

DISCOOPERTIS NATIBUS AD IGNOMINIAM ÆGYPTI. — Aliqui *et discoopertis natibus* explicant, *q. d.* Præsectis vestibus usque ad nates, uti fecit Hanon servus David, II *Reg.* X, 4. Verum aliud est præsectis, aliud discoopertis. Solebant victores barbari vel ad ludibrium, vel ad libidinem, hostium captivorum membra, quæ pudor tegit, detegere. Docet id Isaia hic, et cap. XLVII, vers. 2, de Babylone : « Denuda, inquit, turpitudinem tuam, revela crura, » etc. ; et Nahum, cap. III, vers. 5 : « Revelabo, inquit, gentibus pudenda tua, et ignominiam tuam ; » et alibi sæpe minatur Deus, quod « discooperiet ignominiam, revelabit pudenda aut verecundiora, » hujus illiusve gentis.

5. ET TIMEBUNT, — *q. d.* Judæi, qui hactenus habuerunt spem in Ægyptiis et Æthiopiis, et in quorum ope et copiis gloriati sunt, timebunt, et confundentur cum viderint eos tam ignominiose capi et vastari.

6. ET DICET HABITATOR INSULÆ HUIUS. — Judæa hic metaphorice vocatur *insula*. *Primo*, quia sita erat inter mare Mortuum et Mediterraneum.

Secundo, quia parva erat respectu Babylonis, quæ mare dicitur cap. seq., vers. 1.

Tertio, et potius, quia, ut explicat S. Hieronymus, vicinarum gentium, Assyriorum maxime et Ægyptiorum, fluctibus ac bellis tundebar, sicut insula fluctibus maris circumquaque tunditur.

Quarto, quia, sicut insula sola in mari eminet, et caput exerit, cum reliqua mari obruantur : ita Jerusalem sola caput extulit, et evasit, cum Sennacherib Judææ urbes, ut mare, suis copiis obrueret : hoc est enim quod dixit cap. VIII, vers. 8 : « Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet, » *q. d.* Sennacherib Judæam obruet usque ad collum, ita ut sola Jerusalem, quæ caput est, emineat et salvetur. Ita Sanchez. Hi duo ultimi sensus præ aliis sunt apppositi et genuini.

vel continuandam esse cladem Ægyptiorum et Æthiopum, quamdiu Propheta hanc personam non deponeret.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad excidium Babylonis, quod per magnum pathos graphice depingit, idque propterea quod sub hoc tempus Ezechias cum Merodach rege Babyloniorum fœdus et amicitiam colebat, ejusque legatis omnes suos thesauros ostendit, qua de causa reprehensus fuit ab Isaia, IV Reg. xx, 12. Ne ergo eis nimis inimitatur ipse et Judæi, nimisque eis familiares sint et amici, prædicit eorum ruinam. Prædicit ergo Babylonem evertendam, per currum cameli et asini, id est, Darii et Cyri. Secundo, vers. 11, contra Idumæam. Tertio, vers. 13, contra Arabiam vaticinatur (1).

1. Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. 2. Visio dura nuntiata est mihi : qui incredulus est, infideliter agit : et qui depopulator est, vastat. Ascende, Ælam; obside, Mede : omnem gemitum ejus cessare feci. 3. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis : corruui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. 4. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me : Babylon, dilecta mea, posita est mihi in miraculum. 5. Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes : surgite, principes ; arripite clypeum. 6. Hæc enim dixit mihi Dominus : Vade, et pone speculatorem : et quodcumque viderit, annuntiet. 7. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli : et contemplatus est diligenter multo intuitu. 8. Et clamavit leo : Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem : et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. 9. Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum ; et respondit, et dixit : Cecidit, cecidit Babylon : et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram. 10. Tritura mea, et filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis. 11. Onus Duma ad me clamat ex Seir : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? 12. Dixit custos : Venit mane et nox : si quæritis, quærite : convertimini, venite. 13. Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim. 14. Occurrentes sitiendi ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrere fugienti. 15. A facie enim gladiatorum fugerunt a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii : 16. quoniam hæc dicit Dominus ad me : Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. 17. Et reliquæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur : Dominus enim Deus Israel locutus est.

Vers. 1.
Babylon
erat
mare,
c1 r?

1. ONUS DESERTI MARIS. — Babylonem vocat mare, primo, quia sicut mare sorbet omnia flumina, nec expletur : ita Babylon sorbebat opes

gentium omnium, nec saturabatur; secundo, quia sita erat juxta Euphratem : mare enim vocatur ab Hebræis omnis aquarum copia; tertio, et

(1) Tertia prophetiarum Isaie pars, quæ præsertim vaticinia contra nationes exteras complectitur, prophetiis contra regiones orientales, et urbes Hierosolymam et Tyrum absolvitur, cap. xxi, xxii, xxiii.

In hoc capite comprehenduntur vaticinia contra Babyloniam, Idumæam, Arabiam. Primo, de Babylonia, describit Isaïas : primo, summariam indicationem tum ruinæ Babylonis imminentis, tum Persarum et Medorum cum superbia et ferocia eam inferentium, 1, 2; secundo, perturbationem Prophetæ Babyloniorum velut personam induentis, ad nuntium horrore plenum, 3, 4; tertio, exhibitionem urbis turpi securitati et epulis se tradentis, et quam a negligenti confidentia excitat, ad prospiciendum impendenti periculo, 5, 6; quarto, narrationem irruptionis hostilis, sub schemate conspectæ, et ruinæ Ba-

bylonem involventis, per nuntium relatæ, 7-9; quinto, apostrophen Prophetæ ad Judæos sermonem convertentis, et eos de veritate hac revelata certos facientis.

Secundo, de Idumæa, ubi videmus primo, interrogationem indicantem metum periculi, 11; secundo, responsionem significantem actum esse de Idumæis, 12.

Tertio, de Arabia, sententiam simplicem fore, ut Arabes brevi ab hoste quodam extero infestentur et debellantur, ita declarat, ut primo per Arabiam iter facientes cæstat, sed dum in via cœnsueta pergunt, belli metu turbantur, ideoque in locis latentibus et inviis pernoctari jubentur, 13; secundo, ipsos inducit Arabes, acri persecutione pressos, vagos per desertum sparsosque, ac sitibundos, interiora deserti petentes, et ibidem quærentes latibulum, 14, 15; tertio, protinus sine imaginum orna-

magis genuine, vocatur *mare*, ob multitudinem incolarum, platearum et domorum amplitudinem, atque omnium gentium eo confluxum: sic enim dicimus Romam, Venetias, Parisios esse mare, esse mundum, ob hominum frequentiam: ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii; *quarto* ob motus et fluctus bellorum, quibus assidue quasi mare agitabatur, et exagitabat omnes gentes (1).

Secundo, Babylonem vocat *desertum*, substantive, id est eremum et solitudinem: hoc enim significat Hebræum מִדְּבָר *midbar*; quia in desertum et in solitudinem a Deo vindice erat redigenda. Ita S. Hieronymus.

Sensus ergo est, *q. d.* Hoc est onus, id est prophetia minax et onerosa contra Babylonem, quæ cum fuerit mare gentium, nunc a Deo vastabitur, ita ut videatur esse eremus et desertum.

Nota: Prophetiæ a Prophetis, aliis et aliis temporibus sunt editæ: unde non mirum, si idem

mentis simpliciter prædicit, pro eventu tempus anno unico definitum, pro mensura reliquiarum paucitatem, pro certitudine oraculum Dei, 16, 17.

(1) Clericus mare hic intelligit Persicum, juxta quod fuerunt Chaldæi ad ortum, et Arabes ad occasum. Sic Strabo, lib. XVI, pag. 1074 edit. Almelov.: « Est autem et tribus quædam Chaldæorum et regio Babylonis ab iis culta, finitima etiam Arabibus et mari quod dicitur Persicum. » Proxima mari propter æstum et aquæ inopiam deserta erant, suntque etiam nunc hodie, quapropter Chaldæa vocatur hic *desertum maris*, et nomine oræ meridiana tota Babylonia designatur, forte stylo prophetico innunente, agi de eo terrarum tractu, qui olim æque desertus futurus erat, ac ora maritima Chaldææ, prout Jesajas prædicit, cap. xiii....

Cæterum, duæ sunt a variis interpretibus de appellatione מִדְּבָר *midbar* propositæ sententiæ: una eorum qui Babylonicum imperium ob vastitatem *desertum*, et ob ingentem gentium confluxum, qui in perpetuo est motu, appellari existimant *mare*, coll. *Apocal.* xvii, 3, 15; altera eorum qui maris deserti appellationem, qua urbs et regio Babylonica hic insignitur, ex ejus situ illustrandam arbitrantur, quibus et nos accedere haud dubitamus. Erat ager Babylonicus ab Euphrate in varias scissus partes, cui subjectæ erant vastæ paludes ad austrum. Illum circumjacebat ab austro, occiduo et septentrione desertum, id est vasta planities, hic illic inculca. *Mare* autem hoc, desertum interluens, hic notat Euphratem, qui ipsam urbem Babylonem in duas secabat partes, et infra Babylonem ad austrum magnas efficiebat paludes et lacus, in quibus celebre illud stagnum Pallacopæ, in quod exundans per fossas abducebatur, ita ut Babyloni veluti mare subjectum videretur, ut veteres omnes testantur. Sic Jeremias in prophetia adversus Babylonem, cap. li, 36: « Et exsiccabo mare ejus, id est Euphratem eam interluentem, perinde ac Nilum mare appellari vidimus supra, xix, 5; Herodotus, lib. I, cap. clxxxiv, ubi de Seniramide regina quæ exstructis aggeribus Euphratem exundantem coercuerit, dicit: « Prius autem flumen illam planitiem solebat pelagi instar inundare. » Abydenus apud Eusebium, in *Præparat. Evangel.* lib. IX, pag. 457, de Babyloniæ situ: « Ferunt, loca hæc omnia ab initio aquis obruta fuisse, et maris nomine appellata. » Cf. Strabo, *Geograph.* lib. XVI, § 9, 10; et Arianus, *De Expeditione Alexandri*, lib. VII, cap. xxi, qui tum Pallacopæ alveum seu stagnum, tum subjectas et paludes excurrentes ad Arabiam planissime describunt. (Rosenmuller.)

obscurius repetant; uti Isaias quod cap. xiii et xiv, clare de Babylonis clade prædixit, hic obscure iterat et replicat. Vide *Can.* III et IV. Adde, non constare an hæc prophetia sit prior an posterior illa cap. xiii; nec enim in prophetiarum collectione servatus est ordo temporis, ut patet in Jeremia.

Mystice S. Bernardus, *De Onere deserti maris*, sermone 6, ita disserit: « Mare desertum est multitudo reproborum, qui derelicti a Deo, et a sanctorum numero separati, suo pondere et persecutione sanctam premunt Ecclesiam, ipsi pœnarum pondere, quæ in hoc onere a Propheta notantur, postmodum puniendi. Præterea mare sunt illi, qui diversis passionum ac vitiorum tumultibus quatiantur. Qui semper in motu sunt, semperque vagi, nunquam stabiles, nunquam in eodem statu permanentes, nunc superbia intumescunt, nunc ira fervere, nunc tristes, nunc leves, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti, transgrediuntur præcepta seniorum, et fratrum pacem turbant. Quandiu tamen timent, quandiu dolent, quandiu admittunt correptionem, nec fugiunt satisfactionem, desertum mare non sunt. At si venientes in profundum malorum, contemnunt; si correpti reclamarint, nihil honestum, nihil quietum, nihil insuper ordinatum responderint, sed tumidi, sed inflati etiam in ipsum a quo corripuntur, verbis indignationis insurrexerint, ita ut necesse sit relinquere eos sibi, desertum mare non dubites eos nominare. » Horum deinde onus pœnasque exaggerans, subdit: « Væ illis qui a Deo derelicti et hominibus dimittuntur secundum desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis. Quibus etiam Dominus per Prophetam: Auferam zelum meum a vobis, et ultra non irascar. Scitis, fratres charissimi, quam grave onus in humeros sanctorum imponunt qui tales sunt. Sub hoc onere Propheta gemebat, qui dicebat: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Vere supra dorsum nostrum fabricant, qui hujusmodi sunt, quotidianis suis contumeliis nos onerantes, qui addunt peccata peccatis, contemptum jungunt contemptui, contumeliosi, elati, detractores, Deo odibiles, senioribus non obedientes, sociis non contemperantes. Tales pœnarum pondus quod in onere deserti maris contuetur, se nove- rint incursumos. »

SICUT TURBINES AB AFRICO VENIUNT, DE DESERTO VENIT. — *Tô de deserto* tam ad *veniunt turbines*, quam ad *venit* referendum est. Africus ventus est flans ab Africa, ideoque Occidentalis; sed lateralis vergens in Austrum. Hic turbidus est et procellosus, unde Africas procellas ab Africo excitas, vocat Horatius, lib. I *Carm.*, oda 3, et Virgilius I *Æneid.*: « Creberque procellis Africus. » Sensus est, *q. d.* Sicut, flante Africo, surgit ingens, subita et procellosa tempestas arenæ de deserto, ita (per hebraismum enim usitatum intelligitur nota similitudinis *ita vel sic*) hoc onus, et

hic turbo Persarum venit, id est veniet, de simili deserto, qui similem Babylo ni afferet tempestatem. Ita S. Hieronymus. Turbo enim ventus est rapidissimus et violentissimus, qui in gyrum omnia obvia versat et abripit (1).

Mediam et Persiam vocat *desertum*, tum proprie, quia scilicet inter eas et Babylonem vasta deserta interjacent; tum metaphorice, quia scilicet Medi et Persæ Babylo ni erunt perniciosi instar turbinis, qui venit de deserto.

Alludit ad arenas deserti, v. g. Pharan et Arabiæ, quod transierunt Hebræi venientes ex Ægypto in Chanaan, quod proinde eis erat notissimum; aut Cyrenaicæ provinciæ, quæ flante Austro volvit ingentes arenarum fluctus instar sævientis maris, uti testantur Plinius, lib. II, cap. XLV; Pomponius Mela, lib. I, cap. VIII; Solinus, cap. XL, et Herodotus in *Thalia*, ubi exercitus in Ammonios ductos, flante Austro, ita arenis obrutos esse narrat, ut ne unus quidem evaderet, aut superstes maneret. Simili ergo modo a Persis docet obruendos esse Chaldæos; hoc est enim quod de iisdem prædixit Jeremias cap. LI, 36: « Et desertum faciam mare ejus, et siccabo venam ejus, et erit Babylon in tumulos, scilicet arenarum, » inquit S. Hieronymus hic.

2. VISIO DURA (Babylo ni futura) NUNTIATA EST MIHI, — Isaïæ, ejus enim sunt verba; non Babylo nis, uti aliqui volunt.

QUI INCREDULUS EST, INFIDELITER AGIT (Hebraice, *Qui prævaricator est aliis, prævaricator est Babylo ni*: Hebræum **גַּבְבַּל** *bagab* significat prævaricari, fidem fallere, rebellare, jugum excutere): ET QUI DEPOPULATOR EST, VASTAT, — *q. d.* Persæ et Medi, populus infidelis et fœdifragus, non servant Babylo niis, uti nec aliis gentibus fidem; et sicut alias gentes populari solent, ita et vastabunt Babylo nem. Medos enim et Persas fuisse Babylo niis confederatos, patet ex eo quod Nabuchodonosor cum Cyaxare rege Medorum expugnarit Niniven, et Assyriorum monarchiam everterit, uti docent S. Hieronymus, Eusebius et alii quos citabo *Jerem.* cap. I, 2. Unde et Nabuchodonosor uxorem duxit Nitocrin filiam Cyaxaris: hinc etiam Ælamitæ, id est Persæ, cum Chaldæis venerunt contra Jerusalem, ut dicitur cap. seq., vers. 6. Quare hic sensus est genuinus. Ita Adamus et alii.

Secundo, Sanchez putat hæc intelligi de Gedata et Gobria, qui a Balsasare ad Cyrum transfugerunt, atque primi in Babylonem, et in regiam irrepserunt, ibique Balsasarem occiderunt, ut docet Xenophon, lib. VII *Pædiæ Cyri*. Additque Sanchez in voce **סַדָּד** *sadad*, id est *vastat*, alludi ad **כַּשְׁדִּים** *Casdim*, id est Chaldæi, quasi dicat: Duo principes Chaldæi jam dicti prævaricabuntur in regem suum, et juxta nomen suum erunt

(1) Comparat copias militares magna cum vi et sævitia irruentes, cum turbinibus deserti, etenim flatus ventorum vehementior est in deserto, quam in aliis locis, quod illic nihil habeat, quod remoretur ipsum. (Idem.)

Casdim (Chaldæi, hoc est vastatores Babylo nis.

Tertio, idem Sanchez hanc explicationem omnibus præfert, qua prior pars ad Babylo nios, secunda ad Medos et Persas applicatur, *q. d.* « Ut Babylo nius incredulus est et infideliter agit, sic Persa aut Medus depopulator est, et vastat. » Unde hebraice est, *prævaricator prævaricator, et vastator vastator*, hoc est, ut ille, scilicet Babylo nius, obstinate prævaricatur, et peccat in Deum ac homines: ita iste, scilicet Cyrus, obstinate eundem vastabit.

Quarto, Vatablus vertit, *prævaricator prævaricatori, et vastatori vastator*, scilicet erit, vel adveniet. Est proverbium, *q. d.* Chaldæus, qui aliis injuriam faciebat, injuria afficietur a Persis; idem qui alios vastabat, ipse vastabitur.

Quinto, Forerius vertit, *depopulator depopulatur, et vastator vastat*, atque S. Hieronymus in *Commentar.*: *Qui cædis cæde, qui vastas vasta, q. d.* O Medi et Persæ qui alias gentes cæditis et vastatis! cædite et vastate Babylo nios; hoc vestrum munus est, hæc vestra sparta, eam adornate.

ASCENDE, ÆLAM; OBSIDE, MEDE, — *q. d.* Adendum, o prævaricator, o vastator Babylo nis! tu, inquam, o Ælam! id est Persa, et tu, o Mede! invadite urbem mihi invisam, vestraequæ cædi addictam. Septuaginta pro *Mede*, vertunt *Persa*, forte, inquit Leo Castrius, alludentes ad Græcum **πέρθειν**, id est vastare et perdere, *q. d.* Medi erunt Persæ, id est perditores Babylo nis. Sic *Apocal.* IX, angelus ille vocatur hebraice *abaddon*, græce **ἀπολλύων**, latine perditor vel exterminator.

OMNEM GEMITUM EJUS CESSARE FECI, — « ejus, » scilicet Persæ et Medi: ita aliqui; *secundo*, « ejus, » scilicet populi Judaici, quem Isaïas in mente et corde semper gerebat; *tertio*, et aptius, « ejus, » scilicet Babylo nis, gemitum cessare feci, quia ita subito a Persis obruetur, ut percussa præ stupore flere et gemere non possit, aut gemitum, id est planctum, publicum et funebrem auferam, *q. d.* Faciam ut Chaldæi a Persis occisi careant exsequiis, et funebri pompa ac planctu. Ita Sanchez; *quarto*, et optime Vatablus active hæc accipit, *q. d.* Cessare feci gemitum ejus, scilicet Babylo nis, quo ipsa sua tyrannide et oppressione cogebat alios flere et gemere. Unde Chaldæus vertit, *omnes qui gemebant a facie regis Babylo nis, cessare feci*, illo scilicet interempto.

3. PROPTEREA REPLETI SUNT LUMBI MEI DOLORE. — Cyrillus et Adamus putant esse mimesin, loqui enim Prophetam in persona Balsasaris, quando vidit manum scribentem in pariete: *Mane tekelliphares*, atque ex eis Daniele explicante, cognovit exitium sibi et regno impendere.

Verum, quia sequitur, *pone mensam*, quod antequam scriberet hæc manus, factum est: hinc melius S. Hieronymus censet hæc esse verba Isaïæ amantis Babylo nem, licet genti suæ inimicam, eique more suo compatiens, cum prævideret in spiritu eam a Cyro obsessam, et positam in miraculum, id est admirandis angustiis con-

stringi. Meminit doloris lumborum, quia alludit ad dolores parturientium, uti mox explicat, qui vehementissimi sunt in lumbis; hi enim in puerperio mire convelluntur, ut plane luxari et distrahi videantur.

CONTURBATUS SUM CUM VIDEREM. — Hinc videtur species conflagrantis Babylonis, oculis mentis Isaiæ fuisse a Deo objecta.

4. TENEBRÆ STUPEFECERUNT ME, — ex dolore et pavore caligo oculis meis offusa fuit, indeque animo stupor et horror.

BABYLON DILECTA MEA. — Hebraice pro *Babylon* est נֶשֶׁף *neseph*, id est caligo, obscuritas. Sic Babylonem vocavit « montem caliginosum, » cap. XIII, 2, ob causas ibi allatas. Addit S. Hieronymus, eam vocari « caliginem, » quia ad cælum usque (ubi caligat noster oculus) superbiam verticem attollebat. Unde *secundo*, Vatablus, Adamus et alii vertunt, *crepusculum*, vel *noctem desiderii mei posuit mihi in pavorem*, sicque explicant, ut sint verba Balsasar, *q. d.* Noctem ultimam, qua epulari et gaudere cogitabam, vertit mihi Deus in luctum et horrorem: hic sensus valde accommodus est, si Hebræa spectemus; *tertio*, Sanchez putat exitium Babylonis vocari *crepusculum*, quia erat aurora quasi lucis, id est initium lætitiæ, quæ ex libertate inde futura oboritura erat Judæis sub Cyro. *Crepusculum* ergo desiderii est exordium desideratæ adeo libertatis: hoc versum est Isaiæ in pavorem et luctum, quia indoluit Judæos liberandos esse cum tanto Chaldæorum dolore et damno. Septuaginta pro *neseph* per metathesin legentes נֶפֶשׁ *nephes*, id est anima, vertunt: *Anima mea institit in timorem*.

DILECTA MEA. — Aliqui putant ironice et per anaphrasin hoc dici, *dilecta*, id est mihi et Judæis exosa civitas. *Secundo*, Sanchez putat ׀ *mea*, esse paragogicum; respondere enim Hebræo *iod*, quod Nic non est pronomen affixum, sed littera paragogica. Simile est *Cant*, I, 9, סוּסָתִי *susati*, id est *equitatu meo*, ubi *iod*, id est *meo*, videtur esse paragogicum. Babylon ergo absolute vocatur *dilecta*, hebraice חֶשְׁקִי *chiski*, id est desiderabilis, ob opes, speciem et delicias.

POSITA EST MIHI IN MIRACULUM. — Babylon, ob splendorem murorum et domorum, erat unum e septem orbis miraculis: jam est miraculum ruinæ, angustiarum, pavoris et tremoris; hoc enim est Hebræum חֶרְדָּה *charada*.

5. PONE MENSAM; CONTEMPLARE IN SPECULA. — Est ironia, *q. d.* Age, Balsasar, instrue mensam, epulare, interimque statue speculatores, qui e specula contemplantur, ne quam irruptionem in urbem moliatur Cyrus, qui eam obsidet. Hi mecum tibi tuisque inclamabunt: Surgite, principes, qui laute cum Balsasare comeditis et bibitis, arripite clypeum, hostis adest, Babylonem ingressus est, ad regiam advolat; grassanti in urbe occurrite, inquiunt Vatablus, Adamus et alii. Ita factum esse narrat Xenophon, lib. VII, ubi ait Balsasa-

rem posuisse hos speculatores: unde Persas qui in regiam irruperunt, invenisse regem cum acinace districto, ibique illum trucidasse.

Aliter speculam accipiunt S. Thomas, Hugo et Sanchez, scilicet pro pariete, *q. d.* Speculare, o Balsasar! et contemplare in pariete Dei manum scribentem: *Mane tekel phares*, tibi que exitium intentantem; unde hebraice est, *speculare speculationem*, vel *vide visionem*.

COMEDENTES ET BIBENTES: SURGITE. — S. Thomas, Hugo et Haymo putant Cyrum et Darium, invitatos a Balsasare ad convivium, post computationem invasisse Balsasarem eumque occidisse, idque hic ab Isaiâ prædici. Sed nec Scriptura, nec Xenophon, vel quis alius, tale quid dicit; imo potius contrarium asserunt, scilicet rege convivante, Cyrum in fossas jam ante paratas derivasse Euphratem, et per ejus alveum sicco pede cum suis ingressum in urbem. Adde, non in convivio captam esse Babylonem, et regem interfectum; sed diu post convivium, scilicet postquam vidisset manum scribentem in pariete, convocasset sapientes qui Scripturam explicarent; cumque nemo id posset, vocasset Danielem, qui scripturam legit et explicuit, ideoque a rege honoratus est, quæ omnia multi fuerunt temporis. Quare Cyrus in convivio regem occidere non potuit. Ita Lyranus et alii.

Secundo, Sanchez, comedentes ad Babylonios, surgite ad Persas, refert, *q. d.* Comedentibus et bibentibus Babylonis, surgite, principes Persarum, arripite arma, urbem invadite. Verum sensus, quem paulo ante dedi, magis connexus et genuinus videtur.

ARRIPITE CLYPEUM. — Videtur Interpres legisse מִשְׁכּוֹ *mischu*, id est trahite, attrahite, arripite; unde et Septuaginta vertunt, *parate*: jam legunt מִשְׁכּוֹ *mischu*, id est *ungite clypeum*, *q. d.* Ne caput et corpus de more ungatis, o convivæ Balsasar! ne cibos lautius condiatis, sed ungite clypeos, arma capessite; non convivandi, sed pugnandi tempus est. Rursum *ungite clypeum*; solent enim milites arma ungere, ut sint polita et fulgentia. Unde Virgilius, lib. VII *Æneid.*:

Pars leves clypeos et spicula lucida tergunt
Arvina pingui.

Et Vegetius, lib. II, cap. XIV: « Decurio, inquit, cogat milites loricas, contos et cassides frequenter tergere; plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat; » et: « Quis credat militem bellicosum, cujus dissimulatione ferrum et arma situ et rubigine foedantur? » Quocirca Chaldæus vertit, *tergite, et lucida facite arma*. Ita Sanchez Notat socordiam Babyloniorum, qui sinebant rubigine arma obduci, ut ea ipsis aptanda et polienda essent quando iis utendum, et cum hoste conserendæ erant manus. Rursum; *ungite clypeum*; forsan oleo levis clypeus et lubricus, hostium eludet jacula, ictusque avertet, qui-

bus asperitas viam solet aperire. Ideo enim veteres ungebant clypeos, inquit Forerius, R. Salomon et Vatablus. *Secundo*, Hector Pintus et Pagninus: Ungite clypeum, inquiunt, id est unгите regem alium pro Balsasare jamjam occidendo, qui vobis sit clypeus: puta unгите Cyrum, illi vos subdite. Solebant enim in creatione regis, eum, ejusque clypeum ungere, inquiunt Vatablus et R. Salomon, sicque explicant illud II Reg. I, 21: « Quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. » Verum ibi *non unctus ad Saul, non ad clypeus referendum est.*

6. VADE, ET PONE SPECULATOREM. — Hæc comice aut potius tragice dicuntur, q. d. Dixi tibi, o Balsasar! Contemplare in specula; nunc ob periculum imminens iterum dico: Pone speculatorem, meque, si placet, pone, q. d. Si velis hanc meam prophetiam legere, vel audire, ego Isaias tibi verissimus et fidelissimus ero speculator. Quocirca, vers. seq., nuntiat Isaias, se speculatum currum hostilem, qui trahebatur ab asino et camelo, cum duobus equitibus. Minus congrue ergo aliqui per speculatorem accipiunt Deum, vel Angelum, qui hæc speculetur, dicatque Isaiæ, ut ipse ea annuntiet Chaldæis (1).

7. ET VIDIT CURRUM DUORUM EQUITUM. — Hi duo equites sunt Darius et Cyrus, qui uno quasi curru, id est uno exercitu, et conjunctis copiis, invecti in Babylonem, eam expugnaverunt. Hic currus trahebatur ab asino et camelo; asinus significabat Persas, camelus Medos (2).

Secundo et aptius, *vidi currum*, id est vidi currum duorum equitum, scilicet currum protractum ab asinis, cui insidebat Cyrus Persa; et currum

(1) Melius diceretur Prophetæ ipsi Deum jussisse, ut vigilem in loco excelso sistat, qui annuntiet quid eminus videat; et sic reddit Isaias rationem quare principes ad arma sic compellaverit, simulque aperit manifestius quænam fuerit visio illa horrenda. Nam omnia hæc in visione gesta fuisse constat.

(2) In Perside pauci nutriebantur equi (Xenophon, *Cyropæd.*, lib. I), sed asini et muli abundabant. Herodotus (lib. IV, cap. cxxix) narrat Darium his animalibus usum fuisse in bello quod contra Scythas gessit. Carmaniani etiam, Persis vicini, asinis in bello utebantur (Strabo, lib. XV). Ex epistola Sultanis Barsebai ad Timouris filium constat Orientales ad bellum ducere magnam asinorum copiam, sive ad sarcinas gestandas, sive etiam ad equites vehendos (*Chrestomathie arabe*, D. de Sacy, tom. II, pag. 326.)

Multi etiam erant cameli in exercitu Cyri, juxta Herodotum, lib. I, cap. Lxxx. Consueta sunt jumenta, inquit Jahn (*Archæology. bibl.*, part. I, cap. III) ad transportanda omnis generis onera et sarcinas, atque persæpe homines quoque iisdem vehuntur. Onusti incedunt septem, alter post alterum.... hujusmodi cameli septem dicuntur ex quo explicatur *Isai.* LX, 6, quod Vulgata per « inundatio camellorum » vertit. Qui camelis vehuntur, vel insident sicut equo, vel ita ut ambo pedes ex uno alterove latere dependeant, vel sedent super qualos, utroque latere cameli in equilibrio suspensus, vel denique in sella, seu pilenta, quæ quasi parva domuncula est, in dorso cameli firmata, in qua sedet homo secum habens supellectilem, persæpe in duas partes divisa est, ut in qualibet sedeat viator.

alterum protractum a camelis, cui insidebat Darius Medus: erant tamen similes et pariles hi currus, ita ut unus idemque videretur esse currus; unde hebraice est, *vidi currum paris*, vel *parilem equitum*. Singuli ergo reges suum habebant currum, uti constat de Achab et Josaphat pugnantibus contra Ramoth Galaad. Rursum idem currus non poterat trahi ab asino et camelo, qui longe major est, aliumque plane habet gressum quam asinus. Unde Symmachus pro *duos ascensores* vel *equites*, vertit, *duas bigas*. Hebraice enim est, *vidi currum*, id est currus, *paris equitum*, puta, *currum asini et currum cameli*, q. d. Vidi duos currus: unus trahebatur ab asinis, alter a camelis. Ita Vatablus, Forerius, Pagninus, quin et Cyrillus et Procopius.

Camelo comparantur Medi, et Darius eorum rex; quia Medi erant bellicosi et potentes, ac camelis inequitabant, atque Darius regio Medorum sanguine ortus, illustris erat et magnanimus. Ita S. Hieronymus.

Asino vero comparantur Cyrus et Persæ, quia usque in hanc diem abjecti fuerant et ignobiles; *secundo*, quia gens erat laboriosa, et malorum patiens; *tertio*, quia non tam solertia militari quam corporum robore, et hominum turba, vel eorum quibuscum belligerabant ignavia, imperium sunt adepti. Iisdem de causis a Daniele cap. VII, 5, urso comparantur; *quarto*, quia, licet priores Persæ continentissimi fuerint, et maxime frugales, teste Xenophonte; posteriores tamen luxu et libidinibus diffluxerunt, ut factum patet tempore Xerxis et Darii Codomanni, etc.; imo Theodoretus, in *Levit. Quæst.* XXIV: « Persæ, ait, in hunc usque diem non sororibus tantum, sed et matribus et filiabus nuptiarum lege permiscuntur. » Ita et Augustinus *ibid.*, *Quæst.* LVIII. Salaces enim asinis comparantur. Unde *Ezech.* XXIII, 20, de Ægyptiis et Chaldæis dicitur: « Quorum carnes sunt ut carnes asinorum: » « carnes, » id est pudenda tam grandia, ait S. Hieronymus. Denique Eusebius, lib. IX *De Præparat.*, cap. ult., ex Alphæo et annalibus Chaldæorum, docet Nabuchodonosorem entusiasmo correptum prædixisse Chaldæis: « Veniet Persa semiasinus, qui vobis jugum servitutis imponet: veniet Cyrus, qui dicitur semiasinus, id est mulus, ex equa et asino, vel camela et asino, generatus, quia Cyrus matre Mandane Astyagis Medorum regis filia, patre vero obscuri generis Persa natus est. Unde et aliqui putant unum eundemque Cyrum vocari hic ascensorem asini, quia natus ex Persis iis dominabatur; et ascensorem cameli, quia natus ex matre Meda, mortuo Dario avunculo, regnum Medorum adiit. Sed verius est duos hic poni ascensores sive equites, puta Darium et Cyrum.

Allegorice, Isychius, lib. II *in Levit.* XI: Christus, ait, est ascensor cameli, id est populi Judaici, qui grave legis jugum portabat, et distortis ac superbis erat moribus, instar cameli: est et

Curus
cameli
sunt Me-
di, cur?

Asini
sunt Per-
sæ.
Primo.
Secundo.
Tertio.

Quarto.

Cyrus
vocatur
mulus,
cur?

ascensor asini animalis immundi, id est populi Gentium, et bijugum ex iis currum unum Ecclesiae effecit: vel, ut Castrius, Christus cameli, id est caelestium Angelorum; et asini, id est terrenorum hominum, ascensor et dominus est. Denique Alcazar, in *Apocal.* xvii, not. 1, pulchre hæc adaptat SS. Petro et Paulo, qui Babylonem mysticam, id est Romam et idololatriam, everterunt, eamque Christo subegerunt. Ascensor enim asini est S. Petrus, utpote Apostolus Judæorum, qui quasi asini oneri legis erant assuefacti. Ascensor cameli est Paulus, utpote Gentium superbarum et indomitarum Apostolus: imo ipse contendit hunc sensum esse litteralem; sed ex dictis patet esse mysticum.

ET CONTEMPLATUS EST. — Non Cyrus, sed speculator, puta Isaias, qui hic juxta officium paulo ante assumptum speculatur, et annuntiat adventum Cyri; unde clamat quasi leo, ut sequitur. Loquitur Isaias de se in tertia persona, quod in Scriptura et apud Hebræos frequens est.

Vers. 8. 8. ET CLAMAVIT LEO. — Aliqui, ut Vatablus, sic exponunt: Clamavit speculator: Leo, scilicet Cyrus, adventat, parans vobis, o Chaldæi! exitium. Unde Aquila vertit, *voca leonem*; Symmachus, *voca leonem*; Theodotion, *voca ariel, q. d. Voca Cyrum*, ut quasi leo irruat in Babylonem; *secundo*, et melius, Isaias clamavit et rugiit quasi leo: Isaias enim positus speculator et Propheta, semperque ad visitationem Dei excubans, ac fortissime futura prænuntians, quasi custos hominum, recte comparatur leoni; quia leo est pervigil, eo quod brevissimas habeat palpebras, et splendentes pupillas, ut etiam dormiens videatur vigilare. Hinc a veteribus creditus est leo nunquam dormire: qua de causa Græci in valvis templorum solebant pingere duos leones, quasi custodes loci, uti etiamnum fieri videmus in multis palatiorum, urbium et templorum foribus. Sane hic Romæ in palatio Pontificis in Vaticano vidi effigiem leonis dormientis cum hac inscriptione: *Dormiens vigilat*. Rursum ex omnibus animalibus curvos ungues habentibus solus leo videt, cum primum in lucem editur: unde a Plutarcho *animal solare* vocatur. Ita Ægyptii, inquit Horus Apollo, *hierogl.* 19: « Vigilantem sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, leonis caput pingunt: quoniam leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit, apertos habet, quod custodiæ et excubiarum signum est. Quocirca templorum claustris leones qui custodum loco sint, appinxerunt. » Septuaginta retinent Hebræum, אריה *arie*, id est leo, quasi nomen proprium; unde aliis punctis legentes vertunt, *voca Uriam in speculam Domini*, quasi speculator hic vocetur Urias, sitque Christus, qui hebraice dicitur Urias, id est lux Domini, inquit S. Hieronymus.

SUPER SPECULAM DOMINI EGO SUM, — *q. d.* Ego Isaias sum speculator et Propheta Domini jam dictus, qui juxta officii mihi commissi exigentiam,

nocte et die assidue excubo, ut verbum Domini excipiam, et futura prospiciam, eaque aliis denuntiem, sicut in specula speculatores, et in excubiis excubitores adventum militum et hostium civibus annuntiant.

Moraliter, discant hic præcones et ductores fidelium, ipsique fideles speculari ventura futuraque pericula et clades. Audivit hic speculator vigilantissimus: « Cecidit, cecidit Babylon, tritura mea, et filii areæ meæ, » id est Babylon, et vos Babylonii filii areæ in qua fiet tritura, omnes triturandi estis: nos pariter impiorum ruinam, et æternum supplicium, quasi ex specula prævideamus, mirabilemque trituram, quæ in valle Josaphat et in morte fiet, speculemur, eamque caveamus. Hinc Christus monet, *Matth.* xxiv, 42: « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. » S. Ambrosius, lib. V *De Fide*, cap. viii: « Certa, inquit, futuri judicii momenta nescimus, ut semper tanquam in excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. » Petrus Chrysologus, *serm.* 23: « Vigiliis, inquit, ad omnia esse salutare nullus ignorat: plus vigilare, plus vivere est; nam quid mortis simile, quam dormientis aspectus? Rex pervigil hostis præcavet insidias; miles nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit: nauta vigilando incertas vias intrat: pastor adjungit noctes diebus, ne qua lupis grassandi in gregem præbeatur occasio: viator solers per auras noctis æstus solis prævenit. » Ita vigila et tu, o Christiane, qui miles, nauta, pastor, et viator es in cælum! Sponsa, *Cant.* v, 2, ait: « Ego dormio, et cor meum vigilat: » dormit mens, quæ se ad judicium præparat: dormit, inquam, rebus caducis, mundique næniis; vigilat autem rebus æternis. Ibidem, capite iii, vers. 7: « Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, propter timores nocturnos. » Animalia cernit Joannes, *Apoc.* iv, plena oculis ante et retro: sic Christianos decet esse Argos et centoculos, ne dormientes mors et judicium opprimant. Sic enim Isboseth, id est virum confessionis, dormientem mors percussit, et in orcum deturbavit, II *Reg.* iv. Sic Holofernem dormientem, *Judith* cap. xiii, vigilans oppressit. Sisara dux exercitus a Jafele femina lactis potu sopitus et occisus est, *Judic.* iv. Sopore oppressus Samson a Dalila tonsus, et fortitudine spoliatus est, *Judic.* cap. xvi. Sauli dormienti David hastam abstulit et scyphum, I *Reg.* xxvi. Quocirca cogita assidue illud: « Vita mortalium vigilia. » Vigil ergo esto, et vigila jugiter cum S. Vigilio. Dic cum Psalte: « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. »

9. ECCE ISTE VENIT ASCENSOR VIR BIGÆ. — Hic speculator nuntiat ea quæ vidit, rugitque ut leo, clamans: Video adventare Persicas acies, easque in urbem irrumpere; video Babylonem ab eis eversum cadere et ruere.

Nota « ascensor, » id est ascensores, id est equi-

Morale
de vigi-
lia.

Vita
morta-
lium vi-
gilia.
Vers. 9.

tes duo, scilicet Darius et Cyrus. Sic vulgo dicimus, Miles vel eques adest, id est milites vel equites ad-sunt: «Vir,» id est quilibet eorum (Hebraice enim וְיָן *isch*, id est *vir*, distribuit, idemque est quod *quivis, quilibet*) insidet suæ «bigæ equitum,» id est equestri et bellicæ, in qua vel ex ipsa biga, vel ex ejus equis, asinis aut camelis pugnant equites: aliæ enim sunt bigæ rurales et onerariæ, quæ sunt ad vehendum onera et merces, non ad pug-nandum. Unde hebraice est, *ecce venit currus, vel biga virorum, currus, inquam, paris equitum.* Ita Vatablus, *biga*, id est duæ bigæ, et duo currus duorum equitum. Noster Interpres pro רֶחֶב *rocheb*, id est currus, legit רֶחֶב *rocheb*, id est ascensor vel eques (1).

Posset, *secundo*, «ascensor» proprie sumi in sin-gulari, ut unum nolet Cyrum, qui bellum hoc con-fecit: hic vocatur *vir bigæ equitum*, quia duarum gentium, scilicet Medorum et Persarum, juncto exercitu venit contra Babylonem licet: enim vers. 7, duos ponat equites, scilicet, Darium Cyri avunculum sexagenarium, et ipsum Cyrum; ta-men hic unum ponit Cyrum, qui juvenis erat ani-mosus et bellicosus, solusque quasi rem hanc peregit.

ET RESPONDIT. — Scilicet speculator Isaias, *res-pondit*, id est clamavit ultro; nemo enim hic eum interrogat. Sic sæpe Christus in Evangelio dicitur respondisse, id est dixisse, cœpisse loqui.

CECIDIT, CECIDIT BABYLON. — «Ruit alto a cul-mine Troja,» prorsus prostrata fuit Babylon: hoc enim significat geminatio verbi *cecidit*. Hujus ty-po Roma urbs, quæ in fine mundi ad idololatriam redibit, vocatur Babylon, diciturque vastanda, *Apoc. xviii, 2*, inquit ibidem Franciscus Ribera. Est enim in Babylone hic expressus typus excidii, tum mundi, ejusque regis diaboli per fidem et gratiam Christi; tum maxime urbis et orbis in fine sæculi.

Vers. 10. 10. TRITURA MEA, ET FILII AREÆ MEÆ. — *Tritura* idem est quod *filii areæ*, puta frumentum, et grana trituratione in area excussa (sic «filie pha-etræ» vocantur sagittæ, *Thren. iii, 13*), ita vocat vel Babylonem, vel potius, ut S. Hieronymus, Je-rusalem et Judæos, qui ab Assyriis et Chaldæis fuerunt triturati, calcati, attriti, et ad paucos re-dacti. Hinc Septuaginta vertunt, *derelecti et dolentes, q. d.* Babylonios non triturabo, sed conteram et disperdam; vos vero, o Judæi! qui estis gens mea, triturabo, sicut trituratur seges in area; ita ut ex magno segetum acervo, paleis ventilatis, et culmis ac stramine rejecto, pauca remaneant grana, quæ ex eis excussa sunt: sic enim et vos

(1) Curribus bellicis, qui ut alii omnes, duabus rotisolvebantur, jam equi duo, addito tertio collateralis, jam etiam duæ bigæ equorum junctæ erant. Heros pugnatōr curri insistebat. Currus in formam turrii constructos Xenophon, *Cyrop.*, VI, 1, 16, 17, refert a Cyro excogita-tos fuisse, et ex his singulis viginti milites pugnas-se. (Jahn, *Archæolog. bibl.*, part. II, cap. iv.)

per tot clades triturabo, non ut perdam, sed ut probem et purgem, condamque ut grana selecta in horreum Ecclesiæ ac reipublicæ meæ (2).

Secundo, alludit ad aream Ornan Jebusæi, ubi ædificatum est templum: ibi enim quasi in area sua Deus vitiorum et errorum populi sui paleas, vera sua lege, doctrina et cultu ventilavit, eum-que quasi frumentum excussum et expurgatum, in horreum suum condidit.

Moraliter hic et *Jerem. li, 33*, et sæpe alibi, *tribula-tio* vocatur tribulatio, et gens, vel anima tribu-lata: *tribulatio* enim dicta est a *tribula*, qua segetes tribulantur et triturantur, ut grana excu-tiantur. *Tribula* vero dicta est a *terendo*, quasi teribula, quia segetes terit, ut grana excutiat.

Quocirca discite hic quam sit utilis tribulatio, scilicet est tritura, facitque nos filios areæ Dei, dum nos a paleis secernit, ut dicamus cum S. Igna-tio: «Frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut panis Christi mundus inveniar.» Hoc est quod ait Sapiens, cap. iii, vers. 5: «In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit eos dignos se. Tan-quam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum.» Pulchre S. Augustinus in *Psalm. lxi*: «In fornace, ait, ardet palea, et pur-gatur aurum; illa in cineres vertitur, et a sordi-bus illud exuitur: fornax est mundus, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi ponit me aurifex, tolero. Jubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consu-mendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordi-bus careo. Quare? quia Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea. Quis est tibi iste, a quo est patientia tua? quoniam ipse est Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus, non emigrabo.» Idem rursus: «Nullus, inquit, servus Christi sine tribulatione est; si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus.» Idem alibi: «Flagellum, inquit, interius et exterius glorificat peccatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit curren-

Tribula-tio est tritura Dei.

(2) Sermo est Isaïæ ad populares suos quos vocat gra-num excussum, quod videret ingentia mala quæ illis im-minerent, quodque decrevisset Dominus eos veluti fru-mentum conterere, ut infra copiosius dicitur. Neque af-fectu compassionis carent verba hæc: in commemoratione enim calamitatum harum gentium semper Prophetæ ani-mus ad populum Dei intentus erat. Propter eos enim isthæc omnia Deus revelabat, et Prophetas annuntiare compellebat, nunc ut sibi caverent, nunc ut externis auxiliis non fiderent, sed Deo, qui esset universorum Do-minus et Jædex, morem gererent. Innuit ergo se esse spe-culatorem a Deo constitutum in populo, qui ei annuntiet quæ forent necessaria; quæ autem præcesserunt, figu-rata esse. (Forerius.)

Cæterum, «filii areæ» idem plane est *id quod in area trituratur*, ex consueto Orientalium idiotismo. Sic Ara-bibus, «filius nubium» est pluvia, «filius vaginæ» est ensis, «filius labii» est sermo, loquela.

tem, protegit infirmantem, excitat torpentem, ini-
 tiat ad mortem semper viventem.» Idem, *De Temp.
 barbarico*, cap. III, tom. IX: « Si aurum es, quid
 times ignem? si frumentum es, quid times tribu-
 lam? non apparebit qualis antea eras in spica,
 nisi tribula conterendo a te separaverit paleas; si
 oleum es, quid times pressuram præli? non de-
 clarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis
 a te separaverit amurcam. »

Vers. 11. 11. ONUS DUMA. — Septuaginta, *onus Idumææ*,
 quæ a suo parente rufo, *Edom sive Idumæa*; ab
 eodem piloso, *Seir* dicitur (1).

Duma an
 Roma? Ineptiunt Judæi, dum pro *Duma* legunt *Roma*,
 quasi Romani non ab *Ænea* et *Troja*, sed ab *Esau*
 et *Idumæis* sint oriundi, ut, quoties Prophetæ con-
 tra *Idumæos*, toties contra Romanos vaticinentur.
 Ridet id hic et alibi S. Hieronymus.

Nota: Nomina propria sæpe patiuntur aphære-
 sim: sic enim *Idumæa* vocatur *Duma*, sic *Jerusa-
 lem* vocatur *Salem*, sic *Abraham* vocatur *Ram*,
Job. xxxii, 2; sic *Benjamin* vocatur *Jemini*; filius
 enim *Jemini* idem est quod *Benjaminita*, uti ver-
 tunt *Septuaginta*. Et *Cajetanus*, in *Judic. iii*, ait hoc
 esse indubitatum apud Hebræos; sic *Adeodatus*
Bethlemites vocatur in Hebræo *Lemites*, I *Paralip.*
xx, 5, uti advertit S. Hieronymus, ibi in *Tradition.*
Hebraic.

Sic Belgæ passim nomina propria decurtant, ut
 pro *Nicolaus* dicunt *Clæus*, pro *Elisabeth* *Syfbet*, pro
Joannes *Gaus*, pro *Dorothea* *Øhøjie*, pro *Sebastianus*
Bastiaen, pro *Cœlia* *Gilie*.

Mystice S. Bernardus, *De Onere Duma*, serm. 7,
 ita commentatur: « *Duma* interpretatur silentium.
 Scitis, fratres, quod multos silentium onerat, et
 gravat quies: ita ut tacentibus et quiescentibus
 omnia oneri sint; caput doleat, venter rugiat, ca-
 lignant oculi, et renes pene solvantur; exeuntibus
 autem, huc illucque vagantibus et loquentibus
 jucunda sint omnia, traduntur oblivioni dolores,
 singulis membris sua reddantur officia. O quanta
 est virtus linguæ, quæ oculos serenat, caput alle-
 viat, renes consolidat, genua dissoluta corrobo-
 rat! Hæc infirmum in laboribus infatigabilem red-
 dit, patientem in injuriis, paratum ad iter, promp-
 tum ad obedientiam. Itaque si videris monachum
 in claustrum residentem huc illucque respicere, os-
 citare crebrius, manus et pedes extendere, nunc
 librum ponere, nunc resumere: postremo, quasi
 quibusdam stimulis agitatam de loco in locum,
 de auditorio in auditorium cursitare, sub onere
Duma eum suspirare non dubites. Est præterea
 aliud quoddam silentium, quod æternæ pœnæ
 pondus multis imponat. Ipsum est silentium, quod
 ex pudore et confusione procedens confessionem
 obstruit peccatorum, vel excludit remissionem;

(1) Dubium vix esse potest, nomine דומא hic desig-
 nari *Idumæos*. Propheta enim quid sibi velit ipse clarissi-
 me indicat, ubi expositurus argumentum vaticinii, vocem
 ad se perlatam esse ait ex *Seir*, quæ est ipsissima *Idu-
 mæorum* regio, ut omnes norunt. (Rosenmuller.)

quod onus pœnæ tale silentium mereatur, pro-
 pheticus sermo non tacet. »

AD ME CLAMAT EX SEIR (male *Plantina* legunt,
rex Seir, ut patet ex Hebræis, Græcis et Romanis.
 Sensus est, q. d. Videor ego *Isaias* constitutus a
 Deo speculator, videre belli pavorem ac strepi-
 tum, atque audire *Idumæos* consternatos ex ad-
 ventu *Nabuchodonosor*, anxie rogantes suos ex-
 cubitores): CUSTOS, QUID DE NOCTE, — scilicet vi-
 disti, vel sensisti de hostibus? aut potius « quid
 de nocte? » id est quota est noctis hora? Anxie
 enim in hoc metu et pavore diem et lucem ex-
 spectamus: noctu enim vel ipsa silentia terrent,
 præsertim ubi ab hoste vel aliunde imminet pe-
 riculum. Sic vulgo Belgæ et Germani dicimus:
 Wat ist han den dach: quid est de die? id est quota
 est diei hora? Wat ist han den nacht? quid est de
 nocte? id est quota est noctis hora? Ita *Adamus*.
 Alii, q. d. « Quid de nocte, » id est quo evadet
 hæc nostra nox? id est afflictio et periculum; erit-
 ne perpetua, an vertetur in lucem?

12. VENIT MANE ET NOX.—Primo, aliqui sic expo- Vers. 2.
 nunt, quasi respondeat custos: Illucescit quidem
 mane; sed nobis durabit nox, id est afflictio et
 calamitas imminens ab hoste (2).

Secundo, alii, q. d. Mane et nocte identidem
 quæritis: « Custos, quid de nocte? » agite, quo-
 ties lubet euntes et revertentes idem quærite, mihi
 aures idem rogando obtundite. Nam frustra ro-
 gatis, operam perditis, actum est de vobis, pe-
 reundum est. Ita *Vatablus*. Quasi custos per im-
 patientiam repetat, et importunis in os regerat id
 quod ipsi toties rogabant, dicatque: « Venit, ve-
 nit mane et nox, venit, venit. »

Tertio, *Sanchez*, q. d. Quid quasi pueri toties
 quæritis mane et nocte: « Custos, quid de nocte? »
 et interim arma non capitis, acies non instruitis,
 ut hosti resistatis? non enim ejulatu et interro-
 gando, sed gladiis et pugnando repellendus est
 hostis. Unde subdit: « Si quæritis, quærite, con-
 vertimini, et venite, » q. d. Si serio et cordate ro-

(2) Ista ratione ænigma hoc propheticum solvit *Dœ-
 derlein*: « Propheta, inquit, in eadem exstasi adhuc consti-
 tutus, in qua *Babylonis* eversionem viderat, videtur sibi
 audire clamores ex *Seire* *Idumæorum* sciscitantes, num
 nox calamitatum suarum præterisset. Reminiscitur lati
 a speculatore responsi (supra vers. 6, 7), ideoque hunc
 iterum consultum venit, quænam fortuna post tot atra
 fata has regiones maneat, præcipue cum aliqua felicitas
 aurora, destructo *Babyloniorum* imperio, præfulgeat.
 Sed ille aliis quidem gentibus lucem, his autem nullum
 miseræ solamen præsentat, negatque jam spei tam au-
 gustæ locum esse, alii ævo reservatæ. » *Idumæis* cladem
 prorsus exitialem, ex qua nunquam resurgere potuerint,
 inflictum fuisse ab hostibus, patet ex (*Malach. 1, 2, 3*), qui
 floruit *Artaxerxes* *Longimanus* inter et *Alexandrum*; nam
 illius ætate, *Idumæi* suam rempublicam nondum instau-
 raverant. Cum enim illi, una cum *Moabitibus* atque *Arabibus*
 obnoxii facti *Chaldæis*, eorum partes sustinerent in
 bello cum *Cyro* gesto, ab eo, expeditione in illas partes
 suscepta, subacti, et, ut probabile est, durius sunt habitii.

(Rosenmuller.)

gatis et quæritis, quærite a speculatore, qua via et ratione hosti sit occurrendum, quibus præsiidiis urbs munienda, quibus armis utendum; et tum demum venite aptis instructi armis, non molli atque muliebri ejulatu; sic vulgo dicimus: « Age quod agis: age, » scilicet serio et strenue.

Quarto et planissime, Arias Montanus: Quæsierant, inquit, Idumæi a suo speculatore: « Custos, quid de nocte? » id est, quæta est noctis hora? respondet custos: « Venit mane et nox, » *q. d.* Instat mane, et tamen adhuc nox est; quare « si quæritis, quærite, » *q. d.* Si ergo ad prædam aut alio excurrere velitis, festinate, « convertimini et venite, » id est rursus venite, citoque redite in urbem, antequam hostes mane vos persentiscant. Est hebraismus, quo verbum ponitur pro adverbio vel participio, « convertimini et venite, » id est iterum venite, vel revertentes venite.

Quinto, Procopius et Theodoretus exponunt, *q. d.* O Idumæi! recte facitis quod pro muris vestris consistitis, et de nocte, deque mane custodem vestrum interrogatis: si tamen salutem certamque ad eam viam quæritis, ad me qui sum vester Deus et custos venite, agite pœnitentiam, peccata abdicatæ, studete justitiæ, itaque vos mihi reconciliate; ego vos defendam, quia filii Abraham et Isaac estis. Verum sic hoc consilium, et hæc verba essent Dei, aut Isaïæ, cum pateat esse custodis Idumæorum, ut dixi.

Mystice S. Gregorius, XVI *Moralium*, cap. xxv, et S. Augustinus, tract. 43 in *Joan.*, et ex iis Leo Castrius exponunt, *q. d.* Propheta, O Deus! qui es Samaritanus, id est custos hominum, ad te clamat Seir, id est populus Gentilis et peccator: « Quid de nocte? » quid de tanta tribulatione fiet? quando in hac nocte ignorantia, peccatorum et miseriarum versabimur? quando aderit mane, quo sol justitiæ Christus oriatur? quibus respondet Deus: Si sincere et ex animo quæritis Christum, in quærendo perseverate, et invenietis.

Rursum S. Gregorius, VI *Moralium*, cap. xiii: « De nocte, ait, custos venit, quia humani generis protector, et manifestus in carne apparuit; et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime cognovit. Ubi bene ex voce custodis additur: Venit mane et nox, quia per ejus præsentiam et nova lux mundo inclaruit, et tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit. »

Vers. 13. 13. ONUS IN ARABIA. — Id est prophetia minax contra Arabes habitantes in Arabia, qui a progenitoribus dicuntur Ismaelitæ et Cedareni. Cedar enim fuit filius Ismael, *Gen. xxv, 13.* Hi erant, uti etiamnum sunt, homines feri, habitantes in tabernaculis in locis desertis: vacant pecoribus pascentis, venationibus et prædationibus; sunt enim optimi sagittarii, ut dicitur *vers. 17, et Jerem. xlix, 28.* Juxta id quod Angelus de eorum patre Ismael prædixit matri eorum Agar, *Gen. xvi, 12*: « Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum. » Quocirca etiam-

num Turca, licet dominetur Arabiæ, Arabes tamen omni sua potentia domare, et a prædationibus cohibere non potest.

Mystice S. Bernardus, *De Onere in Arabia*, serm. 8: « Arabia, ait, vespera interpretatur, quæ diei finis est, noctisque principium: horam mortis non incongrue, ut puto, signans, quæ cunctis fere mortalibus timoris non leve pondus imponit. Quis enim hominum hoc onus evitet, cui se Salvator exempli causa spontanea voluntate submitit? Imminente enim morte cœpit, ut ait Evangelista, pavere et tædere. Sub hoc timore totum vivit genus hominum: nisi forte aliquis talis sit, cui certa sit beata vita post mortem, cujus desiderio etiam amaritudinem mortis non sentiat. Præterea vespera (quæ, ut diximus, diei finis est, noctisque principium) ejus exprimit casum, qui post opera lucis, ea inchoat quæ sunt tenebrarum, cujus fiunt novissima pejora prioribus: qui profecto eo pondere opprimetur, quod in Arabiæ onere continetur. »

IN SALTU AD VESPERAM DORMIETIS. — S. Hieronymus, Haymo, Forerius, Hugo et Sanchez hæc de Judæis intelligunt, qui vastata Jerusalem Chaldæorum manus effugerunt in vicinam Arabiam; proinde moneri Arabes ut eis occurrant, eosque in fame et siti recreent et reficiant, et quia hoc non præstiterunt, hinc *vers. 16*, eis simile intentat excidium.

Verum, quia hoc onus est contra Arabiam, non contra Jerusalem, hinc dico esse metalepsin, qua significat concitam Arabum veniente hoste fugam, ex eo quod sub noctem fugere cogantur, et in sylva dormire, ac in via quæ ducit ad urbem Dedanim.

Nota: Omnino verisimile est, non Salmanasar, ut vult Forerius, sed Nabuchodonosorem, cum vicinam Idumæam, Judæam, Ammonitidem cæteraque omnia vastaret, vastasse etiam Arabiam: nam idem Arabiæ excidium prædixit Jeremias *cap. xxv, vers. 23, et cap. xlix, vers. 28, et Ezechiel cap. xxv, vers. 13.* Hi autem prænuntiant imminens omnibus gentibus Nabuchodonosoris flagellum. Cyrillus tamen id tribuit Dario Medo, quando cum Cyro Babylonem cepit.

Pro ad vesperam hebraice est בערבא *baaraba*, quod primo verti potest, « in Arabia; » secundo, « ad vesperam; » tertio, « in occasu. » Alludit ad nomen Arabiæ, quod Arabum cladem innuit, *q. d.* O Arabes! in Arabia, id est ad vesperam, ad occasum dormietis, cum scilicet occidet vobis lux et dies; tum solis, tum felicitatis, lætitiæ et gloriæ; cum in occasu regni vestri dicetis:

Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum.

Quarto, alludit ad *baaraba* ad ערב *areb*, id est corvus, *q. d.* Dormietis in Arabia, id est in regione corvorum, hoc est suspendemini in patibulo, pascetis in cruce corvos; aut descendetis et dor-

mietis in inferno inter atros et tetros dæmones. Hæc enim est Arabia, id est regio corvorum.

DEDANIM. — Dedan et Theman, inquit S. Hieronymus in solitudine sunt, et videntur præcipuæ fuisse Ismaelitarum provinciæ.

14. OCCURRENTES SITIENTI (Arabi ex pavore et fatigatione in fuga) FERTE AQUAM (date potum), QUI HABITATIS TERRAM AUSTRI, — qui ad Meridiem (qua fugiebant hostem venientem a parte adversa) habitatis, et vicini estis Arabiæ.

16. ADHUC IN UNO ANNO, QUASI IN ANNO, MERCENARIUM, — q. d. Post certum definitumque a Deo, ac breve tempus, et forte post annum ab excisa Jerusalem, gloria Cedar, id est Arabum, ut dixi vers. 13, auferetur, et exspirabit, sicut exspirat anno finito tempus et lucrum mercenarii: vel « quasi in anno mercenarii, » id est in anno quo dabuntur in prædam, quasi in mercedem, hosti-

bus suis Chaldæis, pro labore quo Chaldæi Dei vindictæ in excindendis aliis gentibus servierunt. Vide dicta cap. xxvi, in fine.

17. RELIQUIÆ NUMERI (id est numerabiles, id est paucae Arabum) (qui alias solent esse innumeri et peritissimi sagittarii) quæ ex clade Chaldæorum supererunt) IMMINUENTUR, — id est erunt minuto et exiguo numero. Unde clare Forerius vertit, *et residuus numerus arcus fortium filiorum Cedar paucus erit.*

Verum, quia non facile erat credere hujusmodi gentem debellandam, quæ desertis assueta, sagittandi perita, cursu velocissimorum equorum hostes facile eludere solebat, neque civitates habebat quæ obsideri possent; hinc ad confirmationem addit: « Dominus enim Deus Israel locutus est, » ac cujus iram vitandam nullæ vires aut artes valent. Ita Forerius.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jungitur hic clades Hierosolymæ cladibus aliarum gentium, ut quarum imitata est culpam, earum sortiatu et pœnam: non enim Dominus propter locum gentem, sed locum propter gentem elegit. Secundo, vers. 15, Sobnæ, præposito templi indigno et superbo, minatur depositionem et captivitatem; eique pium et mitem Eliakim surrogandum prædicit, cui stabilem et gloriosum pontificatum promittit (1).

1. Onus vallis Visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta? 2. Clamor plena, urbs frequens, civitas exsultans: interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello. 3. Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt: omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt. 4. Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. 5. Dies enim interfectionis, et conculcationis, et fletuum, Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum, et magnificus super montem. 6. Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus. 7. Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. 8. Et revelabitur operimentum Judæ, et videbis in die illa armamentarium domus saltus. 9. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt: et congregastis aquas piscinæ inferioris, 10. et domos Jerusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. 11. Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam

(1) Prior hujus capituli pars a reliqua capituli parte discernenda est. In priori, ubi de Hierosolyma agitur, Propheta rem aggreditur:

Primo, per interrogationem qua inquit causam anxii tumultus, lactus, et partim fugæ, partim captivitatis incularum, 1-3.

Secundo, per responsionem qua ipse describit copias hostiles e gentibus barbaris et ferocibus collectas, quæ adversus Hierosolymam castra movent, et vastitatem terræ, eversionem urbis; direptionemque ab hostibus factam deplorat, 4-7.

Tertio, per expositionem, qua frustranea obsessorum ad suis defensionem molimina describit, 8-11.

Quarto, per exprobrationem, qua idem usurpatam a populo his rebus freto, penitentiam loco, licentiam vitæ

epicuream reprehendit, cui Deus valde offensus non parcat, 12-14.

In secunda parte, quantum ad templi præpositos, de quibus Propheta oraculum divinum accipit, præagitur:

Primo, de Sobnæ quidem: hunc inter malos aulae proceres illius temporis forsitan primum, ob præfidentiorum desua securitate opinionem et hujus splendidum monumentum deportandum in exilium, ibique misere moriturum, 16-19.

Secundo, de Eliakim autem, hunc in locum prioris cum suprema et stabili potestate successorum, et genti suæ magno præsidio esse futurum, 20-24.

Oraculum concludit epilogo quo sententiam in Sobnæ confirmat, 2-5.

piscinæ veteris : et non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, et operatorem ejus de longe non vidistis. 12. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci : 13. et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulari arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur. 14. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum : Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini. dicit Dominus Deus exercituum. 15. Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Vade, ingredi ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum : 16. Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. 17. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. 18. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam : ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. 19. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. 20. Et erit in die illa : Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, 21. et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus : et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda. 22. Et dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat. 23. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris ejus. 24. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum. 25. In die illa dicit Dominus exercituum : Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli : et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerit in eo, quia Dominus locutus est.

Vers. 1.
Vallis
visionis
est Jeru-
salem.

1. ONUS VALLIS VISIONIS, — id est onus Jerusalem. Ita S. Hieronymus, Septuaginta et alii, ut patet vers. 4. Dicitur Jerusalem *vallis*, primo, quia subjecta erat monti Sion; secundo, quia sicut vallis e cælo imbrem accipit, ita Jerusalem Prophetas et visiones, id est oracula, a Deo hauriebat; tertio, quia urbs olim pietate et sapientia, æque ac opibus et gloria inelyta, ita ut mons altissimus dici posset, essetque in Sion; nunc ob scelera, æque ac clades, puta ob onus hoc excidii, facta est humillima atque abjectissima, ut a Chaldæis, et postea a Romanis excisa, vallis et vorago dici posset. Ita S. Hieronymus, Procopius et alii. Unde Septuaginta vertunt, *verbum vallis Sion, q. d. O Sion, quæ olim fuisti mons templo, arce, gloria inelytus! nunc in vallis in gloriæ vilitatem et profunditatem es depressa. Talem jam videmus Jerusalem, ob cæsum ab ea Christum, adeo ut vix in ea domus sit ulla alicujus momenti; sed incolæ, qui in ea pauci sunt, in casis et antris potius, quam domibus habitare videantur, uti oculati testes referunt (1).*

(1) De tempore ad quod prophetia hæc referenda sit, dissentiunt interpretes. Alii ultimam urbis destructionem illatam describi arbitratur, quod nobis non satis certum videtur, nam ingentem calamitatem, sed non eversionem ultimam Hierosolymæ prædicit Isaias. Alii contendunt, Prophetam loqui de oppugnatione urbis a Sennacheribo tentata; cui sententiæ eo lubentius accederemus quod, vers. 8-11, describitur apparatus ad urbis defensionem instructus, qui est idem ille quem Ezechiam legimus esse molitum, II Paralip. xxxii, 2 et seqq. (Ecce etiam tempo-

VISIONIS, — id est prophetiæ, quia Jerusalem parens fuit aut nutrix omnium fere Prophetarum. Alludit ad montem Moria, id est Visionis, inquit Forerius, ubi Abraham volens immolare filium vidit Deum, id est Angelum Dei vicarium, Genes. xxii, 2. Moria enim erat in Jerusalem, eratque Sion, in quo ædificatum est templum, ut patet II Paral. iii, 1, quasi dicat : O Sion! fuisti *Moria*, nunc es *Mara*; fuisti mons visionis, nunc es vallis lacrymarum et tenebrarum; fuisti Dei templum, nunc es spelunca latronum.

Mystice S. Bernardus, tract. *De Undecim oneribus Isaiæ*, serm. 9, sic ait : « Subditur onus vallis Visionis : visio refertur ad contemplationem, vallis ad humilitatem vel dejectionem. Est enim quorundam contemplatio humilis, quorundam dejecta. Humilis sanctorum, abjecta peccatorum. Sancti autem quo magis proficiunt, eo majori

ribus Manasses adaptari possit, ut infra notabimus), nisi obstarent versus septem priores in quibus mala graviora depinguntur quam illa fuerunt quibus Hierosolyma oppressa fuit a Sennacheribo, qui obsidionem mox solvere divinitus coactus fuit. Alii tandem, quibus assentiri libet, hic agi de oppugnatione Hierosolymæ et Manassis captivitatis sub Assarhadone existimant, quod factum clare in II Paralip. xxxiii, 2, consignatum optime cum isto vaticinio, vers. 2 et 3, concordat : « Superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassen, et vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. » Ad hanc prophetiam referri potest quod Deus, IV Reg. xxi, 10, contra Manassen loquitur. Paulo ante Sennacheribi expeditionem edita esse videtur.

onere vanitatis fatigantur; et sic ad altiora se erigunt, ut quandoque inviti ad inferiora trahantur: si enim virtus proficit, servatur humilitas; si onera, vanitas est. Scitis, fratres, qualem necesse est ut sustineat pugnam mens proficientis, ne favor humanus subrepat, ne dissolvat adulatio, ne cor ambitu intumescat. At illi, qui quod notum est Dei, notum est illis, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciunt, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et a monte contemplationis ceciderunt in vallem erroris. Ideo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, quadrupedum et serpentum. Et si scire volueritis quo isti digni sunt onere, audi quod sequitur: Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, et passiones ignominiae: et tradidit eos Deus in reprobum sensum.» Aliis deinde hoc onus applicat, dicens: « Sed et illi qui scientia Scripturarum, vel doctrina cœlesti, intentione non recta, puta ad laudes hominum, vel ad temporale lucrum retorquentur, ad vallem visionis pertinere noscuntur, ut scientia visionem, vallis intentionem significet. Quos omnes quale pœnæ pondus expectet, propheticus sermo declarat.»

QUIDNAM QUOQUE TIBI EST (o Jerusalem!), QUIA ASCENDISTI ET TU OMNIS (omnes tui cives, filii et filiae) IN TECTA? — ut ibi spectetis, et communi eulatu comploretis commune urbis incendium, gentisque excidium: erant enim tecta in Judæa plana instar tabulatorum, ut in iis ambulare, et spectare plateas urbemque possent (1).

Vers. 2. 2. CLAMORIS PLENA, URBS FREQUENS, CIVITAS EXULTANS. — Olim eras frequens populo, atque exultabas choreis, tubis, tympanis; nunc dum vastaris, clamoris es plena.

INTERFECIT TUI, NON INTERFECIT GLADIO, NEC MORTUI IN BELLO, — q. d. Solatium est militi ejusque cognatis, si pugnans fortiter cadat in bello: hæc enim est gloriosa mors. At tui cives, o Jerusalem! non gladio, sed fame tempore obsidionis, inquit Theodoretus, ceciderunt: superstites, non pugnantes, sed fugientes; quasi imbelles feminæ, capti et ligati aut occisi sunt. Rursum, non gladio Chaldæorum, sed Dei vindictæ tuum excidium, o Jerusalem! attribue. Deus enim tibi animos et vires ademit, ipse tibi pavorem iniecit, ut fugeres, et in fuga hostium furori te

(1) Tecta conscendebant incolæ Hierosolymorum, partim ut inde prospectarent exercitum hostilem, ejusque motum; partim ut securitati et incolumitati suæ consulere, aut vero etiam se ex iis, si copia daretur, defenderent. Moris fuisse apud Orientales, quorum plana et cancellis munita sunt tecta (ut supra jam dictum est), tempore irruptionis hostilis in ea securitatis et defensionis causa ascendere, apparet ex II Machab. v, 12, ubi dicitur Antiocho, inopinato invadente Hierosolymam, dicitur: *Jussit milites obvios quosque impune cedere, et qui domus conscenderunt, interficere.* (Rosenmüller.)

objiceres. Sic ait Virgilius de excidio Trojæ:

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris, verum inclementia Divum
Has everit opes.

Sic Titus Imperator ad quem hæc ad litteram refert Eusebius, et ex eo Leo Castrius, Hierosolymam captam ingressus, ejusque et turrium munitiones admirans: « Deus, ait, Judæos ab istis munitionibus detraxit; nam quæ manus hominum, aut quæ machinæ ad ista valerent? » Testis est Josephus; lib. VII *Belli*, cap. xvi.

Malim tamen cum S. Hieronymo et aliis hæc ad litteram accipere de excidio Hierosolymæ per Chaldæos, idque satis innuit vers. 15 et seq.; typice, de excidio ejusdem per Titum et Romanos.

Quod enim aliqui hæc referunt ad vastationem Sennacherib, id plane rejicit S. Hieronymus, nec habet probabilitatem, ut patet verba Prophetæ expendenti.

5. DIES ENIM INTERFECTIONIS. — Vatablus vertit, *dies perturbationis*, vel contritionis, conculcationis ac perplexitatis, a Domino, q. d. Adest dies quo Deus conturbabit, conteret et conculcabit omnia, tam sacra quam profana, in Jerusalem quoque omnes qui in ea erunt faciet perplexos, ut nesciant quo se vertant.

SCRUTANS MURUM, ET MAGNIFICUS SUPER MONTEM. — Subaudi *qui*, scilicet Deus vindex, et dux belli Chaldæorum scrutatur murum Jerusalem, ut videat qua parte eum commode evertere et diruere possit. Pro *scrutans* hebraice est מקרקר *mekarkar*, quod verti potest cum Vatablo, *Dominus exparietavit*, vel suffodit et disjecit, *murum*; ipse enim est *magnificus super montem*, q. d. Ipse est qui montem Sion ejusque gloriam suis pedibus subjectum habet, ut eum dejiciat, et in imam quasi vallem deprimat.

6. ET ÆLAM. — Ælam hæc, civitas fuit Assyriorum, inquit S. Hieronymus. Vers. 6.

Secundo, Forerius: Ælam, ait, hic metaphorice sumitur pro quovis peritissimo sagittario: tales enim erant Ælamitæ sive Persæ, sicut Arabs sumitur pro quovis latrone.

Tertio et proprie, Ælam, est urbs Persidis, ex qua tunc equites sunt missi Babylois adhuc monarchis in auxilium contra Jerusalem. Ita Cyrillus.

SUMPSIT PHARETRAM. — Pulchra hypotyposi describitur hic exercitus Chaldæorum, ex Persis aliisque gentibus conflatus, instructus pharetris et clypeis; ita ut paries, ubi clypei suspenduntur, jam sit nudus: exercitus, inquam, Jerusalem intrans, montem Sion occupans, et quadrigis per plateas, valles et portas superbe incedens, inquit S. Hieronymus (2).

(2) Hæc verba: « Et parietem nudavit clypeus, » in *Comment.* hoc modo exponit: « Quodque auratos postes, et marmorum crustis vestitos parietes clypeus, qui alia solet tegere, nudaverit, eleganter in Hebræo resonat, sen-

Vers. 9.

8. ET REVELABITUR OPERIMENTUM JUDÆ, — *q. d.* Chaldæi pendunt velum quod est ante Sanctum sanctorum, illaque ingredientur et profanabunt. Unde *Thren.* I, 10, dicitur: «Vidit Gentes ingresses sanctuarium suum,» etc. Ita S. Hieronymus (1).

Secundo, Forerius explicat, *q. d.* Judæi obsessi, ut suæ urbisque necessitati consulant, ac solvant militi suo, revelabunt thesauros opertos et absconditos: hi enim erant operimentum Judæ.

Tertio, alii per *operimentum* accipiunt antemurale, aliasque munitiones urbis, *q. d.* Hæc a Chaldæis revelabuntur et capientur. Unde Septuaginta pro *operimentum* vertunt, *portæ*. Hic sensus præ cæteris planus est et appositus.

Quarto, Vatablus sic explicat, *q. d.* Juda videbatur antea sperare in Deo, et esse sub ejus protectione, cui Deus erat vice tegminis: tunc autem hostis manifestabit Judam esse destitutum Dei auxilio, quia peccavit, nec respuit.

ET VIDEBIS IN DIE ILLA ARMAMENTARIUM DOMUS SALTUS. — Hebraice est, *respiciens ad armamentarium domus saltus*. Ita Vatablus, Forerius et alii, *q. d.* Ut resistas Chaldæis, non recurras ad Deum, ut dicitur vers. 11, sed ad arma quæ Salomon reposuit in palatio, quod appellavit domus saltus Libani, eo quod columnarum multitudine, arboribus et viridariis saltum vel sylvam Libani referret, III *Reg.* VII, 2. Ita Procopius et alii (2).

Aliter S. Hieronymus, *q. d.* Videbitis, o Judæi! armamentarium ab hoste dissipatum, et scissis ac dissipatis muris hostes in urbem ingressos.

Unde Septuaginta referunt hæc ad Chaldæos, qui visuri sunt et occupaturi hoc armamentarium, æque ac scissuras murorum urbis.

Verum prior sensus conformior est Hebræo et iis quæ sequuntur.

susque pulcherrinus est, quod scutum non protexerit quempiam, sed nudaverit, eo quod per robur militum omnes opes erutæ sunt. »

« Tempore pacis, ait Jahn, *Archæolog. Bibl.*, part. II, cap. IV, clypei in armamentariis asservabantur, atque etiam ad ornatum parietibus turrim affigebantur, I *Reg.* X, 16, 17, ut probant hæc *Cantici* IV, 4, verba: «Turris David, mille clypei pendunt ex ea.»

(1) Juxta Calmetum operimentum istud, hebraice *מִסְכָּח* *musach*, erat quidam porticus ad urbis introitum, desuper opertus, ubi populus conveniebat, ut ab ardoribus meridiani solis protegeretur. Porro ne porticus ille hostibus urbem obsidentibus prodesse posset, istis adventantibus discoopertum atque destructum fuit. In simili occasione Achaz rex Juda et Manassis atavus, timens ne Teglathphalasar Hierosolymam obsideret destruxit: «*Musach* sabbati quod ædificaverat in templo, et ingressum regis externus convertit in templum Domini propter Assyriorum,» IV *Reg.* XVI, 9. Quod quidem *musach* erat porticus desuper tectus et portæ templi conjunctus.

(2) Potest etiam dici cum Rosenmuller, nomen «domus saltus Libani illi inditum fuisse,» ideo quod *ex lignis cedrinis* de Libani saltu advectis extructa erat tota, et quidem supra quatuor ordines quindennarum crassarum columnarum cedrinarum. Hoc armamentarium respiciebant Hierosolymitani ad famam irruentis exercitus Assyriaci, ut ex eo arma ad urbem defendendam depromerent.

Vers. 9.

9. ET SCISSURAS CIVITATIS DAVID VIDEBITIS. — *Primo*, Adamus explicat, *q. d.* Arx Sion, quæ videbatur esse inexpugnabilis, scindetur a Chaldæis et evertetur.

Secundo, Septuaginta pro *scissuras* vertunt *σπηλαι* id est speluncas, quasi dicant: Intrante hoste, respicietis ad speluncas et latibula, in quæ vos abdatis; id enim fecisse eos in obsidione Chaldæorum, patet cap. II, vers. 10, et Romanorum, patet ex Josepho, lib. III *Belli*, cap. XIV.

Tertio, et aptius ad sequentia, *q. d.* Inspicietis scissuras murorum Sionis, ut eas instauretis ac sarciatis.

ET CONGREGASTIS AQUAS PISCINÆ INFERIORIS, — ad temperandam scilicet et diluendam terram, qua reficeretis muros scissos et ruptos, inquit Vatablus, vel potius ad levandam civium sitim in obsidione: Jerusalem enim laborabat penuria aquarum; unde Ezechias, IV *Regum*, XX, 20, fecit piscinam aquarum, ex eaque aquas in urbem per canales induxit. Judæi ergo obsessi puteos et lacunas fecerunt in urbe, ut patet vers. 11, in easque aquas ex Siloe ejusque piscina derivarunt, ut haberent aquam quam biberent, quaque ad coquendum cibos, lavandum, etc., uterentur (3).

10. ET DOMOS JERUSALEM NUMERASTIS, — vel ad excubandum vicissim, vel ad dimetiendum aquam et annonam. Vers. 10.

11. AD AQUAM PISCINÆ VETERIS, — scilicet hisce lacunis, ex piscina veteri excipiendam (4). Vers. 11.

(3) Intra muros vel prope Hierosolymam duæ erant piscinæ, una superior, altera inferior. In superiori quidem aquarum fontis Siloe ad Orientem, in inferiori vero aquarum fontis Gihon ad Occidentem rivi deducebantur, juxta Calmetum, licet juxta Rosenmuller ex uno eodemque fonte Gihon, qui et Siloe appellabatur, duæ istæ piscinæ alebantur.

Obturabant igitur cives Hierosolymitani omnes meatus et aqueductus, per quos piscina inferior ad varios usus extra urbem late se effundebat.

Tempore quo Christiani milites, bello pro Terræ sanctæ liberatione suscepto, Hierosolymam expugnarunt; Mahometani ad defensionem urbis, iisdem mediis usi sunt quæ contra regem Assyriorum Judæi moliti erant. (Guénée, IV, *Mémoire sur la Judée*.)

(4) «Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinæ veteris.» Sensus est, recte observante Vitringa, Hiskiam regem (a) fontem Gihonis sive Siloami (Rosenmuller unum eundemque putat), qui erat extra urbem proxime occidentum tractum montis Sion, ex cujus radicibus scaturiebat, circumdedisse muro, qui utrinque muro Sionis jungeretur, et inter duos muros fecisse magnam scrobem, in quam derivaret aquas *piscinæ veteris*, hoc est, regię, ne hostibus Assyriis in usum prodesset, et, ut haberet fons quo se exoneraret, obturatis ejus profluvii versus veterem illam piscinam; vel regem per canales subterraneos aquas fontis Siloe duxisse in ipsam urbem superiorem, excisa ibi piscina in usum harum aquarum, quæ tegetetur a duobus muris, exteriori et interiori. Dubitatur num *piscina vetus* sit eadem quæ antea *piscina inferior* vocatur, an potius *regia*, Salomonis in plaga australi quæ supra, VII, 3, superior vocatur. Posterius om-

(a) De expeditione Sennacherib in hoc capite agi existimat Rosenmuller.

ET NON SUSPEXISTIS AD EUM, QUI FECERAT EAM, — scilicet piscinam, *q. d.* Toti intenti fuistis ad conquirenda humana præsidia, unde potissimum neglexistis : nam ad Deum non suspexistis, qui piscinam, aquam aliaque vitæ subsidia vobis per pios reges David et Ezechiam contulit, et sine quo illa sunt evanida. Ita homines mundani, quasi talpæ terræ et obviis vitæ commodis inhiant, non suspiciunt ad divina et cœlestia, quæ potiora sunt; ideoque evanida et frustranea sunt eorum consilia et conatus.

regis error agnoscitur, qui incidi jussit in busto :

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit : at illa jacent multa et præclara relictæ. »

« Quid aliud (inquit Aristoteles) in vobis, non in regis sepulcro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur. »

14. ET REVELATA EST IN AURIBUS MEIS VOX DOMINI. — Chaldæus, Haymo et Forerius censent *aures* esse Prophetæ; *voce*m, Domini : illudque exigit nostra Versio. Septuaginta tamen, Hugo, Vatablus et Sanchez putant, *aures* esse Dei, *voce*m populi peccantis, *q. d.* Vox Judæorum plena impudentiæ pervenit ad aures meas, qui sum Dominus exercituum.

Vers. 14

SI DIMITTETUR. — Id est, juro quod non dimittetur vobis hæc iniquitas; nam, ut ait S. Hieronymus, « Nihil sic offendit Deum, quam post peccatum erecta cervix, et ex desperatione contemptus. »

Vide hic quam Deus odiat et puniat Epicureos, gulæ et vino deditos. Ita epulantes Philistæos et lætantes capto Samsone, per eum elisis columnis, ruina domus obruit, *Judic. xvi.*

Moral.
quam
Deus puniat
gulam et
comestiones.

Ita Benadad regem Syriæ temulentum maximo licet exercitu stipatum, per pueros principum oppressit, *III Reg. xx.*

Ita Holofernem ebrium per Judith capite truncavit, *Judith xiii.*

Ita diviti Epuloni in flammis sitiendi, ne guttulam aquæ concessit, *Luce xvi.*

Cum Michael III, Imperator, se vino ingurgitare consuevisset, quo tempore ebrius erat absurda multa fieri imperabat; aliis enim aures amputari, aliis nares, aliis caput, quæ fieri Basilius vetabat, non tam aliis quam sibi ipsi metuens. Ut igitur sibi ipsum obstare Michael vidit, contra ipsum tales molitur insidias : cuidam præcepit, ut hastam jaciatur verbo contra feram, sed re contra Basilium, idque plane factum est : nam moriturus qui jussus fuerat id facere, rem confessus fuit. Jecit igitur hic hastam, sed aberravit, atque Basilius servatus est : qui de inferenda nece Michaeli consilio cum aliis communicato, cum denuo Michael vino in cœna obrutus torperet, manuque ductus in cubiculum regiæ, quæ est ad Divi Mamantis, somno profundissimo oppressus in eo jaceret; egressus primum claustra cubiculi Imperatorii confregit, ne fores a cubiculariis claudi possent, deinde cum conjuratis advenit. Iis autem qui ante cubiculum excubabant (qui pauci erant) percussores aditu prohibere conantibus, orto tumultu Imperator experrectus, quidam stricto gladio ambas illi manus resecurit, eoque facto ad cæteros rediit. At Michael cum ex vino titubans, ebrietate impediende fugere non posset, miserabiliter ejulans jacebat : in quem alius quidam ex Basilianis adhuc eum vivere conspicatus insiliit, enseque in ejus pectus adegit, ut ventre etiam trajecto intestina

Vers. 12.

12. ET VOCABIT, — *q. d.* Deus, imminente Chaldæo per Jeremiam et alios Prophetas, excitabit ad lamenta, et ad pœnitentiam in sacco et cinere agendam; sed illi non tam desperantes de liberatione, quam eorum oraculis increduli eos contemnent, ac gulæ et luxui se dedit, occidendo et comedendo vitulos, ac bibendo vinum, dicentes : « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. » Similis vesania est voluptariorum et Epicureorum, qui putant animam cum corpore interire, unde præsentibus tantum captant voluptates, quas graphice describit Sapiens, cap. II, vers. 6, nimirum :

Sic vivunt homines tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Citat hunc locum Apostolus, *I Cor. xv, 32*, indeque probat resurrectionem mortuorum, ut ibi dixi. Vide hic quo gula hominem deducat : ut enim libere voluptatibus indulgeat, tollatque metum futuræ vindictæ et gehennæ, persuadet ei ipsum habere animam mortalem, instar bruti et porci. Inde persuadet ei Deum hominis non habere curam, aut certe non magis quam porci, nec magis gulosum puniturum quam porcum. Tollit ergo homini numen numinisque metum; tollit Dei providentiam, judicium et vindictam; tollit denique Deum et divinitatem e mundo. Nam, ut ait Cicero, si tollis e mundo numen et providentiam, tollis et Deum. Quis enim sit Deus homini metuendus aut colendus, qui res ejus non curat, qui nullam ejus habet providentiam? Ita gula ducit in atheismum omniaque scelera.

Idem fuit sensus, eadem vox Sardanapali, qui moriens hoc condidit epitaphium : « Ede, bibe, lude : post mortem nulla voluptas. » De quo Cicero, *Tusculan. V* : « Quomodo, inquit, jucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ

nino est probabilis, non tantum ideo, quia si Propheta hic de eadem loqueretur piscina, non credibile est, nomine diverso eam appellasse, verum et quod ratio illud manifeste postulat. Cum enim extra urbem duæ fuerunt piscine majores, quæ hostibus usui esse possent, quasque prudentiæ erat intercipere, ne in eorum venirent potestatem, ordo narrationis exigebat ut postquam dixisset Propheta, quomodo cives interverterint usum piscine inferioris, moneret etiam quomodo curarent superiorem sive regiæ. Cæterum hic locus multum lucis capit e narratione, *II Chron. xxxii* et seq. (Rosenmuller). Vide etiam quæ fecit Manasses, *II Chron. xxxiii, 14*.

elaberentur. Ita Curopalates et Zonaras, ac Baronius tom. X, anno 867.

Zeno, Imperator Orientis, gulæ et ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus a mortuo nihil differret. Cum vero ipse conjugii Ariadnæ invisus esset, sic inebriatus, pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa coniectus est lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito : factusque sobrius inter lamentationes et ejulatus, misera et horrenda morte ibi extinctus est, cum Ariadne prohiberet ne quis monumentum aperiret, aut illum extraheret. Ita Zonaras, tom. III *Annal.*

Phocas Imperator cum, eo die quo ludi equestres peragebantur, in edendo et bibendo modum excessisset, a plebe per ignominiam verbis hujusmodi notatus est : « Rursus e caneo (poculi genus est, a sono quem edit effluente vino simul et aere) bibisti, rursus mentem amisisti. » Ob id convitium complures morte mulctavit. Itaque cum viderent proceres ac magistratus reipublicæ magnam hominum multitudinem multis malis affici, bona per publicationem adimi, capita præcidi, ad Africæ prætorem Heraclium litteras mittunt : qui precibus eorum motus continuo classem parat, et contra Phocam proficiscitur, adferens secum illam imaginem Christi quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca superato Photinus quidam unus ex magnatum numero, cujus uxoris pudicitia Phocas antea struxerat insidias ; subito in palatium irrupit, et Phocam Imperatorem nulla veste indutum, mox ad Heraclium deducit, qui cum Phocam verbis hisce compelleret : « Itane, miser, rempublicam administrasti ? » respondit Phocas : « Tibi vero per me licet, ut rectius eam geras. » Hinc ei recta manus et pedes amputati, cutis dorso detracta, exsecta verenda et hastæ affixa, caput denique gladio præcisum : reliquus vero corporis truncus in foro quod boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. Ita Michael Glycas, IV part. *Anal. Byzant.*

Anno Domini 912, Alexander Imperator 6 die mensis junii moritur infami exitu ; de eo enim ita Joannes Curopalates : Alexander autem sexta mensis lotus, et pransus vinoque ebrius, post meridiem pila lusurus descendit, exortoque labore quodam in ipsius intestinis, præ cibis quibus se ingurgitaverat atque ebrietate, reversus in palatium, multo e naribus ac pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. Ita Baronius, tom. X, anno 912.

Audi aliud memorabile narrans S. Hieronymum, epist. 3 ad *Vitalem* : « Quædam, inquit, muliercula, cum expositum nutriet infantem, et instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, eubaretque cum ea parvulus, qui usque ad decimum jam pervenerat annum ; accidit ut, plusquam pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscœnis motibus ad coitum duceret in-

fantem. Prima ebrietas alterius noctis et cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Necdum menses duo fuerant evoluti, et ecce feminæ uterus intumuit. Quid plura ? dispensatione Dei factum est, ut quæ contra naturam simplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, a naturæ Domino proderetur, impleto sermone quo dicitur : Nihil occultum quod non reveletur. »

Vis recentia nostri ævi ? Horribile est quod refert noster Delrio, tom. II *Disquis. Magic.* lib. III, part. I, *Quæst.* VII, de Monacho quodam in Flандria crapulæ dedito, qui cum finito symposio cæteri Deo gratias agere vellent, dicens dæmoni potius agendas esse gratias, a dæmone arreptus, vivus assatus, et in cineres redactus est.

Simile est quod refert Gabriel Prateolus in *Chron.* anno Domini 1580, de quodam bibone Nekerkovii in Germania, qui murmurans contra Deum, illique præbibens, dicensque : « Tibi, Deus, si melius hoc anno fecisses vinum, melius bibisses, » obriguit, ac immobilis permansit : nec funibus aut equis a magistratu adhibitis extrahi aut loco moveri potuit.

Tertium recenset Michael ab Isselt anno Domini 1595, quod contigit in Baccharach, inter Confluentiam et Moguntiam. Ebriosus quidam uxori gravidæ dæmonem in ventre imprecatus est : peperit illa subito monstrum. Ebriosus domum redit : mox monstrum instar falconis in eum insiliens et sibilans, caudæ suæ implicatum hominem venenosis ictibus pupugit, et occidit.

15. INGREDERE AD EUM QUI HABITAT IN TABERNACULO. — Hebraice est, *ingredere ad סוּחֵן sochen*, quod alii, *apothecarium*; alii, *thesaurarium* vertunt. Noster optime vertit : « Habitantem in tabernaculo ; » nam inde urbes מִסְכְּנוֹת *miskenoth*, vocantur urbes tabernaculorum, *Exodi* 1, 11 ; et Septuaginta vertunt, *vade in pastophorium*, id est in exedram sive cubiculum prope templum in quo morabantur sacerdotes, qui inde pastophori sunt dicti : πᾶσιος enim vel thalamum, vel pallium sacerdotale significat, ut ex S. Hieronymo et aliis dixi III *Reg.* VI, in fine ; erat enim hic Sobna præpositus templi ; habitabat ergo in tabernaculo, id est in pastophorio templi.

Quare nimis licenter et audacter Adamus hic, uti et alibi carpit interpretem nostrum S. Hieronymum, dicens : « S. Hieronymus non consulit litteram, sed sensum adduxit quem præsumpsit. » Expresse enim S. Hieronymus in *Comment.* ait : « Sochen vel tabernaculum interpretantur, vel pastophorion, hoc est thalamus in quo habitat præpositus templi. » Ipse autem, æque ut Septuaginta, Hebrææ linguæ fuit peritissimus.

AD SOBNAM. — Tradunt Hebræi, inquit S. Hieronymus, hunc Sobnam fuisse Pontificem, qui Assyriis et Sennacherib prodiderit Hierosolymam. Sed quia hoc traditionis est Judaicæ, nec ejus Scriptura meminit, imo potius contrarium insinuat, cum dicit Sennacherib ad eum Jerusalem non occu-

passet, ut nec sagittam in eam miserit, cap. xxxvii, vers. 33; hinc potius videtur hic Sobna peccasse arrogantia, et fuisse homo superbus ac tumidus, suisque commodis consulens, populumque calcans, ut patet ex magnifico sepulcro quod sibi construxerat, quodque illi hic objicit Isaias. Unde ei opponit, et successorem designat Eliakim mansuetum et populi amantem, qui, inquit, erit quasi pater populi. Ita S. Hieronymus.

PRÆPOSITUM TEMPLI. — Hebraice, *præpositum domus*, id est templi; hoc enim antonomastice vocatur *domus*, quia est domus Dei. Ita Forerius et alii; unde et habitabat juxta templum in pastophorio. Quare non recte R. Abraham et Vatablus pro *præpositum templi* vertunt, *præpositum domus regiae*, sive aulæ Ezechiae.

Hunc Sobnam fuisse Pontificem patet ex hoc loco, et ex vers. 18 et seq., vel summum, ut volunt S. Hieronymus et Sanchez, quibus favet vers. 21, ubi dicitur: « Induam illum tunica tua, etc., et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, » vel certe unum ex dignioribus sacerdotibus, cui cura templi et ærarii sacri erat commissa. Unde Septuaginta et S. Cyrillus hunc Sobnam vocant quæstorem, et alii thesaurarium; nam non fuisse eum summum Pontificem suaderi videtur ex eo quod vocetur non Pontifex, sed *præpositus templi*, et quia Josephus, X *Antiq.* cap. xi, ubi recenset catalogum summorum Pontificum, non nominat hunc Sobnam. Rursum, quod sub hoc tempus alius fuerit Pontifex, scilicet Azarias, ut patet II *Paral.* xxxi, 13. Adde quod pontificatus a tempore Aaron et Sadoc non sit translatus ad aliam familiam, usque ad tempora Machabæorum. Hic autem officium Sobna dicitur translatum ad Eliakim.

An sit hic idem Sobna cum Sobna scriba, qui fuit præfectus aulæ et œconomus Ezechiae regis, de quo IV *Reg.* cap. xviii, vers. 18, ut idem fuerit præfectus templi et aulæ, incertum est. Asserit Arias Montanus; nam Eliakim idem videtur hic esse qui et ibi; utrobique enim dicitur filius Helciae. Negant alii ex eo quod inconueniens fuisset, æque ac difficile unum eundemque hominem præesse templo et aulæ: nisi dicas cum Sanchez Sobnam hunc, ab Ezechia audiente hoc oraculum Dei, privatam fuisse præpositura templi, quæ ei ab impio Achaz fuerat tradita. Ezechiam vero, ne eum omnino abjicere videretur, eum a templo transtulisse ad aulam, suumque scribam constituisse. Porro Josephus, lib. X *Antiq.* cap. i, Abulensis in lib. IV *Regum*, cap. xviii, *Quæst.* XXXIII, et ex iis Torniiellus anno mundi 3322, censent tam Eliakim, quam Sobnam Isaiæ, diversos esse ab Eliakim et Sobna, de quibus IV *Reg.* xviii, 18, et xix, 1, quia, inquit, hi Isaiæ erant sacerdotes; illi in libris *Regum*, laici. Sobna enim erat scriba; Eliakim erat præpositus domus, nimirum regiae, puta procurator regius, ut ait Josephus (1).

(1) Nil serio obstare videtur quin Sobna in quem hoc

16. QUID TU HIC? — quid facis in templo Dei? o Vers. 16
Sobna, o homo profane! q. d. Ineptus et indignus es hoc loco (2).

AUT QUASI QUIS HIC? — q. d. Qui se putat esse aliquem et magnum, cum nullus sit, putat se esse pastorem et præpositum, ideoque sibi magnificentum excidit sepulcrum quasi æternum sui monumentum, cum sit tantum larva et umbra pastoris, juxta illud *Zachar.* xi, 17: « O pastor et idolum! » ubi est hendyadis, q. d. O pastor! non pastor, sed idolum et simulacrum pastoris, es fictus et pictus pastor (3)!

17. ECCE DOMINUS ASPORTARI TE FACIET. — Tra- Vers. 17.
dunt Hebræi Sobnam, cum videret Sennacherib, expugnata Judæa, imminere Hierosolymæ, transfugisse ad eum cum aliis Judæis; Sennacherib vero, accepta clade ab Angelo, indignatum sævisse in Judæos, et maxime in eorum principem Sobnam, tuncque eum asportatum esse in Niniven, eaque passum quæ hic prædicit Isaias. Ita ipsi.

SICUT ASPORTATUR GALLUS GALLINACEUS, — præsertim castratus, puta capo, ligatis alis et pedibus, ut vendatur in foro; hic enim satis repræsentat miseram sortem Sobnæ et captivorum, qui abducenti erant in Assyriam. Hebraice est גָּבֵר *gaber*, id est *vir*; Vatablus vertit, *heros*, quasi ita vocetur Sobna gloriosus, qui se in magnificentia sepulcri et aliarum rerum heroibus et principibus æquabat. Verum metaphorice *gaber*, id est *vir*, vocatur

oraculum directum est, idem fuerit cum eo qui infra, xxxvi, 3, una cum Eliakimo in Assyriorum castra missus dicitur. Nam in hac hypothese scriba fuit usque ad expeditionem Sennacherib, ut ex IV *Reg.* xviii, 18; xix, 2, et ex Isaiâ constat; exinde in locum Eliacim suffectus est regiae domus præpositus vel templi, juxta S. Hieronymum et alios. Post aliquod vero tempus omnibus dignitatibus spoliatus, in Babylonem ductus est, occisusque jussu Assarhaddonis, ut in vers. seqq. legimus, et Eliacim in pristinam dignitatem restitutus. Eliacim ille videtur esse qui summi Pontificis partes implebat tempore Judith.

(2) Probabile est, Sobnam, cum Propheta eum adiret, fuisse in ipso illo loco ubi sepulcrum sibi condere statuerat, idque splendidum et magnificentum, in vicinia, uti videtur, sepulcrorum regiorum: quare vates eum his verbis alloquitur: *Quid tibi hic, et quis tibi hic?* Quid tibi negotii est in hoc loco, regiis sepulcris honestato, monumentum condere, aut quem tuorum hic repositum demonstras, ut tibi id juris esse evincas?... Tradunt enim Hebræi Sobnam non fuisse ortu Hierosolymitanum, sed exterum, humili loco natum, cui sors vivendi faverit in re dignitateque sua longe supra natalium merita amplificanda.

(Rosenmuller.)

(3) Insigni cura efformari sibi curabat sepulcrum in rupe, quod absque magna opera et sumptu fieri non potuit.... Nam Hebræorum sepulcra, saltem honestiora, quæque familiis principibus patria erant et gentilitia, speluncæ erant amplæ ex nativa rupe, arte manuque excavatæ, laqueari vestudinato, quædam tam spatiosæ, ut columnis suffulcirentur. Multa hujusmodi conditoria etiamnum in Judæa visuntur, duo præ cæteris magnifica, quæ regum habentur sepulcra, alterum in ipsis Hierosolymis cellas habens viginti quatuor; alterum bis totidem continens, in urbis pomærio. Cf. Maundrell. *Itiner.*, pag. 76; Arvieux, *Mémoires*, tom. II *passim*. (Rosenmuller.)

gallus gallinaceus, quia talis est inter gallinas. Sic dicitur « vir gregis ipse caper, » præsertim quia gallus est pugnax, vigil, acer, imperiosus ut vir. Vide Viegas in *Apocal.* II, Com. 1, sect. IX, et Delrio, *adagio* 750, qui contra Forerium exacte idipsum probant.

Apte Sobnam superbum comparat gallo, qui in suo fimeto inter gallinas superbit et cristas attollit; at victus et captus cristas et alas demittit, præsertim cum ligatus in forum vendendus ducitur. Talis enim fuit Sobna; forte etiam notat luxuriam Sobnæ, quod inter pellices quasi gallus inter gallinas versaretur.

ET QUASI AMICTUM SIC SUBLEVABIT TE. — *Amictus*, primo, potest capi adjective, ut idem sit quod vestitus, coopertus, velatus, *q. d.* Et, velato capite, de terra tua levabit te, et abducet te, sicut abduci solent fontes, qui ad mortem damnati velatam habent frontem et oculos: sic enim et captivis facies velabantur, ut patet de Sedecia, *Ezech.* cap. XII, vers. 6 et 12.

Secundo, *amictus* potest capi substantive, ut sit idem quod vestis aut pallium. Unde S. Hieronymus, Haymo, Adamus, Lyranus et alii sic expli- cant, *q. d.* Tam facile, o Sobna! Deus e patria expellet et exportabit te, quam facile quis pallium involutum e terra sublevat et exportat.

Tertio, Sanchez vertit, *vagando vagari te faciet*; *quarto*, Syrus vertit, *obliviscens obliviscetur tui*; et Arabicus, *delendo delebitur nomen tuum, et memoria tui*, qui voluisti eam æternare.

Vers. 18. 18. CORONANS CORONABIT TE TRIBULATIONE. — Chaldæus, *auferet a te tiaram, et circumdabunt te inimici quasi murum*; Septuaginta, *auferet stolam et coronam tuam gloriosam, q. d.* Pro corona et tiara pontificali coronabit, id est undique te cinget, tribulatione et ignominia.

Secundo, Vatablus et Forerius vertunt, *circumligando circumligabit te fascia, velut trochum in terram spatiosam projiciet te, q. d.* O Sobna! qui vestiebaris diademate, id est fascia byssina, nunc te quasi fasciam gyrabit, ut quasi globus aut pila facile ab Assysiis gyrari, et in quamvis partem aut regionem versari et rotari possit, nec ullo loco certus fixusque consistas; unde sequitur:

QUASI PILAM MITTET TE IN TERRAM LATAM, — *q. d.* Dabit tibi formam pilæ, quæ facile volvitur per agrum latum, et longius jacitur; instar enim pilæ te conjiciam in longinquam Assyriam in exilium. Pro *pila* Vatablus, *trochum*; alii, *globum* vertunt. Hebræum enim גורגור *dur* significat omne rotundum et revolubile.

Notat Lyranus pilam a ludentibus de manu in manum mitti; alii, solere etiam longissime et facillime projici. Addit Arias pilam non retineri, sed reperi, et id maxime conari ludentes ne aspiciam conquiescat: sic indicatur Sobnæ magna peregrinatio, facilis expulsio, longinquum exsilium, jugis vagatio, et perpetua quædam instabilitas atque vexatio.

Moraliter, pila significat vitam hominum volubilem, et jugibus mutationibus obnoxiam. Rursum hominem quasi pilam a Deo huc illucque jactari. Vere Satyricus: « Etenim dii nos quasi pilas habent, » imo totus mundus est quasi pila in manu Dei, qua « ludit in humanis divina potentia rebus. » Nonne pila ludit, quando coronas, sceptras, tiaras, imperia modo in hanc, modo in illam partem jacit? quando tyrannos potentissimos de solio deturbat, et agasones ac subulcos de pulvere suscitans evehit ad monarchias? Quid pilam dico? transire facit Deus regna « quasi spumam super faciem terræ, » *Osee*, cap. x, 7; et, ut ait Philo, lib. *De Immutabilitate Dei*, res humanæ, adeoque florentissima imperia tantum sunt umbra, auraque levissima, et ultro citroque tanquam maris æstuaria commeant. Ita Zeno Imperator, imperio dejectus, dixit: « Ludibrium Dei est homo. » Vide Delrio, *adagio* 732.

IBI (in terra lata, puta in Assyria, non in tuo espulcro, quod tibi splendidum excidisti) MORIERIS, ET IBI ERIT CURRUS GLORIÆ TUÆ, IGNOMINIA DOMUS DOMINI TUI, — subaudi *ibi erit*, et omnibus patebit; vel repete *moriatur*, *q. d.* Ignominia templi, ei per te inducta, te abducto morietur, et gloria ejus pristina resurget. Pontifices enim probi sunt decus, improbi sunt dedecus templi. Quocirca Episcopus sibi dictum existimet illud Piil, Pontificis, qui martyr occubuit anno Christi 167, epist. *ad Justum Episcopum Viennensem*: « Plebs universa tua sanctitate protegatur. » Vatablus et alii vertunt, *ibi erit currus gloriæ tuæ, o* (Sobna, qui es), *ignominia, dedecus et probrum domus Domini tui.*

20. ET ERIT IN DIE ILLA: VOCABO SERVUM MEUM Vers. 20. ELIAKIM, — *q. d.* In præpositura templi arroganti Sobnæ substituam humilem et pium Eliakim. Quando id factum, incertum est. Probabile est quod ait Sanchez, hoc factum esse ante adventum Sennacherib; nam, eo adveniente, misit ad eum Ezechias Eliakim præpositum domus (templi) et Sobnam scribam. Eratergo jam tunc Eliakim præpositus templi loco Solnæ. Probabiliter quoque Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XII, censet hunc Eliakim esse illum qui tempore Judith obiit Judæam, omnesque excitavit ad pugnandum contra Holofernem; ipse enim ab omnibus, etiam a Manasse rege jam e captivitate reduce, ideoque pœnitente et pio, colebatur quasi pater. Favet ratio temporis; nam Manasses successit in regno patri Ezechiae, sub quo gesta sunt ea quæ hic de Eliakim habet Isaias. Unde sequitur victoriam Judith de Holoferne contigisse sub Manasse, post ejus captivitatem et pœnitentiam. Sic et Serarius in *Judith*, cap. IV, Quæst. I. Hinc rursum aliqui censent hoc capite agi de clade et captivitate Judææ tempore Manassis, quando ipse cum aliis vinctus ductus est in Babylonem. Tunc enim pariter eum eo abductus est Sobna pontifex, et suffectus ei Eliakim.

Allegorice, veteri sacerdotio et pontificatu labente successit novum per Christum, qui est Eliakim, id est Deus resurgens. Ita S. Hieronymus et S. Cyrillus.

Vers. 22. 22. ET DABO CLAVEM DOMUS DAVID SUPER HUMERUM EJUS. — *Primo*, Arias et Pradus in *Ezech.* xvii, 23, sic exponunt, *q. d.* Præficiam eum domui regiæ. Verum domus David æque ac Salomonis vocatur templum, quia ædificatum erat sumptibus a Davide præparatis in Sion, quæ erat civitas et domus David. Rursum, fieri potest ut Ezechias rex pius, videns sanctitatem Eliakim pontificis, eum coluerit ut patrem, domuique regiæ pariter præfecerit. Sensus est ergo, *q. d.* Dabo Eliakim pontificatum et summam potestatem in templo. Hujus enim symbolum est clavis; qui enim habet clavem domus, potest pro libito eam aperire et claudere, egredi et ingredi, admittere et excludere quos vult. Hinc regibus, dum possessionem urbium capiunt, dantur claves earum, hocque symbolo earum fiunt domini. Ita S. Hieronymus. Rursum, clavis notat industriam, dexteritatem et sapientiam regendi, quæ debet esse in Pontifice et Principe; nam clavis dextere seræ imponi, aptari et circumagi debet, ut ostium aperiatur. Sic ars artium est regimen animarum, ait S. Gregorius.

Allegorice, Eliakim est Christus, cui hisce Isaïæ verbis pontificiam simul et regalem dignitatem a Patre dari censent Cyrillus et Theodoretus. Imo Castrius dicit ad litteram hæc accipi de Christo, sed non recte. Quocirca huc allegorice alludens S. Joannes, *Apocalypsis* iii, 7, de Christo ait: « Qui habet clavem David... aperit, et nemo claudit. » Has Pontificis claves Christus Petro se resignaturum promisit, *Matth.* xvi, 19: « Tibi dabo claves regni cælorum. » Origo ergo clavium Ecclesiæ, Christi Domini et S. Petri est in hisce clavibus Synagogæ et Eliakim: sic passim alia novi Testamenti alludunt et petita sunt ex veteri.

SUPER HUMERUM EJUS. — Transit de more Scriptura a metaphora clavis ad metaphoram sceptri seu virgæ; clavis enim non humeris, sed manu gestatur; sceptrum vero humeris, *q. d.* Eliakim dabo sceptrum et virgam sive pedum pastorale, quod humero gestat pastor, dum oves pabulatum educit. Ita aliqui. Verum huic expositioni obstant præcedentia et sequentia. Sic enim dicitur: « Dabo clavem (non sceptrum) domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudit, » etc.

Secundo ergo aptius, Forerius: Claves, inquit, magnas, quales sunt urbium, solent clavicularii super humerum ferre, perinde ac virgas lictores in humero præferunt iudicibus, et sceptrum regi-

Allegorice Procopius: Clavis, inquit, hæc Christi est crux, quam ipse humero gestavit. Unde de eo dictum est, cap. ix, vers. 6: « Et factus est principatus super humerum ejus. » Christus enim sua cruce et passione promeruit, ut hæc univer-

salis imperii Ecclesiæ potestas ei daretur; unde crux fuit ei quasi clavis, qua ille cælum aperuit, et velut instrumentum omnipotentis Christi, quod est clavis ejus regia, qua omnes res ab eo claudi et aperiri possunt: qua in re alluditur ad claves optimas ferreas, quæ in crucis figuram ferratæ conspiciuntur, inquit Alcazar in *Apocal.* iii, 7.

ET APERIET, — *q. d.* Quidquid faciet, statuet et sanciet Eliakim, et allegorice Christus; hoc ratum erit, et nemo erit qui infringat. Notat hanc clavem, id est summam potestatem unam esse; ubi enim plures sunt, jam clavis esse desinit; siquidem non certus est is qui claudit ostium, neminem id mox reseraturum: ut ergo de eo certus et securus sit, solus habeat clavem necesse est. Hic ergo est origo pontificatus et monarchiæ Ecclesiasticæ.

23. ET FIGAM ILLUM PAXILLUM IN LOCO FIDELI. — *Vers. 23.* Potestatem pontificiam significavit per claves; nunc eam significat per paxillum, hebraice קֶרֶבֶת *ia-ted*, id est clavum, sive ferreum, sive ligneum, ex quo crateres et vasa quælibet, et instrumenta musica ac culinaria, omnisque supellex suspenditur, *Ezechiel.* xv, 3, *q. d.* Ita ego efficiam, ut ex Eliakim pendeant summi, medii, infimi, ac præsertim cantores et musici templi, totaque Ecclesia et Respublica (1).

Quare non recte aliqui putant comparari hic Pontificem paxillo, id est ligno præalto ac firino, quod totum papilionis pondus per vela et funes, quasi columen et statumen sustinet.

IN LOCO FIDELI, — id est in pariete forti et firmo, ex quo excidere aut evelli nequeat. Hebraice enim בְּסֵפֶד *neeman* significat fidelem, stabilem, firmum. Notat Eliakim non excisurum pontificatu sicut excidit Sobna, sed sortem et gradum ejus fore stabilem.

ET ERIT IN SOLIUM GLORIÆ DOMUI PATRIS EJUS. — *q. d.* Eliakim paternam familiam reddet nobilissimam et splendidissimam suo solio et dignitate pontificali.

24. VASORUM DIVERSA GENERA. — *Persistit Inter-* *Vers. 24.*

(1) Cum clavorum sive paxillorum geminussit usus, vel, ut supellectilia, quæ ad ornatum aut usum domus pertinent ab eis suspendantur, vel ut tabulis, asseribus trabibus compingendis inserviant, utrique metaphoricè transferatur ad principes et primariæ dignitatis viros, qui certo loco positi alios inferiores sustinent, aut rempublicam sua prudentia muniunt firmantque. (Rosenmuller.)

Cum antiquiori ævo, et præsertim in Oriente supellex domestica erat curta, nec domus his arcibus instructæ erant quibus nunc res majoris pretii includimus; in parietibus ingentes clavi vel ferrei vel lignei figebantur quibus appendebant arma, utensilia, variaque instrumenta et ornamenta quæ quisque possidebat. Cum pleræque domus ex lateribus vel ex terra humefacta seu humo constructæ erant, hi clavi immittebantur simul atque muri extruebantur. Deinde in crassitudine muri cum calce et arena solidabantur, ut maxima pondera quæ his affigebantur sustollere possint. Sic hodie adhuc in castellorum turriculis videre est antiqua arma ad paxillum in muro defixum suspensa. (Lowht et Samuel Burder.)

Clavis symbolum prælaturæ, cur?

Origo clavium S. Petri.

pres in metaphora paxilli : hebraice est **צ'N'N'N'** *tseetsaim*, quod Symmachus, inquit S. Hieronymus, vertit, *nepotes*; Vatablus, *stirpes et posteri*, vel *fili et filia*; alii, *progeniem et propagines*. Radix enim **צ'** *iatsa* significat egredi, et propagari ab aliquo. Unde Vatablus hunc versum ita vertit, *et pendebunt ab eo (Eliakim) omnis gloria patris ipsius, stirpes et posteri*.

Mystice, Hieronymus Prado in *Ezechielem*, p. 227: A paxillo, inquit, id est ab Eliakim, id est a Deo sustentante pendent omnia vasa musicorum, id est omnes justii, qui laudibus assiduis Deo ipsi solatio sunt : et crateres, id est ii qui temporalibus ministeriis et curis impenduntur. Vel vasa musica sunt Angeli, quorum proprium munus est laudes Deo canere, crateres sunt homines sancti, qui corporis necessitatibus inviti serviunt.

Vers. 25. 25. AUFERETUR PAXILLUS (Sobna), QUI FIXUS FUERAT IN LOCO FIDELI, — scilicet in loco qui fidelis et firmus Sobnæ videbatur, revera autem erat infidelis et infirmus; nam eo excidit. Ita Vatablus. Unde, eo cadente, ceciderunt et vasa, id est filii, amici, et quotquot ex eo pendebant.

Aliter S. Hieronymus, S. Thomas, et Haymo : Auferetur, inquit, paxillus, id est pontificatus Judæorum in captivitate Babylonica. Verum *paxillum* hic passim vocat non pontificatum, sed Sobnam, qui eo excidit; vel Eliakim, qui in Babylonem non est ductus, sed ante eam cladem mortuus; unde firmus fuit ad mortem usque pontifex.

Morale, malis Clericis boni surrogandi. Moraliter, discant hic Pontifices exemplo Dei, Sobnæ indigno surrogantis dignum Eliakim, scandalosis Clericis et Pastoribus substituere pios et probos, qui plebem verbo et exemplo ædificent.

Ita fecit S. Dunstanus : audi auctorem Vitæ ejus : Tempore Ottonis Imperatoris hoc nomine secundi sub annum regni ejus octavum, circa annum Redemptoris 970, ordo clericalis plurimum erat corruptus, et carnis voluptatibus plus æquo deditus. Quod nolum S. Dunstanus Cantuariensis Episcopus corrigere cupiens, auctoritate Joannis Apostolicæ Sedis Antistitis apud regem obtinuit, quatenus Canonici qui caste vivere nollent, Ecclesiis quas tenebant depellerentur; et monachi loco eorum intromitterentur. Cum vero Clerici adversus S. Dunstanum reclamarent, Calnæ Synodus constituitur : ubi cum in cœnaculo, absente rege, propter imbecillam ætatem, considentibus totius

regni senatoribus, magno conflictu hinc inde allegantium res ageretur, et Dunstanum quasi Ecclesiæ murum multorum jacula conviciorum impeterent, nec vincerent; solarium subito totum quo considebant, cum axibus dissolvitur et trabis, omnibusque interim truculenter elisis, solus Dunstanus stans super unam, quæ superstes erat, trabem absque læsione evasit. Cæterum omnes partis adversæ, vel exanimati sunt, vel langore perpetuo sunt detenti. Hoc miraculum contulit pacem beato Dunstano, et monachis ab impetu Clericorum et aliorum, gratia hæc et similia operante divina. Ita habet *Vita S. Dunstani*, ex qua accipe aliud verbis auctoris.

Eadem tempestate præsidebat Wentanæ Ecclesiæ Ethelwoldus, vir eximie sanctitatis, et educatione Patris Dunstani insignis. Hic, re cognita de Canonicis Ecclesiæ suæ, quod nimium sæculares existebant, voluntate Dunstani monuit eos semel et sæpius mores et actus mutare, correctioris vitæ semitas, relictis feminis, arripere. Hi ipsi in præsentiarum quidem id sibi possibile esse negantes, voce corvina, semper in crastinum correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus non diu sustinuit. Paratis itaque quam plurimis monachorum cucullis, die quo Communio : « Servite Domino in timore, » cantabatur; chorum intravit, vestes quas paraverat secum deferri faciens; et projectis illis in medium, Canonicis ait : « Animadvertistis quid modo cantaveritis? » Animadvertimus, inquiunt : « Igitur, inquit, si servire Domino in timore, et ei vultis exsultare cum tremore, apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachalem, ne pereatis (sicut cantastis) de via justa. » Ad quod illi obstupefacti, more solito, inducias petunt, id se facturos in futuro promittunt. Tunc ille : « Mihi credite, amplius non credam huic vestræ responsioni corvinæ; sed aut disciplinam in præsentia apprehendetis, aut loci istius beneficiis et conversationi hinc eliminati jamjam cedetis. » Itaque nonnulli ex istis statim abjecto clericali habitu, monachi facti sunt, cæteris in verbo Pontificis de Ecclesia eliminatis. Cæterum, quia isti qui noviter fuere conversi, regularis disciplinæ normam sine aliorum magisterio docente servare nequibant; monachi de Aberdonia illuc ab eodem Pontifice adducti sunt, qui monasticæ institutionis tramitem ibi docerent.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium Tyri per Nabuchodonosorem, eo quod Tyri hostes Judæorum in expugnatione Hierosolymæ gavisî sint : Tyri ergo cladem ex pristina ejus gloria et opibus describit. Secundo, vers. 15, Tyrum post 70 annos restaurandam, et ad pristinas merces et opes redituram prædicit. Porro Alcazar, Apocal. xx, vers. 1, notat. 4, per Tyrum accipit, Romam Ethnicam, quasi hic ejus et gentilismi excidium, per conversionem ad Christum, describatur. Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum (1).

1. Onus Tyri. Ululate, naves maris : quia vastata est domus, unde venire consueverant : de terra Cethim revelatum est eis. 2. Tacete qui habitatis in insula : negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te. 3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus : et facta est negotiatio gentium. 4. Erubescite, Sidon : ait enim mare, fortitudo maris, dicens : Non parturivi, et non peperivi, et non enutrivivi juvenes, nec ad incrementum perduxivi virgines. 5. Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tyro : 6. Transite maria, ululate qui habitatis in insula : 7. Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. 8. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. 10. Transi terram tuam quasi flumen, filia maris; non est cingulum ultra tibi. 11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna : Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes ejus; 12. et dixit : Non adjicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis : in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. 13. Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit, Assur fundavit eam : in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam. 14. Ululate, naves maris, quia devastata est fortitudo vestra. 15. Et erit in die illa : In oblivione eris, o Tyre! septuaginta annis, sicut dies regis unius : post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. 16. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. 17. Et erit post septuaginta annos : Visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas; et rursus fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ. 18. Et erunt negotiationes ejus, et mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur, neque reponentur : quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.

1. ONUS TYRI.—Nota : Tyrus hebraice et syriace dicitur צור *tsor* (unde *Tor*, unde *Tyrus*), quasi dicas munita, vel arcta, aut rupea, quia in rupe

est sita. Gellio et aliis *Sarra*, hodie *Suri* vocatur. Phœnicæ est metropolis, domina maris, totiusque orbis ob loci opportunitatem emporium; ma-

(1) Vaticinium istud de Tyro ab Isaia editum est, 130 circiter annis antequam adimpleretur per eversionem Tyri a Nabuchodonosore, 48 vel 49 annis post initium captivitatis Judæorum. Nam in Ezechiele legimus, Deum idcirco contra Tyrum iratum fuisse, quia de Jerusalem eversione lætata est dicens : « Euge, confractæ sunt portæ populi, » cap. xxvi, 2. Porro per tredecim annos Nabuchodonosor hanc urbem expugnavit, juxta plerosque interpretes. Ergo finis captivitatis et calamitatis Tyrionum non nisi triginta annis post Judæorum liberationem eve it,

non sub Cyro, qui decem tantum annis in Babylone regebat, sed sub Dario Hystaspis filio.

Primo, describit Isaia et ad vivum depingit, *primo*, vastitatem urbis, et cessationem navalis commercii cum Sidoniis et Ægyptiis, 1-3; *secundo*, horum sive pudorem sive dolorem de Tyri conditione, 4, 5; *tertio*, Tyrionum migrationem ad sedes peregrinas, 6, 7.

Secundo, tantæ calamitatis causas, executionem, instrumenta et durationem declarat, scilicet Dei judicium ipsiusque voluntas, *primo*, superbiam urbis ad inexpect-

vigatione, et consequenter opibus, luxu et vitiis in sacris æque ac profanis historiis celeberrima. Ad quod juvit non parum, quod Tyrii ex rubro marinorum incisorum muricum sive conchiliarum succo, qui et *ostrum* dicitur, purpurant pannos. Unde hic color purpura Tyria et Sarrana dicitur, quæ regum et principum est vestis; hinc Virgilius: « Tyrioque ardebat murice lana. » Idem: « Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro. » Hinc flandrice pannus hic *scharlaken*, quasi *scarlaken* dicitur.

Tyri opes
et luxus.

Secundo, Tyrus olim quatuor stadiis distabat a continenti, juxta Q. Curtium, libro IV in *Vita Alexandri*; juxta S. Hieronymum autem et Plinium, libro V, cap. XIX, 700 passibus. Unde Ezechiel ait eam sitam in corde, id est in medio maris. Sed audi Plinium: « Tyrus quondam insula præalto mari septingentis passibus divisa; nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim partu clara urbibus genitis, Lepti, Utica, et illa Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchilio atque purpura constat. Circuitus novemdecim millium passuum est, intra Palætyro inclusa. Oppidum ipsum viginti duo stadia obtinet. Inde Euhadra, Sarepta et Ornithon oppida; et Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens. »

Hinc *tertio*, ita Tyrus florebat, ut ei Venetiæ, Parisii, Antuerpia comparari non possint, adeo ut, si Tyri negotiationem spectes, mundi totius forum fuerit; si munitionem, arx magis dicenda sit quam urbs; si magnificentiam et gloriam, regina fuerit urbium. Unde hic, vers. 8, dicitur coronata; et Ezechiel, cap. XXVIII, vers. 14, regem ejus Angeli Cherubini comparat gloriæ et superbæ, consequenter et cladi ac pœnæ. Si opes, fastum et luxum spectes, orbis potius quam urbs videbatur. Adeo ut S. Hieronymus, vers. 8, de Tyro dici aiat, quod legatus Pyrrhi de Roma dixit: « Vidi civitatem regum, » quot vidi Romæ in curia senatores, tot vidi reges. Denique, si antiquitatem quæras, docent Annales et Berosus Tyrum, paulo post diluvium, initium et nomen sumpsisse a Tyras, qui septimus fuit filiorum Japhet; unde hic, vers. 7, dicitur gloriata in sua antiquitate. Ita Guillelmus Tyrius, lib. XIII *Belli sacri*, cap. I.

Quarto, ob hanc superbiam et luxum *primo*

tatam ignominiam detrahentis, 8, 9; *secundo*, Tyro divitiis, viribus et honoribus exutæ, nec per colonias suas quietem assequi permittentis, 10-12; *tertio*, Chaldæis ad servitutem incolis et ruinam ædibus ejus inferendam utentis, 13; *quarto*, in oblivione Tyrum per septuaginta annos relinquentis, 15, 16.

Tertio, sortis vicissitudinem definit erga Tyrum, cujus *primo*, sequente tamen hos annos tempore, commercium reflorescere videbit, 17; et quæ *secundo*, posterioribus tandem annis, Dei veri cultum amplectendo, nobiliorem per Christum fortunam adipiscetur, 18.

eam obsedit mari Salmanasar; sed frustra, teste Josepho, IX *Antiq.* xv; *secundo*, Nabuchodonosor, post excidium Jerusalem, tredecim annis eam obsedit et vastavit, adeo ut piscatores ibi retia et sagenas suas siccarent, ait Ezechiel; quia enim in mari erat longius a terra sita, hinc jussit infinitam exercitus multitudinem saxa et aggeres comportare, et fretum hoc implere; ut ex continenti oppugnari posset, et sic ex insula fecit peninsulam: qui tantus fuit labor, ut Ezechiel omne gestantium lapides et cophinos terræ caput decalvatum, et omnes humeros militum depilatos dicat; ideoque Deum, cujus vindictæ servierunt, eis pro quali mercede, id est pro liberali dono, dedisse Ægypti spolia et opes. Simili modo rursum post 250 annos vastata est ab Alexandro Magno, teste Curtio, lib. IV. Vide Guillelmum Tyrium et Adrichomium in *Tyro*.

Mystice, S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XXVIII: Nabuchodonosor est diabolus; Tyrus est anima superba et luxu diffluens, quam arctat, angustat, interficit dæmon. Rursum, S. Bernardus, serm. 10, *De Onere Tyri*: « Tyri, ait, nomen angustia interpretatur: cujus onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentia, in corporali ægritudine. Quid enim? Nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, vel disciplinæ regularis observatione? Quidni labor et continentia? quid laboriosius, quid difficilior, quid periculosius servatur? quid facilius amittitur? Et est alia quædam cordis angustia, quam facit amor sui; cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei et proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit. Qui igitur amat propriam voluntatem, oneri illi est voluntas aliena: et ideo quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum. Ad omnia quæ sibi voluntas propria suggerit, promptus; ad ea quæ sibi injunguntur, piger et tardus. De talibus dicit Apostolus: Erunt homines seipsos amantes. Qui profecto pondus pœnæ quod in onere Tyri scribitur, non evadent. »

NAVES MARIS. — Hebraice *naves Tharsis*, id est maris, vide dicta cap. XXII. Septuaginta vertunt, *naves Carthaginiis*, quia Carthago fuit colonia Tyriorum, et navibus in mari abundabat, quibus cum Tyro aliisque magna exercebat mercimonia (1). Hinc Virgilius, I *Æneid.*:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenere coloni,
Carthago.

VASTATA EST DOMUS, — urbs Tyri cum suis do-

(1) Noster vates Tyri vastationem non directe, sed oblique et figurate describit, et quidem per apostrophas conversas ad illos quos Tyri calamitas proxime feriret. Prima apostrophe dirigitur ad nautas Tyrios et Gaditanos, quorum a Tyro maxime pendeat salus et prosperitas. Hi jubentur amare lugere et deplorare luctuosum urbis casum, quem Propheta ait illos, dum in portibus Bœticæ hærent, ex insulis vicinis accepturos. (Rosenmuller.)

Quid vero per *naves Tharsis* (nam sic Hebræum verti

mibus, vel vastatæ sunt domus urbis Tyri. Hebraice ad verbum est, *vastata est* (Tyrus) *a domo*, id est funditus, ita ut ne una quidem domus su-

debet) intelligendum sit? Alii intelligunt naves Tyrias, quæ negotiationis causa Tartessum in Hispania Bœtica, a Tyriis mittebantur; ille enim Hispaniæ tractus frequens colebatur, navigatione inter eum et Tyrum navibus majoribus commercii causa ultro citroque instituta, ubi Tyrii templum habebant Herculis sui, eodem cultu quo apud se honestati, et juxta illos Tartessus urbs in ipsa fuit, in insula interamnica quam duo Bœtis (hodie *Guadalquivir*, id est *fluvius magnus*) alvei in mare se exonerantes efficiunt; sed nomen latius est sumptum, et non Bœticæ tantum, verum et Hispaniæ toti impositum. (Bochartus in *Geograph. sacr.* lib. III, cap. vii; Michælis in *Spicileg. Geograph. Hebræor.* tom. I, pag. 82.) Alii vero asserunt *Tharsim* esse regionem quamdam *Æthiopiæ* seu *Abyssiniæ*, fortasse insulam aliquam in sinu Arabico ad littus *Æthiopiæ* sitam (Henslerus in *Animadvers. ad Isaiam*.) Alii esse Tarsum Ciliciæ urbem dicunt (Hartmann; Volney, *Recherches nouvelles sur l'Histoire ancienne*, tom. I, pag. 271 et seqq.). Alii tandem naves Tharsis non proprie naves Tartessenses significari putant, sed exemplo pro toto genere posito, naves quasvis longinquam exercentes mercaturam, ut supra, II, 16; *Psal.* XLVIII, 8, quemadmodum Horatio *Od.* lib. I, 4, *trabs Cypria*, I, 35, *trabs Bithyna*, quin et ipsa *Hispana navis* Hebraice fere ratione ab eodem, III, 6, jam pro quavis nave mercatoria ponitur. Unde verba Prophetæ vertunt, *ululate, naves quæcumque mercatoriæ*. Qua versione omnem phrasos poeticæ elegantiam perire quis non sentiat? inquit Rosenmuller. Dicit naves Tharsis naves Tyrias, et quidem majores navigationi in Tartessum destinatas, patet ex I *Reg.* x, 22, ubi Salomon in mari habuisse dicitur *naves Tharsis*, id est Tharsim navigare solitas. Cæterum, ad intelligentiam sententiæ pertinet observasse, naves has Tyrias a Propheta spectari tanquam quæ hoc tempore hærerent in portu Gaditano aut Tartessio, ut ex his quæ mox sequentur patebit. (*Abbreviat.* ex Rosenmuller.)

Vaticinium de eversione Tyri per Chaldæos, *Isai.* XXIII, ætatem suam, vers. 13, innuit, ubi dicitur Chaldæos esse populum recentem, qui ab Assyriis (itaque id temporis prævalentibus) assignatas ad Euphratem sedes obtinuerit; nam cum Habacuc, qui sub Manasse vixit, Chaldæos quoque novum esse populum, asserat, qui sedes alienas sibi vindicare studeat, liquet vaticinium *Isai.* XXIII, ab ætate Habacuc non posse valde distare. Incertum quidem est, an Isaias usque in ætatem Manassis vixerit: ast cum Chaldæi longiori profecto temporis spatio ex suis, ad orientales et septentrionales Armeniæ partes sitis sedibus, sæpius in meridionales plagas irruerint, dubio procul jam ultimis Ezechiiæ annis has incursiones inchoarunt, cum regnum Assyriorum clade Sancheribi et internis tumultibus, qui subsequuti sunt, debilitatum esset, quo ad hujusmodi expeditiones alliciebantur.

Sine sufficiente ratione quoque asseritur, commemoratos *Isaiæ* XXIII, 10, annos 70 esse numerum propheticum, *Jerem.* XXV, 11, 12; XXIX, 10, depromptum, adeoque vaticinium Jeremia recentius esse; nam si alteruter ab altero hunc annorum numerum mutuatus fuisset, potius dicendum esset Jeremiam, quem constat quæpiam ex antiquioribus prophetis delibasse, ex hoc vaticinio *Isaiæ*, quam auctorem hujus vaticinii, qui sibi solus constat, ex Jeremia hausisse. Accedit, temporis definitiones *Isaiæ* peculiare esse. Nec difficultatem creat longinquitas eventus prædicti; nam et Amos, ante Isaiam, Tyro excidium denuntiavit. Chaldaismi, *Isai.* XXIII, 11, disparent, si diverso punctandi modo ille sensus adducatur: *Ad perdendos debilitatos vel expulsos ejus.* (Jahn.)

persit, et a veniente, ut scilicet nullus mercator deinceps ad eam veniat, quod Noster vertit, « unde venire consueverant, » scilicet mercator et naves, quibus proinde dixit, « ululate. » Ita Forerius, Vatablus, Pagninus et alii.

DE TERRA CETHIM REVELATUM EST EIS. — *Primo*, aliqui hæc accipiunt de excidio Tyri per Alexandrum Magnum peracto, *q. d.* Tyrii primum bellum rumorem acceperunt ex Cethim, id est ex Græcia: ibi enim bellum contra eos comparavit Alexander.

Secundo et melius, alii accipiunt hæc de excidio Tyri per Nabuchodonosorem: hoc enim prius fuit excidio Alexandri, et propinquius temporibus *Isaiæ*. Ita S. Thomas, Procopius, Cyrillus et alii. Itaque *Cethim*, inquit S. Hieronymus, sunt insulæ Cypri (ubi etiamnum est *Citium* urbs, Zenonis Stoici patria), Italiæ etiam et Macedoniæ: unde ex *Cethim* egressus dicitur Alexander Macedo, I *Machab.* cap. I, vers. 1. Sensus ergo est, *q. d.* Ex Cethim, id est ex insulis maris Mediterranei, « eis, » scilicet navibus maris, id est negotiatoribus marinis (est enim metonymia), revelatum est vastatam esse Tyrum, cum qua negotiabantur, ideoque ulularunt (1).

REVELATUM EST EIS. — Septuaginta vertunt, *Tyrus de terra Cethiorum ducta est captiva*, id est de terra sua translata est. Nam ipsa inter Cethim computabatur; Hebræum enim גליל *gala*, et revelare, ut vertit Noster, et migrare, ut vertunt Septuaginta, significat.

2. TACETE QUI HABITATIS IN INSULA, — *q. d.* Tacete, o Tyrii! ex dolore, pudore et metu, quia subegit et vastavit vos Nabuchodonosor. Silentium enim signum est servitutis, æque ac pavoris et stuporis.

Insulam vocat Tyrum, quia olim erat insula: sed a Nabuchodonosore et Alexandro facta est peninsula accessibilis, et a peditibus expugnabilis. Septuaginta vertunt, *cui similes facti sunt habitantes in insula*. Hebraice enim דמה *dama* et tacere et similem esse significat, *q. d.* Tyrii jam obsessi et vastati facti sunt similes gentibus aliis:

(1) Nil difficultatis est in verbis hebraicis מֵאֵרֶץ כְּתִים מֵלִמֹּךְ a terra Cethim revelatum nuntiatum est iis scilicet Tyriis in Tartesso commorantibus, quas *per naves Tartessias* innui vidimus vel, ut æque commode illa reddi possint, subaudita אֲשֶׁר, his qui sunt de terra Cithim, Græcis Italise revelatum est, id est annuntiata est clades Tyrionum, inde facile perferenda in Bœticam. Vocaverat Propheta nautas Tyrios in portibus Hispaniis hærentes ad ejulatum ob Tyrum vastatam. Id vero mirum videri potuit, cum illi sat longe a Tyro remoti supponi deberent hujus eventus notitiam non nisi sero consecuturi esse, qui tamen veluti in re præsentate ad lamenta excitantur. Quare addit vates, cladis vastationisque Tyriæ esse magnitudinem, ut non tantum fama ejus mox pervolaret mare, et primo quidem in terram Cethæorum Græciæ vel Italiæ insulas, et inde in Bœticam; verum et ipsi Tyrii, qui cladem evaserant, fuga se proripientes in terram Cethæorum, hujus cladis velocissimi sint nuntii. (Rosenmuller.)

sicut enim olim omnes gentes cum suis mercibus confluebant Tyrum, ita nunc cum suis opibus profugiunt ad alias gentes.

NEGOTIATORES SIDONIS, etc., REPLEVERUNT TR, — suis opibus et mercibus : erat enim Tyrus vicina Sidoni, et Sidonis colonia. Aliter hæc dispungit S. Hieronymus; connectit enim hæc cum præcedentibus hoc modo : « Tacete qui habitatis in insula, negotiatores Sidonis, » *q. d.* O Sidonii! plangite æque ac Tyri, tum quia vastata Tyro mercimonie cessabunt, tum quia a Tyro ad vos perget, vosque pariter vastabit Chaldæus.

3. IN AQUIS MULTIS SEMEN NILI, MESSIS FLUMINIS FRUGES EJUS (Tyri); ET FACTA EST NEGOTIATIO GENTIUM. — « Semen Nili » vocat fruges et opes Ægypti. Has enim ei affert, et quasi serit Nilus sua exundatione oblimans et fecundans agros, unde eandem vocat *messem fluminis*, scilicet Nili : copiosam enim messem affert copiosa exundatio Nili, *q. d.* Semen et messis frumenti, quæ in Ægypto non ex pluvia, sed ex multis aquis Nili exundantis provenit, fuerunt fruges Tyri, et merces in Tyrum delatæ, ut inde per negotiationem in reliquis insulas et provincias distraherentur. Erat enim Tyrus emporium celeberrimum omnium gentium. Unde Arabicus vertit, *mercaturæ tuæ quas afferebat in aqua multa* (per aquam) *semen mercaturæ mercatoris, quo sibi proderat quæstu ad messem frumenti, et fruges factæ sunt mercatura gentis.* Sic Veneti aiunt in mari annonam sibi esse, quod nihil nascatur domi, sed omnia ad victum necessaria ex mercatura conficiant, et ex mari navibus invehant.

Addit Sanchez vocari *semen Nili*, quia Nilus æque ac Indus, teste Cicerone, semina secum volvit, quæ aut ventus excutit, aut maturitas auferit ab his plantis quæ ad ripas nascuntur, eaque cum exundat in agros, dispergit et disseminat : et hac ratione Nilus dat semen æque ac messem Ægypto. Verum illud semen exiguum est et incertum : constat enim Ægyptios æque ac alias gentes suos agros serere.

Ægypto ergo messem et fertilitatem dat, non pluvia, uti alibi fit, sed Nilus exundans et oblimans agros : atque inde dictum putant Nilum, a novo inferendo luto, quo feracem reddit Ægyptum. Unde Servius censet Nilum dici quasi *νέαν ἕλν*, hoc est, novum trahentem limum quo oplet campos. Hinc Claudianus, *epigram.* 6, de eo sic canit :

Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Sunt tamen, qui a Nileo rege appellatum putant Nilum. Hebræis dicitur *Sichor*, Græcis *μέλας*, id est niger; quia turbidus est, ob limum quem vehit. Censent aliqui a *μέλας* vocatum esse Melo, vel Milo : Melo enim vocatur ab Ennio, Servio et aliis. Porro a Melo dictum esse Nilum contendit

vir doctus, littera M in N mutata. Nam hæ litteræ alternant, uti in Noph et Moph, id est Memphis.

4. ERUBESCE, SIDON : AIT ENIM MARE. — *Primo*, Vers. 4. S. Hieronymus sic exponit : Mare, id est mercatores maris aiunt Sidoni : Erubescere, quia Tyrus filia tua, in quam tot opes conguessisti, vastata et in solitudinem redacta est. Rursum erubescere, inquit S. Thomas, quia non defendisti ab hoste filiam tuam Tyrum. Dic ergo : Non parturivi, nec peperivi filios, qui meam Tyrum propugnarent (1).

Secundo et genuine : Erubescere, Sidon, quia tua colonia Tyrus a suis filiis deserta, tam fœde et misere vastata est; ait enim mare, imo ipsa fortitudo, arx et columen maris, puta Tyrus filia tua, teque non in mari, sed in continente sitam, per marina commercia ditans, dicens : « Non parturivi, » etc., *q. d.* Videbar mihi olim genuisse fortissimos juvenes et pulcherrimas virgines; at jam vastata nihil horum agnosco : omnibus enim ab hoste occisis aut captis nudata, orbata, et viduata sum : erubescere ergo, o Sidon mater! de hac Tyri filie tuæ nuditate, similemque propediem ab eodem hoste exspecta. Ita Cyrillus, Procopius, Lyranus et Vatablus.

Moraliter S. Ambrosius, *De Elia et Jejuni*, cap. xxix, docet hic mare accusare avaritiam mercatorum : « Fatigati, inquit, elementi (maris scilicet), hæc vox est : Erubescere, Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse inquietior, et erubescere velut pudore, quoniam periculo non moveris; verecundiores venti sunt quam vestræ cupiditates : illi habent otia sua, numquid vestra quærendi studia feriantur? et cum otiosa tempestas est, nusquam otiosa sunt vestra navigia : Non parturivi, inquit, nec peperivi, nec nutrivi juvenes; quid me inquietant quos nescio, quos non cognosco? » Et inferius : « Horum igitur mercatorum semen in aqua, merces in fluctibus est : in aqua enim labores suos seminant, ut pericula metant; ipse in aqua est, nunquam tutus et solidus. » Et, ut ille ait : « Qui navigat, tantum quatuor digitis distat a mari, a submersione, a morte. »

Mystice S. Gregorius, III part. *Pastor.*, cap. xxix : « Quasi, ait, per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparisonem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, ejus qui Deo dedicatus et quasi munitus et stabilis cernitur, vita reprobat; » et, ut pie æque ac vere ait Thomas a Kempis, lib. III, cap. III :

(1) « Erubescere. » Tam frequens mutatio formæ orationis ingentem ac stupendam rerum vicissitudinem solat in Prophetis comitari. Descripserat ex parte felicitatem Tyri : subito ad Sidonios convertit se, et Tyrum ipsam (quam et *mare* et *maritimam munitiorem* vocat, quod locus esset arte et natura munitissimus et undequaque mari allueretur) loquentem inducit, ut similia quoque ipsi sperent neque amplius gloriantur, imo tales se exhibent quales sunt qui pudefiunt, tacent, absconduntur et dolent. (Forerius.)

Morale,
de avaritia
mercatorum.

« Erubescere, Sidon, ait mare : et ; si causam quæris, audi quare : pro modica præbenda longa via curritur, et pro æterna vita vix a multis pes semel a terra levatur. »

NON PARTURIVI. — S. Hieronymus putat esse verba Sidonis deplorantis suam cladem, quod suis juvenibus et virginibus ab hoste orbata sit.

Verum alii passim melius censent esse verba Tyri. Unde primo, Pintus et Forerius hæc per interrogationem accipiunt, non, id est nonne parturivi et pepererunt juvenes validissimos, qui pro me fortissime depugnarent? q. d. Pepererunt, sed frustra; nec enim hosti tam valido resistere potuerunt, sed una mecum occubuerunt.

Secundo, Emmanuel Sa sic explicat : « Non parturivi, » etc., id est utinam nunquam parturivissem eos, scilicet filios, qui nec me, nec se salvare potuerunt!

Tertio, Sanchez per juvenes et virgines intelligit filias, id est colonias Tyri, qualis fuere Carthago, Utica, Gades et Tartessus, Hispaniæ urbes, quæ Tyro contra Chaldæos suppetias miserunt, ideoque ad quartum annum eis restitit, inquit Megasthenes apud Josephum, lib. X *Antiq.* cap. xi; sed ejus incerta est fides. Sensus ergo est, q. d. Erubescere, Sidon, quia neque tu cum esses mater Tyri, neque nepotes et neptes tuæ, puta urbes quæ erant filiæ et coloniæ Tyri, matri suæ, scilicet Tyro, opem tulerunt, eamque ab hoste liberarunt; quare perinde fuit Tyro, ac si nullos peperisset filios et filias.

Quarto et simplicissime, q. d. Ita civibus filiis et filiabus destituta sum, utpote ab hoste captis vel cæsis, ac si nunquam eos peperissem vel aluissem.

Vers. 5. 5. CUM AUDITUM FUERIT IN ÆGYPTO, DOLEBUNT. — Tum quia Ægyptii magna habebant commercia cum Tyro; dolebunt ergo ejus excidium, quia peribit eorum quæstus; tum quia timebunt ne post Tyrum Chaldæus Ægyptum invadat, uti re ipsa contigit: nam Deus Chaldæis quasi ministris suis, pro longa et molesta obsidione Tyri in mercedem dedit Ægyptum ejusque spolia, ut patet *Ezech.* xxix, 19; idque ex ejus prophetia, uti et ex hac *Isaiæ*, et simili *Jerem.* cap. xlvii, vers. 4, cognoscere potuerunt Ægyptii, ideoque doluerunt.

Vers. 6. 6. TRANSITE MARIA, etc., QUI HABITATIS IN INSULA, — in Tyro. Sermo est ad Tyrios negotiantes, ut imminente excidio alias sedes, et alia emporia quærant. Id fecisse Tyros, et conscensis navibus fugisse Carthaginem, et ad alias insulas, ex prisca historiis docet hic S. Hieronymus.

Vers. 7. 7. NUMQUID NON VESTRA HÆC (civitas Tyrus) EST QUÆ GLORIABATUR IN ANTIQUITATE SUA? — quasi antiquissima urbs in æternum duratura. Tyrus antiquior fuit Roma et Carthagine: nam Carthago colonia fuit Tyri, in qua Dido hospitio excepit Æneam, a quo descendunt Latini et Romani. Josephus, lib. VIII *Antiq.* III, asserit Tyrum con-

ditam esse 240 annis ante templum Salomonis. Berosus longe antiquiorem facit Tyrum, nam a Tyras paulo post diluvium eam conditam esse tradit, ut dixi initio capituli. Eleganter Carpentius hunc versum ita carmine reddidit:

Urbs fuit illa Tyros, prisca quæ condita sæclis,
Innumerosque suo repetens ab Agenore soles,
Æternos demens spe præsumebat honores.

DUCENT EAM PEDES SUI LONGE, — q. d. Tyrii captivi abducentur, pedibusque ibunt in Babylonem.

8. SUPER TYRUM QUONDAM CORONATAM. — Sicut enim rex cæteris eminet corona regia; sic Tyrus auro, gemmis, purpura, opibus et mercibus omnibus præ aliis urbibus eminebat quasi regina, ait S. Hieronymus; corona enim symbolum est, non tantum regni, sed et rerum copiæ.

Secundo, quia Tyrus in rupe et scopulo erat sita; unde et hebraice dicitur צור *tsor*, id est rupes, inquit Masius in *Josue* xix; quocirca mœnia et turres Tyri, montis et rupis ejus caput cingentia, coronæ castrensium imaginem præ se ferebant.

Tertio, quia inter fluctus eminebat quasi domina et regina maris.

Quarto, Hebraice מעטרה *maatira* non tantum coronatam, sed et proprie coronantem significat. Tyrus vocatur *coronans*; quia multos adeo ditabat, ut videretur eos reges vel regulos facere. Unde subdit: «Cujus negotiatores principes.» Sic hodie mercatores Veneti putant se dignitate principes exceptis regibus, superare. Quin et Antverpiæ mercatores vidimus adeo potentes, ut sumptus facerent, quos principes non sustinuissent; ut non nemo ex ipsis a civibus Regulus vocaretur.

Quinto, Arabicus Antiochenus vertit, *quis cogitavit quod Tyrus regnum conturbatum (commotum) in suis habitatoribus perveniret in hanc jacturam, vel calumniam? Et Arabicus Alexandrinus, quis est qui hoc dedit consilium super Tyrum bene cultam et ædificatam?*

INCLYTI TERRÆ, — Tyri scilicet: de ea enim loquitur. Tyrii enim potentes erant, et quasi domini maris ac terræ. Vide S. Hieronymum, et ea quæ dixi initio capituli.

10. TRANSI TERRAM TUAM QUASI FLUMEN, FILIA MARIS, — q. d. O Tyre! olim eras filia maris, et quasi vastum mare (ut dixi vers. 4), tum aquarum, tum opum et gentium: nunc facta es flumen, hebraice נַחַל *ieor*, id est rivulus exiguus, qui sensim ad loca declivia dilabatur et minuitur, donec deficiat et a terra absorbeat: ita enim et tu decides a tuo splendore et gloria; transibisque per terram tuam, ut eas in Babylonem, ibique spargaris, miscearis et absorbearis ab aliis gentibus.

Aliter S. Hieronymus: «Sicut fluvius, inquit, sive rivulus facile transitur pede, ita tu terram tuam in captivitatem ducta transibis.»

Aliter et Vatablus, *q. d.* Transi et fuge, o Tyre! celerrime instar fluvii, antequam te occupet hostis (1).

FILIA MARIS. — Quia Tyrus fuit accola et incola maris, ut a mari quasi a matre nasci, educari et foveri quasi filia videretur. Sic Delon insulam Athenæus vocavit *filiam maris*, quod subito e mari emergerit. Simili modo Venetiæ possent dici *filia maris*: unde de iis eleganter ita ludit Poeta:

Aut Venus a Venetis sibi fecit amabile nomen,
Aut Veneti Veneris nomen et omen habent.
Orta maris spuma fertur Venus, et Venetorum
Si videas urbem, creditur orta mari.
Jupiter est illi genitor, sed Mars pater huic est:
Muciberi conjunx illa, sed iste maris.

Simili ænigmate adagio, *filia maris et aquæ vocatur glacies*. Unde illud:

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Glacies enim in aquam ex qua nata est, resolvitur. Rursum « filia maris » est sal, de quo illud ænigma:

Filia maris, sive mare concretum in creta,
Ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludit.

Nam, ut explicat Diomedes, *mare concretum* est sal, qui ex maris aqua conficitur: *in creta*, id est in fictili salino, ex argilla et creta facto: *in campo ligneo*, id est in mensa: *ubi caro humana*, id est hominis manus, *ludit ossibus*, tesseris scilicet et astragalis.

Hebraice est *filia Tharsis*; quia Tyrus pertinet ad illam regionem maris Mediterranei, quæ habitata est a Tharsis filio Javan, *Genes.* capite x, vers. 4.

Rursum *filia Tharsis*, id est maris Rubri; quia Tyrus fuit colonia eorum qui juxta mare Rubrum sive Erythræum, puta juxta sinum Arabicum, habitabant, uti docent Plinius, lib. IV, cap. xxii; Strabo, lib. I; Dionysius Afer, vers. 906. Hinc et in Bœtica Tartessus juxta Gades, urbs et colonia Tyrionum, dicta quoque fuit Erythria; eo quod Tyrii eorum aborigines ab Erythreo mari orti ferantur, inquit Plinius *ibidem*.

(1) Sunt qui hæc verba referri dicunt ad aggerem a Nabuchodonosore constructum, ut e veteri Tyri urbe in continentem sita, in novam in insula conditam transiret. Antequam agger ille factus fuisset, mari quasi cingulo Tyrus circumdabatur, ita ut incolæ pedibus in continentem transire nequibant. Aggere autem facto, tam facile ac si trajicerent amnem inter duas moles effluentem, in continentem transgrediebantur.

Hanc aliam explanationem nec improbabilem dat Rosenmuller: Ut fluvius seu rivus placide fluens, *aqua* et plana est *superficie*, quem si nave transeas, nihil quod te in aqua et plana superficie moretur, offendas; sic terra, tibi subjecta, ab hoste direpta, vastata, desolata, munimentis solo æquatis, æquam tibi præstabit superficiem planamque, ut instar *fluvii* eam transire possis.

Putant aliqui Tharsis fuisse urbem juxta mare Rubrum, quæ coloniam duxerit, condideritque Tyrum, ideoque Tyrios filia suæ, puta Carthagini, nomen viæ indidisse, vocasseque eam Tharsis: unde Septuaginta hic et alibi sæpe, et noster Interpretæ, *Ezech.* xxvii, 12, pro *Tharsis* vertit *Carthaginem*.

NON EST CINGULUM ULTRA TIBI. — *Primo*, Sanchez sic exponit, *q. d.* Nobile illud Tyri emporium ita spoliabitur, ut ne reliquum quidem futurum sit cingulum unum, quod in scrutariorum circuiturumque mercibus tenuissimum est.

Secundo, Chaldæus et Symmachus, *non est cingulum*, id est non est fortitudo militum tibi: hi enim cingulo gladium sibi accingunt, *q. d.* Non poteris ultra resistere Chaldæo.

Tertio et aptius, « cingulum, » scilicet maris, « non est tibi, » *q. d.* Ante circumquaque mari cingebaris, quasi cingulo, erasque fortissima et inexpugnabilis; nunc hoc cingulum tibi ademit Chaldæus opplens mare, et ex mari faciens continentem: itaque jam cingulo destituta, infirma, et hosti exposita, ab eo capieris, quasi jam terræ, non maris filia. Pari modo Tyrii condiderunt Gades, easque Punica lingua (quæ Syriacæ et Hebraicæ affinis est) vocarunt *Gadir*, id est septum, eo quod undique mari et monte, quasi septo et cingulo valletur et cingatur, ac vicissim ipsum mare sepiat, stringat et muniat: sunt enim Gades in stricto freto Gibraltar. Ita docet Plinius, lib. IV, cap. xxii, ubi perperam pro *septum* irrepsit *septem*. *Gadir* enim hebraice, syriace et punice non septem, sed septum significat. Porro ex *Gadir* factum est Gades: Pœni enim, uti et Galli aliæque gentes, facile R in S commutant. Id ita esse patet ex hisce versibus Avieni:

Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat:
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique septum.

Et ex Solino, cap. xxvi: « Pœni sua lingua Gadix, id est sepem, nominarunt. » Ita enim legendum docet Delrio, *adagio* 219. Perperam ergo Eustathius Γάδισσα interpretatur, quasi γῆς δειρά. id est *terræ cervix*. *Gadir* enim et *Gadira*, non Græcum, sed Punicum est nomen. Sic ab Hebræo *mammom*, descendit Punicum *mammoma*, id est divitiæ, ait S. Augustinus, serm. 35 *De Verbis Domini*. Sic *Dido* descendit ab Hebræo *Dod*; et *David*, id est dilectus: *Hanno* a חנן *Chanan*, est *Eucharius*, et pene Joannes: *Carthago* idem est quod *Carthada*, id est nova civitas, ait Solinus. Plura vide apud Serarium in cap. II *Josue*, Quæst. XXV.

11. MANUM SUAM EXTENDIT SUPER MARÉ, CONTURBATA- Vers. 11,
VIT REGNA: DOMINUS MANDAVIT ADVERSUS CHANAAN.
— Alludit *primo*, ad præcos Hebræos, qui expulerunt Chananæos ex Chanaan, *q. d.* Ne spernas, o Tyre! Deum Israël: ipse enim olim manu et potentia sua siccavit mare Rubrum, et omnia regna vicina, præsertim Chananæorum, turbavit et magno timore perculit ad egressum Hebræorum

ex Aegypto; ipse etiam mandavit deleri Chanaanæos (1).

Secundo, magis proprie et genuine, per mare et Chanaan intelligit Tyrum: Tyrus enim a Chanaanæis condita et habitata fuit; unde et tribui Aser a Josue, cap. XIX, vers. 29, fuit attributa: licet Aseritæ nunquam eam expugnare et occupare potuerint. Sic mulier Chanaanæa in Evangelio dicitur egressa de finibus Tyri et Sidonis. In voce Chanaan alludit ad mercimonia Tyri: Chanaan enim hebraice vocatur mercator. Unde *Prov.*, cap. ult., dicitur: « Cingulum tradidit Chanaanæo, » id est cingulum vendidit mercatori; et *Osee XII, 7*: « Chanaan, in manu ejus statera dolosa. »

Recte notat Sanchez *mandare* esse verbum militare, idemque esse quod mittere exercitum: duces enim belli mandant chiliarchis et capitaneis, ut talem locum vel urbem invadant, cum illos eo ad id peragendum mittunt. Sic dicitur *Psal. LXVII, 29*: « Manda, Deus, virtuti tuæ; » et *Isaiæ X, 6*: « Contra populum furoris mei mandabo illi; » et cap. XIII, vers. 3: « Ego mandavi sanctificationis meis; » et cap. XLV, 12: « Omni militiæ eorum mandavi; » et *Amos IX, 4*: « Ibi mandabo gladio. » Similia sunt, I *Machab. VI, 62*, et cap. VII, vers. 9 et 26, et cap. XV, vers. 39.

Vers. 12.

12. NON ADJICIES ULTRA UT GLORIERIS (Vatablus vertit, *non ultra luxu exsultabis*), CALUMNIAM SUS-TINENS. — Vatablus, *vim passa et oppressa*, scilicet ab hostibus Chaldæis. Hebræum פִּוּי אַסַּאִי significat fraudare aliquem suo ære, jure aut debito, ut faciunt mercatores iniqui, præsertim dum cedunt foro, *q. d.* Vos, o Tyrii mercatores! fraudastis et spoliastis vestros creditores; nunc vicissim a Chaldæis spoliabimini.

VIRGO FILIA SIDONIS, — o Tyre, quæ pulchra es instar virginis, et filia es, id est colonia, Sidonis. Rursum « virgo, » quia hætenus non es expugnata, sed jam defloranda et corrupenda es per Chaldæos.

IN CETHIM (in Cyprum aliasque insulas, in Græciam et Italiam) TRANSFRETA. — Ita fecisse Tyrios dixi vers. 6.

IBI QUOQUE NON ERIT REQUIES TIBI. — Quia Deus ibi te quoque persequetur, et peste, fame vel bello affliget.

(1) « Super mare, » etc. Hæc omnia de Tyro intelligo, quam supra quoque vocavit *mare*, cujus habitatores erant *Chanaanæi*, id est mercatores; cujus quoque *munitiones Dominus decreverat devastare*. Possunt et de tota Phœnicia intelligi, et de tota *Chanaanitide*, cujus regna commovit potentia Chaldæorum, etc. Sed priori interpretationi subscribo, et *conturbationem* seu *commotionem regnorum* intelligo provocandam: excitavit enim Dominus et quasi ad iram provocavit externos reges, ut adversus Tyrum consurgerent. « Mandavit adversus » sensum expressit; ego ad verbum reddidi. Estque phrasis castrensium: Id est exercitum conscripsit et misit ut Tyrum opprimerent, quasi regnis commotis mandatum dederit Jehova contra Chanaanæum; ut sic vertere possis: *Manum suam extendit Jehova versus mare, commovit regna, mandavit adversus Chanaanæum, etc.* (Forerius.)

13. ECCE TERRA CHALDÆORUM. — Scilicet, evertet te, o Tyre! quibus non est populus similis robore, potentia et antiquitate; quia Assyrii *fundarunt eam*, scilicet terram et ditionem Chaldæorum, puta Babyloniam: prius enim Assyrii omnesque gentes condiderunt turrim et urbem Babel, indeque egressus Assur in Assyriam condidit Niniven, *Genes. X, 11*.

IN CAPTIVITATEM TRADUXERUNT ROBUSTOS EJUS, — scilicet Tyri. Ita Lyranus, *q. d.* Populus Chaldæorum, id est Chaldæi, ceperunt robustos Tyri. Prophetæ enim saliant a persona una ad aliam. Ita Isaias allocutus Tyrum, vers. præced., in secunda persona, hic ad audientes et legentes sermonem convertens, loquitur ad eandem in tertia persona.

Secundo, alii *ad ejus* referunt ad Assur, ejusque regiam, puta Niniven, *q. d.* Chaldæi ceperunt robustos Assyriorum et Ninives. Nam Isaias Tyriis, ne mirentur urbis suæ tam potentis, magnificæ et opulentæ excidium, proponit excidium Assyriorum et Ninives, quæ Tyro erat major et potentior. Ita Vatablus. Ninive enim capta et excisa fuit ante Tyrum, tempore Sardanapali ab Arbace Medo et Beloso Babylonio, teste Diodoro, lib. III, cap. VII. Eadem rursum cum Tyro eversa fuit a Nabuchodonosore, uti ostendi *Nahum II*.

Tertio, plane et simpliciter, « ejus, » scilicet terræ Chaldæorum. Totum ergo hunc versum sic expone, *q. d.* Non mirum quod vastanda sis, o Tyre! licet urbs inelyta, quia pariter vastanda est terra Chaldæorum, puta Babylon, cui similis non fuit urbs aut populus, fundata ab Assyriis, te longe augustior et robustior. Ita Forerius, qui censet hic notari excidium Babylonis factum ab Alexandro Magno: hic enim primo Tyrum, deinde Babylonem cepit: pari, imo potiori jure, ad Nabuchodonosorem idipsum referas, qui cepit Tyrum, et post eam capta est similiter Babylon a Cyro. Ita Cyrillus.

Aliqui moderni Chronologi, ut ostendant excidium Babylonis fuisse prius excidio Tyri, quod hic innuere videtur Isaias, dum Tyriis idipsum in exemplum et speculum proponit, censent Babylonem captam esse tempore Judith, a Nabuchodonosore devincente Arphaxad. Hunc enim Nabuchodonosorem aiunt fuisse filium Asarhaddon, quem ipsi cum Genebrardo et aliis nonnullis volunt fuisse Sardanapalum, victum et occisum ab Arphaxad, id est Arbace Medo, et Beloso Babylonio, teste Diodoro, lib. III, cap. VII; ideoque Nabuchodonosorem, ut patris Asarhaddon necem ulcisceretur, regnumque avitum reciperet, expugnasse Babylonem cæso Beloso, et mox debellasse Arphaxad, ac deinde crescentibus ei animis cæteras omnes gentes (ideoque et Tyrum ac Tyros) subjugasse, ut narratur *Judith*, cap. I et II. Quod Belarmius, lib. I *De Verbo Dei*, Serarius, Præfat. in *Judith*, et alii censent contigisse sub Manasse rege Juda: inde ergo arcessendos esse hos 70 annos desolationis Tyri. Prophetæ enim acie mentis ele-

vata tempora semota combinant, et de futuris loquuntur quasi de præteritis, ob eorum certitudinem. Quæ sententia nova quidem est, sed probabilibus nixa conjecturis. Favent Septuaginta hic; vertunt enim, *ecce terra Chaldæorum desolata est ab Assyriis*. Nabuchodonosor enim hic eam capiens, fuit filius Asarhaddon regis Assyriorum; sed de hoc alibi (1).

Pro *in captivitatem* hebraice est *לְצִיִּים* *letsim*, quod Forerius vertit, *navibus*, scilicet « traduxerunt robustos ejus, » puta in captivitatem; Tigurina vertit, *qui vasta loca inhabitabant*; quod Vatablus explicat, *q. d. Assyrii construxerunt in Chaldæa urbes iis qui prius in deserto sub tentoriis habitabant*. *צִיָּה* *tsia* enim significat locum aridum, desertum, squalidum: hinc *tsim* vocantur naves, quod in mari quasi siccum quid emineant, ait Forerius. Unde aptius sic veritas, *in locis squalidis statuerunt robustos ejus*, quod Noster clare vertit: « In captivitatem traduxerunt robustos ejus. » Theodotion et alii veteres apud S. Hieronymum, retinent nomen Hebræum, vertuntque, *fundavit eam sim*; additque S. Hieronymus: « Citi interpretantur plaga consummata, Chaldæi quasi ubera, Assyrii arguentes; *sim* etymologiam nec nos potuimus invenire. » Sed tropologicè explicans subdit: « Chaldæorum autem *sim* fundamenta jecerunt, quos intelligo dæmones pessimos, qui et propugnacula et turres superbissimas urbis Chaldææ contra scientiam Domini suscitauerunt; sed omnis eorum ædificatio in ruinas con-

(1) Cum Cornelio a Lapide existimat Rosenmuller certum esse extremam hujus versus partem de Tyro vastanda agere, atque nexum cum superioribus sibi constare, hac ratione, quod cum vates indicasset auctorem calamitatis Tyro immittendæ Deum, jam ostendat per quos executurus sit pœnas Tyriis decretas.

Hæc sententia sane admitti potest; attamen recentioris ævi interpretes haud pauci Prophetam hoc dicere arbitrati sunt, non esse, quod civitatis tam vetustæ et tam opulentæ ruina alicui valde mira et supra fidem videatur, quippe exemplum capi posse e terra Chaldæorum, quæ cum ab Assyriis occupata, instructa, munita sit, simile tamen fatum effugere non possit. Ita ut alios taceamus. (Forerius, Calmetus, Bochartus, *Geog. Sacr.* part. I, lib. III, cap. v; Berthierus, Allioli). Quid mirum, inquit Isaias, si Tyrus devastetur? Chaldæi ferocissimi ac ditissimi populi, qui suas quoque *munitiones* habebant et *turres*, perierunt, et Dominus Babylonem subvertit cum *turribus* et *palatiis* ejus, quidni Tyriam gentem mercatricem non ita bellicosam delebit?

Ad hæc objicit Rosenmuller, non esse credibile Prophetam ostendere voluisse nemini, mirum videri debere, Tyrum tam gravia pati, cum terra Chaldæorum ab hoste sit occupanda et vastanda. Nam si id ageret vates, ut lapsum Tyri ex alia simili calamitate illustraret, exemplum petere debuisset a casu superioris et præteriti temporis. Quæ sane objectio supponit auctorem aliunde doctissimum, nullam aut valde imperfectam de spiritu prophætico habere sententiam, ut in multis probat. Nam quis inter vere christianos non sentiat Isaiam a Spiritu Dei transferri potuisse in remotiora etiam futuri temporis, ubi rerum eventus ita disposita intuitus est, ut æterna Dei decreta adimplerentur.

cidit; sequitur enim: Paries ejus cecidit. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Sæpe videmus in sæculo, quosdam de alio proposito transire ad aliud, v. g. ut qui militiam male experti sunt, transeant ad negotiationem; rursumque causidicos bellatorum arma corripere. Mutant industriam, ut mutant infelicitatem; et nihilominus dispensatione Dei his quos salvare dignatur, omnia nitentibus evenire contraria; ut per inopiam ac miserias cogantur non in se, sed in Creatore suo habere fiduciam. »

15. IN OBLIVIONE ERIS, O TYRE! SEPTUAGINTA AN- Vers. 11
NIS. — Septuaginta annos manebis vastata et desolata; deinde reædificaberis, uti factum esse patet II *Esdrae* XIII, 16, et ex eo quod postea Alexander Magnus rursus Tyrum expugnarit. Per quem et quomodo Tyrus restaurata sit, nec sacra, nec profana narrat historia: nam diu post excidium Hierosolymæ excisam esse Tyrum, ac proinde Tyrios cum Judæis non rediisse Babylone, sed diu post, ostendam *Ezechiel.* XXIX, 17.

Dices: *Ezech.* XXVI, 14, dicitur Tyro: « Non ædificaberis ultra. » Respondet Leo a Castro id verum esse, quia post 70 annos non eadem, sed alia loco ædificata est Tyrus: unde prior Palætyrus, id est antiqua Tyrus, est dicta. Verum tam Tyrum quam Palætyrum ante Nabuchodonosorem sub Salmanasare exstitisse, docet Josephus, lib. IX *Antiq.* cap. xv.

Secundo, alii respondent: « Non ædificaberis ultra, » scilicet in tali et tanta gloria, qualem et quantam ante habuisti, ut scilicet imperes, quia subjicieris et parebis Chaldæis, Græcis, Romanis. Ita S. Hieronymus in *Ezech.* XXVI, Emmanuel Sa et alii.

Tertio, et facillime « ultra, » id est ad longum tempus, scilicet 70 annis, non ædificaberis. Sic *ultra* capitur I *Reg.* VII, 13; III *Reg.* X, 5; *Joel.* II, 19.

SICUT DIES REGIS UNIUS, — quantum solet vivere homo, præsertim qui læte et liberaliter vivit, qualis est rex, id est 70 annis; hæc est enim ætas et vita hominis, *Psal.* LXXXIX, 10. Alludit ad regem famosissimum David, qui vixit 70 annis.

POST SEPTUAGINTA AUTEM ANNOS ERIT TYRO QUASI CANTICUM MERETRICIS, — *q. d.* Rursum post 70 annos Tyrus specie, ostentatione et proclamatione mercium suarum alliciet ad se mercatores, sicut meretrix cantu illecebrosi allicit amasios.

Nota: Isaias mercaturam Tyri vocat meretricium: e contrario S. Joannes *Apoc.* XVIII, 3, meretricium, id est idololatriam Babylonis, id est Romæ in fine mundi paganæ futuræ, vocat mercaturam. Sic enim ait: « Et reges terræ cum illa fornicati sunt; et mercatores terræ de virtute » (id est, de copia: hanc enim significat Hebraice *חַל* *chel*, cui respondet Græcum *δύναμις*, et Latinum *virtus* vel *potentia*) deliciarum ejus divites facti sunt. » Ubi Romam vocat *primo*, fornicatricem, sive meretricem; *secundo*, mercatricem, quæ suos mercatores ditat;

Meretrix
vocatur
merca-
trix, curi

tertio, cauponam, quæ suis deliciis et vino omnes inebriat. Ratio est, quia Hebræum **זונה** *zona* significat feminam cauponam, quæ scilicet tam domum et esculenta, quam se aut suas prostituit, sive quæ mercimonia tractat, cauponatur, convivatur, lascivit; sive quæ meretur vel paratis obsoniis ut caupona, vel mercibus expositis ut mercatrix, vel corporis prostitutione ut scortum, quæ antonomastice dicitur meretrix; licet nomen commune sit omnibus prædictis: meretrix enim idem est quod quæstuarium, venditrix, mercatrix; sic et Græcum **πόρνη** et meretricem et vendtricem significat: descendit enim a **πέρνημαι**, id est vendo. Sic ergo Babylon, *Apocal.* XVII et XVIII, inducitur ut caupona, meretrix et mercatrix. Hac etiam de causa mercatura Tyri ab Isaia hic vocatur meretricium, scilicet ob Hebræum *zona*: quod generale et commune est, et ob communem utriusque analogiam: tam enim meretrix quam mercatrix meretur, suasque merces exponit et dividit. Rursum, quia non raro tunc, uti et jam subinde fit, eadem erant cauponæ, meretrices et mercatrices: unde et Jura præsumunt eam, quæ in diversorio seu caupona servit, honestam non esse. Hinc et Plato, lib. IV *De Legibus*, docet civitates maritimas et mercatorias, qualis erat Tyrus, male esse moratas; quia ex opibus et colluvie hominum in luxum et vitia abeunt. Sicut ergo Cicero, lib. I *Offic.*, ait: « Hostis olim vocabatur peregrinus, vel hospes; sed peregrinorum et hospitem mores id effecerunt, ut jam hostis pro inimico sumatur: ita et in nomine cauponæ et meretricis accidisse videtur. Tyrus ergo vocatur *zona*, quia tota erat in lucrum intenta, et ut commune totius orbis emporium, sic et diversorium erat. Quare « orbis hospita, caupona » seu *tabernaria* dici potuit, cui hospites æque ac mercatores magnum quæstum afferunt. Ita Sanchez. Addit Leo Castrius blandas illas mercatorum allectationes et laudes quibus merces suas commendant et extrudunt, posse vocari canticum meretricis. Et Forerius: « Vides, ait, mercaturam rei meretriciæ comparari; habent enim maximam inter se similitudinem concupiscentia carnis ac divitiarum. » Et Isidorus Clarius: Ostentatio, inquit, opum et mercium vocatur carmen et cithara; negotiatio vero vocatur fornicatio (1).

(1) Vers. 13, exemplo rei magis incredibilis ostendit posse Tyrum destrui. Ex quo quanta sit cæcitas quam res prosperæ invehunt discere possumus, qui videamus necesse fuisse exemplo ostendere ruinam contingere posse Tyro. Hinc quoque quis sit usus casuum et fortuitorum eventuum, quos alia regna et provinciæ experiuntur, habemus. Ex vastatione enim Babylonis posset Tyrus et Sidon et aliæ urbes sibi consulere. Alexander autem, qui Tyrum cepit, Babylonis provinciam quoque subjugavit. Quod si de vastatione per Chaldæos est sermo, exemplum quoque ad rem facit. Nam et Babylon a Persis capta est æque diruta, cum eam tamen florentissimam possedissent per multos annos Assyrii ab uxore Nini ædificatam. Vide Strabonem; apud quem etiam videbis navium usum in Babylone, et quo modo Alexander navibus partim ibi

16. SUME CITHARAM, — *q. d.* Uti meretrix citharas, cantus omnesque illecebras adhibet ad illucendum juvenes: ita Tyrus omnia adhibebit lenocinia et invitamenta, ut merces et mercatores ad se suasque nundinas revocet (2).

17. FORNICABITUR CUM UNIVERSIS REGNIS. — Id est *vers. 17.* commercia contrahet et negotiabitur cum omnibus gentibus, easque hospitio excipiet: hoc enim est Hebræum **זון** *zun* et *zona*, de quo jam dixi.

18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EJUS, ET MERCEDES *vers. 18.* EJUS SANCTIFICATÆ DOMINO. — *Primo*, Sanchez: *Sanctificatæ*, inquit, id est pollutæ et execrabiles Domino; sunt enim merces meretricis, de qua sancitur *Deut.* XXIII, 18: « Non offeres mercedem prostibuli, etc., quia abominatio est. » Unde sequitur, *non condentur*, id est non acceptabuntur hæ meretricis oblationes, ut condantur in templo. Sic *sanctificare* per antiphrasim pro *polluere* sumitur, *Deut.* XXII, 9, et alibi.

Secundo, idem Sanchez proprie hæc accipit, putatque esse sermonem de Machabæis, a quibus superatos fuisse Tyrios, et prædam captam, Deoque dicatam tradit Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. XII; et I *Machab.* XI, 59, dicitur Jonathas imperasse a finibus Tyri usque ad terminum Ægypti. Unde Septuaginta vertunt: *Erit negotiatio ejus et merces sancta Domino: non ipsis congregabitur, sed habitantibus coram Domino omnis negotiatio ejus, comedere et bibere, et impleri in symbolum, memoria coram Domino, q. d.* Id spectant Tyrii suis mercimoniis, ut habere possint quo vescantur et inebrientur; sed Deus aliud cogitat, scilicet ut ipsis spoliatis, alii fruantur eorum opibus et deliciis.

Tertio, S. Hieronymus putat post restaurationem Jerusalem et templi Tyrios iniisse foedus cum Judæis, et ad templi sumptus sæpe dona misisse, idque colligitur ex I *Paral.* XXII, 4, et *Zachar.* XIV, 16.

Quarto et perfectissime, hæc facta sunt tempore Christi, inquit S. Hieronymus; ad illum enim quasi liberatorem et consolatorem, a tristi clade de more avolat Propheta, *q. d.* Tyrii convertentur a

confectis, partim ex Syriaco mari plicatilibus per terram ad Euphratem advectis, et in Babylone compactis, Arabas invasit. Ex quo auctore disces, Tyrum terræ motibus licet fere totam collapsam, et ab Alexandro obsidione captam, calamitates omnes evicisse, et seipsam navigando instaurasse. Navalis enim ejus potentia et apparatus signum est multitudo et magnitudo coloniarum, quas Iberiam usque emisit. Sed nescio an de hac restauratione hic sit sermo. Quid si cum populo Dei capti, et eodem redempti sunt? Certe Propheta a restauratione visibili ad invisibilem per Christum statim transit, ut mox videbis. (Forerius.)

(2) Est et quoddam musicæ genus quo alienatum a nobis Deum revocamus, dum pectus, sceleris conscii, pulsamus, gemitus et lacrymas fundimus. Ille vero nostri memor, cor contritum non despiciet, et auribus percipit lacrymas nostras; et rursus in amplexu meretricum et peccatorum ruit amabilis illa puritas, qui et convivium facit et symphoniam adesse iubet, redeunte ad se filio prodigo. (Forerius.)

Christo et Christianis, tumque consecrabunt suas opes Domino, neque avare eas recondent, sed negotiatio, id est lucrum, ejus cedit templo Dei et ministris, ac pauperibus, « ut inde manducent in (id est usque ad) saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem, » id est vestibus bonis et firmis, ad multos annos et usque ad vetustatem duraturis. Vatablus vertit, *ad operimentum senum*, id est ut vestiantur veste honesta et decora, qualis decet senes et presbyteros. Hoc est quod prædixit Psaltes, *Psal. XLIV* : « Filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabantur, » etc. Christus enim in finibus Tyri versatus est prædicando et miracula faciendo, ibique filiam Chananæ curavit, *Matth. xv, 21*; et trecentis post Christum annis in Tyro valde floruit Christianismus per sexcentos annos : inde a Saracenis occupata fuit Tyrus, ac rursum a Christianis, scilicet a Venetis ac Hierosolymitis, duce Guaremundo Patriarcha Hierosolymorum in bello sacro, anno Domini 1124, expugnata et recepta per 163 annos in fide claruit : donec anno 1289, a Saracenis et Ægyptiis capta, demum in Turcarum potestatem venit. Ita ex Guilhelmo Tyrio, Adrichomius, et aliis (1).

(1) *Iis qui coram Jova sedent*, Vitringa intelligit tam doctores religionis, qui discipulos instituerent in cognitione Jovæ, quam eorum discipulos, phrasimque desumptam esse putat a more prisco, qui maxime obtinuerit stante adhuc templo primo, cum nullus adhuc esset usus synagogarum publicus, ut vel populus sabbatis aut festis diebus conveniret ad ædes prophetarum, ut per eos eru-

Dices : Hæc sunt lucra meretricis; ergo abominanda Deo.

Respondeo, sunt lucra meretricis, id est meretricis, ut dixi. *Secundo*, sunt lucra meretricis, id est quæ olim fuit meretrix, id est idololatra : jam vero per Christum facta est casta, et virgo, in fide et cultu Dei veri, de qua ait Apostolus : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » unde ejus oblatio olim ingrata, nunc grata est Deo.

diretur et instrueretur ad religionis cognitionem; vel viri docti, qui prophetis, ut præceptoribus, adhærere solebant, stans temporibus adessent ad ædes prophetarum, et iis cum de divinis rebus sermones sererent, aut eos de iisdem disserentes audirent. Conferre jubet Vitringa *Ezec. xxxiii, 30, 31*; *viii, 1*; *II Reg. vi, 32*, et librum a se editum *De Synag. vet.*, lib. I, part. II, cap. vi. Mihi tamen præferenda videtur veterum interpretatio, quam et plures recentiores sequuntur : *iis qui habitant coram Jova*, id est qui templum Jovæ frequentant, per quos non solum sacerdotes et Levitæ, sed omnes omnino Jovæ cultores intelliguntur (Cf. *Psal. xxvii, 4, lxxxiv, 5*). Hic tamen noster præcipue sacerdotes videtur respexisse.

(Rosenmuller.)

Ad pleniorum hujus capitis explanationem, conf. *Jerem. xvii, 3*; *xlvii, 4*; *Ezech. xxvi, xxvii, xxviii*, cum viatorum recentiorum relationibus, v. g. Volney, *Voyage en Syrie et en Egypte*, tom. II, p. 405; Maundrell, *Voyage d'Alep à Jerusalem*; J. Bruce, *Voyage aux sources du Nil, en Nubie, en Abyssinie*. Quorum ultimi hæc sunt verba : « Sola curiositate ducto mihi in mentem venit Tyrum visitare, et ibi veritatis Prophetarum tristis testis factus sum. Duo pauperes piscatores, pisciculis aliquot captis, super rupes ubi fuit Tyrus, retia sua extendebant. »

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Theodoretus, Eusebius, et ex eis Leo Castrinus et Vatablus, putant hoc capite agi de vastitate invecta Judæis post et propter Christum crucifixum. Secundo, Cyrillus et Procopius putant hic recapitulari ea quæ dicta sunt de excidio Babylonis, Moab, Damasci, Ægypti, Idumææ, et Jerusalem. Tertio et genuine, S. Hieronymus, et pulchre S. Ambrosius De Elia et Jejunio, cap. xxi, et alii passim censent Isaiam hic post onera et excidia aliarum gentium, de quibus egit a cap. xiii, hucusque per undecim capita, ac nominatim post onus Tyri, quæ erat quasi microcosmus, uti dixi cap. præced., transire de more ad onus totius mundi ac diem judicii, ut sciamus per exempla variarum gentium hæc passurum esse totum orbem, quæ passa est Tyrus, Babylon, Jerusalem et alia regna, quarum excidium et conflagratio fuit typus et umbra tantum conflagrationis mundi, et ignis æterni : sic Christus ab excidio urbis Jerusalem transit ad excidium orbis, Matth. xxiv, vers. 29. Vide hic quam apposite novum Testamentum veteri, et Christus Isaiæ respondeat, quamque exacte Isaias Christo præluserit. Hoc ergo cap. pathetice illud ipsum describit Propheta, scilicet primo, horribilem ejus speciem. Secundo, vers. 5, ejus causam : nimirum impietatem et scelera hominum, quibus terram conspurcarunt. Tertio, vers. 13, paucos inde salvandos et beandos, eorumque exsultationem prædicit. Quarto, vers. 17, angustias et terrores illius excidii, ac denique, vers. 22, æterna gehennæ supplicia describit. Hoc ergo cap. usque ad cap. xxviii, est quarta sectio Isaiæ, qua prædicit onus totius orbis, gehennam reproborum ac diaboli, et gloriam Beatorum.

1 Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus. 2. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et sicut servus, sic dominus ejus :

sicut ancilla, sic domina ejus : sicut emens, sic ille qui vendit : sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit : sicut qui repetit, sic qui debet. 3. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc. 4. Luxit, et defluxit terra, et infirmata est : defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ. 5. Et terra infecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. 6. Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus : ideoque insanient cultores ejus, et relinquentur homines pauci. 7. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. 8. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. 9. Cum cantico non bibent vinum : amara erit potio bibentibus illam. 10. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. 11. Clamor erit super vino in plateis : deserta est omnis lætitia : translatum est gaudium terræ. 12. Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. 13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum : quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea ; et racemi, cum fuerit finita vindemia. 14. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt : cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. 15. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum ; in insulis maris nomen Domini Dei Israel. 16. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. Et dixi : Secretum meum mihi, secretum meum mihi, vae mihi ! prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. 17. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator est terræ. 18. Et erit : Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo : quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, et concutientur fundamenta terræ. 19. Confractioe confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, 20. agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. 21. Et erit : In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso ; et super reges terræ, qui sunt super terram. 22. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere : et post multos dies visitabuntur. 23. Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus (1).

Vers. 1. 1. ECCE DOMINUS DISSIPABIT (Hebraice בֹּקֵק *bo-kec*, id est inanem et vacuum reddet) TERRAM (unde Ambrosius loco citato : « Faciet, inquit, terram quasi stadium vacuum athleticis quiescentibus ») :

(1) Hic incipit primæ partis vaticiniorum Isaïæ veluti quarta sectio, cujus argumentum per cap. xxiv, xxv, xxvi, xxvii decurrit, scilicet ingens quædam orbis terrarum excidium et conversio describitur. Non ad solam terram Judaicam, inquit ipse Rosenmuller, pertinere eam, de qua agitur, conversionem, colligitur e versu 21 cap. xxiv, ubi *reges terræ* et iis oppositæ copiæ locorum celsissimorum, in quos universos Deus graviter sit animadversurus, commemorantur. Sunt præterea pleraque quæ hoc carmen prænuntiat, multo graviora et majora, quam ut soli terræ Judaicæ applicari, et de Judæa per Chaldæos Romanosve vastata intelligi possint.

Propter hanc ultimam rationem, duos sensus hic admittendos censemus, non solum unum litteralem et alterum allegoricum, vel typicum, sed duos sensus æque litterales, quorum unum ad Jerusalem excidium Judææque devastationem, sub Nabuchodonosore vel sub Romanis, alterum ad extremam orbis catastrophem, ultimique judicii tempora referendum existimamus. Hanc autem prophetiam ita prosequitur Isaïas, ut gravissimam calamitatum descriptionibus alternis vicibus subiceret hymnos a piis canendos, quibus divina potentia et

ET NUDABIT EAM, — tum hominibus, tum animalibus, tum aliis suis ornamentis.

ET AFFLIGET FACIEM EJUS. — Exuret superficiem terræ igne conflagrationis, II Petri III, 10

benignitas celebratur. Vid. xxiv, 16 ; xxv, 1 et seqq. ; xxvi, 1 et seqq. ; xxvii, 2 et seqq.

In hac autem analytica expositione quæ, ut cap. 1 diximus, meditationi, vel prædicationi præsertim inserienda subicitur, secundo sensui litterali utpote digniori et utiliori adhæremus ; varias igitur finis mundi et judicii extremi circumstantias describens Isaïas refert :

Primo, excidium universi orbis, *primo*, quoad terram habitabilem et habitatores omnis conditionis, sexus et ætatis, quorum in magna illa terræ catastrophe æqualis erit conditio, 1, 2 ; *secundo*, quoad regna mundi et principes eorum, 3, 4 ; *tertio*, quoad incolas plerosque peccatores, 5, 6 ; *quarto*, quoad fruges, palati delicias, cantica, sonusque instrumentorum quæ ab hilaribus pulsari solebant, 7-9, 11 ; *quinto*, quoad urbes et oppida, eorumque colonos, 10, 12, 13.

Secundo, discrimen justos inter et injustos, quorum illi recreati a Domino, gaudebunt, 14-16 ; hi in afflictionibus, nullatenus declinandis, et in serie malorum se invicem excipientium peribunt, 17-20.

Tertio, sententiæ judicialis, *primo* contra dæmones et impios pronuntiationem, 21 ; *secundo*, perpetuitatem cum

ET DISPERGET HABITATORES EJUS. — Sicuti in urbis excidio incolæ dispersi solent dum conantur fugere, sed sæpe non effugiunt; nam in mortem aut captivitatem incidunt: ita in fine mundi, piægas prævias excidio multi evadent, ipsum vero ignem et excidium nemo effugiet.

2. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS. — Eadem communi orbis clade involventur omnes, tam sacerdotes quam laici, tam nobiles quam plebeii, tam servi quam domini, tam creditores quam debitores: nullum tum erit gradus et dignitatis discrimen: nulla patrociniabitur infula, opes aut sceptrum: hæc enim respiciunt homines, non Deus.

Moraliter, S. Bernardus in *Declamat.*, hæc pathetice adaptat sacerdotibus, qui vitam laicorum agunt.

3. DIREPTIONE PRÆDABITUR. — Geminatio hæc habet auxesim, *q. d.* Omnino diripietur et vastabitur terra ab igne jam dicto.

4. LUXIT ET DEFLUXIT TERRA. — Hebraice est paronomasia: *נבלה נבלה* *nabela nabela*, quam Interpres apte imitatus est vertens, *luxit et defluxit*, id est lugebit et defluet, sive corruet terra, id est terræ domus, arces, oppida, item columnæ, pyramides, mausolea, quin et arbores ac sylvæ.

INFIRMATA EST ALTITUDO (id est fortitudo vel excellentia, puta principes et nobiles), POPULI TERRÆ.

5. TERRA INFECTA EST — peccatis (unde Chaldaeus et Septuaginta vertunt, *peccavit*), æque ac fucis et hypocrisi; hoc enim est Hebræum *חנפה* *chanepha*; hoc est quod orat Ecclesia: «Sunt multa fucis illita, quæ luce purgentur tua.» Vere enim in hac vita homines pleni sunt fucis, multi personati sunt, multi externam et simulatam habent sanctimoniam, castitatem, amicitiam; intus pleni sunt superbia, ira, libidine, odio, invidia, atque aguntur suis passionibus et cupiditatibus: hos fucos in judicio aperiet, totique mundo ostendet Deus, imo igne comburet.

DISSIPAVERUNT FOEDUS SEMPITERNUM. — *Fœdus* vocat Dei *leges et jus*: leges enim Dei sunt conditio

penarum continuatione, 22; *tertio*, solemnitatem ab astutorum mutatione judicis gloria, et comitatus frequentia, 23.

Licet integritas libri Prophetiarum Isaïæ non subjaceat istis regulis analogiæ styli locutionumve, quam rationalistæ sæpe pro libitu asserere vel negare solent, hæc tamen pro vindicanda hujus sectionis integritate a teste non suspecto accipias. «Cum huic carmini nihil insit, inquit Rosenmuller, quod Jesajæ ætati non conveniat, nulla est causa, cur ei vati illud abjudicemus. Nam quæ Eichorn (*Einleit. in das A. Test.*, part. III, § 524) adducit exempla tanquam styli artificiosi adeoque ludibundi, plane diversi a nervoso illo et vivido Jesajano (vers. 17, similesque paronomasias, vers. 18, 19, 21), Hebræi pro totidem elegantibus habuerunt. Simili plane paronomasia exstat supra vii, *וַיִּבְרַח* oraculo, quod pro Jesajano omnes habent. Et Micha, Jesajæ æqualis, i, 11 et seqq., urhibus Judæ prænuntiat calamitatem imminentem ad urbium illarum *מִמְּוִנָא* per paronomasiam ubique fere alludendo.»

fœderis cum hominibus initi: vocatur *sempiternum*, quia lex Dei, præsertim naturalis, æterna est, et in æternum duratura, *q. d.* Deus excindet orbem, quia homines ejus incolæ violarunt fœdus, puta leges et jura Dei.

Alii hæc tria distinguunt. *Primo*, Forerius per *leges* accipit præcepta judicialia, per *jus* cærimonialia, per *fœdus* decalogum. Verum priora duo non omnes homines, sed solos Judæos obligabant. *Secundo*, S. Thomas per *leges* accipit jus scriptum, per *jus* consuetudines, per *fœdus* pacta. *Tertio*, Hugo per *jus* legem naturalem, per *leges* positivas, per *fœdus* amicitiam accipit (1).

6. PROPTER HOC MALEDICTIO VORABIT TERRAM. — Pro *maledictio* hebraice est *אלה* *ala*: quod *primo*, cum Chaldæo et Vatablo verti potest, *perjurium*, *q. d.* Perjurium, quo homines violarunt fœdus et leges Dei, quas se servaturos juraverant, id est sancte promiserant, erit causa et culpa, cur hæc clades devoret orbem: sic juramentum capitur pro promissione, *Psalm.* cxviii, 106: «Juravi, et statui (id est firmiter statui, perinde ac si jurassem) custodire judicia justitiæ tuæ.» Est catachresis.

Secundo et melius, *ala* verti potest execratio, *maledictio*, id est extrema calamitas tantis sceleribus debita, vorabit terram, id est omnes terræ delicias, opes et sordes, quas luxus et peccata hominum in eam invexerunt.

ET PECCABUNT HABITATORES EJUS. — «Et» est causale, significans *quia*; unde Septuaginta vertunt, *quia peccaverunt homines*.

IDEOQUE INSANIENT CULTORES EJUS, — *q. d.* Quia insanierunt homines in peccatis, quasi furentes libidine et cupidinibus, adeo ut videntes et sentientes pestem, famem, aliasque Dei et septem Angelorum plagas horribiles, quæ describuntur *Apocal.* cap. viii, et quasi nolint tamen poenitere, ut

(1) Per «leges» intelligi etiam possunt officia erga Deum, per «jus» sive justitiam, officia erga proximum, et per «fœdus» promissiones sive Judæis, sive toti generi humano factas. (Berthierus.)

Recte autem observat Vitringa, inquit Rosenmuller, vatem hic non loqui de violatione legis Mosaicæ aut præceptorum ritualium, neque enim scripsisse illum: *Ἐν ἡμετέροις* *statuta*, ut vulgo solent veteris Testamenti scriptores, ubi de legibus Mosaicis loquuntur, sed simpliciter, *leges*, *statutum* fœdus æternum, quibus dictionibus describat *jus naturæ et gentium*, quod Judæi cum aliis gentibus commune habebant, adversus quod illa crimina committerentur, quæ hic recensentur. *Leges* hic sunt *leges naturæ*, conscientiæ, et communis juris utilitatisque, sive ut Aben-Esra hanc dictionem hoc loco declarat, *libramen rectæ rationis* commune toti generi mortalium. *Statutum* hic idem est, quod exteri scriptores, Nepos (in *Themistocle*, cap. vii), et Sallustius (*De Bello Jugurth.* xii), vocant *jus gentium*, et Græci, τὰ κοινὰ τῶν ἀνθρώπων νόμιμα, quæ phrasis est Polybii (*Hist.* lib. I, pag. 100, edit. Amstel.). Juxta Aben-Ezram, idem est sensus dictionis *ברית אלהים* *fœdus æternum*, id est leges æterni juris, quæ humani generis societas ab antiquissimis usque temporibus inter se devincta est.

dicitur *Apocal. ix, 20*; ideo pariter insanient dolore et horrore tantæ cladis: ita enim percidentur, ita cruciabuntur, ut in furorem et rabiem agi videantur, juxta illud quod minatus est Deus *Deuter. xxviii, 28*: « Percutiat te Dominus amenitiâ, et cæcitate, et furore mentis, » hoc est quod ait Christus *Lucæ xxi, 26*: « Arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. »

ET RELINQUENTUR HOMINES PAUCI, — *q. d.* Ab hac trepidatione atque insaniam dolorum eximentur pauci, qui scilicet vivent non ut bruta, sed ut homines creati ad Dei imaginem, quique proinde hanc cladem videntes eam non sentient: anhelabunt enim ad meliorem vitam per et post mortem in cælo ineundam: hoc est quod ait Christus *Lucæ xxi, 28*: « Levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. » Ita S. Hieronymus et Haymo. Innuitur hic paucus sanctorum et salvandorum numerus fore in fine mundi.

7. LUXIT VINDEMIA, INFIRMATA EST VITIS. — « Luxit, » id est lugere fecit: « infirmata est, » id est, infirmari fecit vitis eos qui se vino et gulæ dederunt, quia deducet eos ad horribile Dei judicium, et ad æterna gehennæ tormenta. *Secundo* et genuine, sicut metaphorice dicuntur ridere prata et vineæ, cum fronde et fructu luxuriant: ita ex adverso dicuntur lugere et infirmari, cum præ ariditate squalent, nec uvæ proferunt et vinum, quo deliciari et exsultare solent homines voluptuarii. Deus ergo in fine mundi vinetis et agris sterilitatem inducet, tum per ignem conflagrationis, tum per plagas prævias.

Vers. 9. 9. CUM CANTICO NON BIBENT VINUM. — Conviviis et vino solere tam Judæos et Gentiles quam Christianos adhibere cantiones et musicam, ostendi *Ephes. v, 19*.

Vers. 10. CIVITAS VANITATIS QUÆ? ROMA. 10. ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS. — *Primo*, S. Hieronymus, S. Thomas et Haymo: Civitas vanitatis, inquiunt, est Babylon, id est Roma, quæ in fine mundi tota vanitati, luxui et ambitioni dedita scelestissima erit, ideoque vastabitur cum suis filiabus, id est aliis urbibus ei subjectis, *Apoc. xviii, 2*. Audi et B. Petrum Damianum, epist. 9 ad Nicolaum II Romanum Pontificem, qua ab eo petit licentiam, ut, abdicato episcopatu Ostiensi et cardinalatu, liceat sibi ad quietem et silentium monasterii redire: « Cur, inquit, ego non deseram pro cavendis tot animæ vulneribus Romam? Quanquam et ipsi corpori non sit prorsus innoxia, utpote ferax febrium, nec vagarum. Unde et Te-trastichon hoc olim protulisse me memini:

Roma vorax hominum, domat ardua colla virorum:
Roma ferax febrium, necis est uberrima frugum.
Romanæ febres stabili sunt jure fideles:
Quem semel invadunt, vix a vivente recedunt. »

Secundo, Sanchez: Urbs, ait, vanitatis, id est lucro et vanitati dedita, fuit Tyrus, de qua cap. præced. Porro Tyrus, luxus et vanitatis totius

mundi fuit typus et imago, *q. d.* Totus mundus instar Tyri civitatis vanissimæ atteretur, et igne comburetur, fietque ipsissima vanitas, et vacuitas tam civium quam rerum omnium (1).

Tertio, idem Sanchez: Civitas, inquit, id est civitates omnes mundi, quæ videbantur esse munitissimæ et futuræ æternæ, in fine mundi atterentur et excidentur, tumque apparebit quod fuerint civitates vanitatis, omnesque earum opes, artes, munitiones, etc., fuisse mæram vanitatem. Ita Solon legislator Atheniensium, teste Beroaldo, lib. *De Terræ motu*, dicere solebat, « civitates non esse aliud quam habitacula miserorum, imo miseriarum et infortuniorum, » in quibus absconderentur infinitæ ærumnæ, dolores, fastidia, gemitus et planctus.

Quarto, plane et genuine, civitas vanitatis est ipse mundus, in quo, ut ait Ecclesiastes, cap. 1, vers. 2, est « vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Nihil enim in eo est stabile, nihil solidum, sed omnia fugacia sunt, fluunt et pertranseunt. Unde Arabicus vertit, *direpta est creatura*, vel terra. Vide S. Augustinum, lib. *De Civit. Dei*, initio, ubi duas constituit civitates invicem oppositas, unam Dei, alteram diaboli; unam veritatis, alteram vanitatis.

Nota: Sicut Deus et cælum, in quo est vita æterna, et veritas, est civitas veritatis: ita terra et omnia quæ in ea sunt, sunt vanitas. Porro sicut veritas multiplex est, ita et vanitas. *Primo*, veritas est veracitas: ita vanitas est fallacia et falsitas. Verax est Deus, veraces Angeli et Beati, vera bona quæ in cælis sunt: vani et fallaces sunt homines, falsa bona quæ in terris sunt. Sic dicitur *Exodi xx, 7*: « Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, » id est ad mendacium. Unde alii vertunt, *non pejerabis*. Sic Sinon, *Æneid. II*:

Non, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Vere Philosophus mundum definivit dicens: « Quid est mundus? Est schola vanitatis, forum impostorum, scrinium dolorum. » Vis illustre exemplum? Q. Cæcilius L. Luculli studio et liberalitate amplam dignitatem et patrimonium consecutus, cum præ se semper tulisset unum illum sibi fore hæredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset, Pomponium Atticum testamento adoptavit, omniumque bonorum reliquit hæredem: sed fallacis et insidiosi cadaver populus Romanus cervicibus reste circumdatum per viam traxit. Itaque nefarius homo filium quidem et hæredem habuit quem voluit: funus autem et exsequias quales meruit, aiunt Valerius Maximus, lib. VII, cap. VIII, et Cornelius Nepos in *Attici Vita*.

Secundo, veritas est in Deo, cælis et Beatis, quia

(1) Non certa quædam urbs hic intelligenda est, sed est urbis nomen collective capiendum, ut mox vers. 12. (Rosenmauller.)

habent esse plenum et solidum : vanitas est in terra ejusque bonis, quia essentiam habent tenuem et umbraticam. Deliciæ tantum titillant gulam ad momentum, non penetrant, non satiant. Honor non est res solida, sed tantum æstimatio et opinio hominum : aurum et argentum quid sunt, nisi terra rubra et alba? uniones quid sunt, nisi excrementa concharum? nobilitas unde, nisi ex factis alienis avorum et proavorum. Quid est terra tota, nisi centrum et punctum respectu cœli? Audi Nazianzenum in carmine *De Vitæ itinere* : « Pulchritudo, ait, brevis; gratia fulgetro similis; juvenus nihil est aliud quam temporis fervor; canities, tristis vitæ occasus; gloria, aer; nobilitas, vetus sanguis; robur cum apris commune; satietas, petulans; matrimonium, vinculum; liberorum copia, curæ necessariæ mater; orbitas, morbus; forum, vitiorum schola; artes, abjectorum hominum angustus et alienus panis: omnia denique humana metus sunt, risus sunt, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, navis vestigium, aura. »

Caninius Rebilus unico tantum die fuit Romæ Consul; quo enim die consulatum iniit, eodem et depositus est: ut postea quæsitum fuerit quibus Consulibus Consul fuerit. Quare lusit in eum Cicero, lib. VII, *epist.* 30: « Vigilantem, inquit, habemus consulem, qui in toto consulatu somnum non vidit. »

Tertio, in Deo et vita æterna est veritas, id est constantia; hoc enim est Hebræum *emuna*, et *amen*; in terris est vanitas, id est mutabilitas, et rerum omnium constans inconstantia.

Sesostris, Ægyptiorum rex, illustris admodum et felix, plurimas et maximas sibi subjecit nationes. Atque ex eo successu in protervam arrogantiam sublatus, currum sibi aureum, pellucidis pretiosisque lapillis interstinctum, faciendum curavit. In quo considens, quatuor ex devictis regibus curru, qui eum traherent, jugo illis imposito, junxit. Hoc vero, cum sæpius fieret, et celebri quodam festoque die ex quatuor istis regibus unus, oculis conversis, continuo retrospiceret, et rotæ volubilitatem intueretur, Sesostrisque eum, cujus rei gratia tam frequenter oculos in rotam conjiceret, percunctaretur; respondisse is fertur: « Cum stupore admiror rotam, cum eam instabili modo ferri, atque aliter et aliter volvi, et nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem demissa sublimantem conspicio. » Sesostris porro ubi dictum id intellexit, statuit ne illi posthac currum traherent. Quam rei gestæ historiam cum Theodorus Mauricii Imperatoris legatus Chagano Persarum regi olim narrasset, Barbari fastum sic contudit, ut vicissitudinis rerum humanarum memor, cum populo Romano pacem fecerit. Ita Nicephorus, lib. XVIII *Eccles. Histor.*, cap. xxxix Audi Boetium, *De Consolatione*:

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,

Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

Quarto, in Deo et cœlis est veritas, id est æternitas; in terris omnia sunt varia, id est caduca et momentanea. Ubi jam Ninive illa inclyta? ubi Tyrus? ubi Babylon? ubi Roma orbis domina? nimirum « Romæ Roma sepulta jacet. » Miratus sum Romæ me nullum invenire vestigium palatii Cæsaris, Augusti, Tiberii, nullam domum, nullum monumentum Scipionum, Fabiorum, Camillorum, imo nullam ex hisce aliisque Gentilium familiis ne nomine tenus quidem superesse. Perit omnis eorum memoria: « Nunc Roma Romam quærimus in media. » Verum in memoria æterna erit justus: hinc Romæ exstant gloriosa sepulcra SS. Petri et Pauli in Vaticano; domus S. Cæcilie, S. Agnetis; martyrium S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Susannæ; ecclesie Sanctorum plurimæ et antiquissimæ. Porro id non tantum olim priscis familiis accidit, sed et in dies novis præsentibusque Romæ contigit. Vulgare est proverbium: « Nihil tam mutabile quam aura et aula Romana. » Hoc oculis cernimus, hoc manibus palpamus. De aura Galenus medicorum princeps testis est, dum asserit sæpe se quotidie Romæ quatuor anni tempestates sensisse, scilicet mane auram vernam, meridie æstivam, vesperi autumnalem, noctu hiemalem. Hinc Roma habenti caput est rheuma et catarrhus. Qualis est aura, talis est aula. Ergo Roma est rota fortunæ, in qua nunc hi, nunc illi, vicissim ascendunt et descendunt. Jam quod in capite fit (nam « Roma caput mundi »), hoc et in reliquis corporis hujus politici membris, puta totius mundi provinciis et urbibus, usuvenire non est dubitandum. Annon ergo orbis hic totus est « civitas vanitatis? » Annon est globulus et sphaera volubilis in qua alia oriuntur, alia occidunt, volvuntur omnia; summi descendunt, imi ascendunt, et ascendunt mox descensuri? Porro omnis hæc mundi vanitas maxime apparebit in ejus fine, et in die judicii, quo omnia quæ in eo sunt igne conflagrabit. Quocirca S. Macarius cum socio Nilum transiturus, totus pannosus et squalidus, cum a Tribuno regionis audiret: « Beati vos qui mundum illudistis! » respondit: « Nos mundum illudimus, sed vos mundus illudit. » Testis est Palladius in *Lausiaca*, cap. xx.

Quinto, in Deo Deique fruitione est veritas, id est plenitudo entis, et possessio bonorum omnium. Ipsi enim nomen est: « Ego sum qui sum, » *Exodi* III, 14. Vide ibi dicta. Ac proinde terræ, hominum, et creatorum omnium nomen est: « Non sum, » ut interrogati cum S. Joanne Baptista: « Tu quis es? » cum eo respondere debeant: « Ego non sum; » hæc est vanitas. S. Tiburtius Martyr a Valeriano fratre, ejusque conjugis S. Cæcilie, ad Christum conversus, cum ab Almachio Præfecto insanie argueretur, res-

pondit : « Utinam dignetur nos referre in numerum servorum suorum, qui respuerunt id quod videtur esse et non est, et invenerunt illud quod videtur non esse et est ! » Ecquid, infert Alma-chius, videtur esse quod non est ? « Omnia, ait, illa quæ in mundo sunt, quæ et cultores suos ad æternum exitium per brevis temporis lætitiã ducunt. » Quid vero, ait, est quod non videtur ? « Vita justis, respondit, et supplicium injustis. » Ita habet *Vita S. Cæciliæ*.

Quocirca prudenter B. Thomas Morus carceri inique inclusus ab Henrico VIII, Angliæ rege, ita eos qui ad se consolandum venerant, alloquebatur : « Mundus hic carcer est, ex quo omnes ad causam dicendam suis singulis diebus evocantur. Quod autem meus carcer aliorum principum carcere sit minor, beneficii loco habeo, cum e malis pluribus minimum sit eligendum. » Ita Sanderus, lib. I *De Schismate Anglicano*, et Stapletonus, in *Vita Mori*.

S. Elisabeth, Hungariæ regis filia, audierat a Sophia parente maritum esse defunctum, et vix percussa, dixit : « Si mortem frater meus obiit, et mihi quoque posthac mundo, ejusque vanitatibus defuncta, morietur mundus ipse. » Ita habet ejus *Vita*. Sapienter Poeta :

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore :
Nam simul omne perit quod fuit, est et erit.
Quod fuit, est et erit, perit articulo brevis horæ :
Ergo quid prodest esse, fuisse, fore ?

Expergiscimini ergo, o filii Adæ ! ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ? Cælum conscendite, hoc terræ punctum despiciate. O æterna veritas ! funda cor nostrum in te, ut nulla nos moveat vanitas.

11. CLAMOR ERIT SUPER VINO IN PLATEIS. — « Super vino, » id est super vini penuria. Ita S. Thomas, Lyranus et Vatablus. Patet ex dictis vers. 7.

13. IN MEDIO TERRÆ, — in ipsa terra, in tota terra ; sic enim alibi sæpe capitur *medium* non geometrice, sed vulgariter ; ita enim vulgo dicimus : In medio mari, id est in ipso vasto mari ; *secundo*, « in medio terræ, » id est in Jerusalem, inquit Sanchez ; hæc enim est in medio terræ promissionis, vel in medio terræ tunc habitatæ. Nam juxta Jerusalem, scilicet in valle Josaphat, quæ urbem a monte Olivarum dividit, fiet judicium universale, ut dicitur *Joel III, 2*. *Tertio*, S. Thomas, Forerius et Vatablus hæc connectunt cum sequentibus. Unde Vatablus ita vertit, *quoniam sic erit in medio terræ, in medio populorum, ac si quis oleas residuas decutiat, aut faciat consummata vindemia racemationem*.

QUOMODO SI PAUCÆ OLIVÆ, — *q. d.* In fine mundi, præsertim tempore Antichristi, tam pauci erunt fidelēs constantes in fide, quam paucæ olivæ remanent in olea post ejus excussionem, et quam pauci racemi remanent in vinea post vindemiam. Hi, Antichristo dejecto, cum Christus gloriosus

venerit ad judicandum, laudabunt Deum, etque exsultantes quasi adhinnient de mari hujus mundi, cum videbunt se jam illud, ejusque jactationes, procellas et pericula evasisse, atque ad portum salutis appulisse. Ita S. Hieronymus. Amant hoc mare voluptuarii, in eoque quasi pisces mergunt se, et tandem submerguntur ; Sancti vero hoc mare horrent, et ad portum eluctantur et anhelant (1).

15. PROPTER HOC IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM. — Pro *in doctrinis*, Septuaginta, Vatablus et Pagninus vertunt, *in vallibus* ; alii, *in speluncis, q. d.* Qui habitatis in vallibus et in insulis maris, glorificate Deum : quo moraliter significat eos qui hic depressi sunt, et humiliant se, exaltandos esse, et in sua exaltatione exsultaturos.

Secundo, S. Hieronymus sic explicat : « Propterea qui nunc in S. Scripturis eruditi estis, et scitis vobis tantum gaudium, tantaque præmia reservari in doctrinis, » id est ob doctrinam hanc a Deo acceptam, « glorificate Deum. »

Tertio, optime et plenissime S. Thomas, Lyranus et Sanchez : Monentur hic, inquit, viri Apostolici ut glorificent Deum percurrendo or-

(1) « Quomodo si paucæ. » Vulgata paraphrasten egit hoc loco, « Ego verbum verbo reddidi, » quod non obscura esset oratio. *Excussionem enim olivæ* vocat Hebraismus baccas olivarum quæ, post excussionem quæ in orbem et circumquaque fit, remanent in extremitatibus ramorum ; quemadmodum et *racemationem* vocant racemos qui oculos manusque vindemiantium effugerunt. Fiet, inquit, *excussio generalis ac vindemia universalis in Judæa* ; et immensa hominum multitudo interibit ; pauci autem nonnulli, qui remanserint, isti excutientur et deracemabuntur : de quibus reliquiis mox seqq. versu loquitur. Certe in vastatione Judææ sic prorsus sese res habuit, præsertim in ea quæ per Romanos facta est. Memineris autem hic, lector, non tantum corporalis devastationis, sed illius etiam spiritalis quam fecit infidelitas ac peccatum. Ex immensa enim illa strage pauci et reliquiæ quædam salvæ factæ sunt : de quibus jam dixi esse apud hunc Prophetam frequentem sermonem, imo esse totius libri præcipuum argumentum et veluti scopum. Ut autem intelligeremus de vastatione ultima Prophetam loqui, ait :

Vers. 14. « Hi levabunt, etc., hinnient de mari, » id est ab occidente ; ita enim sæpe occidentalem plagam vocat Scriptura, quod mare Mediterraneum ad occidentem esset Palæstinæ. At quando, quæso, reliquiæ Judæorum ab occidente laudarunt Deum ? Non de Assyria, non de Chaldæa dici potest quod *ad occidentem* essent. Certe vastata Judæa, reliquiæ eorum trans mare Mediterraneum in Græciam, Italiam, Germaniam, Galliam atque Hispaniam translatae sunt. « Cum glorificatus, » etc. Ad verbum reddidi, *in magnificentia Jehova*. Hanc autem *magnificentiam seu glorificationem* dicere possumus fuisse quando imperium Romanum jugo Christi collum submisit : Tunc certe reliquiæ Israelitici populi, Apostoli, apostolicique viri, et quos ipsi primos converterant, lætabundi *glorificabant Deum, et congratulabantur gloriæ Christi*, et gentes, quas ad veritatis agnitionem adduxerant, ut *plauderent manu invitabant, et jubilarent Deo in voce exsultationis*, quod *subjicisset populos ipsis, et gentes sub pedibus ipsorum*. Quod enim gaudium fuisse putamus servorum Dei, cum Romanos rerum dominos servos Christi effici vidissent ?

(Forerius.)

hem, docendoque omnes gentes (etiam Indos in antris et speluncis habitantes) mysteria fidei, ac præsertim extrema bonorum gaudia et malorum supplicia, quæ hic a Deo per Isaïam audierunt et didicerunt. Apostoli enim et præcones Dei debent esse satores æternitatis, et novissimorum spe ac terrore homines impellere ad cœlestem vitam, instar Christi et S. Joannis Baptistæ, quorum conciones fuerunt de ventura ira, de ventilabro iudicii et examinis divini, de igne inexstinguibili, de regno cœlorum, ut patet *Matthæi* cap. III.

Pro in doctrinis hebraice est **בְּאוֹרֵי** *beurim*, id est in lumine vel in igne, q. d. Igne zeli vestri, et lumine prædicationis vestræ illuminate totum orbem.

16. A FINIBUS TERRÆ LAUDES AUDIVIMUS. — Exultat Propheta, videturque sibi Indorum, Sinarum, et extremorum orbis populorum per Apostolos conversorum, voces audire laudantium Christum Dominum. Unde Septuaginta pro laudes vertunt, *miracula*, scilicet facta in India et aliis gentibus, quibus ipsæ conversæ sunt. Rursum ingentia miracula fuerunt et sunt, tot tamque barbararum gentium conversiones, et mutationes morum.

GLORIAM JUSTI. — Explicat quænam sint hæc laudes; dicitque eas esse quibus celebratur gloria justi, puta Christi redemptoris et justificatoris. Unde Vatablus hæc technice accipit, quasi harum laudum canticum sit hoc: *Gloria sit ipsi justo*, q. d. Glorificetur Christus justus noster.

SECRETUM MEUM MIHI. — Primo, Vatablus et Pagninus vertunt, *macies mihi est*; alii, *tabes mihi est*, q. d. Macresco et contabesco ex intimo dolore dum video extrema mala peccatori imminere, et tamen totum orbem in peccata prouere. Ita contigit Davidi, cum diceret *Psal.* CXVIII: « Vidi prævaricantes, et tabescebam. »

Secundo, hebræum **רָזִי** *razi* ex idiotismo et significatione Chaldaica significat *secretum meum mihi*, q. d. Cum in fine mundi tantam electorum in fide et sanctitate perseverantium gloriam, eos tamen fore tam paucos, atque ex adverso tanta damnandorum tormenta, eos tamen esse tam multos prospicio, ut ea et illos eloqui non possim, nec si eloquerer audientes crederent: hac de causa illa secreto mecum rumino et meditor. Unde Chaldæus vertit: *Secretum præmium justorum monstratum est mihi, secreta vindicta impiorum revelata est mihi: vae iis qui vim faciunt, quia vim patientur; et direptoribus, quia ecce diripientur!* Et S. Hieronymus: *Non possum, ait, cuncta narrare quæ cerno, hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur: vae mihi, quantus ordo pœnarum ante oculos versatur meos!* Ita et Hebræi. Hic sensus est genuinus.

Tertio, S. Augustinus in *Psal.* VII, et ex eo Leo Castrinus, hoc secretum accipiunt mysterium vocationis Gentium et reprobationis Judæorum, cujus altitudinem et silentium non tam expositione quam admiratione commendat Apostolus, *Rom.*

cap. XI, cum ait: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, » etc.

Unde Theodotion, teste S. Hieronymo, vertit, *mysterium meum mihi*. Addunt aliqui, *et meis*.

Tropologice S. Bernardus, serm. 22 in *Cantic.*, hæc adaptat sponsæ quæ in secreto conscientiæ sponsum quærit et invenit: « Thomas, ait, in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo, secreti hujus gratiam sunt assecuti. Thomas in solido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis, Magdalena in luto humilitatis. »

VÆ MIHI. — Heu mihi, quia in fine mundi inundabit omnis prævaricatio, omne scelus; et ego eloqui non valeo horrenda supplicia eis a Deo decreta: hinc intime crucior.

17. FORMIDO ET FOVEA, ET LAQUEUS. — Hæc symbola sunt, significantque extrema mala peccatoribus in fine mundi imminencia, et extremas eorum angustias. Alludit ad venationes in quibus avibus et feris proponitur *formido*, ut eam fugientes in foveam, et ex fovea emergere volentes in laqueum sibi tensum incidant; *formido* enim hic est *μορμολύκειον*, sive terriculamentum, quod avibus et feris obijcitur, ut in adversam partem impellantur, et in casses paratos agantur. Sic Horatius de simulacro Priapi ait:

Formido pro terricula.

Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido.

Et *Baruch*, cap. VI, 69: « Sicut, inquit, in cucumerario formido (id est terriculamentum, v. g. puer stramineus) nihil custodit. »

Quocirca recte notat Sanchez *formidinem* hic vocari lineam, vel funem versicoloribus pennis intextum, qui certo loco a venatoribus positus terrebat cervos pennarum agitatione, ut pavidi in adversam partem fugerent, ibique in venabula, vel foveas et retia sibi parata inciderent; hoc est enim quod ait Seneca, lib. II *De Ira*, cap. II: « Cum maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat, et in insidias agat, ab ipso effectu dicta est formido; » et S. Augustinus, lib. I *De Nuptiis et Concup.*: « Et cum verentur infamiam falsam, veram incurrunt, instar ferarum quæ circumdantur pennis, ut cogantur in retia; » et Arianus, lib. II *De Vita Epicteti*, cap. I, ait idem nobis evenire quod cervis, qui, cum pennas fugiunt, convertunt et recipiunt se in retia, permutatis his quæ timenda erant, et forti animo toleranda. Utitur et Seneca, lib. II *De Clementia*, ut doceat sic plerumque homines, dum non fortiter se opponunt minoribus, sed terga vertunt, in deteriora vitia atque incommoda majora incidere. Ita Delrio, *adagio* 742. Sensus est, q. d. Sicut cervi et feræ omnimode obsidentur et arctantur ut capiantur: ita in extrema illa mundi clade Deus toti parabit fossas et laqueos, ut impii evadere non possint, sed, si unum evadant, in alium incidant. In Hebræo **פְּאֵלְהָרָה** est paronomasia: nam pro

« *לִּידִינֵה, לְפִתְּחֵה, וְלִקְוֵה*, » est פּוֹחַת פּוֹחַת פּוֹחַת *pachad, vapachath vapach*. Unde Græcum πύλις.

18. QUIA CATARACTÆ DE EXCELSIS APERTÆ SUNT. — Strabo, lib. V, cap. 17 : « Cataractes, inquit, est ad medium fere flumen petrosum quoddam supercilium, in superiori parte planum, ut fluvium recipere possit; desinens vero in præcipitio, ex quo aqua præcipitatur. » Sic in molendinis et fluminibus retinacula aquarum, quibus solutis aqua in præceps cum impetu et fragore ruit, vocantur græce cataractæ. Alludit ad diluvium Noe, in quo « rupti omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, » *Genes. vii, q. d.* Ea copia et fremitu inundabunt plagæ in orbe terrarum sub finem mundi, qua tempore Noe aquæ inundaverunt, et quasi solutis cœli cataractis proruerunt in terram; Deus enim tunc iræ et vindictæ suæ laxabit habenas, ut pluat plagas, quasi nunc clementia sua et Sanctorum precibus quas cataractis conclusas inhibet et continet, juxta illud *Psal. x, 7* : « Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. »

Septuaginta pro cataractis vertunt, *fenestras, q. d.* Apertis quasi cœli fenestris Deus aspexit orbis peccata, ut ea vindicaret, quæ prius, quia non puniebat, videbatur velut clausis cœli fenestris non videre, sed ignorare, inquit S. Hieronymus. Aspexit, inquam, et iratus misit ignem aliasque plagas per Angelos, *Apocal. vii et ix*, quibus terram ita percussit, ut hominibus terrenis pavore et angore quasi ebriis, illa verti et tremere videatur. Vide *Can. XXXIII*. Forte etiam, et verius, tunc tota terra tremet, et e centro convellatur, uti id ipsum in terræ motu, qui fuit in passione Christi, contigisse docet Didymus, ut dixi *Job. ix, 6*. Tunc enim erit summa rerum omnium perturbatio, tumque Deus extremam iram et horrorem infliget improbis; hocque significant sequentia, cum ait : « Confractioe confringetur terra, contritione conteretur, etc., agitatione agitabitur terra sicut ebrius. »

20. ET AUFERETUR QUASI TABERNACULUM UNIUS NOCTIS, — *q. d.* Sicut proficiscentes per avia vel deserta loca, tabernacula quæ secum deferunt, noctu figunt, ut iis pernoctent; mane ea auferunt : ita et terra auferetur, non quoad substantiam, sed quoad incolas, et quoad speciem et figuram, et, ut ait S. Hieronymus, non terra, sed omnia terrena, puta omnis terrena mansio, conversatio, omnes terreni homines, et pristina vita, moresque et actus transibunt (1).

(1) « Auferetur, » *amovebitur*. De habitatoribus et de ornatu Judææ intellige. Comparatio autem *pernoctatorii* continet non solum facilitatem seu celeritatem in re, verum etiam nullum doloris sensum in auferente et diripiente seu in captivitate ducente, quasi rem consuetam, et quæ ut sic fieret expectare videbatur, peragat. « Gravabit eam. » Hic, quæso, tector, vide venustam antithesim. Tanquam res levis et parvi momenti aut ponderis auferetur;

21. VISITABIT DOMINUS SUPER MILITIAM COELI IN EXCELSE. — *Primo, militia cœli* in Scriptura significat solem, lunam et stellas, quæ agmine composito et ordine pulchro, quasi instructa acie incedunt, ac Deo quasi milites deserviunt. Ita accepit S. Hieronymus hic : « Has, ait, stellas quasi ægrotautes Deus visitabit, et ferro ac cauteriis inuret, ut fiat cœlum novum et terra nova; » « stellæ » enim, ut ait *Job cap. xxv, 5*, « non sunt mundæ in conspectu ejus, » maxime, cum jam idololatria, aliisque sceleribus, cultæ aut pollutæ sunt; has ergo stellas Deus visitabit, id est obscurabit, imo cœlo deturbabit, *Matth. xxiv, 29*.

Forte etiam S. Hieronymus loquitur ex sententia Origenis, uti solet, qui putabat stellas esse animatas, animasque omnes simul esse creatas ante corpus, et ob peccata quæ tum admiserunt, quasdam astris alligatas esse, quasdam in corpora humana detrusas, et quotidie detrudi : qui exploratus est error.

Secundo et genuine, hic militia cœli vocatur exercitus Angelorum, id est dæmonum, qui olim cœlo dejecti, jam in aere hoc versantur, et homines divexant, ac in fine mundi a Deo visitabuntur, id est punientur et condemnabuntur; licet enim etiam nunc damnati sint, tamen tunc publica sententia coram toto orbe damnabuntur, atque omni libertate, qua in aere hoc versantur, ac dominio, quod in peccatores hic usurpant, spoliabuntur, atque in carcerem gehennæ, in æternum concludendi et comburendi relegabuntur; quæ ingens eis erit pœna. Hac de causa Scriptura ita loquitur, quasi tum primum damnandi sint dæmones, scilicet eo sensu quem jam dixi.

*Tertio, Forerius : Milites cœli, ait, sunt ministri templi, id est sacerdotes, quia, sicut Angeli in cœlo, ita ipsi in templo Deo semper assistunt et ministrant; quique quasi cœlum terræ, et quasi Angeli hominibus, laicis dignitate præstant, pariterque sanctitate præstare debent : quod si non faciant, graviter præ laicis a Deo visitabuntur et cruciabuntur. Nam ingredi in militiam phrasi Scripturæ significat fungi ministerio Ecclesiastico, ut dixi *Num. iv, 3 et 30*. Sed hoc licet Forerio videatur maxime litterale, mihi tamen videtur hoc loco mysticum.*

ET SUPER REGES. — Reges non eximet a iudicio et ira Dei potentia aut majestas : « Quia potentes potenter tormenta patientur. »

22. ET CONGREGABUNTUR, — *q. d.* Reges æque ac

gravatur autem transgressione seu defectione; gravitas enim et pondus peccati eam levem et transportationi aptam reddiderat. In his quoque verbis « gravabitur et cadet, » altera similitudo latet; tacite enim comparatur inmentis plus æquo onustis, quæ sub onere labuntur. Tanta, inquit, fuit terræ iniquitas et noxa, ut non valens pondus sustinere, collapsa sit. « Non adjiciet ut resurgat. » Non iterum surget, stabit, consistet. De civitate Jerusalem non iterum ædificanda, et Judæa ad suum splendorem et dignitatem non ultra restauranda sub Judæis principibus, intelligere oportet, velint nolint Rabbini. (Forerius.)

dæmones, cum aliis impiis et plebeis colligati quasi in fasciculos, projicientur in ignem gehennæ, sicut in ignem projicimus fascem lignorum majorum et minorum. Haymo putat fasciculos hosce faciendos varios, juxta varia scelera : « Congregabuntur, inquit, congregatione unius fascis, ut qui pares sunt in culpis, damnentur pariter et in pœnis : avari cum avaris, luxuriosi cum luxuriosis. » Vide S. Gregorium, lib. IX *Moral.* cap. xxxix.

ET POST MULTOS DIES VISITABUNTUR (1). — Origenes sic exponit : Damnati claudentur quidem carcere gehennæ; sed non erit perpetuus carcer, quia, cum ibi fuerint per multos dies, id est, per centum annorum curriculum a Deo definitum, visitabuntur ut liberentur. Ita voluit Satan per eum tollere fidem et memoriam æternitatis pœnarum, quæ maxime cohibet homines a peccato. Unde S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* xvi, explicans illud *Job.* xli : « Æstimabit abyssum quasi senescentem, id est, inquit, æstimari faciet ab hominibus. » Verum hic est error; nam ignis in Scriptura vocatur æternus et inexstinguibilis. Vide S. Augustinum, lib. XXI *De Civitate*, cap. xxiii, et *Can.* XIII, initio libri.

Secundo, Haymo : Post multos, inquit, dies, id est annos, visitabuntur, ut scilicet resurgant, et in corpore ac anima crucientur.

Tertio, Lyranus vertit, a multis diebus visitabuntur; sicque explicat, q. d. In judicio et gehenna peccata a multis diebus et olim admissa punientur.

Quarto, et genuine, « post multos dies, » id est post multa sæcula visitabuntur, id est punientur, q. d. Quamvis multis diebus et annis sint in gehenna, tamen nunquam pœnæ eorum finientur; sed

(1) Desumpta est metaphora a captivis bello factis, aut aliis criminis gravioris consortibus, qui gregatim vincti, manus pedesque ligati, traduntur in carcerem et arctæ mandantur custodiæ... De verborum *יפקרו ומרב ימים*, « post multos dies visitabuntur, » sensu, interpretes in diversas partes abeunt. Cum enim verbum *פקד* ambiguum sit, atque tam in bonam (ut supra xxiii, 17), quam in malam partem usurpetur; sunt qui his verbis hoc dici existimant, dæmones istos et reges terrestres in carcerem detrudendos post longi temporis spatium exsolvendos esse pœnis, conferuntque tanquam locum huic parallelum, *Apocal.* xx, 4 et seqq., de Satana ligando et conjiciendo in carcerem, et post mille annos per breve tempus rursus solvendo, ut deinceps pœnam referret sibi destinatam. Quod tamen potius haustum est ex *Ezech.* xxxviii, 8, ubi Gogus dicitur post longum tempus visitandum, et cum ingenti exercitu terram Judaicam invisurum esse. Hoc vero loco, cum proxime (vers. 23) Jova regnaturus dicatur, verbum *יפקרו* haud dubie de pœna est intelligendum, ut infra xxix, 6. Sensus est sceleratos illos, quos divina justitia in carcerem conjecerit, post multos etiam dies fore torquendos, id est nunquam futurum esse pœnarum terminum. Ita Aben-Ezra : *Sensus est malum hoc protrahendum esse*, dum ipsi inclusi carcere ibi pœnæ loco essent detinendi. Alii hoc indicari volunt, postquam per longum tempus in carcere subterraneo inclusi fuerint, ultimo supplicio afficiendos esse. (Rosenmuller.)

post quantoslibet dies et annos erit jugis incoactio pœnarum; et enim *visitabuntur*, significat actum continuatum et perpetuatum. Significatur ergo hic æternitas pœnarum. Ita S. Hieronymus, Adamus et Suarez loco mox citando. Unde Septuaginta vertunt : *Per multas generationes visitatio erit eorum*, et ita verti potest ex Hebræo. Sic ex adverso salus æterna justorum significatur, cum dicitur cap. xxv, 9 : « Ecce Deus noster iste, etc., et salvabit nos. »

Quinto, noster Turrianus, libro *De Eucharistia*, cap. xxxi, et Alcazar in *Apoc.* xx, 1, notat. 4, per hanc visitationem futuram post multos annos, intelligunt solutionem Satanæ ligati a Christo, futuram post mille annos; per militiam enim cœli et per reges terræ intelliguntur dæmones, quos Paulus vocat mundi rectores. Censet enim Alcazar, cap. xxiii, xxiv, xxv, xxvi et xxvii, Isaïæ plane respondere cap. xvii, xviii, xix et xx *Apocal.*, nimirum excidium Tyri, quod describit Isaïas, cap. xxiii, esse Romæ ethnicæ, sive Gentilismi excidium, quod Joannes, *Apoc.* xvii et xviii, sub nomine Babylonis enarrat. Cap. xxiv, Isaïam describere reprobationem Judæorum, et excidium Hierosolymæ per Titum, de quo egit Joannes in *Apocalypsi*, a capite sexto usque ad duodecimum, in septem sigillis libri signati. Tunc ergo a Christo ligatus est Satan per mille annos, usque ad tempora Antichristi, quando solvetur ad modicum tempus, uti ait Joannes, *Apoc.* xx. Hinc tria sequentia Isaïæ capita, scilicet xxv, xxvi et xxvii, impenduntur in gratias Deo agendas, quod Romam ethnicam devastarit, eamque in novam Sionem, id est Ecclesiam Christianam converterit; ejusque obedientiam Leviathan, sive bestiam maris, hoc est Romanum imperium Ethnicam, subjecerit, perinde ac *Apoc.* xix, cœlites ob eandem causam ingeminant : Alleluia. Atque hoc esse arcanum, de quo Isaïas ait cap. xxiv, 16 : « Secretum meum mihi, secretum meum mihi. » Hinc cap. xxvi, de ea canit Isaïas : « Urbs fortitudinis nostræ Sion, etc. Aperite portas, et ingrediatur gens justa. Vetus error abiit, quia incurvabit habitantes in excelso, » hebraice *מרום marom*, q. d. in Roma. Roma enim hebraice a *רום rum*, id est a celsitudine, dicitur. Verum hæc mystica sunt et ingeniosæ potius applicationes, quam genuinæ explicationes sacræ Scripturæ, uti patet ex dictis, et patebit ex dicendis in *Apocalypsi*.

Huc referri potest expositio S. Thomæ, III part., *Quæst.* LII, art. 6, ad 1, quæ talis est : « Christo, inquit, descendente ad inferos, omnes qui erant in quacumque parte inferni sunt aliquantulum visitati; sed quidam ad suam consolationem et liberationem; quidam autem ad suam confutationem et confusionem, sicut damnati. Unde ibidem subditur : Et erubescet luna, et confundetur sol. » Sic etiam explicat S. Hieronymus. Pergit S. Thomas : « Potest etiam hoc referri ad visitationem qua visitabuntur in die judicii, non ut liberentur, sed

ut amplius condemnentur, secundum *Sophon. i* : Visitabo super viros defixos in fœcibus suis. » Ubi addit Suarez : « Quia, inquit, in die iudicii Christus quasi de novo damnatos condemnabit. »

Mystice, S. Cyrillus hanc visitationem explicat de eversione idololatriæ, et potestate dæmonibus ablata per Christum; ipse enim eos sua vi represit, et quasi in custodia conclusit.

Vers. 23.
Erubescet luna,
quomodo?

23. ET ERUBESCET LUNA. — *Primo*, Chaldæus vertit, *cultores solis et lunæ erubescunt in die iudicii coram Deo, et iudice Christo.*

Secundo, luna et sol significant idolum solis et lunæ; idolum vero significat dæmonem idolum inhabitantem, inquit Adamus, *q. d.* Cum viderint dæmones, qui jam pro diis coluntur in terra, Christum, devicta morte, simpliciter et absolute regnare, tunc confundentur.

Tertio, alii, *q. d.* Sol et luna erubescunt, cum videbunt tantam gloriam et lumen Beatorum, quia ejus respectu suum lumen exile videbitur (1).

Quarto, et genuine, *q. d.* Ipsa luna et sol stupescunt et erubescunt, cum viderint tantam reproborum damnationem et pœnam, atque tantam Christi iudicis et Beatorum majestatem in

(1) « Et erubescet luna. » Hanc *lunæ erubescuntiam et solis confusionem* intellige ob excellentiorem gloriam, splendorem et majestatem regnantis Christi; quasi significet occultandum luminarium cœlestium splendorem propter splendorem Christi, quemadmodum splendente sole lumen stellarum delitescit. Hunc itaque defectum metaphoricè *erubescuntiam et aversionem oculorum* vocavit. Hic habes gloriam Evangelii, gloriam regni Dei, quam Apostolus sæpe commemorat, quod magis splendeat quam facies Mosis, quodque tanta sit Domini Jesu gloria ut apostoli ejus *gloriam veluti specula excipientes, ob ingentem virtutem et efficaciam gloriæ illius in claritatem et ipsi transformarentur*, essentque lucidissimi, veluti soles, in orbe. Disparet profecto omnis alia claritas, omnis alia majestas, si cum majestate et gloria illius conferatur; quia « Deus cum esset, manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu, apparuit angelis, prædicatus est gentibus, creditus est mundo, assumptus est in gloria. » Volens ergo Propheta nullam alterius rei gloriam huic esse comparandam significare, elegantissime id *confusione lunæ et solis* significavit, quod majus luminare esset Christus Dominus luminaribus illis magnis. (Forerius.)

His verbis, *et pudore suffundetur luna, ac pudebit sol*, inquit Rosenmuller, qui et ipse hunc sensum proponit, interpretum plures idem indicari volunt, quod Joel, *iii*, 4 (al. *ii*, 31) dicit, fore ut Deo iudice orbis terrarum adventante, « sol in tenebras, et luna in sanguinem convertatur, » quod Joannes, *Apocat. vi*, 15, imitatus est (Cf. *Matth. xxiv*, 29). Sed cum ratio cur cœlestia illa lumina pudore sint suffundenda, statim addatur hæc, quod *regnum capessiverit Jova*, in monte Sione et Hierosolymis; mens vatis potius videtur hæc esse, instauratam Hierosolymam eo splendore collustratum iri qui solis et lunæ lumen longe superet. Pertinet huc quod infra *Lx*, 19, de nova Hierosolyma dicitur : *Non erit tibi amplius sol in lucem diei, et ad splendorem luna non lucebit tibi, sed Jova tibi erit in lucem perpetuam, et Deus tuus tibi erit ornamento.*

consessu senum, id est Patriarcharum et Apostolorum, *q. d.* Hæc omnem hominum et creaturarum captum et analogiam excedent.

Erubescet ergo luna, id est, ut ait Joel, et ex eo S. Petrus, *Actor. cap. ii* : « Luna convertetur in sanguinem, » id est erubescet instar sanguinis, et, ut ait Christus : « Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum. » Causam ruboris et confusionis dat S. Hieronymus : « Erubescet, ait, luna, et confundetur sol, cernens homines qui suo fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonitate fecisse, quia solem suum oriri facit super bonos et malos. »

Erubescunt ergo astra; quod luxerint homini impio, qui hac luce abusus est ad multa et nefanda scelera perpetranda, quibus terram, aerem et cœlum infecit et contaminavit. Si sol, quomodo ergo erubescet et confundetur ipse impius? Ita S. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni, *Dialog. iii*, causam cur luna nunc rubescat, nunc pallescat, dat cædes, veneficia, aliaque scelera, quæ noctu ad ejus lucem fiunt. « Idcirco, inquit, luna præ dolore æstuat, exhorret, abdit sese nubem induens, fratris exemplo (fratrem lunæ vocat solem, qui in passione Christi Judæis Christicidis indignans, radios suos subtraxit), splendorem suum indignis largiri dedignatur, cœlitus velut ex aliqua specula per ipsam immutationem sui clamans, et caligine puniens; atque coercens homicidas ab impio facinore. » Hæc si literaliter ut sonant accipias, Platonis errorem olent, qui censuit solem, lunam et sidera esse animata; sin mystice et symbolice, uti Isaias hic, vera sunt.

Porro Septuaginta vertunt, *liquefiet later, et cadet murus*; Hebræa enim *laben*, vel *lebana*, et laterem et lunam significant; *חומה* *chamma* vero, id est *sol*, si alio puncto legas *חומה* *choma*, significat murum. Rursum pro *הפרה* *chapera*, id est *erubescet*, legerunt *הפרה* *haphera*, id est *frangetur, dilabatur, cadet*. Sensus est, *q. d.* In excidio urbis Hierosolymæ, vel potius totius orbis, per ignem conflagrationis liquefient omnes lateres, et corruent omnes muri. In editione vero Septuaginta Complutensi aliisque nonnullis, additur pariter id quod Noster vertit : « Et erubescet luna, et confundetur sol. » Verum hæc non leguntur in editione Septuaginta, Romana, nec apud S. Cyrillum, et apud Procopium sunt addita margini, tanquam ex alia editione; et S. Hieronymus testatur pro his Septuaginta vertisse, *liquefiet later, et cadet murus*. Non enim videtur credibile Septuaginta eodem loco eandem vocem dupliciter, aliter scilicet et aliter vertisse.

CUM REGNAVERIT DOMINUS, — cum regnare incipiet in valle Josaphat juxta montem Sion, iudicando et damnando improbos, Sanctos vero glorificando.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicuti cap. XII, primi adventus Christi beneficia cantico clausit, ita hic secundi adventus munera hymno escharistico concludit. Est ergo hic laus Dei glorificatoris, quam assumit Isaias in persona salvandorum per Christi passionem, qui pauci in tanto damnandorum numero mire exsultabunt, Deoque et sibi gratulabuntur. Has laudes et jubilos Beatorum sæpe imitatur S. Joannes in Apocal. Ita S. Hieronymus, et patet ex connectione cum cap. præcedenti. Primo ergo Beati hic gratias agunt Deo, quod hostibus eorum impiis et superbis depressis mundoque vastato, ipsi ad portum salutis pervenerint. Secundo, vers. 6, per convivium medullatorum et vindemiæ, atque per vinculi colligati dissolutionem, Sanctorum libertatem et delicias describit. Tertio, vers. 10, Moab, id est, reprobos, plaustro iræ Dei trituros atque calcandos prænuntiat (1).

1. Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. 2. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum : ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur. 3. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. 4. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua : spes a turbine, umbraculum ab æstu, spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. 5. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis : et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies. 6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. 7. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. 8. Præcipitabit mortem in sempiternum : et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra : quia Dominus locutus est. 9. Et dicet in die illa : Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos : iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus. 10. Quia requiescet manus Domini in monte isto : et triturbabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro. 11. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum : et humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus. 12. Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem.

1. FECISTI (id est certo facies, ac in tua præscientia et decreto jam fecisti) COGITATIONES ANTIQUAS FIDELES (*q. d.* Quæ ab æterno cogitasti et

decrevistis, quæque per sanctos Patriarchas et Prophetas olim minatus es, et promisisti de orbis et impiorum excidio, deque piorum gloria, illa fide-

(1) Capita **XXIV**, **XXV**, **XXVI**, **XXVII**, arctissime inter se conjungi, unamque et continuam prophetiam complecti supra (in prima annotatione ad caput præcedens) observavimus. Incepit istud vaticinium urbis dirutæ descriptione, cujus cladi paucissimi incolæ evadunt, Deumque in Sion regnantem glorificant (cap. **XXIV**). Propter istam liberationem Propheta abruptit filum propheticæ narrationis, et Dei laudationem aggreditur; nam ex tunc temporis Jerusalem erit locus ubi omnes nationes, hostibus Dei destructis, congregabuntur (cap. **XXV**). Ipse populi liberatus Deo gratias persolvit (**XXVI**); nam iis diebus, cadet magna hæc, et Israeli, longissimis penis afflicto vita restituatur (**XXVII**). Porro hæc prophetia in sensu litterali proximiori referri potest ad destructionem Jerusalem (**XXIV**, 10, 13); ad exilium incolarum ejus, totiusque regionis (**XXIV**, 1, 3); ad devastationem Babylonis ejusque imperii a Persis (**XXIV**, 16, 21); ad Ju-

dæorum reditum post Babylonis casum (**XXV**, 2, 8; **XXVII**, 1, 12, 13); rerumque Judaicarum plane refflorescentiam statum (**XXVI**, 12-16). Sed cum isti eventus Messianicæ, adeoque ultimæ ætatis typi erant, recte interpretes hæc remotiora tempora in interiori litteræ cortice inclusa viderunt. Hic autem observandum est Prophetam, quæ pertinent ad fata Jerusalem terrestres, quam præsertim intendere videbatur, aliquando relinquere, ut ad ultima tempora avolet; ita ut de his non solum typice, sed ad litteram loquatur, et tunc terrestres Jerusalem eventus postponantur, dum res Jerusalem spiritualis, id est Ecclesiæ, primum locum obtineant; v. g. talia sunt quæ de religione quam omnino omnes homines per totam terram amplectentur (**XXV**, 6, 7); de fine mundi (**XXIV**, 4, 19); de resurrectione (**XXVI**, 14, 19); de judicio ultimo (**XXIV**, 21, 22); de Ecclesiæ transformatione in cœlesti Jerusalem (**XXIV**, 23). Sic et ipse Christus prophetiæ de

iter adimplesti, id est adimplebis. Unde optans id fieri subdit), AMEN, — id est fiat, uti vertunt Septuaginta.

Secundo, Vatablus et Sanchez hebræum אָמֵן אמֵּנָא emuna amen, vertunt, fecisti cogitationes antiquas, quæ sunt fidelitas fidelitas, id est fidelissimæ et firmissimæ. Mirum est quod S. Thomas hic in fine capituli exponat amen, quasi sit vox Græca conflata ex α privativo, et μῆν, id est luna, q. d. Sine luna, hoc est sine defectu, puta solidum et stabile. Constat enim amen Hebræum esse, et Hebræum, non Græcum habere etymon.

Vers. 2. 2. QUIA POSUISTI CIVITATEM IN TUMULUM. — Civitatem vocat orbem terrarum, qui majori sui parte est civitas impiorum; hinc gratias agit Deo de illa excisa, et « in tumulum, » id est in acervum lapidum, redacta. Eamdem vocat domum (Hebraice אֶרְמוֹן armon, id est palatium, notat superbas domos potentum et divitum in orbe) « alienorum, » id est impiorum, ut vertunt Septuaginta; impii enim, cum naturaliter per regenerationem in baptismo, aut per Sacramentum pœnitentiæ facti fuerint filii Dei, ipsi tamen sua prava voluntate ad idola aut vitia, quasi ad deos suos degenerarunt et alienarunt se (1).

Vers. 3. 3. SUPER HOC LAUDABIT TE POPULUS FORTIS, — sanctorum scilicet et electorum, qui fortiter se suasque cupiditates, mundi illecebras et dæmonis tentationes superarunt. Ita Lyranus. Unde Septuaginta pro populus fortis, vertunt mendicos et iniquitatem sustinentes : hi enim fortes mendicita-

Jerusalem per Romanos excidio, ultimi exitus mundi descriptionem annexit (Matth. xxiv). (Sx Allioli.)

Hoc adhuc notandum, ait Berthierus : Cum aliqua prophetia duos præbeat sensus litterales, secundus et sublimior sensus ex amplitudine et vi verborum quæ in plerisque versibus disseminantur, agnoscitur, dum e contra in aliis versibus sunt quædam imagines ipsis terminis circumscriptæ, quæ ad primum et minus dignum sensum pertinent, et amplificatione opus habent ut sublimiori congruant, sicut et priores descriptiones contrahendæ sunt ut proximiori sensui convenient. Vide quæ diximus de duobus sensibus litteralibus non ubique, sed in quibusdam Prophetarum locis, agnoscendis, Annotat ad Can. XXXV.

In hoc igitur capite, habitudo ultimi iudicii describitur; relata

Primo, ad gloriam iudicii, primo, mirabilia ab æterno jam decreta edentis, 1; secundo, vindictam contra impios, cum omnium approbatione, exsequentiis, 2, 3; tertio, tutelam piis et liberationem afferentis, 4, 5.

Secundo, ad solatium proborum, primo, admittendorum ad cœleste convivium, 6; secundo, liberandorum a malis omnibus hæcenus toleratis, 7, 8; tertio, cumulandorum omnibus bonis interea expectatis, 9.

Tertio, ad terrorem improborum, primo, severe plectendorum, 10; secundo, ignominiose humiliandorum, 11; tertio, funditus perdendorum, 12.

(1) Nomine עֵיָר non certa quædam urbs, ut Samaria, Ninive, Babylon indicatur, sed intelligit vates urbem unamquamque munitam, Hebræis (nos addemus et Christianis) adversariam, ut supra xxiv, 10-12. Recte Græcus Alexandrinus, ὅτι ἐθῆρας πόλεις εἰς χῶμα; Chaldæus redigisse urbes munitas in acervos. (Rosenmuller.)

tem, injurias et calumnias generose tolerant. Vertunt ergo ipsi, propter hoc benedicet tibi populus mendicus, et civitas hominum iniquitatem sustinentium benedicet tibi; quia, ut sequitur, factus es fortitudo pauperum, q. d. Pauperes hi hanc suam fortitudinem non suis, sed tuis, tuæque gratiæ viribus acceptam ferent : agnoscent enim naturæ suæ infirmitatem, seque ex se esse imbecilles, sed fortes ex Deo. Hæc ergo est fortitudo Christiana, quæ adversis non succumbit, sed instar palmæ magis se erigit. Sicut calx aqua, ignis flabello, ferrum cote magis acuitur et accenditur : ita fortitudo et patientia Sanctorum afflictionibus et persecutionibus increscit, magisque inflammatur, nimirum « virescit vulnere virtus, » et, ut aiebat Cato :

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti : gaudet patientia duris.

CIVITAS GENTIUM ROBUSTARUM (hoc est Ecclesia ex validis gentibus congregata) TIMEBIT TE, — reveberitur te, uti filii observant et reverentur parentes. Ita Septuaginta. Cœlum ergo et cœlestis Jerusalem est civitas fortium, quorum typus fuerunt fortes athletæ Davidis, II Reg. xxiii, 8. Audi hac de re illustrem visionem quam narrat Joannes Moschus in Prato spirituali, cap. x : « Narravit nobis Abbas Athanasius de se : Venit, inquit, mihi aliquando cogitatio dicens : Quid putas erit certantibus, et non certantibus? Et cum factus essem in exstasi, venit ad me quidam dicens mihi : Sequere me. Adduxit me in quemdam locum plenum luminis et gloriæ, statuitque me juxta unam januam, cujus species enarrari non potest. Audiebamus autem interius quasi multitudinem innumerabilem laudantium Deum. Cumque pulsaremus, audivit quispiam intus, et dixit : Quid vultis? Ait ductor meus : Ingredi volumus. Respondit ille : Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens. Sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi. »

Secundo, Vatablus vertit, civitas gentium violentarum et tyrannicarum (hæ enim hebraice vocantur אֲרִיסִים aritsim, vers. 4 et 5, ubi pariter Noster robustos vel fortes vertit, ut ibi patebit) timebit te, q. d. Civitas impiorum qui pios oppresserunt, de qua jam dixi, videns tantam sui cladem, serviliter timebit carnificem : hic sensus magis congruit Hebræo aritsim (2).

(2) Quis sit populus ille fortis? Forerius putat de civitate fidelium esse sermonem tam ex Judæis quam ex gentibus collecta, qui ad fidem Abrahæ pertinent, quia amplexati sunt semen Abrahæ Christum, inserti in bonam radicem ex misericordia, qui cum essent « non populus, non gens, gens stulta, » ut vocat Moses, cum essent « pauperes, debiles, claudi, » ad nuptias Filii Dei vocati sunt, et civitate donati, ut essent jam « non hospites et advænæ, sed cives sanctorum » et domestici Dei. Isti ergo cum illos qui non ceciderunt neque scandalizati sunt Judæis, quibus non fuit Christus « in ruinam, » sed « in resurrectionem, » qui non fuerunt « rebelles hæmini, laudabunt, ho-

Vers. 4.

4. SPES A TURBINE, UMBRACULUM AB ÆSTU, — *q. d.* Deus Sanctis in omni turbine, id est persecutione et æstu, id est tentatione, fuit protector instar umbraculi, in quo sperarunt, et ad quod confugerunt.

SPIRITUS ENIM ROBUSTORUM (hebraice *aritsim*, id est violentorum tyrannorum) QUASI TURBO. — Est hic triplex sensus : *primus*, ut explicet hic Propheta quantus fuerit impiorum turbo et æstus in pios, *q. d.* Vis et furor, quem violenti homines et dæmones fragilibus fidelibus et sanctis intulerunt, et tempore Antichristi (de eo enim agit) inferent, fuit eritque validus et impetuusus quasi turbo, qui etiam parietem impellit et dejicit, *q. d.* Ergo merito dixi, quod tu solus fueris eis fortitudo, quia inter medios hostium assultus, quasi inter turbines et fluctus steterunt immobiles quasi rupes et saxa. Idem eorum furor fuit sicut « æstus in siti, » id est sicut æstus qui mire affligit sitibundos. Quare tu, o Domine ! merito « tumultum » horum « alienorum humiliabis ? » Ita hæc connectunt et dispungunt Lyranus, Vatablus et Forerius.

Secundus sensus est, ut hæc non ad impios, sed ad Christum pertineant, quasi explicet Propheta quantus sit futurus turbo et æstus, id est furor, Christi in impios : repetendum enim est per zeugma verbum *humiliabis*, quod sequitur, *q. d.* Tu, Domine, altos et superbos spiritus arrogantium et tyrannorum humiliabis, sicut turbo vehemens qui parietem impellit et dejicit; et rursus « tumultum, » id est vim et potentiam, eorum humiliabis, sicut æstus nimius conficere solet homines in arena ardente et sitiente.

Tertio, aptissime versio nostra juxta editionem Romanam, et Chaldaeus hæc ita dispungunt, ut prior pars pertineat ad impios, juxta sensum primo loco datum; posterior vero pars pertineat ad Christum eorum judicem et vindicem, scilicet quæ ait : « Sicut æstus in siti tumultum alienorum humiliabis. » Ibi enim est dispunctio, ibique incipit vers. 5, *q. d.* Quia spiritus robustorum, id est violentorum et impiorum, quasi turbo grassati sunt in pios, hinc tu, o Christe judex ! sicut æstus in siti, id est sicut æstus maximus, qualis est in loco arido et siticuloso (ubi nulla est umbra quæ æstum temperet, aut aqua quæ æstuantem refrigeret), mire viatores sudantes et sitibundos affligit : ita et tu in die judicii valde affliges alienos, id est impios, qui se a te alienarunt, ob eorum tumultus quibus fideles tuos vexarunt, eosque calore et igne æterno exures, ibique ariditate et siti intolerabili conficies, ut cum divite Epulone petant aquam

norabunt et perpetuo colent Dominum. » *Avr* autem, inter quos Calmetus, Berthierus, Allioli et Rosenmuller, existimant liberationem et salutem quam Deus populo suo ad extremas angustias redacto præstiterat, ei conciliare reverentiam et honorem gentium potentium et ferocium; quin imo ipsarum quoque illarum gentium, quæ Hebræis et postea Christianis adversatæ fuerant et in eos affectaverant imperium, et tyrannidem exercebant

qua linguam refrigerent, et ne vel guttam impetrabunt (1).

5. ET QUASI CALORE SUB NUBE TORRENTE PROPAGINEM FORTIUM (hebraice *aritsim*, id est violentorum, ut supra) MARCESCERE FACIES. — Pagninus vertit, *sicut æstus sub umbra nubis propago fortium humiliabitur, q. d.* Sicut frangitur æstus superveniente nube : ita propago impiorum frangetur et debilitabitur a Deo vindice. Verum melius vertit Noster. Pro cujus expositione, nota æstum qui ex densis nubibus provenit esse vehementissimum : solares enim radii angustiis nubium constricti et condensati validius agunt, feriuntque homines, agros et vineas. Symbolice, hic æstus nubis notat sententiam Christi judicis in nube residentis, qua impios cruciabit uretque dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum. » Rursum pro « propaginem » hebraice est *רמי zamir*, id est putatio, proventus vitium, puta uvæ quæ putantur, et vina quæ ex uvis putatis proveniunt, per quæ synecdochice omnes impiorum deliciæ et voluptates significantur : voluptuarii enim maxime gaudent vino et symposiis. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut nubes æstuantis torret terram et vineas, ita Christus in die judicii perdet et exuret omnes impiorum delicias, quibus se oblectabant.

Quocirca apte et pie notat Sanchez illustre æstus, id est tribulationis, justorum et injustorum, discrimen. Æstuant, inquit, justi urgentibus et urentibus impiis : sed æstus ille brevis est, et temperatus a Deo, qui eis est umbraculum ab æstu, id est nubes opposita a tyrannorum ardore. Æstuant impii, sed æstu ad dolorem atque ardorem gravi, et ad durationem æterno : imminet eis Deus quasi nubes ardens et torrens, quæ eos æternis flammis cruciet; et marcescere faciat propaginem, id est, omnes superioris vitæ voluptates.

6. ET FACIET DOMINUS, etc., IN MONTE HOC CONVIVIVUM PINGUIUM, CONVIVIVUM VINDEMIE. — Opponit convivium hoc vindemiæ sanctorum, propagini, id est vino et deliciis, impiorum marcescentibus et exurendis, de quo vers. præced. Nota, quod ait, « in monte hoc, » erat tum Hierosolymis Isaias, et digito demonstrabat montem Sion, aut ei vicinum montem Olivarum. Nam juxta hunc montem Christus sedens in aere quasi super Sion, et super vallem ipsam Josaphat, ac super montem Olivarum, peraget judicium, ibique suos electos glorificare, et æternis deliciis pascere incipiet, idque facere perget in Sion cœlesti per omnem æternitatem (2).

(1) Juxta Hebræum, melius veritas primam hujus versus partem, *sicut æstum in ardente vel in sicco solo* (scilicet umbra nubis minuere sive reprimere solet, prout hemistichio altero explicatur, ita) *tumultum alienorum humiliabis*. Simili modo hæc Kimchi exponit : « Quemadmodum ab æstu et calore in loco torrido non est hominibus effugium, sic tu deprimis turbas exterorum illorum, adeo ut nullus iis sit evadendi locus. »

(2) Grotius in hoc secutus nonnullos ex interpretibus

Vers. 5.

Vers. 6.

Jam primo, Eusebius, lib. I *De Demonstr.* cap. ult., Cyrillus, Procopius, Cyprianus, vel potius Rufinus in *Expositione Symboli*, et ex iis Leo Castrius, hæc accipiunt de convivio Eucharistico corporis et sanguinis Christi, quæ summæ Sanctorum sunt delicæ: utriusque enim speciei meminit, scilicet panis et carnis, cum vocat convivium medullatorum; et vini ac sanguinis Christi, cum vocat convivium vindemiæ, id est vini ex vindemia expressi. Eucharistia enim præ omnibus epulis mentem saginat, impingat et inebriat; adeo ut sancta quædam virgo solita sit dicere: « Mibi certum est vel unicam Eucharistiæ sumptionem, si fiat cum vero spiritu et sensu devotionis, aptam natamque esse efficere, ut anima perveniat ad magnam vitæ virtutisque perfectionem. » Unde et S. Monica, sumpta Eucharistia, quasi mente ebria exclamabat: « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Unde Septuaginta hic vertunt, *bibent in lætitia, bibent vinum, ungentur unguento*. Uctionem hanc ad sacramentum Confirmationis, in quo chrismate ungitur exterius, et interius robore Spiritus Sancti, ut quasi athlete Christi, ejus fidem profiteamur et pro-

Hebræis, qui hoc comma acceperunt in deteriorem sensum, pro convivio funesto et lethali, quod convivis afferret exitium: permoti præcipue dictione שמרי, quæ cum fæces notet, de convivio læto et lauto hic nullo modo posse sermonem esse putarunt. Præterea contulerunt locum, *Ezech. xxxix, 17* et seqq., ubi memoratur epulum, quod Deus ex mactatis a se pararet. Cujus loci tamen ratio est plane alia ac nostri. Neque enim in monte Sionis, nec in usum populorum, ut hic, sed in montibus Israelis, et in usum avium rapacium, quæ solemniter invitantur ad edendum carnem et bibendum sanguinem principum terræ, heroum, militum, Ezechiel Deum epulum parare dicit. Nec magis cum hoc loco convenit, *Obed., vers. 16*, ubi dicitur *propinandum esse populis poculum vini lethiferi, poculum iræ Dei*; aut *Zachar. xii, 2*, ubi vates Hierosolymam redditum iri dicit *pelvim vertiginis omnibus populis circumquaque*. Hoc vero loco Jesajano convivium pinguium non nisi in partem meliorem pro convivio læto, jucundo, sumi potest. Sic infra, *lxv, 2*, in *Psalm. xxxvi, 9*, *lxiii, 6*. Accedit quod quæ versu proximo sequuntur de *velo removendo a facie omnium populorum*, et de *lacrymis detergendis de omnibus faciebus*, nec non de *morte absorbenda* in perpetuum, non nisi in meliorem partem accipi queant.... Recte Vogel ad Grotium: « Vers. 6 et 7, amicitiam describit, quam omnes exteri populi, qui ante hostes Judæorum fuerant, cum iis jam colerent. Convivii imago *שמרי* usus est Propheta, non ad vindictam Dei indicandam hic adhibita esse videtur, sed quod gentes quæ Hierosolymam venirent, admodum honorifice a Deo exciperentur, eorumque causa lautissimæ epulæ celebrarentur. » Similiter Dæderlein: « Inter victoriæ pacisque festivitates non ultimæ erant epulæ. Hic ob victoriæ magnitudinem lautissimas promittit.... Alludit vates ad morem regum et imperatorum, qui in solemnitatibus et imprimis post reportatam victoriam de hoste populo epulam præbere solebant. Sic Davides, I *Chronic. xvi, 1-3*. Receptissima erat hæc consuetudo Græcis, de quibus plura exempla profert Athenæus, lib. I, cap. iii; ac maxime Romanis, ut exemplum est luculentum in famoso illo epulo liberalitate Pauli Emili Græciæ populis dato post Persæum victum. Vide Stuchii, *Antiquit. Convival.*, libro I, cap. xxi, pag. 94, edit. Amstel. 1695. (Ex Rosenmuller.)

pugnemus usque ad mortem et martyrium, referunt S. Cyrillus Hierosolymitanus et Alexandrinus, et post eos Theophanes Episcopus Nicææ, in *Concordia novi et veteris Testamenti*.

Verum dico ad litteram hic agi de deliciis Beatorum in cælo: quare per convivium hoc medullatorum non intelliguntur carnales, sed spirituales et summæ delicæ, per catachresin: delicæ, inquam, Sanctorum in cælo, quas hic prælibamus in Eucharistia. Unde ad Eucharistiam hic alludit, præsertim quia caro Christi in Eucharistia propter unionem hypostaticam cum Verbo, habet vim, vel physicam, ut aliqui Doctores volunt, vel potius moralem vivificandi; ita ut ejus virtute ad gloriam et immortalitatem, atque ad delicias cœlestes resurrectura sint corpora Sanctorum, ut patet *Joan. vi, 50* et *57*, uti explicant S. Cyrillus et Leontius. Quocirca huc videtur alluisse Christus in ultima cœna, *Lucæ cap. xxii, 16*, et *Matth. cap. xxvi, 29*, dicens: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei, » scilicet in cœna magna nuptiarum Agni, de qua *Matth. xxii*, et *Apocal. xix*: « Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. »

Nota: Convivii hujus cœlestis delicæ denotantur per duo: primo, per *pinguia* (id est bene saginata) *medullata*; medulla enim ossium est delicatissima, et arguit carnes esse delicatissimas.

Secundo, per *vindemiam*, id est, vinum defæcatum, hoc est purissimum, limpidissimum et suavissimum. Pro *vindemia* hebraice est שמרי *scemarin*, id est, fæces quæ sunt in fundo vasis, quæque vina ipsa conservant, a radice שמר *scamar*, id est, servavit, conservavit: optimum enim vinum est, quod in suis fæcibus quasi residet, ibique nativum saporem et vigorem retinet et conservat (1). Rursum in dolio vinum optimum, id est quod non longe a fæcibus distat. Aiunt enim phy-

(1) Verbum קק in libris hebraicis proprie usurpatur de metallis, auro et argento, quæ purificantur in fornace, *Job. xxxviii, 1*; I *Chronic. xxviii, 18*; *xxix, 4*; unde translatum ad liquida, quæ purgantur ope coli et sacci colatorii. Maneat igitur *convivium fæcum saccatarum*, sive *percolatarum*. *Saccari* Latinis veteribus dicitur liquor, qui per saccum transmittitur; quod quidem proprie non convenit fæcibus, quæ in sacco resident, sed vino purgando a fæcibus. שמרי igitur hic ponitur pro vinum fæcum.... Fiebat illa vini defæcatio, uti diximus, colo aut sacco; unde *σακχίας οἶνος ὁ διωλισμένος*, apud Pollucem, *Onomast.*, lib. VI, cap. ii, et οἶνος σακχίζόμενος, nec non *δισθιζός*, Theophraste, *De Causis Plantarum*, lib. VI, cap. ix, xxiv. Per vinum autem hoc modo percolatum et defæcatum idem erit intelligendum, quod Herodotus, lib. I, cap. ccvii, οἶνον ἄκμητον appellat, quod vinum merum sive meracum quale primum bibebatur..., et opponitur vino aqua misceri solito; qui mos, ut satis notum, ex Hesiodi etiam præcepto, veteribus passim fuit receptus.... Imo fere in epulis, quæ ad perfectam lætitiâ instruitur, merum bibitur, et ponitur in parte felicitatis, merito uti posse, ut liquet ex Ode Mosaiæ, *Deut. xxxii, 14*: Et sanguinem uvarum potas merum. (Rosenmuller.)

Convivium
medullatorum,
quæ?

Meloptimum in imo, oleum in summo, vinum in medio, cur? sici et inter eos nostri Conimbricenses, tractat. 7 in *Meteor.*, cap. ix, in dolio mellis optimum esse mel, quod est in imo sive fundo: in dolio olei optimum oleum esse, quod est in summo: in dolio vini optimum esse vinum, quod est in medio, horumque hanc dant causam: quia optimum id mel habetur, quod minus fluit, et quasi saccharum concrevit: tale vero suo pondere ad ima labitur. At oleum id excellit, quod nitidius est et defæcatius, magisque aereum: hoc autem quia levius, innatat. Denique, vis vini in calore consistit, qui ut noxam fugiat, maxime colligitur circa medium: summa enim pars ab aere proximo læditur, et vappescit. Sensus ergo est, q. d. In cælis erunt deliciae suavissimæ et plenissimæ, quales in hac vita æstimantur esse in convivio, ubi non nisi altitia medullata, et vinum *scemarim*, hoc est optimum et delicatissimum, gustanda proponuntur. Innuit Propheta vinum, id est consolationem, etiam spiritualem, a Deo immissam in hac vita non esse omnino defæcatam, sed semper cum aliqua fæce et acore crucis et tribulationis permixtam esse: consolatio enim liquida et limpida cælo reservatur. Pari modo in hac vita Sancti læti in Domino comedunt quasi carnem et ossa; sed in cælo comedent medullam.

Cyristratagema. Refert Xenophon Cyrum hoc stratagemate suos Persas ad bellum, ejusque labores incitasse: jussit eos in sylvam ire, ibique toto die ingenti labore ligna cædere; postero die omnes opiparo et splendido convivio excepit. Deinde quæsivit ex eis, uter dies eis videretur melior, pridianus an hodiernus, utrum mallent? Responderunt omnes extemplo, hodiernum, utpote gaudii et deliciarum, cum pridianus fuisset laboris et afflictionis. Tum Cyrus: Si talem diem perennem habere vultis, modico tempore vobis laborandum est, ac certandum cum hostibus; ita enim eos vincetis, eorumque opibus ac deliciis immensis jugiter fruemini. Idem dicit Christus athletic suis: « Vos estis, inquit, qui permansistis mecum in tentationibus meis: et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeat super thronos judicantes duodecim tribus Israel, » *Luc. xxii*, 30. Et alibi dicitur, quod « faciet illos discumbere in regno Patris, et transiens ministrabit illis. » Age ergo, o miles Christiane! certa viriliter, vince teipsum, et omnia vicisti? sustine parumper, alge, abstine, humiliare, ægrota, suda, fer verba dura et verbera; brevi coronaberis, brevi epulaberis in mensa Christi, omnibusque bonis affluens: « Momentaneum enim et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. »

7. ET PRÆCIPITABIT IN MONTE ISTO FACIEM VINCULI COLLIGATI (1), — id est, oppressionem diaboli,

(1) Melius sic vertas hebræum, et *abolebit in monte hoc faciem operimenti expansi super omnes populos; et vela-*

inquit Haymo; unde Symmachus vertit, *præcipitabit faciem Dominatoris. Secundo*, S. Hieronymus: *Absorberi, inquit, faciet faciem mortis, et vincula quibus universi populi ligabantur; de quo dicitur Ecclesiast. xl*, 1: « Jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium. » *Tertio* et plenius, *præcipitabit faciem vinculi*, id est ipsum vinculum, hoc est peccatum originale, ejusque effectus et vincula: unde Hebraice est הללוט הללוט *hallot, hallot*, id est vinculum, vinculum, id est plurima omniaque vincula. Noster vertit *colligatum*, id est replicatum et involutum, ut multis spiribus quasi vinculis hominem constringat, et arctius vinciat: omnia enim hæc mala et vincula dependent, et quasi colligata sunt tum inter se, tum cum primo Adæ peccato. Vincula ergo hæc sunt ærumnæ hujus vitæ, et mortalitatis post lapsum Adæ, q. d. Deus dirumpet omnia

men expansum super omnes gentes. Imago petita a luctu Hebræorum, qui tum faciem obvelare solebant (vide *II Reg. xv*, 30, *xix*, 5; *Esther vi*, 12. Alii *operimento faciei* indicari existimant ignorantiam et superstitionem quæ gentium mentes obvelabat quasi velamen istud cordi obductum, de quo Paulus, *II Cor. iii*, 13, 14, a gentibus æque ac Judæis per Messiam amovendum.

Quam interpretationem sic probat et explanat Forerius: Nos *tegumentum expansum* apte vertimus; nam obscurum erat quis esset orditus telam. Sed hactenus de grammaticis significationibus, quas omnino prius tenere oportebat; nam earum ignorantia in obscuris locis S. Scripturæ viros alioqui doctos præcipites dedit. Et ne ab eadem similitudine longius recedamus, ut mea est sententia, cum nihil sic faciat homines ruere aut præcipitari quam implicatio, obscuritas, operimenta, et ipsa denique cæcitas; cum de ablatione harum rerum per Dominum montis Sionis Propheta loqueretur, aptissime eodem verbo usus est. Dicit enim, « Dominum præcipitaturum » ea quæ ad præcipitium gentes adducebant, nempe ignorantiam seu cæcitatem, qua, veluti quodam *velo* seu amplissimo *tegumento* per omnium nationum animos *diffuso*, non erat qui qua eundem esset posset intelligere, neque erant qui « Deum aut agnoscerent, aut sicut Deum glorificarent? » *In monte* autem *illo*, dato per Dominum discipulis Spiritu Sancto a quo edocti possent docere omnes gentes, discissum est *velamen*. « Notam enim fecit Dominus salutem suam, et in conspectu gentium revelavit justitiam suam. » Frequens autem in Scripturis est « *velaminis*, » ad ignorantiam declarandam similitudo. Nam « et velamen super cor Judæorum adhuc positum, » dicit Paulus, et « auferendum cum conversi fuerint ad Dominum, » *II Cor. iii*. Neque discissio illa veli in templo aliud, credo, notabat, quam per Domini mortem sanctissima et occultissima quæque omnibus patere; neque in cæcitate mansuros nisi qui velamen suis manibus iterum super oculos ponerent; aut sese Deo hujus sæculi, cujus est « mentes excæcare ne fulgeat hominibus splendor Evangelii, » traderent; de quibus Paulus, *Ephes. iv*: « Testificor, ne jam ambuletis sicut et gentes, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitate cordis ipsorum. » Non erat autem in postremo loco hæc *beneficium* Christi collocandum. Quod si quis de regno peccati velit intelligere, quod regnavit super omnes (nam et Chaldæus hic *principatus* meminit qui erat super omnes nationes), non repugno. (Forerius.)

vincula errorum, morborum, persecutionum, miseriarum, tribulationum et mortis, quæ mox ut Adam peccavit, omnibus hominibus cœpit infligere, quibusque homines astricti et colligati tenebantur.

ET TELAM QUAM ORDITUS EST SUPER OMNES NATIONES. — Quod prius vocavit *vinculum*, hic alia metaphora vocat *telam*: ex tela enim fiunt involucra, funes et vincula. Sic Poetæ fatum, sive decretum Dei de quolibet homine explicant per telam et stamina Parcarum, quæ cuique nent, id est dispensant, bonam vel malam sortem pro meritis, et pro voluntate Dei; de iis enim dicitur:

Clotho rotat fusum, Lachesis net, et Atropos occat.

Vers. 8.

8. PRÆCIPITABIT MORTEM IN SEMPITERNUM. — Ecce hic præcipuam vinculi et telæ partem nominat et explicat, scilicet mortem: hunc locum citat S. Paulus, I *Corinth.* xv: « Absorpta est, inquit, mors in victoria: » pro בילה *billa* enim in *piel*, id est præcipitabit, absorbebit, legit בילה *bulla* in *pual*, id est præcipitata, absorpta est: deinde Hebræum לנצח *lanetsach*, tam verti potest in *victoria*, quam « in sempiternum. »

ET AUFERET DOMINUS DEUS LACRYMAM. — Ecce alia pars *vinculi*, scilicet ploratus, gemitus et lacrymæ in tot ærumnis et afflictionibus hujus vitæ. Huc allusit S. Joannes, *Apocal.* xxi, 4: « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra. » Ecce vincula quæ Deus a Beatis auferet.

Vers. 9.

9. ET DICET IN ILLA DIE: ECCE DEUS NOSTER ISTE (scilicet Christus Jesus, id est Salvator noster, quo alludit Hebræum יושיענו *ioscienu*, id est salvabit nos salute æternâ, *q. d.* Semper durabit ista Christi salvatio: ita S. Hieronymus), ET LÆTABIMUR (בישועתו *biscuato*, id est) IN SALUTARI EJUS, — ut vertit Noster, id est in salute ejus, ut vertunt Septuaginta.

Vers. 10.

10. REQUIESCET MANUS DOMINI IN MONTE ISTO. — «Manus,» id est potentia Dei, *q. d.* Deus suas opes, suas delicias, suam magnificentiam exeret, et potenter ac liberaliter effundet Beatis in Sion, id est in cælo. Ita Adamus. Hic sensus est genuinus.

Secundo, Sanchez, «manus,» scilicet ultrix Dei, requiescet, id est cessabit in cælo, *q. d.* Deus amplius suos Sanctos non castigabit ut purget et expiet, uti fecit in hoc mundo.

Tertio, alii, *q. d.* Deus sua manu, id est potentia, immenso gaudio beabit Sanctos, dando eis æternam quietem.

ET TRITURABITUR MOAB SUB EO. — S. Thomas per *Moab* proprie accipit Moabitas, quasi hic Isaias de iis prædicat, quod subigendi sint a Machabæis. Verum non de Machabæis, sed de Beatis hic agitur, eorumque hostibus, scilicet dæmonibus et damnatis, quos synecdochice vocat *Moab*: quia Moabitæ fuerunt perpetui hostes populi Dei, sive Judæorum, eosque ad libidinem et cultum sui

dei Beelphegor, id est Priapi, illexerunt, *Numer.* xxv, *q. d.* « Moab, » id est populus impiorum, ideoque damnatorum, « sub eo, » scilicet Christo iudice, ejusque populo sancto et beato, « triturbabitur, » id est calcabitur et affligetur.

SICUTI TERUNTUR PALEÆ IN PLAUSTRO. — Alludit primo ad Orientales, qui ob fœni penuriam paleas dant jumentis: « Habent autem carpenta serrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quæ stipulam conterunt et minuunt in paleas, » inquit S. Hieronymus.

Secundo, alludit ad Davidem, patrem et typum Christi, qui Moabitas concidit et conculcavit, II *Regum*, cap. viii, 2.

Pro *plauastro* hebraice est מרמנה *madmena*, quod a radice דמה *dama*, id est, succidere, descendit, significatque plaustrum serratum et scindens, uti vertit Noster et Septuaginta. Verum Chaldæus, Symmachus, Vatablus et passim recentiores Hebræi *madmena* vertunt, *sterquilinium*, a radice דומן *domen*, id est stercus, *q. d.* Deus calcabit Moab, id est impios, sicuti calcantur paleæ in sterquilinio, ut fiant stercus (1).

11. ET EXTENDET MANUS SUAS SUB EO, SICUT EXTENDIT NATANS AD NATANDUM. — Pro *sub eo* hebraice est in medio ejus. Unde Vatablus hoc de Christo exponit, *q. d.* Sicut peritus natandi solet porrigere et extendere utramque manum secundum aquam: ita porrecta utraque manu hostes suos, scilicet impios, cædet Christus, idque virtute et merito

(1) Forsan S. Hieronymus melius scriberet, *sicut teruntur paleæ plauastro*, sed imitari voluit Græcum Alexandrinum, qui habet ἐν ἀμάξαις. Sensus enim dat verbis: « Ut solent plauastro paleæ conteri, » adscribitque ad interpretationem commendandam, « hoc juxta ritum loquitur Palæstinæ et multorum Orientis provinciarum, quæ ob pratorum et fœni penuriam paleas præparant esui animantium. »

Principio frumentum baculis excutiebatur, quod deinceps in minoribus duntaxat granis, aut in minori quantitate frumenti retentum fuit, *Ruth*, ii, 17; *Judic.* vi, 11; *Isai.* xxviii, 12-17; alias enim subiciebatur vel unguibus boum, *Isai.* xxviii, 28; *Deut.* xxv, 4; vel machinis, *Job* xli, 22; et quidem iisdem quæ hodie in Oriente usitate sunt. Hæc omnis triturbatio quidem dicitur דרוש *drush*, machinarum autem triplex genus commemoratur. *Primum*, *Judic.* viii, 7, 16, non liquet; fortasse erat asser inferius acutis lapidibus munitus; *secundum*, quatuor trahibus in quadrum compositum, inter quas tres cylindriolvebantur, quorum quilibet tribus rotis ferreis, in modum serræ dentatis instructus erat; *tertium*, denique in modum præcedentis compositum, nisi quod cylindri, non rotis ferreis, sed acutis fragmentis ferreis, sex pollices longis, et tres pollices latis, muniti fuerunt. Forte hoc genus idem est cum primo. Hæc machinæ quibus agaso insidebat junctis bobus, super manipulos solutos et in circulo areæ altitudine sex et octo pedum depositos, circumagebantur, et ita grana ex spicis excutiebantur, atque ipsum etiam stramen concidebatur quod ita confractum תבר *tibr* dicitur. Interim post machinæ cursum vir alius furca lignea ordinem strati restituebat. — Triturbatio persæpe venit pro magnis cladibus, et si machina dicitur nova quæ acutior esse solebat, clades designantur eo majores. (Jahn, *Archæolog. Bibl.*, part. I, cap. iv.)

crucis, ubi manus suas inter impios extendit, quasi natans in aqua doloris, æque ac amoris. Crux ergo fuit plaustrum, quo Christus serravit et comminuit impios: unde pro *allisione manuum*, quæ sequitur, aliqui vertunt, *in perforationibus manuum* (1).

Verum Noster, Septuaginta et alii hæc referunt ad Moab, *q. d.* Dæmones, et omnes impii ita a Christo iudice calcabuntur, ut dent speciem hominis plane victi, qualis est species natantis, qui explicans et rejectans brachia, gestum præfert hominis omnino desperati et victi. Ita S. Hieronymus, Adamus et alii. Comparat ergo eos naufrago natanti in mari; quia, sicut talis in abyso maris volvitur, ita impii, facto salutis naufragio, volvuntur in abyso gehennæ ignis et tormentorum. *Secundo*, sicut in vasto mari natans manus quaquaversum extendit, ut arborem, vel rupem in quam evadat, comprehendat, sed frustra; nihil enim invenit quod capiat, quo effugiat: ita damnati frustra captant pœnarum effugia aut levamina; quocumque enim se jactent, flammis cinguntur et obruuntur. *Tertio*, sicut natans in mari desperat de vita, ita et improbi desperant de salute.

ET HUMILIABIT (Christus) GLORIAM EJUS, — scilicet, « Moab; » id est reproborum. Hebræi enim sæpe silenter commutant personas, uti hic a Moab ad Christum transitur, vide *Can. XIV et XVI*. Sanchez tamen pergit hæc accipere de Moab; *q. d.* Moab « humiliabit, » id est deprimet, fastum et « gloriam, » id est gloriationem, « ejus, » id est suam: Hebræum enim *van* affixi tam suam quam ejus significat.

12. ET MUNIMENTA, — *q. d.* O Moab! o reprobi! Christus in die iudicii omnia in quibus nunc confiditis evertet. Est enallage personæ: transit enim a tertia ad secundam.

Moraliter, S. Augustinus vel quisquis est auctor lib. *De Anima et spiritu*, tom. III operum S. Augustini, certe non est indoctus, multaque habet digna lectu. Trithemius putat esse Hugonis Victorini: nam non esse Augustini patet cap. xxxvii, ubi citat Boetium, qui Augustino fuit posterior; hic, inquam, auctor graphice gloriam et gaudia Beatorum in cœlis, quæ hic perstringit Isaias, depingit, ordineque ita recenset. *Primo*, mutuam omnium charitatem, et exinde mutuam gaudium: « Contemplemur, inquit cap. xxxvii, quæ sit ipsa societas beatorum spirituum, quæ majestas visionis Dei, et quomodo Deus æternæ visionis suæ dulcedine Sanctos suos reficiat: nemo enim in

hac vita digne pensare potest, quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre; quanta suavitas, melcs illud angelicum audire; quanta jucunditas, omnium Sanctorum societatem habere: tantum enim unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo gaudio ineffabili; et quot socios habeat, tot gaudia habeat. In illa gloria nihil delectabilius ad contemplandum invenio, quam intimi amoris affectum, quo unusquisque tantum amabit alterum, quantum seipsum, et Deum plusquam se, et Deus plus illos, quam illi semetipsos; et hoc perpetuo gaudio. » *Secundo*, omnium bonorum copiam et affluentiam: « Quidquid, inquit, expedit, et quidquid delectat, ibi est, omnes videlicet divitiæ, et deliciae, omnis requies, et omne solatium: quid enim ibi deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest? Quotquot ibi sunt, Dii sunt: omnes cognoscunt Deum sine errore, vident sine fine, laudant sine fatigatione, amant sine fastidio. » *Tertio*, delectationem, quam Beati percipiunt ex visione Dei: « Semper vident, inquit, et semper videre desiderant; tam desiderabilis est ad videndum: semper amant, et semper amare desiderant; tam dulcis est ad amandum. In hac delectatione requiescunt pleni Dei; adherentes semper beatitudini, beati sunt; contemplantes semper æternitatem, æterni sunt; juncti vero lumini, lux facti sunt. O beata visio! videre Regem Angelorum in decore suo, videre Sanctum sanctorum, per quem omnes facti sunt. Gaudete, et exultate, justi, quia videtis quem amastis; habetis quem desiderastis diu; tenetis quem amittere nunquam timetis: ipse est salus; vita, pax et omnia bona. » *Quarto*, plenissimam pacem et suavitatem: « Quanta pax ibi est, ubi nulli vestrum quidquam repugnat, vel ab alio, vel a seipso: sed ipse Dominus regit vos, et nihil vobis deerit: gustate ergo et videte quoniam suavis est Dominus, suavis est ad gustandum. Tantæ suavitatis magnitudinem vos qui experti estis, nobis qui nunquam tale quid gustavimus intimare non potestis: tanquam si quis mellis dulcedinem ei, qui nunquam dulce gustavit, verbis indicare velit. » *Quinto*, possessionem boni immensi, quod est ipse Deus: « Excita nunc, inquit cap. lxiiv, anima mea, et erige totum intellectum, et cogita quantum potes, quale et quantum sit Dei bonum; si enim singula bona delectabilia sint, cogita attente quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti; sed tanto differentem, quanto differt Creator a creatura: si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix! si ita jucunda est salus facta, quam jucunda est salus quæ facit omnem salutem! si amabilis est sapientia in cogitatione rerum creaturarum, quam amabilis est sapientia quæ omnia creavit ex nihilo! Denique si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo qui fecit ipsa delec-

Tertio.

Quarto.

Morale,
de gaudiis Beatorum.

(1) Tota textus series postulat ut hæc figurata locutio referatur ad Deum, qui sistitur ut natator qui manus suas protendit, et dum necesse habet, illas magno nisu quam latissime expandere, obvia quæ sibi impedimento esse possent, vi removet ac repellit. Sensus, dempta imagine, est Deum, in Moabitis et adeo in omnes populi Dei hostes, quam late terra eorum pateat, severissimas pœnas esse exerciturum. Et sicut unda se dimittit sub motu manuum natatoris, sic humiliabitur gloria Moab.

fabrilia! o qui hoc bono fruatur, quid erit, et quid illi non erit! certe quidquid volet erit, et quidquid nolet non erit. » *Sexto*, possessionem pulchritudinis, sanitatis, sapientiæ, melodiæ, honoris, divitiarum, et omnium bonorum, quæ hic vel gustare, vel concipere possumus : « In cælo, inquit, est quidquid amatis, quidquid desideratis : si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol ; si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes Angelis Dei : quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale, potestate utique, non natura ; si delectat longa et salubris vita, ibi est sana æternitas, et æterna sanitas, quia in perpetuum vivent, et salus iustorum a Domino ; si satiety, satiabuntur, cum apparuerit gloria Domini : si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei ; si melodia, ibi Angeli sine fine concinunt Deo ; si quælibet munda voluptas, torrente voluptatis deitatis suæ potabit eos Dominus ; si sapientia, omnes erunt docibiles Dei ; si concordia, cibus erit illis una voluntas Dei ; si potestas, introibunt in potentias Domini, et omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volent per seipsum ita poterunt illi quod volent per illum ; si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles super multa constituet, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si vera securitas, certe ita erunt certi nusquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum. » *Septimo*, quod non sua solius, sed et singulorum aliorum beatitudine gaudebit quisque, eritque beatus non semel, sed centies millies : « Præterea in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum Angelorum, et hominum, ubi nullus minus diliget alium quam seipsum, erit gaudium innumerable : si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum in perfecta illa felicitate? Ubi, sicut unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quam seipsum, et omnes alios secum, ita magis gaudebit absque æstimatione de Dei felicitate, quam de sua et omnium aliorum secum. » *Octavo*, fruitionem Dei, indeque gaudium tantum, ut cor humanum naturaliter illud capere non possit, sed hoc gaudio rumpetur, et funderetur, nisi Deus illud supra naturam in tanto gaudio roboraret et conservaret : « Sic Deum diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor non sufficiat dilectioni ; et sic gaudebunt toto corde, ut totum cor non sufficiat plenitudini gaudii : tantum est gaudium. In illa æterna beatitudine et perfecta Deo ~~trinitatem~~

fruemur, videntes eum in omnibus creaturis, et eum in nobis ipsis, et, quod his omnibus ineffabiliter jucundius erit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et contemplantes. In hoc enim est vita æterna et perfecta, ut videamus Deum sicuti est in seipso. Pax Dei est in illa beatitudine, quæ exsuperat omnem sensum et intellectum, et multo magis omnem sermonem nostrum : quod ergo nulli donatum est experiri, nullus conetur effari. Mensuram, ait Dominus, bonam dabit in sinus vestros, confertam in interiore homine, coagitatam in exteriori, supereffluentem in Deo ipso : ibi cumulus felicitatis est, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo. » *Nono*, dotes corporis gloriosi : loquens de dotibus hisce ait : « Habebit terra nostra immortalitatem, ne timeat denuo se in pulverem redigendam : resurgens enim corpus nostrum jam non moritur : habebit etiam impassibilitatem, ne miseris subdatur : tanta enim in eo erit agilitas, ut possint Beati, si velint, absque ulla mora et difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Deest adhuc pulchritudo : hanc pulcherrimam habituri sumus. Salvatorem enim expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, exhibens quod promisit : Quoniam fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum ; et sic replebitur maiestate Domini omnis terra. Deus erit finis desideriorum nostrorum, quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus. » Idem antèrius, cap. xxxvi : « Amor, inquit, sensus est : nam sicut exterior homo circa ista temporalia quinquepartito sensu afficitur, id est visu, auditu, gustu et cæteris : sic interior homo in beata vita circa quinque ineffabilia Dei, ineffabili amore afficietur. Cum enim Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, et quemdam amplexum interiori amabit : ibi enim fulget, quod non capit locus ; ibi sonat, quod non rapit tempus ; ibi olet, quod non spargit ventus ; ibi sapit, quod non minuit edacitas ; ibi hæret, quod non divellit satiety : ibi siquidem videtur Deus sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensione, laudatur sine fatigatione. »

Ex quibus omnibus recte infert S. Gregorius, hom. 37 in Evangelio : « Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores : unde et Paulus egregius prædicator dicebat : Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non creet certamen laborum. »

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, est canticum Beatorum, quo gratias agunt Deo de sua felici sorte. Secundo, vers. 10, orat Propheta Deum, ut impios per flagella ad rectam vitam et ad salutem compellat; eo quod prosperitas ad luxum, flagella ad virtutem et ad Deum homines reducant. Tertio, vers. 19, spe resurrectionis hortatur justos, ut alacriter mortem et dura omnia sustineant, quasi ad cælum aspirantes (1).

1. In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda : Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale. 2. Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. 3. Vetus error abiit : servabis pacem; pacem, quia in te speravimus. 4. Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. 5. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit. Humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. 6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum. 7. Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. 8. Et in semita iudiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te : nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. 9. Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. 10. Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. 11. Domine, exaltetur manus tua, et non videant : videant, et confundantur zelantes populi : et ignis hostes tuos devoret. 12. Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis. 13. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui. 14. Morientes non vivant, gigantes non resurgant : propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum. 15. Indulxisti genti, Domine, indulxisti genti : numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ. 16. Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. 17. Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus a facie tua, Domine. 18. Concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum : salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ. 19. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere : quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. 20. Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. 21. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum : et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.

1. CANTABITUR CANTICUM ISTUD (a Beatis) IN TERRA JUDA, — puta in Sion, id est in Ecclesia cœlesti, de qua hactenus egit. Ibi enim erit æterna Dei laus et confessio : hanc enim significat Juda, præ-

sertim cum videbunt tantam suam gloriam, et tantam Moab, id est damnatorum, pœnam se evasisse. Ita S. Hieronymus.

Secundo, S. Cyrillus hæc adaptat quoque Eccle-

(1) Præcipua hujus capituli difficultas venit a mutatione personarum quæ singulis fere versibus, ut Hebræis in canticis mos erat, voces alternant (a). Nam quid in eo intendat Propheta, ex præcedentibus, totaque hujusce capituli serie constat. Est enim alter justorum hymnus quo celebrant opem divinæ gratiæ, quam in æstu gravissimæ afflictionis experti fuerant, sui prædicant status

felicitem, se mutuo exhortantur ad fiduciam in Deo ponendam, et præcipue oratione ad Deum conversa iudiciorum ejus æquitatem et justitiam laudibus efferunt. In sensu litterali proximiori de reædificatione Hierosolymæ post e captivitate reductam, et de hostium populi Dei humiliatione agitur; in sensu vero litterali sublimiori, Isaias de Ecclesiæ fundatione, de salute totius generis humani per Christum, de iudicio Dei ultimo in impios, futuraque mortuorum resurrectione loquitur et gratias agit.

(*) Vide Lowth, De Poesi sacra Hebræorum, III part., lect. xix

sia militanti, quæ est via et inchoatio Ecclesiæ cœlestis et triumphantis.

URBS FORTITUDINIS NOSTRÆ SION SALVATOR, PONE-
TUR IN EA MURUS ET ANTEMURALE. — Septuaginta,
περιτειχος, id est circummurale; Symmachus, firma-
mentum : hoc enim est Hebræum חֵיל chel. Vox
salvator referri potest vel ad præcedentia, vel
ad sequentia. Ad præcedentia referunt Biblia Ro-
mana, et S. Hieronymus et Adamus, tumque sen-
sus est, q. d. « Urbs fortitudinis nostræ, » id est

Porro, ut hæc dialogi forma clarius pateat, hanc solito
latiorem analysim, ex aliqua parte S. Hieronymum secuti,
subiicimus.

Primo, cum in fine capitis præcedentis dictum est, mu-
nitiones hostium altas atque firmas esse dejiciendas et
humiliandas, jam ostenduntur iusti ab hostibus liberati, sibi
longe præstantiora munimenta esse, quibus confidere
queant; Deum ipsum enim aiunt defensorem sibi esse
loco urbis fortis, ad omnem hostium impetum arcendum
optime præmunitæ, celebrantque beatitudinis suæ secu-
ritatem, vers. 1.

Secundo, Deus vel Propheta evocans justos ad adeun-
dam hanc possessionem hactenus optatam, alloquitur ci-
ves Hierosolymitanos, vel melius cives cœlestes seu Ange-
los, eosque hortatur ut Judæos, adeoque Christianos e
terris, per quas dispersi erant, in patriam reduces, læte
excipiant, quia inter gentes externas non ad earum reli-
gionem defecerunt, sed Dei cultum summa fide serva-
runt, 2.

Tertio, populus respondet confitendo, se juxta testimo-
nium a Deo datum fidem servasse, veteremque errorem
exuisse, et optando pacem ut spei suæ præmium, 3.

Quarto, Propheta sua vice de fiducia in Deum populo
congratulatur, et inter cætera quæ commemorat Dei
opera, ob quæ sit Deo confidendum, affert vastationem
civitatis impiorum, per quam intelligenda est victoria
Christi per Evangelium, quo altitudinem superbiorum
depressit, 4-6.

Quinto, jam nunc laudat populus divinarum judiciorum
in electis ad metam deducendis rectitudinem: Cum, in-
quunt, sciremus vias tuas erga justum esse rectas, et te
omnes rationes tuæ erga eum providentiæ ad libellam exi-
gere, facile intelleximus, te brevi apparituro esse judi-
cem, et exspectavimus te « in semita judiciorum, » qui-
bus in hostes adverteres, 7, 8.

Sexto, sequitur votum tum Prophetæ, tum populi, pro
accelerando die judicii, primo, quia improbi cum judicia
Dei videbunt, et malo suo experientur, Deum metuent,
atque ad ipsius reverentiam et religionem perducentur,
9; secundo, quia dilatio pœnæ emendationis fructus est
caritura, 10, 11; ob quietem per impiorum oppressio-
nem piis a Deo solum obventuram, quam certo sperant
et postulant eo firmiter et confidentius quo se magis di-
vinis beneficiis cumulatos vident, 12, 13.

Septimo, interitum perpetuum adversus impios impre-
cantur ob frustratum tolerantia divini experimentum,
14, 15.

Octavo, e contra populus Dei, ut omnium piorum pro-
prium est, Deum in tribulatione requisivit; suum statum
comparat gravidis et parturientibus atque parientibus,
fateturque nihil dignum Deo egisse, propter quod adhuc
persistunt in sua infidelitate habitatores terræ, 16-18.

Nono, unde eos consolatur Propheta, in nomine Dei,
vel ipse Deus promittens primo, mortuos jam resurrectu-
ros, et a Deo recreandos, 19; secundo, viventes adhuc,
sed morituros, et post brevem quietem ac vindictam in-
terea a Deo de adversariis sumptam, gloriose resuscitan-
dos, 20, 21.

fortitudo nostra, protectio nostra secunda, et habi-
tatio quieta instar urbis Sionis est Christus Domi-
nus: quia ipse erit murus et antemurale nostrum,
id est instar muri et antemuralis fortissimi tuta-
bitur et munit Beatos in cœlo. Simili tropo dici-
tur Proverb. xviii, 10: « Turre fortissima, nomen
Domini; ad ipsum currit justus, et exaltabitur; »
et Jerem. cap. 1, 18: « Dedi te hodie in civitatem
munitam, et in columnam ferream, et in murum
æreum, etc., regibus Juda, » etc. Aliter S. Grego-
rius, hom. 14 in Ezech.: « In sancta, inquit, Eccle-
sia Dominus (Christus) murus nobis, et Prophetæ
ejus antemurale, sunt positi: quia ad nos, quos
ipse perfecte protegit, etiam Prophetarum verba
in fidei constructionem venerunt. » Aliter quoque
S. Hieronymus: « Murus, ait, Ecclesiæ est fides;
antemurale, sunt bona opera. » Et S. Bernardus,
serm. 5 De Assumpt. B. Mariæ: « Murus, inquit,
est continentia, antemurale patientia. » Quod ele-
ganter prosequitur, serm. 3 De Dedicat. Ecclesiæ.
Sic Alcidas dixit Philosophiam esse vallum et
septem legum, quasi in ea sita sit summa et ro-
bur legum; quod citans Aristoteles, lib. III Rhetor.,
immerito reprehendit.

Secundo ad salvator ad sequentia cum Hebræis
referri potest, idque est aptius et concinnius, q. d.
Urbs nostræ beatitudinis, puta Sion cœlestis, erit
munitissima et fortissima, ita ut nulla vis, nulla
ætas eam convellere, nec portæ inferi ei præva-
lere possint. Causa est: quia Salvator Christus
erit ei murus et antemurale, id est fortissimus cir-
cumquaque custos et protector. Ita S. Thomas,
Hugo, Forerius, Vatablus, Sanchez et alii. Unde
significantius Hebræa pro Salvator habent ישועה
iescua, id est salus, hancque exhibent sententiam:
Urbs fortitudinis nobis est, salus ponet muros et pro-
pugnaculum. Ita Vatablus; vel, ut alii: Deus salu-
tem ponet ei in muros et propugnaculum, quasi di-
cat: Vis scire quam fortis sit illa Beatorum civi-
tas? Audi: ipsa salus suis muris et propugnaculis
eam cinxit, Deus posuit ipsam salutem ei pro mu-
ris et propugnaculis: ipsa ergo salus urbem un-
dique cingit et propugnat. Nemo autem est, qui
ipsi saluti et incolumitati nocere possit. Rebus
quidem quæ salutem non habent, crastina die
salus auferri potest: at salutem ipsam quis labe-
factabit? Simili modo dicitur cap. lx, 18: « Oc-
cupabit salus muros tuos, » etc., ut qui salvus et
incolumis esse velit, ad te confugiat. Ita Forerius.
Unde et Arabicus vertit: Urbs cujus roborata est
(vel invaluit) salus posuerunt murum et filium muri,
hoc est antemurale. Jam noster Interpres pro
salus vertit, Salvator; hic enim est salus causalis
Sionis cœlestis: quia ei plenam salutem affert.
Nec enim salus a Salvatore, aut Salvatore a salute
divelli potest. Opponit urbem Sionem Moab, id
est cœlum inferno, Beatos damnatis; nam de Moab
dixit: « Munimenta sublimium murorum tuorum
concident, et humiliabuntur, et detrahentur in
terram usque ad pulverem. » De Sione vero ex

adverso dicit, quod salus ei erit murus et antemurale, ita ut ruinam, excidium aut cladem timere non debeat. Per antemurale intelligit vel vallum et semilunam, quæ fit ante portam et muros, ut ab iis cives hostem arceant, vel ipsa rotunda valla, quæ instar turrium inter muros excurrunt et prominent, ut ex iis incolæ hostem ad muros accedentem jaculis configere et depellere possint. Ita ad litteram Salvator fuit murus et antemurale Clodoveo regi Francorum adhuc pagano. Cum enim in bello contra Alemannos succumberet, invocavit Jesum Christum quem colebat ejus uxor Clotildis, promittens, si vinceret, se fore Christianum. Quare conversa belli sorte ipse vincere cœpit. Alemanni cedere, qui tandem ei se subdiderunt; itaque ipse Christianus effectus est, ut narrat Gregorius Turonensis, *De Gestis Francorum*, lib. II, cap. xxx.

Moraliter, Jesus, id est Salvator, est fortitudo nostra, murus et antemurale: nam *primo*, nos curat ab omni infirmitate et vitio; itaque ad amorem sui nos incitat et inflammat: quis enim salutem suam et suum non amet Salvatorem? Audi S. Augustinum in *Psalm. cii*: « Ligari se volunt homines et secari, daturi pro incerta sanitate et certum dolorem, et magnam mercedem: Deus te quem fecit, et certus curat, et gratis. »

Secundo, dirigit rectam intentionem ad Deum et ad salutem. Hinc Paulus docet, *I Corinth. x*, omnia in nomine Jesu facienda. Si enim, ut ait Chrysostomus, homil. 9 *in epist. ad Coloss.*, Consulum nomina securitatem litteris addunt, multo magis Christi nomen. Igitur in nomine Jesu omnia facias, et prospere succedent: omnia ista discamus non solum verbo tenus, sed et ipsis operibus adimplere.

Tertio, est excitamentum humilitatis et spei: quia dum salutem a Jesu et speramus et petimus, nostras misérias, et morbos, ac peccata et confitemur, et accusamus, et tanquam medico nos ipsos offerentes, malorum nostrorum ab eo remedium exspectamus: quis enim a Salvatore non speret salutem?

Quarto, est ad devotionem stimulus; ut, sicut ipse in mei beneficium ac salutem seipsum mihi totum tradidit, ita et ego ejus totus sim, qui totus factus est meus, et dulcescat cor meum, et labia in hoc suavissimo Jesu nomine: quemadmodum S. Franciscus tanta cordis dulcedine recreabatur, dum illud proferret, ut etiam labia lingeret; sicuti ii faciunt qui dulcissimum aliquid ore gustaverunt.

Quinto, gratitudinem docet, quam ei pro tanto salutis beneficio debemus, præsertim si attendamus quanto pretio ei nostra hæc salus constitit: siquidem, ut recte S. Bernardus ait: « Quando me creavit, dixit, et facta sunt; cum me redemit, dixit multa, fecit mira, pertulit dura, et non tantum dura, sed et indigna. »

Sexto, provocat ad obedientiam; quia hoc sibi

tam magnum nomen ipsum promeruisse ex obedientia, Paulus affirmat, *Philip. ii*, quia nempe factus est obediens usque ad mortem, donavit ei Deus Pater nomen quod est super omne nomen.

Septimo, invitat ut in omni necessitate ad hoc sanctissimum nomen invocandum, tanquam ad sacram anchoram confugiamus. Audi S. Bernardum, serm. 15 *in Cantic.*: « Cui, ait, in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? cui in adversis diffidenti, jam jamque deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? »

Octavo denique, hoc sacratissimum Jesu nomen omnem plane Christianam edocet perfectionem. D. Paulus, *I Cor. i*, ad unionem ac perfectionem hoc titulo urget: « Obsecro, ait, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut ad ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia, » *q. d.* Per hoc gloriosum nomen vos adjuro, cui tantum debetis, qui est princeps pacis ac salutis, qui inimicitias in corpore suo interfecit, qui a vobis hoc merito exposcit, ut perfecti sitis, hoc est interius exteriusque uniti. S. Bernardus loco citato: « Cum nomino, inquit, Jesum, hominem mihi propono mitem, et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique sanctitate ac honestate conspicuum; eumque ipsum Deum, qui suo me exemplo sanet, ac roboret adjutorio: sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente. »

Denique S. Hieronymus: « Salvator, ait, est murus honorum operum, et antemurale fidei. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi fides bonis operibus confirmetur. » Nota hoc, Luthere, nota, Calvine. Jesus ergo Ecclesiæ et fidei est murus et antemurale, est prora et puppis, est fossa et vallum. Sic Scipio Romanis, contra Annibalem et Carthaginenses, dicitur fuisse fossa et vallum, puta omne præsidium, omne tutamentum, omne robur.

2. **APERITE PORTAS, ET INGREDIATUR GENS JUSTA.** — Notat S. Hieronymus hic mutari personas: est enim quasi dialogus. Vide *Can. XIV*. Censet ergo ipse hæc esse verba Christi ad Angelos, *q. d.* O Angeli! reserate cœlum, ut Sancti mei assecræ intrent ad illam visionem pacis, quam per fidem et gratiam meam hic sperarunt.

Secundo, probabiliter Sanchez censet hæc esse verba Beatorum, qui audientes a Judice: « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; » exsultantes dicunt ad Angelos: Aperite, o Angeli! portas cœli, ad quod jam ascendimus cum triumphali plausu, ut ingrediatur gens quæ justitiam coluit, et veritatem servavit.

Tertio, Cyrillus putat hæc esse verba Dei ad Apostolos, *q. d.* Vos, o Apostoli, eorumque imitatores! patefacite Gentibus aditum per prædicationem in Ecclesiam, ut fiant gens justa, et custodiant veritatem. Verum patet ex dictis hæc non dici de Gen-

tilibus in Ecclesiam; sed de Beatis in cœlum ingressuris.

3. VETUS ERROR ABIIT. — Hebraice est *יצ סמך* *ietser samuch*: quod primo, Symmachus et Aquila vertunt, *cogitatio nostra firmata est*, q. d. Gaudemus quia mens nostra in contemplatione primæ veritatis, scilicet in Dei visione, defixa et stabilita est.

Secundo, Pagninus vertit, *desiderium conjunctum est*, q. d. Jam fruimur votis nostris, quidquid desideravimus possidemus. Deo enim jungimur, Deum tenemus, qui implet in bonis omne desiderium nostrum.

Tertio et optime, Noster *ietser* vertit, figmentum, errorem, q. d. Nunc patet vetus voluptuariorum et damnatorum error, quo stulti et insani ab eis judicabamur, quod arctam et asperam Christianæ vitæ semitam ingrederemur: nunc enim patet nos fuisse sapientes, illos vero stulte errasse. Ecce enim adepti sumus «pacem,» id est honorum omnium abundantiam, quam nobis, o Domine! contulisti, et conservabis in æternum, quia eam a te speravimus, ac propter eam dura omnia sustinimus. Vide hunc reproborum errorem pathetice ab ipsismet agnoscere, et plangi, *Sapient.* v, 3.

4. SPERASTIS IN DOMINO IN SÆCULIS ÆTERNIS. — Pro *sperastis* hebraice est *sperate*, ut sit Beatorum invicem sibi gratulantium vox et congratulatio, quasi dicant: O beati! qui jam beatam vitam inchoatis, sperate et confidite in Deo per omnia sæcula: ille enim per omnem æternitatem hanc beatitudinem vobis certam præstabit et conservabit.

Alii putant esse verba Isaïæ ad homines, vanis sæculi opibus et pompis deditos, q. d. Nolite, o sæculares, o mundani! hæc vana et caduca sectari, sed instar beatorum ambite æternas opes et honores, Deo serviendo et in illum sperando.

Verum noster Interpres vertit, *sperastis*; quia Hebræi sæpe commutant tempora, et imperativum aut infinitivum sumunt pro præterito. Jam Dionysius exponit: «Sperastis in sæculis æternis,» id est jam inde ab initio mundi conditi. Melius Lyranus, «in sæculis æternis,» inquit, id est ad consequenda sæcula æterna. Sic enim Hebraice *bet*, id est *in*, non tantum dativum vel ablativum, sed et accusativum indicat, valetque idem quod *lamed*, id est *ad*. Sunt verba Prophetæ aut Angelorum Beatis congratulantium, quasi dicant: Sperastis, o viri sapientes et divini! in Domino; expectastis ab eo beatam æternitatem: nunc capite spei vestræ fructum, ipsam scilicet beatam vitam possidete in sempiterna sæcula. Ita Haymo, Lyranus, Sanchez et alii.

IN DOMINO DEO FORTI IN PERPETUUM. — Hebraice, quia in Domino Deo est, *צור עלמים* *tsur olamim*, id est *petra sæculorum*, id est constantia, firmitas et robur perpetuum, quod nunquam finem inveniet; ut merito in eum spes vestras defigere possitis, scientes eas nunquam per omnem æternitatem frustratum iri.

5. QUIA INCURVABIT HABITANTES IN EXCELSO. — Ostendit Deum esse fortem in perpetuum, ac proinde in ipso esse sperandum, ex eo quod ipse incurvabit et deprimet omnes qui habitant in excelsis, id est, omnes principes atque potentes et superbos, qui in sublimi erant dignitate et officiis, habitantes in altis palatiis, qui magnos gerebant spiritus et ad magna aspirabant: et «civitatem sublimem,» scilicet non Romam, ut Judæi volunt; nec Jerusalem, ut S. Hieronymus, sed mundum, «humiliabit,» et in pulverem rediget per ignem conflagrationis, ac ejus habitatores ambitiosos, avaros, etc., disperdet.

6. CONCULCABIT EAM PES, PEDES (INQUAM) PAUPERIS. — *Pauperes* atque *egenos* vocat Apostolos aliosque fideles, qui Christi paupertatem sunt secuti: hi enim mundum, id est, mundi superbos et impios, calcabunt, id est, judicabunt et condemnabunt. Ita S. Hieronymus et Septuaginta. Deus enim elegit infirma et ignobilia mundi, ut confundat fortia, potentes et sapientes sæculi.

Secundo, idem S. Hieronymus, Origenes; S. Chrysostomus, Eusebius, et ex iis Leo Castrius, hæc accipiunt de excidio Jerusalem, ob neglectam prædicationem Christi et Apostolorum. Verum, ut dixi, hæc spectant excidium orbis, non urbis.

Tertio, aliqui cum S. Cyrillo referunt hæc ad Ecclesiam militantem et Romanam. Unde Galatinus, lib. IV, cap. xxvi: Urbem sublimem, inquit, id est Romam et Italiam, Deus humiliabit. Nam cum sublimitas Romani imperii cœlum pene tangeret, jugo Christianæ fidei humiliter collum subiecit. Tunc conculcavit eam pes pauperis, scilicet S. Petri piscatoris, qui jam Vaticanum, urbem et orbem occupat, adeo ut reges et imperatores ejus pedes in ipsius successore Pontifice exosculentur.

7. SEMITA JUSTI RECTA EST. — Ostendit hic viam quæ justos in cœlum ad tantam gloriam deduxit, impiis perditis et conculcatis, fuisse rectam, esseque ipsam rectitudinem, id est, amorem et studium recti et æqui: scilicet fuisse semitam iudiciorum, id est, mandatorum, Domini. Hebræa ad verbum habent, *semita justo rectitudines*, scilicet sunt.

Secundo, «semita justi recta est,» id est æqua, plana, directa, sine ullo, non modo casu aut prolapsu, sed ne offensione quidem. Hoc enim significat Hebræum *misor*, et ei affine *mesarim*. Unde Pagninus vertit, *semita justo recta: tu, o Deus recte! callem justi liberabis*; Forerius, *semita justo, æquitates: rectam orbitam justi regulabis*; Vatablus, *via justo erit æquitatum* (id est æquabilis et plana): *tu, o Deus! ad libellam æquabis, ne scilicet offendant*. Hoc est quod Deus justis promittit, *Proverb.* iv, 11: «Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.» Tales semitæ rectæ et planæ, sunt se-

mitæ virtutis : hæ enim sunt semitæ voluntatis et legis divinæ, quæ peccati, ruinæ, offendiculi, et vindictæ non habent scandalum, uti habent semitæ tortuosæ et inæquales vitiorum. Unde orandum quotidie cum Psalte, *Psalm. XXVI, 11* : « Dirige me in semitam rectam ; » et *Psalm. XXIV, 4* : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me, » quæ me recta ducant ad te in cælum, ad felicitatem et gloriam æternam (1).

8. NOMEN TUUM, ET MEMORIALE TUUM IN DESIDERIO ANIMÆ; *q. d.* Desideravimus et assidue desideramus, ut tuum, o Domine! nomen et memoria tum a nobis, tum ab omnibus gentibus jugiter recolatur et celebretur, ideoque desideravimus vindictam de impiis, ut sequitur, quia ipsi nomen tuum negligunt, imo profanant. Sancti enim desiderant Deum semper habere præsentem, et coram eo ambulare, uti fecit Noe, *Genes. VI, 9*; et Abraham, *Genes. XVII, 1*. Vide ibi dicta. Unde Hebræum ad verbum est : *Ad nomen tuum et ad memoriam tuam est desiderium animæ nostræ.*

Ita desiderabat, ita liquescebat ad nomen Dei et Domini Jesu Christi anima S. Juliani, ut ubicumque illud in libris scripturam reperiret, lacrymis ablueret, earumque copia lituras multas libris induceret, uti refert oculatus testis S. Ephrem in ejus Vita : « Quadam, inquit, die dixi ad ipsum : Quis hosce libros lituris corrumpit? Beatus vero ad me : Nihil, inquit, a te penitus abscondam. Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens, lacrymis pedes illius rigavit, et capillis capitis sui abstersit; et ego, ubicumque Dei nomen scriptum comperio, lacrymis meis rigo, ut et ego ab eo remissionem peccatorum accipiam. At ille dixit : Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo. » De S. Francisco narrat S. Bonaventura, quod cum psalmos legendo, nomen Domini « in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Nomen autem Jesu cum exprimeret vel audiret, júbilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel

(1) Sunt qui hæc verba intelligunt de *rectitudine viarum justi*....; quod tamen iis quæ sequuntur, in quibus justitia divina celebratur parum congruit. Hoc dicit potius vates, sapienter clementerque cum piis Deum agere, etiam cum eos affligit. Viam inter alia notare constat statum et eventus vitæ ejusque, divina providentia circumscriptos. Sic *Psalm. xxxvii, 5*, *devoive ad Jovam viam tuam*, id est statum et eventus vitæ tuæ. Et *ibid., vers. 7*, *ne succense ei cujus via prospera est*, id est res statusque vitæ. Vide et *Jerem. xii, 1*. Hinc scribitur hoc loco non *via justi*, sed *via justo*. אֲרָה לְצַדִּיק, scilicet a Deo decreta et definita. Lucem præ se huc loco illa apud *Ezech. xviii, 25*, Judæorum malignorum querela de rationibus divinæ providentiæ, *non est recte disposita via Jovæ*, id est ratio qua agit Deus cum hominibus non est exacta ad rationes justitiæ. Hemistichio priori, eo quem indicavimus, sensu accepto, bene congruit alterum : *Rectus orbitam justi libras, sive ad libellam dirigis*. (Rosenmuller.) Ista revera interpretatio textui hebraico magis congruere videtur, nec non et sequentibus.

harmonicus sonus ipsius immutasset auditum. » Et S. Bernardus : « Jesus, ait, est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. » Dum enim Jesum cogitas et nominas, salutem et Salvatorem tuum cogitas et nominas. Quocirca Arnobius, libro I, ait hoc nomine « magorum frangi actiones, dæmonum infirmari conatus, non horrore, ut dicitis, o Gentiles! nominis, sed majoris licentia potestatis; » quia scilicet hoc nomen torquet fugatque dæmones, ut patet *Lucæ capite ix*; vers. 49.

9. ANIMA MEA DESIDERAVIT TE IN NOCTE. — Hic videtur finiri canticum Beatorum; nunc eo admonitus et excitatus Isaias, vidensque quem exitum habuisset tum piorum paupertas et afflictio, tum impiorum fucata et fallax prosperitas, atque ad Beatos aspirans, dicit se pariter velle jugiter Deum mente et animo gerere, illum colere, illum desiderare tam nocte quam interdiu, idque serio et studiose, ut etiam lucem prævertat; hoc est enim quod subdit : « Et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. » Sic ait David, *Psalm. LXII* : « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. »

Aliter Sanchez : *De nocte*, inquit, id est de tribulatione et cruce, per quam nos ducis ad gloriam, suspirabo ad te.

Aliter et Theodoretus : *De nocte*, inquit, id est ante incarnationem Christi; et *mane*, id est in incarnatione et post eam, desideravi te. Verum hoc est mysticum. Uti et istud S. Gregorii lib. XXIII *Moral. xii* : « De nocte, » ait, *q. d.* « In hac obscuritate vitæ præsentis videre te appeto; sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor. » Pulchre et pie Carpenterius hunc versum ita reddit :

Interea, seu nox tenebras inducat inertes,
Seu roseum lux alma diem, te pectore toto
Quærimus, o hominum superumque æterna voluptas!
Te mentes sitiunt unum, præcordia anhelant
Nostra, Deus, nostræ custos auctorque salutis.

CUM FECERIS JUDICIA TUA IN TERRA, JUSTITIAM DISCENT HABITATORES ORBIS, — *q. d.* Ex zelo quo desidero ut nomen tuum et memoria, o Domine! ab omnibus etiam impiis sanctificetur, opto ut subinde judicium aliquod et vindictam publicam in impios in hac vita exerceas, per quam illi te tuamque justitiam cognoscant et addiscant; plerique enim ita suis vitiis sunt affixi, ut non nisi per gravia flagella corrigi possint. Ita S. Thomas, Adamus, Sanchez et alii.

Secundo, S. Hieronymus refert hæc ad diem judicii, *q. d.* Cum pro qualitate operis unicuique in die judicii reddideris quod meretur, tunc justitia tua cognoscetur in orbe terrarum, quæ prius apud incredulos videbatur injusta. Sed sera et inutilis erit illa disciplina, nisi eam accipiant ii qui adhuc vivunt, ab exemplis eorum qui jam post judicium particulare in infernum detrusi ibi

orquentur, quomodo Virgilius, lib. VI *Æneid.*, ait de Phlegya :

Phlegiasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras :
Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

10. MISEREAMUR IMPIO, ET NON DISCET JUSTITIAM, —
q. d. Juste desidero judicium tuum in vindicta impiorum. Nam si eis miserearis et parcas, non discent justitiam, sed manebunt in sua impie- tate; at si eos punias, vel ipsi, vel certe alii eorum exemplo et pœna territi convertentur, aut certe tuam potentiam et justitiam laudabunt; esto ip- simet impii, quos flagellas, magis flagellis indu- rentur, ut iis obduruit Pharao; quare hæc in impios clementia et misericordia immisericos videtur. Talis est indoles hominum suis cupediis addictorum, ac durorum et obstinatorum, qua- les sunt hæretici, barbari et agrestes, qui lenitate exasperantur, asperitate leniuntur et domantur. Unde Poeta :

Unguentem pungit, pungentem rusticus ungit.

Audi S. Bernardum, serm. 42 in *Cant.* : « Tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur : Mise- reamur, inquit, impio, et non discet facere jus- titiam : misericordiam hanc ego nolo; super om- nem iram miseratio ista, sepiens mihi vias justi- tiæ. Satius profecto mihi juxta Prophetæ consilium apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et peream de via justa. Volo irascaris mihi, Pater misericordiarum, sed illa ira qua corrigis devium, non qua extrudis de via; illud nobis tua benigna animadversio parit, hoc for- midolosa nutrit dissimulatio : cum enim sentio te iratum, tunc maxime confido propitium : et- nim cum iratus fueris, misericordiæ recordabe- ris. » Deinde id probat exemplo : « Deus, inquit, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes ad- inventiones ipsorum, *Psalm.* xcviij : Moysen lo- quitur, Aaronem et Samuelem, quos præmise- rat, et hoc vocat propitiationem; quod eorum non peperit excessibus. I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in æternum, defendendo er- rorem, et accusando correptionem. An non istud est, malum dicere bonum, et bonum ma- lum? An non ex hac odiosa impudentia pullula- bit mox impœnitentia, mater desperationis? »

IN TERRA SANCTORUM INIQUA GESSIT, ET NON VIDE- BIT GLORIAM DOMINI. — *Primo*, Forerius : « Terra, inquit, sanctorum, » est Judæa. Judæi enim filii sanctorum dicebantur : et in Judæa tantum erat vera Dei cognitio, jura et leges divinæ, *q. d.* Ju- dæi in terra sancta, quam a sanctis Patribus ve- luti sanctificatam in hæreditatem acceperunt, in- juste agunt : « et non, » id est ne ergo videant, « glo- riam Domini, » id est gloriam quam sibi Christus per prædicationem Evangelii peperit. Hic sensus accommodus est, sed arctior.

Secundo. *Secundo*, Adamus : Terra tota, ait, vocatur terra

sanctorum; quia in ea multi sunt sancti, om- nesque deberent esse sancti : ad hoc enim a Deo constituta est, ut sit habitaculum sanctorum, non impiorum, *q. d.* Cum impii inter sanctos in terra versati sint, et tamen impie vixerint, hinc non videbunt gloriam Domini. Uti præcedens sensus arctior, ita hic æquo amplior est.

Tertio, Sanchez : Esse, inquit, in sanctorum terra, est dura pati, exerceri incommodis, et nul- lis mulceri corporis animique deliciis; hæc vero est efficacissima ad morbos animi sanandos me- dicina, *q. d.* Si ergo hæc medicina ægris impio- rum animis nihil affert sanitatis, actum est de iis : si inter sanctos qui dure et austere vivunt aut deliciantur, aut austere cum Sanctis, verbi gratia in monasterio, viventes, impie tamen agunt; quid superest, nisi ut a domo et gloria Dei excludantur?

Quarto, Vatablus pro terra sanctorum, ait, he- braice est terra נְכוֹחֹת *nechohot*, id est rectitu- dinum, id est recta et plana, in qua est via ex- pedita, non aspera, non salebrosa, qualis est illa quam ingrediuntur delicati et molles, *q. d.* Si improbi in via et vita molli ac delicata impie agunt; ergo traducantur ad viam et vitam aspe- ram, ut discant continenter et sancte vivere.

Quinto et aptissime, est hic auxesis : auget enim et exaggerat peccatum impii, quod in terra sanc- torum id perpetraverit : terra sanctorum est Ec- clesia, cujus epithetum et titulus est *sancta*. In ea enim regnat Spiritus Sanctus, multosque sancti- ficat : in ea sancta tractantur, ac præsertim sanc- tum Evangelium Deique verbum prædicatur, *q. d.* Impii in Ecclesia quasi in terra sanctorum, ubi tot habebant sanctas leges, tot sancta sacramen- ta, tot sancta exempla, tot sanctas exhortationes, tot sanctas inspirationes, sancte cum sanctis vi- vere debuerant; at ipsi in hac terra sanctorum, vel, ut hebraice est, rectitudinum, iniqua, he- braice est *perversa et distorta*, gesserunt : ergo nisi seriam agant pœnitentiam, planeque vitam mutant, non videbunt gloriam Domini, sed cœlo et salute excludentur. Loquitur de solis fidelibus, qui sunt in Ecclesia : nam infideles jam judicati et damnati sunt. Porro omnis Ecclesia, sed ma- xime Romana, est terra sanctorum, utpote in qua sedem fidei et sanctitatis fundavit S. Petrus, quamque tot sancti Pontifices, Virgines, Docto- res, ac trecenta Martyrum millia sanctificarunt, et etiamnum suis reliquiis sanctificant; ut meri- to dixerit B. Catharina Senensis Romæ stationes obiens : « Ego calco sanguinem Martyrum. » Quo- circa ipsa Romæ et vivere et mori voluit, sepulta in templo B. Virginis supra Minervam.

Tropologice, hæc sibi adaptent qui in sancta societate, aut Religione dissolute vel irreligiose vivunt. Gravis enim in eos incumbet divini judi- cii censura, quod in terra sanctorum inter sanc- tos Religiosos, ubi omnis peccatis aditus videba- tur exclusus, planaque et facilis ad omnem vir-

Terra
Sancto-
rum
quæ?
Primo.

tutem et sanctitatem patebat via, laxè et remisso vixerint, atque iniqua gesserint. Unde S. Bernardus in *Declamatione*, post initium : « In terra sanctorum, inquit, id est in clero, existens, tanquam in cœlo iniqua gessit; ideo inventa est iniquitas ejus ad odium, nec remittetur. » Hoc enim peccatum est quasi sacrilegium : est enim violatio et infamatio rei sacræ, puta status Ecclesiastici aut religiosi.

Idem, serm. 23 in *Cant.* : « Timeant, ait, Cleri, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti sint; superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, atque in usus suæ superbix et luxuriæ, victum pauperum consumere non vereantur; duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus ac turpitudinibus abutuntur. »

Vers. 11. 11. DOMINE, EXALTETUR MANUS TUA, ET NON VIDEANT : ET CONFUNDANTUR. — S. Hieronymus putat hic esse dialogum inter Deum et Isaiam, *q. d.* Isaias : O Domine! exalta Christum Dominum, qui est manus, id est potentia tua, ut eum non videant infideles et impii, quia indigni sunt. Cui respondet Deus : Imo vero videant eum judicem; et confundantur ac damnentur ab eo.

Secundo, Sanchez censet esse ironiam subamarā, ut cum dicimus : « Ale luporum catulos, et canes qui te laniant, » *q. d.* Exalta, Domine, manum tuam, eamque cohibe ab inferenda impiis plaga; et impii nunquam aperient oculos, nunquam non errabunt in tenebris cæci, *q. d.* Si cohibueris tuas plagas, impii permanebunt in sua cæcitate.

Tertio, alii, *q. d.* Manu tua percute impios, eosque puni cæcitate, ut non videant justitiam tuam in hac vita, ut eam amplectantur et salventur; sed videant eam sero in die judicii, ad suam damnationem et confusionem.

Quarto et genuine, Forerius : Dixerat Propheta : « In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini; » nunc idipsum confirmat, dicens et orans : « Domine, exaltetur, » etc., *q. d.* Domine, potenti tua manu effice, ut tam impii et indigni non videant gloriam tuam; deinde per correctionem subdit : Imo vero videant eam eminus, et quasi per umbram in die judicii, sed ad suam confusionem, *zelantes populi*, scilicet impii, qui zelo et invidia tabescent, videntes Sanctos ad illam gloriam vocari, se vero ab ea excludi, cum æque facile ac ipsi eam adipisci potuissent. Sic Judæi zelo et indignatione movebantur, et movebuntur tunc videntes Gentes sibi præferri in gratia et gloria. Vide parabolam Christi hac de re, *Matth. xx, 1, et xxi, 33.*

ET IGNIS HOSTES TUOS DEVORET. — *Primo*, S. Hieronymus : « Ignis, » inquit, seræ poenitudinis corda eorum excruciet, quod tantam gloriam perdidērunt.

Secundo, « ignis, » scilicet tribulationis, hostes tuos devoret, usque ad consumptionem et favillam, ut scilicet eos erudiat, consumat, et ex hostibus in amicos convertat. Vide hic quæ sit tribulationis utilitas.

Tertio et planissime, Theodoretus per ignem accipit ignem gehennæ.

12. DOMINE, DABIS PACEM NOBIS : OMNIA ENIM OPERA NOSTRA OPERATUS ES NOBIS. — Ab impiorum scelere et poena convertit se hic ad pios et sanctos, iisque jugem pacem optat et apprecatur.

Primo, Sanchez hæc explicat, *q. d.* Tribula, o Domine! impios qui nos vexant et turbant, ut vitam mutent, fiantque sancti et quieti, itaque pacem habeamus : a tua enim liberalitate pacem et omnia bona exspectamus, tuumque est corda impiorum convertere, et omnia bona opera in eis et in nobis operari.

Secundo, S. Hieronymus, *q. d.* Da pacem nobis in cœlo : quæcumque enim per Prophetas promissisti, explesti et operatus es in hac vita.

Tertio, Septuaginta vertunt, *da nobis pacem, omnia enim reddidisti nobis*, quasi dicant, ut explicat S. Hieronymus : Da nobis pacem, quia operibus nostris malis justas reddidisti poenas, itaque ea juste punivisti et expiavisti. Da ergo veniam et pacem : quia sat poenarum dedimus.

Quarto et genuine, est hic vox Ecclesiæ et Sanctorum, quorum opera duplicia sunt, scilicet *primo*, passiva, quæ operante Deo patimur; *secundo*, activa, quæ cum eo operamur. Hebræum enim כַּעֲשֵׂה *maase* non tantum opus et actionem, sed et omne factum, omnem eventum significat. Unde *primo*, hic est sensus : Da, vel, ut hebraice תִּשְׁפֹּת *tispost*, id est constitue, et firmiter colloca intra limites nostros (ut a nobis nunquam abeat) pacem : nam tu alia omnia operatus es nobis, *q. d.* Omnia quæcumque nobis facta sunt, quæcumque nobis evenerunt, hæc a te evenerunt : ergo et da pacem, tu enim omnium es dator et operator; in manibus tuis est omnis sors nostra. Unde apte Forerius sic explicat : Tu, Domine, qui opera redemptionis nostræ per Christum operatus es nobis (*nobis enim ait, non in nobis*), qui per Apostolos eorumque successores tot miracula fecisti, tot gentes convertisti, Ecclesiam ita dilatasti et exaltasti, ejusque hostes ita sæpe vel prostravisti, vel subjugasti : da etiam eidem plenam pacem et quietem a persecutoribus, eamque in hac vita inchoa, ut eandem perficias in cœlo, cum, ut præcessit, ignis devorabit impios, hostes tuos æque ac nostros. Sic et S. Cyrillus, qui per opera accipit beneficia et miracula divina, *q. d.* Dabis nobis pacem, quandoquidem omnia mirabilia nostra, id est quæ facta sunt in nobis, munera tua sunt; et tamen possederunt nos domini absque te.

Sumendo vero « opera nostra » active, hic est sensus : Cum, ut ait Apostolus, fructus justitiæ et bonorum operum sit pax; da, Domine, nobis te nocte et die desiderantibus, ut ait vers. 9, pacem

conscientiæ tecum : da, inquam, id est da et dare perge (*da* enim hic significat actum continuatum, non inchoatum); dedisti enim nobis bona opera, quasi pacis radicem et arborem. Ubi nota Deum ita hæc opera nobis operari, ut tamen et nos libere Deo cooperantes eadem operemur. Unde Chaldæus vertit : *Domine, ordinabis nobis pacem; quia omni tempore quo separati sumus a peccatis nostris, operatus es nobiscum.* Deus ergo operatur hæc opera in nobis, *primo*, per gratiam operantem et prævenientem ad ea nos excitando; *secundo*, per gratiam comitantem sive cooperantem : quia nostra voluntate per gratiam Dei excitata, libere bonum opus volente et faciente, Deus eidem cooperatur. Dicit ergo : Dedisti arborem, da fructus; dedisti opera, da pacem : dedisti meritum, da præmium.

13. POSSEDERUNT NOS DOMINI ABSQUE TE, TANTUM IN TE RECORDEMUR NOMINIS TUI. — Hi domini *primo*, sunt idola; *secundo*, reges et tyranni. Ergo *primo*, sensus est, *q. d.* Tuum erat, o Domine! possidere nos; tu enim omnia opera nostra operatus es. At proh dolor! dii alieni, sive idola quæ coluimus; possederunt nos, « absque te, » id est tuo injussu, te reluctantem, imo te possessione tua dejecto; sed nostra amentia nobis eos accivit, et præfecit dominos, imo tyrannos : quare oramus ut eos auferas, nosque ad te convertas et compellas, ut te unum verumque Deum et Dominum colamus et invocemus. Id re ipsa factum est sub hoc tempus quo Ezechias templum purgavit, arasque idolorum evertit.

Secundo, Sanchez, *q. d.* Dum ab iniquis vexamur, non tu solus, o Domine! possides nos : nam « absque te, » id est præter te, qui solus in animis nostris dominari debueras, alieni etiam domini, scilicet reges Syriæ, Samariæ, etc., dominantur nobis; dum ab hostibus pressi, eorum opem imploramus, aut ipsi sponte sua nos inter nos dissidentes, et a te derelictos invadunt. Dabis itaque pacem; ut non sit necesse externos hos dominos et reges advocare, aut timere : ita ut de te uno cogilemus, te unum intueamur, in tuo nomine nostra consilia, studia et conatus conquiescant.

Nota pleonasmum, *in te*, et *nominis tui*; alterutrum enim redundat. Sensus est, *q. d.* « In te, » id est apud te, versetur jugiter acies mentis, et memoria nostra, ut semper te habeamus præsentem, ac recordemur nominis tui. Vatablus vertit, *tantum tui, nominisque tui recordemur.* Hebræum enim **בְּךָ** *becha*, id est *in te*, sæpe capitur pro regimine genitivi, idemque est quod *tui*.

Mystice, *q. d.* Alieni domini, scilicet mundus, caro, dæmon et peccatum, « absque te, » id est contra te (sunt enim hostes tui), possederunt nos; sed obsecramus ut ab iis nos liberet, ut tui tantum recordemur, tibi uni simus addicti in perpetuum. Da ergo nobis gratiam tuam, et donum perseverantiæ. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Septuaginta, qui vertunt : *Posside nos, Domine.*

14. MORIENTES NON VIVANT, GIGANTES NON RESURGANT. — Explicat qui domini possederint eos, scilicet « gigantes, » id est tyranni potentes, et præditi giganteo robore et animis : iidem vocantur *morientes*, sive mortui, tum hic, tum alibi : quia gigantes omnes ante diluvium, de quibus *Gen. vii*, diluvio submersi et mortui sunt, juxta illud *Jol. xxvi*, 5 : « Ecce gigantes gemunt sub aquis. » Unde Scriptura passim gigantes, quasi damnatos ob insignem superbiam et impietatem, in inferno ponit, et infernum vocat locum gigantum, *Proverb. cap. ix*, vers. 18, et *cap. xxi*, vers. 17; *Sapient. cap. xiv*, vers. 6. Imo Gentiles, teste Macrobio, lib. I *Saturn.* cap. xx, gigantes poetarum aiebant significare impiam gentem, deos contemnentem et negantem; ideoque draconum pedes eis affixerunt, ut significarent nihil eos rectum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna vergente, *q. d.* Hi domini et tyranni nostri, qui gigantibus sunt similes, æque ut illi moriantur, atque dejiciantur de suo robore, insolentia et tyrannide, neque ad eam, aut ad vitam resurgant; sed eorum nomen et memoria pereat, ut tu sis Dominus noster, tuique semper recordemur. Ita Forerius.

Secundo, alii generatim explicant : « Morientes, » scilicet impii, in peccatis « non vivant, » sed moriantur morte et cruciatu æterno; et « gigantes, » id est oppressores aliorum, « non resurgant » ad vitam beatam. Ita Adamus. Unde Septuaginta vertunt, *mortui vitam non videbunt, neque medici suscitabunt.* Hebræum enim **רָפָאִים** *rephaim* et medicos et gigantes significat (1).

Tertio, Symmachus vertit, *mortui non vivificabunt, gigantes non suscitabunt, q. d.* Oravi, ut alieni domini non possiderent nos, sed tu, Domine, utque tui jugiter recordemur : quia domini illi, puta idola, cum sint mortua, non possunt vivificare; et reges illi ac tyranni instar gigantum, cum æque ut illi sint morituri, non possunt nos suscitare, et in pristinum statum restituere. Ita Sanchez.

PROPTEREA (ut scilicet morientes non viverent; et gigantes non resurgerent) VISITASTI ET CONTRIVISTI EOS, ET PERDIDISTI OMNEM MEMORIAM EORUM. — Ex jam dictis planus hujus loci est sensus, scilicet, *primo*, de idolis, *q. d.* Dum Judæos per Sennacherib et per reges Syriæ et Samariæ afflixisti, sustulisti ex eorum mentibus omnem idolorum memoriam, eosque hac afflictione ad te tuique cultum et invocationem per Ezechiam compulisti : similiter ergo gentes impias afflige, itaque eas ad te compelle. *Secundo*, de regibus et tyrannis, *q. d.* Perdidisti, et perdes reges et tyrannos, qui nos affligunt, coguntque de se cogitare; itaque eorum memoriam ex animis nostris eximes, ut te solum cogitemus, tui jugiter recordemur.

(1) Nominem a sanitate derivato appellabantur olim gigantes propter sanitatem et rectam corporis habitudinem qua pollebant. (Forerius.)

15. **INDULSISTI GENTI.** — Probat ab eventu quod dixit vers. 10 et deinceps, scilicet impiis utilem esse afflictionem, et noxiam esse clementiam sive indulgentiam, *q. d.* Pepercisti diu impiis, v. g. Judæis, non tamen ad te redierunt, nec te glorificarunt; sed potius hac ratione magis eos a te elongasti et alienasti, juxta illud *Deuter. xxxii, 15*: « Incrassatus est dilectus, et recalcitavit; » et *Osee x, 1*: « Juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris. » Patet enim ex libris Judicum et Regum Judæos in prosperitate deflexisse ad idola, in tribulatione et afflictione Philistinorum aliorumque hostium ad Deum rediisse, eumque supplices invocasse.

ELONGASTI OMNES TERMINOS TERRÆ, — *q. d.* inquit S. Hieronymus: Ex hac tua indulgentia ingrati populi recesserunt a te, usque ad ultimos terræ terminos.

Secundo, et melius, *q. d.* Permisisti Judæos in pace agere, et sine metu pervagari omnes terminos terræ suæ, scilicet promissionis, repete, « numquid inde glorificatus es? » *q. d.* Non: imo tunc populus idola maxime coluit; contra vero, angustiati requisierunt te, ut sequitur.

Tertio, Vatablus et Leo Castrius: « Elongasti terminos, » id est prorogasti eorum fines et latifundia: numquid ideo glorificarunt te? *q. d.* Minime. Hic sensus planissimus est.

16. **IN TRIBULATIONE MURMURIS DOCTRINA TUA EIS,** — *q. d.* Impii, dum tribulantur, acceptant et faciunt doctrinam et disciplinam tuam, licet cum murmure. Ita S. Hieronymus. Sicut enim boum doctrina est stimulus, sic insipientes non aliter discunt nisi stimulis compuncti: unde hebraice eadem vox מלמד *malmad* stimulum et doctrinam significat, inquit Sanchez. Alii, ut Vatablus et Forerius, per *murmur* accipiunt orationem, ad quam excitat tribulatio.

Alii contritionem et indignationem, qua peccator tribulatione edoctus seipsum redarguit. Unde Chaldaeus pro *murmur* vertit *silentium*, quo scilicet peccator silens intra se compungitur. Septuaginta vertunt, *in tribulatione parva doctrina tua nobis*, quasi dicant: Tribulatio, licet in se magna sit, parva tamen poenitentibus videtur: quia affert eis disciplinam, et mutationem vitæ.

17. **SIC FACTI SUMUS A FACIE TUA.** — Est vox populi flagellis attriti et poenitentis, *q. d.* Sicut mulier a dolore partus, ita nos a facie tua, id est, a te nos exterius affligente, et interius compungente, concepimus, et magno molimine et nisu parturivimus, et tandem peperimus spiritum salutis, scilicet quasi novam prolem, et novum foetum: unde Septuaginta hæc sequentibus nectentes ita vertunt, *peperimus spiritum salutis quem fecimus* (Regii codices legunt, *fecisti*) *in terra*. Discant præcones verbi Dei hunc spiritum suis auditoribus ingenerare cum S. Paulo dicente: « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. » Vatablus per *spiritum* accipit

ventum, *q. d.* Puerpera post dolores parit foetum; at nos impii post dolores longi partus peperimus ventum, id est rem evanidam. Unde sequitur: « Salutes non fecimus. » Hic sensus subtilis est, sed non accommodus (1).

Porro hisce verbis describit Isaias, quid in animæ nostræ utero efficiat Dei timor, scilicet conceptum et partum gratiæ, quem spiritum salutis appellat. Unde Theodoretus ex Eusebio: « Timor Domini, inquit, fecundam reddit animam, et motum concupiscentiæ, qui ex carne consurgit, compescit. Mulieris utero enim similis est humana mens, quæ quidem si recipit a Deo pietatis semina, parit omnino bonos fructus. » S. Cyrillus autem sic vertit: « Propter timorem tuum, Domine, nos uterum gessimus et parturivimus et peperimus spiritum salutis, quo gravidi fuimus super terram. » Timor ergo Domini animam sanctis cogitationibus et propositis ingravidat, et ad partum boni spiritus, id est charitatis, perducit.

18. **SALUTES NON FECIMUS IN TERRA, IDEO NON CECIDERUNT HABITATORES TERRÆ.** — Est vox Isaiæ, Prophetarum et Prædicatorum, quasi dicant: Quia non fecimus opera sancta, opera præclara et heroica salutis, tum nostræ, tum proximorum; quia lenti sumus ad opera pietatis; ideo non ceciderunt a sua superbia et malitia incolæ terræ. Dicant hoc etiamnum Sancti, præsertim præcones verbi Dei: Ideo pauci deserunt vitia, quia nos prædicatores flaccide munus nostrum obimus, quia parvo spiritu concionamur, quia quæ docemus verbo, non prius docemus exemplo.

Secundo, apposite S. Hieronymus; S. Thomas, Hugo et Sanchez, quasi dicant Judæi: Ideo habitatores terræ, scilicet nostræ nobisque vicinæ, puta Jebusæi, Philistini et alii non ceciderunt, non sunt deleti, sed adhuc nos vexant et impugnant; quia non fecimus salutes, id est opera sancta, quæ salutem pariunt; illi ergo relinquuntur nobis ad stimulum et ad lixivium, ut sua impugnatione eluant et expurgent quidquid in nobis vitii est reliquum.

Tertio, aliter vertit et explicat Vatablus, *q. d.* Salus non est facta in terra, id est tribulatio non cessavit, neque tamen incolæ terræ corruerunt sub manum Dei, id est, Deo non paruerunt qui nos affligebant, victi nostra patientia.

19. **VIVENT MORTUI TUI** (o Domine! est hic mira enallage; hic enim est vox Isaiæ ad Deum: « Vi-

(1) Hebræi solebant post calamitates lætiorem rerum commutationem expectare; quare ærumnas laboribus et tremoribus parturientis, et meliorem tandem sortem læto demum partui comparabant, *Isai. xiii, 8*; *xxvi, 17*; *II Reg. xix, 3*; *Jerem. iv, 31*; *xiii, 21, 22, 23*; *xxx, 6*; *Mich. iv, 9, 10*; *Joan. xvi, 21, 22*. Huic longius progressi, res adversas, quas aliæ rursus adversitates sequebantur, comparant morbo, quo mulieres correptæ, gravidæ esse videntur, et omnia graviditatis incommoda sentiunt, demum vero non pariunt nisi molam ventosum. *Isai. xxvi, 18*; *Psal. vii, 15*. (Jahn, *Archæolog. Bibl.*, part. I, cap. xii.)

vent mortui, » *q. d.* Resurgent, eruntque beati mortui qui in Domino moriuntur. Sequitur vox Dei): INTERFECTI MEI RESURGENT (*q. d.* Omnino ita fiet ut dicis, o Isaias! Interfectos suos vocat Deus Martyres, qui æque ut Isaias, pro Deo serra lignea secti, aut alio modo occisi sunt. Denique sequitur vox Isaiæ ad defunctos, ut resurgant ad immortalitatem, et laudent Deum, dicens): **EXPERGISCIMINI, ET LAUDATE QUI HABITATIS IN PULVERE.** — Pro *laudate* Septuaginta vertunt, εὐφρανθήσονται, id est *lætabuntur*; Aquila, αἰνεῖσθε, id est *laudabunt*; Theodotion, ἀλαλέσουσι, id est *jubilabunt*; alii ἀγαλλιάσονται, id est *exsultabunt*. Ex Hebræo aliter vertunt Vatablus et Pagninus, scilicet: *Mortui tui, o Domine, resurgent cum cadavere meo in fine sæculorum.* Aliter hæc explicat noster Hieronymus Prado in *Ezech.* cap. xx, 4, notat. 5, ubi mortuos et interfectos resurgentes intelligit Martyres, quorum constantia et virtus vivit in Ecclesia præsentis, eamque stabilivit et auxit, prostratis gigantibus, id est, Deciis, Diocletianis, et aliis tyrannis eam impugnantibus. Verum hæc resurrectio symbolica est et mystica, non litteralis. Est ergo hic plausus Isaiæ et Sanctorum ob futuram resurrectionem, cui applaudit Deus. Ita legimus in *Vita S. Leocadiæ*, 9 decembris, quæ nobilis fuit virgo et martyr Toleti in Hispania, sub Diocletiano Imperatore et Daciano præside, quod post ejus mortem S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus et Recesuinus, rex Hispaniæ, in festo S. Leocadiæ ejus sepulcrum adiverint venerationis et orationis causa; et ecce immane saxum sepulcri ejus sponte revolutum est, surrexit S. Leocadia, manumque apprehendens manum S. Ildefonsi, dixit: « O Ildefonse! per te vivit gloria Dominæ meæ; » ipse enim virginitatem B. Virginis contra hæreticos propugnavit. Respondit ei Ildefonsus: « O gloriosa virgo! merito regnas cum Deo in cælo, quia pro ejus amore vitam tuam prodegisti. Respice hanc tuam civitatem, quæ tuum festum concelebrat, eamque tuere et consolare. » Redeunte Sancta ad sepulcrum, S. Ildefonsus, cultro a rege accepto, particulam veli ipsius abscidit ad miraculi memoriam; quæ in Ecclesia Toletana instar thesauri asservatur.

QUIA ROS LUCIS ROS TUUS. — Noster Hieronymus Prado in *Ezech.* cap. xxvi, 20, putat hanc esse laudem et canticum resurgentium, *q. d.* Isaias: **Expergiscimini a pulvere et sepulcro, o mortui! et laudate Deum, ac cantate id quod sequitur, scilicet:** « Quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. » Pro *lucis* hebraice est אורֹת *oroth*, quod *primo*, lumina; *secundo*, herbas et olera virentia et lucentia significat. Unde aliqui sic vertunt et explicant: Sicut ros cadens super herbas eas crescere et exurgere facit: sic ros gratiæ tuæ cadens super ossa mortua, ea resuscitabit. Sic dicitur *Isaiæ* LXVI, 14: « Ossa vestra quasi herba germinabunt; » et *Ecclesiastici* XLIX, 12: « Ossa pullulent de loco. » Ita Vatablus.

Noster vertit « ros lucis, » id est antelucanus et prænuntius lucis: hic enim fecundat herbas. Rursum « ros lucis, » id est vitæ. Est vox Isaiæ, vel resurgentium ad Deum, *q. d.* Sicut ros noster lucem et vitam affert plantis, sic ros tuus divinus, id est tua gratia vivifica, tua benignitas et hâlitus vitalis, tuum verbum, tua jussio, tua vox per Archangelum, *surgite, mortui*, lucem et vitam, eamque priori terrestri illustriorem, utpote beatam et gloriosam, afferet defunctis, ut resurgant. Ita Irenæus, lib. III, cap. xi; Tertullianus, lib. *De Resurrectione carnis*, xxxi; S. Hieronymus et Cyrillus hic. Unde et S. Augustinus, lib. XX. *De Civit.* cap. xxi, et serm. 3 *De Consolatione mortuorum*, hæc accipit de corporum gloriosorum splendore, quo sicut stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Unde Arabicus Antiochensis vertit: *Ros tuus splenduit vel fulsit eis.*

Tropologice Procopius: **Lux**, inquit, sive vita est remissio peccatorum, quam Christus, qui est ros Patris, stillat in animas peccato mortuas. Unde Arabicus Alexandrinus habet: *Ros qui est ex te (abs te) sanavit eos.*

Symbolice, *ros ac manna lucis*, id est veritatis Evangelii, est Eucharistia; Judæorum enim manna et ros erat noctis; quia typicum erat et umbraticum. Rursum, dicitur *lucis*, propter gloriam resurrectionis, et immortalitatis claritatem, quæ per illud datur; assignans enim rationem cur mortui et interfecti resurrecturi sint, ait: « Quid ros lucis ros tuus, » *q. d.* Noster ros, nostrum manna, scilicet Eucharistia, mortuos revocabit ad vitam et lucem, ejusque vi et efficacia mortui resurgent ad immortalem gloriam, juxta illud *Joannis* vi, 52: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. » Ita noster Vincentius Reginus, lib. IV *Disquisit. Evangel.* cap. xxi.

Porro Arias Montanus hæc refert ad plasticam sive figulinam, in qua argilla sicca a figulo irroratur, et aqua aspergitur; ut ex ea formet sua vasa. Verum hoc frigidius, exilium, et alienius est; Deus enim hic rori, non figulo comparatur.

ET TERRAM GIGANTUM DETRAHES IN RUINAM, — id est terram istam, quæ est sedes superbiorum et violentorum, omniumque impiorum, succendes, et in pulverem rediges. S. Hieronymus per *terram gigantum* accipit corpora impiorum (1).

20. VADE, POPULUS MEUS, INTRA IN CUBICULA TUA. — Est vox Dei ad Sanctos qui in Domino moriuntur, *q. d.* *Ite ad modicum, o Sancti! ad cubi-*

(1) Verba וּאֶרְצָךְ רַפְאִים תְּפִיל, ad verbum sonant, et *terra manes cadere faciet* (Vatablus, et *terra mortuos projiciet*); sed verbum תְּפִיל significat hoc loco quid quod amplius tenere nequeas, vi quadam *ejicere*, ut te eo liberet, perinde ac gravida, ubi tempus partus adest, se omni modo fœtu suo nititur exonerare et liberare, et dum id agit, fœtum illum *emittit ac ejicit*. Terra, quæ mortuos in visceribus suis occultat suo tempore resuscitandos, comparatur matri, fœtum quem per certum tempus in utero foverat, emittenti. (Rosenmuller.)

cula, id est sepulcra vestra, ibi dormite et quiescite; quia brevi, scilicet in die iudicii, vos resuscitabo. Mors enim Sanctis non molesta est, sed suavis instar somni unius noctis respectu resurrectionis et æternitatis: cubile est sepulcrum; unde cœmeteria græcè vocantur quasi dormitoria. Ita S. Augustinus, epist. 36 ad Casulanum; et Tertullianus, lib. De Resurrectione carnis, cap. xxvii, ubi pro cubicula legit cellas promas, id est cellaria sive penuaria. Sic enim habet: « Populus meus, introite in cellas promas aliquantulum, donec ira mea prætereat. Sepulcra erunt cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus sæculi sub ultima ira per Antichristi vim excesserint. » Quærit deinde cur cellas promas vocet potius quam receptorium? ac respondet: « Quia in cellis promis caro salita et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore. Proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturæ, mausolæis et monumentis sequestrantur, processura inde, cum iusserit Dominus. » Ita noster Hieronymus Prado de facto Commentarium suum in Ezech. cap. xxvi, cum vita conclusit hæc Isaïæ sententia: « Vade ergo, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum; » hæc enim scribens ipsemet intravit in cubiculum suum, et, clauso ostio, corporalium sensuum, absconditus modicum ab oculis nostris quiescit ad momentum præsentis sæculi, resurrecturus brevi, ut speramus, ad beatam æternitatem. Pari modo animæ Martyrum jubentur ad tempus quiescere sub altari, Apocal. vi, 11. Similiter, uti narrat Helinandus in Vita S. Gereonis et Thebæorum Martyrum, S. Evergistus Archiepiscopus Coloniensis, cum dolore capitis correptus ecclesiam Thebæorum Martyrum oraturus adiret, inchoaretque hunc versum: « Exsultabunt sancti in gloria; » Martyres responderunt: « Lætabitur in cubilibus suis. » Itaque Evergistus, sacros eorum pulveres tangens, a dolore liberatus est.

Idipsum dicit Deus tot centenis millibus Martyrum; qui Romæ ab Ethnicis Imperatoribus varie necati ibique sepulti sunt. Sane mire me affecit hæc Isaïæ sententia, cum vidi in Vaticano sepulcra SS. Petri et Pauli; in Pane Perna ipsissimum locum in quo S. Laurentius sub Decio in craticula assatus et tostus fuit: in templo S. Cæcilie domum ejus et balneum, in quo ipsa gladio fuit percussa; et cryptam, in qua cum SS. Valeriano, Tiburtio aliisque sepulta, et nuper sub Clemente VIII integra reperta, octoginta lampadibus semper ardentibus circumdata, quasi in rore et expectatione lucis æternæ requiescit; in S. Agnete ejus domum et ecclesiam, in qua ipsa nuper pariter reperta, cum SS. Emerentiana et Constantia Constantini Magni filia recondita est. Cor vero mihi pene exsiliit, cum in S. Pauli sacello vidi ipsissimum locum et columnam, in qua Doctor

Gentium Neroniano gladio capite truncatus fuit, atque tres limpidissimos fontes, qui ex trino eoque ingenti capitis ejus saltu, stupendo et sæculis omnibus inaudito miraculo exsilierunt, et per 1600 annos continuo exsiliunt. Rursum, cum vidi in Montorio collem et sacellum, in quo S. Petrus instar Christi, sed capite deorsum verso, crucifixus fuit; in S. Potentiana puteum, in quo ipsa suis manibus tria Martyrum millia sepelivit. Denique, cum vidi præter alia multa Martyrum et Virginum sepulcra, cœmeteria S. Lucinæ, S. Callisti, S. Priscillæ et aliorum, olim sanguine Martyrum rubricata, imo natantia, in quibus innumeri Martyres conditi sunt. Vere, Domine, Roma est terra sancta, in qua te laudaverunt Patres nostri magis factis quam verbis, magis sanguine quam voce, magis moriendo quam loquendo. Merito ergo eis dicis: « Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua, abscondere modicum ad momentum, » donec ros lucis et resurrectionis illucescens resplendeat, ut tunc in gloriam resuscitati, fulgeatis quasi stellæ, imo soles, in perpetuas æternitates; atque pedibus prematis Neronem, Domitianum, Decium, Diocletianum, etc., vestros olim tortores et tyrannos, nunc supplices et reos. Hoc est quod ipsi suis cryptis inscribi curarunt; hoc est quod muta, non tam voce, quam inscriptione quasi sub altari clamant: « Expectamus hic requiem et resurrectionem. »

CLAUDE OSTIA TUA SUPER TE, — claude oculos, claude sensus; cura et occludi sepulcrum tuum, ut ibi silenter sine interpellatione quiescas. Alludit ad rationem agendi eorum qui, imminente aut urgente tempestate, intrant sua cubicula, iisque clausis, domi se continent. Ita Vatablus.

Moraliter S. Gregorius, IV Moral. xxiv: « Cubicula, ait, ingredimur, cum secreta mentis nostræ intramus. Ostia autem claudimus, cum desideria illicita coercemus. »

DONEC PERTRANSEAT INDIGNATIO, — tum illa, qua Adæ peccatum vestraque singula communi omnium morte et putrefactione punire statui; tum potius qua impios puniam, præsertim sub finem mundi, per tot plagas iudicio et resurrectioni prævias; jubet enim dormire Sanctos, ut hæc plagas non sentiant.

21. ECCE ENIM DOMINUS EGREDIETUR — e cælo, descendet cum omnibus Angelis ad iudicandum orbem, et tunc terra reddet sanguinem justorum ac Martyrum, quem sorbuit et imbibit, nec amplius eum sorbebit. Unde ait: « Et non operiet ultra interfectos suos, » id est, terra reddet et refundet omnes Martyres, omnes mortuos et sepultos quasi ex gremio, quo jam eos concludit, ne amplius eos in se suscipiat, q. d. In die iudicii revelabuntur omnia homicidia, martyria et peccata, ipsique tyranni et peccatores punientur a Deo; Sancti vero resurgent ad beatam immortalitatem, et glorificabuntur a Deo.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A cap. XXIV hucusque egit de orbis vindicta et excidio; hic agit de clade et excidio diaboli, qui princeps est mundi; quod inchoavit Christus in hac vita, sed perficiet in die iudicii, de quo hic proprie agit Propheta. Simili modo, cap. XIII, cum egisset de excidio Babylonis, mox cap. XIV, agit de excidio regis Babylonis. Secundo, vers. 2, inducit canticum vineæ, id est, Ecclesiae Beatorum a Deo mire benedictæ. Tertio, vers. 6, prædicit Apostolos impleturos orbem semine verbi Dei eo tempore, quo urbs Jerusalem vastabitur, tumque reliquias Judæorum convertendas esse. Denique, vers. 12, docet Judæos exsules et profugos venturos ad Ecclesiam Christi (1).

1. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est. 2. In die illa vinea meri cantabit ei. 3. Ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei: ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam. 4. Indignatio non est mihi: quis dabit me spinam et veprem in prælio: gradiar super eam, succendam eam pariter? 5. An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? 6. Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine. 7. Numquid juxta plagam percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos ejus, sic occisus est. 8. In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus. 9. Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob: et iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus, cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra. 10. Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum: ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates ejus. 11. In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes, et docentes eam: non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum; et qui formavit eum, non parcat ei. 12. Et erit: In die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti, et vos congregabimini unus et unus filii Israel. 13. Et erit: In die illa clangetur in tuba magna, et venient qui perditii fuerant de terra Assyriorum; et qui ejecti erant in terra Ægypti, et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.

Vers. 1.

1. VISITABIT (puniet et quasi trucidabit) IN GLADIO SUO, — suo robore, suis viribus et armis; arma enim Dei sunt ipsa ejus potentia, quæ ex se omnipotens est et efficax, nec externis armis eget.

(1) Hujusce capituli interpretatio quare pluribus impedita sit difficultatibus, præcipua ratio est, tum ut in capite præcedenti frequens personarum mutatio, tum in pluribus versibus subjecti et attributi propositionis prætermisio, et consequenter, summa difficultas intelligendi, qua ratione partes hujus colloqui inter se cohæreant.

Omnes fere antiquiores interpretes hic agi de excidio diaboli, Deique cura et suavi custodia Ecclesiae impensa, existimarunt. Recentiores vero ad eventus Isaïæ viciniores hoc vaticinium pertinere asserunt. Nam supra prænuntiato regressu Juda in patriam, et ultione a Domino expectanda sanguinis inique fusi in Judæa, historiam ultionis ipsius hic enarrare Isaïam ut verisimillimum ducunt. Itaque alii Nabuchodonosorem, alii Baltasarem, alii Cambysem, alii tandem Ægyptium hic designari putant. Forsan probabilius cum Berthiero, primum versum de Baltasare ultimo regis Babylonij intelligendum esse diceremus,

Theodoretus, Nazianzenus, Basilus, Tertullianus, et ex iis Leo Castrius, per gladium accipiunt Christum, qui resecat in nobis animi cupiditates, et dæmonem occidet, id est omnem vim nocendi

nam summa erat ejus potentia, ut *vectis* Judæorum in patriam reditui se opponebat, *tortuosus* propter impietatem et fallaciam, recte dicitur et cetus maris, quia Babyloniorum imperium in Scripturis sæpe mari assimilatur. Attamen cum Rosenmuller et aliis sentire libet sub imagine belluarum triplicis generis, quorum *prima* in fluviis et paludibus; *secunda* in terra, maxime in desertis, *tertia* in mari degit, totidem genera tyrannorum immanium et truculentorum significari.

In hoc igitur vaticinio, Isaïas, *primo*, prædicit regis Babylonis, adeoque diaboli et Antichristi ruinam et interitum, ut justam pro populo Dei lætandi materiam, 1, 2.

Secundo, Deum ipse inducit summam erga vineam suam, id est populum suum curam, valentissimum auxilium, ingentemque per orbem diffusionem promittentem, 3-6.

Tertio, negat Deum ea severitate usurum esse erga populum suum, qua erga hostes, quos ad interuersionem

hominibus ei acimet. Arabica versio habet: *In die illa mandabit Dominus hasta sua districta, magna, potenti super vipera, et rege serpentum, et super delphino: et occidet draconem qui est in mari* (1).

LEVIATHAN — est cetus sive balæna, ita dicta ob vastitatem corporis; Leviathan enim hebraice significat *copulatio eorum*; balæna autem partes corporis vastas habet invicem sibi coherentes et copulatas; aut quia omnia ad se copulat et trahit, ut gulam suam impleat, uti faciunt potentes et tyranni (2). Inde « Leviathan » significat hic dæ-

deleverat, nihilque intendere, *inimicum* corripiendo, quam auferre peccatum ejus, 7-9.

Quarto, prænuntiat e contra hostium populi Dei debitam et durissimam pœnam, Gentilium idololatriæ eversionem, inimicorum fidei dispulsionem, et synagogæ dispersæ collectionem ad Christi Ecclesiam, 9-13.

(1) « In die illa, » id est tempore illo quo cap. præced. vers. 21, Israel dixit Dominum proditurum e loco suo ad puniendos impios.

(2) Jam qualis belluæ species hic designatur per Leviathanem priorem, inquit Rosenmuller (nam tres distinctas belluas hic spectari vult), unice definiri potest ex epitheto adjecto בריה נחש. Et vocem נחש quidem vix dubium est sumi hic lâtiore significatione pro bestia cuius est mobile, volubile et oblongum corpus quale serpentis, ut adeo διαχρῆσις hujus belluæ sola cadat in vocem בריה ambiguanotationis. Verbum ברה notare constat fugere, unde בריה significare posse *fugacem, celerem*, unde Græcus Alexandrinus θῆριον φεύγοντα vertit. Notat præterea בריה (schevate supposito primæ radicali) *vectem*, quare Aquila vertit θῆριον μέγλον, quod secutus est Hieronymus. Parum distat illud Symmachi συγκλείοντα, *concludentem*; Theodotio, θῆριον ἀκρωμένον, serpentem robustum. *Serpentem vectem* phrasin *nacasch bariach*, quæ ipsa et Job xvi, 13, de asterismo quodam legitur, interpretatur Bochartus, ea vero designari existimat ingentem quemdam piscem, Græcis ζυγαίνα dictum ἀπὸ τοῦ ζυγῶς, a jugo, quippe hæc bellua caput neque rotundum neque rostratum, neque fastigiatum, quale in piscibus reliquis esse solet, sed in latera extensum atque transversum habet. Cui sententiæ tamen obstat primo quod vox בריה *vectis* a Massorethis schevate sub prima littera est instructa, deinde quod hæc piscis species vulgo fuerit ignotior, quam ut probabile sit, Prophetam ejus fecisse mentionem, esse autem minus notam, hinc etiam liquet, quod Romani scriptores nulli hujus piscis meminerint, quod Bochartus ipse docet.

Idem Bochartus, *Hieroicozon*, lib. IV, cap. xii, xiii, xvi, hanc belluam aliunde, Job cap. xl, descriptam; William Carpenter, *Script. Histor. natur.* part. III, sect. v; D. Wansittard, *Observat.* in cap. iv lib. Job; D. Harris, voce Leviathan crocodilum designari et ipsi docent. Attamen ista sententia non satis clare textu tum Job, tum Isaia nititur. Nam in lib. Job legitur, cap. xl, 20, 21: « An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam ejus? Numquid ponas circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? » Atqui hæc magis balænae quam crocodilo conveniunt, præsertim si illa verba conferas cum hujus bestię descriptione, cap. xli. Aliunde Isaias hocce capite dicit Leviathan in mare commorari (si tapien de una bellua quæstionem esse admittitur), quod crocodilo non congruit, quippe qui flumina incolit, ex iisque sæpe egreditur. Rabbinæ recentiores per Leviathan aliquod cetacei vel balænae genus intelligunt, quod et ipse sentit Virey, *Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle*, tom. XVII, pag. 516, edit. Deverville. Hæc sententia confirmatur permultis belluarum marinarum fossilibus

monem potentissimum et superbissimum, puta Luciferum, qui in hoc mundo, quasi cete in mari, discurrit ut omnia voret, quique est caput dæmonum et impiorum, eosque sibi quasi concorporavit; superbi enim capiti draconis hujus quasi coalescunt, luxuriosi ventri, rapaces manibus, pedibus, qui vagi sunt ad vana et prava. Ita Leo Castrius. Sensus est, q. d. Agite, certate, electi mei, cum diabolo; licet enim lucta cum eo sit difficilis, tamen ego vobis adero, et brevi, scilicet in fine mundi, omnem ei vim et potentiam adimam, eumque evertam. Quidam e Neotericis per Leviathan accipit Turcam. Hic enim multa regna et gentes sibi copulavit; estque *serpens oblongus*, ob longe propagatum imperium; isque *tortuosus*, si spectes situm regionum quas occupat. Tuber enim quasi caput apparet in Græcia, Thracia, Macedonia, et reliqua Europa; protensum aliquantum corpus in Asia minori, quæ nunc Anatolia dicitur, cernitur; venter se gyrans videtur per Syriam et Phœniciam; cauda longo syrmate sequitur per Ægyptum et Libycam oram, ubi tanquam in spiram se colligit. Sedem habet in mari, puta in ipsius faucibus Ponti et Propontidis, scilicet Constantinopoli. Hunc Deus, definito a se tempore, visitabit et disperdet. Hæc ingeniosa est accommodatio. Nam ad litteram agitur hic de excidio mundi et diaboli, ut dixi.

SERPENTEM VECTEM. — Diabolus dicitur *serpens*, ob astutiam et venenum peccati, quod hominibus callide suffundit. Dicitur *vectis*, primo, ob robur; unde Theodotio vertit, *serpentem robustum*; secundo, quia multos sua potestate et carcere gehennali claudet; unde Symmachus vertit, *serpentem concludentem*. Diabolus enim, inquit Sanchez, quasi vectis plusquam ferreus obstruxit fores inferni et peccati (ne quis inde emergat) consequenter et cœli, ne quis eo penetret, idque adeo fortiter et anguste, ut non nisi gladio Dei duro et grandi vectis ille, ad liberum hominibus et expeditum ingressum, diffringi aut revelli potuerit; tertio, quia transit ab extremo ad extremum mundi; unde alii vertunt, *serpentem longum*; alii, *penetrantem*, vel ob virulentos morsus, vel ob violentiam; Septuaginta, *serpentem fugientem*, id est cito transeuntem a loco in locum; licet mystice S. Hieronymus ita explicet: Quia diabolus, inquit, in die judicii fugiet; qui nunquam fugere consueverat. Denique pro *vectem* Forerius vertit, *teretem*, sive lubricum, qui facile fugit et elabitur (hoc enim significat radix ברה *barach*); talis enim est serpens, et ejus antitypus diabolus; Syrus vertit, *serpentem subsilientem*.

Audi qualis vectis, quamque longus et terribilis sit diabolus. Theodosius Abbas apud Sophro-

in terræ stratis inventis, quæ ad speciem vere giganteam pertinere videntur, et tam ab hodiernis differunt ut Cuvierus de istis belluis marinis quoddam genus singulari statuerit sub nomine *Ziphins*. Vide *Annales de Philos. Chrét.*, tom. III, pag. 306 et seqq.

Serpens
vectis
est da
mon,
cur?

Levia-
than est
balæna,
cur?

nium, in *Prato spirit.* cap. LXVI, hæc de seipso narrat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in exstasi aspexi virum quemdam cujus species claritatem solis vinceret; hic tenens manum meam: « Veni, ait, quia pugnare et luctari te convenit; » et induxit me in theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia vero nigro vestitis. Cum ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Æthiopem, cujus caput tuffissimum penetrabat nubes. Tunc ait juvenis ille, qui mihi apparuerat: « Cum hoc luctari te oportet. » Ego qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pavere cœpi, dicens: « Quis hominum mortali conditione et infirmitate circumdatus, cum hoc luctari posset? non ipsum universum genus hominum, si in unum confluat, huic resistere prævalet. » Ait autem ad me juvenis: « Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate et fiducia; mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor ero, tibi que victoriæ coronam repenam. » Ut ergo ad certamen sum ingressus, luctari que invicem cœpimus, continuo præclarus ille iudex nostri certaminis adfuit, mihi que coronam dedit; atque plebs illa obscura, Æthiopum que multitudo ingens, ejulantes evanuerunt; pars vero reliqua candidorum, gratias illi et laudes referebant, qui me juverat, ac præclara victoria donaverat.

« S. Hilarion, ait S. Hieronymus in ejus Vita, quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, et rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu quam aspectu, territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria; et provolutus genibus, Christi crucem signavit in fronte; talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius præliabatur, amodo videre desiderans, quos horrebat audire, et sollicitis oculis huc illucque circumspiciens; cum interim ex improvise, splendente luna, cernit rhedam, ferventibus equis, super se irruere; cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: Equum et ascensorem projecit in mare. Et: Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. » Alia vice cameli specie dæmon ferociens, accolasque omnes percellens grassabatur, processit ei obviam S. Hilarion: « Non me, ait, terres, diabole, tanta mole corporis; et in vulpula et in camelo unus atque idem es. » Alia die per philtum dæmon ab amasio immissus in puellam, irrisus a Sancto audivit: « Grandis fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellam Dei? Ut servarem, ait, eam virginem. Tu servares, proditor castitatis? cur non potius in eum qui te mittebat es ingressus? Ut quid, respondit, intrarem in eum, qui habet collegam meum amoris dæmonem? » Alio

tempore Orionum virum primariam a legione dæmonum obsessum, ac furibunde irruentem in Sanctum, arridens compescuit: « Sinite, ait, et mihi meum palæstritam dimittite; atque plantas utroque calcans pede: Torquere, ait, dæmonum turba, torquere. Cum ille ejularet: Domine, inquit, Jesu, solve miserum, solve captivum: ut unum, ita et plures vincere, tuum est. Curatus itaque et hic est. » Hoc est quod ait Jacobus cap. iv, 7: « Resistite diabolo, et fugiet a vobis, » q. d. Resistite, et negate consensum diabolo tentanti, et vicistis; fugiet enim a vobis confusus, quasi canis cauda truncatus. Hinc dæmon a S. Job, cap. iv, vers. 11, juxta Septuaginta vocatur *Myrmicoleon*, id est formicaleo, quod se ostendet timidis terribilem ut leo; fortibus vero et resistentibus sit imbellis et imbecillis ut formica. Quocirca S. Bernardus: « Videte, inquit, fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentes; » et S. Hieronymus in *Matth.* iv, 6, explicans tentationem diaboli dicentis Christo: *Mitte te deorsum*: « Vox, ait, diaboli est qui semper omnes cadere deorsum desiderat. Persuadere enim potest, præcipitare non potest. » Ita S. Antonius diabolum apparentem in forma gigantum, leonum, ursorum, etc., irridebat, dicens: « Si habes potestatem a Deo in me, exere: ecce ego; si non, quid frustra conaris me hisce monstrosi phantasmatis terrire, qui nihil potes? »

SERPENTEM TORTUOSUM. — Syrus, *serpentem ebullientem, incitatum, commotum*; Arabicus, *serpentem tortuosum, insidiosum, callidum*. Tortuosus est diabolus, primo, ob pravitatem animi; nihil enim in se rectum habet; ait S. Hieronymus, imo nullum opus, etiamsi moraliter tantum bonum et honestum, amare aut velle potest. Cujus rei causa est extremum odium quo prosequitur Deum, qui ei summos et æternos cruciatus infligit; quia enim summe odit Deum, hinc et odit omnia quæ Deo grata sunt, qualia sunt omnes actus boni et honesti. Huc eum agunt desperatio et rabies. *Secundo*, ob fraudes; unde et in oraculis suis est implexus, fallax et mendax; qua de causa Apollo vocatus est *λοξίας*, id est obliquus et tortuosus. *Tertio*, quia, ut ait S. Basilius in *Psal.* xxxii, varios habet flexus, quibus hominem invadit, et impellit ad varia et contraria vitiorum genera.

ET OCCIDET, — morte æterna, relegando et relegando eum in inferno, ubi semper cruciabitur igne et doloribus mortis immortalis; qui enim in eo sunt, semper moriuntur, at nunquam sunt mortui.

2. IN DIE ILLA VINEA MERI CANTABIT EI (1). — Pro

(1) Hanc Forerii explicationem qua diversas hujus capitis partes inter se connectere conatus est, subjicere illam abbreviando, utile judicavimus, licet ex aliqua parte ab isto ordine discedere vera textus intelligentia suadeat.

« Vineam meri. » Puto in hac voce consistere bonam partem intelligentiæ totius hujus capitis, quam assequi non ita facile est. Verbum *camar*, turbidum esse seu

cantabit Septuaginta vertunt, ἄρχουσιν, quod significat, primo, incipere; secundo, dominari et esse principem. Unde, primo, ex iis verti potest hoc modo: *In die illa vinea bona desiderium incipere*

lutulentum esse significat; unde *hemer* nomen, quo *vinum rubrum* vocant Hebræi; quod olim in pretio erat, ut apparet ex *Deut. xxxii*. Idem quoque vinum ex tropo Hebræis familiari symbolum erat calamitatis, afflictionis et vindictæ divinæ, ut apparet ex *Ps. lxxv*, ubi dicitur quod *Dominus propinaret peccatoribus calicem, in quo vinum esset rubrum, seu turbidum, etc.* Cum ergo de vastatione populi Dei superius verba fecisset, jam nunc quamnam ob causam hæc mala immissurus esset Deus in populum suum explicare decrevit Propheta canticum, prout Prophetis mos erat, quod *alternis* jubet *decantari vineæ* populi Dei, quam vocat *vineam turbidi*; quo nomine quodammodo ludit. Nam quæ vini pretiosi ferax fuerat, quod *turbidum* seu *rubrum* dicebatur, vinum turbidum de calice divinæ iræ esset ebibitura. Pro *cantare* dixi *alternis canere*; quia hæc est acceptio verbi interdum cum dandi casu constructi, ut *Num. xxi*: *Ascende Beer, respondeat illi*, id est *alternis canite*; et *I Sam. xxi*: *Nonne huic respondebant in choris?* etc.

Vers. 3. « Ego Dominus, qui, » etc. Negare non possunt vel ipsi Rabbinij Vulgatum interpretem hoc in loco Hebræa reddidisse: nam juxta eorum distinctiones et ab eis assignatas interpretationes singula reddidit. Dicunt autem esse veluti dialogum quemdam Dei secum colloquentis, qui nunc propensum se ad misericordiam, nunc ad iram ostendit. Sed cum (ut ingenue fatear) non intelligerem qua ratione partes hujus colloquii cohærent, et varietatem interpretationum (quæ difficultatis mihi est sæpe signum) conspicerem atque conferrem, hæsi plane, quousque abrasis punctis ac distinctionibus, rem mecum ac cum Deo tacitus cœpi expendere. Tandem altera mihi interpretatio affulsit, quam hic apponere volui, non ut eam Vulgato aut aliorum commentariis præferam, sed in gratiam pii ac diligentis lectoris. Existimo autem esse dialogismum, cujus veluti titulus, in quo argumentum continetur, est: *Alternis canite vineæ turbidi*. Hoc autem tertio versu, qui est primus cantici, Deus loquitur ad hunc modum: *Ego Jehovah servo vineam hanc, vel conservator ejus sum*; qui rego, qui protego, qui curam ejus gero; *ad singula quoque momenta irriquo eam*: hic mihi mos semper fuit, semper ad populum meum misi prophetas atque doctores, qui eum, tanquam vineam, cœlestis doctrinæ imbribus rigarent. *Regah momentum* est: numero multitudinis cum *lamed*, ut hoc loco, est *ad momenta*, id est, singulis momentis, seu frequentissime, « Ne forte visitetur, » etc. Neque his, inquit Deus, beneficiis contentus, ne animalia aut fures eam devastent, *eam die noctuque cingo*, circumeo, non minus intentus, ne quis irruat ut noceat, quam qui obsidet civitatem, ne quis elabatur, aut in auxilium veniat. Potest enim esse hoc futurum a multis verbis, præsertim si puncta deleas.

Vers. 4. Hoc secundo cantici versu inducitur ipsa vinea loquens in hunc modum: *Murus non est mihi: quis daret me sentes et spinas in bello?* Quæ certe verba sunt et ingrati et infidelis animi, qui spreto Dei favore et Dei protectioni diffidens humana auxilia anxius quærit: qui morbus adeo Judæorum peculiaris fuit, ut vix sit in Scripturis pagina quæ eorum ingratitude atque diffidentiam non coarguat. Loquitur autem populus sub nomine vineæ, ideoque in eadem similitudine perseverans, ubi sibi deesse murum dixit, *senticetum* seu *vepricetum* optat, quo circummuniri solent vineæ. Vide supra, v, 5, et vii, 25. Populus ergo Israel non satis muris et munitionibus civitatum suarum fidens, auxiliares

(scilicet cantare, sive canticum dicere) et; secundo, sic: *Desiderium ejus princeps illius sit* (quidam enim legunt ἄρχουσιν), quod Ecclesia pulcherrima et dilecta sit princeps Synagogæ genitricis suæ. Verum

copias hastatorum et sagittariorum sibi adesse optat, quibus possit belli tempore hostibus resistere, et Romanos aut quosvis alios propulsare. Supra, x, 17, videbis his ipsis nominibus *spinarum* et *veprium* significatas militum acies. At quis ignorat *comah*, aliis atque aliis punctis, *solem*, *socerum*, *iram*, atque *murum* significare? Non dicit autem: *Quis dabit mihi*, sed *me*; nempe quod totus optaret in armatos milites converti. Quæ sequuntur autem in eodem versu verba sunt Domini: *Transgrediar contra eam, succendam eam pariter*. Hæc est diffidentia et ingratitude Judæorum pœna. *Transgrediar*, inquit, *contra eam*, id est, transferam me ad hostes; hostium posthac jam partes agam, et adversus eam pugnabo. Hæc est vis verbi *phaschah* cum *beth* constructi. Quod si in *vepres* et *spinas* tota versa sit, *succendam eam pariter*, veluti ignis qui senticetum depascit.

Vers. 5. Etiam, hoc versu et sequenti, verba sunt Domini: *Utinam, a si apprehenderet munitionem meam! o si pacem mihi (vel mecum) faceret; pacem, inquam, mecum faceret!* Quantum, inquit, præstitisset populum hunc firmiter ac tenaciter meam munitionem apprehendere! O quam bene sibi consulisset! o si non alium murum, non alios milites, quam me voluisset! o si mecum pacem voluisset facere! o utinam pacem mecum stabilem servare voluisset! Sequenti versu sequitur quid inde lucri consequeretur. Similis locus est *Psal. lxxxii*: *Utinam populus meus audisset me, et Israel in viis meis ambulasset!* ubi repetenda est particula optantis, et futurum eodem modo accipiendum ut hoc loco. *Mahon* hic accepi sicut supra, xxiii, ubi dicitur de Tyro quod esset *munio maris*, et xxv, quod Dominus fuisset *munio inopi*, et mille aliis locis. Supra autem, vers. 3, Dominus dixerat quod *eam servasset* et *circuisset*, etc.; de hac munitione hic ergo sermo est. Non dubium quin, cum de vastatione populi Israelitici hic sit sermo; Filius Dei Dominus Jesus sit illa *munio* quam *apprehendere*, et *pax*, seu *pacis* auctor, per quem reconciliari velle debuissent.

Vers. 6. « Qui egredientur. » Quia juxta interpretationem nostram hic versus a superiori pendet, quo explicatur quæ bona consequerentur Israelitæ, si cum Deo pacem facerent, etc.; futura per subjunctivum, quo carent Hebræi, vertenda duxi; quod quia plerique interpretes non animadverterunt, secuti Rabbinos, participium *baim*, id est *venientes*, temporis esse dixerunt, et nomen *dies*, de suo supplent, nescio qua auctoritate. At Vulgatus interpres *iascheresch* in secunda conjugatione accepit, in qua *eradicare* significat, et pro *egredientes, eradicabitur Jacob* dixit: *Qui impetu egredientur a Jacob*, id est qui ab eo resiliunt, et infidelitatem aliorum sequi nolunt, *facient* scilicet *pacem mecum*. Ego eam quam cœpi interpretationem secutus, participium *venientes* cum nomine *Jacob*, proinde etiam cum verbo singulari *radices agere* construendum putavi. Abutuntur autem verbo *venienti* sæpissime pro continuationis aut pro temporis particula, *tandem, paulo post: Venientes venient cum exsultatione*, id est, paulo post venient, tandem venient; sicut supra cap. ii, pro *agite* seu *adeste* dixit: *Venite et ambulemus*. Ita accipere possemus hoc loco: *Tandem radices ageret Jacob*. Nam *scharasch* in tertia est *radicare, radices agere*; ut *Psal. lxxx*: *Radicavit radices suas, et implevit terram. Radices, inquit, agerent filii Jacob*, non irent in captivitatem, sed stabiles essent in patria; *florerent* etiam, seu prospere agerent, ut fuit in diebus Davidis et Salomonis: *Germinarent* quoque, et fructus suavissimos producerent; *uvas, non labruscas*;

melius Noster vertit, *cantabit*. Est enim prophetia de futuro. Jam primo, S. Hieronymus, Haymo et Ilugo putant hic describi luctum Judæorum, vel Synagogæ in fine sæculi; ipsi enim omnia a cap. xxiv usque ad finem hujus, referunt ad consummationem sæculi. Synagogam ergo plangere suam gladem ei a Deo inflictam, eo quod illa a Deo vindictore ita exulta et custodita, ut sequitur, non dederit uvas, sed labruscas; unde *cantabit* exponunt, id est *planget*.

Alii et melius censent has non esse minas, sed laudem et gratulationem Ecclesiæ, quod illa non fecerit labruscas, ut Synagoga (contra quam proinde, cap. v, exostulavit, eamque ad spinas, et ad conculcationem condemnavit), sed uvas et vinum merum. Ita Sanchez, Dionysius et Adamus.

Quæres, quis canat hoc canticum, et cui? Nota η ei hebraice esse femininum, η *la*; quare non Deum, sed vineam, id est Ecclesiam, respicit; licet enim η *kerem*, id est vinea, sit masculinum,

justitiam, non clamorem, fidem et misericordiam, non perfidiam et immanitatem, insuper ut totum orbem proven- tu seu fructu implerent, supra modum multiplicarentur, et per totum orbem colonias possent educere.

Vers. 7. « Numquid juxta, » etc. Chorus loquitur. Dixit iratus: *Transgrediar contra eam, succendam eam pariter*. Interrogatur ergo Propheta: *Numquid ita offenderent ut caderent, numquid repelleret Dominus populum suum? num funditus delere decrevisset? Numquid percussit eum juxta plagam percutientium Israellem?* id est num Dominus percussit Israellem, ut eum percutere solent percussores ejus? vel sic: *Numquid ita interficiendus est totus Israel quemadmodum occisi jam sunt plurimi ex eis?* Hunc sensum videtur secutus Vulgatus; alii aliter aliquantulum. Juxta variationem enim punctorum varie quoque reddere potes, sed eodem fere sensu, *an scilicet plaga inimici, ut alibi ait, percussit Israellem?* Ego certe phrasim quamdam Hebræis peculiarem hic esse existimo, qua interdum et nos utimur: *An percussit eum quasi percuteret eum?* id est percussitne eum, quemadmodum percutitis qui ex animo percutit, et nihil aliud vult quam percutere? aut ita interfecit et eo animo quo hostes eum hactenus interfecerunt: qui nihil aliud volebant quam delere et impotentis animo satisfacere?

Vers. 8. « In mensura contra mensuram, » id est, ut mensuravit, sic remetietur ei. Hunc sensum putavit Vulgatus latere in duplicato nomine *saseah*, quod duplicatum sit *seah*, q. d.: *In mensura mensuræ*. Sed dicere possumus esse verbum secundæ conjugationis a nomine *seah* deductum, quod mensuram aridorum notat quam existimo in Evangelio voce consona *satum* dici. Hinc verbum duplicatum pro *mensurare sato*. Respondet ergo Propheta: *Non repulit populum suum; non plaga inimici percussit; non quasi ex animo, ac delere volens; non simul effundet omnem iram suam; sed tu, Domine, castigabis eum atque corripies in mensurando, in dimittendo;* id est implendo mensuram, atque effundendo eam. Similis in castigando eris mensuranti sato triticum. Quo significat, neque omnino delendos, neque omnino a castigatione supersedendum; sed adhibito modo et regula quadam, ut post flagella alia flagella congeminet quasi qui non punire ex animo velit, sed justum judicium exercendo ad pœnitentiam adducere. « *Meditata est,* » De populo Israelitico intelligenda sunt hæc, estque rursus vox chori: *Ingemuit Israel in spiritu suo illo duro ac pertinaci, quem ad pœnitentiam flectere vix quisquam potest. Jam dolet, jam*

tamen η *kehala*, id est Synagoga, quæ hic in vinea intelligitur, est femininum. Jam primo, aliqui putant ipsam vineam, id est Ecclesiam, canere, q. d. Ecclesia, in qua est vinum purum gratiæ et honorum operum, lætificans cor, « *cantabit ei,* » id est sibi; quia scilicet sibi gratulatur de Leviathan cæso.

Secundo, alii putant esse canticum Angelorum ad Beatos, sive ad Ecclesiam triumphantem: nam hebraice pro *cantabit*, est *cantate*; unde Vatablus sic vertit, *in die illa alternis canite vineæ chemer*, quasi Deus dicat Angelis: *Canite, Angeli, ei (scilicet vineæ, ut patet ex Hebræo): O vinea, præstans meri vini ferax! Verum noster Interpres pro η *anu la*, id est *cantate ei*, legit η *ana la*, id est *cantabit ei*.*

Tertio ergo et aptissime, Sanchez censet esse canticum Dei; sequitur enim:

3. EGO DOMINUS, QUI SERVO EAM, etc. — Ex hoc ergo vers. 3, usque ad vers. 6, est canticum Dei,

pœnitet; vel jam præ vi doloris gemens spiritum difficulter trahit, cum spiritu difficili gemit; sicut accidere solet dum flat ventus *subsolanus* seu *orientalis*, qui in æstate est calidissimus: sic Israel, dum affligitur, dum uritur, ingemiscit. Et de iis dicitur qui ad cognitionem erroris et infidelitatis suæ pervenerunt ex consideratione divinæ vindictæ.

Vers. 9. « Idcirco. » Respondet Propheta: *Igitur propter hoc ipsum, quod si ingemiscit et dolet, expiabitur ejus iniquitas; imo hic omnis fructus est, nihil aliud Deus illa correptione volebat quam auferre erratum ejus*. Non percutiebat ut percuteret, sicut hostes faciunt; sed ad hoc percutiebat, *ut auferret peccatum*, adducendo videlicet Israellem ad pœnitentiam, quam veram esse hac una re comprobabit, *si redigat lapides altarium*, quæ in honorem falsorum deorum erexerat, in pulverem, *quemadmodum lapides calcis; nec posthac luci aut simulacra erigantur, aut consistent*. Et hæc puto germanam expositionem hujus loci. « Super hoc, » *beroth, in hoc*, id est hac una re, et hac una lege seu contentione, nempe si doleat; vel *in hoc*, id est propter hoc, quod sic doluit. « Dimittetur iniquitas; » *capfar*, ut jam dixi, proprie est *oblinire*, vel *rem quampiam pice, bitumine, calce, etc., tegere*.

Vers. 10. « Civitas enim. » Ego hic conjunctionem, ut sæpe alias, vim adversativam habere existimo, q. d. At non ita futurum est: non aget pœnitentiam; non *aufertur ejus peccatum*; non *destruet aras*, non igitur *florebit*, non *germinabit*, etc.; *sed civitas munita desolata erit, etc.* Civitas autem collective pro *civitatibus* accipitur, estque sermo de vastatione Judææ tam temporali quam spiritali; simul enim utraque contigit. *Civitates*, inquit, ad quas solent ex pagis confugere propter muros, etc., *erunt solitariae*. « Speciosa. » Nomen *naveh* passim in Scriptura pro loco *amæno, graminoso et pascuo* accipi videas: deinde et pro *rure*, adeoque et pro *ipsis qui ruri habitant*, accipitur, *Psalm. LXVIII*. Cum ergo *civitates* dixisset *in solitudinem redigendas, loca amæna et pascua* dicit quoque *derelinquenda*; ut tam civitates quam villulæ sint desertis similes. « Ibi pascetur vitulus. » Hic jam figurate Titum designari puto Vespasiani filium, qui *summitates seu prominentias* omnes, et quidquid excelsum, quidquid eminens, quidquid veluti a corrosione et *consumptione* tutum videbatur in populo illo, imo quidquid fructiferum, cujusmodi sunt vineæ prominentes palmites, corrosit, decerpit atque absumpsit, sicut *si vituli vineam depascere*. Ad metaphoram itaque vineæ redit.

qui hæc cantabit Ecclesiæ suæ, ei applaudens et congratulans, quod vinum sibi reddiderit tale, quale sitiebat, scilicet merum, et, ut Septuaginta, *ἐμπυρον*, id est impermixtum, purum et generosum, quod vulgo meracum vocamus. Vatablus vertit *vinum ruboris* sive *rubrum*; hoc enim significat *Chemer*; et vinum rubrum, imo atrum (quale est Creticum, quod Homerus vocat *αἰθονα*), tantum fert Judæa, non album; uti viri graves e Societate nostra, qui recenter Hierosolymæ et Damasci fuerunt, mihi Romæ asseverarunt. Hocque symbolice apte significat afflictiones et martyria Christi et Sanctorum in Ecclesia.

Sensus ergo est: In die illa, iudicii scilicet, cum Leviathan et impii ibunt in mortem æternam, «cantabit,» id est publica lætaque voce et sententia proclamabit, scilicet Deus, «ei,» scilicet vineæ, id est Ecclesiæ suæ, laudans eam dicensque: O vinea (est enim hic metathesis, sive trajectio verborum) mea! quæ mihi protulisti merum, beata et felix es. Ego enim deinceps te servabo, beabo et inebriabo, ut sequitur. *Repente* (hebraice *לְרִגְעַיִם* *lirgaim*), quod verti potest *primo*, «repente;» quia brevi accidit Beatis hæc voluptas; *secundo*, «assidue,» jugiter, per singula momenta; quia æterna erit. «Propinabo ei» vinum dulce et generosum, quale ipsa protulit, *q. d.* Quia hæc Beatorum vinea protulit egregios fructus bonorum operum, hinc egregia felicitate et voluptate eam decorabo et potabo; hoc est quod ait Psaltes: «Torrente (non scypho, non poculo, sed integro torrente) voluptatis tuæ potabis eos,» *Psalm. xxxv, 9.*

Vatablus vertit, *tempestive irrigo eam*; et sic accipi potest nostrum *propinabo*, pro *irrigabo*; quod enim homini est propinatio, hoc terræ est irrigatio; et sicut homo vinum, sic terra pluviam bibit dum ea rigatur. Vineæ enim proprie convenit irrigatio, non propinatio.

NE FORTE VISITETUR CONTRA EAM, — ne quid agatur contra eam, ne quid mali ei accidat: hæc de causa ego nocte et die servo et tutor eam. Vatablus vertit, *ne forte visitet eam hostis*.

4. INDIGNATIO NON EST MIHI, — non possum irasci et indignari vineæ tam bonæ, tam fertili, uti indignatus fui vineæ sterili, scilicet Synagogæ, cap. v.

QUIS DABIT ME SPINAM ET VEPREM? — *q. d.* Quis faciet ut tam electæ vineæ sim in spinas? quis me faciet illi aculeatum ob levia ejus peccata, ut eam conculcem et succendam? *q. d.* Nemo.

Nota Deum quasi vim sibi facere, dum punit. Unde S. Hieronymus sic explicat: «Quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam (1)?» Abit ergo Deus quasi a natura sua, dum

(1) Hæc fusius in *Commentar. S. Hieronymi*: «Juxta hebraicum hic sensus est: Ego qui diebus et noctibus semper vineam meam conservavi, ne exterminaret eam aper de sylva, ne bestię devorarent, numquid indignationem non habeo, et nescio ferire peccantem, et reddere unicuique quod meretur? Unde dicit: Quis me docebit ut durus sim, et meam vincam clementiam, et in

a clementia it ad vindictam. Hoc est quod canit Ecclesia: «Deus, cui proprium est misereri semper et parcere.» Unde principum et animi generosi propria virtus est clementia. Alii vertunt, *quis me committit cum vepre et spina?* id est cum improbis, qui in mundo sunt id quod spinæ et vepres in vinea selecta, et optimi vini feraci. Alii, *quis mihi veprem opponat, ut cum eo congregiar velut spina?* Verum nostra Versio melior est et verior; Hebræum enim *יָתִיב* *itten* significat *dabit*, non *committit*, vel *opponit*. Unde et Vatablus vertit, *quis me reddat ut sim vepres et pina?* idque exigunt sequentia.

IN PRÆLIO GRADIAE SUPER EAM, SUCCENDAM EAM PARITER? — *q. d.* Minime gentium. Est enim vinea mihi dilecta et electa; non ergo prælio eam impugnabo, aut succendam, uti succendi Jerusalem et Synagogam: interrogative enim omnia hæc legenda sunt.

5. AN POTIUS TENEBIT FORTITUDINEM MEAM? — *q. d.* Omnino tenebit, scilicet vinea hæc mea sua gratia et decore tenebit fortitudinem, id est fortem meam vindictam; ne eam contra illam exeram; quia ipsa, esto venialiter subinde peccet, mecum jugem faciet pacem, semper mihi serviet, amica erit, fructusque proferet gratissimos.

Secundo, Sanchez per *fortitudinem* accipit clementiam: sic enim accipitur *fortitudo*, *Num. xiv, 17, q. d.* Non tenebit hæc vinea fortitudinem, id est clementiam meam, id est non efficiet ut ego ei clemens non sim.

Tertio, alii hæc referunt ad Leviathan, et contrarium subaudiunt, scilicet, *minime tenebit, q. d.* Certus sit Leviathan et ejus ministri, quod fortitudinem meam, quam contra ipsum pro Ecclesia ostendam, evertere non poterunt, sed eam contra ipsum exeram, nec tum ulla spes pacis erit.

6. QUI INGREDIUNTUR IMPETU AD JACOB. — Ita Romana, non a Jacob, uti vertit Syrus; habet enim sic, *qui sunt de radice Jacob lucrabitur; et germinabit Israel, et replebunt faciem terræ fructibus; et Arabicus Alexandrinus, qui sunt de radice Jacob duplicabuntur, et germinabunt domus Israelis, et replebunt orbem fructibus.* Quin et S. Hieronymus in *Comment.* (ubi non raro a textu Scripturæ quam ipsemet vertit, quemque probavit Ecclesia, dissentit), vertit: *Qui egredientur de radice Jacob*, id est Apostoli nati ex Judæis, etc., *hi implebunt orbem semine Evangelii.* In textu ergo paraphrastice, non verba, sed sensum reddidit; ad verbum enim est in Hebræo: *Venientibus vel ingredientibus Apostolis, radices aget Jacob, pullulabit et florebit Israel, ita ut proventus faciem orbis impleat.* Hæc enim omnia tam subito facta, significant magnum fuisse eorum in prædicando fervorem et impetum: alioquin *impetu* non est in Hebræo. Hic finitur canti-

prælio atque certamine truculentus incedam ut gradiar super vineam quam antea servavi, et succendam eam, quam meo sepseram muro? An potius id aget fortitudo mea, ut iram differam et salvem eos? »

cum, transitque Propheta ad Apostolos, eorumque prædicationem et fructum. Sensus est, *q. d.* Apostoli, qui impetu spiritus ad Judæos convertendos ingrediuntur, facient ut reflorescat Israel per novam hanc Christi gratiam: hi etiam implebunt orbem universum « semine » verbi Dei: vel « semine, » id est posteritate fidelium. Unde Chaldaeus vertit, *filiis filiorum*. Nota: Ab initio fere capitulis sensim Isaias a die iudicii, et ab Ecclesia triumphante redit ad militantem, et ad Israel ab Apostolis conversum eo tempore quo reliquus Israel et Judæa ob infidelitatem, et Christi necem est eversa. Vide *Can. IV et VII*. Unde sequitur, « numquid, » etc.

Aliter Sanchez; pergit enim ipse hæc accipere de Beatis: Ostendit, ait, hic Propheta quinam futuri sint illi quibus amplius non irascetur, sed in æternum eos amplexabitur; scilicet non fore carnalem, sed spiritualem Israel, puta fore Gentes ad Christum et Ecclesiam conversas. Hæc ergo sic ordinat: « Ex numero eorum qui venient magna frequentia ad Jacob, implebuntque terram (hi vero sunt qui Christi religionem amplectentur), florebit et germinabit ille qui vere dici potest Israelita. »

Rursum Forerius vertit per subiectivum hoc modo: « Si pacem facerent mecum venientes, radices agerent Jacobitæ, florere et germinarent Israelitæ, et replerent superficiem orbis proventu. »

Vers. 7.

7. NUMQUID JUXTA PLAGAM PERCUTIENTIS SE PERCUSSIT EUM? — scilicet Israel et populum Judæorum. Transit a reliquiis Judæorum fidelibus ad reliquos Judæos infideles, juxta *Can. VII, q. d.* Numquid Deus Judæos punivit æqualiter ex lege talionis, ut sicut ipsi Christum et Sanctos ejus dire vexarunt, flagellarunt et necarunt; ita et flagellarit ac necarit eos? *q. d.* Minime: necdum hoc fecit, sed erit tempus, cum

8. IN MENSURA CONTRA MENSURAM (hebraice, *in mensura mensuræ*, id est pari et contrapositione mensura (vel duplici mensura, sive semel et iterum mensurando); ut significet acre et exactum Dei examen in judicando et puniendo. Ita Prado in *Ezech. cap. v*, in fine) JUDICABIS (o Domine!) EAM (scilicet Judæorum vineam, id est Synagogam; cum ipsa a te prorsus erit abjecta: meditatus est enim Deus contra eam dura) IN SPIRITU SUO DURO PER DIEM ÆSTUS, — id est tempore vindictæ a se faciendæ, ut scilicet ejus cives per Titum et Romanos excindat, ac disperdat per totum orbem exsules. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius. Hebraice est, *juxta mensuram in dimittendo eam* (potest etiam verti, *in propagine ejus*) *contendens cum ea*: auferet eam vento suo gravi in die Euri, *q. d.* Deus instar Euri auferet propagines Judæorum, sicut illi conati sunt auferre propagines Christianorum, itaque par pari eis reddet.

Aliter Sanchez: *eum*, inquit, scilicet Leviathan, et redeat ad vers. 1, quasi dicas: Deus percutiet Leviathan non ea plaga, qua aliquis solet seipsum

percutere; quæ quia percutienti dolorem adfert, gravis et hostilis esse non solet: tali vero plaga Deus amicos percutit; neque Deus occidet Leviathan eo modo quo amicos et qui moriuntur in ipso, interficit: hi enim aliquando resurgent; ille vero nunquam non morietur, juxta illud *Jerem. xxx, 14*: « Plaga inimici percussi te castigatione crudeli (1). »

9. IDCIRCO SUPER HOC DIMITTETUR INIQUITAS DOMUI JACOB. — Redit ad vers. 6, et ad Judæorum reliquias credentes in Christum, præsertim eas, quæ ex clade et terrore excidii eorum, de quo vers. præcedent. egit, convertuntur. Causam enim dat, ait S. Hieronymus, eum, postquam Judæi Christum occiderint, veniam consequantur si pœnitere voluerint. Causa est: quia per Apostolos, qui erunt de stirpe Israel, in toto orbe Evangelium seminabitur, destruetur idololatria, luci et aræ, ac delubra eo tempore quo pariter Jerusalem, ejusque templum et altare destruetur, atque Dei *an* et trini notitia prædicabitur, hoc uno fine et fructu ut auferatur peccatum infidelitatis, aliaque Judæorum. Cum enim viderint Judæi passim inter Gentes aras et idola destrui eo tempore quo suum templum et altare a Tito in cineres convertetur, atque a Gentibus templa erigi, ibique unum Deum coli pie et sancte; tunc incitabuntur, uti et ipsi in Christum credant, itaque peccatorum remissionem et gratiam consequantur: hæc ergo aræ et delubra Gentium sunt, non Judæorum: nam tempore Christi Judæos habuisse aras et idola nusquam legimus. Unde Forerius; qui concedit has aras esse Judæorum, per eas symbolice intelligit avaritiam, invidiam, superbiam, aliaque vitia Judæorum.

Nota hebraismum: « Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, » id est, cum Deus templum et altare Judæorum in cineres converterit, per Titum comburendo illud, ejusque lapides allidendo, conterendo et incinerando.

10. CIVITAS ENIM MUNITA DESOLATA ERIT. — Jerusalem, quæ Christum occidit, per Romanos desolabitur, adeo ut non homines, sed vituli et feræ in ea, quasi in vinea pascantur, et depascantur vitium summitates, quæ flagella vocantur, *q. d.* Hæc vastitas reliquias Judæorum adiget ad pœnitentiam, et ad Christum.

Vers. 10.

11. IN SICCI-TATE MESSIS ILLIUS CONTERENTUR (*q. d.* Vers. 11. Hierosolymitæ siccitate, penuria et fame affligentur; itaque inopes erunt consilii, ut videre sit), MULIERES VENIENTES, ET DOCENTES EAM, — Hierosolymam scilicet, id est, ut feminæ stultæ maritos suos doceant, eisque consilium dent: aut mulieres vocat mulierosos principes, Prophetas et doc-

(1) « Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus; » ad quæ in *Comment.* S. Hieronymus: « Propterea Deus in spiritu suo duro atque vehementi meditatus est, sive locutus contra eam in die æstus, hoc est in persecutionis tempore, quando ardentius indignationis tempus est atque pœnarum. »

tores, qui perdidit Judæam sua mollitie, ignavia et insipientia, ut dixi cap. III, vers. 12.

Aliter Sanchez : refert enim hæc ad cladem Judæorum sub Josia per Pharaonem, et postea per Nabuchodonosorem, quasi mulieres hic invitentur ut plangent, doceantque alios cladem et plancum tantæ cladis.

Septuaginta vertunt, *mulieres venientes a spectaculo, vel a visione, venite huc, illuminate* : quod S. Hieronymus, Cyrillus, Origenes, Theophilus, Ambrosius, Procopius, Tertullianus, quos citat Leo Castrius, accipiunt de Maria Magdalena ejusque sociabus, quæ venientes a sepulcro visis Angelis et Christo, omnibus testatæ sunt Christum resurrexisse, quasi ipsæ hic jubeantur omnes, etiam Judæos, fide resurrectionis Christi illuminare. Unde pro *mulieres docentes*, Pagninus, Forerius et Vatablus vertunt, *mulieres accedentes*. Notum est quomodo Magdalena quasi fax, et sociæ Apostolos aliosque hoc nuntio, Christi amore æque ac gaudio succenderint. Verum hæc spectant excidium Jerusalem : quocirca primus sensus est litteralis et genuinus.

NON EST ENIM POPULUS SAPIENS (ergo meretur regi a mulieribus); PROPTEREA NON MISEREBITUR EJUS, QUI FECIT EUM, — puta Deus factor ejus et fctor, qui puniet hanc populi insipientiam.

Vers. 12. 12. ET ERIT : IN DIE ILLA PERCUTIET. — Hebraice est יַחֲבֹט *iachbot*, id est *excutiet*, sicut excutiuntur olivæ ex olea. Unde Biblia Regia pro *percutiet*, legunt, *excutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti*, q. d. Percutiet Deus totam Judæam, quæ olim erat terra promissionis; ita ut nihil fidei, nihil scientiæ Scripturarum; nihil veræ pietatis in ea amplius reperiatur : tales enim jam sunt Judæi. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius. Loquitur, ut dixi, de excidio Jerusalem per Titum : licet Sanchez putet Isaiam loqui de excidio, tam decem tribuum per Assyrios, quam duarum per Chaldæos. Unde Aquila et Theodotion pro *percutiet* vertunt, *ῥαδίσει*, id est *virga percutiet*; Septuaginta, *συμφράξει*, id est *concludet*; alii, *σπράξει*, id est *confliget* (1).

(1) Hoc quidem loco reipublicæ Hebraicæ restauratio nova plane imagine sistitur : *Excuteat Jova a fluxu fluvii usque ad amnem Ægypti*. Verbum *יַחֲבֹט*, quod aliquod *excutere* vel *succutere* significat, usurpatur tam de *tritico* aut *leguminibus* quæ bacillo excutiuntur, spicis sive aristis aut tegumentis quibus involvuntur, ut *Judic. VI, 11*, et infra *XXVIII, 27*, vel de *fructibus arborum*, ut *ficibus*, *olivis*, quæ vehementiore arborum succussione vel decussione excutiuntur, et excussæ colliguntur, ut *Deut. XXIV, 20*. Atque verbum *לָקַט*, quo vates in hemistichio altero utitur, cujus propria vis et potestas est *humi legere*, ostendit imaginem desumptam esse a fructibus arborum decussis; grana enim, quæ baculo excutiuntur, acervantur quidem, sed non solent singuli humi colligi. Excussurus autem Deus dicitur regiones *inde a fluxu fluminis usque ad torrentem Ægypti*, id est ab Euphrate ad confinia Ægypti, quomodo limites terræ promissæ, *Genes. XV, 18, 19*, nec non regni Salomonis, II *Chron. IX, 16*, definiuntur. Significatur ingens aliqua totius illius Euphratem in-

Nota, per *flumen*, Jordanem, vel potius, ut Chaldæus et S. Hieronymus, Euphratem accipi : per *torrentem Ægypti*, Nilum : inter hosce enim duos fluvios Judæa intercluditur, hique duo alibi ponuntur termini Terræ sanctæ. Nilum dico, vel potius rivum Nili, qui torrens est de eremo veniens, qui inter urbem Rhinocoluram et Pelusium mare ingreditur : unde alibi *torrens Ægypti*, alibi *torrens deserti* vocatur : hinc Septuaginta hic vertunt, *usque ad Rhinocoluram*. Rhinocolura enim est urbs Arabiæ Petrææ, atque limes est Judææ versus Meridiem, sive versus Ægyptum et Arabiam. Nomen accepit, ait Strabo, lib. XVI, a *ῥῖν*, id est *nasus*, et *κλῆυρος*, id est *truncus* : eo quod Ægyptii vel Æthiopes eo duxerint coloniam facinorosorum et maleficorum, quibus vitam condonantes, naribus tantum eos truncarunt, et in hoc quasi exsiliium relegarunt, ne alios sua deformitate offenderent, et ut ipsi conscii scelerum, jam notati poena tam infami, abstinerent deinceps a maleficio, aliisque essent exemplo et terrori.

Rhinocolura unde dicta?

ET VOS CONGREGABIMINI UNUS ET UNUS. — Hebraice, *ad unum unus*, id est *unus ad unum*, id est sigillatim in unum omnes colligimini. Notat *ἓ unus et unus* fore paucos Judæos residuos, qui colligantur a Tito, ut vel vendantur, vel in triumphum ducantur. *Secundo*, et forte aptius, Adamus censet Isaiam loqui de congregatione ad Christum, et Christianismum, de qua dicitur, *Joan. cap. XI* : « Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, » q. d. Quicumque estis veri Israelitæ non carne, sed spiritu, singuli, esto pauci, tunc congregabimini ad Christum in Ecclesiam. Unde sequitur :

13. ET ERIT : IN DIE ILLA CLANGETUR IN TUBA MAGNA, Vers. 13. ET VENIENT QUI PERDITI FUERANT DE TERRA ASSYRIORUM, — q. d. Clangente tuba prædicationis Evangelicæ « venient » et confluent ad Christum et Ecclesiam filii Israel, qui captivi ducti fuerant in Assyriam et Babyloniam a Salmanasare et a Nabuchodonosore : hi, inquam, venient et redibunt « de terra Assyriorum : » item qui eodem tempore Judæa profugi et ejecti fugerunt in Ægyptum, hi « de terra Ægypti » venient et redibunt ad montem Sion, et ad Jerusalem, id est ad Ecclesiam Christi, ibique adorabunt Dominum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus. Quod de Judæis hic dicitur, a pari, imo a majori, de Gentibus accipe : solent enim Prophetæ redemptionem Christi describere per schema reditus e captivitate Babylonica, vel Assyriaca : hæc enim gratissima et optatissima fuit Judæis, quibus loquebantur Prophetæ; uti fidelibus jucundissima est redemptio Christi a captivitate peccati et diaboli.

Sanchez hæc ad litteram accipit de reditu Ju-

ter et Ægyptum tractus commotio, qua Hebræi ab iis qui illas terras vi et injuria occuparant, et quorum sub potestate oppressi vivebant, separarentur et libertati restituerentur, quemadmodum poma cum excutiuntur ab arbore, cujus partem fecerant, separantur. (Rosenmüller.)

dæorum ex captivitate Babylonica, et ex Ægypto. Mihi cum aliis verius videtur eo tantum alludi: loqui enim Prophetam de redemptione hominum per Christum, ut dixi.

Anagogice, hæc accipe de tuba Archangeli, quæ electos ex Judæis æque ac Gentibus convocabit ad Sionem supernam, id est ad regnum cælorum. Ita S. Hieronymus.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite est quinta sectio prioris partis principalis Isaiaë, continentis onera sive prophetiis minaces. Hæc sectione ab onere orbis redit ad onera Gentium, eaque varia et mixta. Hoc ergo cap. agit de excidio decem tribuum; cap. XXIX, de excidio Ariel, id est Hierosolymæ et duarum tribuum; cap. XXX, de clade Judæorum fugientium in Ægyptum, vetante id Jeremia, a qua volat ad Topheth et gehennam damnandorum; cap. XXXI, redit ad cladem decem tribuum; cap. XXXII, sub typo regni Ezechiaë describit felix et sanctum regnum Christi; cap. XXXIII, prædicit stragem Sennacherib per Angelum; cap. XXXIV, avolat rursus ad excidium orbis; cap. XXXV, transit ad aureum Evangelii sæculum, atque vocationem et gloriam Gentium describit; cap. XXXVI, a prophetia transit ad historiam Sennacherib et Ezechiaë, narratque ea quæ de iis prædixerat, reipsa fuisse impleta. Ex hisce liquet hæc onera et has prophetias alio et alio tempore fuisse editas, ac neglectu ordinis et temporis postea a collectore hoc ordine fuisse collocatas, quem jam cernimus. Vide Can. I. Prædicit ergo hoc cap. XXVIII, excidium Ephraim, id est Samariae et decem tribuum, ob earum superbiam et ebrietatem. Secundo, vers. 7, idem prædicit duabus tribubus ob easdem causas, et quia verba et minas Prophetarum irriserunt, ac proinde ait quod pactum eorum cum morte et inferno non stabit: quocirca, vers. 16, promittit eis lapidem angularem et solidum, ut in eo recumbant: nec enim cultum Dei secum pati cultum idolorum. Denique, vers. 24, docet Deum instar agricolæ suos nunc serere, nunc purgare, nunc metere, nunc triturare tribulatione; quia vexatio dat intellectum auditui (1).

1. Væ coronæ superbæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exsultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguis, errantes a vino! 2. Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis; turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam. 3. Pedibus conculcabitur corona superbæ

(1) Ad quosnam historiae populi Dei eventus pertineant vaticinia in hoc capite, adeoque in tota quinta serie Isaiaë prophetiarum complexa (XXVIII-XXXV), clare et recte exponit Cornelius in synopsi capituli XXVIII. Quando vero editum est vaticinium hoc, tum contra regnum Israeliiticum, tum contra regnum Judæorum, Berthierus, cui consentit Rosenmuller, respondent, referendum esse ad illud tempus quo jam labente Ephraimitarum republica, res illorum ad exitum inclinabantur, ut versus quatuor priores haud obscure produnt. Neque nos conjectura aberrare veremur, ait Rosenmuller, si hunc sermonem assignemus illi ipsi tempori, quo Ephraimitæ, et ad illorum exemplum factiosi haud pauci Judæorum proceres, adversus potentiam Assyrii præsidium quærentes, contra verorum prophetarum contestationes, se stultissimo consilio vertebant ad Ægyptios, eorumque sollicitabant opera (vide infra XXX, 2; XXXI, 1), quæ stulta stupidorum hominum consilia versu primo hujus vaticinii sub imagine temulentiaë perstringuntur. Referendum igitur erit hoc vaticinium ad initia Hiskiaë, antequam Samaria a Salmanasare expugnata, populusque cum rege in Assyriam abductus esset, IV Reg. XVIII, 9, 10.

Primo, Isaias de regno Israelitarum verba facit, et primo, proponit eorum culpam, fastum scilicet, et immoderatam in delicias effusionem, 1; secundo, describit paratam a Deo castigationem, 2; tertio, subjicit pœnam ignominiaë et egestatis præcipitandam, 3, 4.

Secundo, ad regnum Judæorum transiens, primo, pœnæ Israelitis inflictæ, opponit superstitionis Judaici regni incolumitatem et prosperitatem, 5, 6.

Secundo, sed cum de regni Judaici felicitate ageret, Propheta subito vidit Judæorum in peccatis similitudinem, et hujus populi ductores et proceres easdem pœnas commeruisse, quos Ephraimitis irrigandas esse comminatus supra fuerat, tum propter gastrimargiam et ebriositatis turpitudinem omnibus communem, 7, 8; tum propter neglectum, contemptum et irrisionem adhortationum, induciarum, et minarum divinarum, 9-11.

Tertio, igitur opponit iniquaë irrisorum, quam hactenus descripserat, cavillationi comminationem justioris qua Deus erga eos usus sit, cavillationis, eumque qui qua ratione ad veram animi tranquillitatem pervenire possent, iis significaverat; cui vero morem non gesserunt, jam longe alio erga eos locuturum esse sermonem; nam idipsum quod calumniati sunt legum præceptorumque multitudo, erit eis ut nusquam sciant, quo pedem figant, sed quovis gressu impingant, sapienter præcitantur, 11-13.

Quarto, quamvis contra præceptorum divinarum illatores, et Prophetas, qui eis comminabantur, negotium facessentes, non poterat non indignari Dominus; attamen, antequam sententiam Dei pronat, voluit Propheta eorum irrisiones exprimere, eorumque falsam præsumptionem, antequam denuntiet ipsos illos principes, a quo-

ebriorum Ephraim. 4. Et erit flos decidens gloriæ exsultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumnii : quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud. 5. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui : 6. et spiritus iudicii sedenti super iudicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. 7. Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt : sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium. 8. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. 9. Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. 10. Quia manda remanda, manda remanda, exspecta reexpecta, exspecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. 11. In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum. 12. Cui dixit : Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium : et noluerunt audire. 13. Et erit eis verbum Domini : Manda remanda, manda remanda, exspecta reexpecta, exspecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi : ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur. 14. Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. 15. Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. 16. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui crediderit, non festinet. 17. Et ponam in pondere iudicium, et iustitiam in mensura : et subvertet grando spem mendacii : et protectionem aquæ inundabunt. 18. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. 19. Quandocumque pertransierit, tollet vos : quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. 20. Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat : et pallium breve utrumque operire non potest. 21. Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus : sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur : ut faciat opus suum, alienum opus ejus : ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. 22. Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra, consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram. 23. Auribus percipite, et audite vocem meam, attendite, et audite eloquium meum. 24. Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam? 25. Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis? 26. Et erudiet illum in iudicio : Deus suus docebit illum. 27. Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustrum super cyminum circuibit : sed in virga excutietur gith, et cyminum in baculo. 28. Panis autem comminuetur : verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustrum, nec unguis suis comminuet eum. 29. Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret iustitiam.

Vers. 1.

1. VÆ CORONÆ SUPERBIE, EBRIIS EPHRAIM, —
q. d. Væ regno superbo et guloso Israel! nam
 « Ephraim » vocat Israel, hoc est decem tribus,

vide *Can.* XXVIII. Illis intentat vae excidii, utpote
 superbis et ebriis, atque similes fore flori deciden-
 ti, qui mox ut floruit, marcescit et perit. Ap-

ruin amicitia et favere salutem suam suspenderant, quo-
 rumque fœdus ambitiose affectaverant, reipublicæ ex-
 tremam calamitatem allaturos esse, 14, 15.

Quinto, dum illorum vates impii, frustra securitatem,
 tutaque refugia promittunt, Deus firmius præsidium ac
 revera tutius aperit, scilicet unum salutis securitatisque

remedium proponendo istum lapidem angularem qui non
 potest esse nisi Christus, ut ex Evangelio, et SS. Petro
 et Paulo apparet, 16.

Sexto, convertit se Isaias ad denuntiandas exterminii
 pœnas, impiis istis irrisoribus qui cum morte fœdus se
 pepigisse jactabant, imminentes, 17-19; dat causam tantæ

posite ait « coronæ, » quia Samaria metropolis Ephraim, ædificata ab Amri rege in vertice montis Somer, ab eodem cincta fuit admirabili ædificiorum superbia in modum coronæ, atque prospectum exhibebat amœnissimum et quaquaverus longissimum, ait Adrichomius in *Samaria*.

QUI BRANT IN VERTICE VALLIS PINGUISSIMÆ. — Id est qui habitabant in urbe Samaria, quæ sita est in vertice montis, cui vallis fertilissima vinetis et olivetis abundans subjacet (1).

Allego-
ria, de
corona
spinea
Christi.

Allegorice, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Eusebius, Nazianzenus, et Theodoretus apud Leonem Castrium: Corona, inquiunt, gloriæ, vel, ut Septuaginta, injuriæ (solent enim Septuaginta pro superbia ponere injuriam, scilicet pro causa effectum; superbi enim solent aliis esse injurii; ita S. Hieronymus), est Hierosolyma et Judæi, præsertim Scribæ et Pharisæi, qui coronam spineam capiti Christi imposuerunt, ait Procopius. Idem sunt ebrii, non tam vino, quam avaritia et furore, vel, ut Septuaginta, sunt mercenarii (Hebræum enim שכר *sickor* vel *socket*, per *sin* mercenarium, per *schin* vero ebrium significat) Ephraim; quia mercede conduxerunt Judam ad prodendum et perdendum Christum; Judam, inquam, qui oriundus erat ex vico Ephraim, cui nomen Iscarioth, quique olim flos erat gloriæ Apostolicæ, uti illi Judaicæ; sed cecidit ebrius in Gethsemani, id est in valle pingui, quando ibi cum Judæis a Christo in terram dejectus et prostratus est, prodiditque Christum. Leo Castrius vult hunc sensum esse litteralem: unde ipse pro הוי *hoi*, id est *væ*, vertens *heu*, juxta Septuaginta paraphrastice hunc versum ita reddit: « Heu corona ignominiosa Domino imposita! heu mercede conducentes Judam! heu flos moriens, et magnificentia et decus patris! heu plebis Israel gloria manibus Judæorum moriens! heu vallis Gethsemani! heu malleatos pedes sacros! malleatas sacras manus! » Verum verius est hunc sensum esse allegoricum, ut dixi; præsertim,

severitatis a divina bonitate alienæ, scilicet conventio Deum inter et dæmonem impossibilis, 20, 21; adjungitque monitionem de cavenda ludificatione, alioquin graviter vindicanda, 22.

Septimo, excitat auditorum animos, ut exhortationi dignissimæ valdeque necessariæ attendant, considerentque attentissime divinarum castigationum rationem et œconomiam per parabolam ex agriculura desumptam, 23-29.

(1) Monti in quo Samaria exstructa fuit, subjecta erat vallis pinguis et fertilis soli, ut passim testantur qui regiones illas invisere, veluti Maundrell, qui de urbe olim Samaria, deinceps ab Herode rege instaurata, Sebaste dicta refert, *sitam eam esse in monte oblongo rotundoque, figura ovi, prius a valle fertili et ferace, dein corona collium circumdatam esse*. Furer, in *Itiner.*, pag. 93: *Eregione horum ruderum mons est peramœnus, planitie admodum frugifera circumseptus, super quem olim Samaria urbs condita fuit*. Jahu denique asserit montem Samariæ cinctum fuisse feraci floridaque valle, quæ ut magnificentissima inter quatuor Orientalium paradisos habebatur, *Archæolog. Bibl.*, tom. I.

quia *Gethsemani*, cui imminet Jerusalem, non significat *vallem pinguem* (hanc enim significat *Gethsemani*), sed *torcular olei*.

Tertio, Vatablus sic vertit et explicat: *Væ coronæ et gloriæ, etc., quæ est super caput vallis opimæ percussorum vino, aut, super quorum caput est vallis unguentorum, suntque percussi vino*. Per valem intelligit amnem, qui per valles fluit, id est copiam magnam, *q. d.* Væ Ephraimitis, in quorum capita descendit ut amnis unguentorum copia, quique vino inebriari solent! hominem madidum unguentis per hyperbolem vocat valem unguentorum. Verum hic sensus symbolicus est et mysticus, non litteralis.

2. ECCE VALIDUS ET FORTIS DOMINUS (fortiter sternet et populabitur agros Samariæ), SICUT IMPETUS GRANDINIS (et) TURBO CONFRINGENS — sternere et constringere solet segetes: *τὸ enim sicut repetendum est ante turbo* (2).

4. QUASI TEMPORANEUM, — id est quasi præcoces Vers. 4.
fructus, ut poma, pira. Unde Septuaginta vertunt, *quasi primæ et præmaturæ ficus* (has enim hebræum significat בכורה *biccora*; unde Punicum *abbocoras*. Est proverbium simile illi quo utitur Plautus: « Tam facile fiet quam vulpes pium comest, » *q. d.* Sicut primi fructus, v. g. ficus utpote novæ, irritant palatum, et avidissime ante maturitatem aliarum devorantur (3): ita et vos, o Samaritæ! qui ob montes præruptos putabatis vos esse inexpugnabiles, devorabimini facillime, avidissime et cito, antequam universi plenam gloriam et opes acquiratis. Factum hoc est cum decem tribus a Salmanasare abductæ sunt in Assyriam, IV Reg. XVII.

5 et 6. IN DIE ILLA (*q. d.* Decem tribubus vas- Vers. 5
tatis et abductis, Dominus duas tribus reliquas, et 6.
puta Juda et Benjamin, instar coronæ cinget et decorabit (4), ac gloriose proteget contra Senna-

(2) « Pedibus conculcabitur corona superbiæ, » etc. Metaphorâ desumpta est a *coronis floreis* quæ detractæ de capite pedibus contritæ plane evalescunt, et nullæ fiunt. (Rosenmuller.)

(3) Pleræque ficus mense augusto maturescunt, sed sunt, quæ hyemem clementem perdurant, ac primo vere et maturitatis tempore et suavitate reliquas præcellunt, ideoque avidissime petuntur. Vide Schaw, *Travels*, pag. 370. Talem præcoccem ficum simul ac hujusmodi fructum cupidus aspexerit, statim carpit, nec seponit, ut majorem maturitatem ac dulcorem acquirat, sed dum *in manu illam tenet devorat*. « Aptissimum, inquit Vitringa, emblema in rem Prophetæ. Solent sæpe reges urbes a se bello expugnatas *servare*, ac reliquas facere saltem per aliquod tempus, in usum suum; sed Assyrii regis Salmanasarum in Samariam a se expugnandam, is dicitur affectus ut eam instar fructus præcoccis carptam, simul ac in potestatem ejus veniret, *deglutiret*, hoc est everteret, et plane de-leret. » (Rosenmuller.)

(4) « Sertum exsultationis. » Quod hic exstat nomen צפירה, diversum ab illo quod, *Ezech. vii, 7, 10*, legitur, a verb. צפר, *avilice*, *plexuit coronam*, proprie, ut *circumplexum*. *in se contextum* notare videtur; hic vero ornatum capitis in altum assurgens, quale cidaris, fas-

cherib, Philistæos aliosque hostes, eritque) **SE-
DENTI SUPER JUDICIUM** (id est regi Ezechiæ judi-
ci et principi populi), **SPIRITUS JUDICII** (quasi regi
assistens, eumque dirigens, ut iudicio recto et
justo iudicet et regat populum : militibus vero)
REVERTENTIBUS DE BELLO AD PORTAM (Jerusalem,
erit) **FORTITUDO**. — Est metonymia, *q. d.* Deus
faciet ut a labore et contentione prælii milites
parta victoria, fortes, recentes et validi redeant
ad portam, qua ad bellum exierant, perinde ac
si non exissent, nec pugnassent (1).

Allegorice, Cyrillus, Theodoretus et Leo Cas-
trius (qui vult hunc sensum esse litteralem) :
Christus dedit Apostolis spiritum iudicii, id est
Spiritus Sanctum, ut docerent homines iudicia,
id est veritatem et mandata Evangelii : imo dedit
eis potestatem per impositionem manuum com-
municandi aliis hunc Spiritum Sanctum : et « re-
vertentibus de bello, » id est sanctis Martyribus,
qui revertentur de certamine martyrii victores ad
portam urbis, erit fortitudo et constantia, ut
rursum in carcerem retrusi ad novos agones et
tormenta se comparent, eaque pari constantia
superent.

Vers. 7. 7. **VERUM HI QUOQUE PRÆ VINO NESCIERUNT.** — A
decem tribubus convertit se ad duas, earumque
cladem, prædicatque quod ebrietatem Samarita-
rum sint imitatae.

PROPHETA (pseudopropheta, sub quo sacerdotes
omnemque clerum intelligit; taxat enim omnium,
scilicet tam populi quam cleri Hierosolymitani,
crapulam) : **NESCIERUNT VIDENTEM**, — scilicet
Deum : Deus enim est oculus, qui omnia videt,
Proverb. cap. xv, 3. Secundo, « videntem, » id est vi-
dentes, puta Prophetas, præ vino non intellexe-
runt, aut audire et intelligere noluerunt. *Tertio*,
ex Hebræo verti potest, *hallucinati sunt videndo*.
Ebriorum enim oculi vino humidi spiritibus tur-
bati vacillant et hallucinantur, ne recte et certo
aliquid videre possint. Septuaginta vertunt, *erra-
verunt : hoc est phasma*. Nam hebræum ראה *roe*,
quod Noster vertit, « videntem, » Septuaginta ac-
ceperunt ut abstractum, ut sit idem quod visio,

cia, fere ex sindone, qua caput obvolvendo redimiunt
teguntque gentes Orientis. (Rosenmuller.)

(1) Aliter sic Rosenmuller : « Phrasis משיבי מלחמה
non fert hanc interpretationem; valet proprie, *reducere
bellum*, id est retundere, retroagere bellum *ad portam*,
scilicet hostium, unde facta fuerat invasio; fugare hostes
ad portas urbium suarum munitarum, in quas sese reci-
pere conabuntur, ut recte Kimchi hæc verba exponit.
Verbum השיב ubique habet significatum transitivum et
ה finale vocis שעה; est utique *signum motus ad locum*.
Quod nonnulli voluerunt, *repellentibus bellum ante portam*,
nec convenit voci שעה, nec rei ipsi satisfacit. Non est
enim magnum facinus virtutis heroicæ, bellum apud por-
tam instaurare ac retundere, sed ad ipsam portam hos-
tium retundere ac retroagere, ut in historia Joabi oppu-
gnantis Ammonitarum metropolim, II *Sam. xi, 23 : Et
fuius adversus ipsos, retroegimus illos, ad ostium portæ*.
Et in historia Hiskia, II *Reg. xviii, 8 : Percussit Philistæos
ad Gazam usque et limites ejus*.

phasma, spectrum. Phasmata, inquit S. Hierony-
mus, sunt umbræ quædam et imagines, quæ cito
pereunt et solvantur, qualia crebro habent ebrii.
Sensus ergo est, *q. d.* Visio eorum non est pro-
phetia, sed est inane ebriorum phasma, spec-
trum et somnium : prophetant id quod vinolen-
tia suggerit, quod in ebrietate somniarunt, som-
nia et phasmata sua vendunt pro oraculis.

IGNORAVERUNT JUDICIUM : — præ ebrietate recte
iudicare, discernere et decernere nequiverunt,
sed in iudicando errarunt, et, ut hebraice est,
פאקו *paku*, id est impegerunt. Quare sapienter Al-
phonsus Aragonum rex, rogatus cur vino dilu-
tissimo sitim expleret : « Quia, inquit, vino sa-
pientia obscuratur. » Testis est Panormitanus,
lib. I *Vitæ ejus*.

8. **OMNES ENIM MENSÆ REPLETÆ SUNT VOMITU SOR-
DIUMQUE.** — Alii vertunt, *vomitu et stercore*; alii,
vomitu stercoreo. Fuit illa apud veteres barbara et
porcina ingluvies, quam etiamnum apud quas-
dam gentes, etiam quæ Christi nomine glorian-
tur, cernimus, ut convivia et symposia non cele-
brent, nisi se suosque convivæ inebrient, imo
vomitoria et matulas sub mensa ponant, quibus
superne et inferne effundant vina et cibos, quos
hauserunt, ut rursus vorare et potare possint.
Facilitabat hoc Julius Cæsar, teste Cicerone, orat.
pro Dejotaro, et Caius Caligula, teste Philone in
Legat. ad Caium, et Vitellius, teste Suetonio in
ejus Vita. Tiberius vero ita vino fuit deditus, ut a mi-
litibus pro « Claudius Tiberius Nero, » vocaretur
« Caldus Biberius Mero, » inquit Suetonius in
ejus Vita. Porro Plutarchus, lib. *De Præceptis sa-
lubr.*, sub finem, hoc usitatum fuisse docet, dum
ait : « Vulgus hominum qui vacationis gratia
implent corpus, et vice versa explendi gratia in-
vita natura evacuunt, ingluvie non minus quam
inanitate torquentur; imo vero tanquam delicia-
rum vinculo gravantur ingluvie : inanitatem
semper ut locum voluptatibus machinantur. » Et
Seneca, *Consolat. ad Helviam* : « Vomunt, ait, ut
edant : edunt ut vomant. Epulas quas toto orbe
conquirunt, nec concoquere dignantur. » Dixit
S. Bernardus gulones non aliud facere quam
« ingerere, digerere, egerere : » hi vero non di-
gerunt, sed tantum ingerunt et egerunt : quare
tantum habent fetoris et tormenti in egerendo,
quantum odoris et voluptatis in ingerendo. An
non recte dixit Diogenes : « Venter vitæ charybdis
est ? »

ITA UT NON ESSET ULTRA LOCUS — ad vomendum,
q. d. Mensæ, pavementum, anguli omniaque ple-
na sunt vomitu, ut non sit locus nitidus, ubi ul-
terius vomere libeat aut liceat.

9. **QUEM DOCEBIT SCIENTIAM, etc., ABLACTATOS A** **Vers. 9.**
LACTE, — *q. d.* Deus docere solet scientiam et sa-
pientiam eos, qui avulsi a deliciis puerilibus, a
vita imperfecta et carnali, quasi viri capaces sunt
solidi cibi, id est veræ scientiæ : hi autem Judæi
hiscæ deliciis vini et ebrietatis gaudent, nec su-

pernas et solidas capiunt; ergo quasi pueri indociles sunt doctrinæ et monitionis divinæ, ac veræ sapientiæ incapaces. Huc allusit Paulus dicens *ad Hebr.* cap. v : « Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ. » Ita S. Hieronymus, Haymo, Dionysius et Hugo (1).

Secundo, Vatablus, Forerius et Sanchez, qui hæc omnia per interrogationem legunt : *Ablactatos a lacte? avulsos ab ubere?* contrarie exponunt, *q. d.* Equis erit jam, qui non otiose et vane sermones meos excipiat, quando hi sacerdotes et Prophetæ Judæorum, qui magistri existimantur in populo, perinde sunt ac pueri, qui modo a maternis uberibus sunt avulsi. Hæc expositio congrua est, apteque cohæret cum sequentibus, si omnia legas per interrogationem. Verum Biblia Romana Plantina et alia passim *ab lactatos a lacte*, etc., legunt assertive, non interrogative : quare prior sensus aptior est, estque communis Patrum. Porro Septuaginta pro *עך* *dea*, id est *scientiam*, legentes *עך* *raa*, id est *malum*, vertunt, *cui annuntiamus mala?* ut scilicet ea declinet et fugiat per scientiam, ut habent Hebræa et Vulgata.

Allegorice et tropologice Cyrillus : « Deus, ait, sanctos et vocat et docet, qui ablactati a lacte et uberibus legis veteris, per Christum proveci sunt in virum perfectum, ut pro eo fortiter omne discrimen subeant. » Sic et S. Ambrosius in *Psal.* cxviii; ad illa verba : *Anticipavi in maturitate et clamavi* : « Talis, ait, ablactatus fuit Isaac, qui gladium patris percussoris non exhorruit. »

Hinc S. Paula, teste S. Hieronymo in ejus *Vita*, hunc locum Isaïæ juxta Septuaginta in tribulationibus et angustiis replicabat : « Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem, adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat, ablactatorum esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere, scientes quod tribulatio patientiam operatur, » etc.

10. QUIA MANDA REMANDA. — Dat causam cur Judæi quasi pueri indociles et incorrigibiles cœlestem scientiam doceri non possint, nec debeant, quia scilicet ipsi eam ejusque doctores irridunt.

Pro *manda remanda*, hebraice est *לצף לצף tsaf la-tsaf*, *manda mandando*, hoc est, *manda remanda*, *קן לקן kaf lakaf*, *expecta expectando*, id est *expecta reexpecta*. Notant S. Hieronymus, Haymo et Lyranus in hisce verbis esse mimesim, sive ethopœiam, quæ est relatio dictorum alienorum cum derisu.

(1) Juxta alium sensum quem indigitat Berthierus, et ut probabilem exhibemus, huic interrogationi : « Quem docerit scientiam? » etc., respondet Propheta, infantes et parvulos tantum, quos per ablactatos a lacte significat, nam alii omnes nil nisi irridere Prophetarum verba norunt.

Isaias enim et Prophetæ sæpe edicebant : « Hæc mandat Dominus; » hinc isti vino dediti in conviviiis per irrisionem, hæc repetebant dicentes : « manda remanda, » id est iterum manda, o Isaïz, o Propheta ! « Expecta reexpecta, » id est iterum expecta, quasi dicerent : Prophetæ obtundunt nobis aures toties repetendo : « Hæc mandat Dominus, » et minantur aut promittunt ea quæ non eveniunt, jubent expectare modicum, nunc hic, nunc ibi, et nihil sequitur. Sic subinde etiamnum concionatoribus fit, ut improbi eorum conciones et minas rideant, repetant et subsannent.

Quare hæc Isaïæ verba frigide Judæi, R. David, R. Abraham, et post eos Vatablus, Isidorus Clarius, Pagninus et Forerius vertunt sic : *Lineam post lineam, præceptum post præceptum, parum ibi, parum ibi, q. d.* Isaïas : Hi tanquam pueri ruditer et sensim lentissime docendi sunt, lineam post lineam, præceptum post præceptum, perinde ac pueri docentur alphabetum. Nam non puerorum docendorum, sed illusorum et sannionum hæc esse verba patet ex pœna quam vers. seq. eorum sanis intentat Isaïas. Unde Septuaginta sic vertunt : *Tribulationem super tribulationem expecta, spem super spem, adhuc parum, adhuc parum, propter irrisionem labiorum, et linguam alteram, quia loquentur populo huic dicentes eis : Hæc requies esurienti, et hæc est contritio, et noluerunt audire.* Ubi Nota : Septuaginta pro *צף* *tsaf*, id est *manda*, legerunt *צף* *tsar*, id est *tribulatio*; *vaf* enim et *resch* Hebræis vicinæ sunt litteræ.

Ex Hebræo *kaf lakaf*, id est *expecta reexpecta*, Nicolaitæ spurcum suum numen *Caulaucam*, quasi concubitus præsidem, efformarunt, ut docent Epiphanius, *hæresi* 15, et Nicetas, lib. I *Thesauri Orthodoxiæ*, quos tacito nomine perstringit hic S. Hieronymus.

Moraliter, Richardus Victorinus, et ejus verba recitans Delrio, *adagio* 747, hæc Isaïæ verba referunt ad acedos et tepidos, etiam Religiosos, qui vitæ emendationem procrastinant.

Denique Syrus et Arabicus pro *tsaf* legentes *צף* *tse*, id est *exitus, excrementum*, a radice *צף* *iatsa*, id est *exivit*; et pro *kaf* legentes *קן* *ko*, id est *vomere*, vertunt : Syrus quidem sic : *Quia stercus supra stercus, et stercus supra stercus, et vomitus supra vomitum, et vomitus supra vomitum, modicum illuc, et modicum illuc*; Arabicus vero sic : *Apud quos scientia, vel doctrina est veluti vomitus supra vomitum, et stercus supra stercus in secessu, modicum in loco, modicum in loco, hic et ibi plenum est stercore* : ut respiciat ad vers. 8 : « Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque. » Hinc patet versiones Syram et Arabicam factas esse ex Hebræo.

11. IN LOQUELA ENIM LABII. — Hebraice *בלעגי שפה* *Ver. 11* *delage sapha*, id est ut Lyranus, Forerius, Pagninus, *in balbutie labii*; Arias, *in blæsitatibus labii*, uti solent irridentes cum gestu linguæ et labiorum ad balbutiem composito loqui; quod Noster vertit

« loquela labii : » blæsi enim et balbi videntur labiis pene solis loqui et pappare, uti et infantes eum incipiunt fari et balbutire. Unde Sanchez, cum dicitur, « in loquela labii, » putat alludi ad litteras labiales, quæ pueris familiares sunt, nempe B. M. P.; quare illi *babam* abbam, id est patrem, *mamam* matrem, *papa* pultes appellant: hæc enim litteræ compressis labiis formantur; hinc labiales vocantur, et jure infantiles vocari possunt. Unde clare Septuaginta et alii vertunt, *in irrisione*, vel *subsannatione labii*: qui enim blæse et balbutiendo cum viris, qui ætate grandes, ingenio vero et moribus infantes sunt, agit, ridet eorum infantiam. Hebraicum enim לעב *laac* proprie competit balbis, blæsis, sannionibus. Et forte alludit Isaias ad Ephraimitas qui blæsi erant: unde *Judicum XII*, 6, pro שבוולת *schibbolet* dicebant blæse שבוולת *sibbolet*: sic hic pro צא *tsaf*, id est manda, dicebant Judæi sanniones blæse סא *saf*. S. Paulus hæc verba non ad verbum, sed ad sensum reddit, dicens: « In aliis labiis » (unde et Chaldæus vertit, *in mutatione loquelæ*), quia locum Isaiæ adaptat dono linguarum Apostolis dato, qui aliis linguis non ad irrisionem, sed ad ædificationem loquebantur. Quanquam Salmeron, tom. I, pag. 33, putet in Hebræo vitiate *gimel*, pro vicino *zain* irrepsisse, et pro בלעגי *belaage*, uti jam legitur in Isaiâ, legendum esse בלעזי *belaaze*, id est *in barbarts linguis*, ac consequenter aliis ac diversis a vestra lingua: Hebræum enim לועי *loez* barbarum significat. Sensus ergo est, *q. d.* Isaias, vel potius per Isaiam Deus: Mea exhortatio ad pœnitentiam facta Judæis per Isaiam aliosque Prophetas, visa est vobis, o Judæi! molesta et ridicula, perinde ac si labiis blæsis, et lingua barbara locutus vobis fuisset: hinc Prophetarum quasi balbutiem imitando et subsannando blæse et balbutientes dicitis et repetitis: « Manda remanda. » Quare ego per Chaldæos (qui videntur vobis blæsi et balbi) milites et ministros justitiæ meæ vos puniam, ut sannis peregrinæ suæ linguæ Chaldaicæ vos incredulos arcessant et compescant, vosque jam devictos et captivos irrideant, vestraque Hebraica verba suis Chaldaicis subsannent et refutant: atque horum typo, figura et similitudine, tempore Christi mittam Apostolos, qui dono aliarum linguarum vestram pariter, o Judæi! incredulitatem arguent, vobisque videbuntur blæsi, et a vobis mundique sapientibus quasi stulti prædicatores crucis Christi subsannabuntur. In hunc enim sensum hæc verba Isaiæ citat Apostolus, *I Cor. XIV*, 21. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

Nota: Vox enim non proprie, sed adversative capitur pro *sed*: nam cum ait, « in loquela enim labii, » perinde est ac si diceret: « Sed, vel verumtamen, in loquela labii, et lingua altera loquetur » Deus per Chaldæos « ad populum istum, » ut eum redarguat.

Vers. 12.

12. CUI DIXIT: HÆC EST REQUIES MEA, REFICITE LASSUM, etc., — *q. d.* Deus dixit: Ego multo tem-

pore optavi requiescere in Judæis tum jam, tum maxime tempore Christi, nec tantum optavi, sed et oravi et obsecravi eos, dicens: « Reficite » me, orando et obsecrando vos, « lassum. »

Secundo, et potius, « reficite lassum, » id est reficite debiles, miseros et fatigatos; in hac enim misericordia est mea quies et consolatio. Unde Deus per Prophetas non aliud quasi clamabat: « Quam misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo, » ut patet *Zachar. VII*; sed ipsi noluerunt me audire, et contempserunt. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

13. ET ERIT EIS VERBUM DOMINI: MANDA REMANDA Vers. 13
(Hic sanniones Deus punit, et sannas in ipsosmet retorquet, *q. d.* Quia ipsi Prophetarum verba riserunt, dicendo: « Manda remanda, » hinc vicissim Deus, cum eos prement calamitas et clades, ridebit eos, dicetque): MANDA REMANDA, EXPECTA REEXPECTA, EXPECTA REEXPECTA (hinc fiet), UT VADANT ET CADANT RETRORSUM, — tanquam turpiter ab hoste superati, et resupinati, ut resurgere non possint, itaque ab eo conterantur et pedibus conculentur, ac quasi inducti in venatorum retia capiantur. Ita juste illusores illudit et punit Deus, juxta illud *Proverb. cap. I*, 25: « Despexistis omne consilium meum, etc. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit. » Sic narrat Suidas verbo *Datis*, quod Datis et Artaphernes Darii duces legatos in Græciam miserunt, urbium facturi periculum, et terram atque aquam postulaturi. Ac insulares quidem omnes assenserunt; Lacedæmonii vero utramque se daturus polliciti, coniectos in puteum terra obruerunt; se, quod postulatum fuisset, præstitisse testati (1).

14. ILLUSORES, — qui illuditis minas Prophetarum, dicentes: « Manda remanda. » Vers. 14

PERCUSSIMUS FOEDUS CUM MORTE. — Quasi dicant: Securi sumus de Assyriis et Chaldæis, non time-

(1) « Ut vadant, » etc., id est *quo factum est*, vel *quo fiet*. Nam ex contemptu verbi Dei orta est perditio Judæorum: perditio autem significatur verbis quæ *lapsum*, *confractionem*, *illaqueationem* ac *captionem* significant. Vide supra, VIII, 15. Dixit autem *retrosum cadere*, propterea quod periculosior lapsus is sit. Et in eis impleri prophetiam hanc significavit Evangelista cum ad vocem Domini, *ego sum, cecidisse retrosum* Judæos commemorat. Hujusmodi autem ruina designat eos non advertere in quæ mala collapsi sint. Deinde *confractio* irreparabilem reipublicæ labefactionem designare videtur: *illaqueatio* vero non solum complicationem scelerum, verum etiam animorum perplexitatem, in qua perpetuo degunt, nescientes quid sequantur, aut cui credant, cur non regem, non sacerdotem, non prophetam habeant. At *captio* designat omnimodam potestatem atque tyrannidem quam in eos exercet peccatum et diabolus: ducit enim infideles quo vult; nam sunt servi peccati. Et quæ patiuntur aviculæ in manibus puerorum qui eas laqueis ceperunt, multoque graviora, patiuntur ipsi a peccato et diabolo. Hæc quoque animadvertat cætera peccatorum turba, qui, quia contemnunt verbum Dei, similibus malis subjecti sunt, eruntque perpetuo. (Forerius.)

mus eorum vastationem, nec mortem et infernum, id est locum et statum mortuorum, quæ nobis minantur Prophetæ, quasi pactum cum iis fecissemus. Est catachresis. *Secundo*, proprie Sanchez: Sicut, ait, Gentes mortem, id est Atropoz aut fatum, et infernum, nempe Plutonem, aut *Adm*, in diis numerabant: sic Gentilium ritum imitati illusores hi, eosdem quasi deos venerabantur, certisque adhibitis ritibus et cæremoniis putabant se eos sibi demereri, et quasi cum iis pacisci, ut ab iis nihil mali timendum esset.

ET CUM INFERNO FECIMUS PACTUM. — Pro *pactum* hebraice est *חֶסֶד* *chese*, id est visionem, *q. d.* Venimus in colloquium cum inferno: cum eoque transegimus et pepigimus. Dicunt Prophetæ multa visu horrenda esse in inferno: nos jam ea vidimus, nec horremus. Sic vulgo dicunt impii: « Diabolus non est tam ater ac pingitur. » Ita Vatablus.

Secundo, Viegas in *Apocalyps.* II, Comment. IV, sect. IV, num. 5, *chese* vertit provisionem, com meatum, cui est multorum convivium, aut simul navigare volentium: id quod non faciunt, nisi fœderati, *q. d.* Cum inferno fecimus provisionem, seu com meatum, quasi simul navigaturi, et ad eundem inferorum portum appulsuri. Ita Saggis apparens dæmon, cum eisque ludens, persuadet eis sibi bene esse, se esse lætum ac felicem, nec igne inferni multum cruciari; ac proinde ipsas post mortem eadem cum ipso læta sorte potituras.

Tertio, aliqui per mortem et infernum accipiunt regem Assyriorum: cum hoc enim pactum pepigerant Samaritæ, ejusque erant vectigales: unde sub ejus alis securi degebant, nihil timentes. His ergo denuntiat Propheta, hoc pactum esse periculosum et perniciosum; eo quod rex Assyriorum sit eos vastaturus, ac in mortem et infernum missurus (1). Addunt nonnulli hunc regem vocari mortem et infernum, quia dominabatur Ponticis

(1) Cum proceres Judæorum se prudentia et astutia singulari munissent adversus omnem eventum, qui reipublicæ videri posset exitialis, et principes regesque potentiores, a quibus calamitas metuenda erat, sibi variis artibus faventes fecissent et amicos! non videbatur facile tempestas, si quæ oriretur, in ipsos desævitura esse.... Cæterum, *fœdus pactumque facere cum morte et cum inferno*, metaphorica est locutio, qua is de quo adhibetur, negatur in periculo mortis versari, quasi ei esset cum ea fœdus. Ejusmodi loquendi genus est et apud Lucanum, *Pharsal.* IX, 898, ubi de psyllis, quos putabant veteres morsus serpentium non timere:

Profert in mediis sedem posuisse venenis
Paxillis cum morte data est.

Unde hunc Jesajæ locum illustravit J. F. Gronovius, *Observat.* lib. IV, cap. v. Ergo qui hic loquentes inviduntur profani et impii, tutos se et adversus omnem calamitatem securos profitebantur, quod essent in fœdere cum illis regibus et populis, a quibus solis exitium ipsis metuumdum erat. Quanquam enim, II *Reg.* VIII, 7, legimus Iiskiam adversus regem Assyriorum rebellasse, primis tamen imperii sui annis tributum Ahaso impositum, regi Assyrio perpendit. (Rosemuller.)

et Cimmeriis, ex eisque colligebat exercitum. Hi autem vocantur inferi et infernus, quia in Ponto est Cerberion mons et oppidum; item Heraclea et specus, unde Hercules Cerberum extraxisse fertur; item Cocytus, Phlegethon et Tartarus. Denique apud Cimmerios inferni sedem collocat Homerus, sive ob perpetuas tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et hiberno soli inacessas: unde Gentiles censebant illic esse inferni ostium.

Moraliter, S. Gregorius, lib. VI in lib. *Regum*, cap. II: « Impœnitentes, inquit, ut Saul, percurserunt fœdus cum morte et inferno. Cum morte quidem fœdus percutere, est mala audacter perpetrare, et ea semper agenda promittere. Mala quippe indesinenter faciunt; sed diligendo quod faciant, quasi a mortis amicitia se nunquam recedere pollicentur. Hi quippe in mortis fœdere quanto insensibiliores fiunt, viscera matris Ecclesie tanto acrius miserando quatiuntur. »

FLAGELLUM INUNDANS CUM TRANSIERIT, NON VENIET SUPER NOS, — *q. d.* Assyriorum flagellum et calamitas, cum pervaserit decem tribus, non veniet super nos (2).

Secundo et proprie, sicut Attila, sic Nabuchodonosor vocatur hic « flagellum Dei inundans, » et absorbens omnes gentes Judæis vicinas.

QUIA POSUIMUS MENDACIUM. — Causam dat Propheta præsumptæ securitatis, quasi dicas: Securitatis vestræ basis non est nisi spes mendax, quam habetis vel in idolis vestris, vel in nimia Dei misericordia, vel in fortitudine et opibus vestris: quam licet vos vocetis veritatem et securitatem, ego tamen voco mendacium et fallaciam, uti revera est. Adde esse verba illusorum, qui usurpant nomen et vocem Prophetarum, quasi dicant: Posuimus spem nostram in idolis, etc., quæ vos, o Prophetæ! mendacium appellatis. Denique Sanchez censet mendacii nomen idolis additum apud Gentiles, ex continuo usu non male audiisse, sed quasi honestum transiisse in communem nomenclaturam. Sic honestati sunt apud Romanos *Bruti*, *Porcii*, *Asinii*, etiamsi nominum etymon significet aliquid indecorum. Sic Leodientes aurigæ et nautæ socios suos etiam amicissimos, ex usu communi vocant *Dal*, id est diabolos. E contrario voces Latinæ et Græcæ *dæmones* et *dæmonia* male sonant, etiamsi etymon fuerit honestum, et a scientia deductum. Sic et voces *hostes* et *tyranni* olim peregrinos et principes signifi-

Nomina infamia ex usu honestantur.

(2) Vates hic, ut alias sæpius affectans elegantiam peronomasie in vocibus שׁוֹט שׁוֹטָה duas metaphoras licet diversi generis, inter se miscet. *Flagelli* enim proprie non est *inundare*. Verum quia idem ille exercitus, qui Israelitas magnis plagis affectit, eaque de causa rectissime *flagellum* dicebatur, simul instar *fluminis* extra ripas suas sævientis obvia omnia occupat et vastat: Propheta duas illas metaphoras inter se commiscens eundem exercitum vocat exercitum inundantem. Est autem utraque metaphora vatibus Hebræis, de exercitu hostili loquentibus, solemnibus. Vide *Jesaj.* VIII, 7, 10, 24.

Vers. 16.

cabant, nunc ex eorum abusu male audiunt. 16. IDEIRCO HÆC Dicit DOMINUS. — Avolat Propheta de more ad Christum, quem mendacio illusorum opponit, ut doceat in Christo solidam spem collocari, quam ipsi in mendacibus idolis collocabant: solet enim Deus ulcisci hominum scelera in lege nova non puniendo, sed sua clementia ea curando, et condonando per Christum. Vide *Can. XLVI*. Sapienter Bias, et ex eo Ausonius:

Quod prudentis opus? cum possit nolle nocere.

Sensus est, *q. d.* Ideirco, ut scilicet vestrum pactum futile, et fiduciam mendacem sapientiore et solidiore consilio evertam, imo corrigam et emendem, hac de causa vobis licet indignis misericorditer mittam Christum, qui Sionem, id est Ecclesiam, ædificet, cujusque ipse sit lapis angularis, id est fundamentum primum et imum, ut habet Apostolus, *Ephes. II, 20*; quod solidum firmiter omnes ejus partes connectet, et præsertim duos parietes, id est duos populos invicem contrarios, scilicet Judæorum et Gentium. Ita S. Cyrillus, Theodoretus et Augustinus, in *Psal. xciv*, imo S. Petrus, *epist. I, cap. II, vers. 6*, et Paulus ad *Roman. IX, 33*, et Christus ipse, *Matth. XXI, 42*. Hebraice est, ecce ego pono in Sion lapidem probatum anguli, pretiositatis, fundamenti, id est angularem, pretiosum, fundamentalem, solidissimum; hunc enim lapidem ob soliditatem opponit arundini, id est vanæ et mendaci spei, quam Judæi in suis idolis reponerant; unde ait, vers. 18: « Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; » quia arundineum est, non in solido lapide, puta Christo et Deo, fundatum (1).

(1) Est lapis probatus, proprie lapis probationis, talis lapis cujus soliditas et firmitas ita explorata et certa est, ut ædificio alicui substerni possit in fundamentum. Ad eandem firmitatis notionem pertinent etiam cætera epitheta. Vocatur enim lapis anguli seu angularis, est autem angularium lapidum non tantum sustinere ædificium, sed et illud compingere, quod ut faciat, supponuntur lapides esse primarii totius ædificii, magni, quadrati, solidi, in quos ædificii latera concurrunt. (Rosenmuller.)

Porro hi lapides angulares apud Orientales in magno honore habebantur, cum summa diligentia deligebantur, iisque, juxta Jahn (*Archæolog. Bibl. tom. I, pag. 225*), jus asyli et immunitatis tribuebatur.

Nulli cæterum dubium esse debet, inquit Forerius, quin lapis hic Christus sit, ut ex Evangelio et Paulo et Petro apparet. Nam hic est lapis factus in caput anguli, et nemo aliud fundamentum potest ponere præter id quod positum est, etc. Hunc 1º dicit lapidem probationis, id est qui probatus tamen duritiam suam ac firmitatem servat; unde infra comparatur saxo durissimo, etc.; quam examinatus autem et quam probatus fuerit Dominus atque tentatus per omnia, esse hominem qui ignoret arbitrator feminem; 2º angularem, quod duos parietes connectat, fecit enim unum ex duobus, dissolvens inimicitarum maceriem. 3º pretiosum; quid enim conferri potest cum, Homine-Deo? 4º vocat fundamentalem; nam fundamenti fundati, vel fundamenti fundamenti, imum fundamentum designat, id est, super quod totum ædificium construitur.

QUI CREDIDERIT, NON FESTINET, — scilicet volens statim lapidem hunc Sionis hic promissum, puta Christum, sibi exhiberi, non dicat cum illusoribus: « Manda remanda, modicum ibi, » *q. d.* Expectavimus eventum oraculorum, et nihil videmus secutum; sed exspectet patienter: quia suo tempore certissime promissionem meam complebo, juxta illud *Habacuc II, 3*: « Si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet, et non tardabit. »

Nota: Septuaginta et ex iis S. Petrus, II *epist. x*, et Paulus, *Rom. x*, pro non festinet vertunt, non confundetur, *q. d.* « Non festinet » id est non trepidet: non enim confundetur, sed spe sua potietur Sic Virgilius de apibus ait:

Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt;

ut sit metalepsis. Ita Leo Castrius.

Secundo, Sanchez, « non festinet, » ait, id est non fugiat: non enim confundetur. Solent enim qui confunduntur et pudefiunt, festinato se subducere, ut fugiant hominum oculos: hinc fit, ut festinatio pro pudore et confusione sumatur. Est et hic metalepsis, sed aliunde petita.

Denique Joannes Morinus, *Præfat. in Septuaginta*, censet Septuaginta pro יָרִיחַ iachis, id est festinet, legisse יָרִיבִי iabis, id est confundatur.

17. ET PONAM IN PONDERE JUDICIUM, ET JUSTITIAM Vers. 17
IN MENSURA. — A Christo suo revolat Propheta, et redit ad sua tempora, et ad ea quæ dixit vers. 13, *q. d.* Ego Judæos illos illusores recte et accurate, quasi justo pondere et mensura judicabo, puniendo eos nunc per Chaldæos, et tempore Christi per Romanos ac damnationem æternam. Patet ex seq. Septuaginta, pro justitiam in mensura, ver-

Ita hæc verba exclusive in sensu litterali ad Christum pertinent, ut ne sensu quidem imperfecto ad Ezechiam, ut aliqui ex Judæis (Aben-Ezra et Kimchius) existimant, referri possint; num, v. g. inquit Calmetus, de Ezechia dici potest, quod in eum crediderit populus Dei, quod illo regnante calamitates hic prædictæ Judæos affligerent, quod æquitatem et justitiam perfecte restituerit; quod tandem delere potuit pactum quod impii cum morte et inferno pepigerant, cum e contra sub Manasse ejus filio tum crimina, tum Dei flagella totam Judæorum gentem veluti inundaverunt usque ad ultimam interfectionem?

Juxta ipsum Rosenmuller Judæi veteres hoc loco Messiam describi existimarunt, unde Scriptores novi fœderis eum deserte et directe ad Christum Jesum transferunt, *Rom. IX, 33*; *x, 11*; *I Petr. II, 6, 7, 8*. Cujus interpretationis indicium olim exstitisse in paraphrasi chaldaica probabile est, inde quod Raymundus Martini in *Pug. fid.*, libro II, cap. v, pag. 342, loci hujus paraphrasin sic describit; *Ecce ego constituo in Sione regem unctum, regem validum et fortem...* Quod vero hic locus a Judæis veteribus de Messia acceptus fuerit, causam potius scite repetit ex *Psal. cxviii, 22*, in quo loco, tævo apostolico, unanimi consensu de Messia explicari solito, cum Messias conferri cum lapide angulari crederetur, factum videtur, ut omnia veteris Testamenti loca, in quo de lapide angulari sermo erat, ad regnum Messiae adumbrandum revocarentur.

tunt, *miseriordia tua in stateris*, quod S. Nazianzenus, orat. *De misericordia*, sic explicat, *q. d.* Misericordia Dei præstatur nobis pro ratione et mensura misericordiæ, quam nos miseris præstiterimus: « Nulli enim, ait, rei misericordia Dei magis rependitur, quam misericordiæ, ab eo qui juste omnia pensat et rependit. » Sic et S. Basilii in *Psalm.* cxxix, putat his Isaïæ verbis significari, misericordibus misericordiam impertientiam pro modo et ratione meriti cujusque, iudicium vero expertibus misericordiæ.

ET SUBVERTET GRANDOSPEM MENDACII.—« Grando » per catachresim significat subitam et fortem Dei punitionem, quam per Chaldæos, Romanos et alios exercuit, qua subvertit mendaces spes Judæorum, quas in idolis et regibus Ægypti aliisque reponebant. Idem significant aquæ, quæ inundatione sua protectionem, id est murum, quo se protegendos putabant, everterunt, quod vers. 18 clare vocavit « flagellum inundans. »

19. MANE DILUCULO PERTRANSIBIT IN DIE ET IN NOCTE, — *q. d.* Hæc grando, hoc flagellum cito et tempeste, quasi summo mane vos comprehendet, et durabit continuo integros dies et noctes. Significatur ergo hic celeritas et continuatio flagelli.

SOLA VEXATIO INTELLECTUM DABIT AUDITUI, — *q. d.* Hæc calamitas Chaldæorum Judæos faciet intelligere oracula, et minas quas audiunt a Prophetis, docebit eos Deum timere et colere, non idola: nec enim utrorumque amor et cultus se compatiuntur, ut sequitur. Sicut ergo asinus non movetur minis nec promissis, sed baculo: ita et hi. Sic de Phrygibus olim dicebatur: « Phryx non nisi plagis emendatur. » Pro *vexatio* hebraice est *זַעֲוָה* *ze-vaa*, quod alii vertunt, *terror*. Sic enim pueri duri minis et terrore coguntur ad officium subinde. Sed nostra versio magis apta et genuina est. Sic cap. xxvi, vers. 9, dixit: « Cum feceris iudicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. » Et *Psalm.* lxxvii, 34: « Cum occideret eos, quærebant eum. » Sic et Plato in *Symposio*: « Stultus, inquit, post acceptam plagam sapit. » Hinc Agesilaus de quibusdam Asiæ populis dicebat: « Si libertate fruerentur, malos; si servirent, bonos fore. » Prudenter S. Bernardus, lib. I *De Consider.* cap. iii: « Hebetati, ait, cordis indicium est propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, sed si nimia non fuerit: nam si sit, non plane intellectum dat, sed contemptum. Denique impius, cum in profundum malorum venerit, contemnit. »

20. COANGUSTATUM EST ENIM STRATUM. — *Primo*, Judæi sic exponant: Per Chaldæos redigemini, o Judæi! in eas angustias, ut duo conjuges non sint habituri locum ubi simul cubent, sed alter eorum loco et lecto extrudendus sit; utque lodiæ et stragula non habeant tam magna, quibus uterque simul operiatur. Sed hic sensus frigidus est et Judaicus.

Secundo ergo et genuine, *q. d.* Deus: Vos, o Judæi! præter me sponsum vestrum alios amatores, scilicet idola et diabolus, admittitis; itaque non potestis mecum in conjugio permanere, quia lectus amoris mei ita arctus est, ut non nisi sponsam et sponsum unum admittat, tertium, scilicet adulterum, omnino excludat: nec capere possit Deum et diabolus, Deum et mundum, Deum et mammonam (1): quocirca ego per Chaldæos aliosque vos flagello, ut vos ad me rediatis, utque deos alios a thoro hoc vestro et meo extrudatis. « Duo, inquit Ausonius, socios non recipiunt: amor et principatus. Omnisque potestas impatiens consortis erit, » ait Lucanus. Unde et Julius Cæsar dicebat: « Malo esse in Gallia primus quam Romæ secundus; » cumque Pompeium se superiorem non pateretur, uti nec Pompeius eum parem, bello ei imperium cum vita extorsit. Sic et Alexander, rogatus a Dario ut secum divideret imperium, respondit: « Sicut mundus non fert duos soles, ita nec terra duos reges. Quare aut te mihi subde, aut in crastinum aciem para; » paravit, et cæsus regnum Alexandro cessit. Sic et Tragædus: « Nec regna socium ferre, nec tædæ (conjugia) sciunt. » Simile proverbium est: « Nemo potest duobus dominis servire, » *Matth.* vi, 24. Et: « Quæ autem conventio Christi ad Belial? » *II Cor.* vi. S. Hieronymus: Deus ergo solus vult occupare totum stratum cordis nostri; unde mandavit dicens: « Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, » *Deuter.* vi, 5. Vide ibi dicta. Hinc et Apostolus, *I Cor.* x, 20: « Non potestis, inquit, calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ idolorum. » Vere Lyranus in illud *Matth.* cap. vi, 24: *Non potestis servire Deo et mammonæ*: « Cor humanum, ait, non potest simul capere Deum et diabolus: sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus: suscepto Deo per charitatem, exit diabolus. »

Allegorice, Leo Castrius: Stratum Dei, inquit, id est Ecclesia, non capit umbram et veritatem, Mosem et Christum, legis onera et suave jugum gratiæ.

UT ALTER DECIDAT. — Hebraice est *מְהִשְׁתַּרֵּעַ* *me-histurea*, id est a superfluendo, vel a superessendo, *q. d.* Ut non supersit alteri locus, sed alter decidat, uti recte vertit S. Hieronymus.

21. SICUT ENIM IN MONTE DIVISIONUM (*q. d.* *Sicut* Vers. 21 in *Baal Pharasim*, quod significat « locum divisionum, » Deus pro Davide dejecit Philistæos, *II Reg.* cap. v, ibique Davidem victorem a Philistæis devictis et dispersis divisit et segregavit: sic consurget et) STABIT (contra vos) DOMINUS, — ut vos dispergat, dividat et disperdat: et sicut pro Jo-

(1) Metaphora a dormientibus desumpta, quibus si vel lectus brevior, vel tegumentum, quo totos se obvolvere solent Orientales, somnum captum (Cf. Niebuhr, *Beschreibung von Arabien*, pag. 10), angustius obtigit, et turbata noctis quies,

sue in valle Gabaon stitit solem, et percussit Amorrhæos, non tam armis, quam grandine et saxis e cœlo in eos dejectis, *Josue x*; ita pariter ipse contra vos, o Judæi! quasi adulteros et apostatas irascetur, atque iratus vos dejiciet et percutiet. Ita S. Hieronymus, qui allegorice hæc refert ad excidium mundi: tum enim erit *Baal Pharasim*, id est locus divisionum in valle Josaphat, ubi Christus separabit agnos ab hædis, atque agnis, id est sanctis, cœlum, hædis et impiis gehennam assignabit.

UT FACIAT OPUS SUUM (opus a se decretum, scilicet vindictam et punitionem, exigentibus id Judæorum peccatis, quod tamen opus non est proprium Deo, si ejus indolem et innatam bonitatem spectes, sed) ALIENUM (et quasi) PEREGRINUM AB EO, — quia invitus et quasi coactus ab impiis hoc facit. Sic cum induxit diluvium orbi, fecit hoc tactus dolore cordis intrinsecus, *Genes. vi*; sic puniturus gemit dicens: « Heu! consolabor super hostibus meis, » *Isaiæ i, 24*. *Secundo*, « opus alienum et peregrinum, » est opus, puta punitio insolita et admirabilis. Quia enim Deus patribus Judæorum, ob eorum pietatem, fuerat benignus et beneficus; hinc posteris eorum impiis videbatur res insolita, et aliena a Dei more, experiri Dei iram et vindictam. Rursum quia hæc vindicta futura erat acris et inaudita, utpote inducens gentis et populi Dei excidium; hinc eis videbatur admirabilis, et plane extraordinaria. Unde Septuaginta vertunt, *perditio* (σάρπια, pro quo Complutenses legunt πικρία, id est *amaritudo*) ejus aliena.

22. ET NUNC NOLITE (illusores, qui illusistis Prophetas, et dixistis, vers. 10: « Manda remanda, » pariter) ILLUDERE (has meas minas), NE FORTE CONSTRINGANTUR (Vatablus vertit, *validiora fiant*) VINCULA VESTRA, — id est ne citius et arctius ab hoste constringamini, ne Deus per eum vos severius et graviori captivitate puniat. Sicut enim vulpes quæ in laqueum incidit, eo magis astringit nodum et laqueum, quo magis se ex eo expedire et extricare conatur: ita impii tergiversando, et illusores irridendo Dei minas et pœnas, magis et magis se iisdem involvunt et astringunt. Unde sequitur:

CONSUMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM (*q. d.* Consumptionem et destructionem, eamque brevi futuram super totam terram, scilicet Judæorum) AUDIVI A DOMINO, — *q. d.* Non dicetis ultra: « Manda remanda, » quia brevi Deus cladem, quam vobis comminatus est, infliget: vestræ enim irrisiones et scelera brevi complebunt mensuram peccatorum vobis a Deo statutam, itaque accelerabunt ejus vindictam.

Vers 21. 24. NUMQUID TOTA DIE ARABIT? — Nota: Ab hoc loco ad finem usque capitis est continua parabola agricolæ, qua hortatur Judæos omnesque gentes ad bona opera, et ad frugem, *q. d.* Non semper arat arator, ut sementem faciat, sed *primo*, arat; *secundo*, cum aliquot diebus aravit, postea solvit boves, et glebas contundit, terræque superficiem

æquat et occat; *tertio*, ubi hoc fecit, sementem jacit, eamque germinantem sarrit, id est purgat a lolio; *quarto*, messem maturam demetit et colligit; *quinto*, triturat quæque secundum suam conditionem, scilicet omnia legumina, ut gith et cuminum, levius, puta per virgam aut baculum; frumenta vero, quæ difficilius excutiuntur, gravius, scilicet in Palæstina plaustris, quæ quasi serras et dentes inferne habent, quibus circumactis super segetes grana excutiunt; aut etiam bobus, qui ungula sua calcando ea exprimunt (1).

Jam hæc sic Judæis et hominibus applica. *Primo*, agricola est Deus; *secundo*, ager est Israel; *tertio*, agrum hunc serit Deus; semina sunt lex, gratia et dona Dei; *quarto*, deinde metit, colligitque fructus honorum operum, quos ut eliciat, triturat, id est affligit nos, alios quidem gravius, alios levius pro constantia et robore fidei.

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut agricola suis quodque locis, ordinibus, temporibus, modis serit, metit et triturat: ita Deus in Israele, et in magno hoc mundi agro nunc gratiam serit, nunc monet, nunc corripit, nunc punit, nunc miseretur. Vos ergo, o Judæi! et quæque gens studiose advertat et reflectat, quid quolibet tempore in se agat Deus: imo idipsum in se quisque advertat, quid hac die et hora in se operetur Deus: an serat, an metat, an trituret, studeatque Deo operanti cooperari et respondere, atque per ejus tribulam et afflictionem dare grana patientiæ, charitatis et aliarum virtutum. Ita S. Hieronymus, Vatablus et alii. Quocirca Sancti studiose et attente exceperunt omnes Dei inspirationes, monitiones, correptiones, tribulationes, etc., eisque vel cooperati sunt, vel eas patienter tolerarunt, ex iisque fructum quem Deus volebat, elicerunt. Ita Samuel ad Deum: « Loquere, ait, Domine, quia audit servus tuus. » Ita David: « Audiam, ait, quid in me loquatur Dominus. » Et Paulus: « Domine, quid me vis facere? » Et Isaias, cap. vi: « Ecce ego, mitte me. » Ita S. Franciscus, audiens aliquam Dei inspirationem, subsistebat, totumque se colligebat ad eam percipiendam, eaque percepta statim quod audierat executioni mandabat. Quocirca jure dicebat S. P. N. Ignatius, paucos scire quantum ipsimet Dei in se operationem impediunt, eique magna operaturo obicem ponant, quod vel non audiant Dei vocem, vel ei non cooperentur, uti deberent. Nimirum sola B. Virgo semper Dei vo-

Deus
quasi a-
gricola
nunc se-
rit, nunc
metit,
nunc tri-
turat.

(1) Omnes fere interpretes hic divinarum judiciorum consilia et modos edocere Prophetam asserunt, scilicet, ut notat Rosenmuller, Deum in castigandis improbis diversimode, sed summa cum sapientia agere, *judicium*, uti prius dixerat, vers. 17, *exigere adamussim*, et *justitiam ad perpendicularium*, temporum, hominum, rerum discrimina, omnia severitatis et lenitatis momenta exquisitissime expendere. Hæc involvit allegoria exemplo ducto ab agricultura et tritura, ut recte observavit Lowhtius, *De sacra Poesi Hebræorum*, Prælect. x. Conferri meretur Paulsen, *vom Ackerbau der Morgenlander*, pag. 96 seqq., et 127-138.

luntatem et gratiam attente excepit, eique ex æquo cooperata est, ut v. g. si reciperet gratiam intensam ut mille, eliceret actum intensum ut mille, idque continuo et assidue. Nullus cæterorum Sanctorum idipsum præstitit: infirmitas enim humana nunc in intentione, nunc in continuatione deficit, ut gratiam Dei non adæquet: qui tamen generosi sunt, eam quam maxime adæquare conantur; et hi maximos in virtute et gratia progressus faciunt.

Viderunt idipsum per umbram Gentiles; unde Alexander Magnus in Ægypto audivit Psammone Philosophum, idque ejus dictum maxime probavit, quo affirmabat, « omnes homines a Deo regi: divinum enim esse id, quod in quolibet præsit atque imperet. » Ipsumque magis philosophice de eadem re sensisse, cum asseruit, « Deum omnibus hominibus communem esse patrem, sed proprios sibi filios eos adsciscere, qui hominum essent præstantissimi, hos nimirum formare, expolire, perficere. » Ita Plutarchus in *Alexandro*.

Moraliter S. Ambrosius, lib. III *De Interpellat.* cap. II, docet virum justum esse agricolam instar Dei: Nam, inquit, « hic quasi bonus agricola arat agrum suum quodam rigidioris abstinentiæ vomere; hic extirpat quadam falce virtutum; amputatrice vitiorum; hic stercoreat humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitatur inopem, et de stercore erigit pauperem; hic custodit fructus suos, ut illic uberius recondat. » Hac agriculturæ metaphora sæpe agens de Deo et rebus divinis utitur Scriptura, ut patet *Joan. iv. 35; Matth. xxi. 33; Joan. xv. 1.*

Vers. 25. 25. GITH. — Genus est seminis calidi et nigri: unde græce *μελάνθιον*, vulgo *nigella* dicitur. Vide Columellam, lib. VII, et Plinium, lib. XX, cap. XVII. Ruellius opinatur esse semen illud, quod rustici in Gallia sua lingua vocant *poivreton*, quasi minutum piper: eo quod tenuiores hoc semine cibos condire soleant vice piperis (1).

(1) *קצף* esse *nigellam*, *anethum*, ostendit Celsius, *Hierobot.*, part. II, pag. 70-72, condimentum esse, et cibis panibusque saporandis adhibitum fuisse observant veteres. Dioscorides, lib. III, cap. XCIII, et Plinius, lib. XX, cap. XVII, melanthii, vel melanspermi semen gratissime panes condit.

כמ eodem modo Arabibus, Græcis, Latinisque enuntiatum *κύμινον*, *cuminum*, *Kummel*. Ne quem vero homonymia errore pariat, cum species cumini plures sint, observandum est Hebræorum *cuminum* genuinum illud esse, quod doctores botanici *cuminum sativum* vocant, vel *cuminum semine longiore*, vel etiam *cuminum Romanum*. Quæ autem planta Germanis *cuminum* dicitur, veteribus herbarum magistris, Dioscoridi et Theophrasto, *carum* fuit, observante Celsio, *Hierobot.*, part. I, pag. 516.

(Rosenmuller.)

Hæc autem sequentia verba *שערה כמ*, quæ Vatablus vertit *hordeum signatum*, cum S. Hieronymus vertit « hordeum et milium, » alii significare volunt insignitum, præstantissimum, ut Dæderlein vertit *hordeum secretum*, et in nota subjecta addit, id e consuetudine populorum Orien-

Allegorice S. Hieronymus, *gith* et *cuminum*, id est populus rudis, leniter baculo corripitur: at frumentum, id est sacerdotes et sapientes, dura rota plaustrum calcabuntur, atque potentes potentior tormenta patientur.

26. ET ERUDIET ILLUM IN JUDICIO, — *q. d.* Deus Vers. 26. docebit agricolam cum judicio, et sapienter hæc omnia distribuere. Ita S. Hieronymus.

28. PANIS AUTEM COMMINETUR. — Est metonymia. Vers. 28. « Panis » id est triticum et frumentum, ex quo fit panis, solet in Palæstina rota plaustrum et dentibus tribulæ comminui, et majore vi excuti, tamen cum modo et moderamine: non enim in æternum sive perpetuo tribulatur; sed sic tribula ipsa circumducitur, aut ungula bovis calcatur, donec e folliculis excidant, non autem ut frangantur grana tritici, *q. d.* Ita pariter Deus vos, o Judæi! aliosque suos fideles non affligit, ut perdat et excindat, sed ut a paleis vitiorum expurget, et quasi grana selecta in horreo, id est in Ecclesia sua recondat. Ita S. Hieronymus.

NEC UNGULIS SUIS COMMINET EUM. — Hinc videtur quod in Judæa, tempore Isaïæ, triturarint quoque ungulis equorum vel boum segetes calcantium: hæ enim calcando excutiebant e suis folliculis grana, uti etiamnum fit in nonnullis provinciis; licet id videatur negare S. Hieronymus, forte quod ejus tempore hic modus triturandi apud Judæos in desuetudinem jam abierat; aut, ut Sanchez, quod ab equis solis tritæ non fuerint segetes, sed equorum ungulis, qui simul tribulas dentatas trahunt, aut plaustra serrantia (2).

talium illustrari, singula grana seligendi ac studiose discernendi, quam Itineraria laudant. *כסמ* est *zea*, *spelta* (vide Celsi *Hierobot.*, part. II, pag. 98 seqq., et E. C. Fabri *Specimen Botanol. bibl. in den Theolog. Analecten*, tom. I, part. I, p. 14), genus frumenti, simile farri, quod farris locuni in multis locis implet, ubere ejus in Campania Italica proventu. Solent veteres, de *satis* loquentes, *triticum*, *hordeum*, *speltam*, inter se conjungere: veluti Homerus, *Odyss. Δ*, 144, in oratione Telemachi; Menelai fortunas et agrum laudantis, quippe in quo præter alia sint:

Πυρὸν τε, ζαχαί τε ἡδ' εὐρουφὺς κρή λευκὸν,

Triticum speltæ et late germinans hordeum album.

(2) Ab altera quoque parte scientiæ agriculturæ argumentationem conficit. Novit, inquit, agricola quo instrumento unaquæque farris aut seminis species excutienda sit, et quod duriora grana duriori instrumento, tenera autem leviori: neque in hoc facile eum falli videas, ut asperiora mollioribus, et leviora duris granis superinducat. Ut sibi constet hujus loci sensus, sciendum quatuor apud Hebræos in usu fuisse triturandi modos (vide *Annotat.* ad vers. 10, cap. XXVI), etiamnum in Orientalibus regionibus usitatos, de quibus egit Bochartus, *Hieroz.*, part. I, lib. II, cap. XXXII. *Primo*, baculis et flagellis excutiebat aliqua edulium genera, quæ tribulum ferro nequeunt, et alia etiam frumenta quæ metu hostis non possunt tuto in area sub dio triturari, *Judic. vi. 11*; idemque fecerunt, qui minus frumenti habuerunt, quam quod area et tribulo dignum esset, *Ruth. ii. 17*; *secundo*, *traha* seu *trahea* facta ex tabula, ferro, vel lapidibus exasperato, et quæ a bobus trahebatur; *tertio*, *plostello punice*,

Vers. 29. 29. UT MIRABILE FACERET CONSILIUM, ET MAGNIFICARET JUSTITIAM. — Pro *justitiam* Chaldæus vertit, *sapientiam*. Nota: In parabola sunt tria. *Primo*, est *παραβολή*, sive proparabola, quasi prologus parabola; *secundo*, est ipsum *μῦθος*, id est fabula aut parabola; *tertio*, est *ἐπιμῦθος*, sive postparabola, applicans parabolam ad mores vel instructionem nostram, ex qua colligendus est sensus, et scopus parabola. Proparabola hic fuit versus 22: «Nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra.» Parabola fuerunt varia opera agricolæ, quæ narravit a vers. 24, hucusque. Postparabola est hic. Ita Forerius.

Sensus ergo est, *q. d.* Sicut in agricolatione, puta in subigendo agro, serendo, metendo, triturando suis locis et temporibus, Deus ostendit magnam sapientiam et justitiam, quasi distributivam, ut cuique tribuat, quod res et tempus exposcunt; ita pariter ipse in prophetia hujus capitis variam

rotas habente, de quo intelligendum est membrum posterius commatis nostri et comma sequens; *quarto*, boum et equorum unguis, quo albiditur *Mich.* iv, 13, et hoc loco, vers. 28. De secundo et tertio triturandi modo Eduardus Pocockius, insignis philologus, qui et ipse regiones Orientis invisit, in *Comment. in Joel.* cap. iii, vers. 14, hæc dicit: «Duo vero hodie adhuc sunt horum instrumentorum genera, quorum unum conficitur ex gravissimis ligneis asseribus, quibus infiguntur cuspidatissimi lapides aut silices, qui a jumentis tracti per frumenta ordine digesta una vice exterunt grana, glumas frangunt, stramenque secant vel confringunt in minutissima frustula ad instar paleæ, quæ in jumentorum postea cedit ælimentum. Alterum hujus instrumenti genus consistit ex duabus serreis rotis crenarum incisione notatis, dentibus acutissimis serræ instar præditis, quæ inter se connectuntur axe ligneo, quod cum per frumenta in area trahitur; idem efficit in conterendis granis; et frangendis scindendisque glumis et stramine, atque id quod priore loco descriptum est. Ad quem modum exterendi frumenta alterutro horum instrumentorum alluditur, *Jesaj.* xxviii, 27, 28. Conf. aliorum itineratorum testimonia, quæ collegit Paulsen, loco citato, cap. vi.

ostendit providentiam suam, et distributionem circa decem, et circa duas tribus, ac circa Christum. Quocirca non est, quod eam miremini: facit enim ipse ut sapiens agricola, qui pro rei exigentia agrum, id est orbem, ac præsertim Synagogam, et Ecclesiam suam, sive populum fidelem varie exercet et regit: nunc enim sarrit, et purgat; nunc triturat, et punit; nunc miseretur, et parcit; nunc colligit fructus, suosque sibi seligit et seponit.

Ita primo, vos, o Judæi! coluit assidua et paterna sua indulgentia. Deinde in vobis sevit semina legis et S. Scripturæ. Videte ergo ut dignos virtutum et meritorum fructus ei reddatis. Post vero vocabit ad aream et trituram tribulationis, a qua tamen liberabit, reducetque in patriam, sicut agricola purgata per duram trituram frumenta in horrea recondit. Hoc enim proxime præcessit, et hanc trituram, ejusque examen, et finem ac fructum maxime in hac parabola urget Propheta. Cum ergo Deus vos trituret et castiget, ut grana poenitentiae et virtutum ac mutationis vitæ eliciat et excutiat, videte ne hoc opus Dei vestra duritie et pertinacia evertatis, et cogatis eum vos triturare usque ad consumptionem et excisionem, quam vobis impendere audivi in proparabola vers. 22. Sed potius tribulationem hanc patienter excipite, et per eam ad cor et ad Deum redite; ita fietis tritura et filii areæ Domini, ut dixit cap. xxi, vers. 10. Est enim hæc tritura amoris, non odii.

Allegorice Leo Castrius, *q. d.* Deus jam arat; occat, sarrit, id est præparat agros, id est animos Judæorum, ut tempore Christi in iis serat Evangelium, ac metat opera Christiana, digna Christo, digna Evangelio.

Ut MIRABILE FACERET CONSILIUM, etc. — Alii vertunt, qui *mirificus est consilio, et magnificus opere.*

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat excidium Jerusalem, quam ob munitionem vocat Ariel, id est, leonem Dei. Secundo, vers. 5, digreditur ad Chaldæos eam excindentes, dicitque victoriam eorum fore instar somnii; brevi enim ipsosmet perdendos. Tertio, vers. 9, redit ad Judæorum cladem, quodque Deus auferet ab eis intelligentiam Prophetarum. Quarto, vers. 15, increpat sapientes eorum atheos, qui putabant se suaque consilia Deum latere. Quinto, vers. 17, prædicat excacationem Judæorum, et vocationem Gentium.

1. Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David: additus est annus ad annum: solennitates evolutæ sunt. 2. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel. 3. Et circumdabo quasi sphaeram in circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam. 4. Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum: et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum

mussitabit. 5. Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te : et sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt : 6. eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis. 7. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, et omnes qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam. 8. Et sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus : et sicut somniat, sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est : sic erit multitudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion. 9. Obstupescite, et admiramini, fluctuate, et vacillate : inebriamini, et non a vino : movemini, et non ab ebrietate. 10. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. 11. Eterit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent : Lege istum : Et respondebit : Non possum, signatus est enim. 12. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei : Lege : et respondebit : Nescio litteras. 13. Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me et timuerunt me mandato hominum et doctrinis : 14. ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo : peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur : 15. Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos, et quis novit nos? 16. Perversa est hæc vestra cogitatio : quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me : et figmentum dicat fictori suo : Non intelligis. 17. Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur? 18. Et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. 19. Et addent mites in Domino lætitiā, et pauperes homines in sancto Israel exultabunt : 20. quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem : 21. qui peccare faciebant homines in verbo, et arguentem in porta supplantabant, et declinaverunt frustra a justo. 22. Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham : Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet : 23. sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantem nomen meum, et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt : 24. et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem (1).

1. VÆ ARIEL, ARIEL CIVITAS, QUAM EXPUGNAVIT DAVID. — *Ariel* hic significat Jerusalem, ut patet ex sequenti. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Proco-

(1) Eodem tempore cui præcedentis capituli vaticinium assignavimus, id est primis Ezechie annis, et hoc editum esse suadet, et argumenti similitudo, et idem fere orationis tenor.

Primo igitur, fatum urbis Jerusalem totiusque regni Judaici, de quo in ultima cap. xxviii parte sermonem incepit, hocce capite repræsentat Propheta : *primo*, per obsessionem arctissimam, et redigentem obsessos ad desperationem, 1-3 ; *secundo*, per eversionem obstaculorum, ac irruptionem hostium repentinam et devastatricem, 3-6 ; *tertio*, per insatiabilem victorum victos deprædantium rapacitatem, 7, 8.

Secundo, cum Propheta vastationem Jerosolymorum describeret, videt subito ea quæ dicebat, sicut neque alia tam sua quam aliorum Prophetarum oracula, Judæos, veluti stupiditate laborantes non intellecturos, hancque insipientiam civitati commixtam tam in præpositis quam

plus. Dicitur *Ariel*, id est mons Dei, inquit R. David ; sed tunc *Ariel* per *he* scribendum esset, dicendumque *haniel* : jam autem dicitur *Ariel* per

Jerusalem vocatur Ariel, id est lect Dei, cur ?

in subditis exponit, 9, 10 ; et ut dicere poterant : Sufficiens nobis libri legis et Prophetarum ; huic objectioni occurrit dicens quod legem et prophetas nequaquam intelligerent tam legis doctor quam qui litteras non didicerunt, sicut librum signatum, neque docti neque indocti legere possunt, 11, 12.

Tertio, causas hujus obscurationis, simulque eorum ruinæ aperit : *primo*, quod externam tantum justitiam persequerentur, cordis autem quod Deus primum respicit, sanctificationem nihil curarent, 13 ; propter quam hypocritam rationem colendi Deum, se eos puniturum prædicat, efficiendo ut cum supervenerit ipsis malum, non sit illis consilium, quo eripiantur ex illo neque prosit eis tunc sapientia sua, 14 ; *secundo*, eorum dissimulandi studium, divinæ omniscientiæ et omnipotentæ contrarium et injuriosum, 15, 16.

Quarto, ut complementa hujus fati, scilicet eversionis

aleph. Ariei ergo idem est quod *leo Dei*, idque *primo*, ob fortitudinem et principatum. Sicut enim leo bestiarum, ita Jerusalem urbium erat princeps, et inter eas arte et natura ita munita, ut Jebusæi ejus arcem Sionem occupantes riserint Davidis copias eam oppugnantes, posuerintque in muris cæcos et claudos, quasi ab iis solis urbs defendi posset, II *Reg.* v. Sic Judas, cujus sedes erat in Jerusalem, vocatus est leo vel leæna a Jacob patriarcha, *Genes.* XLIX, 9, et a Balaam, *Numer.* XXIII, 24, quo alludit hic Isaias: hinc vocatur *leo Dei*, quia quæ Dei sunt, magna sunt. Sic vocantur cedri et montes Dei, id est magni. Rursum *Dei*, quia erat populus Dei cultui addictus: unde

Secundo, Jerusalem dicitur *Ariel*, ob templum et altare in ea existens, quod *Ezech.* cap. XLIII, 13, dicitur *Ariel*, quia in altari maxime relucent fortitudo, majestas et cultus Dei: et quia *Ariel*, transposita littera *i* *o*, ut transponit Ezechiel, significat maledictionis seu peccati arietem, qui scilicet pro peccato in altari offerri solebat a radice ארר *arar*, id est maledixit, et אר *el*, id est aries. Ita Arias. Addit Vilalpando, tom. II, pag. 208 in fine, communem esse Doctorum sententiam templum habuisse formam leonis: nam a fronte erat latum, et a tergo angustum instar leonis, inquit Vatablus: hinc vocatur *Ariel*, id est leo Dei: sicut Belgium suo situ leonem refert; unde vocatur Leo Belgicus. Belgium ergo vocari potest *Ariel*, eique ita jam vastato recte competunt ea, quæ hoc cap. Arieli prædicat Isaias. Simili schemate Apollonius, teste Strabone, Alabandam urbem vocabat «cistam scorpionibus plenam inversam;» hoc ænigmate significans Alabandæ cives pessimos. Ea enim civitas ita montibus supposita esse videtur, ut cistæ formam imitetur: ea quoque regio scorpiis abundabat.

Tertio, si pro *Ariel* uno puncto mutato legas אריל *uriel*, id est lux Dei, vel ignis Dei, notabit Prophetiam et Prophetas, item scientiam legis et Prophetarum, quæ erat in Scribis et Pharisæis, ac Sacerdotibus Hierosolymæ: Pontifex enim in pectore gestabat urim et tummim, id est doctrinam et perfectionem, ut dixi *Exodi*, cap. XXVIII, 30. Unde IV *Esdrae* v, 20, Uriel est nomen Angeli revelantis arcana, sicut est Gabriel, Raphael, Michael. Unde Lexicon Syriacum: *Ariel*; inquit, *civitas dicta est a nomine fundatoris, qui dicebatur Ariel; et Ariel, id est lux Dei, est Jerusalem.* Verum omnes Interpretes legunt *Ariel*, id est leo Dei, non *Uriel*, id est lux Dei.

Sensus ergo est, *q. d.* Væ *Ariel*, id est Jerusalem, quam a Jebusæis occupatam expugnavit David; quæ olim ut leæna fortissima frendebat in

gentes, illa nunc miserrime a Chaldæis vastabitur, et postea a Romanis: sicut enim *primo* eam cepit David cæcis claudis et cæcis, quos Jebusæi loci munitioni præfidentes ad derisionem Davidis constituerant: ita *secundo* eandem capiet Christus alter David, et Davidis filius ac hæres, atque per Titum et Romanos occidet cæcos Judæos et claudos in semitis Dei, Christi irrisores. Ita S. Cyrillus, S. Hieronymus, Procopius.

CIVITAS, QUAM EXPUGNAVIT DAVID. — Aquila vertit, πολικὴν παρεμβλήσεως Δαυὶδ, id est *civitatula* (ut vertit S. Hieronymus) *castrametationis David*; Symmachus, *castrum David*; Theodotion, *circumvallatio David*.

ADDITUS EST ANNUS AD ANNUM: SOLEMNITATES EVOLUTÆ SUNT.— *Primo*, sensus est, *q. d.* Post duos, id est paucos, annos Hierosolymæ majestas everteatur, tumque ejus festa erunt evoluta et cessabunt. Ita Adamus et Forerius. Hic sensus genuinus est; sequitur enim: «Et circumvallabo Ariel,» etc.

Secundo, Dionysius, *q. d.* «Additus est annus ad annum, id est, evoluti sunt jam anni decreti a Deo excidio Hierosolymæ.

Tertio, S. Thomas, Haymo, Hugo et Sanchez putant hic significari calamitatis et vastationis Hierosolymæ durationem, *q. d.* Succedent anni annis, et tempora temporibus; neque tamen cessabit vastitas Hierosolymæ, neque longum solemnitatum ejus silentium, *q. d.* Multis annis et festis in exilio et sordibus hærebunt Judæi.

2. ET CIRCUMVALLABO ARIEL, — scilicet Jerusalem, Vers. 2. *primo*, per Chaldæos, ait S. Hieronymus; *secundo*, per Romanos, ait idem S. Hieronymus et Cyrillus. Huc allusit Christus *Lucæ* cap. XIX, vers. 43, prædicens obsidionem et cladem Hierosolymæ per Titum (1).

Insulse Calvinus excidio Arielis, id est Hierosolymæ, infert excidium Romanæ Ecclesiæ. Audi eum more suo vitulantem et subsannantem:

Calvini
paralogismus.

(1) Quænam Judæorum fata hoc vaticinium respiciat, non una est interpretum sententia. Alii enim, ut v. g. Calmetus, ad obsidionem Hierosolymæ a copiis Sennacheribi tentatam referunt; alii ad expugnationem hujus urbis per Chaldæos sub Nabuchodonosore; alii tandem ad ultimam Hierosolymæ obsidionem et eversionem per Romanos. Verum enimvero quæ hic denuntiantur de urbe obsidione cingenda, circumdanda vallo erigendisque adversus eam propugnaculis, nemo est qui doceat ex historia, illo tempore quo Sennacheribus urbi obsidionem intentabat facta esse, vel fieri potuisse (vide infra, xxxvi, xxxvii, et IV *Reg.* XIX), historiæ igitur et vaticinii summæ magis consentaneum est ut ad veram Hierosolymæ obsidionem sub Nabuchodonosore, in sensu litterali proximiori et imperfecto; et in secundo litterali sublimiori ad ultimam sub Romanis expugnationem hanc prophetiam referamus. Quem ultimum sensum eo magis pro certo tenendum asserimus quod Christus ipse eum veluti sacra vitæ, cum tertium versum in oratione de extremo Hierosolymæ fato produxit (*Luc* XIX, 43); et decimum tertium versum in Judæis ad quos loquebatur adimpletum proclamavit (*Matth.* XV, 8, 9; *Marc.* VII, 6, 7); et S. Paulus versum decimum quartum in I *ad Cor.* I, 19, et ipse ut prædictum ab *Isaiâ* et suo tempore adimpletum usurpavit.

et reprobationis Judæorum, prædicat Isaias, *primo*, translationem fidei ad Gentiles, 17; *secundo*, conversionem eorumdem et salutem, 18, 19; *tertio*, submersionem hostium fidei ac justitiæ adversantium, 20, 21; *quarto*, confusionem, pudorem et seram Judæorum agnitionem et ad Deum reversionem, 22, 23.

« Hinc colligi potest quam ridiculi hodie sint Romanenses, qui cathedræ Petri Ecclesiam affigunt, ac si nusquam domicilium in toto corde reperire possit Deus, quam in Romana Sede. Anne ulla hujusmodi promissio Romæ data est, qualis Hierosolymæ? Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam, *Psalm. cxxxii, 14*. Quod si data esset, nonne videmus quid de Hierosolyma pronuntiet Isaias? Deum scilicet expelli ubi doctrinæ locus non est, ubi cultus Dei corrumpitur? Quid igitur Roma, quæ nullum testimonium habet? » Insulse, inquam, aliud est enim Roma, aliud Romana Ecclesia et cathedra Petri. Fatemur Romam, æque ac Jerusalem, everti posse, ac sæpius eversam esse: negamus romanam Ecclesiam et cathedram Petri everti posse. Firma enim et clara est Christi promissio Petro, ejusque Sedi et successoribus data: « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, » *Matth. xvi, 18*. Ecclesia vetus et Judaica audivit a Deo: « Hæc requies mea in sæculum sæculi, » quando nimirum durabit Mosaica lex et vetus hic rerum umbrarumque status. Nam *Jeremiæ xiii, 10*, et alibi, docet ac prædicat Deus eam abrogandam per Christum et Ecclesiam Christianam, uti demonstrat Apostolus *Hebr. vi, 7*. At vero nulla Scriptura docet Ecclesiam Christi abrogandam per aliam quæ ei successura sit: imo vero omnes asserunt eam fore perennem planeque perpetuam. Porro Ecclesia est monarchia Christi, qui sui loco in monarchia hac caput et vicarium suum constituit S. Petrum ejusque successores. Ecclesia enim visibilis acephala et sine capite visibili esse ac regi nequit: perinde ac regnum sine rege, aut regis vicario esse et regi nequit. Ergo si æterna est Ecclesia Christi, æternus quoque est Pontifex Romanus, qui ejus est caput et rector: æternus quoque Spiritus Sanctus, utriusque director, ne in fide et religione erret.

Primo. ET ERIT MIHI QUASI ARIEL. — Aliter hic accipitur Ariel quam vers. 1. *Primo*, S. Hieronymus putat hic agi de instauratione templi et urbis, prædici- que quod ad pristinum splendorem non perveniet, unde non vocari *Ariel*, sed *quasi Ariel*. Verum hic non agitur de restauratione, sed de ever- sione urbis.

Secundo. *Secundo*, alii *Ariel* accipiunt in dativo, *q. d.* Ariel, id est Jerusalem, erit, vel occurret mihi Deo, quasi si occurrat Arieli, id est leoni fortissimo, a quo laceretur: ego enim ero illi crudelis ut leo, imo ut læna, dum lactat catulos, uti dicitur *Osee cap. v, 14*. Unde Forerius: Comparat, ait, se Deus leoni, urbem prædæ, *q. d.* Tu quæ aliis eras leo et prædator, mihi nunc quasi leoni et prædatori tuo vicissim præda eris.

Tertio. *Tertio*, alii: Jerusalem, inquit; « erit mihi quasi Ariel, » id est quasi leo; sicut enim leo circum se multa habet cadavera, ita Jerusalem plena

erit civium cadaveribus. Rursus *Jfii*: « Erit mihi quasi Ariel, » *q. d.* Oppugnabo hanc civitatem, sicut leo ferox et noxius a pastoribus circumdari oppugnarique solet: tractabo eam non ut *אֵרִיֵּל ariel*, id est ut civitatem Dei, sed ut *אֵרִיֵּל ariel*, id est ut leonem Dei.

Quarto, et melius, Chaldæus, Vatablus, Lyranus et Adamus: *Ariel*, aiunt, hic vocatur altare, uti et *Ezech. xliii, q. d.* Sicut altare circumdatur sanguine victimarum, et in eo quasi natat: ita ego Deus per Chaldæos quasi sacerdotes meos, hanc urbem, quasi altare, sanguine impiorum civium cruentabo, et quasi consecrabo Deo, id est mihi meæque vindictæ (vide *Can. xxxvi*), ut, sicut juxta altare stratæ jacent jugulatæ pecudes, ita in Jerusalem stata jaceant incolarum cadavera. Sic ait Jeremias cap. *xii, vers. 3*: Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis. » Et Isaias, cap. *xxxiv, 6*: « Victima enim Domini in Bosra. »

Quinto, valde apposite Arias Montanus explicat, *q. d.* Jerusalem, quæ olim erat Ariel, id est leo fortissimus, jam erit Ariel, id est maledictio pro peccato suo quasi aries Deo imoletur et occidatur. Unde Arabicus vertit, *et erit (fiat) sicut terra Ariel*. Ludit eleganter in voce *Ariel*, sicut si dicas: « Ara ab hoste facta est hara. » Sic ludit Poeta in voce *sustulit*, cum ait:

Quis neget Æneæ magni de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Nero enim matrem sustulit, id est occidit: Æneas vero patrem Anchisem in humeros sustulit, ut eum ex excidio Trojæ educeret.

Sic lusit in voce *extinguere* Argeus faciens iter per Selinuntem. Cum enim in monumento quodam hoc elegiacum carmen vidisset scriptum:

Hæc extinguentes, Mars, forte tyrannida, sævus
Pone Selinuntis mœnia, stravit humi.

« Jure peristis, inquit, qui tyrannidem ardentem conati sitis extinguere: contra oportuit illam sinere, donec tota deflagaret. » Arripuit jocum ex occasione verbi *extinguere*: *extinguitur enim quod opprimitur; et extinguitur incendium, dum rebus omnibus combustis desinit.*

Allegorice Leo Castrius: Judæi, inquit, qui olim erant *Ariel*, id est leo Dei, jam erunt Ariel, id est leo contra Deum; quia Christum agnum Dei, imo Deum, Deique Filium occident et crucifigent. Unde de eo dicitur *Psalm. xxii, 14*: « Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens; » et vers. 22: « Salva me ex ore leonis. »

3. CIRCUMDABO QUASI SPHÆRAM IN CIRCUITU TUO, — *Vers. 8.* id est circumquaque, ait Vatablus, per Chaldæos instar spheræ vel coronæ cingam et obsidebo te. Septuaginta pro *כֹּדֶד caddur*, id est *quasi spheram*, legunt *כֹּדֶד caddavid*, mutatis punctis, et pro *resch* legendo ei affine *daleth*: unde vertunt, *et cir-*

cum dabo sicut David super te, q. d. Sicut David ob-
sedit et expugnavit Sionem, ita ego te, o Jerusa-
lem, o Sion! obsidebo et expugnabo.

Vers. 4. 4. DE TERRA LOQUERIS, etc., ET ERIT QUASI PYTHONIS DE TERRA VOX TUA, — *q. d.* O Sion, o popule Juda! qui antea attollebas cristas, et magno tonabas eloquio æque ac supercilio, jam in vastitate petes cryptas et cavernas, atque ibi ab hoste inventa et vulnerata ad mortem, gemes de terra in quam corrues, eritque vox tua quasi pythons, id est exilis et lugubris, qualis est spirituum vel umbrarum, quas python, id est necromanticus (python enim dicitur a πυνθάνομαι, id est interrogo, quod animas mortuorum evocet, et interroget secreta, quæ scire cupit) evocat ab inferis, et facit loqui sub terra, vel ex ventre hominis aut animalis (quæ proinde et ipsæ pythones vocantur); harum enim vox est gracilis, flebilis, hiuleca, confusa, gemebunda: talis erit et vox tua, o Sion! sub terra morientis. Sic Ovidius, libr. V *Fastor.*, ait de umbra Remi:

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

Et Virgilius de animabus, vel umbris principum Græcorum Æneæ in inferno occurrentium ait:

Pars tollere vocem
Exiguam; inceptus clamor frustratur hiantes.

Vers. 5. 5. ET ERIT SICUT PULVIS TENUIS MULTITUDO VENTILANTIUM TE. — Hoc est, copię Chaldæorum ventilantium et exagitantium Judæos erunt innumeræ, celerrimæ et violentissimæ instar pulveris, qui a turbine, et favillarum, qui in incendio a vento excitantur. Ita S. Hieronymus. *Secundo*, et melius, *q. d.* Chaldæi, qui « contra te » o Sion! « prævaluerunt, » teque ventilaverunt, mox a tua clade Deo vindice conterentur et dissipabuntur, sicut pulvis et favillæ a vento dissipantur et evanescent. Ita Adamus, Sanchez et alii. Digreditur hic Propheta, incipitque vaticinari contra Babylonios eversores Judæorum, pergittque in eo usque ad versum 9 (1).

(1) Fere omnes interpretes his quatuor versibus Isaiam depingere repentinam hostium dissipationem atque interitum existimant, ut ipse noster Cornelius; hæc forsitan præcipua causa fuit ob quam Calmetus et alii hoc vaticinium de Sennacheribi expeditione intelligendum censuit. Attamen sunt qui feliciori sensu, juxta nos, hæc cum superioribus ita connectant ut vates hic pergat in describenda obsidione urbis Hierosolymitanæ, et qui comparisonem cum pulvere unice referunt ad multitudinem hostium urbem coarctantium et veluti nebula quædam pulveris, terram operientium. Ego, inquit Forerius, certe obscura esse fateor quæ hic dicuntur, et hostibus Israelis, maxime Assiriis, qui ab angelo Domini percussi sunt, posse aptari, si superficiem verborum attendas, non dubito. Obscuritatem tamen a Propheta affectatam existimo, ut post hos versus videbis: et hæc ut pro hostibus et contra Jerosolymam dicta accipio.

Hæc est etiam Berthieri sententia, qui eam stabilire conatur, vers. 7 et 8, sic exponendo: Hunc esse Prophetæ

6. VISITABITUR IN TONITRUO ET IN COMMOTIONE Vers. 6.
TERRÆ. — Aliqui hæc referunt ad Jerusalem: unde Adamus putat esse catachresin, qua tantum significetur crudelissimum fore hoc ejus excidium; aut, ut Vatablus et Castrius, quod proprie tonitrua, terræ motus, etc., in expugnatione Hierosolymæ contigerint, licet in Scriptura non narrentur. Sic enim Josephus, libr. VII *Belli*, cap. XII, narrat, ante obsidionem Titi, in Jerusalem visa esse in aere prælia et currus equorum, cometem gladium, vocem Angelorum dicentium: « Migremus hinc; » portæ templi gravissimæ commotionem et apertionem ultroneam. Verum, ut dixi, hæc usque ad versum 9, spectant Babylonios, non Judæos, *q. d.* Babylonii instar pulveris et favillæ dissipabuntur; quia Deus eos quasi tonitruis concutiet et exanimabit, terræ quoque horribili motu terrebit, turbine et procella vehementi convolviet, et desuper erumpente flammæ consumet. Quando, et quomodo hæc facta sint, Scriptura non narrat. Quocirca *secundo*, certius et verius hæc accipiemus per catachresin, ut tantum significant acrem et gravem fore plagam Chaldæorum: hanc enim, qualiscumque ea sit, in Scriptura significat ignis, gladius, tonitru, terræ motus, turbo et procella; præsertim, quia hæc hominibus afflictis, pavidis et attonitis in mente et phantasia observantur, ut undique omni plaga se feriri putent, juxta *Can.* XXXII.

7. ET ERIT SICUT SOMNIUM, — *q. d.* Chaldæi vi- Vers. 7.
tores Judæorum non ditabuntur, nec diu lætabuntur: nam instar somni evanescent tam ipsi quam eorum opes et spolia quæ a Judæis retulerunt. Sic et Vespasianus ejusque filius Titus, qui Hierosolymam everterunt, cito perierunt, ut patet ex Dione et Suetonio. Ita S. Hieronymus. Unde Ambrosius, libr. *De Joseph*, cap. VI, ex hoc loco docet, bona et delicias hujus mundi, ut somnium nos pascere: quia postquam transierunt, æque famelicos nos relinquunt; sicut qui somniat se comedisse, post somnium inanem se reperit. Sic recte dixerunt Plato et Philo: « Spes mortalium sunt somnia vigilantium. » Sic dæmon magis et sagis sæpe illudit, et per eorum præstigias aliis, ut putent se mira videre, mire epulari, esse in

sensum, inquit, ex versibus immediate sequentibus constat, quæ ex omnium confesso, Jerosolymæ incolas respiciunt. In iis enim Isaias quasi ad ebrios non a vino, sed a stupore et in gravi sopore demersos loquitur, ita ut nec videre nec intelligere queant. Porro hi duo versus 7, 8, hunc exitiosum statum prænuntiant. Gentium multitudo circa Jerusalem coacervata Judæis apparebit quasi somnium, quod præter spem venerint, remque citissime confecerint, moxque omnia disparuerint tanquam somnium. Periculum eis imminens ne quidem præsentient, vel se illud evasuros confident; quam fiduciam quanto vanam esse mox hostium victoria ostentabit.

Hæc igitur expositio sicut Forerius et Berthiero, magis nobis arridet, quippe quæ et sibi perpetuo constat, et superioribus et sequentibus cohæret: quam etiam ex parte alii interpretes attingunt, ut notat Forerius; sed nequaquam usque ad finem persequantur,

conviviis omni deliciarum genere instructissimis: at, paulo post desinentibus præstigiis, quibus dæmon phantasie eorum illudit, omnia evanescent, et ipsi se inanes ac famelicos reperiunt, videntque se vere non comedisse.

Vers. 9. 9. **OBSTUPESCITE.** — Redit ad Judæorum vastitatem: ad Judæos enim hæc pertinere docet Christus *Matth.* cap. xv, 8, ubi ex hoc Isaie loco Judæos arguit dicens: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. » Assurgit hic zelosus Propheta ad tertium concionis tonum, *q. d.* O stupidi, fluctuantes, cæci, et non vino, sed vesania ebrii illusores Judæi, tum moderni, tum futuri tempore Christi: Deo nimirum juste vos ob peccata hac cæcitate puniente.

Vers. 10. 10. **QUONIAM MISCUIT VOBIS DOMINUS SPIRITUM SOPORIS.** — Pro *soporis primo*, Chaldæus vertit, *erroris*; *secundo*, Theodotion, ἔσθρασαν, id est *mentis excessum*; *tertio*, Aquila, κατασφοράν, id est *gravem somnum*. Hebræum enim תרדמה *tardema* significat altissimum soporem, et quasi veternum, qui homini oculorum et aurium usum omnemque sensum adimit, qualis fuit ille immissus Adæ, ita ut non senserit sibi costam detrahi, ex qua formata est Eva, *Genes.* cap. ii, et sopor immissus Jonæ; cap. i, 5, et Abrahæ, *Genes.* cap. xv, vers. 12. Unde *quarto*, Septuaginta vertunt, κατανύξιν: videntur enim ipsi κατανύξιν posuisse pro κατανώστειν, id est *soporatione*, ut vult Leo Castrius. Noster tamen Interpres, *Rom.* xi, 8, vertit, « *compunctionis*, » non illius quæ animum pungit, et ad poenitentiam ducit, sed potius illius quæ mentem in malo transpungit et defigit. Vide ibi dicta. « *Compunctionis* » ergo, id est *pertinaciæ in malo defixæ*. Unde sequitur:

CLAUDET OCULOS VESTROS, PROPHETAS ET PRINCIPES VESTROS, QUI VIDENT VISIONES, OPERIET, — *q. d.* Deus excæcabit corda vestra, velabit et operiet vobis Isaiam, aliosque Prophetas, ne eos intelligatis. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius. Vide *Can.* XXVII. *Operire enim Prophetas*, est ita occultare illorum sensa, ut, etiamsi eos audias aut legas, non intelligas, sed videaris tibi legere Hebræa aut peregrina, aut sicut in libro signato, ut sequitur. Quod subdit, « *principes vestros*, » per congeriem additum est, ut patet ex eo quod sequitur: « *qui vident visiones*; » frequens enim erat apud Judæos, ut duces et principes populi visiones et revelationes a Deo acciperent, essentque Prophetæ. Ita Adamus.

Secundo, Forerius putat esse appositionem, et per « *oculos vestros* » intelligi « *Prophetas et principes vestros*. » Sunt enim Prophetæ, inquit, oculi populi, per quos videt: sicut sol dicitur « *oculus mundi*, per quem videt omnia tellus. » Est ergo irati Dei signum, ut sæpe in Scriptura dicitur, Prophetas auferre, et facere ut populus doctore careat; neque minus id molestum esse hominibus deberet, quam corporis oculis privari. Sic *pro principes hebraice est capita vestra*, quia prin-

cipes toti populo quasi capita prospiciunt, ipsumque moderantur. Dixit quoque « *operiet*; » persistens in metaphora capitis: qui enim obvolutum habent totum caput, nihil vident. Ergo pro peccatis populi, Prælati ac principes occæcantur, ne intelligant quæ toti corpori, id est reipublicæ providere oporteat. Qui ergo errores principum notant et illis obtrectant, consultius agerent, si peccata sua deflerent, ex quibus obtenebratio principum ortum sæpe habet. Hucusque Forerius, sic et Vatablus.

Tertio, alii accipiunt hæc de falsis prophetis: his enim Deus operit oculos, ut ex spiritu erroris et mendacii falsa prophetent.

Verum primus sensus est genuinus: loquitur enim de veris Prophetis, qui habebant operculum seu velamen, ut, cum legerentur a Judæis, non intelligerentur: hoc est enim quod sequitur:

11 et 12. **ET ERIT VOBIS VISIO OMNIUM SICUT VERBA LIBRI SIGNATI** (*q. d.* Scripta et oracula Prophetarum erunt vobis tam obscura, abscondita et non intellecta, ac si essent verba libri obsignati, complicati et clausi, quem cum dederint iis qui scientiam legis profitentur, videlicet Scribis, Pharisæis et Rabbinis, dicentque): **LEGE** (et interpretare nobis vaticinia hujus libri et Prophetæ, respondebunt): **NON POSSUM; SIGNATUS EST ENIM** (si vero dederint eum nescienti litteras, id est indocto et rudi populo ad legendum, respondebit): **NESCIO LITTERAS,** — *q. d.* Oracula hæc tam sapientibus, quam insipientibus, erunt abstrusa et incognita. *Secundo*, « *signalus*, » id est scriptus per arcanas notas, characteres et signa, ita ut legi nequeat nisi ab eo, qui arcanam notarum artem calleat, quomodo veteres notarii Romani per ciphras aliaque signa scribebant omnia dicta Martyrum et tortorum. Ita Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. xiii. De hisce signis ait Martialis, lib. XIV, *epigram.* 179:

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

13. **EO QUOD APPROPINQUAT** (Causam hic dat excæcationis Judæorum; quia scilicet Deum nominabant et honorabant ore tenus, corde vero erant ab eo elongati et aversi); **ET TIMUERUNT ME MANDATO HOMINUM ET DOCTRINIS.** — Id est coluerunt (timere enim Deum, est Deum revereri et colere) me non juxta id quod a me præceptum est, sed juxta hominum et Scribarum suorum traditiones, partim fuitiles, partim perversas, et meæ legi contrarias, ut cum filios docerent parentibus egenis dicere *corban*, *Matth.* cap. vii, 11.

Nil ergo hic habent hæretici, quod opponant traditionibus Ecclesiæ: hæ enim sunt mandata, non hominum, sed Christi, qui vel per se, vel per Apostolos, eorumque successores (de quibus ipse dixit: « *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* ») ea sanxit, et tradidit Ecclesiæ.

Vers. 11.

Vers. 12.

Vers. 13.

Spiritus
soporis
quis.

Nota congrue et juste illusores hos puniri : sicut enim ipsi labia sua tantum dabant Deo, eum ore laudando, cor vero dabant vanitati et mundo : ita Deus vicissim dabat eis litteras tantum, scilicet voces et corticem Scripturarum quasi litteram occidentem ; medullam vero, animum scilicet, spiritum et sensum eorum eis adimebat, ut eum non gustarent. Ita apposite Sanchez.

Adverte : Septuaginta, quos sequitur Christus *Matth.* cap. xv, 9, addunt $\mu\alpha\rho\tau\eta\nu$, id est *gratis*, frustra, sine causa, quia hoc intelligitur, vel potius legitur in Hebræo. Licet enim jam legant : ותהו ורתהו יראתים אתי מצות אנשים מלמדא *vattehi iratam othi mitsuat anascim melummada*; id est, *et erit timor eorum me præceptum hominum edoctum*; tamen verba hæc videntur absona sensuque carere, nisi $\tau\acute{o}$ me exponas *erga me*, et eradunt $\tau\acute{o}$ $\mu\alpha\rho\tau\eta\nu$, id est *sine causa*, cui argumenti Christi vis innititur. Igitur cum Septuaginta et Christo unica littera *i*od in vicinam *vau* protracta, sic aliis punctis legendum est : ותהו ורתהו יראתים אתי מצות אנשים מלמדא *vetohu ieretim othi mitsuot anascim malmada*, id est, *et in vanum timuistis (id est coluistis) me præceptis hominum et doctrina*.

14. ADMIRATIONEM. — Chaldaice, *percussionem*.

PERIBIT ENIM. — Septuaginta et ex iis S. Paulus vertunt : *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo*. Hoc est miraculum, quod dixit : sapientia enim est sapientis; ergo quasi miraculum est separare et divellere sapientiam a sapiente; perinde ac si visionem ab oculo, albedinem a cycno, dulcorem a saccharo divelleres, maxime si hæc ad alia et adversa transferres, v. g. si dulcorem in absynthio, albedinem in corvo, visionem in lapide collocares, vti fecit hic Deus : nam sapientiam hanc a sapientibus Judæis transtulit ad insipientes, cæcos et surdos Gentiles, ut dicitur vers. 18. *Sapientiam*, intelligit Pharisaicam et Rabbinicam, *q. d.* Faciam ut Judæorum magistri, qui præ cæteris videbantur sapere, fiant insipientes, et stolide desipiant, dum suas doctrinas et mandata hominum pro doctrina et lege Dei substituent. Paulus idipsum extendit ad sapientiam Gentilium, v. g. Stoicam, Platoniam vel Epicuream : hæc enim vana est : nec hominem bonum efficere, aut ad beatitudinem perducere potest : ista enim in Evangelio et Christo crucifixo posita est, ubi proinde tantum invenire est veram et Christianam, uti docet S. Paulus.

15. VÆ QUI PROFUNDI ESTIS CORDE, UT A DOMINO ABSCONDATIS CONSILIUM. — Hebraice, *Væ qui profundatis*, vel, ut Vatablus, *in profundum vos abstruditis*, *q. d.* Væ qui adeo profunda et secreta initiis consilia, ut putetis ad ea pervidenda non posse penetrare Dei oculos, sed ea ab illis abscondi (1).

(1) Certe cum sapientes Judæorum intelligerent Dominum Jesum esse hæredem a Deo missum, cum adven-

Nota, « abscondatis, » id est abscondi putetis, vel practice, vel etiam speculative : significatur enim actus non realis, quia hic est impossibilis, sed mentalis, juxta *Can.* XXIX.

Ecce quo sapientum et illusorum impietas et insipientia devenit, ut dicant : Non est Deus, non est iudex, non est vindex scelerum; ut ita libere in omnes veneres et scelera ruant. Sic *Job* cap. xxii, 14, dicunt impii : « Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat; » et *Ezech.* cap. ix, 9 : « Iniquitas domus Israel et Juda, magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione : dixerunt enim : Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. »

QUORUM SUNT IN TENEBRIS OPERA, — qui lucem fugiunt, tenebras quærent, ut pudenda faciant, quæ homines et Deum celent, id est celare se putant.

16. QUASI SI LUTUM, — *q. d.* Isti impii et athei, negantes Dei scientiam et providentiam, faciunt perinde ac si lutum cæcum diceret figulo : Tu non habes oculos, non habes scientiam et artem me formandi, et ex me faciendi vas figulinum; unde ait : « Non intelligis, » Chaldæus, *non intelligis me*; Septuaginta, *non sapienter fecisti me*.

17. NONNE ADHUC IN MODICO ET IN BREVI CONVERTETUR LIBANUS IN CHARMEL, ET CHARMEL IN SALTUM REPUTABITUR ? — *q. d.* Post modicum et breve tempus Charmel, id est Judæa, a Chaldæis desolabitur, ut sit similis Libano monti inculto et deserto. Ita Sanchez.

Secundo et genuine, *q. d.* Post breve tempus, puta post 700 annos (hi enim modicum quid sunt in oculo Prophetæ elevato coram Deo, respectu æternitatis, ait S. Hieronymus, et respectu temporis quo duratura est lex Christi), « Libanus, » id est steriles et incultæ gentes colentur ab Apostolis, et fertiles fient bonorum operum per fidem et gratiam Christi : et e converso « Charmel, » id est ager ante fertilis, scilicet Judæi, olim sanctis Patriarchis, Prophetis et aliis viris probis abundantes, fient steriles, et in saltum infrugiferum et incultum degenerabunt. Nota : Prophetat hic Isaias reprobationem Judæorum et vocationem Gentium. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus et Castrius, qui et addunt « Charmel » significare Judæam, quia Carmelus mons est in Judæa, isque fertilis, unde in Scriptura symbolum est fertilitatis, de quo *Jerem.* ii, 7, et quia *Charmel* Hebraice componitur ex כר *car*, id est, *agno*, et מול *mol*, id est, *circumciscus est*; unde si-

tus ille eis displiceret, tanquam si Deus errasset, possetque ipsi sua inani prudentia Dei decreta subvertere, consilium inierunt ut eum occiderent, quo hæreditas ab eorum manibus nunquam auferretur. De *consultationibus* ergo *adversus Dominum et adversus Christum ejus* est sermo. In quam stultitiam eos prolapsos intelligo ob hypocriticam justitiam : specimen enim jam suæ cæcitatæ atque ignorantæ vel hac una re exhibebant. (Forerius.)

Libanus
significat
Gentes,
cur?

gnificat sacrificia, et circumcisionem legemque veterem: « Libanus » vero significat Gentes. *Primo*, quia Libanus erat mons in Phœnicia, et habitabatur a Phœnicibus et Gentilibus. *Secundo*, quia, ut Libanus pinis, cedris aliisque thuriferis et odoriferis arboribus (unde *Libanus* dicitur לבנון *lebanon*, id est, *thus*, ait Masius); ita Ecclesia odore virtutum, et sanctitate illustrium virorum floret. *Tertio*, « Libanus » hebraice deduci potest אבן לבן *laban*, id est albus, quod albo thure vel nive semper albescat; unde per prolepsin sive anticipationem, significat Gentes baptismo Christi dealbandas. *Quarto*, לבנה *lebana* (unde Libanus) dicitur luna, quia candorem et lumen a sole accipit: ita Ecclesia lumen fidei accipit a Christo, qui est sol justitiæ, inquit Leo Castrius. Sed hoc alienius videtur: quid enim lunæ cum Libano monte?

Tropologice *Charmel*, id est homines mentesque quæ antea per diligentem culturam erant bonorum fecundæ, per acediam fiunt *Libanus*, id est steriles, nivosæ, algidæ. Rursum, si Libanum pro monte, *Charmel* pro planitie capias, sic exponas, *q. d.* Sensus superbi humiliabuntur, humiles exaltabuntur, hoc est, fient aspera in vias planas. Rabbinicas interpretationes videre est apud Pagninum in voce כרמל (1).

Vers. 13. 18. ET AUDIENT IN DIE ILLA SURDI. — *Surdi* et *cæci* hic vocantur Gentiles, ob ignorantiam et tenebras infidelitatis; sed hi per Christum audierunt, viderunt et intellexerunt verba libri, puta oracula sacræ Scripturæ et Prophetarum, quæ Judæis fuerunt velata et incognita. Ita S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus, Theodoretus et passim alii. Hoc est quod ait Christus, *Joann. ix*, 39: « In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. » Ecce hoc est miraculum, quod dixit vers. 14, scilicet quod per Christum doctores facti sunt stupidi et rustici, atque piscatores et rustici facti sunt sapientes et doctores.

Vers. 19. 19. ET ADDENT MITES IN DOMINO LÆTITIAM, — *q. d.* Gentiles mansuefacti per Christum, qui miti animo obedient Evangelio, illique se formandos et docendos committent, hic « addent, » id est augebunt, Ecclesiæ « lætitiæ: » iidem « pauperes » tum censu, tum spiritu; tum qui antea inopes fuerant fidei et gratiæ, ac peccatis quasi ære alieno

(1) Hanc rerum vicissitudinem his versibus aperit Isaias quam Apostolus non semel attingit, præsertim *Rom. xi*, ubi « diminutionem Judæorum dicit divitias fuisse mundi, » etc. Nec aliud est illud Evangelii: « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus: » et in *Actis*: « Vobis oportebat primum prædicari regnum Dei; sed quia repellitis illud, et indignos vos iudicatis, etc., ecce convertimur ad gentes. » Et quidem si mysterium hoc velatum erat et a sæculis occultum, gentes esse coheredes et participes, » etc., multo majoris admirationis erat, exclusis et præcis Judæis, inseri gentes, etc. Hanc vicissitudinem significavit Evangelicus hic Propheta *commutatione Carmelis*, quæ erat fertilissima regio, in *Libanum*, (Forerius.)

a diabolo oppressi; hi jam per Christum iis liberati « exsultabunt in sancto Israel, » id est in Deo, qui veros Israelitas sanctificat, et ab iis colitur. Ita Christus ait: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. »

20 et 21. QUONIAM DEFECIT QUI PRÆVALEBAT. — Id est, quia princeps hujus mundi, scilicet diabolus, qui superbissime eis illudebat, dejectus est. *Secundo*, et proprie, *q. d.* Quia Judæi qui erant administri diaboli, ac Gentibus in religione et scientia usque ad Christum prævalebant, quique erant illusores Prophetarum, dicentes: « Manda remanda, » etc., defecerunt), ET SUCCISI SUNT (a Tito): QUI VIGILABANT SUPER INIQUITATEM (id est qui toti erant intenti ad malum, ut summo mane non aliud cogitarent, quam quomodo die et nocte explerent suas cupiditates): QUI PECCARE FACIEBANT HOMINES IN VERBO (quo scilicet docebant alios doctrinas et mandata hominum, non Dei; quoque homines a pietate et cultu Dei avertabant, per suas adulationes, mala consilia, minas et subsannationes): ET ARGUMENTEM IN PORTA SUPPLANTABANT (id est Prophetas, qui eorum scelera in portis, id est publice etiam coram iudicibus (iudicia enim fiebant in portis urbium) et principibus arguebant, irridebant, vexabant struendo eis calumnias, et falsas accusationes, quibus eos ad damnationem et mortem adigebant. Sic enim occiderunt Amos, Jeremiam, Isaiam, Zachariam et alios): ET DECLINAVRUNT FRUSTRA (temere, sine causa) A JUSTO, — id est ab æquitate et justitia; vel potius « a justo » adjective (hoc enim significat Hebræum, יָסַדִּים *tsaddic*), id est ne audirent justos, scilicet Prophetas juste eos arguentes, et maxime Christum, qui est justus justorum, ait S. Hieronymus.

22. QUI REDEMIT ABRAHAM, — qui Abraham liberavit et eduxit de Ur Chaldæorum.

NON MODO CONFUNDETUR. — *Primo*, Cyrillus et S. Thomas exponunt, *q. d.* « Non modo confundetur, » id est pœnitentiam aget Israel pro peccatis suis, et pro Christo occiso, sed in fine mundi, cum plenitudo Gentium in Ecclesiam intraverit: tunc enim agnoscens sua scelera confundetur et pœnitebit.

Secundo, Procopius, Adamus et Pintus hæc accipiunt de Gentibus, *q. d.* Jacob, id est Jacobæi, sive Judæi confundentur non modo, id est non tempore Isaiæ, sed tempore Christi, « cum » videbunt « filios suos, » id est Apostolos, ex sua prosapia prognatos sanctificare, id est prædicare et celebrare nomen Domini, ejusque Christi. Apostolos vocat opera manuum Dei, puta Christi, quia Christus eos ante rudes in Apostolos instruxerat, et formaverat. *Sanctus Jacob* et *Deus Israel* vocatur Christus, quia ortus est ex Jacob, et quia Jacob omnesque Jacobæi sancti a Christo suam sanctitatem acceperunt. Hic sensus est genuinus.

Tertio, Forerius exponit: « Non confundetur Jacob, » *q. d.* Gentium conversio Jacobo et Judæis

non erit pudori, sed gloriæ; quia gentes per fidem in Abrahami, Jacobi et posterorum familiam aggregatæ, eandem augebunt tum numero, tum gloria.

Vet. 24

24. ET SCIENT ERRANTES SPIRITU, — id est mente, animo, intellectu. Lyranus, Forerius, Adamus et alii hæc accipiunt de Gentilibus: hi enim errabant in cultu et natura deorum: hi etiam vocantur *mussitatores*, id est murmuratores et irrisores Judæismi et Judæorum, quos magnis conviciis afficiebant, ut patet ex Tacito, Martiali et Juvenali, *satyr. 14*, ubi inter cætera ita Judæos ridet:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes et cœli rumen adorant.

Verum per Apostolos edocti acceperunt intellectum, id est intellexerunt quare Deus coli velit, quæ sit vera Dei religio et cultus; nimirum acceperunt fidem et legem Christi, qua cum Judæis in unam religionem et Ecclesiam conspirarunt.

Secundo, S. Thomas, Cyrillus, Sanchez et alii aptius hæc accipiunt de Judæis (de his enim agitur immediate ante), qui videntes per Apostolos tot Gentiles converti, conversi sunt et ipsi ad Christum: Judæos enim toto hoc capite vocavit *errantes, mussitatores*, id est murmuratores contra Deum, et illusores Prophetarum; sed hi ab Apostolis edocti facti sunt intelligentes, laudatores et prædicatores Dei et Christi.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est prophetia contra Judæos, qui post 150 annos, tempore Jeremiæ, occiso ab Ismaele Godolia, timentes Chaldæos qui cum Judææ præfecerant, ne ejus necem vindicarent, fugerunt in Ægyptum contra præceptum Dei, uti narrat Jeremias cap. XLII et XLIII. Ita S. Hieronymus et Cyrillus, Theodoretus, Procopius, et patet ex seqq. Lyranus et alii putant esse prophetiam contra Judæos, qui sub Sennacherib vastante Judæam, opem ab Ægyptiis petendam censebant: et sunt in hoc cap. quæ huic sententiæ favent, quæ recenset Sanchez tum hic, tum num. 40. Verum verius est hæc spectare tempora Jeremiæ et Chaldæorum, uti dixi: unde, vers. 8, jubet ea scribi in buxo, quasi diu post futura. Secundo, vers. 9, arguit eos, qui a Prophetis cupiunt audire placentia, licet falsa et perversa. Tertio, vers. 19, sub typo sanctitatis et felicitatis regni Ezechicæ, describit sanctum et felicis regnum Christi. Quarto, vers. 26, transit ad diem judicii, aitque quod tum sol et luna septuplo clarius lucebunt. Denique, vers. 30, docet impiis præparatam esse Topheth et gehennam ignis.

1. Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me: et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: 2. qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Ægypti. 3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. 4. Erant enim in Tani principes tui, et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt. 5. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium. 6. Onus jumentorum Austri. In terra tribulationis et angustiae læna, et leo ex eis, vipera, et regulus volans, portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. 7. Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur: ideo clamavi super hoc: Superbia tantum est, quiesce. 8. Nunc ergo ingressus: scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in æternum; 9. populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. 10. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. 11. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. 12. Propterea hæc dicit sanctus Israel: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia et in tumultu, et innixi estis super eo: 13. propterea erit vobis

iniquitas hæc sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus. 14. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida : et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. 15. Quia hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel : Si revertamini et quiescatis, salvi eritis : in silentio et in spe erit fortitudo vestra. Et nolulistis : 16. et dixistis : Nequaquam, sed ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo velociore erunt, qui persequentur vos. 17. Mille homines a facie terroris unius : et a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis, et quasi signum super collem. 18. Propterea exspectat Dominus ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus : beati omnes qui exspectant eum. 19. Populus enim Sion habitabit in Jerusalem : plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi. 20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum : et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. 21. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. 22. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei : 23. Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra : et panis frugum terræ erit uberrimus, et pinguis ; pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiosæ : 24. et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commixtum migma comedent sicut in area ventilatum est. 25. Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum cum ceciderint turrets. 26. Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septemplex sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum, labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans. 28. Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. 29. Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel. 30. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis : allidet in turbine, et in lapide grandinis. 31. A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus. 32. Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et citharis : et in bellis præcipuis expugnabit eos. 33. Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam (1).

1. VÆ, FILII DESERTORES, — væ Judæis, qui deserto et spreto Dei consilio, quod acceperunt per Jeremiam, ut non fugiant Chaldæos in Ægyptum,

(1) Ut observat Cornelius in supra posita synopsi, duæ sunt sententiæ de tempore historiæ Judaicæ, ad quod istud vaticinium referri debeat. Alii, et satis plurimi asserunt, postquam Ezechias a rege Assyrio defecisset, IV Reg. xviii, 7, multos Judæorum metuisse sibi et de securitate sua cogitasse, præsertim cum fama percrebesceret, regem Assyrium expeditionem in Ægyptum moliri, qua Judæa ipsi transeunda erat. Itaque plures Judæorum proceres de fœdere cum Ægyptiis ineundo cogitasse dicunt, qui soli pares Assyriorum potentiæ existimabantur, eosque Judæam ut suum ipsorum propugnaculum defensu-

sed maneant in patria sua, secuti sunt suam voluntatem, fugeruntque in Ægyptum.

ET ORDIREMINI TELAM, ET NON PER SPIRITUM MEUM

ros esse sperari potuit. Atque quo tempore Sennacheribus expeditionem in Judæam suscepit, initum esse tale fœdus cum Ægyptiis, vel de eo transactum esse ex verbis ducis exercitus Assyriaci (xxxvi, 6, 9 ; IV Reg. xviii, 21) colligi posse existimant.

Attamen, ut bene notat Berthierus, unum est in Scriptura, et quidem indirectum argumentum fiduciæ quam Ezechias regi Ægypti adjunxisse supponitur, scilicet hæc Rabsacis Sennacheribi ducis verba : « In quo confidis, ut audeas rebellare ? An speras in baculo arundineo atque confracto, Ægypto, super quem si incubuerit homo, com-

(id est, ut inchoaretis opus hoc fugæ, me non inspirante, sed reclamante), UT ADDERETIS PECCATUM, — ut scilicet pristina peccato novo inobedientiæ, contemptus et superbiæ augetis. In voce *tetam* innuit eos hac fuga sibi texere rete et laqueum, cui ita implicandi et involvendi sint, ut se extricare nequeant.

Vers. 2. 2. ET OS MEUM NON INTERROGASTIS. — Interroga-

minutus ingrediatur manum ejus, et perforabit eam? Sic est Pharo rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se! (IV Reg. xviii, 20, 21). Sed nullo modo hæc demonstrant Ezechiam reipsa fœdus cum rege Ægypti iniisse, illumque legatos in diversas Ægypti partes misisse, qui auxilium flagitarent. Inde tantum concludi potest Rabsacen nomine Sennacheribi loquentem, suum amplificasse sermonem, omnes circa regiones complectendo, quo Assyriæ potentiam exaltaret. Certe non absolute negandum Ezechiam de fœdere cum Ægypti rege ineundo cogitare potuisse, cum Sennacherib expeditionem contra Judæam moliri audivit, sed cum Isaïæ prophetia duobus vel tribus annis hanc expeditionem præcesserit, rectene credi potest, Ezechiam aliunde tanta pietate præditum, de perficiendo consilio ex diametro huic prophetiæ opposito cogitasse, justis Dei mandatis non obtemperasse, suoque exemplo totam gentem ut in rege idololatra confideret persuasisset? Hanc difficultatem nullum interpretem solvisse notat Berthierus. Permulta tamen in hoc capite illi priori sententiæ favere fatendum est.

Alii igitur hoc vaticinium ad Judæos qui in Judæa post Jerosolymæ eversionem remanserunt, et qui contra Dei præceptum in Ægyptum fugerunt ut Chaldaeorum regis vindictæ se subtraherent, referendum existimant. Cui quidem sententiæ hoc adversari videtur, quod Judæorum hostis Assur vocatur, vers. 31, et insuper, quod Propheta de urbe Jerosolyma ut adhuc stante loquitur, dum Jeremiæ tempore eam eversam esse constat.

Quælibet ex his duabus sententiis probetur, agnoscendum est hæc typum fuisse status illius quem Judæorum respublica habuit, quando, contempto Dei verbo, Filio Dei Christo Domino, se non habere regem nisi Cæsarem dixerunt, hisque ac similibus nugis se protexerunt. Quoad ultimam hujus capituli partem in sensu litterali secundo et sublimiori de regno Christi et de extremo die iudicii intelligendam esse pro certo tenendum est.

Primo igitur, Isaïas improbat fugam a Judæis ad Ægyptios captam, quia consilium hoc, primo, Deo inconsulto et cum spe vana susceptum, 1, 2; secundo, populo Dei probrosum, sive quod rex Ægypti auxilium poscentibus negaturus esset, Assyriorum potentiam ipse metuens, sive quod illud condiceret, nec tamen præstiturus esset effectum, 3, 4; tertio, eidem inutile, imo noxium, 5-7.

Secundo, contestatur desuper Propheta mandatum sibi a Deo commissum, ob voluntariam populi incredulitatem, obsignare hanc suam orationem tam in tabula publice exponenda, ut illi inscripta ab omnibus legatur, quam in volumine membranaceo, quale majore cura tuto in loco repositum in longum servari possit in usum et memoriam posterorum, 8-11; moxque internuntium agens, scelus Judæis exprobrat, et poenam tum repentina, tum extremam intentat, 12-14; et invitis licet exhortationibus refractariam populi contumaciam, ac securam hinc extirpationem exaggerat, 15-17.

Tertio, sequitur promissio consolatoria, primo, de Dei longanimitate et ad miserandum propensione, quæ moratur in exercenda gratia, quia delicti gravitas repentina gratiam non fert secundum rationes justitiæ divinæ, 18, 19; secundo, de institutione, spiritum in corporis difficultatibus confortatura, et contra idololatriam armatura,

verant os et voluntatem Domini, ut patet Jerem. xlii, sed eam sequi noluerant. Est ergo metalepsis: « non interrogastis, » id est interrogando non estis mihi obsecuti: quia perinde est consulta non facere, ac non adhibere consultationem. Sic non audire dicitur, qui non obedit; et nescire, quem scientia et cognitio in recte operando non dirigunt. Ita Sanchez. Vide Can. LV.

IN UMBRA ÆGYPTI. — Septuaginta, ut protegimini ab Ægyptiis; est metaphora ab umbra arborum, quæ viatores ab æstu protegit.

3. ET ERIT VOBIS FORTITUDO PHARAONIS IN CONFUSIONEM. — Nam Nabuchodonosor persecutus est Judæos in Ægyptum, ibique eos cum Ægyptiis cecidit, Jerem. xlii, 15 et seq.

4. ERANT ENIM IN TANI PRINCIPES TUI. — *Tanis* Vers. 4 erat regia Pharaonis, ubi Moses coram eo fecit sua portenta, Psal. lxxvii, vers. 43. Sic Hanes, ait S. Hieronymus, erat ultima civitas Ægypti juxta Æthiopas et Blemmyos. Significat Propheta Judæos præmississe nuntios, scilicet aliquos e principibus suis ad Pharaonem, qui ab eo peterent veniam, et locum Judæis omnibus, Chaldæos fugientibus, in Ægypto commorandi.

Nota: Pro nuntii tui Septuaginta vertunt, *Angeli mali frustra laborabant ad populum*. Quod S. Justinus, *Contra Tryphonem*, et Procopius accipiunt de dæmonibus, qui magis Pharaonis opem tulerunt, ut ederent miracula, quibus cum Mose contenderent. Verum hic non agitur de tempore Mosis, sed Jeremiæ.

5. CONFUSI SUNT, — confundentur: sic et sequentia præterita per futurum sunt exponenda; sunt enim verba prophetica, ut patet ex præced. et seq.

6. ONUS JUMENTORUM AUSTRI. — Septuaginta vertunt, *visio quadrupedum in deserto*; hocque quasi titulum sequenti prophetiæ præfigunt. Porro non est hic nova prophetia, sed prosecutio prioris contra Judæos, Deo invito fugientes in Ægyptum. Patet ex seq. Præcedentia ergo huc usque fuerunt quasi præfatio, et narratio præambula ad sequentem prophetiam, cujus hic ponitur titulus. Ita S. Hieronymus (1).

20-22; tertio, de fertilitate terræ, fecunditate gregum, irrigatione collium, et benignitate siderum fulgentissima, quæ omnia imprimis spiritaliter sunt accipienda, 23-26; quarto, de vindicta in populi Dei hostes effundenda, per hypotyposin, Dei ad punitionem proruentis, 27, 28; Judæorum lætantium, et divinam ultionem prædicantium, 29, 30; Assyriorum adeoque omnium hostium pavore concussorum, expugnantorum, et ad ignem damnatorum, 31-33.

(1) Calmetus hunc titulum, « onus jumentorum Austri, » nec necessario nec opportune hic positum, ab aliquo Judæo additum putat. Rectius Vitringa observat ex verbo *אשור*, quod Propheta in hoc ipso versu usurpat, et ex toto orationis tenore, apparere, *אשור* intelligendum esse de onere, quod portaretur a jumentis; et vertendum esse, quod attinet ad onus, quod a jumentis Austrum versus portatur. Idem, inquit Rosenmuller, quod incepit, argumentum persequitur Jesajas, *vanamque spem de*

Jumenta Austri sunt Judæi, cur? Hos ergo Judæos vocat *jumenta* : primo, quia stolidè et brute deserto Deo, cujus toties, adeoque recenter nunc opem, nunc vindictam erant experti, ad Ægypti regem et idola confugerunt. *Secundo*, quia bonis suis, quæ ex excidio Judææ extulerant, incedebant onusti, quasi jumenta. Dicuntur *Austri*, quia Judæa ad Austrum, id est ad Meridiem, est confinis deserto, quo itur in Ægyptum, et quia fugiebant in Ægyptum, quæ Judææ est ad Austrum. Ita S. Hieronymus et alii, *q. d.* ait Forerius, « onus, » id est prophetia minax et dura in Judæos, qui contra Dei voluntatem, quasi jumenta bonis suis onerati versus Austrum, id est versus Ægyptum, proficiscuntur.

Mystice S. Bernardus, *De Onere jumentorum Austri*, serm. 11, etsi minus apposite ad sensum litteralem : « Auster, ait, qui ventus est calidus, signat Spiritum Sanctum, sicut habes in *Cantico Canticorum* : Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum. Felix anima, quæ hujus Austri jumentum est, quæ freno moderationis hujus regitur, quæ in omnibus ejus subditur voluntati. Felix plane anima, cui Spiritus Sanctus præsidet, et omnia opera ejus dirigit, cogitationes ejus disponit, motus ordinat, moresque componit. De talibus scriptum est : Ubicumque erat impetus spiritus, illuc gradiebantur cum ambularent. De quibus Propheta : Viam fecisti in mari equis tuis. Hujus jumentum Austri Paulus erat, qui dicebat : Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est : ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Et videte quomodo jumentum Austri ubique regitur freno præsentis, » etc. Et mox : « Ille igitur qui jumentum est Austri, oneratur aliena infirmitate, oneratur aliena iniquitate, oneratur aliena necessitate et perversitate. Onus est esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægro-

Ægyptiis conceptam adhuc demonstrat. Legatos missos supra docuit, jam de muneribus loquitur, quibus rex Judææ Ægyptiorum amicitiam ac fœdera redimere studebat.

Terra angustiae et oppressionis Ægyptum designari contextus docet, eamque *terram angustiae et pressuræ*, ideo dici plerique putant, quod Israelitæ olim in ea vehementer vexati et afflicti fuerint. Mihi tamen probabilior est Vitringa sententia, Ægyptum hic ita vocari, quod reges Ægypti subditos et maxime servos hominesque sibi obnoxios, in terra alias æstu calente, ingente numero adhiberent, ad opera gravissima et monumenta exstruenda, qualia erant pyramides, colossi, sepulcra, labyrinthi, stagna, templa, cum amplissimis porticibus, sub quibus miseri ad ea ut ad lapidinas damnati valde gemebant ac sudabant, quod olim accidit Israelitarum majoribus Ægypti inquilinis. (Rosenmuller).

Cæterum, reges inferiores potentiorum auxilia petentes, per munera ipsos solitos fuisse adire, mos vetus est ex omni historia vetere at recentiore notus, præcipue tamen in Oriente usitatissimus; exempla vide I *Reg.* xv, 19; II *Reg.* xvi, 8; xviii, 14, 15. Ex iisdem liquet, munera illa præcipue constituisse *aurum* et *argento*, electisque proventibus, certe docet Oseas xii, 2, muneribus ab Ephraimitis in Ægyptum missis, adfuisse quoque oleum. Cf. *infra*, lvii, 9. (Idem.)

tantis, tentatio proficientis, casus deficientis. Sed et vos, fratres, qui fugistis ab Aquilone de medio Babylonis, et jam habitatis in terra Austri, alter alterius onera portate, et sic jumentum Austri adimplebitis legem Christi. » Et superius : « Jumenta Austri sunt, ideo onerantur ab Austro, » puta a Spiritu Sancto, cujus charitas diffusa est in cordibus nostris.

IN TERRA TRIBULATIONIS, — scilicet fuerunt, vel transierunt, *q. d.* Transierunt jumenta Austri, id est Judæi, terram tribulationis, id est desertum, in quo magna est rerum inopia, fames et sitis : unde, *Deuter.* xxxii, 10, vocatur locus horroris et vastæ solitudinis ; in quo rursus « leones ex eis, » scilicet terræ locis et antris prodeunt, qui viatores invadant ; pariter et « viperæ » et « reguli » ut patet *Deut.*, viii, 15, transierunt, inquam, Judæi « portantes super humeros jumentorum divitias suas : » sic enim hæc connectenda et explenda sunt. Ita Vatablus, Pagninus, Adamus et Sanchez, *q. d.* Videre mihi videor fugientes Judæos per desertum, atque jumenta et camelos eorum portantes dorsis suis opes, quas ex excidio Hierosolymæ extulerunt.

Secundo, Procopius per leonem, viperam, regulum accipit dæmones et numina Ægyptiorum : hæc enim coluisse Ægyptios docet Herodotus in *Euterpe*, *q. d.* Miseri Judæi, ut quid a Deo vero ad idola, imo ad bestias confugitis? v. g. ad Jovem Hammonium, quem colebant Ægyptiis specie capri. *Hammon* enim Ægyptiis caprum significat, teste Herodoto.

Tertio, S. Hieronymus, Haymo, Forerius, et favet Cyrillus, putant leonem, viperam, regulum hic vocari ipsos Judæos, *q. d.* Jumenta hæc, puta Judæi, qui sunt leoni, aspidi, reguli, feritate et venenata conscientia similes, in terra tribulationis, id est in deserto, ibant, portantes suas divitias per camelos in Ægyptum.

Mystice Origenes, homil. 16 *in Levit.*, et ex eo Cyrillus, per leonem, aspidem et regulum accipit dæmones, qui divitias deceptionum suarum, id est opes et voluptates, quibus homines decipiunt, collocant super dorsa camelorum et jumentorum, id est super animas stolidas et perversas. Porro aspis est serpens maxime venenatus, qui tenui morsu sine sensu et dolore, suavi somno (unde et somniculosus appellatur) hominem morte resolvit : tales rursus sunt voluptates et peccata, quæ cum suavi titillatione animam necant. Unde monet Origenes, et ex eo Castrius, ut quisque nostrum consideret quantas opes aspidum ante portaverit, divitiasque bestiarum in animo suo, ut peccare desistat, ni aspidis morsus persentiscere velit (1).

(1) Cæterum, cum hac Ægypti descriptione, quam vates noster exhibet, concinit fere Ammianus qui in Ægypto describenda versatus, postquam monisset *de pinnatis agminibus anguim qui ex Arabicis emergunt patulibus*, Ægyptum infestantibus, dein subjungit, *Histor.*

REGULUSVOLANS.—Hebraice *מְעוֹפֵפֵף שָׂרָף* *meopheph saraph*, id est volans serpens ignitus, sive prester, quales fuere illi immissi in Hebræos murmurantes, *Num.* II, 6. Vide dicta cap. XIV, 29 (1).

Vers. 7.

7. **SUPERBIA TANTUM EST, QUIESCE**, — *q. d.* In Ægypto nihil est nisi superbia, id est inanis opum et roboris ostentatio, ac «vanæ sine viribus iræ:» falleris ergo, o Judæe, qui speras in Ægypto! quare noli eo fugere, sed quiesce et remane in solo patriæ tuæ.

Vatablus et Rabbini ex Hebræo vertunt, *robur eorum quiescere*, sive *mansio et quies*, *q. d.* Salus et fortitudo istorum fugitivorum sita est in eo, ut maneant in Judæa, et non fugiant in Ægyptum.

Vers. 8.

8. **NUNC ERGO INGRESSUS**, — scilicet in cubiculum. Præcipitur hic non Jeremiæ postea nascituro, ut volunt Hebræi et Hugo; sed ipsi Isaïæ, ut populo hæc scribat super tabula, utpote post 150 annos futura, ut in die novissimo cum hæc evenerint, sciant esse prædicta, seque a Deo esse præmonitos, imo ut sit æternum quoddam testimonium, et divinæ erga eos curæ ac providentiæ, atque ipsorum obstinatæ malitiæ et profervæ contra tot monita et jussa Dei.

SUPER BUXUM, — Hebraice, *super tabula scriptoria*, quæ olim fere fiebat ex buxo, cujus lignum est imputribile, inquit S. Hieronymus, ut diutius et clarius exponi possit Judæorum oculis. Spectat enim remota Jeremiæ tempora, ut dixi. Sic ait Propertius, lib. III, *elegia* 3: «Vulgari buxo (id est tabulæ) sordida cera fuit;» et Prudentius, lib. IX in *Martyrio S. Cassiani*, a suis discipulis stylis et tabulis confixi:

Conjiciunt alii pugiles, inque ora tabellas.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis.

Cerata vocat, quia stylis scribebant in cera, qua

lib. XXII, cap. xv: «Serpentes quoque Ægyptus alit innumeras, ultra omnem perniciem sævientes, basiliscas amphibonas, et scytalas et acontias, et dipsadas, et viperas, aliasque complures, quas omnes magnitudine et decore aspis facile supereminens nunquam sponte sua fluente egreditur Nili. (Rosenmuller.)

(1) Regulus volans de quo loquitur Isaïas, multum risum præbuit Voltairio ejusque asseclis. Sed hodie constat multos olim exstitisse reptiles, et quidem giganteas, quarum species perierunt. His recentioribus annis, in Germania repertæ sunt reliquiæ fossiles cujusdam magni reptilis alati, cui pterodactyli doctissimus Cuvier nomen indidit. Tres numerantur species, quarum majoris scilicet gigantei pterodactyli descriptionem sic legas apud Cuvier: «Voilà donc un animal qui, dans son ostéologie, depuis les dents jusqu'au bout des ongles, offre tous les caractères classiques des sauriens; on ne peut donc pas douter qu'il n'en ait eu aussi les caractères dans les téguments et dans les parties molles; qu'il n'en ait eu les écailles, la circulation... Mais c'était, en même temps, un animal pourvu des moyens de voler, qui, dans la station, devait faire peu d'usage de ses extrémités antérieures, si même il ne les tenait toujours reployées comme les oiseaux tiennent leurs ailes; qui cependant pouvait encore se servir des plus courts de ses doigts pour se suspendre... mais dont la position tranquille devait être

obducta erat tabula buxea: erat ergo tabula hæc cerata.

9. **FILII MENDACES**, — filii perfidi, ideoque adul- Vers. 9.
terini et degeneres a fide et pietate suorum patriarcharum.

10. **LOQUIMINI NOBIS PLACENTIA**, — quæ nostris Vers. 10.
cupiditatibus faveant. Tales sunt hodie molles, voluptuarii, qui non ferunt austeros concionatores et conciones de morte, judicio, gehenna, æternitate. Atque hæc fuit causa hæreseos; populus enim quæsivit audire placentia de libertate carnis. Hæc ei ingesserunt Lutherus et Calvinus. Quid mirum, si tot post eos abierint? Arcesilaus philosophus, cum quæreretur cur quam plurimi ab Academia ad Epicurum desciscerent, valde pauci resiliirent, peracute respondit: «Ex viris eunuchos gigni posse, ex eunuchis autem viros nequaquam.» Sic a sapientia in erroris puteum omnes facile præcipientes feruntur, sed ab errore in viam veritatis redire paucorum est. Ita Laertius, lib. IV.

Ita Strato Physicus objicientibus quod Menedemus plures haberet discipulos, quam ipse, ait: «Quid mirum si plures reperiuntur, qui lavari malint quam ungi?» lavantur enim delicati, unguuntur qui se parant certamini: significans se non aures titillare, sed praxin vitia debellandi et virtutes exercendi docere.

ERRORES, — scilicet blanda et grata auribus, oculis et palato nostro; hæc enim sæpe falsa et erronea sunt. Rursum, «errores,» id est falsa oracula de prospero fugæ nostræ in Ægyptum successu. Dicebant hi impii: Loquimini nobis oracula placentia, sed quia hæc erant erronea, hinc Propheta, verum rei nomen substituens, ait: «Loquimini; etc., errores.»

11. **AUFERTE A ME VIAM**. — «A me,» id est a no- Vers. 11.
bis; populus enim loquitur de se, nunc in singulari, nunc in plurali. Per «viam» et semitam accipit vel tritos sermones, et crebro usurpatos a Prophetis de sancto Israel audiendo et colendo, vel potius vitæ modum et rationem, quam Prophetæ eis præscribebant.

SANCTUS ISRAEL. — Pro quo Septuaginta et Chaldaeus vertunt, *verbum sanctum Israel*, *q. d.* Quid toties, o Prophetæ, nobis ingeminatis? «Hæc dicit sanctus (Deus) Israel: Convertimini ad me in jejuniis, fletu, planctu,» etc. Tædet hæc audire, cessent hæc ingratae et amaræ voces, cesset hæc lugubris concio. Est mimesis: est enim vox pervicacium Judæorum, ut patet.

12. **SPERASTIS IN CALUMNIA ET IN TUMULTU**, — id Vers. 12.
est in opibus et luxu per fraudes, rapinas et tumultus partis. Ita Vatablus. *Secundo*, Adamus et Sanchez, *q. d.* Sperastis in Ægyptiis, qui sunt calumniatores et tumultuosi. *Tertio* et proprie, spe-

ordinariamente sur les pieds de derrière, encore comme celle des oiseaux: alors il devait aussi, comme eux, tenir son cou redressé et courbé en arrière, pour que son énorme tête ne rompit pas tout équilibre.» Cuvier, tom. V, et *Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle*.

rastis et innixi estis in calumnia et tumultu, quo scilicet tumultuose calumniati estis Jeremiam ventantem hanc fugam, quasi falsum Prophetam, ut eum opprimeretis, *Jerem. XLII, 2*. Sic Geusii hoc sæculo in Belgio, Francia, Anglia res suas auxerunt per tumultus et calumnias; didicerunt enim piscari in aquis turbidis.

Vers. 13.

13. PROPTEREA ERIT VOBIS INIQUITAS HÆC SICUT INTERRUPTIO CADENS,—*q. d.* Sicut murus interruptus et pronus in ruinam, subito tandem et repente cadit, gravique sua mole et casu opprimit eos qui sub eo degebant: sic iniquitas hæc, id est fiducia hæc superba et vana, quam contra Dei jussu collocatis in Ægyptiis, vos opprimit. Rursum, ipsi Ægyptii cæsi a Chaldæis, quasi murus corruens, suo casu vos sub eorum præsidio latitantes obruent et obterent: sicut turris Siloe labens obrivit octodecim viros, *Luc. XIII, 4*. Comparat Judæorum contritionem, id est vastationem, primo, ruinæ muri; secundo, contritioni lagunculæ, quæ ita obteritur, ut nullum fragmentum supersit.

ET REQUISITA IN MURO EXCELSO.—Pro «requisita» hebraice est נִבְּרָה *nibe*, quod Arias, Vatablus et Forerius vertunt, *tumens*, inflata, prominens extra perpendiculum, quia pars est a muro avulsa et procumbens in ruinam (1). Verum radix נִבְּרָה *baa*, significat eruere, elicere aliquid ex persona, aut re quod latebat; hoc autem in persona, est interrogare et requirere. Ergo Noster recte vertit, «requisita.» Jam primo, Arias «requisita,» exponit *exquisita*; secundo, alii «requisita,» id est quam quærit hostis ad perrum pendum; tertio, Hugo, «requisita,» id est resarcita; quarto, Emmanuel Sa, «requisita,» scilicet a Judæis, qui sub hoc Ægyptiorum muro interrupto salvari sperabant et optabant; quinto, alii, «requisita,» id est visitata a fabris, quasi suspecta et periculosa, ideoque indigens inquisitione, visitatione et examine; sexto, Sanchez: «requisita,» inquit, id est absens et deficiens; sic enim requiri, aut desiderari dicimus in acie eos qui ceciderunt: sic etiam requisita pars muri, est pars illa, quæ ubi cecidit, non invenitur in muro; aut cujus firmitas requisita est, id est non inventa; septimo, et aptissime Adamus, «requisita,» id est ingens, subita et improvisa, cujus proinde post lapsum causa, quæ non apparet, per admirationem inquiritur. Sic de subito et tristi casu Saul et Jonathæ inquit David: «Quomodo ceciderunt fortes?» *II Reg. I*; et Isaias, cap. *XXIV*, de casu Balsaris: «Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer?» et Jeremias de casu Jerusalem: «Quomodo sedet sola civitas?» *Thren. I, 1*.

(1) Vocem נִבְּרָה nonnulli cum Cocceio a verbo נִבְּרָה *quærere, inquirere*, interpretantur *penetratum, rimosum*, quia quod in muro *pervestigabile* est, aut a madore perfuitur, aut ab animalculis perrepitur, id non solidum, non firmum, non coherens, levi momento collabitur. Equidem tamen cum Vitringa aliisque mallem *vertere tumens*,
(Rosenmuller.)

15. SI REVERTAMINI ET QUIESCATIS, SALVI ERITIS,—*Vers. 15.*
q. d. Molimini fugam, et initis viam, ut pergatis in Ægyptum: si ab hoc molimine et via redeatis domum, ibique quiescatis, salvi eritis ab incursu Chaldæorum. Agi enim hic de fuga in Ægyptum patet ex antecedentibus et sequentibus. *Secundo*, si ab inobedientia vestra, qua contra Domini voluntatem vultis pergere in Ægyptum, omnique alio scelere, per veram contritionem redeatis ad Deum, ac proponatis deinceps quiescere ab omni peccato, salvi eritis, id est justificabimini, vobisque Dei gratiam et amicitiam in hac vita, ac gloriam ejus in futura conciliabitis. Unde Septuaginta vertunt, *si conversus ingemueris, tunc salvaberis* (ex quibus verbis desumpta videtur illa sententia vulgo jactata: «In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit»). Unde ex hoc loco recte inferunt S. Leo, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus et alii quos citat et sequitur Franciscus Suarez, tract. *De Pœnitentia*, Quæst. VIII, art. 1, disput. 4, sect. 2, contritionem veram abolere peccata, semperque conjunctam esse cum infusione gratiæ justificantis; quia veritas condicionalis postulat ut, posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens, nimirum, ut posita conversione, ponatur salus inchoata, id est justitia; convertitur autem homo, cum primum contritionis actum elicit.

IN SILENTIO ET IN SPE.—Hoc est, si sileatis et quiescatis in terra vestra, et speretis in Deo, nec laboriose in Ægyptum curratis, fortes eritis, et salvi a Chaldæis: alludit ad *Exod. XIV, 13 et 14*.

Moraliter, discite hic quam utilis et fortis sit spes, quies et silentium, si videlicet ad humana præsidia anxie non respectemus, sed in Deo fidamus, et silenter quiescamus. Vis nosse fructus silentii linguæ, æque ac mentis? Accipe:

Primus est, quod evitet et compescat tam peccata linguæ, quam mentis tumultus. S. Laurentius Justinianus, lib. *De Discipl.* cap. xv, enumeratis vitiis linguæ: «Omnia, inquit, sola taciturnitatis censura vitantur;» idque antea docuit S. Augustinus in *Psalms. LXXXVIII*: «Contra hæc (vitia linguæ), inquit, optimum remedium est silentium.» Auctor regulæ monachorum apud S. Hieronymum: «Maledicam, inquit, linguam indictum silentium emendat.»

Secundus est, quod mentem doceat sapere; linguam prudenter et pie loqui. Unde S. Laurentius Justinianus, loco jam citato, ait, «taciturnitatem esse bene loquendi principium.» Richardus Victorinus in illud *Cantic. IV*: «Sicut vitta coccinea, labia tua,» docet vitta quæ constringit ac ligat, linguæ custodiam ac disciplinam significari; coccineo colore charitatem. Silentium enim docet sponsam Christi pia et quæ charitatis sunt loqui. S. Gregorius, hom. 2 in *Ezech.*: «Ille, ait, loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit.» Atque hac de causa in monasteriis tanta est cura silentii. Audi de Claravallensi sub S. Bernardo

Morale, de quiete et silentio.

Fructus ejus. primus.

Requisita septiciter.

quid scribat auctor Vitæ ejus, lib. I, cap. VII : « Media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut et ipsi, non dicam prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. »

Tertius. *Tertius est, quod, ut inquit quidam Sanctorum :* « Silentium sit mater sapientissimarum cogitationum, » faciatque hominem cœlestem et divinum. Audi B. Petrum Damianum *ad Agnetem Imperatricem*, epist. 130 : « Dum strepitus, inquit, humani cessat alloqui, construitur in te per silentium templum Spiritus Sancti. Hinc est quod de Israelitici templi constructione sacra testatur Historia, quia malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit; quia, cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit; tantoque succrescens in altiora sustollitur, quanto per silentii custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur; custos enim justitiæ silentium, et per Jeremiam dicitur : Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. »

Exempla silentii illustria sunt. E Christianis S. Thomas Aquinas a silentio dictus est Bos mutus, et silendo ac meditando omnem suam scientiam hausit. S. Romualdus jam senex per spetentium inclusus jugiter siluit. Theodosius in *Prato spirituali*, cap. LXVII, annos 35 egit in solitudine semper silentium servans. De Monachis B. Dominici Loricati Petrus Damianus in ejus Vita sic ait : « Tenebant autem per totam hebdomadem districta censura silentium; quod die Dominica post vesperam solventes habebant loquendi invicem usque ad completionis officium libertatem. »

Radulphus Tacens monachus Affligemiensis juxta Bruxellas, sedecim annos tacuit : ortum fuit incendium ; cumque restingui non posset, silentium solvit Radulphus, dixitque : « Stes, ignis hac hora, flamma, penitus conquiescas. » Mira res ! protinus paruit ignis, et exstinctus est. Ita refert Thomas Cantipratensis, lib. II *Apum*, cap. XIV, § 4.

S. Joannes Silentarius ex Episcopo monachus, totos 47 annos usque ad annum ætatis 104 siluit.

S. Arsenius audivit ab Angelo : « Si vis esse salvus, fuge, tace, quiesce. » Idem fratri se invidenti post salutationem nihil amplius locutus est, sed sibi assidue dicebat : « Arseni, cur egressus es ? » Et : « Locutum fuisse sæpe pœnituit, siluisse nunquam. »

Thalassius, apud Theodoretum in *Relig. histor.* cap. XXII, cum linguam sciret esse lubricam, longissimo tempore nihil locutus est. Eadem de causa gestavit Agatho lapidem in ore per triennium, teste Palladio in *Lausiaca*, cap. I.

Theonas 30 annos siluit, ut patet in Vita Patrum in *Theona*. S. Gregorius Nazianzenus tota Quadragesima silebat : causam dat, orat. *De silentio Quadragesimæ* : « Piorum virorum, inquit, præscriptis obtemperans labia mea quasi pessulo quodam obdidi : cujus facti mei si causam quæris ; idcirco a sermone prorsus abstinui, ut sermonibus meis moderari discam. »

S. Arnulphus Suessionensis Episcopus annos tres et menses sex tacuit perpetuo, ut habet ejus Vita cap. VIII, apud Surium augusti 15.

« Severus Sulpitius in senectute sua a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret, » inquit Gennadius in *Viris illustribus*, in *Severo*.

Pambo Abbas audiens illud *Psalm. xxxviii* : *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* : « Sat est, inquit, reliqua audiam, cum istud complevero. » Post multum temporis rediens, rogatus cur tam diu tardasset, respondit : « Nondum id quod didici perfeceram. » Ita *Tripart.* lib. VIII, cap. I, Quare silentio id assecutus est, ut moriens dixerit : « In hanc horam non me pœnitent alicujus verbi, quod dixerim : et sic ad Deum recedo, quasi qui nec pius nec religiosus esse cœperim. » Testis est Palladius in *Lausiaca*, cap. X.

Quin et bestię stato tempore servant silentium : aves mane cantant, per diem silent : cicadæ mane, lusciniæ meridie tacent : non taceat Religiosus horis a regula definitis ? Anseres e Cilicia volantes turmatim, Taurum montem transituri, metu aquilarum illic degentium, quas infestas sentiunt, ore lapidem capiunt grandem, osque obturant ne strepant tantisper, dum periculum prætervehantur. Testis est Plutarchus, lib. *De Solertia animal.* Apes, dum volant, strepunt, sed in alveari silent et laborant. Hirundines nidificantes in oppido Alviano, et magnis garrilibus perstreperentes concionem S. Francisci impediabant. Is imperat eis silentium : silent donec verbum Dei compleatur, inquit S. Bonaventura.

Refert S. Ambrosius, lib. III *ad Virgin.*, cum plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conficerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi ; tunc subito circumfusos strepitus quiescisse. « Silent igitur paludes, ait S. Ambrosius, homines non silebunt. »

Inter Ethnicos illustris fuit Pythagoras, qui suis discipulis per quinquennium silentium indixit, ut sermonis moderationem, recteque loqui silendo condiscerent, ait Nazianzenus.

Philostratus, lib. I, cap. XI, scribit Apollonium Thyanaeum, eo quod tacere nequiret, sibi quinquennale Pythagoræ silentium indixisse, idque adeo pertinaciter observasse, ut Imperatori interroganti non voce, sed scripto responderit.

Bestiarum silentium.

Stobæus, *serm.* 126, 128, 129, testatur Xenocratem singulis negotiis diei partes assignasse, silentio quoque suam partem dedisse: Æschinem Socraticum dixisse, se a Socrate non solum loqui, sed etiam silere didicisse. Harpocratem philosophum, qui omnibus rebus silentium anteponebat, tanquam deum a Græcis cultum fuisse in effigie viri labia comprimantis.

Denique sapientissimus Salomon ait, *Eccli.* III, 7: « Tempus tacendi, et tempus loquendi. » Pythagoras, et post eum Nazianzenus docuerunt tunc esse loquendum, cum melior est sermo silentio; tacendum, si secus esset. S. Hieronymus in locum citatum *Eccli.* III: « Discamus, inquit, prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus: sileamus certo tempore, ut ad præceptoris eloquia pendeamus; nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri. »

Medium et praxis ut quis discat silere, est: *Primum*, claudere aures, et coercere curiositatem audiendi et cognoscendi nova. Unde Joannes Abbas in *Prato spirit.* cap. CLXXXVII: « Qui, inquit, continere vult linguam, obstruat aures, ne multa audiat! » Et Seneca, *epist.* 105: « Est quædam, ait, dulcedo sermonis, qui irrepit et blanditur, et non aliter quam ebrietas, aut amor secreta producit; nemo quod audierit tacebit. »

Secundum, per aliquod tempus cohibere se plane a loquendo, ideoque secedere in cubiculum, et cavere garrulorum contubernia. Unde S. Basilius, in *Brevior.* Resp. 208: « Necessarium, ait, est perpetuum silentium, quousque per illud et a vitio petulantia in dicendo sanentur, et in otio discere potuerint, quid, quando et quomodo loqui oporteat. » B. Petrus Damianus, *epist.* 114: « Assuescat, ait, lingua sub taciturnitatis se cohibere censura, et tacendo discat, quod loquendo postmodum graviter proferat; ne, si nunc districtum negligit custodire silentium, loquendi postmodum nequeat frænare prurium. » Hinc notant Nysseus et Olympiodorus in *Eccli.* III, prius dici: « Tempus tacendi, deinde tempus loquendi; quia illud præcedere, hoc sequi debet; nam per silentium tempore tacendi perdisci a nobis, quod postea per sermonem tempore loquendi proferatur; » et B. Ennodius, lib. VIII, *epist.* 3, loquens de philosophia nihil dicendi, tradit, « Veteres ut loquerentur melius, in præsentia nihil locutos, et illam silentii curam nutricem fuisse sermonis. »

Tertium, cogitare et sibi perscrutari, quantum sit robur, decus et fructus silentii. Thalassius, *hecat.* 1, num. 66: « Silentium, inquit, et preces maxima virtutum arma sunt, » et, ut ait B. Antiochus, *hom.* 103: « Silentium mater est virtutum; » S. Bernardus, *serm. De Mutat. aquæ*: « Silentium, inquit, est custos religionis, et in quo est fortitudo nostra; » alii: « Silentium, inquit, est religionis decus, et præcipua quietis mentis custodia. » Hinc B. Petrus Damianus, *epist.* 59 ad Desi-

der., ait silentii violatorem similem esse crocodilo oscitanti, cui tunc hostis hydrus (Plinius ichneumoni has tribuit insidias) fauces ingreditur, et alvum erodit; item ostreo incaute se ad solem aperienti, cui primum insidiator cancer calculum injicit ne claudatur, deinde ejus viscera depascitur: tum concludit: « Qui (Religiosus) nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur; perit autem, cum ad loquendum immoderatus aperitur. »

Hinc S. P. N. Ignatius tria dabat signa, ex quibus quis perspiceret, an in monasterio aliquo vel collegio esset bona disciplina: *primo*, si bene servarentur porta et clausura; *secundo*, si omnia loca nitida essent et composita; *tertio*, si bene servaretur silentium, non essent fabulæ, strepitus, clamores. E contrario loquacitatis incommoda sunt plurima. Vide de iis priscorum sententias, quas recensui *Levit.* XV, 22.

16. AD EQUOS (Ægyptiorum) FUGIEMUS. — Abundat enim equis et equitatu Ægyptus, ut patet III *Reg.* x, 28, cum Judæi in bellis vix uterentur equitatu, uti ostendi *Deuter.* XVII, 16 (1).

IDEO FUGIETIS. — Ludit per antiphrasin in voce *fugio*, q. d. « Dixisti: Fugiemus, » id est confugiemus ad equitatum Ægypti; ideo fugietis quasi victi et profligati, ante faciem Chaldæorum vastantium Ægyptum.

ET SUPER VELOCES (equos Ægyptiorum) ASCENDEMUS: IDEO (me vindice) VELOCIORES ERUNT (Chaldæi), QUI PERSEQUENTUR VOS. — Simili modo lusit in voce *fugiendi cervorum et servorum* Servius Tullus rex Romanorum, qui natus ex serva ædem Dianæ dicavit in Aventino, eo quod in ejus tulela sint cervi, a quorum celeritate fugitivos vocent servos. Quocirca servorum diem festum in hac æde celebrandum sanxit Idibus Augusti, eo quod illo die ipse ex serva natus esset. Ita docet Bartholius Marlianus, lib. V *Antiquæ Romæ*, cap. II. Vide hic; ut rebelles et superbos in suis verbis comprehendat, rideat et sub-

(1) Cæterum fiducia in equis Ægyptiis posita exprobratur Hebræis, non hic tantum, verum et infra, XXXI, 1; conf. *Hos.* XIV, 4. Unde colligere licet Ægyptum illa ætate equis et militia equestri abundasse. Immo vero id colligitur non tantum e Prophetis hujus et subsequentis temporis, verum etiam ex aliis veteris Testamenti locis, in quibus rerum Ægyptiarum mentio occurrit, vide *Genes.* I, 9; *Exod.* XV, 6 et seq.; XV, 1; II *Paral.* XII, 3; *Jer.* XLVI, 4, 9; *Cant.* I, 9; II *Reg.* XVII, 24. Scriptores exteri quidem in Ægypto describenda versati, vel rerum Ægypti mentionem facientes, equos Ægyptios minus celebrant. Sed cogitandum est statum Ægypti sub Persis, et deinde sub Lagidis plurimum esse immutatum, et postquam Ægyptus inferior tota in fossas et rivos scissa est, factam esse inequitabilem, ut Herodotus exerte testatur, lib. II, cap. CVIII; Cf. Bocharti *Hieroz.*, part. I, lib. II, cap. IX.

(Rosenmuller.)

Palæstina plurimos asinos nupigros, alacres, specie pulchros et minime ignobiles nutriebat, quibus contenti esse debebant hujus regionis incolæ, si stare vellent intra limites quos Deus illis constituerat, iisdem contra hostes suum auxilium promittendo, *Psal.* LXVII; *Judic.* V, 10; Chardin, *Voyage en Perse*, tom. III.

sannet Deus. Ita Daphidas maledicus in omnes, ut nec ipsis diis parceret, Delphos profectus oraculum derisit, deridendi causa rogans : Num equum reperturus esset; cumque responsum fuisset celeriter esse reperturum, passim jactavit equum nec se habuisse, nec amisisse. In reditu autem ab Attalo rege Pergami comprehensus, et e rupe cui Equi nomen fuit præcipitatus, interitu suo et pœna impietatis veritatem oraculi comprobavit, inquit Suidas in *Daphida*.

17. MILLE HOMINES A FACIE TERRORIS UNIUS (supple, *fugient*: hoc enim quod sequitur per zeugma repetendum) : ET A FACIE TERRORIS QUINQUE FUGIENTIS, — scilicet multi, ut habent Septuaginta, vel omnes simul, *q. d.* Unus Chaldæus mille vestrum terrebit et fugabit, et quinque Chaldæi totum vestrum gregem fugabunt. Ita S. Hieronymus. Pro mille homines hebraice est *אלף אחד* *eleph ehad*, id est mille unum, sive *chilias una*. Ita Septuaginta, Chaldæus et Noster. Aliter vertit Vatablus, *mille velut a facie increpationis unius fugient*. Aliter et Sanchez, *q. d.* Mille homines a facie terroris unius, et, id est imo, a facie terroris unius, quinque hominum millia fugietis.

DONEC RELINQUAMINI QUASI MALUS NAVIS IN VERTICE MONTIS, — *q. d.* Sicut, fracta navi, tabulis reliquisque omnibus armamentis fluitantibus et pereuntibus, nautæ solum malum in montem tollunt et erigunt, aut aliud signum in colle extollunt, ut navigantibus sit indicio locum esse periculosum ob syrtes, scopulos, arenas, etc. : ita vos pauci ex hac clade superstites eritis quasi signum iræ Dei, ut calamitatis vestræ exemplo alii eandem vitent et caveant. Ita S. Hieronymus. Comparatur excidium Jerusalem naufragio navis, ex quo malus, id est pauci evaserunt, ut dispersi per orbem, Judaicæ cladis essent indices et præcones.

18. PROPTEREA EXPECTAT DOMINUS UT MISEREA TUR VESTRI, — *q. d.* Quia tanta futura est clades, propterea expectat Deus, ut moniti hic ab Isaia pœnitentiam agatis, itaque misertus vestri Deus cladem hanc auferat (1).

(1) « Propterea. » Particula *vau* non est hoc loco omit- tendâ, quæ cohærere hæc superioribus facit, et reddi potest particula *autem, verum, enimvero, etc.*, quasi Propheta tacitæ objectioni responderet : *Quare sic Dominus hostes grassari permittit in populum suum? etc., ne mireris, inquit, quod tamdiu dissimulet Deus. Nam in hoc totus est ut vos possit in gratiam recipere.* Vel potius sit hæc obiectio : *Quid causæ est cur Dominus omnino non perdit adeo contumaces filios? quid necesse est manere aut ipsam Jerusalem tempore Ezechia, aut reliquias tempore Messia? Respondet : Certe in hoc apparet benignitas Dei, qui nihil aliud expectat quam quod habeat quibus condoleat et quos in gratiam suam recipiat.* « Expectat. » Non satis explicat verbum *expecto* vim verbi *cabah*, quod *anhelandi* seu *inhiandi* verbo reddi potest; cuius participium in hoc eodem versu habes. Huc tendit, inquit, in hoc totus est, *ut misereatur.* Ad hoc permittit hostes grassari, vos fugientes intercipi, multos ex vobis interfici, et in paucitatem redigi, ut vel malis fractos et ad

ET IDEO EXALTABITUR (id est in altum tollitur quasi elongans se, suamque manum, et, ut Vatablus vertit, *suspendet ictum*), PARCENS VOBIS. — Sic *Osee* cap. xi, dicitur : « Ero eis quasi exaltans, » id est in altum tollens, et elongans « jugum super maxillas eorum, » alii ex adverso, « exaltabitur, » inquit, id est, in altum tollet Deus manum, quasi minans validam plagam, ut vos terreat et compungat, itaque plagam evadatis; alii, « exaltabitur, » id est, glorificabitur Deus per hanc suam clementiam, et pœnæ dilationem « parcens vobis; » maxime enim exaltatur Deus miserando et parcendo. Ita S. Hieronymus.

QUIA DEUS JUDICII DOMINUS; — quia Deus non agitur furore, sed justo iudicio et æquitate iudicat et vindicat : hinc differt pœnam eamque indulgentia temperat. Alii : « Quia Deus iudicii Dominus, » inquit, id est quia Deus est fidelis et justus, implens promissa sua : hinc exspectat Jerusalem, ut pœniteat, itaque ei parcat; promisit enim ei suam opem, favorem et salutem.

BEATI OMNES QUI EXPECTANT EUM. — Est epiphonema præcedentium, *q. d.* Miseri et infelices estis et eritis, o Judæi, sperantes in hominibus, confugientes ad Ægyptios! at beati, imo terque quaterque beati et felices sunt, qui sperant in Deo, qui eum ejusque opem exspectant.

19. POPULUS ENIM SION HABITABIT IN JERUSALEM. — Probat quod dixit beatos esse, qui sperant in Deo, eumque exspectant, ex eo quod populus Sion, id est veri et fideles Judæi, qui sperant in Deo, sub Ezechia tuti habitabunt in Jerusalem, non timentes minas et copias Sennacherib. Ita Forerius. *Secundo*, Procopius, S. Thomas et Hugo hæc referunt ad Judæos Babylone in Jerusalem redeuntes sub Cyro. *Tertio*, et maxime, Propheta sub his symbolis intelligit, quod populus Sion, id est fidelis et Christianus, pacifice habitabit in Jerusalem, id est in Ecclesia sub Christo, qui erit ejus præceptor et doctor, ut sequitur; ad Christum enim de more transit. Unde S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus, Theodoretus, et alii omnia quæ sequuntur ab hoc loco usque ad finem capitis litteraliter ad Christum Christique gratiam, redemptionem et salutem referunt; sed ita ut alludat Propheta, et quasi obiter perstringat ejus typum, scilicet felicitatem redeuntium e Babylone sub Esdra, et Jesu filio Josedech.

AD VOCEM CLAMORIS TUI STATIM UT AUDIERIT, RESPONDEBIT. — Ita Dominus clamantem et orantem Ezechiam, in obsidione Sennacherib mox exaudivit, eumque liberavit cæso Sennacherib : ita et in Babylone captivos clamantes exaudivit, reducens eos in patriam : ita, imo multo magis, audit fideles Christianos se invocantes.

20. ET DABIT VOBIS DOMINUS PANEM ARCTUM, ET se conversos *in gratiam recipiat*, vel ut tantummodo illi relinquuntur quibus juxta consilia inaccessibilis sapientiæ suæ non indignum sit gratiam et a malis remissionem præstare. (Forerius.)

AQUAM BREVEM. — Hebræum autem habet, *dabit vobis לחם צר ומים להם* *lechem tsar umaim lachats*, id est *panem angoris sive tribulationis, et aquam angustiae*, vel potius *oppressionis*, uti vertunt Septuaginta hic et Noster, III Reg. ult., 27. Talis autem est si panis sit arctus, id est restrictus et modicus; et aqua brevis, id est pauca et exigua, ut esuriam et sitim explere nequeant, *q. d.* Patiimini quidem, o Judæi! sub Sennacherib, æque ac in Babylone inopiam aliquam, famem, sitim, etc.; verum Deus vobis aderit, vos proteget, dabitque doctores et præceptores, scilicet Esdram, Jeremiam, Danielelem, Ezechielem, Aggæum, Zachariam, Malachiam aliosque Prophetas, qui vobis semper præsentés erunt, imo a tergo monere oportune, importune non cessabunt, ut viam Domini recta ingrediamini, nec devietis ad idola; tumque pro arcto pane et aqua dabit vobis Deus rerum abundantiam, uti eum fecisse cum Judæis Babylone redeuntibus, patet *Zachar. viii, 11, et Aggæi, ii, 17*; tum Ezechie sub Sennacherib, patet *IV Reg. xix, 29*. Ita S. Thomas, Procopius, Hugo, Lyranus.

Hæc veriora sunt tempore Christi, qui est perpetuus fidelium per omnia sæcula doctor et præceptor, *q. d.* Deus dabit fidelibus doctorem Christum, inquit S. Hieronymus, et Spiritum Sanctum atque Apostolos.

Secundo, S. Cyrillus, Procopius et S. Hieronymus, per panem arctum et aquam brevem accipiunt Evangelium, brevemque Evangelii doctrinam, quam cap. x, 23 Septuaginta vocarunt *verbum abbreviatum*, quod longis sinuosisque legis præceptis successit; hoc enim quasi panis animas pascit. Verum panis brevis non significat hic ultimam panem parvum, sed panem afflictionis, ut patet ex Hebræo: quanquam et Evangelium sit panis afflictionis, quia jubet nos mortificare carnem, ferre crucem, pati ardua pro Christo.

Tertio, S. Cyrillus et Leo Castrius: Panis hic arctus, inquit, est Christus, qui de cælo descendit, et arctavit se ad corpus infantile, ad præsepium, et ad crucem: rursum dicitur arctus, quia cum labore et sudore invenitur. Hinc iterum panis arctus est Eucharistia, vel Christus in ea, qui cum pœnitentia et lacrymis sumendus est: sic aqua angustiae vel est baptismus, qui oppresos a dæmone laxat et liberat; vel est sanguis Christi in Eucharistia, in qua angustias passionis ejus recolimus, ut ad similes fortiter pro eo tolerandas animemur. Hic sensus allegorice commodus est.

Tropologice, panis arctus et aqua brevis, est paupertas, fames, sitis omnisque angustia et tribulatio a Deo immissa, ut suos purget et probet: tumque solet ipse pariter dare doctores et præcones, qui tribulatos roborent, consolentur, doceant et perficiant.

Anagogice, hæc refert ad finem mundi: tunc enim magna erit afflictio et penuria, tumque Deus

dabit infidelibus doctores Eliam et Enoch. Ita Patres, quorum meminit S. Hieronymus.

NON FACIET AVOLARE A TE ULTRA DOCTOREM. — Hebraice *לֹא יִכַּנֵּף* *io iicaneph*, id est, *non alabitur*, id est, *non avolabit a te doctor tuus*. Ita Vatablus.

21. ET AURES TUÆ AUDIENT VERBUM POST TERGUM MONENTIS. — Est periphrasis doctoris, sive magistri et pædagogi, qui discipulis semper adesse solet, eosque sequi, post tergum monere, etc. *Secundo*, moraliter Haymo: Deus, ait, peccatorem a se aversum, et ad bona caduca conversum, quasi a tergo sequitur, ut eum ad se alliciat et reflectat. Et S. Gregorius, hom. 34 in *Evangel.*: « Quasi terga, inquit, in præceptoris faciem vertimus, cum verba despiciamus, cujus præcepta calcamus, et tamen nos vocare non cessat. »

Ex adverso S. Hieronymus tergum non peccatoris, sed Dei accipit; Deus enim offensus a peccatore abit, tergumque ei obvertit, sed ita, ut eum amans sæpe respiciat, seque reflectat ad eum ut nutu, gestis, voce eum ad se revocet.

HÆC EST VIA, AMBULATE IN EA. — Hæc via est doctrina legis et Prophetarum, et maxime doctrina Christi Evangelica, in qua ambulamus, cum illi insistendo pergimus ad perfectionem et ad cælum. Ita S. Benedicti regula et institutio, quæ consilia Christi complectitur, apparuit quasi via lucida; cum enim, ut refert S. Gregorius lib. II *Dialog.* cap. xxxvii, S. Benedictus vita functus esset, eodem die duobus ejus monachis visum est videre viam quamdam amplam et rectam palliis stratam, innumerisque luminibus coruscantem; et senem quamdam astantem, qui dicebat: « Hæc est via qua dilectus Domini Benedictus ascendit in cælum. »

22. ET CONTAMINABIS. — *q. d.* Sub Esdra, et magis sub Christo contaminabis, id est contaminata duces, abicies, combures *sculptilia*, id est idola tua, eorumque vestimenta pretiosa, habebisque ea pro rebus foedissimis, quales sunt sor-des menstruatæ (1).

EGREDERE. — *q. d.* Abi in malam crucem, « dices ei, » scilicet sculptili et conflatili, id est idolo.

23. ET DABITUR PLUVIA. — Dedit Deus pluviam et fertilitatem Judæis sub Esdra; sed meliorem

(1) Altaribus addebantur effigies deorum; primum informes trunci et lapides...., plerique quidem lapides parvi, coloris nigri et unculati, jam con, jam cylindri; verum tamen etiam majores, quadrati, et con, quibus omnibus singulares vires divinæ inesse credebantur.... Progrediente tempore effigies, arte diligentius, interdum forma etiam colossali, elaboratæ sunt, primum quidem lignæ, paulo post lapidæ et eburnæ, et deum quoque ex metallo rusæ; lignæ autem et lapidæ laminis aureis vel argenteis obducebantur, aut pretiosis vestibus ornabantur. *Num. xxxiii; Deut. iv, 27; v, 25; vii, 5; ix, 16, 21; xii, 3; xxvii, 15; xxix, 16; Judic. xvii, 4; Jerem. x, 9.* (Jahn, *Archæolog. Bibl.*, part. III, cap. vi). Porro de utraque specie imaginum, sive sint ex ligno, sive ex auro vel ære factæ, hic Isaias loquitur, et plura leguntur infra, cap. xl, vers. 19.

Panis arctus est Christus et Eucharistia.

Tropologice.

gratiæ Spiritus Sancti pluviam dedit terræ, id est animabus fidelium sub Christo, ut fructus bonorum operum edant. Ita S. Cyrillus.

PASCETUR, etc., AGNUS SPATIOSE. — Hoc ad litteram factum est sub Ezechia et Esdra, symbolice sub Christo. Agni enim sunt mites et innocentes, qui Christum agnum sequuntur : tauri sunt Apostoli et Evangelistæ, qui agrum Ecclesiæ excolunt: pulli asinorum sunt filii Gentium, hi in Ecclesia spiritualibus cibus large pascuntur.

24. COMMIXTUM MIGNA COMEDENT, SICUT IN AREA VENTILATUM EST. — Id est purum, sine paleis : hæ enim in area ventilatæ sunt : migma sive smigma græce, idem est quod hebraice בליל *belil*, et Latinum *mixtio*, a radice *μίγναι*, id est misceo. Jam mixtio idem est quod pabulum : sicut mixtum significat potum sive vinum, *Psalm. LXXIV* : « Vini meri plenus mixto. » Sicut enim in vino etiam mero multæ uvæ, multæ stillæ, multi liquores commiscentur : ita in pabulo jumentorum multa grana, vel multæ stipulæ miscentur. Est ergo pabulum hoc mixtio, sive mixtum.

Pro *commixtum* hebraice est *חמץ* *chamets*, id est fermentatum, hoc est acore conditum ; solent enim rustici pabulo jumentorum licet puro, in æstate cum flaccescit, aliquid addere (v. g. liba confecta ex folliculis seminum raparum, ex quibus tundendo elicuerunt oleum), quod illud acuat, et acore suo appetitum languentem provocet, uti facit fermentum in pane. *Secundo*, dicitur *commixtum*, quia licet sit ventilatum, et sine paleis, tamen eo commixtum migma, id est frumenti varii generis (sicut viciæ, lentis, avenæ, hordei, etc.), commixti miscella, sive farrago, inquit S. Hieronymus ; hæc enim sua varietate grata est palato et nauseam tollit.

Symbolice *primo*, Christus fidelibus dat migma, id est doctrinam ex utroque testamento ; atque ex Mose, Prophetis et Apostolis commixtam. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et Leo Castrius.

Secundo, Christus dat migma, id est seipsum in Eucharistia, inquit Castrius. Hæc dicitur migma : *Primo*, quia commixta est ex deitate, corpore, sanguine Christi, et ex speciebus panis et vini. *Secundo*, quia hæc species ex variis granis fiunt et commiscentur. *Tertio*, quia Eucharistia significat et efficit commixtionem mirabilem : per eam enim realiter miscemur cum carne Christi, cum Deo, et tota SS. Trinitate. Unde S. Cyrillus dicit per eam nos Christo et Deo uniri, sicut cera liquefacta alteri commiscetur et unitur, ideoque per eam nos fieri concorporeos et consanguineos Christi, imo Christiferos. Rursum per eam spiritualiter, scilicet unione charitatis, miscemur cum Angelis aliisque hominibus. Est enim hoc Angelorum et hominum migma, sive cibus utrisque communis. Vide S. Bernardum, serm. 3 *in Vigilia Nativitatis Christi*, de triplici mixtura, quæ facta est in incarnatione ; hæc enim nobis gustanda proponi-

tur in Eucharistia, scilicet, *primo*, Dei et hominis ; *secundo*, virginis et matris ; *tertio*, fidei et cordis humani. Apud quem serm. 2 *De Nativ.*, vide et aliam triplicem mixturam, *primo*, creationis ; *secundo*, redemptionis ; *tertio*, glorificationis.

Notat Leo Castrius quosdam Hebræos hebraice *belil*, id est migma, derivare a בלי *beli*, id est non, et לו *lo*, id est sibi, q. d. *pabulum non sibi*, id est non suum, q. d. Fideles comedent migma Eucharistiæ, puta cibum non suum, sed Angelorum : « Panem enim Angelorum manducavit homo. » Verum hoc etymon subtilius est et alienius ; constat enim *belil*, derivari, non a *beli* et *lo*, sed a בלל *balal*, id est miscere ; unde *belil* est *mixtio*, *migma*. Potius ergo Eucharistia dicitur *migma*, quod Christus, qui ante tantum Angelorum fuerat cibus, jam carni mixtus, factus sit in ea etiam hominum esca, in eaque homines misceat cum Deo et Angelis, ut dixi.

25. SUPER OMNEM COLLEM ELEVATUM, RIVI CURRENTIUM AQUARUM, — q. d. Sub Ezechia æque ac sub Esdra erunt rivi aquæ, vel pluviae, vel fontanæ exsipientis in montibus, qui ipsos etiam montes et colles fecundabunt, q. d. Magna erit fertilitas ex aquarum copia « in die interfectionis multorum, » cum 183 millia Assyriorum cædentur a Cyro ; « cum ceciderint turres, » tum murorum et palatiorum Babylonis, tum *turres*, id est principes, qui in populo eminebant sicut turres in domo. Ita S. Thomas, Hugo, Forerius et Sanchez.

Secundo, et verius, rivi, imo flumina, gratiæ per Christum ubique fluxerunt, vel occisis vel prostratis tyrannis, et fidei hostibus sub Constantino. Tunc ceciderunt turres, id est, Gentiles Imperatores et principes, omnisque sapientia Gentium, licet altissima, dejecta fuit, totusque orbis colla subdidit Christo. Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Haymo, Procopius, et Auctor *Quæst. novi et veteris Testamenti* ; apud S. Augustinum, tom. IV, *Quæst. CV*.

Idem verius erit in fine mundi ; tunc enim rivi gloriæ decurrent in electos, cum cædentur impii, et turres omnes, muri et urbes cadent, uti magis patebit vers. sequenti.

26. ET ERIT LUX LUNÆ SICUT LUX SOLIS. — *Primo*, Vatablus, Sanchez, Hugo, Forerius et Rabbini sic exponunt : Judæis liberatis a Sennacherib, item Babylone redeuntibus sub Esdra, summa erit lux, id est lætitia : ita gaudebunt, ut luna et sol septuplo amplius quam ante eis splendere videantur, idque cum Deus sanaverit plagam ab Assyriis et Chaldæis illatam, atque restauraverit ea, quæ ab illis convulsa vel diruta sunt. Sic de Judæis ab exitio Aman liberatis per Esther, cap. XI, 11, dicitur : « Lux et sol ortus est eis ; » et cap. VIII, 16 : « Judæis autem nova lux oriri visa est. » Hic sensus frigidior est et tenuior : alludit tamen ad eum Propheta, ut dixi.

Secundo, S. Cyrillus, Procopius et Auctor citatus apud S. Augustinum, *Quæst. CV*, exponunt,

Migma est Eucharistia, cur ?
Primo.
Secundo.
Tertio.

q. d. Post crucem resurget Christus, tumque ut sol intelligibilis septuplo, id est, multo, et quasi immenso lumine præfulgebit Ecclesiae; et luna; id est Apostoli alique prædicatores prælucebunt eidem, ac si soles essent. Hoc est quod ait Isaias, cap. ix: «Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.» Sic tritum fuit apud Platonem, Aristotelem et alios hoc proverbium: «Nec Vesper, nec Lucifer ita admirabilis ut justus.»

Tertio, et optime S. Hieronymus, Haymo, Adamus, Lyranus; et Dionysius, hæc referunt ad diem iudicii, et ad resurrectionem: eo enim avolat Propheta. Nam tunc cadent urbes et turres, tunc luna renovata et glorificata splendebit ut sol, et sol septuplo, id est longe solito, erit clarior; idque ad hoc ut sol et luna consequantur cursus et laboris sui præmia. Unde erit tunc cælum novum et terra nova. Ita S. Hieronymus, Lyranus et Glossa; quæ tamen falso addit augendam esse lucem solis et lunæ, eo quod illa per peccatum fuerit imminuta, de quo § proximo.

Cur? Porro hoc lumen sol et cæli accipient, non ex splendore corporum Beatorum, ut vult Richardus in IV, dist. XLVIII, art. 2, ad 5, sed immediate a Deo, idque primo, ut ita in cælis Dei majestas resplendeat; secundo, ad majus gaudium et gloriam Beatorum, utque inter locum et locatum, id est inter cælum et corpora gloriosa Beatorum decens et congrua sit proportio; tertio, ut sol et luna sibi invicem opposita; divisim, sed clare et gloriose totum utrumque hemisphærium in omne ævum illuminent; nec enim tunc solis, lunæ aut cælorum ullus amplius erit motus.

Mystice, Auctor apud S. Augustinum, *Quæst. CV*: In cælo, ait, fulgebunt ut sol justus, maxime qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Hi enim, utpote in justitia et sanctitate illustres, recte soli et lunæ comparantur; quia in cælo cæteris septuplo clariores sunt futuri; similes enim erunt Christo, *Joan.* cap. III, vers. 2, ut merito resurrectio eorum soli ac lunæ conferatur, cæterorum vero stellis, *epist. I ad Corinth.* cap. xv, vers. 41.

SICUT LUX SEPTEM DIERUM. — Id est sicut sol luxit primis septem mundi diebus, antequam peccaret Adam. Ita S. Hieronymus, Haymo et Glossa: putant enim ipsi primis septem mundi diebus solem clarius quam jam habuisse lumen, sed illud ob peccatum Adæ fuisse imminutum. Verum obstat quod sol et luna creata sint quarto die mundi, Adam vero sexto, quo et peccavit, uti communiter docent Patres; ergo ante ejus peccatum sol non potuit septem, sed tribus tantum diebus lucere.

Secundo, ergo et genuine, *q. d.* Lux solis erit septuplo major, unde Vatablus vertit, *erit tanta quanta est lux septem dierum.*

Sic Claudianus, lib. *De Raptu Proserpinæ*, con-

solantem et promittentem ei miram lucem Plutonem inducit:

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii: lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem,
Cultoresque pios.

IN DIE QUÆ ALLIGAVERIT DOMINUS VULNUS, — quando scilicet Deus vulnus omnis corruptionis, miserie, tristitiæ, mortalitatis sanabit in nobis per quatuor dotes corporis gloriosi.

27. ECCE NOMEN DOMINI VENIT DE LONGINQUO. — *Vers. 27.* Cyrillus, S. Thomas, Hugo, Forerius, hæc referunt ad stragem Babyloniorum, *q. d.* Post longum spatium, puta post ducentos annos veniet Dominus eversurus Babylonem per Cyrum. Alii hæc referunt ad stragem Sennacherib et Assyriorum; sed illa non venit de longinquo; sub hoc enim tempus, scilicet circa annum 15 Ezechie, contigit.

Secundo et genuine, S. Hieronymus, S. Thomas, Hugo et Lyranus hæc referunt ad diem iudicii: de eo enim egit vers. præced. et agit in seq., maxime vers. 33, ubi loquitur de igne Topheth, id est gehennæ.

Sensus ergo est, *q. d.* «Ecce nomen,» id est majestas, potentia et vindicta irati Dei, quam ipse in die iudicii exercebit in reprobos, longo post tempore veniet. Unde sequitur: «Ardens furor ejus,» etc.

Mystice, Sanchez: Vindicta, ait, Dei venit de longinquo; quia venit de peccatorum nostrorum duritie, quæ longe abest a Deo, cogitque eum prosilire ad vindictam, cum ex se et natura sua sit clementissimus, et a puniendo alienus ac remotus.

ARDENS FUROR EJUS. — Est pulchra hypotyposis Dei irati: solent enim irati oculis scintillantibus, fumante naso, ex lingua et labiis flammis emicantibus, spirare furorem.

28. SPIRITUS EJUS VELUT TORRENS INUNDANS, — *Vers. 28.* *q. d.* Halitus qui efflabatur ab ore indignabundo Dei, tam erat vehemens, ut solus prostraturus videretur omnes hostes; non aliter atque incitatus torrens, qui ad medium usque collum intumuit, homines prosternit, obruit et mergit. Ita Sanchez. Nota: «Torrens inundans» est proverbium significans maximam tum copiam, tum celeritatem, tum impetum, tum stragem et cladem. Hæc enim involvit «torrens,» præsertim «inundans.» Sic Seneca in *Oedipo*:

Aurea torrenti deducens flumina ripa:

«Torrenti,» hoc est exundante, per catachresin.

AD PERDENDAS GENTES IN NIHILUM, — ut jam non sint in terra, sed in inferno; in terra ergo erunt nihil: in inferno cremabuntur et annihilabuntur quantum est ex vi ignis et combustionis; sed Deo eos conservante ad æterna tormenta, nunquam erunt nihil vel annihilati.

Ex Hebræo verti potest cum R. David, Pagnino et Vatablo, *ad cribrandas gentes cribro vanitatis*, id est ventilatione inutili, id est quia non purgantur grana, sed perduntur, et in ventum eji- ciuntur omnia, quæ sunt in vando.

ET FRENUM ERRORIS, QUOD ERAT IN MAXILLIS POPU- LORUM. — *Primo*, Forerius et Sanchez exponunt, *q. d.* Frenum et jugum quod Sennacherib et Chal- dæi imposuerunt Judæis, quo eos a patria extor- res per varias regiones, multos etiam a patria reli- gione ad Gentium deos (ut patet *Jerem. xvi, 13*), vagari et errare fecerunt, Deus perdet et conteret.

Secundo et genuine, *q. d.* Deus in die iudicii auferet et perdet potestatem dæmonis, qua ipse velut freno regebat peccatores, eosque in omnem ducebat errorem et impietatem; consequenter auferet et frenum mundi et carnis, quo multi jam infrenantur. Huc pertinet expositio S. Grego- rii, homil. 18 in *Ezechiel*: « Frenum, ait, erroris maxillas populorum constrinxerat, quando idolorum errore obligata gentilitas, Deo vero confes- sionis dare laudem nesciebat. Sed hoc ipsum er- roris frenum jam nobis in canticum versum est, cum gaudent psallimus atque cantamus: Omnes dii Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Bene autem dicitur: Sicut vox sanctificatæ solemnitatis; quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus.»

Vers. 29.

29. CANTICUM ERIT VOBIS SICUT NOX SANCTIFICA- TÆ SOLEMNITATIS. — Ita legendum scilicet *nox*, uti legunt Romana, Hebræa, Chalbæa; non *vox*, uti legunt Plantina et alia. Jam *primo*, dicit, « sicut nox; » quia, inquit Pintus, cum mane esset immolanda victima, Judæi totam noctem præ- cedentem cum lætitia et canticis transigebant. *Secundo* et genuine, loquitur Propheta sanctis et electis, qui in cælo canent « canticum quasi nox » (id est « noctis; » est antiptosis Hebraica: Hebræi enim carent casibus; unde unum pro alio, imo pro omnibus usurpant); « sanctificatæ solemnita- tis, » non Paschæ, sed transitus maris Rubri, *q. d.* Canent Beati tale canticum, quale cecinerunt He- bræi, quando nocte transito mari Rubro, et sub- merso Pharaone cecinerunt: « Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, » *Exod. xv, 1*. Hoc enim canticum Mosis cantaturos electos docet S. Joannes, *Apoc. xv*. Ita S. Hieronymus.

Aliqui per *noctem* accipiunt noctem nuptia- rum, qua Hebræi, inquiunt, ex deserto, id est ex hortis, cum tibiis et symphonia in montem, id est in Jerusalem, pergebant, *q. d.* Canticum Bea- torum simile erit epithalamio sive hymenæo; sed nuptiæ nusquam vocantur, nec erant tum « sancti- ficata solemnitas. »

SICUT QUI PERGIT CUM TIBIA, UT INTRET IN MON- TEM DOMINI. — Solebant enim vota reddituri et sacrificaturi, exsultantes cum citharis et tibiis ire ad templum, sive ad Deum, qui est fortis, imo fortitudo, Israel.

30. ET AUDITAM FACIET (*q. d.* Dominus notam

faciet toti orbi potentiam vocis suæ, qua quasi tonitru impios in tartara præcipitabit, sanctos in cælum transcribet): IN, etc., FLAMMA IGNIS (tum conflagrationis mundi, tum gehennæ), ALLIDET IN TURBINE, — id est quasi in turbine et grandine. Est catachresis, significans quod Deus terribili modo et horribili impetu reprobos perdet. Vide *Can. XXXVI*. Ita S. Hieronymus.

31. A VOCE ENIM DOMINI PAVEBIT ASSUR. — *Assur*, id est diabolus, ac quis tyrannus et oppressor, Dei sententia ferietur et damnabitur. Ita S. Hiero- nymus. Alludit ad Assur, id est ad Sennacherib, qui a Deo vindice fuit percussus.

Vers. 31.

32. ET ERIT TRANSITUS VIRGÆ FUNDATUS (id est Vers. 32. virga sive flagellum hoc Dei transiens per repro- bos, eosque percutiens, erit fundata, id est fortis, firma, stabilis et perpetua in inferno: itaque) IN TYMPANIS ET CITHARIS (id est cum summo sancto- rum jubilo et triumpho), ET BELLIS PRÆCIPUIS (id est inclyto et glorioso pugnandi et hostes subju- gandi modo, scilicet solo nutu et imperio, qui- que celebrari solet cum tympanis et citharis, uti factum est Mosis, *Exod. xv*, et Davidi contra Go- liath), EXPUGNABIT EOS: — mire enim gaudebunt Sancti de hostibus suis impiis victis, calcatis et æternæ damnationi addictis. Ita S. Hieronymus.

Secundo, Vatablus exponit, *q. d.* Deus vincet Assyrios non armis, nec serio pugnans, sed tan- quam ludens.

Tertio, Forerius, *q. d.* Assyrii et Sennacherib vincuntur, non armis, sed sacrificiis, quæ cum tympanis et citharis offerebantur: plus enim ad victoriam valent piorum preces, quam militum arma. Hebraice enim תנופה *tenupha*, quod Noster vertit: « præcipuis, » significat elevationem et agi- tationem, indeque victimam, quæ in sacrificio Deo omnium creatori elevando et agitando eam ad quatuor plagas mundi in modum crucis, offe- rebatur.

Verum potius bellum *tenupha*, est bellum acre et illustre, quo victor hostem quaquaversum agi- tat, uti leo taurum; aut quo quasi certus de vic- toria manuum elevatione ovat, exsultat, et quasi triumphum agit inter pugnandum. Recte ergo Noster vertit, « bellis præcipuis; » ac proinde primus sensus magis est genuinus; Septuaginta *tenupha* vertunt commutationem; vertunt enim, ipsi cum tympanis et cithara pugnabunt contra eum ex commutatione.

33. PRÆPARATA EST ENIM AB HERI TOPHETH. — Vers. 33. Chaldæus, *gehenna*; Septuaginta, *vallis profunda*. Topheth enim fuit gehenna, id est vallis filiorum Ennom, juxta Jerusalem, ubi Judæi filios crema- bant idolo Moloch, et, ne ejulatu eorum move- rentur, pulsabant תוף *toph*, id est tympana; inde locus dictus est Topheth, quasi Tympanum, et a possessoribus dictus est Gehenna: unde ob simi- lem crudelitatem et incendium, infernus dictus est Topheth, et Gehenna.

Vers. 33. Topheth est infer- nus, cur?

Jam *primo*, S. Cyrillus, S. Thomas, Hugo, Fore-

rius et Sanchez hæc referunt ad Assyrios et Chaldæos, putantque Sennacherib copias ab Angelo in Topheth esse cæsas, imo combustas, sicut in Topheth cremabantur infantes idolo Moloch. Rursum Chaldæis et regi, ut vertit Pagninus, scilicet Balsasari, « præparata » fuit a Deo sua « Topheth, » scilicet in Babylone, ubi insepultus in sterquilinum projectus est, et computruit : sicut in Topheth erat sepultura Judæorum, qui ibi putrescebant, ut docet Jeremias cap. XIX, 41. Septuaginta plane aliter vertunt, nimirum, *tu enim ante dies decipieris*. Ita enim legunt Complutenses, licet Romani codices Caraffæ habeant, *tu enim ante dies exigeris*; facilis enim lapsus fuit ex ἀπαρθησις, id est decipieris, in ἀπειρησις, id est exigeris. Causa hujus diversitatis est, quod Septuaginta Topheth, vel, ut hebraice est Tophete, acceperint non ut nomen proprium, sed ut futurum verbi פתה patha, id est illexit, decipit.

Secundo et genuine, dat hic Propheta causam cur dixerit, vers. præced., transitum virgæ Dei in impios esse fundatum, id est perpetuum; quia scilicet præparavit eis ab heri, id est ab olim, ab initio mundi, Topheth, id est gehennam. De Topheth origine, etymo, etc., dicam Jerem. VII, 31 (1).

Judæi ex hoc loco putant « Topheth, » sive gehennam, creatam esse a Deo secundo die mundi, quia ille dies tantum habuit « heri, » id est unum diem priorem; verum « heri » omne tempus præteritum significat, uti ostendi Hebr. XIII, 8; vide dicta Gen. I, 4, ubi ostendi infernum statim post lapsum Angelorum primo mundi die esse conditum. « Heri » ergo significat primo, quod damnatis tormenta et incendia semper sint nova ac recentia, perinde ac si hesternæ die inchoassent. Secundo, æternitatem eorumdem : quia in æternitate, utpote stabili et immobili, quodcumque sæculorum spatium perinde est atque dies hesternæ : ideoque quovis æternitatis momento sic erit acer ignis ille gehennalis, ac si hodie arderet, et heri cœptus esset incendi, inquit Sanchez.

Nota hic sex conditiones gehennæ. Prima est, quod sit « Topheth, » id est locus incendii et tympani quo pulsantur. Secunda, quod ab « heri, » id est ab initio mundi, impiis sit præparata. Tertia, quod « profunda, » quia juxta centrum terræ : unde, Job X, 21, vocatur « terra tenebrosa et operata mortis caligine. » Vide ibi S. Gregorium. Quarta, quod sit « dilatata; » tum quia ventrem habet amplum, ut capiat tot milliones hominum; tum

quia os habet apertum et hians, ut damnatos absorbeat : hinc infernus comparatur feræ famenti, et præ fame hianti, et rictum oris dilatanti, ut cibum vel hominem devoret. Unde dicitur Habac. II : « Dilatavit quasi infernus animam suam; » et Isaïæ V : « Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino. » Nimirum « infernus insatiabiliter cava guttura pandit. » Quocirca hebraice infernus dicitur שׁוֹלוֹל sceol, id est postulans; quia, ut dicitur Prov. XXX, 15 : « Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod nunquam dicit : Sufficit; infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua : ignis vero nunquam dicit : Sufficit. » Quinta inferni conditio sequitur, cum ait :

NUTRIMENTA EJUS, IGNIS ET LIGNA MULTA. — Per « ligna, » quæ commune sunt ignis fomentum, aliud quodlibet per catachresin intelligit; quale erit sulphur æternum, et idem numero semper ardens, ut dixi Apoc. XIX. Rursum ipsa corpora damnatorum : hæc enim vocantur ligna, Lucæ XXIII, 31; Ecclesi. XI, 3. Calvinus ignem, etc., metaphoricè accipit pro punitione Dei. Negat enim damnatos in gehenna uri igne, adeoque asserit pœnam damnatorum non esse aliud, quam quod apprehendant jugiter Deum sibi esse iratum : hæc enim apprehensione eos torqueri et cruciari. Verum Scriptura et Christus damnatis verum ignem ubique comminatur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » ait ipse, Matth. XXV, 41. Idem docent Ecclesia, S. Augustinus omnesque Patres. Vide hic quam res fidei enervet Calvinus, quamque metum Dei et inferni hominibus eximat, dum eum facit imaginarium et phantasticum. Hæc est fraus diaboli, et homines sine metu gehennæ impune peccent.

FLATUS DOMINI SICUT TORRENS SULPHURIS SUCCENDENS EAM. — « Topheth, » sive gehennam. Hæc est sexta gehennæ conditio. Sicut ergo de Beatis dicitur, Psal. XXXV : « Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, » qui scilicet jugiter in æternum Beatis vitam et gaudia eadem semper distillet : sic a Deo torrens sulphurei ignis erumpet, qui eodem semper ardore damnatos in æternum cruciet.

Porro, « flatus Domini » est spiritus procellosus divinitus ibi excitatus ad acuendum ignem, sicut ventus excitat incendium Ætnæ; vel est vis divina ignem jugiter conservans, qua ignis ille perpetuo absque consumptione ardebit. Hic flatus perinde gehennam succendet, ac si torrens ardentis sulphuris in eam infunderetur : quid magis horrendum animo concipi queat?

« Infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili; ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus; ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali, » ait Hugo, lib. IV De Anima : « Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu;

(1) Fingit vates, interitum hostis descripturus, magnam quamdam pyram ex materia ustili lignisque multis in lata aliqua valle paratam instructamque esse, ab halitu divino incendendam, in quam conjiciendus sit hostis consumendus.... Jam fingit Propheta, ironia admodum acuta, regem curasse, ut spatium sit satis amplum et sufficiens in illo loco, rogo parando et exstruendo, in quo hostes possint comburi; non quod sibi hoc propositum habuerit Hiskias, quam quod id tam commode evenerat, quam si hoc revera sibi proposuisset. (Rosenmuller.)

quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Mors perimit, et non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit, » ait S. Gregorius, IX *Moral.* xxx.

Morale,
de tor-
mentis
gehennæ.

Moraliter, disce hic quanta sint gehennæ tormenta, quam æterni ignes; eos sæpe meditare, semper ob oculos pone, cum te illecebra ad peccatum sollicitat, cum venus, cum socii; pone digitum in igne, in candela ardente ad pauca momenta, ac dicito tibi: Si tantus est cruciatus candelæ urentis momento, quantus erit cruciatus ignis gehennæ urentis in æternum? « Ego poenitere æternum tanti non emo; » ego modicum mel æterno felle, imo igne non mereor. S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, refert Petrum eremitam defunctum, et protinus corpori restitutum narrasse, se inferni supplicia et innumera loca flammaram vidisse, atque in eis quosdam potentes hujus sæculi spectasse: qui cum jam ductus esset, ut in illa et ipse mergeretur, subito angelum corusci habitus apparuisse, qui eum in ignem mergi prohibebat, dicens: « Regredere, et qualiter tibi post hoc vivendum sit, cautissime attende. » Reviviscens tantis se jejuniis vigiliisque constrinxit, ut eum inferni vidisse et pertimuisse tormenta, etiamsi taceret lingua, conversatio loqueretur. Ibidem S. Gregorius narrat virum illustrem Stephanum defunctum, ductum ad inferni tormenta, vidisse multa, quæ prius audita non credidit: cumque sisteretur judici, audivit: « Non hunc adduci, sed Stephanum ferrarium jussi. » Qui statim reductus in corpus est, et Stephanus ferrarius, qui juxta eum habitabat, eadem hora defunctus est.

Pergit S. Gregorius: Miles, ait, quidam exanimis ad se rediens hæc se vidisse asserebat: « Pons erat, sub quo niger atque caliginosus, foetoris intolerabilis nebulam exhalans fluvius decurrebat. Transacto autem ponte, amœna erant prata atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conventicula esse videbantur: tantusque in eodem loco odor suavitatis inerat, ut ipsa suavitatis fragrantia, illic deambulantes habitantesque satiaret: ibi mansiones erant diversorum, singulæ magnitudine lucis plenæ: ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cujus esset, non potuit agnosci. Erant vero super ripam prædicti fluminis nonnulla habita-

cula; sed alia exurgentis foetoris nebula tegebat, alia autem exurgens foetor e flumine minime tangebatur. Hæc vero erat in prædicto ponte probatio: ut quisquis vellet per eum injustorum transire, in tenebrosam foetentemque fluvium laberetur; justi vero, quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amœna pervenirent. »

Quomodo Josaphat a Barlaam conversus, ductus fuerit in paradysum et infernum, qualiaque et quanta ibi viderit, quibus tentationem libidinis gravissimam plane superavit, imo in ægritudinem et virium defectum incidit, narrat Damascenus in ejus Historia, cap. xxx.

Joannes Climachus, *gradu* 4, narrat se in visitatione monasteriorum fratrem quemdam qui culinæ curam habebat, reperisse singulari lacrymarum gratia præditum: quem rogans, unde eam adeptus esset, audivit ab eo « se nunquam arbitratum in culinæ ministeriis servire hominibus, sed in suis fratribus de Apostolis bene mereri; et ex ignis quem perpetuo cernebat conspectu, vasta ignis inferni incendia animo versasse: quæ consideratio uberes ex oculis lacrymas solebat elicere. » Ita et noster P. Franciscus Borgia, meditatione inferni ad tantam sui mundique despicentiam pervenit, cumque febri æstualet: « Hinc ait, conjice, Franciscæ, quantæ sint inferorum flammæ. »

S. Gregorius, IV *Dialog.* xxx, asserit virum quemdam sanctum et solitarium vidisse Theodoricum regem Gothorum, ea hora qua defunctus est, inter Joannem Papam et Symmachum Patricium, quos injuste occiderat, discinctum, discalceatum, et vinctis post terga manibus, in ollam Vulcaniam, quæ in Lipari insula est, jactari. Ad eandem ollam Ebroini tyranni animam navi duci, audivit a nautis quidam ab Ebroino excæcatus, uti narrat Ado in *Chronico*, ætate 6.

S. Maria Oigniacensis vidit matrem suam defunctam, dicentem se esse damnatam ob bona injusta quæ possederat; et quia, inquit, non volui advertere quid contra Deum in meo hospitio, et a meis subditis ageretur. Quod audiens Maria conformavit se mox Dei voluntati, ac benedixit justum Dei judicium, uti refert Cardinalis Vitriaco lib. III *Vitæ* ejus, cap. XI.

Memorare novissima tua, memorare gehennam, et in æternum non peccabis. O Topheth! o gehenna! quam acris! quam ampla! quam diuturna es!

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Decem tribubus vae et exitium intentat, quod ab Assyrtis invasæ opem non Dei, sed Ægyptiorum implorarent. Ea adverso, vers. 4, duas tribus sub Sennacherib Deum solum invocantes commendat, promittitque quod Deus eas proteget, sicut leo escam suam, et sicut avis nidum suum rostro et unguibus defendit. Hinc vers. 6, hortatur decem tribus, ut cum duabus ad Deum redeant: quod si faciant, Deum protectorem experientur, uti expertæ sunt duæ, cum Deus pro iis pugnans cecidit castra Sennacherib (1).

1. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; et super equitibus, quia prævalidi nimis: et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt. 2. Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit: et consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem. 3. Ægyptus, homo, et non Deus: et equi eorum, caro, et non spiritus: et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur. 4. Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion, et super collem ejus. 5. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. 6. Convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel. 7. In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. 8. Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii: et juvenes ejus vectigales erunt: 9. et fortitudo ejus a terrore transibit, et pavebunt fugientes principes ejus: dixit Dominus; cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.

Vers. 1.

1. VÆ QUI DESCENDUNT IN ÆGYPTUM. — *Primo*, Leo Castrius ad litteram per Ægyptum intelligit Romanos, hæcque omnia explicat de excidio Judæorum per Titum. Verum hæc expositio coacta est, et multa alio detorquet.

Secundo, S. Hieronymus, Cyrillus et Haymo hæc referunt ad Judæos, qui, occiso Godolia, timentes Chaldæos fugerunt in Ægyptum.

(1) Sententiæ Cornelii supra expositæ assentiri non possumus, cum in hoc capite Prophetam existimat vicissim intendere, tum Israelitas quibus imminabat Salmanasar, tum Judæos contra quos expeditionem Sennacherib moliebatur; eique sententiæ ex parte nec minimam verisimilitudinem inesse, cum Berthiero arbitramur. Nam hæc prophetia, quæ eodem tempore quo præcedens, edita est, excidio decem tribuum per Salmanasarem facto posterior est; quæ igitur necessitas hujus capitis explanationem intricare, in eo res tam parum inter se consentientes colligendo? Quod eo infelicius excogitatur, quod noster Cornelius, eique assentientes caput præcedens intelligunt de Judæis Jeremiæ coævis, qui contra Dei mandatum in Ægyptum fugerunt; porro haud dubium est hocce xxxi caput esse cap. xxx continuationem. Hic igitur, sicut supra, vel Judæos tempore Sennacheribi expeditionis, vel, quod minori verisimilitudine gaudet, Judæos Jeremiæ coævus intelligendos censemus.

Tertio, melius Adamus, Sanchez et alii hæc referunt ad Salmanasarem et Sennacherib (ille enim est Assur, de quo vers. 8); tum enim multi Judæi eum timentes fugerunt in Ægyptum. Itaque prior pars capitis spectat ad decem tribus, quæ quia non Dei, sed Ægypti opem imploraverunt, hinc a Salmanasare eversæ, et in Assyriam sunt abductæ: posterior pars spectat ad duas tribus, quæ a Sennacherib vexatæ Dei opem flagitave-

Et quidem superiori capite contumaciam Judæorum Isaïas attigerat, qui Ægypto potius quam Deo confidere volebant; sed statim ad felicitatem illorum qui spem suam in Deo collocabant, digressus, sermonem visus est interrupisse. Illuc ergo nunc redit, et illorum stultitiam traducere conatur; non cessat tamen aliquando apertius ab insinuando mysterio de perditione Judæorum, et suorum liberatione.

Hoc itaque caput est veluti repetitio summaria, *primo*, improbationis, qua fuga in Ægyptum tanquam probrosa, inutilis et noxia arguitur, 1-3.

Secundo, consolationis qua, *primo*, Dei auxilium ad populi tutelam ac liberationem velox et efficax promittitur, 4, 5; *secundo*, Judæorum conversio et idololatriæ abolitio prædicitur, 6, 7; *tertio*, Assyriorum accepta ab Angelis strages, fuga et terror prænuntiantur, 8, 9.

runt, ideoque salvatæ sunt. Ita Adamus et Sanchez (1).

Vers. 2. 2. IPSE AUTEM SAPIENS ADDUXIT (adducet : est enim prophetia) MALUM. — *Sapientem* vocat Deum, quem opponit sapientiæ, quam sibi Ægyptii insipienter arrogabant, *Isaiæ*, XIX, 11 (2).

ET VERBA SUA NON ABSTULIT, — id est non auferet, non revocabit, sed perficiet, id quod verbo suo minatus est. Est miosis vel liptote, *q. d.* Deus qui in consiliis suis sapientissimus est, tam Ægyptiis quam Samaritis in Ægyptum fugientibus adducet malum, id est cladem per Sennacherib; neque enim minas in eos auferet, sed consurget acer ultor contra domum, id est contra decem tribus, quæ spreto Deo ad vitulos aureos, et ad Ægyptios confugerunt.

ET CONTRA AUXILIUM OPERANTIUM INIQUITATEM, — id est contra Ægyptios, qui decem tribubus auxiliantur, suntque homines scelerati et operantes iniquitatem. Alii vertunt, *contra auxilium opificum vanitatis*. Opifices autem, sive artifices vanitatis, vocari Judæos, quod inani præsidio se adversus Dei manum vindicem munire cogitarent, scilicet illicito auxilio Ægyptiorum. Docemur hic in adversis et periculis nihil esse melius, quam abnegato proprio sensu, nos totos subicere Deo; quia in tota cavendi sollicitudine, qua se macerant increduli, nihil est firmum: imo ira Dei fallacibus his carnis artificiis quasi data opera provocatur.

Vers. 3. 3. ÆGYPTUS, HOMO, ET NON DEUS. — « Ægyptus, » id est Ægyptius, *q. d.* Ægyptii homines sunt fragiles et imbecilles; ut quid ergo ad eos confugitis, et non potius ad Deum immortalem et fortissimum, contra quem pugnare tantumdem est, ac si caro, id est homo, pugnet in spiritum, id est in ventum, aut potius in angelum vel dæmonem?

DOMINUS INCLINABIT MANUM SUAM, — scilicet ad percipiendum tam Ægyptios, qui præbent, quam decem tribus, quæ ab eis exspectant auxilium (3).

(1) Dixerat in propositione: *Væ his... qui innituntur equis*. Id vero mox declarat. Cum enim equorum duplex possit esse usus in præliis, ut vel jungantur *curribus*, ex quibus more veterum a bellatoribus pugnabatur, vel sessoribus in prælio serviant; utrumque distincte recitat: *Quique, ait, confidunt curribus, quod multi sunt, et equitibus, quod valde numerosi sunt.* (Rosenmuller.)

(2) « Ipse autem sapiens. » Sensus constat; sed aperit redditor si non omittatur conjunctio quæ est in Hebræo, et adduxit, etc. Initio superioris capitis vidimus quo pacto suæ prudentiæ et consiliis innixi auxilium Ægyptiorum implorare decrevissent. Ad illud ergo respiciens non sine quadam irrisione addit: *Est autem ipse quoque sapiens, q. d.* Ipse quoque Dominus juxta sapientiam suam scit quid facto opus sit; et quid vestra isthæc contumacia mereatur ut non ignorat, ita quoque vicem sapientissime rependet. (Forerius.)

(3) Verum quonam pacto corruerint tam qui auxilium petebant Judæi, quam qui eos adjuverunt Ægyptii, atque ob hoc crimen consumpti sint, ni fallor, ex Scripturis ostendi non potest; præsertim temporibus Sennacherib,

4. QUIA HÆC DICIT DOMINUS. — Probat a contrario exemplo male fecisse Samaritas, quod non ad Deum, sed ad Ægyptios confugerint: quia scilicet duæ tribus invocantes Deum tantum, ab hoste incolumes evaserunt. Vers. 4.

QUOMODO SI RUGIAT LEO. — Hic transit ad Ezechiam et duas tribus quæ pressæ a Sennacherib, non ad Ægyptios, sed ad Deum confugerunt: ideoque Deus, quasi leo fortissimus pugnans pro sua præda et esca, eas tutatus est.

Notat Procopius leonem cum prædatur, *primo*, rugitu suo percellere tam pecora quam custodes; deinde illos invadere et discerpere: sic Deum primo rugire, id est minari per Prophetas; deinde homines obstinatos in suis peccatis contundere, lacerare et disperdere (4).

5. SICUT AVES VOLANTES. — Deum protectorem Ezechiae comparavit *primo*, leoni, ob fortitudinem, quia potest suos tutari. *Secundo*, hic comparat avi incubanti pullis, quæ vult omnibus modis eos ab accipitre et aucupe protegere, imo vitam suam pro pullis periculo objicit. In leone ergo notatur robur, in avibus pietas, clementia et sedulitas: hæc ut velit, illud ut possit conservare eos qui se Dei fidei et opi commiserunt. Vers. 5.

Nota: Cap. x, 14, Sennacherib minabatur Judæis et gentibus, se eos quasi nidos cum pullis perditurum: hic alludens et quasi respondens ei Dominus, promittit se Judæos defensurum, sicut avis rostro et alis nidum et pullos defendit, dum eos in nido nutrit et sensim volatui assuefacit.

de quibus est sermo: præter id quod Ægyptios velle auxilium præstare petentibus Judæis nihil culpæ erat. His adde quod versus sequentes non ruinam Ægyptiorum sed Assyriorum continent. Quod si ruinam hanc ad alia tempora referas (ut certe, si historiæ insistas, oportet referas), quorsum fiduciam in Ægyptios, et ob hanc interitum ac consumptionem eo tempore eis objicit, quo de interitu Assyriorum et liberatione Jerosolymitanorum verba facit? Annon hæc satis indicant, in perditione Assyriorum, hostium populi Dei perditionem, nempe Judæorum, tanquam in typo, et in liberatione Jerosolymorum liberationem servorum Dei de tyrannide Judæorum vidisse Isaiam? Ridebunt, scio, infideles Judæi hanc interpretandi rationem: sed quid non boni et veri illi rident?

(Idem.)

(4) « Quia, » etc. Si utrosque simul *consumendos* denuntiabat, quid est hoc quod quasi rationem reddens, aut certe exponens quod dixerat, his duobus versibus Jerosolymitanos salvandos, et vers. 8 et 9, Assyrios, qui Jerosolymam oppugnabant, perdendos commemorat? Ergo Jerusalem quam Deus tunc circummunivit ac protexit, alterius Jerusalem, id est domus servorum Dei, typum gerebat; Assyrii autem tam Judæorum quam omnium hostium populi Dei erant umbræ quædam. Consumuntur autem non solum ipsi hostes, sed omnia ipsorum auxilia in quibus habent fiduciam, totaque eorum sapientia absorbetur. (Idem.)

Eadem imagine utitur Homerus, *Iliad.* XVIII, 461:

Ὅς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἰθῶνα δύνανται

Πόμηνες ἄγραυλοι μέγα παικλοντα δίεσθαι,

Ut fulvum leonem, cum valde esurit, a corpore abigere non possunt pastores, qui in agris degunt.

Sic Christus, *Matth. xxiii*, comparat se gallinæ pullos suos sub alis congreganti. Ita S. Hieronymus.

Hinc symbolice, Plato in *Phædro*, ait Castrius, viros sublimes et divinos asserit fieri volucres, et pennas progenerare, quibus quasi aves et aquilæ ad cælum avolent.

Vers. 6. 6. CONVERTIMINI SICUT IN PROFUNDUM RECESSERATIS. — Hebraice efficacius, *sicut profundastis iniquitatem, q. d.* Sicut profunde a me declinastis, et descendistis ad idola et scelera vestra : ita nunc serio ex profundo imoque corde ad me redite. Alloquitur decem tribus, ut exemplo duarum ad Deum redeant; item nonnullos Judæorum ex duabus tribubus, qui sub Achaz cum eo ad idola et scelera declinarant (1).

Vers. 7. 7. IN DIE ENIM ILLA ABJICIET VIR IDOLA. — Hæc pendent et explenda sunt vers. seq., *q. d.* Convertimini ad Deum, o decem tribus! sic enim ejus opem experiemini, perinde ac mox experientur tuæ tribus, cum abjectis omnibus idolis, quæ nonnulli eorum tempore Achaz fecerunt, unanimes toto corde me colent, meque invocabunt : tunc enim liberabo eos, ac cædam Assur, id est Sennacherib eos oppugnantem.

Vers. 8. 8. ET CADET ASSUR IN GLADIO NON VIRI. — Hinc patet hic agi non de Chaldæis, sed de Sennacherib : hic enim fuit Assur, qui cecidit « in gladio non viri, » sed Angeli, qui una nocte ex ejus copiis cecidit 185 millia. Ita S. Hieronymus. Vide hic, quod mundus non sit aliud, quam perpetua ruina omnis generis et conditionis hominum.

ET JUVENES EJUS VECTIGALES ERUNT, — *q. d.* Assyrii, qui solebant aliis imperare vectigal, jam idem præstare cogentur tum Chaldæis, tum Persis et Medis, etc. Hebraice est, *et Juvenes ejus in liquefactionem erunt*; id est animis cadent et quasi liquescent. Ita Vatablus. Pagninus, *dissoluti erunt*; Septuaginta, *vincentur*, juvenes scilicet, antea fervidi, bellicosi et feroces. Noster optime vertit, *vectigales erunt* : Hebræi enim vectigal vocant *מס mas*, id est liquefactionem, a radice *מסס masas*, id est liquavit, eo quod vectigalia opes cujusque liquefaciant, et sensim arrodant et consumant.

Vers. 9. 9. ET FORTITUDO EJUS A TERRORRE TRANSIBIT, — *q. d.* Animus et robur Sennacherib ac Assyriorum transibit, evanescet et cadet a terrore Domini castra cædentis : omnes enim pavore concussi vel occidentur, vel quasi exanimati fugient.

(1) Hebræus textus sic etiam a quibusdam vertitur: *Convertimini ad eum, cui profundam fecerunt defectionem filii Israel*, hoc est, a quo filii Israel alte defecerunt, tanquam rebellionis quodam gurgite mersi; ut de diversis dictum intelligatur, sed de iisdem rectius intelligendum cum Vulgata censent Berthierus et Rosenmüller. Quorsum etenim, inquit Berthierus, de filiis Israel, scilicet de decem tribubus jam destructis sermo esset? Nonne Judæi Jerosolymam incolentes satis magnæ infidelitatis et ipsi conscii non erant, quin ad Israelitas recurrere necesse fuisset?

ET PAVEBUNT FUGIENTES. — Pro *fugientes* hebraice est *מִינֵי mines*, id est a vexillo, inquit Vatablus, id est a copiis Angelorum Assyrios invadentium : et forte Angeli habebant vexilla, quasi milites et acies Domini. Chaldæus vertit, *propter miraculum*, scilicet tantæ stragis : noster legit *מִינֵי minnos*, hoc est a fugiendo, id est in fuga, fugientes.

CUJUS IGNIS EST IN SION, ET CAMINUS EJUS IN JERUSALEM. — Mirum est Septuaginta vertere : *Beatus qui habet in Sion semen, et domesticos in Jerusalem*. Nam et Symmachus vertit, ut noster Interpretes : *Habet ignem in Sion, et clibanum in Jerusalem*; et Aquila ac Theodotion : *Lumen ei in Sion, et clibanus in Jerusalem*. Sensus est, quasi dicat : Deus pro Judæis ita vastabit et concremabit Assyrios; quia in altari igne perpetuo sacrificiis ab eis colitur in Sion. *Secundo*, quia in templo habitat quasi civis, imo Dominus Jerusalem. Unde Septuaginta vertunt : *Beatus (Deus) qui habet in Sion semen, et domesticos in Jerusalem*. Quocirca ipse urbem hanc suam, imo regiam tutabitur, atque quasi ignis egrediens de templo et altari suo, insiliet in Assyrios hostes suos, eosque instar stipulæ et lignorum quasi vorax flamma consumet, inquit S. Hieronymus; vide dicta cap. x 17. *Tertio*, symbolice Sanchez, *q. d.* Ideo Deus habebit ignem et fulmina, quæ ejaculetur in hostes populi sui; quia apud nos ignis in Dei cultum semper ardet : nos ergo exhibemus quasi arma Deo, quibus pro nobis contra hostes utatur, dum eum per victimas et preces nobis conciliamus, ac nostris hostibus infensum reddimus, iramque ejus acimus : sicut ex adverso nostris peccatis Dei furorem contra nos armamus, eum concitando, et thesaurizando nobis iram, ut ait Paulus *Rom. ii. 5*.

Notent hoc Principes, Magistratus et cives, discantque ecclesias et monasteria non respuere, iisque non præponere domos civium, quasi hi urbem adaugeant : qui enim templa et altaria habent in suis vicis et plateis, Deum in eis habitantem vicinum et domesticum, imo præsidem et tutorem habent, qui quasi ignis eos defendet, « *cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.* » Scimus quomodo Ægyptus in temporalibus æque ac spiritualibus floruerit, cum in ea habitarent Antonii, Macarii, Pambones, etc., imo Oxyrinchum et aliæ urbes pene a monachis habitarentur, ut tanta essent monasteria, quantæ domus; tot, imo plures, monachi quam cives. Viderunt idipsum etiam Gentiles, qui proinde in omnibus suis urbibus et cœtibus habuerunt templa, ut deos accolas, imo incolas et præsidem haberent. Audi Plutarchum, lib. *Advers. Colotem*, sub finem : « Si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes; gymnasiorum et theatrorum nescias : urbem templis diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere

Ignis
Dei est
in Sion.

nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem sine solo condi posse puto, quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare. Cæterum, id quod omnem continet societatem (scilicet numinis religio, timor et cultus), omnium legum fundamentum est. » Dixit Aristoteles, *Rhetor. ad Alexandr.*: « Deos proniores esse in eos, qui maxime illos colunt. » Ausus gloriari Cicero, *orat. De Aurusp. respons.* Romanos, « non caliditate, aut robore, sed pietate ac religione omnes nationes superavisse. »

Prudenter ergo Mæcenas monuit Augustum, apud Dionem Cassium, lib. LII: « Διῶνιμ illud numen omni modo, omni tempore, ipse cole juxta leges patrias; et alii ut colant, effice. » Nam, ut ait Diogenes apud Stobæum, « decet quod optimum est, ab optimo coli; et quod imperat, ab imperante. » Et Justinus, lib. VIII: « Jure ille a diis proximus habetur, per quem deorum majestas vindicatur. »

Cur Deus per ignem representetur, et in igne apparuerit, dixi *Exod.* cap. XXIV, vers. 17, et *Deuteronom.* cap. IV, vers. 15, et *Hebr.* cap. XII, 29.

Mystice, hic « ignis » est charitas, qua in Ecclesia maxime colitur Deus. In hac enim, ejusque auctore Spiritu Sancto residet et requiescit Deus in mystica Jerusalem et templo, hoc est in Ecclesia ejusque Sanctis. Unde S. Gregorius, *homil. 21 in Ezech.*: « Ex amore, ait, Domini in Sion ignis, in Jerusalem caminus: quia hic amoris ejus flammis aliquatenus ardemus, ubi de illo aliquid contemplamur: sed ibi plene ardebimus, ubi de illo plene videbimus quem amamus. » Per Sion enim accipit Ecclesiam militantem, per Jerusalem triumphantem: atque plus est esse caminum (in eo enim est vastior flamma) quam ignem. S. Hieronymus per *ignem* accipit illustrationem et judicium Dei, quo justos illuminat, peccatores excæcat et consumit, de quo *Dan.* VII, 9.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In typo Ezechiaë optimi regis describit regnum Christi (ad hunc enim de more avolat) ejusque Rempublicam, puta Ecclesiam, optime constitutam. Ita S. Thomas, Hugo, Lyranus, Vatablus et Sanchez: licet S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus et Adamus hæc ad litteram accipiant tantum de Christo, eo quod quædam, quæ hic dicuntur, nimis augusta sint, quam ut convenient Ezechiaë: sed Propheta miscet typum cum antitypo, puta regnum Ezechiaë cum regno Christi; unde quædam habet quæ unæ, quædam quæ alteri magis conveniunt, juxta Can. IV et V. Secundo, vers. 9, prophetat et describit cladem Hierosolymæ per Romanos, ac Judæorum desolationem tum temporalem, tum spirituales: quos tamen, vers. 15, consolatur, quod eis et magis Gentibus mittet Spiritum Sanctum, qui eis afferet justitiam et pacem, et requiem opulentam (1).

1. Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt. 2. Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, et umbra petraë prominentis in terra deserta. 3. Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter

(1) Juxta Calmetum, sententia communior quæ asserit in hoc capite de regno Ezechiaë sermonem esse, haud levioribus difficultatibus subjacet. Nam *primo*, hic prædicatur principem in justitia regnaturum; quæ quidem prædictio, juxta hujus sententiæ fautores, uno anno et aliquot mensibus ante bellum a Sennacheribo illatum (de quo in vers. 10 ageretur), edita esset. Porro illo tempore, Ezechiam jam a decem annis in justitia regnasse constat. *Secundo*, calamitates quas regno Judæ Propheta intentat, vers. 13-15, nullo modo temporibus quæ Sennacheribi cladem, bene vero congruit illis quæ Jerosolymæ expugnationem a Chaldæis subsecuta sunt; ideoque postea (vers. 19 hujus capitis et 1 cap. XXXIII) excidium Babylonis Isaias prædicit. *Tertio* tandem, non satis rationi consentaneum videtur, ut rursum in hoc capite bellum a Sennacheribo illatum prædicatur, cum jam in duobus præcedentibus capitibus, cum cap. XXXII et XXXIII arctissime junctis, nec non ejus exercitus clades, ipsiusque fuga, et mors fusius prænuntientur.

His de causis, quæ de principe in justitia regnatura hic prædicantur, rectius de Josia, qui tum pietate, tum

æquitate excellit, intelligerentur, et in hac sententia omnia constant, nam post ejus mortem, maximis calamitatibus regnum Judæ et ipsa Jerosolyma afflicta fuere, quæ plenum excidium regni, urbis et templi, aliquot post annos excepit. Quod maxime contra hanc sententiam faceret, forsitan esset vers. 10: « Post dies, et annum, vos conturbamini, confidentes. » Sed his verbis, quorum non una est interpretatio, nil certi quidquam de tempore quo hoc vaticinium adimplendum esset, definiri potest, cæterum, quælibet sententia admittatur, Prophetam alia feliciora tempora, et alterum regem Ezechia vel Josia sanctiorem, occisis populi Dei hostibus, regnantem vidisse, agnoscendum est; et unum aliumve ex his regibus ut typum, et regnum Filii Dei ut veritatem consideremus, necesse est. Quin imo, ut bene notat Cornelius, quædam augustiora sunt ut his principibus ullo modo congruant, et in sensu litterali ad Christi ætatem referenda.

Primo igitur, statum florentem Judææ sub Ezechia, vel Josia ceu typo, et sub Christo ceu antitypo Isaias depingit: *primo*, ex regis ac principum justitia, et subditorum tutela ac securitate, 1, 2; *secundo*, ex institutione ad doe-

auscultabunt. 4. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. 5. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur major: 6. stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuam faciat animam esurientis, et potum sitiendi auferat. 7. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper judicium. 8. Princeps vero ea quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit. 9. Mulieres opulentæ, surgite, et audite vocem meam: filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum. 10. Post dies enim. et annum, vos conturbabimini confidentes: consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet. 11. Obstupescite, opulentæ; conturbamini, confidentes: exuite vos, et confundimini, accingite lumbos vestros. 12. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. 13. Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis? 14. Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebræ et palpato factæ sunt super speluncas usque in æternum. Gaudium onagrorum pascua gregum, 15. donec effundatur super nos spiritus de excelso: et erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur. 16. Et habitabit in solitudine judicium, justitia in Charmel sedebit. 17. Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. 18. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiducia, et in requie opulenta. 19. Grando autem in defensione saltus, et humilitate humiliabitur civitas. 20. Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.

Ve. s. 1. 1. ECCE IN JUSTITIA REGNABIT REX, — scilicet Ezechias, et ejus antitypus Christus, cujus principes sunt Apostoli, cum ante Ezechiam regnarit impius avus Achaz, qui urbem et templum idolis polluit. Hæc re ipsa facta sunt post cæsum Sennacherib, et post curationem Ezechiae: tum enim tam rex quam populus in plena pace mire coluit pietatem et justitiam. Pulchre Septuaginta, ἀρχόντες μετὰ κρίσεως ἀξίως, principes cum judicio principabuntur, hoc est imperabunt. Nota: Judicium necessarium est principi; ejus defectu sæpe sub bonis principibus pessime habuit populus: sicut legimus de

trinam salutarem prompta et efficaci, quæ hominibus beneficia conferet opposita pœnis, cap. xxix, vers. 10 et seq. prædictis; tertio, ex discretionem rerum accurata, et fraudis ac dissimulationis proscriptio, ubi causas reddit cur bonus rex neque impiis neque avaris mandare debeat magistratus; quarto, ex ingenua et provida administrationis communis cura, 8.

Secundo, vaticinatur conditionem tristem Judæorum, sub captivitate Babylonicam, vel sub excidium Hierosolymæ per Titum; primo, prænuntiatam Judææ urbibus, sub feminarum opulentarum schemate, 9, 10; secundo, propositam ad luctus et pœnitentiæ excitationem, 11, 12; tertio, descriptam per imaginem vastatorum agrorum, exsilium et dispersionem hominum, 13, 14.

Tertio, prædicat sortem lætiorem sub reditu e captivitate et in sensu litterali, sublimiori sub promulgationem Evangelii: primo, ob conversionem rerum in meliorem statum a Deo factam, ex quo res tam sacræ, quam civiles optime administrantur, 15, 16; secundo, ob invenientiam pacem et quietem, et securitatem, omnimodamque felicitatem, tanquam justitiæ præmium, redditam, 17, 18; tertio, ob vindictam de improbis sumptam, salutem autem innocuis datam, 19, 20.

Nerva, sub quo omnia libebant, ut deterior sub ipso quam sub Nerone multorum conditio foret: quia dissoluta unius segnitie multis improbis licentiæ causa erat.

2. ET ERIT VIR SICUT, etc. — q. d. Quisque fide- Vers. 2.
lium ita tutus erit sub Ezechia, et magis sub Christo, sicut sub tecto quis absconditur, et tutus est a vento; et sicut navigantes in portu se celant, et tutantur a tempestate: imo Ezechias et Christus erunt eis quasi rivus aquarum in siti, et quasi umbra in deserto, cum ardent sol et æstus. Disce hic principem populo esse debere, primo, quasi tectum, quod eum a vento et turbine adversitatum defendat; secundo, sicut portum, qui naves a tempestate excipit et secludit; tertio, sicut rivum sitiendi, debet enim princeps fami et penuriæ publicæ providere; quarto, sicut umbram petrae in æstu, sub qua latet viator in deserto, immunis a solis radiis et ardore. Tyranni enim et nobiles sæpe populum affligunt, non minus quam turbo hominem, tempestas naves, sitis æstuantem, æstus viatorem: qui ergo rex esse cupit, non tyrannus, ab iis populum tutari debet. Vide dicta, cap. iv, vers. 6. Idem docuerunt Gentiles. Aristoteles, lib. VIII Politic. cap. xix, ita tyrannum a rege discernit: « Tyrannus, ait, suum ipsius commodum spectat et quærit, at rex subditorum. » Seneca, De Clement.: « Scias (o princeps!) civium non servitutem tibi traditam, sed tutelam; nec rempublicam tuam esse, sed te reipublicæ. » Cicero, lib. V De Republ.: « Moderatori, ait, reipublicæ beata civium vita proposita est, ut ea opibus firma, copiis

locuples, gloria ampla, virtute hōnesta sit. » Audi Claudianum *ad Honorium*:

Tu civem patremque geras; tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Hinc infert Seneca, *Cons. ad Polyb.*, principem debere esse pervigilem: « Omnium, inquit, somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ideo remissum aliquando animum habebit, solutum nunquam; » additque hoc esse regis, hoc reipublicæ fulcimentum: « Illius, ait, principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse pro se sciunt. » Hinc rursus Cyrus apud Xenophontem, lib. VIII *Pædiæ*, censebat « non convenire cuiquam imperium, nisi melior esset iis quibus imperaret. »

Vers 3. 3. NON CALIGABUNT OCULI VIDENTIUM. — *Videntes* vocat Prophetas, *q. d.* Sub Ezechia, et magis sub Christo, mutatis in melius moribus populi, Prophetæ clariores habebunt a Deo visiones et revelationes, ac populus ad eos audiendum magis erit capax et docilis. Opponit hoc dictis cap. xxix, vers. 10, ubi dixit Deum ob peccata Judæorum clausisse eis oculos, et operuisse Prophetas; et dictis cap. xxx, vers. 9, ubi dixit eos nolle audire legem Dei. Ita factum videbimus in *Isaia*, cap. xl, et deinceps, ubi tam aperte de Christo aliisque vaticinatur, ut historiam te legere putes, non prophetiam.

Vers. 4. 4. ET COR STULTORUM INTELLIGET SCIENTIAM. — Stulti fuerunt Judæi sub Ezechia credentes pseudopropheta; sed iis exclusis ab Ezechia et veris introductis, ab eis intellexerunt scientiam veram de Deo rebusque agendis: tumque Deus balborum, id est Isaia et Prophetarum, qui antea quasi erant balbi, id est timide, hæsitanter, obscure et imperfecte prædicabant, linguam expediet, ut plane, expedite et velociter oracula Dei proponant populo. Sub Christo vero stulti fuerunt Gentiles, qui stulte idolis et vitis suis serviebant: hi acceperunt scientiam Dei et salutis ab Apostolis, tumque lingua balborum plane locuta est, cum Apostoli antea rudes et inepti, recepto Spiritu Sancto, acceperunt linguas igneas, quibus facundi et fervidi facti sunt ad prædicandum toto orbe Evangelium. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius.

Vers 5. 5. NON VOCABITUR ULTRA IS, QUI INSIPIENS EST, PRINCEPS. — Non loquitur de Sennacherib superbo, ut vult S. Thomas, sed potius, ut Hugo, de Achaz, aliisque impiis regibus, qui fraudulentos constituerunt principes et magistratus populi, quibus jam successerat pius et sapiens rex Ezechias, qui impiis et insipientibus principibus et doctoribus expolis, sibi similes substituit. Rursus, antitype loquitur de tempore Christi, *q. d.* Sub Christo cæci; avari et fraudulentum Pharisæi et Scribæ non amplius habebuntur principes

et doctores: sunt enim stulti, et docent fatuas traditiones, ut sequitur, sed principes et doctores erunt Apostoli virique Apostolici. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Leo Castrius.

Nota hic in rege et rectore maxime requiri sapientiam et prudentiam. Hæc enim uti est « oculus animæ, » teste Aristotele, ita est et regni. Dixit Cicero, lib. V *De Finib.*, « artem vivendi esse prudentiam, ut medicinam valetudinis. » Melius dixit alter, « artem regendi esse prudentiam; » nam, ut ait Menander: « Famulatur omne, quidquid est prudentiæ. » Et Sophocles, *Antigon.*: « Longe prudentia felicitatis primas tenet. » At contra imprudentia infelix, quæ « pleraque et se præcipitat, » ait Sallustius ad Cæsar. Ratio est, quia « nullum animal morosius est, nullum majori arte tractandum, » quam homo, ait Seneca, lib. I *De Clementia*: « Prudentia ergo imperantis propria et unica est virtus, » ait Aristoteles, III *Politice.*; nam plura consiliis quam armis geruntur: « Mens una sapiens, plurium vincit manus, » inquit Euripides. Et: « Multa quæ natura impedita sunt, consilio expediuntur, » ait Livius lib. XL. Porro sapientiæ principum pars est non parva, sapientes habere et sequi consiliarios. Esto enim sit princeps sapientissimus: « Si de sua sententia omnia gerat, superbum hunc judicabo magis quam sapientem, » inquit Livius, lib. XLIV. Ita Alexander habuit Callisthenem, Scipio Panætium et Polybium, Augustus Arium et Athenodorum, David Nathan, Joas Joaida, Cyrus Danielelem, Artaxerxes Esdram et Nehemiam; tum ut ornamenta, tum ut adjuncta regni. Hoc Ulysses sapiens voluit apud Homerum, *Odyss.* v, cum Minervam, id est prudentiam, sic affatur:

Atqui ego, si mihi sic assistas, cæsia diva,
Vel centum contra homines concurrere pugna
Ausim, te fretus comite, o Dea! et adjutrice.

6. STULTUS ENIM FATUA LOQUETUR. — S. Thomas *Vers. 6.* per *stultum* intelligit Sennacherib, cujus sermo ad Judæos stultus fuit, blasphemus et fraudulentus, annonam et alia multa pollicendo Judæis, ut eos ad deditionem flecteret, quæ non erat præstiturus, sed populum esurientem et sitientem relicturus.

Secundo, alii ad Achaz hæc referunt, qui stulte populum ad idola deduxit, itaque famis, penuriæ et aliorum malorum ei erat auctor. Unde Chaldæus vertit, *impii impietatem loquentur*.

Verum, ut dixi, hæc spectant tempora Ezechia et Christi, *q. d.* Insipientes et fraudulentum non erunt principes et doctores tempore Ezechia et Christi, uti fuerunt tempore Achaz, Manassis et aliorum impiorum regum: quia tunc patebit per veros Prophetas et Apostolos ipsos fatua loqui, facere iniquitatem, esse hypocritas, *loqui ad Dominum*, id est, de Domino (sic enim Hebræum *lamed*, id est *ad*, sæpe sumitur pro *in*, id est *de*, ut patet *Hebr.* cap. i, 7, et cap. iv, 13) *fraudenter*;

quia scilicet labiis eum honorant, cor autem eorum longe est ab eo : tumque patebit eos sua vana doctrina non satiasset animas esurientes et sitiennes veritatem. Id clarum est de Phariseis tempore Christi, idque tum in rebus temporalibus ; cum enim patri indigenti jubebant filios dicere « corban, » quid aliud nisi patrem esurire et sitire cogebant ? tum in spiritualibus : verum enim et spiritualium Dei cultum ad inanes lotiones et ineptas caeremonias traducebant. Idem clarum est in oraculis Gentilium, quæ tunc obmutuerunt ; et in doctrinis Philosophorum : hi enim omnes quasi stulti victi et prostrati sunt a sapientia Christi et Apostolorum, ut docet Apostolus, I Cor. I et II ; quare tunc Apostoli esurientium et sitiensium Deum animas solito pietatis cibo et potu refecerant ; ideoque ad eos, prioribus relictis, fideles confugerunt.

Nota : Res dicitur fieri vel facta, cum fieri vel facta declaratur, juxta Can. XXIX. Unde Vatablus vertit, *sordidus*, id est avarus, non dicitur amplius liberalis, neque parcus magnificus : quia sordidus sordida loquetur, etc. q. d. Tempore Christi veritati locus erit, non simulationi : tunc enim omne vitium æque ac virtus declarabitur ac patescet, atque virtuti sua erit laus, vitio sua infamia ; cum antea pseudoprophetæ bonum dicerent malum, et malum bonum, ut fusius dixi *Isaiæ* x, 5. Videant ergo Christiani, Monachi, Prælati, qui vocantur Fideles, Sancti, Benefici, Religiosi, Venerabiles, Reverendissimi, etc., ut tales se operibus præsentent, quales vocitantur ; ne inane et fucatum gerant nomen et titulum. Porro τὸ *stultus fatua loquetur*, parcemia est, quam etiam usurpat Euripides in *Bacchis*, ὁ μωρὸς μωρὰ λέγει, *stultus stulta loquitur* ; et Seneca ad *Lucilium* : « Talis hominibus fuit oratio, qualis vita ; » et Democritus : « Oratio, inquit, est εἰδωλον τοῦ βίου, simulacrum vitæ. » Sicut ænea vasa tinnitu, sic homines sermone dignoscuntur ; est enim sermo speculum animæ et mentis.

Vers. 7.

7. FRAUDULENTI VASA (id est instrumenta) PESSIMA SUNT. — Nam, ut sequitur, ipse cogitat et concinnat, quomodo perdat mites et pauperes qui justam habent causam, per mendacium et calumniam, q. d. Tales ergo iudices et magistratus, qui sub Achaz irrepserunt, amovebit Ezechias, et pro fraudulentis fideles et sinceros constituet. Sic tempore Christi vasa, id est instrumenta, fraudulentorum Phariseorum fuerunt pessima : cogitarunt enim suis astutiis et calumniis per amicos et pecunias perdere Christum et Christianos, cum mites et pauperes Apostoli loquerentur iudicium, id est justissima et æquissima.

Hebraice est paronomasia כְּלֵי כְלֵי רַעִים *kelai kelaf raim* : *kelai*, id est avari, inquit Vatablus, qui nihil dant, sed multa rapiunt, et in arca concludunt (radix enim כָּלָא *cala* significat claudere, concludere), quales solent esse fraudulentis : qui enim dutescere, hi per fas et nefas

omnia corradunt : recte ergo Noster vertit, « fraudulentis. » Ita Arias.

8. PRINCEPS VERO EA, QUÆ DIGNA SUNT PRINCIPE, COGITABIT, — q. d. Ezechias dabit ideam optimi principis, ideoque vigil excubabit ut rempublicam sapienter administret, ut duces et magistratus recte dirigat, utque quæcumque bono principe digna sunt, cogitet et exsequatur, quasi animata Dei in terris imago, Deum subditis representans, et terrestris quidam Deus.

Rursum, Christus quasi alter Ezechias, principum Princeps sapienter per se et Apostolos, quasi duces suos, Ecclesiam reget, iisque præerit ac digna Principe geret.

Symmachus vertit, *princeps, ἀρχή*, id est principatus, constituet, et hic super principatus stabit, q. d. Christus rex constituet principatus, id est, apostolatus et episcopatus, in Ecclesia, facietque Apostolos, eorumque successores suos duces, et ipse quasi hierarcha et rex eis præerit. Ita S. Hieronymus, Procopius, Castrius.

Hebraice est נָדִיב נָדִיב נָדִיב *nadib nadibot*, id est, ut Vatablus vertit, *liberalis* (princeps) *liberalia consultat*, perque liberalia facta clarus surgit, q. d. Princeps Christus juxta nomen principis, liberaliter suas gratias erogabit, eoque inclarescet. Princeps enim hebraice dicitur *nadib*, id est liberalis, græce εὐεργέτης, id est beneficus, *Luc.* cap. xxii, 25. Principe enim digna, ejusque propria virtus est liberalitas et beneficentia : hæc enim index est animi lati, magni et regii. Quocirca Philo, ad Caium Imperatorem : « Plus, ait, tibi diligendi sunt, Imperator, qui suppliciter petentes beneficia abs te sibi præstari cupiunt, quam qui tibi munera offerre student. His enim debes remunerationem, illi vero debitorem tibi efficiunt Deum, qui in propriis numerat quæ in ipsos contuleris, qui remuneraturus est optimis donis humanitatis tuæ et benignitatis institutum. » Alexander Severus Imperator adeo beneficus in omnes exstitit, ut etiam de se nihil meritis ad petendum invitaret, diceretque : « Quid est quod nihil petis ? An me tibi vis fieri debitorem ? pete ne privatus de me querere : » agnoscebat principes viros maxime decere beneficentiam. Ita Lampridius in ejus Vita. Idem roganti quisnam videretur sibi rex optimus ? respondit : « Qui amicos muneribus retinet, et inimicos sibi beneficiis conciliat. » Ita refert Maximus, serm. 9 *De Magistrat.*

Principis virtus est liberalitas.

Alphonsus Aragonum rex, audiens quosdam acceptis a se beneficiis ingratos esse, ait : « Esto ; nequaquam tamen effecturi sunt, quominus ipse et humanus sim et beneficus. » Ita Panormitanus. Idem : « Oblatrantibus, inquit, canibus et rebellibus offula est objicienda, » q. d. Malevoli beneficiis vincendi et devinciendi sunt.

Ludovicus XI, Galliarum rex, liberalis erat in viros, præsertim sanctos ; causam rogatus, dixit : « Quia horum precibus vitæ diuturnitatem conciliari mihi posse confido. »

Huc spectat aurea Pacati vox in *Panegyri. Theodosii*: « Ego, inquit, nullam majorem crediderim esse principum felicitatem, quam fecisse felicem, et intercessisse inopiæ, et fortunam vicisse, et dedisse homini novum fatum. » Causam subdit: « Nam cum intra ipsum volvantur omnia, et ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit e terris: ita quidquid in ci- ves manat a principe, redundat in principem; ac rei et famæ bene consulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam rever- suram. »

Vert. 9. 9. MULIERES OPULENTÆ, SURGITE. — Est hic nova prophetia, et alio tempore dicta (non enim in scri- ptis Prophetarum digerendis servatus fuit ordo temporis), eaque tristis, vel de excidio decem tri- buum per Salmanasar, ut vult Sanchez; vel po- tius, ut S. Hieronymus, de excidio duarum tri- buum per Titum et Romanos: nam hæc spectare tempora Christi patebit, vers. 16 et seq. Porro per *mulieres* S. Thomas intelligit Judæos imber- les, et molles ac mulierosos; Chaldæus intelligit urbes Judaicas. Simplicissime per *mulieres* ac- cipias feminas opulentas, in suisque opibus con- fidentes et superbas: illis enim hic æque ac cap. III intentat exitium, easque vocat ad lamenta (1).

Vert. 10. 10. POST DIES ENIM ET ANNUM, VOS CONTURBABIMI- NI, — id est post modicum tempus a me defini- tum, sed quod vobis definite explicare nolo, ideoque dico: « Post dies et annum, conturbabi- mini, » et excindemini per Romanos. Ita Hugo et Adamus.

Alii, « post dies et annum, » id est post longum tempus, quo scilicet dies addentur diebus, et an- nis anni. Ita Vatablus.

Aliter Sanchez: « Post dies et annum, » inquit, id est post dies unius anni (ut sit hendyadis), post unum annum everletur Samaria, scilicet anno sexto Ezechiae: hæc ergo dicta sunt ab Isaia anno quinto Ezechiae. Unde hebraice est, *post dies ad annum*, id est qui satis sunt ad annum com- plendum. Ita ipse (2).

(1) Mulieres quas hic alloquitur vates non proprias esse intelligendas, quod post Grotium et placuit Dæderlinio, sed figuratas, nempe urbes, quæ non solum בתלור et בנות, sed et נשים dicuntur, *Ezech. xvi, 41*, totius ora- tionis tenor videtur arguere. Etenim Propheta nihil di- cit, quod ad mulieres in specie pertineat, ut cap. III, 16, ubi earum luxum et mollitiem reprehendit. Recte igitur Kimchius: « *Mulieres* juxta Thargum *provinciae*, et ita *filia* redditur *urbes*: alloquitur civitates Judææ, quæ ar- bitrabantur se futuras tranquillas et tutas. » Et alius ex Hebræis: « Per *mulieres* intelligit civitates, et per *filias* loca minora, ut sunt castella et villæ. *Opulentæ vel tran- quillæ*, id est divites, luxuriantes, urbes et vici Judææ prospere, hilariter ac secure ad omnem copiam et abun- dantiam passi. (Rosenmuller.)

(2) Per *שנה על שנה*, plures interpretes *biennium* in- telligendum autumant, Kimchium secuti qui על pro עם positum, ut *Exod. xxxv, 22*, et *שנה על שנה*, annum hic notare observans, ut *Exod. xiii, 10*; *Levit. xxv, 29*, phrasin nos- tram interpretatur, *annum post annum*, id est biennium

CONSUMMATA EST ENIM VINDEMIA, COLLECTIO ULTRA NON VENIET. — *Collectio* est racematio, quæ fit post vindemiam, qua paucae uvæ latentes et re- liquæ colliguntur. Jam *vindemia* in Scripturis sæ- pe significat excidium, racematio scrutinium et stragem paucorum qui excidium effugerunt. Sen- sus ergo est, ut ait S. Hieronymus: « Post ulti- mam vastitatem, quæ sub Vespasiano et Tito Adrianoque accidet, non erit alia, sed semel evertetur urbs vestra, ut non sit exspectanda alia captivitas: omnes auferentur, nec remanebunt botri in vinea populis, qui deinde colligendi sint. » Vindemiam enim tum hominum, tum uvarum et frugum intelligit.

11. ACCINGITE LUMBOS VESTROS, — quæ prius **Vert. 11.** otiosæ, quasi domicellæ cultu ornato et splendi- do domi servis et ancillis imperantes sedebatis, nunc captivæ cultum hunc deponite, vilique ves- te quasi ancillæ lumbos, ad servile ministerium Romanis dominis præstandum succingite (3).

12. SUPER UBERA (scilicet fame arentia, et super **Vert. 12.** filios uberum vestrorum, præsertim parvulos ab iis adhuc pendentes) PLANGITE, — quia hi omnes vobiscum præda erunt Romanis; hoc est, quod prædixit Christus: « Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus! » *Matth. xxiv, 19* (4).

SUPER REGIONE DESIDERABILI, — super Judæa pa- tria vestra, amœna et fertili instar vineæ, quam Romani vastabunt, sibi que subjicient, vobis ex- pulsus et occisis.

13. SUPER HUMUM POPULI MEI SPINÆ, etc. — *q. d.* **Vert. 13.** Judæa punietur et vastabitur a Romanis, ut in- culta spinis et vepribus repleatur; quanto magis Jerusalem ita luxurians, ut videantur omnes ejus domus gaudio esse plenæ (5)?

trepidabitis, etc. Indicari igitur putat non *tempus*, quo calamitas illa afflictura sit Judæos, sed quamdiu duratura illa sit. Mihi tamen hebræus textus optime verti videtur, *post plures dies ultra annum*, id est brevi, trepidabitis et commovebimini. Idem tempus definiendi modus, qua- lis *triennium* et *dimidium*, pro tempore longiore vide Eichornium, *Comment. in Apocalypsim*, tom. II, pag. 60.

(Idem.)

(3) Cum urbes Judaicas semel intulisset sub imagine mulierum, recte persistit in similitudine incepta, proque simplici « lugete vos incolæ urbium Judææ » ornate dicit, laxis fluentibusque, quas luxuriam amat, exutis vestibus in- duendas illis esse vestes sordidas et arctas in gravissimæ luctus signum. (Idem.)

(4) Putat Vitranga, Jesum respexisse tum ad locum hunc nostrum, tum ad parallelum, *Osee ix, 14*: *Da iis Jova! Quid vero dabis? Da iis uterum abortientem, et ubera arecentia*. Sensus loci, inquit, nullum ejus tempore ca- lamitatis beneficium majus moderaminis divinæ severi- tatis dari posse, quam ut matresfamilias nullos gigne- rent, et lactarent filios.

Propter hanc rationem hunc sensum magis textui co- hærentem putamus, quam interpretatio quæ verbum he- braicum שנים per *agros* vertit, de qua Rosenmuller ait: quod tam bene convenit membro sequenti ut ego huic ingeniosæ interpretationi accedere non dubitem. Nam si vox שנים per ש *sin* significat *campi*, per ש *schin* in- terpretatur *mammæ* vel *ubera*.

(5) Alii interpretes, ut Junius, et Tremellius et Coc-

vers. 14

14. DOMUS ENIM DIMISSA EST, — id est Jerusalem, quæ olim fuit quasi domus mea, mihi que sacra, dimittam, faciamque ut multitudo urbis, id est urbs tantæ multitudinis (est hypallage), in qua tanta erat frequentia populi, sit relicta et deserta: hoc est quod ait Christus huc alludens: « Domus vestra deserta est. »

TENEBRÆ ET PALPATIO FACTÆ SUNT SUPER SPELUN-CAS USQUE IN ÆTERNUM. — *Primo*, Sanchez per *tenebras* et *palpationem* accipit arbores densas et sylvas: hæ enim tenebras etiam palpabiles, et horrorem transeunti afferunt.

Porro hæc arbores succreverunt in speluncis, id est in ruinis urbis vastatæ et desertæ: dum enim magnæ molles ruunt, ex vario murorum concursu aliqua intus relinquuntur spatia vacua, sive cavitates instar fornicum et speluncarum.

Secundo, simplicius Adamus, *q. d.* Tam densa erunt rudera et ruinæ tum templi, tum domorum, ut redigantur in antra et speluncas ita profundas et cæcas, ut in iis videantur esse tenebræ palpabiles, idque in perpetuum. Unde patet hæc ad ultimum Judæorum excidium per Titum pertinere. Hinc fit ut locus tam desertus sit « gaudium onagrorum, » ut scilicet onagri feri et sylvestres, et greges ibi habitent et pascantur.

Tertio, Vatablus, Pagninus et Hebræi vertunt, *turres et propugnacula in speluncas rediguntur perpetuas*. Hebraice enim pro *tenebræ* est *אֶפֶל* *ophel*: pro *palpatione* est *בַּחַן* *bachan*, id est probatio. Hebræi autem tradunt has duas fuisse turres Hierosolymæ: unam dictam *Ophel*, id est tenebræ, eo quod oculi aspicientium ejus cacumen tam altum caligarent: alteram dictam *Bachan*; quod in ejus apice intuendo probaretur, quam firma esset oculi cujusque acies, *q. d.* Hæ duæ turres tam celsæ in profundissimas speluncas corruerunt. Hujus rei fides sit penes illos; nam turris *Ophel* meminit Josephus, Adrichomius et alii chorographi et historici: turris vero *Bachan*, nemo.

15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EX-CELISO. — Qui hæc referunt ad captivitatem Babyloniam, sic exponunt: In Babylone erimus in carcere quasi mortui, donec spiritum vitæ, id est libertatis, nobis restituat Deus, nosque quasi resuscitet, et in patriam reducat, *q. d.* Donec ab exilio, quasi e sepulcro redivivi prodeamus, et redeamus in Judæam.

ceius, *כִּי* nomen esse putant, a radice *כִּוּי*, adustionem significans qua significatione aderat supra III, 24. Ut nomen vocem nostram et accipit Michaelis, sed vertit illam *urticam*, ab eadem illa radice *caona*, quasi ab *urendo* dictam, unde ab Arabibus *filia ignis* dicitur. Certe huic loco inelius convenit nomen dumeti aut herbæ invisæ, in ædium pulcrarum ruinis luxuriantis, quam particula causalis, quæ omnino languidi quid habet. Notum insuper est, *urticam* in ædium ruderibus felicissime provenire, nec id modo apud nos, sed et in Oriente. Hasselquist, pag. 525, 246 *Floræ Ægyptiacæ*: « *Urtica Ægypti maxima*, — locus: *Ægypti rudera*, mense martio. »

(Rosenmuller.)

Verum referendo hæc ad excidium per Titum, uti retuli cum S. Hieronymo, hic est sensus: duratura est hæc vastitas, eritque Judæa desertum corporaliter, ut patet, tum spiritualiter; quia scilicet Deus relinquet Synagogam animasque Judæorum expertes fidei, gratiæ et salutis, donec Spiritum Sanctum in eos (esto paucos) mittat, qui ad Christum et salutem eos convertat: tunc enim restituetur Jerusalem, non terrena, sed vera et spiritualis, scilicet Ecclesia Dei. Ita S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus. Sic Christus, ascendens in cælum, jussit Apostolos manere seorsim et secreto in Sion, donec induerentur virtute ex alto, reciperentque Spiritum Sanctum in Pentecoste.

ET ERIT DESERTUM IN CHARMEL, — *q. d.* Gentiles hactenus deserti in sortem et opes Israelis et populi Dei intrabunt: e contrario Judæi in desolationem et cæcitatem Gentilium succedent (vide dicta cap. XXIX, 25), exceptis paucis, super quos effundetur Spiritus de excelso, ut Christo credant, uti præcessit.

Aliter Sanchez ex S. Thoma: Judæa, inquit, quæ tempore captivitatis Judæorum fuit inculta, quasi saltus, post eorum reditum coletur, eritque fertilis instar Carmeli; ipse vero Carmelus amœnus et fœcundus antea, post reditum tam erit amœnus et frugifer, ut, si prioris temporis speciem spectes, vidisse te putes desertum vel sylvam horridam. Aut potius, *q. d.* In Babylone Judæi divites et potentes, qui erant quasi Charmel, quique alios tenuiores opprimebant, ita atterentur, ut fiant quasi desertum, id est ut animo æque ac paupertate et sorte æquentur pauperibus, *q. d.* Eadem pene erit sors divitum et pauperum: unde erit inter eos justitia, indeque pax, silentium, securitas et opes: hi enim sunt fructus afflictionis et paupertatis. Ita Sanchez. Verum prior sensus augustior et germanior nobis sequendus est.

ET HABITABIT IN SOLITUDINE, — *q. d.* In Gentilitate, quæ antea fuerat deserta et sterilis, habitabit judicium, id est justitia, cum solitudo hæc facta fuerit Charmel, id est frugifera et fertilis per fidem Christi.

ET ERIT OPUS JUSTITIÆ PAX. — Voces *opus* et *cultus* ponuntur metonymice pro mercede et præmio operis, sive pii cultus justitiæ. Unde Chaldæus vertit, *colentes justitiam quiescent*, quasi dicat: Merces, fructus et præmium justitiæ et sanctitatis Gentilium fidelium erit, ut justificati in Christo consequantur *primo*, pacem conscientiæ, et amicitiam ac unionem cum Deo, item pacem et concordiam inter se invicem; *secundo*, silentium, id est quietem, ut vertunt Chaldæus et Septuaginta, ac tranquillitatem summam in hocce suo vero justitiæ Dei que cultu, adoratione et amicitia; *tertio*, securam fiduciam de sua gratia in præsentem, de sua gloria ac beatitudine futura: fiduciam, inquam, certam non certitudine fidei, ut

volunt Lutherani; sed certitudine morali et conjecturali, qualis non excludit omnem metum et formidinem. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus. «Erit ergo opus justitiæ pax,» etc., q. d. Tempore Evangelii et Christi coletur passim a Gentibus justitia, justa et sancta vita, indeque in Ecclesia et fidelibus orietur primo, pax triplex, scilicet, pax cum Deo, pax cum conscientia, pax cum proximis; secundo, silentium et tranquillitas; tertio, securitas futuræ gloriæ; quarto, erit in ea pulchritudo magna pacis, et charismatum spiritualium; quinto, erunt ibi tabernacula fiduciæ, id est in quibus fideles sine metu fidenter habitent, quibus tuto se suamque felicitatem credere possint; sexto, erit ibi requies opulenta. Hæ ergo sunt dotes et epitheta tum Ecclesiæ militantis, tum animæ fidelis et sanctæ: utraque enim hæc omnia in se obtinet et possidet. Septuaginta vertunt; *obtinebit justitia ἀνάπαυον*, id est *requiem*.

Secundo, Hector Pintus per *justitiam*, civilem intelligit, ex qua oriri solet pax; *silentium*, exponit taciturnitatem a querelis et litibus: quia ubi est magna justitia, ibi nullus est clamor oppressorum a iudicibus, aut aliis potentibus.

Tertio, S. Hieronymus «*silentium*» exponit «*fidei breviter*,» quæ multiloquio multisque cæremoniis Judæorum opponitur; Syrus vertit, *et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium*, sive *quies, confidentia, securitas, tranquillitas*; Arabicus Antiochenus, *et erit opus (actio) ejus in justitia et salute, et opus veritatis (justitiæ) in quiete, probitate et spe, vel confidentia, in sæculum*; Arabicus Alexandrinus, *et erit opus justitiæ cum veritate et pace, et actus justitiæ silentium (quies) et spes (fiducia) in sæculum sæculorum*.

Moraliter S. Bernardus, *epist.* 89, refert hæc ad virtutem silentii: «Ad hunc, inquit, justitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum matrem et custodem te, et quicumque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito et provocho: etsi non verbo doctrinæ, certe mei silentii exemplo, ut vel silendo doceam te silere, qui silendo compellis me docere quod nescio.» Et Glossa: Ex justitia justificante, inquit, orietur pax conscientiæ, ex pace requies et silentium, ut scilicet sileas, et in prosperis caveas a verbis jactatoriis, in adversis a murmuratoriis. Sic et Dionysius accipit silentium cordis et oris: «Hoc videmus, inquit, in claustralibus præcipue adimpleri, qui in observatione silentii cultum justitiæ statuunt, et fractionem silentii grandem justitiæ prævaricationem existimant.» Quin et S. Gregorius, III part. *Pastor.* cap. xv: «Cultus, ait, justitiæ silentium; quia mens a justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur.»

Ita S. Andronicus cum S. Athanasia uxore habitu virili et monastico induta, tum in longissima peregrinatione Hierosolymitana, tum in eadem cella duodecim annos, Athanasie rogatu, peni-

tus silentium observavit; itaque oculos, os et aures continuit, ut illam nec de facie nosset, ut habetur in ejus Vita.

Hinc de Christi sponsa dicitur *Cantic.* IV: «Sicut vitta coccinea, labia tua; et eloquium tuum, dulce.» Vitta coccinea est silentium cum charitate, inquit Richardus Victorinus, q. d. Gratia taciturnitatis excellis; inde manat eloquium tuum dulce: nam cor repletum spiritualibus deliciis per silentium foras eructat verbum bonum dulcedinis spiritualis, consolationis, instructionis, admonitionis, correptionis.

S. Ambrosius in *Psal.* xxxviii, ait, «*silendi patientiam, et opportunitatem loquendi, et contemptum divitiarum maxima virtutum fundamenta esse.*» Smaragdus in cap. vi *Regul. S. Benedicti*: «*Taciturnitas, ait, est virtus humilitatis, indicium gravitatis, nutrix virtutum, custos animarum.*» Vide dicta cap. xxx, 15.

Anagogice, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus, hæc referunt ad cœlestem requiem et gloriam in cœlo: ibi enim præmium justitiæ Sanctorum erit primo, plenissima pax undequaque; secundo, silentium et summa quies; tertio, securitas beatitudinis per omnem æternitatem; quarto, pulchritudo omnis pacis et gloriæ; quinto, tabernacula fiduciæ, in quibus fidenter habitantes Beati nullum timent hostem, nec quidquam adversi; sexto, erit ibi requies opulenta.

Audi S. Augustinum, lib. *Medit.* cap. xxii et xxv: «O vita quam præparavit Deus his qui diligunt eum! vita vitalis, vita beata, vita segura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sine corruptione, sine anxietate, sine perturbatione, sine mutatione; vita totius elegantie et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, et timor nullus, ubi dies æternus, et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur.» Et post pauca subdit: «Ibi dulcis solemnitatis omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium, ibi Prophetarum providus chorus, ibi duodenus Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi sanctorum Confessorum sacer conventus, ibi veri et perfecti solitudinis cultores, ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi et sexus infirmitatem vicerunt, ibi pueri et puellæ qui annos suos sanctis moribus transcenderunt. Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium, plena et perfecta ibi regnat charitas: Dei amore ardent, Deum jugiter amant et laudant; omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ergo et vere in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi audiam illa cantica cœlestis melodiæ.»

Et cœlestis gloriæ.

Et S. Bernardus in *Medit.* cap. iv : « Præmium, inquit, erit videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse de Deo, qui erit omnia in omnibus ; habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, summa libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secunda æternitas : ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulehritudo et omnis beatitudo : ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis. »

Vers. 19. 18. GRANDO AUTEM IN DESCENSIONE SALTUS. — « Grando, » id est ira, plaga et procella Dei deserviet in Judæos, et in Jerusalem, ut saltus, id est Synagoga eorum sylvescens, deseratur, descendat et humilietur. Vide *Can.* XXVI. Redit ad excidium Judæorum, de quo egit a vers. 1 ad vers. 16.

Sanchez pergit hoc accipere de clade Babylonis : eam enim ait vocari saltum, ob hortos pensiles Nitocris. Septuaginta vertunt, *at grando si descenderit, non veniet super vos*, quasi dicant : Fidelibus omnia erunt prospera ; si quæ grando, id est tempestas, ingruat, ea cadet in infideles et impios.

Vers. 20. 20. BEATI, QUI SEMINATIS SUPER OMNES AQUAS. — Sanchez ita explicat, *q. d.* O fortunati ! qui illum diem reditus e Babylone cernent, quando Judæam ante sterilem, senticosam et incultam, assiduo imbri fœcundam reddet : iis licebit in humentes cœlesti rore agros juga boum et asinorum agere, et illis eo labore ad satus accipiendos dispositis, semen committere. Alii, *q. d.* Ita luxuriabunt segetes, ut, ne præ copia sese invicem suffocent, in eas immittant boves et asinos, qui primam herbam luxuriantem depascantur.

Verum in expositione nostra est apostrophe ad Apostolos virosque Apostolicos ; *q. d.* O vos beatos ! qui super omnes aquas, id est omnes populos, seminatis Evangelium, immittentes in eos boves et asinos, id est prædicatores et operarios Evangelicæ et salutiferæ messis.

Immittere pedem bovis et asini nihil est aliud, quam terram colere jugo boum, vel jugo asinorum : non enim poterant simul arare in bove et asino, juxta legem *Deut.* xxii, 10 ; sed seorsim.

Rursum aquas vocat terram aquis et pluvia madentem : in tali enim seminatur, non in puris aquis. Nota : Bos arationis, indeque messis et fertilitatis priscis erat symbolum, ut patet ex bobus qui per visionem Pharaoni apparuerunt, *Genes.* cap. xli, 2. Quocirca boves juncti in nummo Vespasiani Imperatoris atque alii jugati in C. Marii nummo, significant eos agriculturam, et rem frumentariam ad civium alimoniam procurasse. Nam et apud conjectores, arantes boves imaginari, lætissimam prænantabat frugem, et opulentam rerum felicitatem. Quin et nomen bovi a nu-

triendo datum : βῶ enim est nutritio ; labore enim suo in exercenda terra continuo nos pascit. Hinc Græci βούφαρον, felicem agriculturam vocant, quibus φάρος agricultura est, et bovis etiam epitheton. Romani porro tantum honoris bovi tribuerunt, ut Italiam ipsam olim ab Italis, nuncupatis bobus, appellatam prædicent. Quin et apud eos olim non minus capitale fuit occidere bovem, quam hominem. Memorabilis vero fuit priscorum Germanorum mos, qui uxori ducendæ boves junctos, frenatum equum, et scutum cum gladio mittebant dotis nomine, ut uxor, ait Cornelius Tacitus, admoneretur se venire viro in laborum et periculorum sociam, idem in pace, idem in præliis passuram ausuramque ; laborem enim juncti boves, bellum paratus equus et data arma denuntiabant. Ita Pierius, *hierogl.* 3. Exstat emblemata bovis cum hac inscriptione, « aris et agris, » representans hominem agentem vitam tam activam quam contemplativam. Bos enim agit arando in agris ; idem immolatur in aris : unde symbolum est religionis, et vitæ contemplativæ.

Symbolice, asinus animal immundum significat Gentes, bos mundus Judæos : innuit ergo utrumque populum in Christi fidem et Evangelium conspiraturum. Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Theodoretus, Procopius et Gregorius, lib. xxxv *Moral.* cap. xi ; Clemens, lib. viii *Stromat.*, initio. Unde in lege nova rescissa fuit illa lex vetus : « Non arabis in bove et asino. »

Tropologice S. Bernardus, serm. *de S. Benedicto* : « Beati qui seminant super omnes aquas, etiam quæ super cœlos sunt, quæ sunt virtutes angelicæ et cœlestes populi. Ita plane : quoniam spectaculum facti sumus et Angelis et hominibus. Seminemus igitur hominibus exemplum bonum per aperta opera ; seminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspiria ; » et post pauca : « O genus Adam, quam multi seminaverunt in te, et quam pretiosum semen ! quam male peribis, et quam merito, si perierit in te tantum semen, et seminantium labor ! Seminavit in terra nostra tota Trinitas, seminaverunt Angeli pariter et Apostoli, seminaverunt Martyres et Confessores et Virgines. Seminavit et Filius : Ipse enim est qui exiit seminare semen suum. Ita tota Trinitas seminavit, Pater scilicet panem de cœlo, Filius veritatem, Spiritus Sanctus charitatem. » Aliter S. Basilii in cap. i *Isaiæ* : Beatus, inquit, qui bovem, id est generosum, excitat ad laborum tolerantiam, et asinum, id est cupidum et carnalem, ut cupiditates suas calcet et vincat. Aliter et S. Ambrosius *ad Irenæum* : « Bos, inquit, cornutus ferociam habet, asinus mansuetudinem ; quia beatus, qui et severitatem et mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. »

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur excidium Sennacherib hosti populi Dei, docetque quod ipse obsidens Hierosolyman, certaue spem eam devorans, ab Angelo opprimendus sit. Allegorice, Sennacherib fuit exemplar tyrannorum et omnium Ecclesie hostium, qui a Deo terribili clade et morte puniti sunt. Ita Hugo, Adamus, Forerius et alii. Secundo, vers. 14, ex incendio Assyriorum assurgit ad ignem devorantem gehennæ, omnesque peccatores excitat, ut ejus cogitatione peccata caveant, et virtutes sectentur. Inde tertio, vers. 16, avolat ad Sionem cælestem, ejusque speciem et gloriam graphice ob oculos ponit. Denique, vers. 23, redit ad Jerusalem obsesam et diripientem spolia Assyriorum (1).

1. Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. 2. Domine, miserere nostri: te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. 3. A voce Angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes. 4. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. 5. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso: implevit Sion judicio et justitia. 6. Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus. 7. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. 8. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. 9. Luxit, et elanguit terra: confusus est Libanus, et obsorduit, et factus est Saron sicut desertum: et concussa est Basan, et Carmelus. 10. Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc subleabor. 11. Concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester ut ignis vorabit vos. 12. Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. 13. Audite, qui longe estis, quæ fecerim, et cognoscite, vicini, fortitudinem meam. 14. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? 15. Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum.

(1) Sennacheribi stragem, qui typum gerebat hostis humani generis, et hostium populi Dei, mirumque auxilium Judæis et omnibus fidelibus a Deo præstitum, in hoc capite prænuntiari, plerisque interpretibus visum est. Juxta historiam sermo igitur est de Assyrio; sed Propheta ita historiam persequitur, ut multo plura ejus verba mysterio quam historiæ aptius accommodentur; hac de causa sæpe in decursu capituli Cornelius prætermissis sensu litterali primo, totus in allegorico, seu litterali sublimiori versatur.

Primo præmittitur quasi summarie: primo, comminatio Prophetæ contra Sennacherib, cui exitium ipsi vicinum denuntiat, vers. 1; secundo, supplicatio obsessorum ad Deum, 2; tertio, clades iugens obsidentium facta per Angelum, 3, 4; quarto, chorus Judæorum, Deum ob auxilium promissum et præstitum, et felicitatem in salvatos hinc redundantem, celebrantium, 5, 6.

Secundo, describitur explicatus et vividus, primo, legatorum pacem petentium, irritæ preces, 7; secundo, vastitas terris Hierosolymanæ proximis ab hoste illata, scilicet viarum publicarum desolatio, viatorum raritas et defectus, arborum marcescentium et lugentium incultus,

et fertilissimorum locorum sterilitas, 8, 9; tertio, machinatio hostium, Deo consurgente, in proprium interitum versa, 10-12.

Tertio, jam devictis hostibus, inducit Propheta Deum facta sua magnificentem, et quæ bona ex perditione inimicorum consecuta sint per Prophetam ostendentem: scilicet ostenditur primo, admiratio et terror divinæ potentiae, excitatus in impiis Jerosolymæ civibus qui nihil tale de Deo sperabant, et ad humana auxilia respiciebant, ideoque erga Deum qui sic punire posset, quasi male affecti anxie quærebant, quomodo hujus numinis vindictam evadere quis posset, 14; secundo, responsio Prophetæ, securitatem et abundantiam fidelibus justitiam cotentibus promittentis, 15, 16; tertio, splendor pristinus et amplior Ezechie redditus, et sollicitudo nihil proficiens dissipata, 17, 18; quarto, liberatio ab hoste impudente, arrogante et barbaro concessa, 19; quinto, Hierosolymæ seu potius Ecclesie tum militantis, tum triumphantis securitas stabilis, et tranquilla pacis fruitio, 20-22: sexto, hostium dispersio et spoliatorum prædatio, a qua nullus ex civibus et habitatoribus Jerusalem abstinebit, vers. 23, 24.

16. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus : panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. 17. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe. 18. Cor tuum meditabitur timorem : ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum? 19. Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis : ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. 20. Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit : nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur : 21. quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster : locus fluviorum rivi latissimi et patentes : non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. 22. Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos. 23. Laxati sunt funiculi tui, et non prævalebunt : sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc dividuntur spolia prædarum multarum : claudi diripient rapinam. 24. Nec dicet vicinus : Elangui : populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

1. VÆ QUI PRÆDARIS! — Væ tibi, o Sennacherib! qui prædatus es Judæam, jamque immines Hierosolymæ; nam ibi vicissim tu prædaberis, non active sed passive, id est spoliaberis, et prædaberis Judæis: væ tibi, superbe, qui victoriis insolens spernis et Judæos et Deum Judæorum! ipsi vicissim spernent et contemnent te, cum tua castra per Angelum subito cædentur, et quasi exsufflabuntur; imo filii tui spernent te, cum videbunt te castris exutum et profugum, teque occident.

Allegorice, Sennacherib typus fuit primo, diaboli, quem Christus deprædatus est, inquit S. Hieronymus; secundo, persecutorum Ecclesiæ, q. d. Qui vos spernit, persequitur et prædatur, o Apostoli, o Ecclesia! non vos spernit, sed me, et eum qui misit me, ac proinde ipse quoque a me prædabitur et diripietur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Procopius.

Væ ergo tibi, o Nero! tu spernis S. Petrum et Paulum, tu eos multosque fideles obtruncas, tu primus in Christianos persecutionem moves: quare tu quoque sperneris a Deo, ab Apostolis, a Senatu, a populo Romano, qui conspirabit in necem tuam, teque ad mortem manu tua tibi consciscendam adiget.

Væ tibi, o Domitiane! tu vexas et occidis Christianos: occideris et ipse a tuis, et in te tua omnisque Flavio stirps desinet.

Væ tibi, o Aureliane, qui Christianos supplantas! capieris a rege Persarum, serviesque ei, eique equum ascensuro dorsum quasi scabellum præbebis.

Væ tibi, o Deci! uris Laurentios, cædis Christianos: tu quoque infami clade cæderis ab hoste.

Væ tibi, o Maximiane, o Diocletiane, o Maxenti! adiget vos Christianus ad necem, ad restim.

Væ tibi, o Juliane, qui duellum indicis Christo, eumque quasi Galilæum vilipendis! veniet hora, qua ipse e cælo te transfigens coget te exclamare: Vicisti, Galilæe, vicisti.

Væ tibi, o Valens Ariane, qui persequaris

S. Basilium et Orthodoxos! persequentur te Gothi, et in casa latitantem comburent.

2. DOMINE, MISERERE NOSTRI. — Est oratio Isaïæ (quam obiter quasi per parenthesin ex affectu interserit) ad Deum, ut Jerusalem a Sennacherib obsessæ misereatur, et succurrat.

TE ENIM EXSPECTAVIMUS, — in te spem omnem collocavimus, non in idolis, non in regum vicinorum auxiliis; a te uno opem et liberationem exspectavimus et exspectamus.

ESTO BRACHIUM NOSTRUM IN MANE. — Hebræum לַבְּקָרִים *labbekarim*, id est in matutinis, in singulo mane, id est singulis diebus, q. d. Tuo robore quasi brachio nos defende quotidie, a summo mane usque in vesperam, contra assiduos et quotidianos hostium insultus. Sic *in mane* sumitur, *Psal. LXXII, 14*: « Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis » (hebraice est, *labbekarim*); et *Psal. c, 8*: « In matutino, (id est quotidie mane et tempestive), interficiebam omnes peccatores terræ. »

Glossa Interlinearis exponit « in mane, » id est in prosperitate: sequitur enim, « et salus nostra in tempore tribulationis: » tam enim in prosperis superbia, quam in adversis diffidentia et desperatione tentamur et oppugnamur, ideoque utrobique egemus Dei ope et auxilio. Recte enim dixit Ausonius in *Periandri sententia*:

Si fortuna juvat, caveto tolli;
Si fortuna tonat, caveto mergi.

3. A VOCE ANGELI (Hebraice, a strepitu et tumultu, (qui scilicet factus est in castris, percussione Angelo 185 millia Assyriorum) FUGERUNT POPULI. — Posset secundo verti, a voce multitudinis (hanc enim significat Hebræum הַמֶּוֹן *hamon*) *fugerunt populi*: verisimile enim cum Angelo duce, qui percussit Assyrios, plures venisse Angelos, quasi milites et cohortes Dei. Redit post parenthesin ad stragem Sennacherib.

ET AD EXALTATIONE TUA (id est a sublimi tua po-

tentia, qua exaltans quasi manum tam validum ictum et plagam incuties Assyriis) DISPERSÆ SUNT (id est dispergentur) GENTES, — scilicet militantes in castris Sennacherib.

4. ET CONGREGABUNTUR SPOLIA VESTRA SICUT COL-
LIGITUR BRUCHUS. — Bruchus non est locusta, sed ei similis: unde Hesychius ait bruchum esse speciem locustarum; estque sine alis. Quare non est ille quem Galli *bruyant*, sive bruchum, pueri Flandrice *prædicatorem* a murmure et bombo quem edit, appellant: hic enim est alatus, et plane alius a locusta. In Oriente frequens est bruchus, et maximam cladem afferens frugibus quas depascitur. Hinc dictus est bruchus a βρῦχος, id est comedo, quasi βρῦχος; unde a Nicandro vocatur α-
ροβόρος, id est frumenti vorax. Quocirca rustici coguntur ibi colligere bruchos innumerabiles, collectosque in fossas protrudunt, terra obruunt et suffocant, q. d. Pari modo spolia vestra, o Assyrii! ea facilitate congregabuntur a Judæis, qua a rusticis colliguntur bruchi, ut in foveam protrudantur: vos enim quasi bruchi vastastis Judæam; unde pariter in foveam, scilicet in vallem Topheth (si credimus Hebræis) compellemini, ibique ab Angelo cæsi sepeliemini, eritisque præda Hebræis. De brucho plura dixi Joel. cap. I, vers. 4 (1).

(1) לְחִסְוֵי אֲרָבָה collectio bruchi, sive locustæ, gemina significatione sumi potest, active et passive. Priore sensu collectio locustarum erit, si illa animalia obvia abradunt et decerpunt in suos usus; posteriore et ipsarum locustarum sata consumentium collectio, quæ fit ab agricolis, eas colligentibus in vasa, aut cumulate extrudentibus in fossas et foveas, ut eas enecent, quod in Africa et Hispania fieri observat Forerius ad hunc locum. Posterius plures hic elegerunt, quibus prævit Kimchius. Idem placuit Hieronymo, qui integram sententiam sic vertit: *Et congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo.* Pressius hunc sensum exposuit Ludovicus Capellus, qui, *estque*, inquit, *hæc locutio ducta a rusticis, qui bruchos et locustas frugibus infestas colligunt cumulatim, collectasque pedibus conculcant. Hoc vult ergo Propheta: Judæi facile et nullo negotio, nemine prohibente, spolia vestra de castris diripient, simulque colligent secumque asportabunt.* Idem sensus placuit Dederlinio, qui hunc versum sic vertit: *Et præda vobis legitur, sicut Chasil vel globus locustarum invasione facta colligitur;* illumque in subjecta nota sic explicat: «Deus hostilem exercitum armis suis fulgure tonitruque impugnat; Judæis immensæ castrorum divitiæ in prædam cedunt. Locustæ, quarum plures enumerantur species, gregatim volant, ideoque mira multitudine cogi perdisque possunt.» Verum huic interpretationi refragatur plane membrum alterum, ubi *locustæ* introducuntur tanquam quæ sint in actu et motu, et omnino figurant Israelitas, spolia hostium colligentes. Ergo *collectio bruchi* hic est, quæ fit a *bruchis* sive *locustis*, quod et Grotius vidit, ad hunc locum scribens: «*Congregabuntur spolia vestra sicut colligit bruchus, tam impune legentur de vobis, Assyriis, quam bruchus herbas depascitur.* Hanc interpretationem flagitant, quæ ex Hebræo sequuntur.» Eleganter vates noster adhibuit verbum *colligere*, quod proprie usurpatur de *collectione* satorum et frugum, quæ fit tempore messis. Hanc locustæ faciunt, quando magnis agminibus agros insident et absumunt. Comparatio igitur hæc est: sicut locustæ magno numero

5. MAGNIFICATUS EST DOMINUS (in tam gloriosa Vers. a. strage Sennacherib), QUONIAM HABITAVIT (habitat) IN EXCELSO (ac proinde excelsus ipse et magnificus excelsa et magnifica facit, atque ex excelso solio suo hæc ima despicit: quia omnes hostes omnesque homines coram eo sunt quasi locustæ, imo quasi pulices, quos talitro uno necare potest: et) IMPLEVIT SION JUDICIO ET JUSTITIA; — q. d. Declaravit Deus hac strage se justum et fidelem esse Sioni, quia plene præstitit ei opem et liberationem, quam per Isaiam promiserat; quare deinceps, quamdiu stabis, o Sion!

6. ERIT FIDES IN TEMPORIBUS TUIS. — «Fides,» scilicet tum Dei, hoc est ejus erga te fidelitas; tum tua, id est fiducia, qua toties opem Dei experta, deinceps omnia tua ei credes et committes, atque in eo conquiesces.

Allegorice, hæc spectant Christum (in eoque veteriora sunt), cujus typus erat Ezechias, et sic per Sion accipe Ecclesiam. Ita Theodoretus, Cyrillus et Procopius, q. d. Christus implebit Ecclesiam justitia et sanctitate, «et erit fides,» id est, veritas promissorum Abrahamæ et Patriarchis factorum implebitur «in temporibus tuis,» o Messia, o Sion! id est o Ecclesia, quæ es sponsa Messia! est enalage personæ, juxta *Can. XVI.* Sapienter Polybius, lib. VI: «Ille, ait, Reipublicæ status optabilis et firmus est, in quo et privatim sancte innoxieque vivitur, et publice justitia ac clementia vigent;» et Plautus in *Persa*: «Si incolæ bene morati sunt, pulchre oppidum munitum arbitror:» porro tales erunt, si princeps sit talis; nam, ut ait Quintilius, *Declam. 4*: «Hæc conditio principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur;» et Plinius in *Panegy. ad Trajanum*: «Nec tam imperio nobis opus, quam exemplo;» et Velleius, lib. II: «Recte facere princeps cives suos, faciendo, docet. Rex velit honesta, nemo non eadem volet. Obsequium «enim» ut ait Tacitus, lib. III *Annal.*, in principem, et æmulandi amor validior est quam pœna ex legibus.» Ex adverso «vitia non solum ipsi principes concipiunt, sed etiam in civitatem infundunt: plusque exemplo, quam peccato nocent» (nimirum, unius culpa ab omnibus peccatur), inquit Cicero, lib. III *De Legib.*

DIVITIÆ SALUTIS SAPIENTIA ET SCIENTIA, — q. d. Tempore Ezechia, et maxime tempore Christi,

involantes in agrum sata sparsim et promiscue abradunt et consumunt; ita Israelitæ promiscue et tumultuario in spolia hostium tanquam communis juris facta, involabunt, et quisque eorum sibi carpet et rapiet, quod primum occupabit. *Secundum discursationem locustarum in eo, scilicet spolio, discurrens, scilicet discurret, id est discurretur.* Sensus est, priori analogus, Israelitas spolia hostium prostratorum, per agros sparsorum, instar locustarum lecturos, et ad earumdem locustarum morem subsultim in iis legendis discursaturos esse. Totius commatis sensum optime expressit Dathius: «Apostrophe ad Assyrios; Israelitæ castra vestra deserta invadent, et prædam ex iis pro lubitu colligent, uti locustæ facere solent agros et hortos irruentes.» (Rosenmuller.)

divitiæ salutes non habebuntur aurum et argentum, sed sapientia, scientia et timor Domini, scilicet quod fideles Deum cognoscant, illumque timeant et colant. Ita S. Hieronymus et Procopius. Vatablus hunc versum ita vertit, *erit stabilitas temporis tui*, sive felicitatis tuæ, id est perseverabis in felicitate, *et robur salutem*, id est successuum tuorum, *erit sapientia et scientia: timor Domini, ipse thesaurus ejus*, q. d. Israel omnia prospera experietur, si dederit operam sapientiæ et cognitioni divinarum rerum, quæ timorem Domini sequitur.

Moraliter, nota non esse majorem thesaurum, nec donum majus timore Dei. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. VI *Moral.* cap. xxvii: « Anchora cordis est pondus timoris; » et S. Hieronymus, *ad Fabiol. de 42 mansion.*: « Timor virtutum custos est; » et Tertullianus, lib. *De Cultu femin.* cap. ii: « Timor fundamentum est salutis; timendo cavemus, cavendo salvi erimus: qui sollicitus est, is vere poterit esse securus; » quin et S. Job, cap. xxviii, vers. 28: « Timor, ait, Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo, intelligentia; » et *Eccli.* i, 20: « Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius; » et vers. 41: « Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiā, et gaudium, et longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. » Nam « oculi Domini super metuentes eum, » *Psal.* xxxii, 18; et: « Firmamentum est Dominus timentibus eum, » *Psal.* xxiv, 14; et: « In timore Domini fiducia fortitudinis, » *Proverb.* xiv, 26; et: « Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis, » *Eccli.* xxxiii, 1. Quocirca S. Hieronymus serio monet Eustochium, scribens ad eam: « Nolo, inquit, tibi venire superbiam de proposito, sed timorem: onusta incedis auro, latro tibi vitandus est: stadium est hæc vita mortalibus: hic contendimus, ut alibi coronemur; pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat et spinas? Beatus ergo homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur? »

7. ECCE VIDENTES CLAMABUNT FORIS. — Ostendit quanta fuerit trepidatio et periculum Hierosolymæ, cum eam obsedit Sennacherib, ut inde declaret quanta fuerit fides, clementia et potentia Dei eam liberantis.

Nota primo: Pro *videntes* Hebraice est אַרְאִים *arelam*; quod, primo, Hebræi et Arias volunt esse nomen Angeli: Hebraice enim *arelam* idem est quod *videns fortis eorum*. Secundo, Aben-Ezra et Forerius censent *arelam* idem esse quod *Ariel*, de quo cap. xxix, vers. 1, id est *leo fortis eorum*, itaque vocari cives Hierosolymitanos. Tertio, Aquila, Symmachus et Theodotion *arelam*, accipiunt pro אַרְאִים *ere lahem*, id est *apparebo eis*: quos noster Interpres videtur sequi, q. d. *Ecce quibus*

apparebo, vel alio puncto אַרְאִים *arelam*, id est *quibus ostendam*, id est *ecce videntes mei*.

Nota secundo: Per *videntes* Hugo accipit Prophetas, S. Thomas cives habitantes in suburbis, qui videntes tantas Sennacherib copias appropinquare, foris, id est extra urbem, clamabant, ut quisque sibi fuga consuleret. Tertio et aptius, Lyranus per *videntes* accipit speculatores Hierosolymæ, qui videntes tantas Assyriorum acies adventantes, clamabant, ut rustici et qui foris versabantur, in urbem se reciperent.

ANGELI PACIS AMARE FLEBUNT. — Hi sunt nuntii, quos Ezechias ad Rabsacen ducem Sennacherib misit pacis componendæ causa, scilicet Eliakim, Sobna et Joahe: qui cum pacem a tyranno non impetrarent, sed minas, videntes urbi imminens excidium, fleverunt scissis vestibus, ut dicitur cap. xxxvi.

S. Hieronymus per *Angelos pacis* accipit Angelos præsides templi Salomonis: hi enim doluerunt videntes illud esse in periculo tantæ cladis; unde tempore Titi clamarunt: « Migremus hinc, » scilicet e templo jamjam evertendo.

Allegorice, S. Hieronymus, Theodoretus, Procopius et Gregorius, lib. xxxiv *Moral.* cap. vii; per *Angelos pacis*, accipiunt Apostolos, qui pacem et gratiam Christi Judæis annuntiarunt: hi fleverunt videntes eos obduratos, et a pace ac gratia Christi aversos; unde iis derelictis transtulerunt se ad Gentes. Ita flevit S. Paulus, cum optavit esse anathema pro Judæis, *Rom.* ix, 3.

8. DISSIPATÆ SUNT VIÆ. — Est mimesis: videtur enim esse vox legatorum Ezechie plorantium, q. d. Omnia itinera metu Assyriorum deserta sunt, nusquam videtur viator, irritum est pactum: actum est de nobis et de Jerusalem, ac regno Judæorum.

IRRITUM FACTUM EST PACTUM. — Primo, Hugo intelligit pactum Judæorum cum Deo, de lege Dei servanda, quod quia illi violarunt, hinc vastati sunt, juxta id quod minatus est eis Deus, *Levit.* xxvi.

Secundo, S. Thomas, Lyranus et Forerius accipiunt pactum Sennacherib cum Judæis initum, quod ipse post acceptam ab eis pecuniam violavit, ac « projecit » et evertit « civitates » Judææ, atque non reputavit homines, cum Judæos omnes vilipendit et contempsit, ut patet *IV Reg.* xviii.

Tertio, S. Hieronymus, Haymo et Sanchez accipiunt pactum, quod Deus cum Judæis iniit, quo promisit se eorum fore protectorem: hoc pactum Deus ob peccata Judæorum irritavit et fregit, ac Judæos non reputavit homines, sed jumenta, inquit S. Hieronymus, utpote, qui non rationem, sed brutalem appetitum et concupiscentiam secuti, se quasi in bestias transformarunt, ideoque eos abjecit, et Chaldæis mactandos objecit: aut, ut Sanchez, reputavit eos non homines, sed ut stipulas vanas, quæ vento pelluntur; vel ut vasa testea figuli, quæ confringuntur. Hic sensus, ut et secundus, appositus est.

9. LUXIT, ET ELANGUIT TERRA. — Pergunt legati flere ac dicere, quod Judæa luceat, etc., id est sit squalida, deserta, sterilis.

OBURDUIT, — *q. d.* Silent agri, nulla in eis vox agricolarum, utpote profugorum, auditur, atque, ut Cyrillus et Hugo, silent voces cantorum et laudes Dei in templo. Romana legunt, *obsorduit*, id est inculta est, vepribus, loliis et sordibus repleta jacet. Unde noster Interpres Hebræum קמל *kamal*, cap. XIX, vers. 6, vertit, « marcescet; » Septuaginta, Chaldæus et Recentes vertunt, *excisa est sine ulla commiseratione*. Hebræum *kamal* præcise quid significet, non constat: nam tantum hic et cap. XIX reperitur (1).

10. NUNC CONSURGAM, DICIT DOMINUS, — rebus desperatis ostendam meam fidem et potentiam, divina manu medebor tantæ cladi, et Sennacherib prosternam. Nota: Sic solet Deus sinere non tantum urbes et regna, sed et animas subinde per tentationem, quasi ad extrema, et ad desperationem adigi, tumque potenti gratia succurrit. Dicamus ergo in tentatione cum S. Job: « Dum spero spiro, etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. »

11. CONCIPIETIS ARDOREM. — Deus pro Judæis vindex insurgens hic adoritur Assyrios.

Nota: *Concipere ardorem*, est machinari strages, rapinas, incendia, et omne quod hostile est: partus hujus conceptus est ipsa exsecutio et effectus, *q. d.* Concepistis animo, o Assyrii! excidium et incendium Hierosolymæ: sed parietis stipulam, id est inanem rem et futilem, in ventum abibunt vestri spiritus tam minaces et ardentes, irriti erunt omnes vestri conatus et molimina: est proverbium.

Secundo, apposite Forerius, Sanchez, et Delrio, *adagio* 758, *q. d.* Ignis quem animo concepistis, o Assyrii! non tam Hierosolymam inflammabit, quam vos: vos enim estis stipulæ dignæ et destinatæ incendio. Simili modo dixit, cap. XI, vers. 18: « Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit. »

Ubi disce impium sibi ipsi parere malum, quod alteri struit, impiamque cogitationem esse quasi ignem, qui ipsum cogitantem afflat et adurit. Simili proverbio dicimus: « Fabrum constringi compedibus, quas ipse cuderat; et turdum sibi malum parere; quia ex ejus stercore viscum conficiunt aucupes, quo ipsum capiunt. Similia sunt: « Colubrum in sinu fovere, alere luporum catulos; » et illud *Eccli.* XLII, 13: « De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri; » et il-

(1) *Pudore suffusus est Libanus*, mons ille superbe se efferens, quod nudatus sit ornatu suo, cedris, quas hostes exsecuerant ad parandas machinas bellicas. Cf. supra, cap. XIV, 8, et infra, cap. XXXVII, 24, ubi Assyrius ipse loquens inducitur: *Ego cum curruum meorum multitudine montium fastigia occupavi, cacumina Libani, prostravi cedros ejus proceros, abietes ejus præstantissimas...* Factus est Saron instar solitudinis. Proxima Basani arva squalabant, vide I *Paralip.* V, 16. (Rosenmuller).

lud *Job* cap. XIII, vers. 28: « Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea. » Sicut enim vestis gignit tineam quæ ipsam consumit, ita corpus mortale ex se gignit humores putidos qui illud corrumpunt; mortem enim gestamus in visceribus. Sic ira irascentem perdit, dum facit eum in gladios et mortem ruere: sic libido libidinosum, et omne scelus sceleratum trudit ad ardores gehennæ.

12. ET ERUNT POPULI QUASI DE INCENDIO CINIS, — *q. d.* Peribunt et comburentur Assyrii, quasi spinæ collectæ, ut per ignem vertantur in cineres. Vatablus vertit, *eruntque populi ut incendia calcis*, id est similes lapidibus qui excoquantur ut fiat calx.

Tradunt Hebræi Assyrios ab Angelo igne occulto esse exustos, verbi gratia peste, ut tradit Berossus apud Josephum, lib. X, cap. II. Et sane illud innuit Isaias, cum toties eis ignem intentat.

SPINÆ. — Id est erunt quasi spinæ. Hebræi enim sæpe subaudiunt notas similitudinis, *sic, sicut, quasi*.

13. AUDITE QUI LONGE ESTIS. — Est hic post tantam stragem Assyriorum exclamatio, qua digrediens ad Judæos aliasque Gentes, monet eos ut Deum Deique vindictam ac ignem, præsertim æternum, timeant.

14. CONTRITUM SUNT IN SION PECCATORES, — *q. d.* Vers. 14. Judæi aliqui hypocritæ et impii terri sunt videntes tantam cladem Assyriorum, ac timuerunt ne Deus ipsosmet, utpote impios, pari furore plecteret: optassent ergo Deum non habere tam vicinum; quibus respondet Deus eos, si ignem illum Dei temporalem effugiant, in incendia gehennæ æternæ ruituros. Ita Adamus et Forerius. Ubi moraliter nota: Qui cum Deo habitare vult, sciat eum esse ignem urentem et consumentem quidquid in homine carnale est et vitiosum; quare qui hunc ignem pati non vult, ei paratur ignis æternus. Hunc sensum videntur exposcere verba; ait enim: « Contriti sunt, » non cæsi aut combusti.

Secundo tamen, S. Thomas, Hugo et Sanchez hæc referunt ad Assyrios, qui a Deo perterriti et cæsi sunt in Sion, id est juxta Sion: iidem vocantur hypocritæ, id est peccatores. Omnis enim peccator bonus videri vult, cum sit malus: ideoque est hypocrita. Rursum hypocritæ, inquit Sanchez; quia, cum post debellatos Æthiopes appellerent Jerusalem, agerentque personam triumphantium; ea tamen ficta et personata fuit. Nihil enim habuerunt præter inanem speciem fortitudinis, et vanissimos sonitus triumphantium.

QUIS POTERIT HABITARE DE VOBIS CUM IGNE DEVORANTE? — Sicut in publico reorum supplicio concionator, qui reum ducit, populum rei supplicio adhortatur ut scelera caveat, ne in similem pœnam incidat: ita Deus hic ex strage et igne Assyriorum monet omnes impios, *q. d.* Spectastis ignem temporalem, qui quasi momento necavit Assyrios: verum hoc spectaculo sapite: quod enim conti-

git Assyriis; hoc imo longe gravior, continget post mortem omnibus impiis: in illos enim iræ divinæ ignis non terrenus, sed infernalis; non temporalis, sed æternus desæviet, ut semper in æternis gehennæ incendiis sint volutandi, nec tamen incinerandi, uti Assyrii, sed vivi semper permansuri et arsure. Ita S. Hieronymus, Procopius et alii.

Nota: Deus dicitur hic ignis devorans peccata et peccatores; quia est causa ignis inferni, qui aduret damnatos. Aliter Vatablus, ut sit vox Judæorum, q. d. Quis pugnabit pro nobis contra hunc exercitum Assyriorum, qui ut ignis omnia devorat et perdit, quemque, vexilli loco, antecedit ignis? ignis enim in prunariolo præferebatur castris, et regibus Assyriorum, Babyloniorum et Persarum, uti ex Xenophonte, Curtio et Tertulliano docet Sanchez: sed hic exercitus non potest vocari *ardores sempiterni*.

Morale,
de æter-
nitate
gehennæ.

QUIS HABITABIT EX VOBIS CUM ARDORIBUS SEMPITERNIS? — Quis est hic ignis devorans? qui ardores sempiterni? Dicant damnati, qui eos experiuntur, qui in iis versantur. Dic ergo, o Juda! o Caïpha! o Herodes! o Pharaon! o Cæsar! qui sunt tui ardores sempiterni? quæ est tua misera et pœnosa æternitas? Cruciamur igne et sulphure, et fumus tormentorum nostrorum ascendit in sæcula sæculorum. O si daret Deus nobis unicum votum nostrum, nimirum impleat totum universum a terra usque ad cælum empyreum quaquaversum arena minutissima (unica nux capit decem millia arenularum, sive granulorum arenæ), dicatque S. Michaeli, ut singulis mille annis unum granulum auferat: et cum hoc modo per innumera millia, imo milliones annorum, omnes has arenulas abstulerit, totumque orbem exhausserit, ut tunc unum gradum pœnæ, imo minimum quid pœnæ nostræ pariter auferat: ac rursus creet alium mundum æque magnum, rursusque arenulis impleat, dicatque S. Michaeli, ut singulis mille annis granum auferat, et cum totam hanc molem arenarum totius orbis abstulerit, tunc secundum gradum pœnæ nostræ demat: creet tertio alium mundum; quarto, quinto alium et alium, faciatque similiter; demum creet tot mundos, quot granula arenæ possunt esse in hoc mundo, eosque singulos totidem arenis usque ad summum impleat; et cum singulis mille annis unum granum auferendo, omnes hosce cumulos, omnes hosce mundos exhausserit, tunc finiatur æternitas nostra, desinant pœnæ; et, si nolit nos beare, saltem non cruciet, imo in nihilum nos redigat. Hoc si detur nobis, gaudebimus, exsultabimus, feremus crucem nostram libenter, gehennæ incendia patiemur, donec arenæ istæ omnes consumptæ sint. Sed frustra optamus. Post omnes hosce arenarum montes, imo mundos, necdum finis, necdum medium, necdum principium æternitatis nostræ, incendii nostri. Post hæc omnia annorum millia et milliones, æque magna, æque

longa, æque integra, æque infinita restat æternitas nostra, nobis luenda in igne perpetuo.

Manet, æternumque manebit
Judicium Judæ, spretique injuria Christi.

O Æternitas! quam immensa, quam incomprehensibilis es! o Æternitas, quam raro versaris in mentibus hominum! quamdiu terra erit terra, quamdiu cælum erit cælum, quamdiu Angeli erunt Angeli, quamdiu Deus erit Deus; tamdiu Judas et damnati ardebunt in igne sulphurante, in flammantibus incendiis, et tormentorum eorum non erit finis in sæcula sæculorum. Hoc cogita dum te titillant gula, libido, ambitio; dicito: Non sum tam stultus, ut gutta, ut momento uno fœdæ voluptatis emam æternitatem dolorum, æternitatem pœnæ, et seræ, heu! nimis pœnitentiæ: quia non sunt condignæ voluptates, deliciæ et veneres hujus temporis ad futuram pœnam quæ revelabitur in damnatis. Quod enim momentaneum est et leve voluptatis ebriorum, superbiorum, libidinosorum, æternum tormentorum pondus operatur in eis. Vere S. Augustinus, serm. 1 *De S. Laurentio*: « Quis, ait, nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiat incendium? » S. Bernardus ad sororem, *De Modo bene vivendi*, serm. 67, ei hoc contra luxuriam efficacem remedium præscribit: « Memoria, inquit, ardoris gehennæ exstinguat in te ardorem luxuriæ. »

Abbas Olympius cum cellam perexiguam incoheret, quam et æstus impetebat, et ciniphum aculeata turba, rogatus qui in ea tanto tempore moraretur? « Libenter, inquit, ista tolero, ut futuris cruciatibus eripiar. Ciniphes quippe perfero, ut immortalē effugiam vermem; ignem vero, sempiterni ardoris supplicia perhorrescens. » Ita Sophronius in *Prato spirit.* cap. cxli.

Venerabilis Beda in *Histor. Anglorum*, refert senem quemdam vitæ restitutum in eremum concessisse, ubi super hominem austeram et religiosam vitam duxit. Increpabant eum vicini, quod se enecaret. Quibus ille in lacrymas solutus: « O utinam vobis datum esset ea videre, quæ ego vidi! certo certius affirmo, has pœnas nihil esse ad æternas illas, quas vidi. »

In *Vitis Patrum*, lib. VII, pag. 44, duodecim Anachoretæ convenientes in unum dixerunt quisque suam meditationem, et stimulum quotidianum ad virtutem. Tandem duodecimus auditus undecim dixit: « Vos estis terreni Angeli, et cælestes homines. Ego vero his me indignum judicans, in infernum adjudicavi meipsum dicens: Esto cum his quibus dignus es; istis post modicum annumeraberis. Video ergo ibi pares gemitus, et incessabiles lacrymas, quæ a nullo referri queunt. Aspicio quosdam stridentes dentibus, et salientes toto corpore, et trementes a capite usque ad pedes. Et jactans me super terram, et amplectens cinerem deprecor Deum, nunquam casuum me illorum experimenta accipere. Video et mare

ignis bullientis immensibile, et circumflentes et mugientes, ut putent aliqui usque ad cœlos attingere fluctus ignis, et in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos ab agrestibus : et una voce omnes illos clamantes et ululantes simul, quales nemo super terram ululatus et voces unquam audierat : et sicut arentia omnis virgulti cremare : misericordia Dei se avertente ab illis propter injustitias eorum. Et tunc lamentor hominum genus, quod audeat loqui vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis. Et in his teneo mentem meam, luctum meditans, quod ait Dominus, indignum me cœlo et terra judicans, reputansque quod scriptum est : Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. »

Alius quidam insignis Abbas in eremo rigide vivens, rogatus : « Quomodo sustines laborem hunc? » respondit : « Totus labor temporis mei, quem hic sustineo, non est idoneus comparari ad unam diem tormentorum quæ peccatoribus in futuro sæculo præparantur. » Ibidem lib. V, capite VII *De Patientia*.

Theodoretus in *Philotheo*, cap. XXVIII; narrat se vidisse Thalelæum, qui cum maximo esset corpore, inclusit se rotæ, quæ alta erat cubitos duos, lata unum; ita ut collum non posset erigere, sed semper sederet incurvatus faciem habens annexam genibus : itaque jam sederat decem continuos annos. Rogavit eum Theodoretus : « Cur se ita affligeret? » Respondit : « Ego multis peccatis sum obnoxius, et audivi pœnas, quæ iis in futuro parantur : elegi ergo potius hic corpus castigare mediocri pœna, quam exspectare illas longe majores, tum quantitate, tum qualitate. Illæ enim involuntariæ sunt : quod autem invitus quis patitur, hoc longe molestius est eo quod sponte et volens quis subit. Voluntas enim facit, ut pœna sit minor, imo ut grata sit et allubescat. » Denique hæc profunde crebroque meditans B. Isaias Abbas, tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, orat. 29, ita lamentatur : « Væ nobis, quibus per ignem super maris undas ebullientem est transeundum, ut unusquisque nostrum in suo corpore accipiat prout gessit, sive bona, sive mala !

» Væ nobis, qui tenebrosum illud, et materiæ expers incendium, æternumque atque amarum fletum, et stridorem dentium non consideramus. Ablato enim flammæ splendore, Deus in illo igne relinquit urendi vim et obscuritatem, quo magis impij et peccatores crucientur.

» Hei mihi misera anima mea ! quoniam assiduus dolor et cruciatus cor meum affligit : quia malitia prudentiam immutavit, corruptio vicit incorruptionem, mendacium texit veritatem, mors vita superior fuit : terrena, caduca, brevia cœlestibus et sempiternis sunt commutata : abjecta et odio digna, vera Christi charitate et gravitate dulciora sunt habita ac jucundiora.

» Væ nobis, qui post conscriptas lamentationes, et fine mundi jam adventante, nec respiscimus,

nec eorum quæ in adolescentia commisimus penitentiam agimus, sed miseræ senectuti majora et graviora in dies imponimus onera peccatorum ! »

15. QUI AMBULAT IN JUSTITIIS. — Dat hic modum Vers. 13 evadendi ignem devorantem et ardores sempiternos ; si videlicet quis ambulet in justitia, etc. Porro omnia hæc pendent et explentur vers. seq., ut ibi dicam.

QUI PROJICIT AVARITIAM EX CALUMNIA. — Hebraice, *qui spernit opes oppressionum*, id est opes quæ avari per vim et calumniam extorquentur. Ita Vatablus.

ET EXECUTIT MANUS SUAS AB OMNI MUNERE. — « Tres sunt acceptiones munerum, ait S. Gregorius, IX *Moral.* cap. XXVI, ad quas ex fraude festinatur : munus namque a corde, est gratia captata a cogitatione ; munus ab ore, est gloria per favorem ; munus ex manu, est præmium per dationem. Sed justus ab omni munere manus excutit : quia in eo quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere donationem quærit. » Hic sensus symbolicus est et moralis. Ad litteram enim Isaias ait de iudicibus et similibus, qui non accipiunt munera, quæ illiciunt ut feratur sententia contra vel præter justitiam.

QUI OBTURAT AURES SUAS NE AUDIAT SANGUINEM. — Hebraice, *sanguines*, id est cædes, id est homines improbos de cæde patranda loquentes et consultantes. Aliter Sanchez, *q. d.* Ne audiat carnem et sanguinem, id est ne carnis concupiscentiæ obediat.

Sic et S. Gregorius, XXIII *Moral.* cap. XXV : « Quid est, inquit, obturare aures suas ne audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de sanguine et carne nascuntur, non præbere consensum ? Iste in excelsis habitabit ; quia quamvis eum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem jam in sublimitibus fixit. Munimenta saxorum sublimitas ejus ; quia qui objecta desideria terrenæ conversationis calcât, ad supernam patriam per præcedentium patrum exempla se sublevat. Et quia per contemplationis donum gratia spirituali satiatur, apte subjungitur : Panis ei datus est, id est refectionem spiritualis gratiæ percipit, quia se a bonis infimis cœlestia sperando suspendit. »

ET CLAUDIT OCULOS SUOS NE VIDEAT MALUM, — id est qui omne quod rectitudini adversum est, non approbat, inquit S. Gregorius loco jam citato : *videat* ergo, id est videndo approbet. Est metaphora, *q. d.* Tali recto, justo et probato viro Deus formidabilis non erit, nec infernus timori ; quia talis :

16. IN EXCELSIS HABITABIT, MUNIMENTA SAXORUM SUBLIMITAS EJUS, — *q. d.* Habitabit in loco sublimi, instar saxi, fortissimo et munitissimo, puta in cœlo et Ecclesia triumphante : mystice in Deo et in Christo, qui, ut aiunt Cyrillus et Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. LI, est petra super quam

fundata est Ecclesia, « super montes, » id est super doctrina Apostolorum. Unde Vatablus pro *sublimitas ejus, vertit, asylum vel perfrugium ejus.*

PANIS EI DATUS EST, AQUÆ EJUS FIDELES, — id est jugiter manantes, quæ nunquam deficiunt et fallunt Chaldæus vertit, *cibus sufficiens datus est ei, q. d.* Nihil Beatis deerit, qualia sunt cibus et potus, quæ in hac vita maxime necessaria sunt ad vitam tuendam. Est catachresis : Beati enim proprie non egent cibo et potu, nec comedunt et bibunt ; sed Deus alet, id est conservabit eos sine cibo per se, et per gloriam ac dotes gloriosas in æternum.

Aliter S. Cyrillus et Procopius : Panis, inquit, est Christus, aqua est sacramentum Baptismi : hæc duo nunquam in Ecclesia deficient. Et Justinus, *Contra Tryphon.* : Panis, ait, est Eucharistia. Sed hæc symbolica sunt, non litteralia.

Vers. 17. 17. REGEM IN DECORE SUO VIDEBUNT. — Rabbini sic exponunt : Pii Judæi videbunt regem Ezechiam cum gloria exsultantem cæso Sennacherib. Verum hic sensus exilis est, ad eum tamen alludit : nam proprie agit de Beatis, ut patet ex anteced. et sequent., *q. d.* Beati videbunt Deum, aut potius Christum regem suum, jam post crucem et mortem gloria et honore coronatum : quæ visio mira eos recreabit. Hæc enim omnia de gloria Beatorum optime accipiunt Procopius, Justinus, *Contra Tryphon.* ; Prosper, *De Prædict.* part. III, cap. II, Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. XXVIII ; licet Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, referat hæc ad gloriam et miracula Christi, dum hic viveret. Vide *Can. IX.*

CERNENT TERRAM DE LONGE (1), — *q. d.* Beati a cælo empyreo eminens respicient et despicient terram, quasi punctum in quo homines ambulant quasi formicæ, quodque inter eos ferro et igni dividitur. Sane quotquot ibi sunt intuentur vastissimas illas cælorum machinas tot ocellis quot stellis fulgidissimis radiantibus, et maxime spectant amplissimum, et omni genere rerum pulcherrimarum atque præstantissimarum instructissimum cælum empyreum : unde despiciantur terræ exilitatem, vident et rident hominum labores et studia, quod muscas captent, quod rixentur de lana caprina, quod de terræ puncto in mille particulas secando concertent usque ad sanguinem et mortem, dicuntque :

O quam angusti sunt mortalium termini !
O quam angusti sunt mortalium animi !

18. COR TUUM MEDITABITUR TIMOREM. — Est conclusio præcedentium, *q. d.* O Sion ! vel quisquis

(1) Vatablus vertit ad verbum, *terram distantiarum*, id est remotam et multum distantem, *q. d.* obsidione soluta, cum restitutus fuerit rex tuus in pristinam dignitatem, tibi licebit secure peregrinari ad regiones multum distantes a Jerusalem. Non amplius mœnibus inclusi, quoquo lubebit spatiabimini. Quale illud Virgilii, *Æneid. II*, vers. 27 :

Libet ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos.

meditaris ea quæ dixi de ardoribus sempiternis, de habitatione in excelsis, etc., si ea serio expendis, sane concipies salubrem timorem tum ignis istius, tum Dei vindicis. Pro *meditabitur* græce apud Septuaginta est μελετάω, id est studiose et serio cogito, expendo, curo, exerceo me in affectu timoris Dei, per hujus ignis meditationem in me excitando.

UBI EST LITTERATUS ? — *q. d.* Suasi meditationem timoris ; quia sine eo frustranea et evanida est omnis scientia, sapientia, meditatio ; ubi enim sunt magni et celebres illi litterati, periti in lege et doctores gloriantes inani sua scientia ? ubi sunt Lycurgus, Aristoteles, Plato, Socrates, Cicero ? ubi sunt Annas, Caiphas, Scribæ et Pharisæi, partim qui ante, partim qui post Isaiam vixerunt ? sane evanuerunt in sua vanitate et superbia, ideoque regem in decore suo non videbunt, sed ad ignem devorantem ibunt. Citat hunc locum S. Paulus, I *Cor. I*, 20. Vide ibi dicta.

Aliter Pagninus et Vatablus vertunt, scilicet : *Ubi scriba ? ubi appensor ? ubi numerator turrium ? q. d.* Judæi timidi et politice sapientes, qui suadebant deditionem faciendam Assyriis, eo quod numerantes et appendentes munitiones Hierosolymæ ejusque cives, putarent eos non esse resistendo ; hi ubi sunt, fugerunt ad Assyrios, cum eisque vel perierunt cæsi ab Angelo, vel trepidi profugerunt in Assyriam.

19. POPULUM IMPUDENTEM (male Plantina legunt, *imprudenterem*) NON VIDEBIS. — Redit ad vers. 17, quasi post parentheses vers. 18 ; redit, inquam, ad Sionem cœlestem. Alludit autem ad Assyrios, qui impudentes erant, arrogantes, et peregrina lingua loquebantur Judæis, ut patet cap. xxxvi et cap. xxxvii (2), *q. d.* Hos deinceps non videbis ; o Ezechia, o Judæi ! eos enim auferet Deus. Verum per hoc vult significare ea quæ fiunt in cælo, *q. d.* O Sion cœlestis ! o Beati ! non videbitis ibi homines impudentes, superbos, barbaros, quos non intelligatis, sapientia destitutos, quales in hac vita Assyrios aliosque homines sæpe cum dolore experti estis ; omnes enim cœli cives erunt benigni, humiles, affabiles, sapientes ; cum his erit ibi conversatio vestra, o quam suavis ! quam jucunda ! Ad cælum enim ab inferno avolavit Propheta, vers. 16 et deinceps. Idem patet ex versu sequenti.

S. Hieronymus et Haymo hæc quoque non male referunt ad Ecclesiam militantem, *q. d.* O fideles ! o Christiani ! in Christi Ecclesia non videbitis, non curabitis, non superabitis, deprimetis et confundetis impudentes Scribas, Pharisæos, et Philosophos ac oratores Gentilium, qui sibi sophi, et alta sapere videntur. Nam horum sapientiam sæcularem stultam esse, esseque insipientiam ostendet Deus per Christum et Apostolos, qui de-

(2) Si Syriacam linguam vulgus Judæorum non intelligebat, multo minus Assyriacam.

monstrabunt veram sapientiam sitam esse in Christo crucifixo.

POPULUM ALTI SERMONIS. — Hebraice, *populum profundum sermone ab intelligendo*, id est cui sermo est obscurior; ut non intelligas « desertitudinem linguae: » Hebraice *נִילָג* *nilag*, id est blaesum vel balbum lingua.

Vers. 20. 20. RESPICE SION (vox *Sion* potest esse accusativi casus, aut vocativi; unde sequitur: « Oculi tui, » scilicet, o Sion! « videbunt, » *q. d.* O Sionidæ! o Israelitæ veri! respicite) CIVITATEM SOLEMNITATIS VESTRÆ. — Hæc civitas, *primo*, cum S. Hieronymo accipi potest Ecclesia militans: hæc vocatur *civitas solemnitas*, quia Christiano et justo quivis dies feria est et solemnitas ac sabbatum, ut uni Deo serviat et vacet (1).

Secundo, significatur perpetua Ecclesiæ firmitas, et firma perpetuitas per clavos et funiculos, per quos speciatim Theodoretus accipit Martyres et Apostolos, qui sua morte corpus terræ, animam cælo, virtutis exemplum posteris consignando, firmant Ecclesiam sicut funes in terram per clavos adacti, et sursum per tabernaculi latera diducti, illud stringunt et firmant. Unde S. Augustinus, in *Psal. xxxiii*, explicans illud: « Extendens cælum sicut pellem; » post mortem, ait, mortuorum Apostolorum extensa est pellis, et cælum, id est doctrina cælestis. Nam tunc innotuit eorum veritas, virtus et sanctitas. « Extendit ergo cælum sicut pellem, quia doctrina pellibus scripta est, et tenditur, et sicut pellis, sic et tenditur sermo mortuorum; propagatur enim Ecclesia per martyria, et sanguis Martyrum est semen Christianorum, » inquit Tertullianus.

Tertio, significat Ecclesiæ charismata, cum ait quod Deus ejus erit rivus, fluvius et fons uberri- mus.

Quarto, significat ejus munimen, cum ait quod per eam non transibit navis, aut trieris hostilis; quia Dominus ejus judex, id est vindex, est contra diabolium.

Verum S. Cyrillus, Procopius, Adamus et alii passim melius referunt hæc ad Jerusalem cælestem; eam enim opposuit inferno, vers. 16. Unde ait: Respice, vel suspice cælum, vive memor cæli, vive quasi viator tendens in cælum; ac proinde cælestis sit tua vita, cælestis cogitatio, ut in omnibus actibus tuis cælum spectes, et cælestia spires. Cum ergo arduum quid occurrit, cum tentatio ingruit, cum crux gravior imponitur, respice civitatem cælestem; dicito: Feram, patiar, superabo quævis dura et aspera: *Sic itur ad astra.*

Ecclesiam ergo triumphantem vocat, *primo*, « civitatem solemnitas nostræ; » quia in cælo erit perpetua solemnitas, perpetuum jubilæum, perpetua laus et melodia Dei.

(1) Ad securitatem et tranquillam pacis fruitionem indicandam utitur comparatione ex nomadum vitæ genere desumpta.

Secundo, vocat eam « Jerusalem, » id est visionem pacis.

Tertio, « habitationem opulentam; » quia omni decore, gratia, gloria, opibus omnibus abundat.

Quarto, « tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, » id est firmum, stabile, perpetuum; cum hic domus nostræ et palatia temporanea sint, et cum tempore finem accipiant; hoc enim per catachresin significant clavi et funiculi: nam alioqui patet hos in cælo non esse, nec fore. Causam dat: « Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster, » *q. d.* Unus est ibi princeps et rex, scilicet Dominus, cujus omnia sunt magnifica, qui omnia sub se in pace et concordia, æque ac in firmitate et duratione conservat et perpetuat. Secus fit in terris, ubi plures volunt esse magnifici, plures principes, tumque potentior vel calidior inferiorem evertit, uti monarchiæ omnes eversæ sunt.

Quinto, « locus fluviorum rivi latissimi et patentis, » *q. d.* In Jerusalem non terrestri (hæc enim laborabat aquarum penuria), sed cælesti, erit ingens fluvius, instar plurium fluviorum, ex quo rivi latissimi et patentis in omnem partem defluent; neque tamen per eos ulla navis, aut trieris hostilis transibit, quæ urbis pacem turbet, vel opes diripiat. Aliter Sanchez, *q. d.* Civitas illa omnibus rebus abundat: ergo non desiderabit trierides et remiges, qui ad beatorum civium usum et gaudia merces opportunas comportent. Alludit ad fluvium paradisi, qui in quatuor rivos et capita dividitur, *Gen. ii*; unde tam eo, quam huc alludens S. *Johannes*, *Apoc. xxii*, ait: « Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. » Fluvius hic significat exuberantiam donorum, gaudiorum et voluptatum, quæ Deus et Christus in Beatos effundent.

Dicitur fluvius « aquæ vitæ, » vel ut alii legunt, « vivæ, » qui semper ex se, quasi ex vitali corde aut hepate, effundit aquam, sive qui semper fluit et nunquam deficit, qui, si urbem permeet, magnam illi amoenitatem et utilitatem affert; unde dicitur: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Talis ergo fluvius in cælo erit visio beatifica, per quam Deus se, suaque omnia bona Sanctis communicat, suaque gaudia in eos effundit; unde *Psal. xxxv* dicitur: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; » et *Isaiæ lxxvi*: « Declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam. »

22. DOMINUS ENIM JUDEX NOSTER. — Causam dat præcedentium, cur scilicet Sion cælestis pace, opibus et rebus omnibus sit abundatura; quia scilicet Deus ibi erit judex, legislator et rex, qui eam in perpetuum tuebitur et servabit: Deo autem quis resistet? quis eum lacesset?

23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI. — Septuaginta et Chaldaeus vertunt, *rupti sunt funiculi tui; Vata-*

Fluvius
aquæ vi-
tæ est
visio
Dei.

Conditio-
nes cæli
quinque.

blus, laxati sunt rudentes tui, ut nec malum suum firmiter retinere, nec velum expandere possint. Redit Propheta ad argumentum capitis, puta ad tempora Ezechiae et Sennacherib, q. d. Laxabuntur quidem tabernaculi tui, o Sion! funes ab Assyriis; adeo ut convellendum videatur, id est, terrore Assyriorum concutientur civium Hierosolymæ animi, ut deditionem cogitent; et « non prævalerunt, » scilicet Assyrii tibi, ait Sanchez; vel potius funiculi tui Assyriis; non poterunt eos urbe arcere. Sic malus ille, qui quasi statumen tabernaculi molem sustinet, pronus procumbet ut in eo militare signum dilatare, id est explicare non possis; hoc est regis Ezechiae, qui erat quasi columnen Reipublicæ, vires ita concisæ et prolapsæ sunt, ut exercitum in tutelam urbis cogere et instruere non possit: quo significat reliquas urbes Judææ fuisse captas a Sennacherib, ut inde rex milites et opem evocare non posset, ad Jerusalem obsidione liberandam.

Verum tunc fiet subito mira fortunæ conversio: nam Assyrii, qui ad prædam Judæorum inhiabant, cæsi ab Angelo, prædæ et spoliationi erunt Judæis: quæ adeo facilis et obvia erit, ut etiam claudia illam procurrant nec ullus vicinus, id est civis et habitator urbis (hoc enim est Hebr. *שׂוֹכֵן* *sachen*), se a spoliatione excuset, dicens: « Elangui, » id est langueo, non possum ire spoliatum Assyrios, quia « auferetur ab eo iniquitas, » id est, iniquitatis pœna, puta infirmitas, captivitas, obsidio et oppressio hostium. Ita Sanchez (1).

Secundo, sub hoc quasi typo allegorice, et potius, loquitur de ruina Synagogæ Judæorum tempore Christi, q. d. Rumpentur funiculi, id est sustentacula tua, o Synagoga! « et » (sic enim legendum cum Romanis non « sed, » ut habent Plantiniana) « non prevalebunt, » id est non poterunt illud sustinere: habebit quidem malum sive statumen aliquod, sed tale, ut non possis expandere velum q. d. Plane arctabitur Jerusalem, concidet, vastabitur et desolabitur a Tito. « Tunc dividuntur spolia, » id est cum corruerit Synagoga, tunc Gentes cæcæ et claudæ in via virtutis et salutis diripient prædas et spolia Judæorum, id est charismata patribus promissa, id est succedent in benedictionem Abrahæ, Isaac et Jacob promissam. « Nec dicet vicinus: Elangui, » id est, nemo dicet se languidum, omnes validi

(1) Nullus ex civibus et habitatoribus Jerusalem a prædatione abstinebit, etiamsi decumbat *infirmus* aut *æger*. Tanta erit exsultatio et alacritas. Verum ne quis Judæus hæc carnaliter acciperet, et ad tempora Ezechiae isthæc tantum pertinere putaret, remissionem peccatorum inducit; ut scilicet intelligeremus victoriam quamdam spiritalem, hostium fugam et devastationem spiritalem, direptionem spoliiorum spiritalem in illa victoria designari. Neque enim post hanc victoriam « populus Jerosolymitanus relevatus fuit iniquitate. » Sed hæc ad Christum pertinent, qui « salvum fecit populum suum a peccatis ipsorum. (Forerius.)

erunt in Christo: tuncque a populo ejus Hierosolymæ, scilicet non terrenæ, sed spiritualis, puta Ecclesiæ, « auferetur iniquitas, » non enim lex Mosis, sed Christi gratia confert remissionem omnium peccatorum. Ita Adamus.

Aliter hæc accipiunt Chaldæus, Vatablus, Forerius, Procopius et alii, scilicet non de Judæis, sed de Sennacherib et Assyriis: rursus, funiculos et malum accipiunt non tentorii, sed navis, quasi comparet hic castra Assyriorum navi quæ naufragium vitare nequit. Videtur enim pergere Isaias in metaphora navis hostilis, de qua immediate ante dixit: Non transibit per eum navis remigum, neque trieris. » Unde Forerius: « Quia, inquit, tyrannos navibus, quæ vento, inflatis velis aut remigiis feruntur, comparaverat; hinc in metaphora persistens ad Assyrium convertitur, per cujus interitum ruinam diaboli et ministrorum ipsius intelligit: ipsiusque regem malo in navi comparat; principes vero ejus, funibus qui malum confirmant, instructas vero acies militum, velo ventis inflato: totum denique Assyriorum exercitum navi comparat. » Est ergo metaphora a navi, quæ cum fatiscit et solvitur, laxantur et rumpuntur rudentes vi tempestatis, inquit Procopius; navis enim hic est tyrannus hostium; malus est rex; funes qui eum sustinent, sunt duces et principes; velum sunt instructæ acies militum, ait Vitalpando in *Ezech. xxvii*, pag. 10. Sensus ergo est, q. d. Laxati sunt funiculi tui, id est sustentacula tua, o navis et trieris hostilis! id est o congregatio Assyriorum, id est dæmonum, infidelium et impiorum! ac consequenter non prevalebunt, sed rumpentur, ita ut ad malum signum, id est velum, extendere non queas vento, nec vexillum militi; utrumque enim significat vox *signum*, q. d. Omnino peribis cum tuis, et ibis in interitum, tum tempore Christi et Apostolorum, tuncque multi claudi, id est multi infirmi et imbelles, multarum Gentium spolia dividunt, et Ecclesiæ militanti distribuent. Tum potius peribis in die judicii, cum Beati olim infirmi et claudi, jam validi et potentes, dæmones et impios protrudent in tartara, et de iis triumphabunt; itaque quasi eorum spolia dividunt. Hic sensus est probabilis et congruus, nec priori cedit nisi in expositione distributionis prædæ, quæ proprie Beatis non competit, sed Apostolis et Ecclesiæ militanti; tropice tamen Beatis competit. Sic enim *Psal. cix*, 6 et 7; et alibi dicuntur iudæi calcaturi, bibituri, et manus suas loturi in sanguine reprobatorum.

Quocirca Auctor *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, tom. II, hom. 23 in *Matth.*, in fine, per navim hanc maris, id est non Dei, sed sæculi accipit Ecclesiam hæreticorum. « Quæ licet, inquit, habeat prædicationem Dominicæ crucis, invalidam tamen hanc arborem ejus ostendit; quia ubi non est veritas fidei, infirma crucis assertio est: unde inclinata et laxata vela ejus sunt os-

tensa, quod nullo flatu Sancti Spiritus diriguntur. Et ideo hæc navis, amisso veræ fidei gubernaculo, dominantibus adversis spiritibus, in nau-

fragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari a Christo Domino non meretur, fitque præda dæmonibus et gehennæ. »

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex clade Sennacherib assurgit et avolat de more ad excidium orbis in fine sæculi, ut ex Assyriorum clade discant omnes impii, quanta eis strages obventura sit in die judicii, si eorum scelera imitentur, nec respiciant. Rursum, vers. 5, alium excidii orbis typum proponit, scilicet excidium Idumææ; tunc enim simili, imo majori supplicio plectentur omnes reprobi, quo olim Idumæi, scilicet igne, pice et sulphure, ut ait vers. 9, et desolatione perpetua, ut ibi habitent onocentauri, fauni, lamiae, etc., uti ait vers. 11 et seq.

1. Accedite, Gentes, et audite; et populi, attendite: audiat terra, et plenitudo ejus orbis, et omne germen ejus. 2. Quia indignatio Domini super omnes Gentes, et furor super universam militiam eorum: interfecit eos, et dedit eos in occisionem. 3. Interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes a sanguine eorum. 4. Et tabescet omnis militia cœlorum, et complicabuntur sicut liber cœli: et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu. 5. Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus: ecce super Idumæam descendet, et super populum interfectionis meæ, ad judicium. 6. Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. 7. Et descendent unicornes cum eis, et tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium: 8. quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion. 9. Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur: et erit terra ejus in picem ardentem. 10. Nocte et die non exstinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. 11. Et possidebunt illam onocrotalus et ericius: ibis et corvus habitabunt in ea: et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendicularum in desolationem. 12. Nobiles ejus non erunt ibi: regem potius invocabunt, et omnes principes ejus erunt in nihilum. 13. Et orientur in domibus ejus spinæ, et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus: et erit cubile draconum, et pascua struthionum. 14. Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum: Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. 15. Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra ejus: illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum. 16. Requirit diligenter in libro Domini, et legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus ipse congregavit ea. 17. Et ipse misit eis sortem, et manus ejus divisit eam illis in mensuram: usque in æternum possidebunt eam, in generationem et generationem habitabunt in ea (1).

1. ACCEDITE, GENTES, ET AUDITE.—Hugo, Lyranius et Castrius ex Theodoro et Origene, hæc omnia ad excidium Judæ referunt; nam vers. 8 dicitur:

(1) Cum Cornelio, ex clade Sennacheribi, Isaiam ad excidium orbis in fine sæculi assurgere existimamus; nam licet in contrarium asserat Forerius, qui primam hujus capituli partem de ultima desolatione Judææ intelligenda censet, non putamus quod ad narrandum vel Judææ vel

« Annus retributionum judicii Sion. » Verum obstant hic ipsa verba; ait enim: « Indignatio Domini super omnes Gentes; » et: « Audiat terra

Idumæorum vastationem, hoc solemnem exordio quo omne omnino gentes compellat, usus fuisset Propheta, nec super omnes orbis terrarum gentes (vers. 2) indignationem Domini effundendam esse prænuntiasset. Quod si in sensu proximiori de aliquibus gentibus speciatim in quatuor

et plenitudo ejus; orbis, et omne germen ejus.»

Dico ergo Prophetam loqui de extremo judicio et consummatione sæculi; tunc enim omnes gentes interibunt. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, et S. Augustinus, lib. XIII *Confess.* cap. xv, et Eusebius, lib. XI *De Præpar. Evangelii*, cap. *De innovatione mundi*; ubi addit Platonem hunc Isaïæ locum in sua scripta transtulisse.

2. INTERFECIT EOS, — omnes gentes, partim per ignem conflagrationis mundi, partim per plagas illi prævias.

3. ET DE CADAVERIBUS EORUM ASCENDET FOETOR. — Alludit ad cadavera Assyriorum cæsorum ab Angelo, quæ computruerunt et fœtuerunt. Talia quoque erunt in fine mundi partim in præliis, partim alibi a Deo cæsa.

prioribus versibus quæstio est, saltem illas omnium gentium in quas gravissime Deus animadversurus est, figuram fuisse, admittendum est.

Quam vero Idumæorum historia tempora, secunda capituli pars (5-17) respiciat haud facile est definire. Ex historia constat Assarhadonem, Sennacheribi successorem, Idumæam devastasse (II *Paratip.* xxxiii, 11); Holofernem omnes ejus urbes expugnasse (*Judith* iii, 14); Judam Machabæum illam omnino, viginti millibus Idumæis interfectis, subjugasse (I *Machab.* v). Insuper, his adhuc temporibus ista regio, ut supra (cap. xxi) notavimus, vasta et horrida solitudine squalet, in qua solummodo erraticorum Arabum turbas obvias habes, qui nullas stabiles sedes incolunt, et qui nonnisi ex viatorum spoliis quæ deprædantur, vivunt.

Porro D. Calmetus hic agi de bello contra Idumæos, in pœnam crudelitatis eorum erga Judæos, sub Assarhadone acto, istudque bellum longe diversum esse ab iis quæ Abdias (capite 1) et Jeremias (capite xlix) vaticinati sunt, et quæ nonnisi post expugnatam dirutamque per Nabuchodonosorem Hierosolymam, evenerunt existimat.

Rosenmuller e contra vastationem terræ Edomiticæ a Nabuchodonosore illata hoc carmine depingi, vix dubium eventurum esse existimat conferenti *Abdiæ*, *Jeremiæ* et *Ezechielii* (xxv, 12 et seqq.) vaticinia: «Hinc, ait, sponte sequitur, poetam, quisquis ille fuerit, vel Jeremiæ, vel Ezechielis coævum fuisse.» Admittatur, si libet, ejus sententia; sed nemo est qui non videat quam falsa, imo insulsa et orthodoxæ interpretationi contraria sint quæ inde educit consecraria; ac si eosdem absolute eventus quos prædixerunt Abdias, Jeremias, Ezechiel, et ipse Isaïas, divino spiritu afflatus, longe ante vaticinari non potuerit, quin supra dictis prophetis coævus fuerit.

Primo igitur, excitatur attentio per apostrophem ad omnes orbis terrarum gentes, vers. 1.

Secundo, denuntiatur Deum in omnes populos iracundia exarsum, gravissime in illis esse animadversurum, per generalem hominum stragem, et perturbatricem siderum immutationem, 2-4.

Tertio, describitur sumpta ex Idumæis figura et vindicta, *primo*, per cædem eorumdem, velut destinatarum victimarum, editam, 5-8; *secundo*, per incendia et exustionem habitationibus immissam, quibus devastandam fore Idumæorum terram indicat, ac si esset terra picis et sulphuris, quæ perpetuo ignem alit, 9, 10; *tertio*, per terram in horrida et bestiis tantum solitariis infesta solitudine redactam, 11-15.

Quarto, confirmatur prophetia provocatione ad eventum cum dictis consensurum, et a Deo secundum partes cuilibet assignatas jam constitutum, 16, 17.

TABESCENT MONTES A SANGUINE EORUM, — *q. d.* Tanta erit cæsorum copia, ut ex eorum putredine, sanie et tabo, montes quoque tabem contrahant (1).

Secundo, *q. d.* Tot cædentur, tantus fundetur sanguis, ut montes sanguine solvantur et defluant. Unde Vatablus et alii vertunt, *præ cruore montes colliquescent*. Est hyperbole.

Tertio, Sanchez, «Montes,» ait, id est principes: æque ac plebei jacebunt inseputi, et tabescent ac putrescent volutati in sanguine «eorum,» id est suo; Hebræi enim idem habent pronomen reciprocum et absolutum.

4. TABESCET OMNIS MILITIA COELORUM. — «Militia» sive milites «cœli» sunt sol, luna et sidera. *Primo*, S. Thomas, Hugo, Vatablus, Lyranus et alii per hyperbolem sic exponunt: Tanta erit calamitas, ut videatur quasi cœlum perire; tanta erit afflictio eorum temporum, ut sibi videantur homines videre cœlos, qui extensi sunt, complicari, contrahere et convolvere sese, atque stellas ipsas de cœlo decidere. Simile est *Ezech.* xxxii, 4. Vide *Canon.* XXXII (2).

Secundo, S. Thomas, Lyranus et Sanchez sic exponunt, *q. d.* Sub Christo tabescet et peribit siderum cultus et idololatria; tunc enim ea non colent, uti ante coluerunt, sed Deum et Christum: sicque cadent stellæ, id est dæmones, de cœlo quasi divinitatis suæ, quam eis suo cultu tribuerunt idololatræ. Verum hic sensus alienior videtur et mysticus; agitur enim hic de consummatione sæculi.

Tertio, melius noster Hieronymus Prado in *Ezech.* i, pag. 19, in fine: *Cœli*, inquit, *tabescent*, id est defluent, ut stellæ, id est fulgura, de cœlo cadant; vulgus enim, cum fulgurat, videtur sibi videre quasi stellas de cœlo cadere.

Quarto et proprie, sol, luna et sidera sub diem judicii commovebuntur, obscurabuntur, et lumen suum retrahent, ut videantur præ Dei indignatione tabescere, liquescere et dissolvi. Addunt alii quod stellæ fixæ proprie ex cœlo in terram decident. Ita S. Chrysostomus, et Maldonatus in *Matth.* cap. xxiv (qui ait: Magis Christo id affirmanti, quam Aristoteli id fieri posse neganti, as-

(1) Quemadmodum montes assiduis imbris decrescunt, ac veluti liquefiunt aquarum defluxu, ita tantum sanguinis effundetur, ut diffluerent montes.

(Forerius et Rosenmuller.)

(2) Quæ verba Grotius ita explicat: «Aer ipse ex sanguine et tabo attracto obducetur turpibus nebulis, et quidem tam crassis, ut siderum conspectum adimant.» Sed rectius meo judicio Vitringa: «Metaphora plane est poetica, desumpta a populari præjudicio, quo cœli illi suppremi, in quibus astra superiora ut *gemmæ* fulgent, statuuntur esse substantiæ non fluidæ et mobilis, sed concretæ et consistentis, veluti *crystallinae*, in qua sidera certa lege et ordine, instar gemmarum defixa sint, et qui proinde admoto igne vel aliqua alia materia naturæ suæ contraria possent *liquescere, dissolvi, et tabi instar diffluere.*»

sentior), et Sibylla apud S. Augustinum, lib. XVIII *De Civitate*, cap. xxiii :

Eripitur; ait, solis jubar, et chorus interit astris :
Solvetur cœlum, lunaris splendor obibit.

Ex qua Ovidius, lib. I *Metamorphos.*, ita canit :

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Hoc est quod ait Christus, *Matth.* cap. xxiv, 29 :
« Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo; » et Joannes, *Apoc.* vi, 12, iisdem verbis utitur, quibus Isaias hic, juxta Septuaginta : « Sol, inquit, factus est niger tanquam saccus cilicinus; et luna tota facta est sicut sanguis; et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur; et cœlum recessit sicut liber involutus; » et cap. viii, 12 : « Et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia. »

Symbolice, aliqui apud S. Hieronymum per stellas accipiunt dæmones qui versantur in aere, ut tentent homines, qui e cœlo, id est ex aere hoc, ruent in infernum in die judicii. De his enim vere dicitur id quod sequitur : « Quia inebriatus est in cœlo gladius meus. »

COMPLICABUNTUR SICUT LIBER COELI. — Alludit ad veterum libros, qui non erant per folia distributi, ut nostri, sed erant una charta vel membrana ex variis consuta, quam convolvebant circa cylindrum, uti nos convolvimus chartas geographicas. Cum enim eos legere volebant, evolvebant eam et explicabant; finita vero lectione, eam rursus convolvebant : hoc enim ipsis erat id quod nobis est claudere librum. Vidi tales duos Pentateuchi libros vetustos, hebraice scriptos in Bibliotheca Vaticana, quorum charta est pellis, sive pergamenus cruda et pilosa (1).

Jam « cœli complicabuntur, » primo, quia Ethnici, inquit S. Thomas et Lyranus, in cœlis ita turbatis, et quasi complicatis et convolutis, non poterunt amplius legere, nec prædicere futuros rerum eventus, q. d. Non divinabunt amplius ex astris et cœlis, quasi ex libro prognostico.

Secundo, Dionysius Carthusianus, q. d. Non patebit amplius introitus in regnum cœlorum, sed clausa erit janua.

Tertio et genuine, q. d. Sicut liber veterum cylindro complicatus et involutus, absconsis litteris legi non poterat : ita cœlum ejusque stellæ

(1) Metaphora, *convolventur instar libri, cœli*, desumpta est ab ea specie cœlorum, qua dicuntur רקיע, expansum, vid. *Genes.* i, 8; *Psalm.* civ, 2; *Jesaj.* xl, 22. Ut autem libri, hoc est volumina in longum expansa, circa veteres aliquod lignum convoluta videntur veluti disparere, sic cœlum, coorta tempestate, contrahitur in nubes et atrorem.

(Rosenmuller.)

quasi litteræ abscondentur atris nubibus et obscurabuntur, ut videri non possint, perinde ac si cœlum esset complicatum et convolutum, imo ac si cœlum evanisset, et in alium mundum recessisset, ut ait S. Joannes *Apoc.* vi. Sicut enim cœlorum creatio per pellem seu tabernaculum extensum (ut *Psalm.* ciii : « Extendens cœlum sicut pellem, » significatur : sic ejus obscuratio, quæ moralis quædam dissolutio est, innuitur per pellem et volumen complicatum, inquit Sanchez.

Rursus, desinet notus cœlorum usus, motus et influenza, sicut libro uti desinimus, cum eum complicamus, sive claudimus. Est enim metalepsis in verbo *complicabuntur*.

Ad hæc, sicut libri, sive membranæ discissæ utraque pars in se replicatur et revolvitur, sic cœlum fulguribus quasi discissum in se, id est in partes adversas, revolvi et replicari videbitur, inquit Prado, q. d. In fine mundi cœli et astra mutabunt suos aspectus et influentias, itaque omnia perturbabuntur. Deinde fulgetris, nubibus, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris ita aer commiscebitur, ut cœli complicari et convolvi, omniaque perturbari et confundi videantur. Ita Adamus, Pererius, in *Apoc.* vi, et passim Scholastici, qui cum S. Augustino, lib. XXIX *De Civit.* xiv; S. Hieronymo, in *LI Isaia;* Gregorio, lib. XVII *Moral.* cap. v, et aliis, censent cœlum et astra mutanda et innovanda esse tantum secundum lucem aliasque qualitates, non autem secundum formam et substantiam. Nam, *Psalm.* cXLVIII, 6, dicitur Deus fundasse ea in sæculum sæculi; et quia, secundum Aristotelem et Philosophos, forma cœlorum est incorruptibilis, itaque Aristoteles deducit ex eo, quod sit æterna. Censet enim ipse mundum fuisse ab æterno, imo increatum, uti nonnulli opinantur, in quo errasse eum clarum est.

Multi tamen Patres et recentiores, qui Philosophiam exigendam volunt ad sacras Litteras, non contra, volunt cœlum et terram peritura etiam quoad substantiam, ac mutanda in aliud cœlum novum et aliam terram novam. Id enim hic et alibi clarissime dici videtur, ut cap. LI, 6; cap. LXV, 17; *Apocal.* cap. vi, 14, et cap. XXI, 1; *Eccli.* cap. XLVII, 30; *Psalm.* ci, 27; *Matth.* xxiv, 35; *II Petri* III, 7 et 12. Ubi nota sacram Scripturam longe efficacius loqui de mutatione cœlorum et elementorum, quam corporum beatorum in resurrectione, planeque significare longe majorem fore mutationem illorum quam horum; quia illa substantialis, hæc tantum accidentaliter erit. Accedit, quod cœli ex abyso et aquis facti sint, uti docui *Genesis* i, 8 : ergo non sunt plane incorruptibiles secundum formam, sed secundum materiam primam, secundum quam dicuntur permansura in æternum. Id ipsum confirmatur ex eo quod anno 1572 visa sit nova stella in Cassiopœia, quæ post biennium disparuit. Plures ejusmodi in

cœlis mutationes notarunt moderni astronomi; ex quibus proinde nonnulli hisce phænomenis convicti, censent cœlos non esse solidos et duros, sed cedere, mutari, et secari ac dividi instar aeris; aerem tamen excellere subtilitate et præstantia; cœlos enim esse æthereos, non aereos, esseque ipsum ætherem. Verum hoc alterius est quæstionis et loci.

Rursum, cum lux naturaliter quasi profluat ex essentia cœlorum, tumque futura sit longe major et nobilior, videtur pariter, quod ex alia forma substantiali nobiliore manabit. Nam lux tanta quanta tunc erit, non est connaturalis formæ solis quæ jam est. Ita sentiunt S. Chrysostomus, hom. 14 in epist. ad Roman., et post eum Theodoretus et Oecumenius; Justinus, Quæst. XCVIII; Ambrosius, lib. I *Hexaem.* cap. vi; Basilius, hom. 3 *Hexaemer.*; Nyssenus, lib. *De Creatione hominis*, cap. xxiv; Clemens, lib. II et III *Recognit.*; Sibylla apud S. Augustinum, lib. XVIII *De Civit.* cap. III, cum canit :

Tempora torpebunt, vidua omnia semina mundi,
Aer, terra, salum, lux ignis fervida, cœli,
Cardo, dies, noctes, consistent omnia in ignes :
Et fiet species quam disertissima rerum.
Omnia namque cadent lucentia sidera cœlo.

Idem fuse docet Hieronymus Magius, lib. II *De Exustione mundi*, cap. vi et vii; et Valesius, *Sacræ Philosophiæ* cap. lxxxix; et noster Molina, tract. *De Opere sex dierum*, disput. 3. Ignem enim posse agere in cœlos eosque corrumpere, si non naturaliter, certe divina vi et inoperatione concedunt omnes; nec id negari potest, cum certum sit ignem inferni eadem vi agere in dæmones eosque urere, qui corpus non habent, sed sunt puri spiritus. Porro quod alibi ait Scriptura, quod cœli et terra in æternum stabunt, non repugnat huic sententiæ. Manebit enim eadem terra, idem sol, et iidem cœli generice; terra enim formam terræ, cœli formam cœlorum genericam retinebunt, esto specificè altam, eamque præstantiorem accipiant. Erit enim tunc totius mundi innovatio, reformatio et recreatio.

Philosophi tamen passim, et plerique Theologi Scholastici, inter quos est Franciscus Suarez, III part., Quæst. LIX, art. 2, disput. 58, sect. 6, et Conimbricenses, lib. I *De Cælo*, cap. III, Quæst. I, censent cœlos accidentaliter tantum mutandos, non substantialiter, ut dixi. Unde ad hanc et similes Scripturas, quæ contrarium videntur dicere, tres dant responsiones. *Prima* est, quasdam aiunt loqui hypotheticæ et comparative, ut illud Christi : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. » Sensum enim esse, q. d. Citius cœli et terra transibunt, quam verba mea prætereant, et promissa mea fallant. *Secunda* est, per cœlos intelligi aerem. Sic enim vocantur « volucres cœli, » id est aeris. Et sic intelligunt illud S. Petri, epist. II, cap. III, 7 : « Cœli autem qui

nunc sunt, etc., eodem verbo (quo jussu Dei aquis diluvii obruti sunt, ut præcessit) repositi sunt, igni reservati in diem judicii. » Hoc bene : verum non satis convenit hæc expositio vers. 10 et 12, ubi cœlos opponit elementis; ergo per cœlos non aereos, sed sidereos intelligit. Ait enim : « Cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur; » et efficacius, vers. 12 : « Cœli ardentessolventur, et elementa ignis ardore tabescent : » ubi coguntur ipsi per cœlos accipere aerem summum; per elementa vero aerem, aquam et ignem, qui in terra vel circa terram sunt. *Tertia* est, cum subdit ibi S. Petrus et Scriptura alibi : « Novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus; » hanc innovationem aiunt fore non substantialem, sed accidentalem : quia scilicet sol, luna et cœli majori luce ornabuntur, magisque resplendebunt, ut participant aliquid de gloria Beatorum, quibus in hac vita servierunt. Utraque sententia est probabilis, gravesque habet doctores : prior sacræ Scripturæ, posterior Philosophiæ Aristotelicæ conformior. Utra sit verior, alibi pertractabitur.

5. INEBRIATUS EST IN CŒLO GLADIUS MEUS. — Ebrietas copiam effusi sanguinis significat : sicut enim homo inebriatur multo vino, ita gladius multo sanguine quem fundit (1).

Primo, aliqui sic exponunt : Gladium, id est, acre supplicium, intentavi Lucifero et sociis ejus apostatis, cum eos cœlo deturbavi : quanto magis gladium meum dstringam in homines terrenos, qui mihi reluctantur? Huc accedit expositio S. Hieronymi, qui hæc accipit de gladio iræ Dei, quo ipse dæmones ex cœlo hoc aereo in die judicii deturbabit in tartara.

Secundo, Lyranus et Vatablus : « In cœlo, » inquit, hoc est in decreto et ordinatione Dei, qui habitat in cœlis, q. d. In decreto suo stabili et immobili jam decrevit Deus gladium suum exercere in peccatores.

Tertio, alii : « In cœlo, » id est de cœlo descendet hic gladius et desæviet in Idumæam.

Quarto, Adamus : « In cœlo, » inquit, id est usque ad cœlum, q. d. Tanta erit ultio in fine sæculi, ut etiam ad cœlos usque pertingat, hoc est, erit maxima. Sic dicitur *Psalm.* xxxv, vers. 6 : « Domine, in cœlo, » id est usque ad cœlum, « misericordia tua » pertingit, q. d. Misericordia tua est amplissima et maxima; unde explicans subdit : « Et veritas tua usque ad nubes. »

(1) Nil frequentius apud poetas Orientales, quam ad cædis magnitudinem designandam gladium sanguine inebriatum sistere, vid. not. ad *Deuter.* xxxii, 42, et *Psalm.* lxxviii, 1, et *Habac.* iii, 9, in *Dissertatt. junctiæ* edit. pag. 360, 361, et nostram notam ad eum locum, ubi plures similes imagines ex Arabum poetis invenies. Nisi potius hoc versu gladius in cœlo jam ira divina ebrius intelligendus sit, priusquam in terram demitteretur hostium satiandus sanguine : tum apte versu sequenti gladius ille in Edomitarum terra sanguine satiatus describeretur.
(Rosenmüller.)

Quinto et proprie, dat Propheta hic causam, cur cœli et astra tabescent ac defluent in fine mundi: « Quoniam, inquit, inebriatus est in cœlo gladius meus; » hoc est, quoniam in ipso cœlo ultio mea grassabitur usque ad satietatem, et quasi ad ebrietatem in ipsa astra, ut per hoc puniam et terrefaciam peccatores in terra, qui astris et cœlo abusi sunt ad sua peccata.

ECCE SUPER IDUMÆAM DESCENDET (gladius meus), ET SUPER POPULUM INTERFECTIONIS MEÆ. — Hebraice, *חֶרְמִי* *chermi*, id est *anathematis mei*; Septuaginta, *perditionis*, hoc est, super Idumæos neci a me destinatos, quos ultioni meæ devovi, ait Vatablus, *ad iudicium*, ut scilicet in eos justum iudicium et vindictam exerceam. Nominat præ aliis Idumæos, quia hi assidui et acerrimi fuerunt hostes Judæorum, adeoque Babylonis juncti Judæam everterunt: unde ipsi quoque gravi clade et excidio a Deo per eosdem Chaldæos mulctati sunt, ut patet ex Abdia, et ex Jeremia, cap. XLIX, et ex Ezechieli, cap. XXV, denique ex Isaiâ, cap. XXI, 5, sed obiter; unde hic rursus fusius de ea agit. Perstringit ergo Propheta hic superficie tenus cladem et excidium Idumæorum per Chaldæos: verum per illud symbolice intendit significare cladem et exitium omnium impiorum in die iudicii: huic enim soli convenit, quod dicitur vers. 10, quod ardebit in æternum, et in sæcula sæculorum. De quo mox plura.

Vers. 6.

6. INCRASSATUS EST (gladius Dei) ADIPE, DE (clarius pro *de* Vatablus verlit, et) SANGUINE AGNORUM ET HIRCORUM. — Solet culter, quo jugulantur pingues oves, repleti, et quasi incrassari, earum tam adipe quam sanguine: per hoc autem significat, quod Deus gladio Chaldæorum transfodiet Idumæos, ita ut gladius eorum cruentetur sanguine, et incrassetur adipe Idumæorum. Per *agnos*, intelligit plebem; per *hircos*, duces et principes; per *arietes*, magistratus et diliores, *q. d.* Nulli ætati, sexui aut gradui parcat hostilis gladius, sed in omnes promiscue desæviet (1).

VICTIMA ENIM DOMINI IN BOSRA. («Victima,» sive sacrificium significat cædem et stragem: quia sacrificium non fit sine cæde, *q. d.* Cædem facturum est Deus in Bosra urbe primaria Idumææ, ut impios in ea per Chaldæos efferat et mactet divinæ suæ justitiæ; unde explicans more Hebræo (quod in Psalmis frequens est) subdit): ET INTERFECTIONE MAGNA IN TERRA EDOM. — Bosra metropolis Idumææ, ita dicta est hebraice tum ab ubertate vindemiæ, ut patebit cap. LXIII, 1; tum a murorum firmitate, inquit S. Hieronymus; unde *Psal.* CVII, 11, pro eo quod habemus: « Quis deducet me in civitatem munitam? » hebraice est: « Quis me deducet ad Bosram? » Hinc a Bosra per metathesin dicta est Byrsa arx Carthaginiis munitis-

(1) Cædes nunc sacrificiis comparatur, et iis maxime quæ pro peccato fiebant, in quibus adeps et sanguis Jovæ cedebant, *Levit.* VII, (Rosenmüller.)

sima, non autem a Græco *βύρα*, id est corio: Carthaginenses enim orti a Phœnicibus, non Græca, sed Phœnicum sive Punica lingua, quæ Hebrææ affinis est, teste S. Augustino, locuti sunt.

Jam symbolice, per « Bosra » et « Edom » accipe totum mundum crassum, terrenum, sanguineum, et solidatum, qui in fine peribit. « Edom » enim significat rubeum, « Bosra » munitum, inquit S. Hieronymus, in ultimo cap. *Joëlis*, licet hic aliter explicet. Edom enim sive Esau inhiavit sanguini et morti fratris sui Jacob. Inepte Judæi per Idumæos accipiunt Romam et Romanos, ut dixi cap. XXI, 11. Porro Arias Montanus per Bosram (quæ hebraice significat munitam) accepit Romam Ethnicam, quæ Gentium erat arx munitissima. Porro incendium interpretatur de igne Evangelico, qui corda Romanorum fide et amore Christi succendit. Fumum autem exponit de incertis fabulis, et statu, idolis, fanis, post conversionem in urbe monumenti causa relictis. Huc accedit Alcazar in *Apocal.* XIV, 11, notat. 5, qui per ignem accipit vindictam Dei, ex qua quasi fumus prodiit Dei laus et gloria: vindictam, inquam, quam Deus sumpsit de Romanis, tum infidelibus, eos ad gehennæ ignes damnando; tum fidelibus, et S. Petro credentibus, quos igne charitatis succendit. Verum hæc duplex vindicta valde dispar et contraria est; adeoque si prior est litteralis, posterior litteralis, imo allegorica, esse nequit: nec enim ignis gehennæ allegorice significare potest ignem charitatis.

7. ET DESCENDENT UNICORNES ET TAURI CUM POTENTIBUS. — *Unicornes et tauros* vocat Idumæos viribus robustos, et armis validos: *potentes* vocat divites et honoratos, *q. d.* Hi omnes cadent cum imbelli plebe, descendantque ad orcum. Sic Christus patiens orat, *Psal.* XXI: « Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam: » unicornes vocat potentes et crudeles Pontifices, Scribas et Pharisæos.

Vers. 7.

8. ANNUS RETRIBUTIONUM JUDICII SION, — id est contra Sion, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, Hugo, Adamus et Forerius. Putant enim ipsi Prophetam hic a clade Idumæorum transire ad cladem Hierosolymæ et Judæorum futuram per Romanos. Verum melius Chaldæus, Lyranus, Vatablus, Montanus et Sanchez, iudicium Sionis interpretantur iudicium, id est vindictam, quam pro Sione, id est Judæis, Deus exercet contra Idumæos: illos enim hæc omnia spectant. Unde cum Vatablo sic quoque verti potest: *Annus repensionum rixæ cum Sion*, id est annus quo rependet Deus talionem Idumæis, qui jugiter rixati sunt et belligerantur cum Judæis.

Vers. 8.

Symbolice: « Annus retributionis iudicii Sion » erit in fine mundi, quando Deus judicabit, id est vindicabit et puniet injurias ab impiis factas Sioni, id est Ecclesiæ, et Sanctis Dei electis.

9. ET CONVERTENTUR TORRENTES EJUS (Idumææ)

IN PICEM. — Est hyperbola, *q. d.* Idumæa tam in torrentibus quam in campis ita desiccabitur, ut instar picis et sulphuris sit arsura, ignem in eam immittente Chaldæo; hoc est, omnino vastabitur et cremabitur. Alludit ad Idumææ vicinam et situ et scelere et clade Sodomam, quæ sulphureum habet solum, et igne ac sulphure cœlesti confla gravit (1).

Porro symbolice significatur hic Idumæam, id est impium mundum comburendum igne conflagrationis, qui tantus erit, ut videantur ubique esse torrentes ignis, picis et sulphuris, *q. d.* Ignis conflagrationis ex pice et sulphure conflatus omnia implebit, et damnatos secum in gehennæ incendium convolvit; « non exstinguetur in æternum. » Hoc enim proprie competit gehennæ; improprie tantum Idumææ: hæc enim in æternum dicitur arsisse tantum hoc sensu, quod diu et longo tempore arsit.

Moraliter, discite hic terram, quæ suis deliciis fertilis, homini fuit in luxum, hic eidem abutenti verti in luculentum ignem et tormentum. Ita Sodoma fertilissima ob libidinem incolarum versa est in mare mortuum, fumans et salsissimum.

Vers 11. **41. POSSIDEBUNT EAM ONOCROTALUS, ET ERICIUS, ET IBIS.** — Est catachresis significans summam Idumææ, id est mundi, vastitatem et desolationem, ita ut hominibus vacua, feris, si quæ sint, habitanda relinquatur (2).

ET EXTENDETUR SUPER EAM MENSURA, — *q. d.* Deus certo et exacto iudicio æquans demeritis pœnas, item certa sententia, destinatione et designatione (hæc enim est mensura) eam vastabit, et gloriam ejus annihilabit. Hæc ergo vastitatis mensura erit « perpendicularum in desolationem, » id est, erit quasi linea fabrilis in terra extensa, ut juxta eam plane desoletur, radatur et solo æquetur. Est metaphora a linea sive perpendicularo fabrorum, qua domos erigendas aut diruendas dimetiuntur, ut juxta eam præcise eas erigant vel destruant. Unde Vatablus vertit, *extendet super eam regulam inanitatis, et lapides vacuitatis; vel ut alii, lapides perpendiculares vanitatis.* Sic *Isaiæ*, cap. XXVIII, 17,

(1) « In sempiternum ascendet fumus ejus. » Solent enim incensarum urbium diu manere favillæ et fumus. De fumo Virgilius, *Æneid.* III, vers. 3 :

Omnis humo fumat Neptunia Troja.

Ubi Servius: « Ruina fit brevi, fumus vero longo permanet tempore. » Seneca in *Troadibus* :

Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in cælum, nebulaque turpes
Troes hoc signo patriam videbunt.

(Rosenmuller.)

(2) Onocrotalus avis (aliter pelicanus), cygno similis, sic dicta quod collum in aqua mergens, spiransque, veluti ruditum asini edat, ὄνος, asinus, κρητάλος, crepitaculum, crepitus. Hujus avis hebræum nomen קאט *kaat*, vomitus, vel vomitor, evidenter sumitur ex ejus more sacculum suum iis quæ in eo continentur exonerandi, ut suam vel pullorum famem compescat.

dicitur: « Ponam in pondere iudicium, et justitiam in mensura; » hebraice לקף *lakaf*, quod Noster hic vertit pariter « mensura. » Sic II *Reg.* VIII, vers. 2, de Davide dicitur: « Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidentum, et unum ad vivificandum, » *q. d.* David plane humiliavit et prostravit Moabitas, adeo ut eos quasi in terra jacentes funiculo dimetiri posset. Porro duas eorum fecit sortes, sed cum mensura justitiæ et æqui principis, unam occidendorum, alteram servandorum. Vide ibidem Cajetanum. Vide et ea quæ dixi cap. XVIII, vers. 2.

Pro *in desolationem* hebraice est תהו ובהו *tohu vabohu*, quo nomine vocatur terra informis, creata primo die mundi, quod Noster, *Genes.* cap. I, vertit: « Terra autem erat inanis et vacua, » *q. d.* Idumæa, ejusque antitypa terra redigetur in die iudicii per ignem in illam vacuitatem, nuditatem et informitatem, quam habuit initio mundi et creationis suæ. Sic Virgilius ait: « Et campos ubi Troja fuit. »

Hinc videtur parum esse probabile, quod aliqui censent terram post iudicium exornandam suis plantis, arboribus, fructibus, etc., instar paradisi terrestris, ut in eo jucunde vivant parvuli sine baptismo in peccato originali mortui.

12. NOBILES EJUS NON ERUNT IBI (nobiles Idumææ Vers. 12. occidentur, aut spoliabuntur, et abducentur a Chaldæis, æque ac ignobiles. Unde reliquæ gentis exarsæ) **REGEM POTIUS INVOCABUNT,** — id est optabunt sibi in tanta desolatione ducem, qui rebus afflictis succurrat: sed nemo volet rempublicam perditam gubernandam capessere.

Aliter Lyranus; per « regem » enim accipit Nabuchodonosor, qui vastavit Idumæam: hunc enim invocarunt victi et supplices Idumæi. Pari modo in fine mundi post plagas prævias extremo excidio, quæ describuntur *Apoc.* VIII et IX, reliquæ hominum optabunt sibi regem, vel Antichristum, vel eo occiso alium similem monarcham potentissimum; sed frustra: ipse enim cum omnibus suis principibus, id est omnis ejus fortitudo, pompa, opes et gloria ad nihilum redigentur.

Aliter distinguunt et vertunt Hebræa, Vatablus, Forerius et alii, sed eodem sensu jam dicto.

13. ET ORIENTUR IN DOMIBUS EJUS SPINA ET URTICAÆ. — Ad litteram hæc et sequentia vera fuerunt in Idumæa vastata; symbolice, orbe cremato, significant summam fore vastitatem.

ET PALIURUS. — Est genus spinæ et rubi, inquit Plinius, lib. XXIV, cap. XIII, de quo Virgilius, *eclog.* V :

Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

14. ET OCCURRENT DÆMONIA ONOCENTAURIS, etc. — Vers. 14. Nota *Centaurus* juxta Pindarum et Plutarchum apud Gesnerum, cap. *De equo*, prognatos esse ex

Centauro Ixionis filio, cum equabus Magnesiiis congregante: hinc enim filios natos esse, qui superne patri homini, inferne matri equæ similes essent. Idem Gesnerus, cap. *De asino*, ex Plutarcho, Æliano et Volaterrano, refert onocentaurum esse animal collo, pectore, mammis mulieribus, et humeris, brachiis ac digitis humanis, sed dorso, lateribus et pedibus asininis, uti et colore cinereo. Verum Doctores has fabulas vulgi fama et credulitate traditas rident. Unde nota cum S. Hieronymo S. Scripturam vel Interpretem nostrum, et Septuaginta hic et alibi, subinde alludere ad fabulas Poetarum. Sic *Judith* xvi, 8, alludit ad fabulam Titanum; ait enim: «Nec filii Titan percusserunt eum (Holofernem), sed Judith.» Sic *Job* xlii, 14, pro *cornu stibii* Septuaginta vertunt, *cornu Amaltheæ* (quæ fingitur esse capra Jovis). Sic hic nominat «lamias» et «onocentauros.» Fabula ergo de onocentauris inde orta videtur, quod rex Thessalus jusserit, ut homines equis insidentes tauros œstris percitos et fugientes longis hastis pungerent, itaque in urbem cogerent. Unde priscis rudibus hominibus res nova et insolens, scilicet vir equo aut asino insidens, una visa fuit natura, unum animal mixtum ex equo vel asino et homine, scilicet centaurus. Hinc centauri dicti sunt ἀπὸ τοῦ κενταύ, id est pungere, stimulare, et taurus; centaurus ergo est qui stimulat taurum. Adde ἵππος, id est equus, fiet hippocentaurus: adde ὄνος, id est asinus, fiet onocentaurus. Rem hanc narrat Servius, lib. III *Georgic.*, et ex eo Leo Gasterius, Henricus Stephanus, voce *centaurus*, et Gesnerus. Addit Servius: «Alii dicunt centaurorum fabulam esse confictam, ad exprimendam humanæ vitæ velocitatem, quia equum constat esse velocissimum.» Per *onocentauros* ergo hic accipe spectra talia vel dæmones, qui hæc monstra et larvas induunt, ut partim homines, partim equi vel asini esse videantur; idque ad hoc ut homines territent et ludificent. Id patet ex *Vita S. Antonii* apud S. Athanasium: vidit enim Antonius quærens S. Paulum primum eremitam in deserto bestiam pube tenus humanam, quæ deinde in asinam desinebat, quam ille irridens signo crucis fugavit. Porro quod Plinius, lib. VII, cap. III, ait se vidisse hippocentaurum in melle allatum ad Claudium Cæsarem, certum est fuisse monstrum marinum vel terrestre, partim equo, partim tauro simile, diversum a nostris hisce: unde nec ipse ejus formam exprimit (1).

ET PILOSUS CLAMABIT ALTER AD ALTERUM. — Hebraice, *vir ad proximum suum: vir*, id est quisque; hebraice enim *vir* significat distributionem, et pariter multitudinem. Porro *pilosi* sunt iidem dæmones, specie hircorum hirsuti, quos vetustas

Faunos et Satyros dixit; unde Chaldæus vertit: *Dæmones inter se colludent* (et, ut dixit cap. XIII, 21, *saltabunt*). Nota: Gaudent et assistunt choreis dæmones. Unde Conrardus Clingius, *De Locis Theolog.*, cap. *De Choreis*: «Chorea, ait, est circulus, cujus centrum est diabolus, circumferentia omnes angeli ejus;» et Basilius hic, in cap. XIII, tradit saltationes didicisse homines a dæmonibus. Nisi malis monstra hæc esse genus simiarum cum Gesnero; aut esse animalia prognata ex incesto hominis cum capra et bestiis congressu; quale delatum fuisse Alexandriam asserit S. Hieronymus in *Vita S. Pauli eremitæ*: licet dubitet, et merito, an animal, an dæmon fuerit illud alterum, quod visum est S. Antonio: nam ratione et voce humana cum eo collocutum est, cum tamen bestiam vocet, certumque sit non fuisse hominem.

Moraliter S. Gregorius, VII *Moral.* XII: «Dracones, ait, sunt mali, struthiones hypocritæ: onocentauri lubrici et elati, qui subjecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt unde humiliari debuerant. Pilosus clamat alter ad alterum, cum culpa præcedens subsequentem, v. g. gula libidinem, invitat.»

IBI CUBAVIT LAMIA. — *Lamiæ* sunt dæmones succubi, vel illorum spectra, quæ Empusæ dicuntur; unde sunt mulierum forma, quæ ad venerem homines illicere feruntur, ut eos devorent: tale enim phantasma Menippum illexisse narrat Philostratus, lib. IV, in *Vita Apollonii*: et harum forma penitus fabulosa a Plutarcho, Aristophane et Eustathio describitur. Dictæ sunt *lamiæ* a λαιμός, id est guttur; vel a *Lamia*, crudeli illa regina Pontica, quæ gravidarum mulierum alvos cædebat, et extractos inde pueros vorabat, de qua Aristoteles in *Ethicis*, et Clemens Alexandrinus in *Protrepticis*; aut, ut Diodorus, Phavorinus et Suidas, a *Lamia*, regina in Asiæ monte apud Automolas, quæ cum filium amisisset, præ zelotypia omnes aliarum matrum filios jussit occidi. Alii *lamiæ* dictas volunt quasi laniatas, a laniando. Hinc *lamiæ* vocantur larvæ nocturnæ, sive *μυρολόγισται*, quibus nutrices pueros territant, quasi puerperis infestæ pueros vorant. Omnino autem verisimile est stultos, timidos (nam sicut amantes sibi somnia fingunt, sic et timentes) et superstitiosos olim homines varia et inania phantasmata, aut varias apparitiones et dæmonum species naturali animalium generi temere annumerasse, imo affinxisse multa: sicut facit pictor, qui humano capiti cervicem jungit equinam. Ita de lamiis sentiunt Strabo, Lucilius apud Lactantium et Gesnerum. Certe vox hebræa לילית *lilit* a ליל *lil*, id est nocte, nocturnum spectrum aut monstrum significat. Quocirca Chaldæus *lilit*, noctuam vertit, sive *noctivagam*.

Secundo, *lamiæ* possunt hic accipi stryges et sagæ, quæ pueros intoxicant et necant: hæc enim suos cætus in his desertis agere solent. Vide nostrum Delrio in *Magicis*.

(1) Nemo hic obvertat, spectra et φαντάσματα non existere. Nam in poetica vastitatis descriptione imagines etiam a fabulis non raro peti solent, quod etiam recte de pilosis et lamiis, si dubia sint animalia, dici potest.

Tertio, Dionysius, Chrysostomus in *Historia Libyca*, *lamias* docet esse feras, facie et corpore ad umbilicum muliebri, earumque imum in draconem desinere; has mammis et sibilo homines allicere, et accedentes arripere, necare ac vorare. Ut ut est, *lamias* non modo mulieres, sed et bestias esse, vel has, vel generis simiarum, ut vult Gesnerus, aut alias, sive veras, sive vulgo creditas, patet *Thren.* iv, 3: « Sed et *lamiae* nudaverunt mammam: » ubi pro *lamia* hebraice est תנין *tannin*, id est draco, vel quodvis sævum et immane monstrum catulos nutriens. Ita Lyranus, Glossa, Haymo et S. Hieronymus ibi, *q. d.* Jeremias: Cum feris etiam truculentissimis, quales historiæ, fabulæ, aut vulgus tradit esse *lamias* voracissimas, non desit in catulos materna pietas; illa tamen defuit mulieribus Hierosolymitis, quæ præ fame etiam proprios filios voraverunt. Sic hic Isaias ait, *q. d.* Orbis hic et locus post iudicium ita erit desertus, ut ferarum tantum, dæmonum, spectrorum et larvarum habitaculum sit, aut esse possit, quæ vetustas fabulose miræ formæ esse credit, et nominavit onocentauros, faunos et *lamias*: imo soli damnati et dæmones, nunc onocentauri, nunc *lamiae*, nunc ericii, nunc milvi, nunc draconis formam assumentes (ut territent homines, præsertim damnatos: uti simili forma terrere voluerunt S. Antonium, et alios Sanctos), habitabunt in terra, id est in gehenna, quæ ima et concava terræ portio est: nam convexa et extrema superficies plane deserta erit et vacua, tam hominibus quam animalibus et dæmonibus. Sicut ergo Sancti gaudebunt non tantum in anima videndo Deum, sed etiam corpore videndo humanitatem gloriosam Christi: ita et damnati cruciabuntur non tantum in anima, videndo tot cruciatus; sed et in corpore, videndo horrenda dæmonum spectra. Tam enim oculi corporis quam mentis vel peccarunt vel sancte vixerunt: par ergo est, ut suam quoque habeant pœnam vel præmium. Hinc pictores hos monstrosos dæmones larvis bestiarum indutos, pingunt in inferno horribili forma. Id inter alios diserte docet noster Joannes de Salas in III, *Quæst.* V, art. 5, tract. 2, disp. 14, sect. xiv, num. 113, idque confirmat ex *Sapient.* xvii, 4, ubi de Ægyptiis in plaga tenebrarum ait: « Personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant: » hæc enim erant typus et præambulum inferni et damnatorum; et *Job* xx, 25: « Vident, et venient super eum horribiles; » et *Deuter.* xxxii, 24: « Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium. » Pari modo probabile est Angelos in cœlo assumpturos corpora speciosa ex æthere, quibus pascant oculos Beatorum, ut ab eis videri, et ore ad os loqui possint. Hoc enim videtur poscere amicitia, et arctissima unio et communicatio, quæ erit inter Angelos et homines beatos, quasi concives cœli. *Rursum* hoc videtur mereri mortificatio sensuum, et angelica vita quam

in hac vita egerunt Sancti hac spe, ut Angelorum consortio in cœlis fruerentur: alioqui enim sensus Beatorum nullum ex Angelis reciperent gaudium, imo in nulla re cum illis communicarent; itaque inter Angelos et Beatos tantum esset communicatio quoad mentem, non quoad corpus. *Tertio*, quia Angeli omni modo cupiunt laudare Deum: ergo non tantum mente, sed et corpore et ore assumpto (hoc enim assumere possunt) eum laudabunt: perinde ut nos non tantum voce, sed et organis aliisque instrumentis musicis laudamus Deum. *Quarto*, quia Isaias, cap. vi, vidit Seraphim specie hominum in cœlo: simili specie Ezechiel vidit Cherubim, cap. i, et S. Joannes Angelos, passim in *Apocalypsi*. Denique sæpius visi sunt Angeli humana forma deferentes animas sanctas defunctorum in cœlum, atque sensibilem melodiam hymnosque suavissimos Deo canere sunt auditi. Ita diserte docent Salas loco citato, et S. Anselmus in *Elucidario*, ac Viguierius, cap. xvi, § 4, vers. 36. Et noster Lessius, lib. XIII *De Divinis. Attributis*, cap. xxii, num. 32, agens de die iudicii extremi: « Valde credibile est, inquit, Angelos omnes apparituros in corporibus splendidis; alioqui hæc Christi gloria et potentia non posset videri ab impiis, quorum tamen causa præcipue exhibebitur; neque externam ejus majestatem (quam describere vult Scriptura, ille exercitus auget. Cum ergo innumerabilis sit Angelorum multitudo, longe lateque supremas aeris regiones undique per multa millia milliarium usque ad cœlos ipsos replebunt, et immensi exercitus speciem præbebunt; » et num. 134: « Valde credibile est, etiam dæmones in corporibus apparituros: vel quia alioqui ab impiis videri non possent, vel quia pertinet ad Christi gloriam et impiorum confusionem, ut videantur. » De his Virgilius canit, lib. VI *Æneid.*:

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque bifformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyæque, et forma tricorporis umbræ.

Similia habent alii Poetæ.

Symbolice, Leo Castris ex S. Basilio, Athanasio, Theodoro, Ambrosio et Gregorio, per *onocentauros*, faunos et *lamias*, vitia et peccata accipit: hæc enim sunt maxima monstra et spectra, per quæ homo in feras, imo in dæmonem degenerat: aut certe intelliguntur, ait, ipsi dæmones monstrosorum criminum suggestores, vel eorumdem patratores homines impii, quorum habitaculum erit Judæa, imo terra tota in fine mundi, justis cœlum abeuntibus.

16. REQUIRITE DILIGENTER IN LIBRO DOMINI. — Hebraice est, *recensete*, supple, mala hic recensita, aut potius animalia vel monstra jam dicta, *q. d.* Cum eveniet desolatio Idumææ, quam hoc libro et capite descripsi, requirite ex hac prophetia, num hic posita et commemorata mala et suppli-

Dæmo-
nes assu-
ment cor-
pora:
et an e-
li in
cœlo.

cia, aut potius animalia, sint in ea et degant; invenietis sane ne unum quidem deesse, *q. d.* Reipsa videbitis certissima et verissima me prædixisse de excidio Idumææ: hæc enim proprie spectant vastitatem Idumææ, sub qua intelligit totum mundum et cœtum impiorum, in quo sub diem iudicii, ante plenum ejus excidium, hæc eadem contingent.

Librum Domini vocat hanc Isaiaë prophetiam dictatam a Deo. Ita S. Thomas, Hugo et Lyranus. Alii intelligunt prophetiam Amos, cap. 1, et Davidis, *Psalm.* cxxxvi, et Balaam, *Numer.* xxiv, 18, qui hoc idem Idumææ excidium prædixerunt.

ALTER ALTERUM NON QUÆSIVIT, — *q. d.* Aliquod horum monstrorum vel suppliciorum non defuit, ut a socio quærendum esset: quia spiritus

vindictæ Dei hæc omnia studiose congregavit.

17. ET IPSE MISIT EIS (animalibus vel monstris) SORTEM, — *q. d.* Deus jam dictis animalibus et monstris divisit Idumæam, cuique dedit suam sortem, locum et mensuram, quasi proprii et perpetui ejus incolæ essent futuri. Hac ergo phrasi significat vastitatem Idumææ diuturnam fore. Unde addit: «Usque in æternum.» Vide dicta vers. 10.

Mystice S. Hieronymus, Cyrillus, Athanasius, et ex his Leo Castrius hos duos ultimos versus accipiunt de Apostolis missis ad prædicandum per totum orbem. «Milvi» ergo, vel, ut Septuaginta, *corvi*, cadavera, id est vitia et peccata hominum, depascentes, sunt Apostoli. Hic sensus non est incongruus, si cum Castrio et aliis accipias hoc caput de excidio Judææ. Verum agitur hic de excidio Idumææ, non Judææ, ut dixi.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi hæc referunt ad restitutionem Hierosolymæ, et regni Judaici, sub suo Messia, quem ipsi frustra expectant. S. Thomas et Hugo hæc referunt ad reditum Judæorum e captivitate Babylonica, et per illum censent adumbrari lætitiã et gloriam gentium per Christum liberatarum a servitute peccati et diaboli. Verum passim Patres, quos citabo, vers. 1, et Interpretes, hæc per se et proprie accipiunt de aureo Evangelii sæculo, deque vocatione et gloria gentium. Ubi nota: Solet Propheta tristibus læta subjungere. Quia ergo cap. præced. descripsit triste Idumææ, et sub ea orbis ac impiorum in fide mundi excidium; hinc transit hic ad tempus Evangelii, et ad lætum de Ecclesia per gentes gloriose propaganda vaticinium; unde multa bona hoc cap. per antithesin opponit malis, quæ orbi intentavit cap. præced. Primo, ergo docet, quod gentes antea desertæ per Christum excolendæ, fertiles sint futurae instar Libani, Saron et Carmeli. Secundo, vers. 5, docet tempore Evangelii cæcos, surdos, claudos et mutos curandos esse, nec fore inter eos dracones et malas bestias, nec pollutos. Deinde, vers. 10, ait eos ituros in Sion ad æterna gaudia (1).

1. Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. 2. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. 3. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. 4. Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. 6. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. 7. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. 8. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent

(1) Hoc lætissimum vaticinium quod præcedenti tristibus nuntiis pleno, ex adverso subjungitur, ut Prophetis solemne est, ita ad fideles ex omni natione electos, Christique tempora, et quidem in sensu litterali ex majori parte referendum, ut vix admitti possit alius sensus litteralis qui Judæis, sive post Sennacheribi cladem sive post reditum e captivitate Babylonica, congruere possit.

Primo, prædicatur lætissimus fidei fructus, in terris olim infidelibus uberrime nasciturus, 1, 2.

Secundo, excitatur zelus in prædicatoribus, et eis ape-

ritur quo pacto alios stabilire deberent, hoc videlicet ac læto nuntio, 3, 4.

Tertio, promittuntur miracula fidem confirmatura, 5, 6.

Quarto, exponitur tum amplissima conversionis diffusio, tum quanta fuerit gentibus concessa gratia, simul et a quantis malis erutæ sint, 7.

Quinto, commendatur accessus ad Ecclesiam celebratus, *primo*, a viarum sanctitate et rectitudine, 8; *secundo*, ab itineris securitate et libertate, 9; *tertio*, a termini jucunditate et immunitate ab omni tristitia, 10.

per eam. 9. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec inveniatur ibi : et ambulabunt qui liberati fuerint. 10. Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiā obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

1. LÆTABITUR DESERTA. — Hebraice est **ישועה** *iesuscum*, id est *lætabuntur in eis*, scilicet gentibus et Idumæis, quos, cap. præcedenti, dixit perdendos a Deo, *q. d.* Inter gentes infideles et Idumæos perdendos, ideoque plangentes, lætabuntur incolæ deserti convertendi ad Christum, pnta Gentiles fideles et Christiani. Unde clare Hebræa quoad sensum sic transferas : *Lætabitur desertum et solitudo, arida quoque terra exsultabit*, ut vertit Vatablus; *desertum, solitudinem et terram aridam* vocat Gentilitatem, et Gentium regiones, *q. d.* Gentilitas hactenus deserta a Deo, salute, justitia, vera religione, et cultu Dei, fiet eorum particeps, et hæres sanctimonie, gratiarum et gaudii quod est in Spiritu Sancto, per Christum. Unde dabitur ei gloria Libani, id est succedet in gloriam Synagogæ et Judæorum, ut scilicet sit populus fidelis, et Ecclesia dilecta Deo. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Eusebius, lib. VI *Demonst. XXI*; Hilarius in *Psalm. LXV*; Justinus, *Apolog. 2*; Nazianzenus, *orat. 1 in Julianum*. Imo Eusebius, Theodoretus, Cyrillus, Hilarius, hoc oraculum impletum putant, cum Jesus venit a Galilæa ad deserta Jordanis, ut a Joanne baptizaretur. Adde S. Hilarius et Justinus supra, Prosper, part. III *Prædict. cap. XIII*; Athanasius, lib. I *De Incarnat. Verbi*, docent hunc respexisse Christum, cum rogaretur a discipulis S. Joannis : « Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? » *Matth. XI, 3*. Christus enim respondit eis dicens : « Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, » etc. Quæ, hic vers. 5 et 6, futura sub Christo et a Christo Propheta prædicit.

Ruffinus et Palladius hæc litteraliter referunt ad Ægyptum tempore S. Antonii, et deinceps, fidelibus et monachis abundantem, et quasi luxuriantem. Audi eos; citatæ enim hoc Isaie loco, eum explicantes aiunt : « Quamvis hæc de Ecclesia dicta sint, tamen in Ægypti desertis hæc etiam historica relatione completa sunt; ubi tantæ per urbes multitudines veniunt ad salutem, quantas Ægypti deserta protulerunt; quanti populi habentur in urbibus, tantæ pene habentur in desertis multitudines monachorum, ut, ubi superabundavit peccatum (idololatriæ), ibi superabundet et gratia, » inquit Ruffinus, lib. II *De Vitis Patrum*, capite VII, et Palladius in *Lausiaca*, cap. LII.

ET FLOREBIT QUASI LILIUM. — Miro enim decore floret liliū. In lilio notantur vitæ puritas et castitas Sanctorum in Ecclesia.

2. GERMINABIT. — Producet Ecclesia novas et copiosas frondes, flores et fructus, tum novorum

fidelium, hominum æque ac populorum; tum novarum virtutum : producet enim examina virginum, martyrum, monachorum, etc. At quis faciet hæc? quis deserto tam lætam metamorphosin inducet? nimirum idem,

Qui picturatos intexit floribus hortos,
Quique jubet rutilis albescere lilia campis,
Et qui tellurem viola distinguit et herba.

GLORIA LIBANI DATA EST EI. — Libanus, licet a Gentibus occuparetur, pertinebat tamen ad Judæos, ut patet *Josue*, cap. XIII, 6; atque ex Libano thus, cedros, pinos, et quidquid rarum ac præclarum erat, deferebant Hierosolymam. *Libanus* ergo Judæos et Synagogam significat, æque ac *Saron* ager Judææ amœnissimus et uberrimus, ac *Carmelus* mons ejus fertilissimus, *q. d.* Omnia ornamenta, opes et deliciae sacræ et spirituales Synagogæ et Judæorum transferentur ad Ecclesiam et Gentes. Unde Symmachus pro *Saron* vertit, *campos*, ait S. Hieronymus.

IPSI VIDEBUNT GLORIAM DOMINI, — scilicet gloriosa miracula, gloriosos Apostolos, gloriosa charismata Spiritus Sancti, gloriosa Sacramenta, cæremonias et cultum sacrorum.

3. CONFORTATE MANUS DISSOLUTAS. — Est apostrophe ad Apostolos, ut gentes abjectas, inertes et timidæ per Evangelium excitent et animent ad studium fidei, salutis et bonorum operum.

GENUA DEBILIA ROBORATE. — In pusillanimis enim, dum metu vel pavore gravi percelluntur, genua labant et quasi luxantur, ut stent attoniti nec progredi possint, sed titubent et vacillant. Causa est, quod timor per se, et per tristitiam concomitantem contrahit cor; quod afflictum ut se juvet, spiritus vitales ad se advocat : unde in membris exterioribus, præsertim a corde remotioribus, ut manibus, genibus, etc., sequuntur frigus, tremor, et interdum pallor, titubatio linguæ, ineptitudo ad operandum, et nonnunquam sitis. Ita docent Aristoteles in *Problem.*, sect. XXVII, Quæst. VI; Macrobius, lib. VII, XI; Gellius, lib. XIX, cap. VI, et Hieronymus Fracastorius, lib. I *De Sympathia*, cap. XV et XIX.

4. DICITE PUSILLANIMIS, — *q. d.* Dicite, o Apostoli! Gentibus : Ne sitis pusillanimes, ne desperetis vos pertinere ad filios Abrahæ : potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ : si credatis et obediatis Christo, eritis filii Abrahæ, esto sitis filii idololatrarum, ipsique hactenus fueritis idololatræ sine Deo, sine fide, sine conscientia, fornicarii, perjuri, blasphemii, etc., hæc omnia abluet baptismus, facietque vos novos homines, imo angelos Dei. Hoc ergo eritis Deo, quod fuere

Abraham, Isaac et Jacob. Huc alludit S. Paulus *ad Hebr.* XII, 12. Vide ibi dicta.

· ECCE DEUS VESTER ULTIONEM ADDUCET RETRIBUTIONIS, — qua scilicet Christus Deus, cui Pater dedit omne iudicium, *Joan.* cap. v, diabolum tyrannum, qui vos hactenus oppressit, expellet, et asseret vos in libertatem filiorum Dei. Dicit « retributionis, » quia diabolo par pari retribuit Deus: sicut enim ipse tyrannice dominatus fuit Gentibus, ita jam eidem severe et rigide dominantur Christus et Christiani. Simile est *Psalm.* LXXI, 4. Ita S. Hieronymus et alii mox citandi.

DEUS IPSE VENIET, ET SALVABIT VOS. — Hinc patet Deum vere venisse in mundum et carnem nostram, ac consequenter Christum esse vere Deum. Christo enim competunt sequentia: « Tunc aperientur oculi cæcorum, » etc., ut patet *Matth.* cap. XI, 5, et *Matth.* cap. XV, 30. Ita docent S. Hieronymus, Cyrillus hic, Irenæus, lib. III, XXII; Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. VII; Eusebius, lib. VI *Demonstr.* XXI; Athanasius, lib. *De Humanitate Verbi*, ultra medium; Augustinus, lib. *De quinque hæres.* cap. VI. Similis est locus inferius, cap. LII, 6.

Nota: Pro Deus hebraice est *Elohim*, id est Deus qui gubernat, providet, regit, iudicat mundum. Venit ergo Christus in mundum, ut eum quasi *Elohim* gubernet, curet, salvet, oppressos a diabolo tueatur et in libertatem asserat. Rursus pro *salvabit nos* hebraice est *יִשְׁעָכֶם* *iosaachem* (id est *salvabit vos*); unde nomen *Jesus*, id est salvator, *q. d.* Veniet *Elohim* in carnem, ut sit nobis *Jesus*. Si aliis punctis legas *יִשְׁעָכֶם* *vissachem*, significabit *delectabit, oblectabit vos*. *Jesus* enim est gaudium et júbilus cordis nostri.

5. TUNC APERIENTUR OCULI CÆCORUM, — id est Gentes antea mentis oculis captæ, et versantes in tenebris infidelitatis, illuminabuntur per lucem et splendorem Evangelii. Iidem dicuntur fuisse *surdi*, ad verba et legem Dei excipiendam, jam vero audire eam, eique obedire. Hujus rei symbolo Christus multos cæcos, surdos, claudos, etc., corporaliter illuminavit et curavit, eisque simul spirituale mentis lumen, auditum et gressum restituit, ac a peccatis purgatos gratia sua donavit, ut docet S. Augustinus. Unde S. Hilarius et alii, ut dixi vers. 1, putant huc alluisse Christum, *Matth.* XI, cum ait: « Cæci vident, claudi ambulant, » etc., de quo rursus cap. LXI, 1 (1).

6. TUNC SALIET SICUT CERVUS CLAUDUS. — Id est Gentiles claudicantes, id est dubio et vacillanti gressu aberrantes a via virtutis, per Christum

(1) Juxta Grotium et Rosenmüller hæc nihil aliud significant quam: Tunc etiam stupidissimi intelligent ac prædicabunt quam faveat suis Deus. Etiam præ senio aut morbo tardi alacres fient, et lætitiæ externis motibus prodent, et etiam infantes Dei laudem canent. Sed quorsum, ut bene notat Vatablus, a proprietate vocum discedere, cum proprie hoc impletum sit per Christum, qui hunc locum de se exponit, *Matth.* II, 5, et *Luc* VII, 22?

roborati et directi recta incedent, in eo salient per eam in cœlum.

ET APERTA ERIT LINGUA MUTORUM. — Iidem in rebus terrenis et mundanis facundi, sed in rebus divinis elingues et muti, fient disertis, disserentque magna sapientia et spiritu de gratia, de virtute, de Christo, de Deo et SS. Trinitate, de beatitudine, de æternitate, etc.

QUIA SCISSÆ SUNT IN DESERTO AQUÆ. — Tò *quia* dat causam præcedentium, et ostendit ea non corporaliter, sed spiritualiter esse accipienda, *q. d.* Idcirco aperientur oculi cæcorum, etc., « quia in deserto, » id est in gentilitate, « scissæ sunt, » hebraice, *scindent se*, id est, copiosæ erumpent et spargent se aquæ, id est charismata spiritualia: « et sitiens; » id est eadem Gentilitas sterilis, erit « in fontes aquarum, » id est, habebit fontes aquarum (id est gratiarum) salientium in vitam æternam. Ita S. Cyrillus et Theodoretus.

Secundo et aptius, Sanchez censet tò *quia* hic non dare causam, sed conjungere extrema, esseque idem quod *et, q. d.* Saliat claudus, loquetur mutus, et erumpent in deserto aquæ: nec enim apposite hic datur causa, aut dicitur: « Saliat claudus, quia scissæ sunt aquæ: » quid enim faciunt aquæ ad saltum?

7. IN CUBILIBUS, IN QUIBUS PRIUS DRACONES HABITABANT, ORIETUR VIROR CALAMI ET JUNCI. — Dixit cap. præced. in Idumæa vastata et deserta habituros onocentauros, pilosos et lamias, id est dracones: hic vice versa dicit in gentilitate deserta, in quibus habitabant dracones (hi enim sicci amant loca arida), exoritura calamum et juncum, quæ non nisi loco humido, ac proinde non deserto jam, sed fertili nascuntur, *q. d.* In urbibus et animabus Gentilium, quæ erant cubilia, id est propria domicilia, draconum, id est dæmonum et vitiorum; orietur viror gratiæ et virtutum, ut fiant ipsa templa Spiritus Sancti. Chaldæorum sententia fuit, in hominis nefarii corde bestias habitare. Appetitus enim effrenati, quos ratio non coercet, quin longe lateque evagentur cum sua et aliorum pernicie, bestię vocantur. Hinc manavit illud eorum apophthegma: « Vas impii inhabitant bestię terræ. » Quocirca Ægyptii per cervum serpentes ex cavernis extrahentem, significabant judicem impios castigantem. Id voluit Pythagoras, cum dixit animas sceleratorum migrare in bruta, hoc est, effici brutas ob brutos mores. Hinc orta est fabula Circes, homines in varias belluas transformantis. Unde Theocritus: « Illi, inquit, quos virtus et sapientia aspexerint, non poterunt Circæis poculis labefactari. »

Annon S. Magdalena, cujus festo hæc scribo, cubile fuit draconum, cum possessa fuit et corpore et mente a septem dæmoniis; sed iis a Christo ejectis, *Lucæ* VII, quantæ pœnitentiæ et lacrymarum aquæ ex hoc deserto prodierunt? quantus viror charitatis, orationis, contemplationis,

omniumque virtutum? « Inveni, inquit, quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam. Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammæ. » Nimirum ipsa hoc igne divino accensa, Christo jugiter inhæsit, et sedens ad pedes ejus verbis assidue intendit: Christum docentem et prædicantem ubique secuta et comitata est per Scribas et Phariseos, usque ad crucem et mortem: ipsa cruci intrepide astitit, ipsa Christum mortuum aromatibus condivit, ipsa a sepulcro ejus avelli non potuit: unde et prima eum resurgentem videre meruit. Inde a Judæis in exilium missa, nutu Dei in Gallias appulit, ibique Christi fidem disseminavit: ac tandem dilecti sui amore ebria, in montem juxta Massiliam secessit, seque omnibus sæculis pœnitentiæ exemplar statuit. Ibi enim 30 annos sine cibo et potu, in dulcibus amoris lacrymis, et jugi dilecti sui meditatione et contemplatione vixit vitam non humanam, sed angelicam: unde et ab Angelis septies quotidie in cœlum subvecta, o Beata!

Angelicos audire choros alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

8. ET ERIT IBI SEMITA ET VIA, — scilicet arcta, recta et sancta quæ ducit ad cœlum, *q. d.* Hoc olim desertum, scilicet Ecclesia, non erit invium, nec inaccessum, uti solent esse solitudines, æque ac paludes, in quibus oriuntur calami et junci; sed erit via et semita arcta et recta, scilicet fidei et pœnitentiæ, quæ volentes eo deducet, eaque sancta vocabitur: quia ducet ad Ecclesiam quæ sancta est, et inde ad cœlum societatemque Sanctorum, qui in eo sunt. Septuaginta vertunt, *erit ibi lætitia civium*, scilicet animarum sanctarum, quæ mente et miro virtutum concentu in cœlum evocant. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS, — *q. d.* Via ad Ecclesiam erit sancta, id est pura et munda: quia non transibit per eam pollutus, qui eam inquinat. *Pollutum* vocat Gentilem et peccatorem in sua infidelitate, aut sceleribus persistentem: his enim non patet via ad Ecclesiam; sed tantum pœnitentibus, qui cum resipiscere et converti volunt, licet polluti sint, ab omni pollutione et sorde in hac via per lavacrum baptismi emundantur; unde jam non polluti, sed mundati ad eam accedunt. Alludit ad templum Hierosolymitanum, cujus aditu arcebantur polluti et immundi: hoc enim templum sanctum typus erat sanctæ Ecclesiæ.

Inepte ergo ex hoc loco colligunt hæretici, in Ecclesia non esse pollutos et peccatores, sed solos justos et sanctos, imo prædestinatos et electos; nam Propheta non dicit quod per Ecclesiam, sed quod per viam quæ recta ducit ad Ecclesiam, non

transibit pollutus. Hæc autem via recta est doctrina Evangelii, quam qui init et sequitur, pœniteat, et vitam in melius commutet, sancteque vivat necesse est. Hæc enim doctrina requirit, et quantum in se est efficit mentes integritatis et sanctitatis amantes, ad eamque tendentes, et in ea proficientes: aversatur vero et repellit eos qui in suis vitiis volutantur et permanent. Pari modo quo via ad Ecclesiam, etiam ipsa Ecclesia dicitur *sancta*, quia scilicet vocata est ad sanctitatem, omniaque adminicula ad sanctitatem suppeditat, sanctosque postulat et facit eos qui illi obediunt. Ita S. Cyrillus et Hieronymus, et patet ex seq.

9. MALA BESTIA NON ASCENDET PER EAM. — In Idumæa desolata, cap. præced., dixit fore onocentauros et malas bestias: huic opponit Ecclesiam a qua eas expellet et arcebit Deus, *q. d.* Dæmones, eorumque machinamenta, insidias et insultus, omniaque noxia æque ac terrificæ Christus amolietur ab Ecclesia. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Theodoretus. Leo Castrus refert hæc ad exorcismos baptismi, quibus a baptizando fugatur dæmon.

10. ET REDEPTIA DOMINO CONVERTENTUR — a pristino cultu et impietate ad casta et pia sacra Christi.

ET VENIENT IN SION, — id est in Ecclesiam tum militantem, tum potius triumphantem et coelestem: ad hanc enim pergunt qui liberati sunt et redempti, non ad militantem, nam jam in ea versantur: atque via jam dicta, quæ ducit ad Ecclesiam militantem, ducit etiam per eam ad triumphantem. Ita S. Hieronymus et S. Augustinus, serm. 27 in Festo omnium Sanctorum, tom. X, et Tertullianus, lib. De Resurrectione carnis, et patet ex seq.; ait enim:

ET LÆTITIA SEMPITERNA SUPER CAPUT EORUM, — id est, super istos electos et beatos a Christo redemptos: *caput* enim pro homine ponitur, pars pro toto per synecdochen. Aut proprie super caput ipsum: alludit enim ad coronam nuptialem, quæ capiti sponsæ imponi solebat, cum qua in cantu et jubilo ex agris ipsa deducebatur in Sion, *q. d.* Christus traducet suos fideles et sanctos in Sionem coelestem eo modo, quo sponsus solet sponsam unice dilectam ducere in Sion cum geniali plausu, cum nuptiali corona, cum gaudio tanto et tam pleno, ut longe abigatur omnis dolor et gemitus. Ita Sanchez. Hoc est quod diserte et pulchre dicit Esdras, lib. IV, cap. II, 34, et citatur in *Officio Ecclesiast. tempore Paschali*: « Exspectate, Gentes, pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis: fugite umbram sæculi hujus, accipite jucunditatem gloriæ vestræ: jucundamini, gratias agentes ei qui vos ad coelestia regna vocavit: surgite et state et videte numerum signatorum (ad hos signatos alludit Joannes, Apoc. VII, 9) in convivio Domini: qui se de umbra sæculi transfulerunt, splendidas

Morale,
de gaudiis Beatorum.

tunicas a Domino acceperunt; » et paulo inferius : « Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam quam numerare non potui, et omnes canticis colaudabant Dominum. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas. Tunc interrogavi Angelum, et dixi : Qui sunt hi, Domine? Qui respondens dixit mihi : Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei : modo coronantur, et accipiunt palmas. Et dixi Angelo : Ille juvenis, quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi : Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Dei steterunt. »

Et Tobias, cap. XIII, vers. 21 : « Portæ, ait, Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. »

Et Boetius, lib. III *De Consol.*, prosa 2 : « *Æternitas*, inquit, est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. » *Æternitas* ergo *primo*, est interminabilis ; *secundo*, est vitalis semperque vivens ; *tertio*, est tota simul ; *quarto*, est perfecta possessio vitæ omnisque boni. In bonis hujus vitæ nihil est perfectum, multa desunt : habes opes, deest honor : habes honorem, deest sanitas : habes sanitatem, deest scientia : habes scientiam, desunt facundia et gratia. Et in convivio opiparo, mox ut comedisti satiarius, deest appetitus, deest voluptas : cibo gravaris, desunt vigor et alacritas animi, deest quies mentis, desunt sæpe locus et honor quem postulas. In æterna vita Beati omnibus bonis simul fruuntur : possident enim opes Dei, scientiam Dei, delicias Dei, robur Dei, Paradisi, Angelorum et Sanctorum omnium : et hæc omnia simul habent, et habebunt præsentia per omnem æternitatem. Annon ergo lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt?

Quid est ergo beata æternitas? rogemus eos qui illam ingressi sunt, eaque fruuntur. Dic nobis, S. Petre, S. Paule, S. Joannes, quid est æternitas beata? Eam plene et distincte concipere, et explicare, et exprimere non valemus. Quamdiu

❧ fuistis? mille quingentis annis. Quantum

in ea progressi estis? vixdum eam inchoavimus? Mille quingenti anni elapsi nunquid aliquid de vestra æternitate decerpserunt? non horam, non momentum unum, ne hilum quidem, tantumdem est ac si jam primum eam inchoaremus : æque nova, æque jucunda, æque longa nobis accidit, et restat voluptas æterna. Quid est ergo æternitas vestra, tam felix, tam beata? Est abyssus gaudiorum, est abyssus temporum, est abyssus sæculorum : tempora nostra, gaudia nostra, sæcula nostra fundo carent, finem non habent, terminum et metam eorum, quantumvis sapientissimi et oculatissimi simus, pervidere non possumus, æternitatem nostram dimetiri et mensurare nequimus, non est mensura quæ eam adæquet : regni nostri, felicitatis nostræ, gloriæ et lætitie nostræ, non erit finis, nunquam finis, nunquam terminus. Dic, o S. Catharina, S. Lucia, S. Agnes, quæ pro castitate usque ad mortem certastis, quæ ignes, equuleos, bestias superastis, qualis et quanta sit vestra æternitas! Dic, o S. Hieronyme, S. Macari, Antoni, S. Romualde, S. Elia, Elisæe, qui 50, 60, 100 annis omnes voluptates sæculi abdicastis, vitam austeram egistis, circuistis in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiat, afflicti, quibus dignus non erat mundus! quid pro tantis laboribus recepistis? quænam est sempiterna vestra lætitia? Dic, o S. Stephane, S. Laurenti, S. Vincenti! dic, o S. Clemens Ancyranæ et Agathangele, qui per 28 annos continuos equuleos, ignes, catastas, verbera, continuum et longum martyrium fortiter et genereose tolerastis! qualis est vestra lætitia, qualis et quanta corona æternitatis vestræ? Habuimus momentum crucians, illud jamdiu transiit et evanuit : habemus nunc æternum delectans, quod nunquam transibit; sed semper erit hodie, semper nobis præsens. Nunc sequimur Agnum, et canimus : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes; et regnabimus in sæcula sæculorum. Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem. » Cogita sæcula sæculorum, cogita progenies et generationes omnes, cogita tempora omnia præsentia, præterita, futura et possibilia; necdum æquabis æternitatem nostram : per omnia hæc tempora, per omnes has generationes, per omnia hæc sæculorum sæcula regnabimus, deliciabimur, triumphabimus cum Christo et Sanctis omnibus in omni voluptate et gaudio in æternum

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias prophetiam suam de Sennacherib confirmat historia de eodem, qua narrat hoc capite et sequenti ita omnia evenisse uti ipse prædixerat. Eadem recensetur, IV Reg. cap. xviii, et duobus sequentibus. Hoc ergo capite Rabsaces a Sennacherib missus ad Ezechiam eum hortatur ut se dedat, cum non possit resistere: nec confidat in ope Ægyptiorum, cum ipsi sint baculus arundineus; nec in ope Dei, cum ejus altaria everterit. Secundo, vers. 11, cum legati Ezechiae peterent a Rabsace, ut non loqueretur hebraice ad populum, sed syriace ad legatos, persistit superbus Rabsaces, populoque insultans eum ab Ezechia ad Sennacherib traducere conatur, dicens quod Deus non possit eos tutari, sicut dii aliarum gentium eas manu Sennacherib tutari non potuerunt.

1. Et factum est in quartodecimo anno regis Ezechiae, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas. 2. Et misit rex Assyriorum Rabsacem de Lachis in Jerusalem, ad regem Ezechiam in manu gravi, et stetit in aquæductu piscinae superioris in via agri Fullonis. 3. Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciae, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis. 4. Et dixit ad eos Rabsaces: Dicit Ezechiae: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis? 5. aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? 6. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam: sic Pharaon rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. 7. Quod si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus: nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Judæ et Jerusalem: Coram altari isto adorabitis? 8. Et nunc trade te domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum. 9. Et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex servis domini mei minoribus? Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis, et in equitibus: 10. et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, et disperde eam. 11. Et dixit Eliacim, et Sobna, et Joahe ad Rabsacem: Loquere ad servos tuos Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos judaice in auribus populi, qui est super murum. 12. Et dixit ad eos Rabsaces: Numquid ad Dominum tuum et ad te misit me Dominus meus, ut loquerer omnia verba ista; et non potius ad viros, qui sedent in muro, ut comedant stercore sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? 13. Et stetit Rabsaces, et clamavit voce magna judaice, et dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. 14. Hæc dicit rex: Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos. 15. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberavit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum. 16. Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque vineam suam, et unusquisque ficum suam: et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ, 17. donec veniam, et tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum. 18. Nec conturbet vos Ezechias dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii Gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? 19. Ubi est Deus Emath et Arphad? Ubi est Deus Sepharvaim: numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 20. Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? 21. Et siluerunt, et non responderunt ei ver-

bum. Mandaverat enim rex, dicens: Ne respondeatis ei. 22. Et ingressus est Eliacim filius Helciae, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis (1).

Vers. 1.

1. SUPER OMNES CIVITATES. — « Super, » id est contra: hoc enim est Hebræum *לְעֵל* al (2).

MISIT REX ASSYRIORUM RABSACEN. — Fabulantur Hebræi hunc Rabsacen fuisse filium Isaïæ, eo quod

(1) Sequitur a cap. xxxvi ad cap. xl, interjectio historica in confirmationem prophetiæ contra Sennacheribum, seu compendium historicum rerum memoratu dignarum sub rege Ezechia, spatium duorum aut trium annorum complectens. *Primo*, historia expeditionis Sennacheribi, cap. xxxvi et xxxvii. *Secundo*, historia morbi lethalis Ezechia, curatio ejus miranda, et carmen eucharisticum pro recuperata valetudine, cap. xxxviii. *Tertio*, narratio de legatis a rege Babylonis Hierosolymam missis, qui Ezechia restitutam valetudinem gratularentur.

Disputatur, inquit Rosenmuller, *utrum Jesajas hanc historiam composuerit ipse, et in hunc librum digesserit, an quis alius?* Prior quidem sententia, si eam in se spectes, non destituta est omni probabilitate. Cum enim Prophetæ passim manus admoverint ad conscribendam historiam sui temporis, ut ex exemplis Gadis, Nathanis, Ahia, Iduntis, liquet, et Jesajas ipse conscripserit res gestas Usiæ (II *Chronic.* xxvi, 22), verisimile esse possit, et eventus memoratu dignos temporis Hiskia, in quibus ipse Jesajas personam sustinuit insignem, ab illo memoriæ mandatos esse. Cui sententiæ præterea favere videtur locus (II *Chronic.* xxiii, 32). Re tamen penitus perpensa, sunt quædam, quæ dubitare nos jubent, hanc quæ sequitur, particulam historicam Jesajæ ipsi tribuere. Primo enim ille Chronicorum locus huic sententiæ non patrociniatur; vide notam nostram ad libri hujus Jesajani inscriptionem. Deinde conferenti hanc historiam cum ea quæ exstat in libro *Regum* posteriore a vers. 13 cap. xviii, usque ad vers. 20 cap. xx, clarissime patet historiam hanc, ut in nostro hoc libro legitur, esse transcriptam et quidem contractam ex libro *Regum*. Hinc probabile videri possit, historiam libri *Regum* esse typum, ad quem nostra excerpta sit, rescissis quæ videri poterant ad corpus ipsum historiæ minus necessaria, et necessariis tantum quæ ad summam historiæ sufficerent, retentis. Cum tamen inter hanc nostram, et eam quæ in *Regum* libris legitur, historiam, aliæ quoque haud pauca variationes occurrant, probabilius videtur, utramque illam esse compendium majorum et longe ampliorum commentariorum, quos in historiam regum Judæorum olim exstitisse, testatur locus insignis II *Reg.* xx, 20: *Et cætera Hiskia, et omnis potentia ejus.... scripta sunt in diurnis commentariis regum Judæ.* Ex illis majoribus commentariis igitur, ex quibus *Regum* libri excerpti sunt post exsilium demum Babylonicum (nam in exsilio historia in illis narrata terminatur), et ea quam nos hic habemus, particula historica videtur desumpta. Illi enim qui vaticiniorum hanc syllogem, quæ a Jesaja nomen fert, digesserunt, cum viderent historiam illam ad intellectum nonnullorum quæ supererant Jesajanorum oraculorum, plane necessariam esse, non ingratum posteris facturos intellexerunt, si eandem, resectis non plane necessariis, paulo contractiorem huc transferrent. Idem hoc fecerunt illi qui Jeremiæ oracula collegerunt; subjecerunt illis notitias historicas, maxime necessarias, quæ cum non minus sæpe quam hæ nostræ, sæpe convenirent cum secundo *Regum* libro, et ipsæ cum eo ex communi illo commentariorum prolixiorum fonte haustæ videntur. Hac assumpta hypothesi simul patet ratio mutationum inter nostrum et *Regum* librum exstantium. Cæterum con-

locutus sit hebraice, vers. 13, et quia alter Isaïæ filius relictus vocatus est, cap. vii, 3, Jasub, quasi alius ad Assyrios transfugisset. Hanc fabellam referunt hic S. Hieronymus et Auctor *De Mirabi-*

conferri meretur cum his dictis Eichornius *Einleitung in das Alte Testam.*, part. III, § 526, pag. 73, 74.

(Rosenmuller.)

Hæc verius juxta nos Jahn (*Quæst. de integrit. vaticin. Isaïæ*, § 7): Capita *Isai.* xxxvi, 39, in plerisque verbo tenus concinunt cum II *Reg.* xviii, 13-20, xix; discrepant tamen in aliquibus: sic canticum Ezechia, *Isai.* xxxviii, 9-20, secundo *Regum* libro deest; e contrario reconciliatio Ezechia cum Sancheribo, II *Reg.* xviii, 14-16, deest in Isaia. Quod II *Reg.* xx, 7-8, de massa ficuum, ulceri Ezechia imponenda, legitur, in *Isai.* xxxviii, loco alieno, vers. 21, 22, intrusum est; nam post vers. 6 ponendum fuisset. Sunt et quæpiam aliæ, minoris momenti discrepantiæ, quas allegare opus non est; ex quibus omnibus patet, textum horum locorum adeo differre, et ita convenire, ut uterque ex uno communi fonte haustus esse videatur, nempe ex historia Ezechia, quam Isaïas scripsit, II *Paralip.* xxxii, 32. Sermones legatorum Sancheribi, Ezechia et Isaïæ, et singularis circa minutias cura, innunt hæc a teste coævo, qui, ut Isaïas, harum rerum ipse particeps fuit, scripta esse. Voces פָּחַת וְיְהוּדִית, quæ occurrunt, non sunt Isaïa recentiores, neque etiam, si פָּחַת Aramææ originis esset, ævum recentius argueret; nam ætate Isaïæ jam exotica quæpiam in linguam Hebræam illata erant, quæ in Osea quoque et Amos observantur. Vox וְיְהוּדִית hoc loco non ea, qua post exsilium, notione gaudet, sed linguam designat Hebraicam, quæ tum duntaxat in regno Juda vigeat.

Non pauci interpretes, inquit ex sua parte Berthierus, dubitant an Isaïas auctor fuerit hujus compendii historici, cap. xxxvi-xxxix. Sunt qui putant hanc interjectionem historicam a quodam posterioris ævi scriptore, ut puta ab Esdra vel a Nehemia fuisse insertam, quæ quidem adjectio non esset juxta eosdem, nisi narrationis quæ in IV *Reg.* xviii, xix, xx, et ex parte in II *Paralip.* xxxii legitur iteratio. Probationes quibus hæc sententia nititur non demonstrativæ Berthiero videntur. Rectius, inquit, assereretur auctores IV lib. *Regum* et II *Paralip.*, hæc ab Isaïa usurpasse. Nam illos auctores Isaïa posteriores esse constat (vide *Annot.* ad Præfat. III *Reg.* et *Paralip.*), cum ultra captivitatem Babylonicam, et diutius 150 annis post Isaïæ mortem narrationem suam protendant. Fateri quidem necesse est, hæc quatuor capita jam ad lib. IV *Reg.* et II *Paralip.* pertinuisent, si admittatur Esdræ eadem Isaïæ vaticiniis adjunxisse. Sed merito quaeritur qua ratione ductus, tam longam adjunctionem inseruisset, cum facta quæ refert, jam annalibus Judaicæ gentis mandata essent. Magis igitur consentaneum est dicere auctores libri IV *Regum* et *Paralip.*, hæc ab Isaïa mutatos esse. Nam illa facta necessario in historicis libris scripta esse debebant, dum e contra nulla erat necessitas ut illa sylloge prophetiarum complecteretur.

(2) Cum primam adversus Judæam expeditionem susciperet Sennacheribus, videtur cum majore copiarum suarum parte iter per Judæam directæ instituisse Ægyptum versus, vid. ad cap. x, 28, quando primo terrore percussi incolæ Judææ vicos et agros plerique deseruerunt, et urbes plerasque munitas dictas (sed, ut probabile est, minus probe munitas, curatasque) hosti occupan-

libus S. Scripturæ apud S. Augustinum, lib. II, capite xxvii.

Vers. 2. 2. IN MANU GRAVI. — Id est cum comitatu magno, cum milite multo ad ostendendam potentiam Assyriorum. Licet enim Sennacherib exercitum penes se retineret, tamen misit insignem militum manum cum Rabsace ad percellendum Judæos. Est enallage quantitatis continuæ pro discreta: *gravis* enim sumitur pro multo hic, uti et alibi sæpe. Vide dicta *Exodi VIII, 24.*

Aliter Sanchez: « In manu gravi, » id est cum potestate magna, cum facultate ampla quam dedit ei Sennacherib, ut, quod ipse cum Ezechia transigeret, hoc rex ratum haberet: aut « in manu gravi, » id est cum legatione gravi, id est minarum et contumeliarum plena.

ELIACIM. — De Eliacim et Sobna dixi cap. xxii, 15 et 20.

Vers. 3. 3. A COMMENTARIIS. — Vatablus vertit, *historiographus*; Lyranus, *cancellarius*; hebraice est מזכיר *mazkir*, id est commentator, commemorator, qui rem in mentem et memoriam revocat. Erat id officii apud reges Judæorum et Persarum, ut patet *Esther VI, 1*, quo quis regi suorum facinora, merita, gesta, publicas necessitates, et quidquid regem meminisse oporteret, in pugillaribus aut diariis consignaret, eique suo tempore legeret, aut in memoriam revocaret. Ita Forerius. Non ergo erat hic scriba regis: nam scriba erat Sobna, uti præcessit.

Vers. 5. 5. RECESSISTI A ME. — Achaz enim pater Ezechie dederat se regi Assyriorum, IV Reg. xvi, 7. Sed Ezechias Deo nixus hoc jugum excussit et rebelavit, ut dicitur IV Reg. xviii, 7.

Vers. 6. 6. CONFIDIS SUPER BACULUM ARUNDINEUM, — super Ægyptum. Alludit ad arundines quæ abundant ibi in ripa Nili, q. d. Sicut arundo infirmior est, quam ut ei incumbentem sustineat, ut potius manum se apprehendentis compungat et perforet: ita erit et Judææ Ægyptus, ejusque copię et auxilium quod promittit.

Vers. 7. 7. NONNE IPSE EST, CUJUS ABSTULIT EZECHIAS EXCELSA? — Calumniatur Rabsaces Ezechiam: vitio enim ei vertit quod erat laudi dandum; nam excelsa auferri jusserat Deus: sed forte hoc ignorabat Rabsaces. Quod si verum est, docet nos ipse, licet infidelis, idem quod Seneca, scilicet: « Deum obsequio in rebus prosperis nobis conciliandum, non criminibus irritandum, ut in adversis cum fiducia invocatus adesse velit. »

8. ET NUNC TRADE TE. — Hebraice est היתערב *hitareb*, id est, ut Chaldæus, commiscere, conjungere, paciscere et ini fœdus, scilicet tradendo te in vassallum regi Assyriorum: ipse vicissim te

das deuderunt. Nec tamen omnes, sed regi in expeditione obvias; quo in Ægyptum digresso, Judæi consilio et cura Hiskie provide pro ratione temporis eas muniverunt, atque adeo animis jam paulo confirmatoribus regi redeunti ex Ægypto eas objecerunt, ut occurrent exempla in *Lobna* et *Lachisa*, infra cap. xxxvii, 8. (Rosenmuller.)

ut dominus tuebitur, ac tradet tibi duo millia equorum.

Vatablus vertit, *da obsides domino meo* regi Assyrio, daboque ego tibi equorum duo millia. Forerius vertit, *oppignera dominum meum*, id est devinci muneribus, vel obsidibus, vel te in manus ejus tradendo: aut potius, *depone quidquam cum domino meo*, verbi gratia, ut ipse det bis mille equos si tu bis mille des ascensores, ut sit concertatio inter Sennacherib et Ezechiam.

9. NEC POTERIS EX TE PRÆBERE ASCENSORES, — non quod Hierosolymæ non essent bis mille cives, sed quod non essent bis mille equites, saltem ut putabat Rabsaces. Judæis enim equitatus et equorum copia a Deo fuit vetita, *Deut. xvii, 16*. Vide ibi dicta.

10. JUDICIS UNIUS LOCI, — id est satrapæ aut præfecti unius provinciæ, ut dicitur *Esther*, cap. iii, vers. 12.

DOMINUS DIXIT AD ME: ASCENDE SUPER TERRAM ISTAM, ET DISPERDE EAM. — Mentitur superbus licentia regia. Nam Deum non voluisse per Sennacherib perdere Jerusalem, sed potius perdere ipsum Sennacherib, patet ex eventu: potuit tamen velle Deus, ut Sennacherib eos invaderet, puniret et affligeret, idque vel per se, vel per prophetiam Isaie revelare. Vide *Can. xxxvi*.

12. UT COMEDANT STERCORA, — q. d. Judæi a me brevi tam arcte obsidebuntur, eoque penuriæ redigentur, ut cogantur columbinis, quin et humanis excrementis vesci. Ita S. Hieronymus, Cyrilus, Theodoretus (1).

ET BIBANT URINAM PEDUM SUORUM. — Hebraice, *aquam pedum suorum*. Ita Hebræi modeste et honeste vocant urinam, quod ad pedes defluat: sicut aqua capitis, sunt lacrymæ, *Jerem. ix, 1*. Sic Hebræi dicunt: *Dux de inter pedes ejus*, id est de genitalibus, quod Noster vertit, « de femore ejus, » scilicet prodiens et genitus, *Genes. xlix, 10*. Ita Forerius.

16. FACITE MECUM BENEDICTIONEM — non activam (hanc enim homo arrogans contemnebat: nec enim optabat a Judæis benedici), sed passivam. q. d. Dedite vos mihi, itaque gratiam et beneficentiam meam vobis conciliate, ut in vos benignus et beneficus sim. Unde Septuaginta vertunt, *si vultis benedici*; et Noster, IV Reg. xviii, 31, vertit: « Facite mecum quod vobis est utile; » et Leo Castrius: *Facite*, inquit, *mecum benedictionem*, scilicet vobis, et in commodum vestrum, q. d. Ita facite mecum vos mihi subdendo, ut inde vobis accedat benedictio, id est beneficentia mea. Hic sensus est genuinus. Servitutum, quæ per se odiosa

(1) Liquet ex tota historia antiqua, artem urbiam per obsidionem expugnandarum a populis veteribus minus excultam fuisse; hinc sæpe hæserunt in munitarum urbium obsidione per plures annos. Sic Samaria per triennium vim Salmanasarum sustinuit, et tantum fere temporis Hierosolymorum urbs Nebucadnezarem delusit.

(Rosenmuller.)

erat, benedictionis nomine tegit, ut magis ad se alliciat. Ita facit et dæmon.

Secundo, Forerius « benedictionem, » inquit id est copiam, largitatem, *q. d.* Ne sitis erga me parci, sed magnifice ac liberaliter mecum agite, nempe sine timore, fidenter ad me egredimini; vestri curam mihi meæque fidei credentes: quod si feceritis, comedet quisque, etc., id est manebitis rerum vestrarum domini, libere rura vestra adhibitis, carpetisque ficus, uvas et fructus vestros, meque pro hoste patrem et tutorem experiemini.

Tertio, alii, *q. d.* Gratificamini mihi in hac re (1).

(1) *Vers. 17.* « Donec veniam, et tollam vos ad terram

22. *SCISSIS VESTIBUS*, — tum ob blasphemiam Rabsacis, ut hoc ritu se eam detestari ostenderent, tum ut mœrorem et luctum ob ruinas Rabsacis, et periculum urbi imminens testarentur.

quæ est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum. » Solebant antiquis temporibus populi victi a victoribus translocari, sive mitti in colonias; jubebantur etiam sedes inter se permutare, secundum id quod Histiaeus finxit apud Herodotum (lib. II, cap. III), regem Darium constituisse Phœnices sedibus suis amotos in Ioniam transferre, et Iones in Phœnicen. Id dicebatur μετακισμός, et transmigratio ipsa μετακεία. Ratio erat, ut populi facilius retinerentur in obsequio. Fuit etiam moris Romani (Suetonius, *De Augusto*, cap. XXI), Suevos et Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. (Ex Rosenmuller.)

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias nuntiat Isaiaë minas et blasphemias Rabsacis: Isaias, vers. 6, jubet eum bono esse animo, nec timeat Assyrium quem Deus cæsurus sit. Secundo, vers. 9, Sennacherib iturus contra Æthiopes, rursum mittit minaces litteras ad Ezechiam, ut se dedat, nec speret Dei ope se manus ejus evasurum. Hinc tertio, Ezechias, vers. 14, has litteras in templo Deo offert, oratque ut suæ et populi causæ succurrat. Unde quarto, vers. 21, nomine Dei Isaias eum rursum metu liberat, et blasphemum Sennacherib increpat, omniaque ei adversa prædicit, ac, vers. 30, dat signum, scilicet annonam ad tres annos. Deinde, vers. 36, Angelus cædit castra Sennacherib, qui fugiens a filiis occiditur.

1. Et factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini. 2. Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam filium Amos prophetam, 3. et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiae, dies hæc: quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. 4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum Dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, et exprobandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5. Et venerunt servi regis Ezechiae ad Isaiam, 6. et dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis Domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. 7. Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua. 8. Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem Assyriorum præliantem adversus Lobnam. Audierat enim quia profectus esset de Lachis, 9. et audivit de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicetis Ezechiae regi Judæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum. 11. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris quas subverterunt, et tu poteris liberari? 12. Numquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt patres mei, Gozam, et Haram, et Beseph, et filios Eden, qui erant in Thalassar? 13. Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex urbis Sepharvaim, Ana et Ava? 14. Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, et legit eos, et ascendit in domum Domini, et expandit eos Ezechias coram Domino. 15. Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens: 16. Domine exercituum

Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum et terram. 17. Inclina, Domine, aurem tuam, et audi; aperi, Domine, oculos tuos, et vide, et audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. 18. Vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras, et regiones earum. 19. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dñi, sed opera manuum hominum, lignum et lapis: et comminuerunt eos. 20. Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus: et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus. 21. Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum: 22. hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum: Despexit te, et subsannavit te, virgo filia Sion: post te caput movit, filia Jerusalem. 23. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israel. 24. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino: et dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani: et succidam excelsa cedrorum ejus, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus. 25. Ego fodi, et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. 26. Numquid non audisti, quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmavi illud; et nunc adduxi: et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum. 27. Habitatores earum breviata manu contremuerunt, et confusi sunt; facti sunt sicut fœnum agri, et gramen pascuæ, et herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret. 28. Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me. 29. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. 30. Tibi autem hoc erit signum: Comede, hoc anno, quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere; in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum. 31. Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum: 32. quia de Jerusalem exhibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet istud. 33. Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit civitatem hanc, et non jacet ibi sagittam, et non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu ejus aggerem. 34. In via qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingrediatur, dicit Dominus: 35. Et protegiam civitatem istam, ut salvem eam propter me, et propter David servum meum. 36. Egressus est autem Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes, cadavera mortuorum. 37. Et egressus est, et abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et habitavit in Ninive. 38. Et factum est, cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar, filii ejus percusserunt eum gladio: fugeruntque in terram Ararat, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.

1. OBVOLUTUS EST SACCO, — cilicio. Hoc enim erat habitus pœnitentiæ, et vestis lugentium. Vide dicta Gen. xxxvii, 34. Porro saccus hic vel erat ad nudam carnem, vel super alias vestes, uti Romæ in Quadragesima multi saccos vestibus superinduunt (1).

(1) Si quæritur quomodo Ezechias, universusque populus tanto pavore percussus erant auditis minacibus Sennacheribi interpellationibus, cum tamen repetitis vicibus, huic regi cladem infligendam Isaias prædixisset; respondi potest primo, has prophetias aliquibus annis ante Judææ occupationem editis in oblivionem forsitan plurimis venisse; secundo, Isaiam nunquam Sennacheribum nomine proprio designasse, unde dubium esse poterat an ad illum regem

3. DIES TRIBULATIONIS, ET CORREPTIONIS, ET BLAS- Vers. 3
PHENIÆ. — Primo, S. Hieronymus et Sanchez tribulationem referunt ad populum, correptionem ad

ista vaticinia referenda erant, eo majus quod Isaiæ sermoni alia intermixta erant vaticinia, sive de Messia, sive de Judaici populi vicinarumque gentium fati; tertio, Prophetam aperuisse equidem quæ pœnæ Assyrios in futurum manebant, sed ejus prophetiam nondum forsitan scriptis mandatam, Judæis nonnisi generatim cognitam fuisse, quin eam minutatim scrutari possint. Hæc Berthierus. Quæ nobis non satis probata videntur, ut rationem terroris populi ipsiusque regis aliunde tanta fide et pietate præditi, nisi dicatur præ nimia formidine ab Assyriorum exercitu appropinquante omnes animo concidisse.

Deum, *blasphemiam* ad Rabsacen, *q. d.* Dies hic tribulationem populo impendere admonet, et correptionem a Deo, qui nostra vult punire peccata, qui etiam impii regis superbiam, et impudentis legati Rabsacis blasphemiam audivit, quæ dixit, Deum non posse Judæos liberare a manu Sennacherib, sicut dii aliarum gentium non poterunt.

Secundo, Vatablus: *Dicit, inquit, dies correptionis, vel increpationis, vel accusationis*: quia Judæi a Sennacherib arguebantur rupti fœderis, quasi fœdifragi.

Tertio et planius, *diem correptionis* vocat: quia Rabsaces increpaverat Ezechiam, quod in Deo speraret, cujus excelsa abstulerat, quodque non haberet bis mille equites, nec esset resistendo, atque populum, quod, nisi se dederet, redigendus esset in tantas angustias, ut stercora sua comedere et urinam bibere cogeretur: hæ ergo fuerunt correptiones sive increpationes Rabsacis.

VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM, ET VIRTUS NON EST PARIENDI. — Est proverbium, *q. d.* In extremum discrimen, dolorem et angorem venimus, ut tanquam puerperæ molientes bellum pium et necessarium, pro urbis sanctæ defensione contra blasphemum Sennacherib, illud præ languore et defectu virium eniti, et in lucem proferre non possimus; sed illo opprimendi simus, ni Deus miraculose gloriæ suæ et nobis succurrat. Ita Theodoretus, Procopius, Eucherus, Abulensis, Cajetanus et Vatablus vel hic, vel libro IV *Reg. capite* XIX (1).

Vers. 4. 4. SI QUO MODO AUDIAT. *Supple, q. d.* Ora pro nobis, si forte audiat Deus, etc., ut ex Hebræo vertunt Forerius et Vatablus.

Vers. 6. 6. A FACIE VERBORUM, — a verbis et minis: hisce enim Hebræi per prosopopœiam dant faciem. Antequam legati Ezechiae venirent ad Isaiam, jam Deus illi revelarat eorum adventum, quidque eis respondendum esset, inquit S. Hieronymus: unde statim ut venerunt, sine oratione et recurso ad Deum respondit eis Isaias.

Vers. 7. 7. EGO DABO EI SPIRITUM, — adversarium, inquit S. Hieronymus.

Secundo, Haymo et Forerius, « spiritum, » id est ventum, *q. d.* Veniet per aera nuntius vel rumor instar venti, hoc est citissime et non expectatus, et quasi incerto auctore veniet hic rumor, veluti si vento adveheretur. Forerius: *Quod si spiritus quispiam ex angelicis missus in hoc sit, ut talem nuntium deferet?*

Tertio, Vatablus, « spiritum, » id est impulsum et voluntatem redeundi in patriam.

Quarto, Leo Castrius, « spiritum, » id est aerem corruptum et incensum, puta pestem: hac enim

(1) Moris fuisse, ut Prophetæ spectabilis auctoritatis in casibus dubiis consulti sint, per totam historiam Hebræi populi liquet, estque huic plane simile exemplum Josiæ, Huldam prophetissam per legatos adeuntis, II *Reg. xxxii, 12* seqq. Conf. I *Reg. xxii, 13.* (Rosenmuller.)

periisse Assyrios docet Berosus apud Josephum, lib. X *Antiq. cap. i.*

Quinto et optime, Lyranus et Sanchez: Mittam in eum « spiritum » timoris et perturbationis, et quasi terrorem panicum, atque nuntium de adventu Tharacæ regis Æthiopiæ, qui eum ab obsidione Hierosolymæ submoveat, ut contra eum pugnet: quo facto rediens cædetur ab Angelo, ideoque fugiet ad suos in Assyriam, ibique occidetur.

Similem metum et animi consternationem immisit Deus in Chananæos, ne persequerentur Jacobum, *Genes. xxxiii, 5*; et ne resisterent Hebræis adventantibus, *Exodi xxiii, 27*; et in Syros obsidentes Samariam, IV *Reg. vii, 6*. Sic cum Saul cingeret undique Davidem, ut nullum pateret effugium, Deus misit ei nuntium dicentem Philistæos irruere in fines Israel: quare a Davide avocatus est, coactusque regredi ad suos fines tuendos. Quam mira est Dei erga suos providentia! quam fida custodia (2)!

13. ANA ET AVA. — Septuaginta hæc duo in unum conflarunt, *Anaveava*; unde corrupte jam in Septuaginta irrepsit *Anagugava*. Ana fuit regia Lydorum (quorum postea, tempore Cyri, rex fuit Croesus), antequam Sardes conderentur et in

(2) Vers. 8. « Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem Assyriorum præliantem adversus Lobnam. Audierat enim quia profectus esset de Lachis. » Num Lachisam in suam potestatem redegerit rex Assyrius, non ascribitur in historia, sed probabile est excidisse illam voto, quod urbs tam citè quam munitione probe curata fuerit. Lobna urbs antiquo tempore fuit spectabilis, ætate Josue a regulo Amorrhæo administrata, sita ad occidentum Hierosolymorum flexum austrum versus, Lachisæ ad septentrionem, a qua non longe distitit; estque verisimile, ipsam quoque ad modum Lachisæ, situm obtinuisse illic loci, ubi campestris regio in montanam assurgebat. Cf. *Jos. x, 29* seqq.; *xv, 41, 42*; *xxi, 13.* (Rosenmuller.)

Vers. 9. « Et audivit de Tharaca, » etc. Thiraca, qui in Manethonis Dynastiis apud Eusebium Ταρακός vocatur, Æthiopum rex fuit, qui Ægyptum sibi subjecerat. Conf. Gatterer, *Weltgesch. part. I, pag. 225.* Erat autem virtutis et peritiæ bellicæ Taraconis magna fama, ut liquet ex verbis Megasthenis apud Strabonem, *Geograph. lib. XV, pag. 472* edit. Casaub. Hinc adventantis Thiracæ famam tantum metum incussisse Assyrio, nemo mirabitur. Michaelis quidem, in *Spiciteg. Geograph. Hebræor. ext. part. I, pag. 149, 150*, et in *Præfat. advers. tent. Jesajæ, pag. 26*, non hoc Sennacheribo allatum putat, *Taraconem in Palæstinam castra movere*; hunc rumorem enim regi Assyriæ non tantum metum incutere potuisse, ut tam repente in regnum rediisset, cum Taraconi totam Nubiam et Ægyptum prius peragranda esse, noscere debuisset. Hunc igitur potius rumorem Sennacheribo allatum fuisse, Taraconem ex illa Cuschææ parte, quæ in Arabia sita est (conf. not. ad *Genes. x, 6*), per deserta Arabiæ agmen ducentem intima Assyriæ invasurum esse; ad suum ergo regnum tutandum, non fugam, sed iter festinasse Assyrium. Sed recte observat Koppius in not. ad hunc locum, nihil esse quod Taraconem ex intima Æthiopia contra Sancheribum Palæstinam expugnantem exercitum duxisse existimemus; videri potius illum, cum ingenti exercitu plures terras, ut eas expugnaret, pererrantem, vere jam ad fines Palæstinæ usque pervenisse. (Rosenmuller.)

regni metropolim erigerentur ab Asarhaddon filio Sennacherib, sive a Sardanapalo, ut nonnulli censent: unde ab eodem nomen accepisse videntur, ut Sardes dicantur quasi urbs Sardoni, id est domini et principis. « Sefharvaim » censent nonnulli fuisse regiam regni Pontici et Bosphorani, de quo Strabo, sitam juxta Bosphorum Cimmericum et Pontum Euxinum: unde Melitenses (qui multas usurpant voces Syras et Arabicas) « Sefharbaim » vocant trajectum, sive tranationem animalium, puta Bosphorum. Bosphorus enim dicitur quasi τοῦ βοῦς πορεία, id est bovis iter et via, quia scilicet in eo sunt tantæ maris angustiae, ut bos illas nando transmittere possit. Ita Romæ mihi asseveraverunt Patres nostri Melitenses.

Vers. 14. 14. LIBROS, — id est litteras Rabsacis: has enim significat Hebræum שֵׁפָרַיִם sepher.

Vers. 16. 16. QUI SEDES SUPER CHERUBIM, — qui sedes in propitiatorio supra arcam, quod est quasi solium tuum obumbratum a duobus Cherubinis, ex quo responsa das in Sancto sanctorum: quo symbolice significatur, te omnes Angelorum acies et choros subditos habere, et quasi eis inequitare. Vide dicta Exodi xxv, 18 (1).

Vers. 22. 22. VIRGO FILIA SION. — Id est o Jerusalem! vide Can. XVIII.

POST TE CAPUT MOVIT, — quasi subsannans et minans.

Vers. 23. 23. AD (id est contra, ut vertit Vatablus) SANC TUM ISRAEL, — q. d. Quænam ista vesana blasphemia et superbia tua, o Sennacherib! quod Deum lacessere, et ad duellum quasi provocare sis ausus? nescis quod ipse sit sanctus Israelis custos et protector, qui non patietur sanctam suam urbem et templum a te pollui et contaminari, sed acer ejus vindex contra te insurget.

Morale, de blas phemo rum pu nitione. Moraliter, disce hic quam Deus in superbos et blasphemos excandescat, eosque acerrime puniat.

Holofernes, indignatus quod Achior potentiam Dei cœli commendasset, dixit, Judith vi, 2: « Quoniam prophetasti nobis dicens, quod gens Israel defendatur a Deo suo, ... ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum. » Verum postea per unius feminæ manum caput ejus amputatur.

Blasphemus et superbus Antiochus insanabili

(1) Vers. 19. « Et dederunt deos earum igni, » etc. Patet ex hoc loco, reges Assyriæ illius temporis, ut postea Babylonæ, zelotypia quadam fuisse affectos erga deos aliarum gentium; quod minus convenit mori aliorum antiquitatis populorum, si populum Judaicum excipias, Romani multarum Gentium victarum deos in suam civitatem receperant; et alii etiam populi gentium aliarum deos suo loco reliquerunt et illæsos. Non improbabilis est Vitringæ sententia, Assyrios et Chaldæos hoc modo instituisse cum respectu ad republicas illarum gentium; quas cum scirent fundatas esse in religione, ipsa quoque religionis objecta sive idola sibi corrupenda esse existimasse, quippe fulcra sustinendæ ac instaurandæ reipublicæ. (Idem.)

et invisibili plaga percussus est. Sic et Judæi superius blasphemias voces in Filium Dei evomuerunt, ideoque a Tito excisi sunt.

Latro improbus cruci affixus etiam blasphemabat, cum diceret: « Si Filius Dei es, salva te ipsum, » et mox ideoque periit.

Propter blasphemiam D. Paulus Alexandrum et Hymenæum dæmoni torquendos tradidit.

Anno Domini quadringentesimo et nonagesimo quarto, octavo Calendas Januarii, res admiranda, terribilis et singularis, qua aures audientium obstupeant, evenit. Cum Euthymius, Arianæ factionis defensor, cursorem saltantem citaret in balneis palatii Heleniani, accedens ad eum adulator Olympius, et quosdam qui lavabantur ἐμλουσίους (hoc est ejusdem substantiæ Filium esse cum Patre assertores) conspicatus, istiusmodi eos verbis compellavit: « Quid enim est (inquiens) Trinitas, aut quo non in pariete inscripta est? Ecce (inquit obscœnus), et ego trinitatem habeo. » Quare qui illic aderant, commoti illum erant interfectori; sed prohibiti sunt a quodam presbytero. Verum Dei vindicta eum comprehendit: nam cum descendisset in balneum frigidum, confestim egressus est, clamans: « Miseremini, » et carnes suas unguis dilanians ab ossibus divellebat. Hunc illi qui circumaderant comprehensum linteo obvolverunt, et præ frigore animo deficientem reclinarunt. Rogantibus autem, quodnam illi contigisset? respondit Olympius: « Hominem vidi candidis indutum vestimentis, qui super Nerophorum incedens tres mihi calidæ siclas infudit: Ne maledixeris, inquiens. » Qui igitur erant illi necessitudine conjuncti, sublato in aliud balneum, quod Arianorum hærebat Ecclesiæ, gestaverunt. Verum cum ex linteo vellent illum eximere, omnes illius carnes dilaceraverunt; atque ita moriens animam efflavit. Ita Damascenus, Ado, Platina, Vasæus, et ex iis Baronius, anno Christi 494.

Julianus, Imperator Apostata, in bello quod contra Persas gerebat, graviter vulneratus, cum e vulnere cava manu sanguinem hausisset, atque eum in cœlum, veluti Christum conspiciens, conjecisset, perinde atque causam cædis suæ in eum referret, ita vociferatus dicitur: « Vicisti, Galilæe, vicisti; » et cum sanguine diffunderet: « Saturare, Nazarene, » exclamavit. Ita *Histor. Tripart. lib. IX, cap. xxv.*

In Vita S. Joannis Chrysostomi narratur quod, cum S. Chrysostomus laudaret SS. Trinitatem, quæ nobis suppeditat annuos fructus, respondit ei Anthemius: Non Christus, sed elementa mundi suis temporibus eos producunt deorum providentia. Nondum finem acceperat ejus sermo, cum maligno spiritu possessus, et terræ allisus, misere jacebat rugiens, lacrymarum et timoris simul causa iis qui aderant, pervertens quidem oculos, stridens autem dentibus, spumam vero ex ore turpissime expuens.

Gregorius Turonensis *lib. IV Histor. Franc. xvi,*

simile recenset : Leo, inquit, quidam Pictaviensis, qui juxta nomen suum tanquam leo erat in omni cupiditate sævissimus, fertur quadam vice dixisse, quod Martinus et Martialis Confessores Domini nihil fisci viribus utile reliquissent : sed statim percussus a virtute Confessorum, surdus et mutus effectus, amens est mortuus : venit enim miser ad basilicam S. Martini Turonos, celebravitque vigilias, dedit munera, sed non eum respexit virtus consueta : cum ipsa enim qua venerat infirmitate, regressus est.

S. Gregorius Pontifex, lib. IV *Dialog.* cap. XVIII, narrat puerum quinquennem, Deum blasphemare assuetum, a dæmone e sinu patris abreptum.

Justinianus Imperator, jurantem per Dei aliquod membrum, aut capillos, aut Deum blasphemantes ultimo supplicio damnavit, ut patet in *Authenticis*, Coll. VI, tit. v.

Philippi Augusti, Francorum regis, vivo patre coronati, *primum* edictum fuit adversus blasphemos, nomen Christi contumeliose probroseque in testimonium, et cujusvis minutissimæ rei assertionem adducentes, quos censuit in flumen citra moram mergendos. *Secundum* fuit adversus tibicines, histriones, parasitos, et id genus voluptuarios artifices, quibus interdixit aula. His consonus est Canon qui habetur, *dist. XXII*, ubi sic legitur : « Si quis per capillum Dei vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ordine Ecclesiastico est, deponatur; si laicus, anathematizetur. » Et in *Authenticis*, tit. *Ut luxurientur contra naturam*, sancitur : « Nemo juret per membra Dei aut capillos, aut alio modo Deum blasphemet : his enim delictis et famæ, et terræ motus, et pestilentiæ fiunt. Præcipimus igitur tales comprehendi, atque ultimis subdi suppliciis. »

Roberto Francorum regi, filio Hugonis Capeti, aliquando in civitate Aurelianensi pro pace et regni sui tranquillitate oranti Christus apparuit, et responsum dedit, quod pacem in regno non haberet suò, donec blasphemias et crimina notoria extirpasset. Nec mirum : hæc enim procedere videntur ex contemptu, vel ex odio in Deum : odium autem Dei peccatorum maximum est. Narrat hoc Nicolaus Boerius, *Decis.* 304.

Anno salutis 1569, duo præsidarii milites apud Argentinenses in vincula sunt conjecti, alter in Deum blasphemans, alter in Præfectum cohortis injurius. Pro illo ob spectatam fortitudinem, optimi quique intercedebant, pro hoc vero nulli. Senatus prudens indignum ratus, violatorem Dei meliorem conditione esse, quam calumniatorem hominis, causæ cognitione iis quibus oportuit demandata, ubi blasphemiam horrendam, licet ab ebrio et emotæ mentis homine, admissam cognovit; plus divinæ Majestati quam humanæ gratiæ et intercessionis tribuendum ratus, supplicio capitali, extracta per cervicem lingua, blasphemum affecit. Ita refert *Theatrum vitæ humanæ*,

volum. XIII, lib. IV, et noster d'Auroult in *Exempl.*, cap. *De Blasphemia*, cujus opus extra Belgium multis incognitum est, utinam cognitum et tritum!

24. IN MANU SERVORUM, — per servos tuos, Rab- Vers 24.
sacen, ejusque socios. Vide *Can.* XXIII.

ASCENDI ALTITUDINEM MONTIUM, — *q. d.* Arctas et præruptas montium semitas, ut vix equiti aut pediti esset transitus, ego dejectis arboribus et scopulis ita complanavi, ut quadrigis meis in eorum vertices conscenderim. Simile fecit Vespasianus in Libani faucibus, cum per illas copias in Judæam deduxit, teste Josepho, lib. III *Belli*, cap. v. Ita Sanchez. Sic Annibal viam suo exercitui fecit per Alpes : audi Juvenalem, *Satyr.* 10 :

Opposuit natura Alpemque nivemque;
Diduxit scopulos, et montem rupit aceto.

Porro per Libanum totam Judæam et Syriam intelligit : ejus enim principium et quasi murus et antemurale erat Libanus. Est synecdoche.

SALTUM CARMELI EJUS. — Vatablus intelligit templum, quod quasi saltus situm erat in Carmel, id est in agro feraci, cujus sacerdotes, inquit, sunt ut arbores in saltu. Alii Jerusalem intelligunt; alii, civitates quasvis Judææ munitas et in excelso sitas. Simplicissime accipias Carmelum, ut sonat, scilicet montem Judææ fertilissimum vineis, oleis aliisque arboribus fructiferis et odoriferis abundantem, in quo habitaverunt Elias et Eliseus, ac postea primi Carmelitæ : hic enim Ordo a Carmelo nomen sumpsit, *q. d.* Sicut Libanum, sic et Carmelum ejus vastabo. Dicit « ejus, » scilicet Libani, hic enim præcessit : quia Carmelus ad Libanum spectat. Per Libanum enim totam Judæam intelligit : Judææ autem pars est Carmelus. Nota *τὸ saltum* : hinc enim videtur, quod in monte Carmelo fuerit saltus vel sylva. Ita Adrichomius.

25. EGO FODI, ET BIBI AQUAM, — *q. d.* Ego copia Vers 25.
militum abundans, per eos in locis arenibus fodi puteos, itaque aquam sufficientem præbui toti exercitui : hoc fecerunt Cæsar, Scipio, et alii præstantissimi imperatores, hocque faciendum est duci castrorum, ut docet Vegetius, lib. IV, cap. x.

ET EXSICCAVI VESTIGIO PEDIS MEI (id est, quocumque exercitus meus vestigium poneret) OMNES RIVOS AGGERUM. — « Rivos aggerum » vocat aquas tam pluviales quam fontanas, quæ in agro aggeribus conclusæ, quasi in vivario aut piscina servantur; ut sit idem quod de eodem dicitur, IV *Reg.* XIX, 24 : « Et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas : » aut potius ita vocat rivos fluentes, qui utrinque ripis quasi aggeribus concluduntur. Ita S. Hieronymus, *q. d.* Ego meo exercitui tam numeroso et valido, quacumque in-cessi, partim averti flumina, fecique ea vadosa et pervia; partim epotavi (1). Ita Xerxes siccavit

(1) Quod sensum locutionis attinet, recte Pellicanus illum videtur exposuisse. Exercitus magnitudinem jactat,

flumina Græciæ, de quo Juvenalis, *Satyr.* 10 :

Credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prudente.

26. NUMQUID NON AUDISTI QUÆ OLIM FECERIM (id est facere decreverim, juxta *Can.* XXIX) EI (genti Judæorum) ? EX DIRBUS ANTIQVIS EGO PLASMAVI (hebraice יצַרְתִּי *iatsarti*, id est formavi, finxi, id est formam rei gerendæ concepi, ordinavi, præscripsi) ILLUD, — *q. d.* Numquid non audisti, o Sennacherib! quod tu te fecisse Judææ et aliis provinciis gloriaris, scilicet quod illas vastaveris ac subegeris, hoc ipsum ab olim me præcogitasse, prædefinivisse, et per singulas sui partes præscripsisse, ut patet *Isaiæ* x, et nunc ea adduxisse, ac opere complevisse, ut scilicet fierent, et redigerentur civitates munitæ in ruinas per te; verum ita ut Hierosolymam non caperes, sed ibi cædereris? Noli ergo victorias tuas tibi adscribere, sed mihi: nam me duce iis potitus es, ideoque, ut hoc tibi ingrato et superbo ostendam, sistam eas, imo eas in clades convertam. Ita Forerius, Vatablus et alii.

ET FACTUM EST IN ERADICATIONEM COLLIUM COMPUGNANTIUM. — S. Hieronymus et Adamus per *colles compugnantes*, accipiunt principes inter se dissidentes.

Secundo et planius, Sanchez: *colles compugnantes*, id est concertantes (hoc enim est hebraice, נִצְוִים *nitsim*) et pugnantes (ut habetur *IV Reg.* xix) cum Assyriis, sunt civitates Judææ, et aliarum gentium in collibus sitæ, ideoque munitæ, ut sequitur, *q. d.* Nutu Dei factum est ut Sennacherib eradicaret, id est everteret, civitates excelsas et validas, quæ acriter cum eo pugnarunt et dimicarunt: id enim eum fecisse patet, cap. xxxvi, vers. 1

quo flumina quantumlibet copiosa transvadere possit, infiniti exercitus labore et singulis operis, quasi dicat: Si tot millia hominum singulos aostulerint urceos aquarum, sine impedimento transibunt, quo volent, rivis siccatis plantis pedum. Similiter jactabundus Alacicus apud Claudianum, *De Bello Getico*, vers. 526 :

Subsidere nostris
Sub petibus montes, arescere vidimus amnes,
Fregi Alpes, gæticque Padum victribus ausi.

Cæterum, hoc posterius versus membrum in futuro esse accipiendum, ut Assyrius non ea quæ jam perfecit, sed ea quæ a se in posterum perficienda sint, jactet, ex eo verissime est, quod legati Assyrii in superioribus nusquam gloriati sunt de prosperis successibus Sennacherib rerum in Ægypto gestarum, alios populos subactos memorant, de Ægyptus silent. Non improbabilis est Vitrin-gæ sententia, Sennacheribum primo impetu in Ægyptum ruentem aliquid plus effecisse, cum imparatis (Taracone absente, et Sethone umbelli, atque Ægyptiis invisio) superveniret, dein, cum Taraconis motum fama percepisset, Ægyptum dereliquisse, et rediisse in Judæam, ut Hierosolymam, cujus expugnatio conatibus suis plurimum favere poterat, sibi subiceret. Certum tamen quicquam in hoc illorum temporum historiæ obscuritate vix quisquam tenuerit. (Rosenmuller.)

Tertio, verti potest cum Vatablo clare, jam adduco illud, ut redigam in tumulos ruinarum urbes munitas; aut, ut Forerius, et erit ut ruere faciat (Deus) vel illidat fluctus compugnantes et concertantes in civitates munitas; Syrus et Arabicus vertunt, et nunc adduxi eam, ut sit in destructionem, et desolationem.

27. HABITATORES EARUM BREVIATA MANU CONTREMUERUNT. — S. Hieronymus accipit *manum*, id est opem Dei, *q. d.* Judæi victi sunt ab Assyriis, quia Deus breviavit et contraxit ab eis suam manum, eamque extendit ad Assyrios, dando eis animos et vires, et prosperos belli successus ad subjugandum Judæos. Unde Arabicus vertit, *reliquerunt eos de manibus suis* (id est projecerunt eos), et *confracti sunt*.

Secundo et melius, accipias *manum*, id est potentiam et vires Judæorum, *q. d.* Judæi contremuerunt veniente Sennacherib, quia eorum manus, id est potentia, a Deo fuit breviata, id est concisa. Unde hebraice est קִצְרֵי יָד *kitsre iad*, id est *breviati manu*, vel *breves manu*, et, ut Noster vertit, *IV Reg.* xix, « humiles manu, » hoc est infirmi, imbelles ac quasi manci Judæi contremuerunt coram Assyriis. Ita Forerius, Vatablus et alii. Unde Syrus vertit, *habitatores relaxarunt in eis manus, contriti et confusi sunt*.

FACTI SUNT SICUT FOENUM AGRI, etc. — Comparat Judæos infirmos, et statim ab hoste prostratos, fœno, gramini, et herbæ in tectis crescenti, quæ a sole vel gelu exusta, aut pedibus calcata, aut humore deficiente marcescit et exarescit: pari enim modo omnes Judæorum vires statim ad adventum Assyrii emarcuerunt et exaruerunt.

28. HABITATIONEM TUAM, ET EGRESSUM TUUM, ET INTROITUM TUUM COGNOVI. — Hæc tria significant omnes motus, situs et actiones hominis, quæ alibi vocantur *ingressus* et *egressus*: hic additur tertium, scilicet *sessio* vel *habitatio*, quasi dicat: Ego prænovi, prævidi et prædisposui, o Sennacherib (ad eum enim se convertit)! omnes tuos actus quos designasti; sive cum in Assyria habitares, sive cum inde regredereris, victorque intrares Assyriam. Eadem phrasis est *Psalm.* cxxxviii: « Tu cognovisti sessionem (hebraice est idem verbum יָשַׁב *iascab*, quod hic vertit *habitationem*) et resurrectionem meam, » hebraice קוּמִי *kumi*, id est *meum resurgere ad egrediendum vel ingrediendum*.

29. PONAM CIRCULUM. — Te quasi mulum aut bubalum, velut circulo aut freno injecto circumagam, et reducam in Assyriam, unde te eduxi. Nctat Sanchez justa et congrua pœna puniri regem, qui subsannarat Judæos ad Deum nasum contumeliose suspendendo, os distortuendo, et linguam petulanter exerendo: naso enim ejus Deus infligit circulum, ori et linguæ injicit frenum.

Tropologice, S. Gregorius, *XXIII Moral.* cap. x, explicans illud *Job* xl, 21, de Leviathan: « Num-

quid pones circulum in naribus ejus? » docet circulum hunc esse Dei omnipotentiam, qua diaboli vel sagacitatem vel robur frenat et cohibet, ne nos tentet quantum vult et potest : « Ponam, inquit, circulum in naribus tuis, » ac si aperte dicat : Cogitando insidias suspiras ; sed explere quod appetis non valendo, omnipotentiae meae circulum in naribus portas, ut, cum bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas.

Vers. 30. 30. TIBI AUTEM HOC ERIT SIGNUM. — Convertit se ad Ezechiam obsessum a Sennacherib, eique in famis periculo assignat alimoniam, eamque dat signum futuræ plenæ libertatis Judæorum, ac stragis Assyriorum.

COMEDE HOC ANNO QUÆ SPONTE NASCUNTUR. — Hinc et ex vers. 9 colligitur, quod Sennacherib, audito adventu regis Æthiopum contra se, distulerit obsidionem Jerusalem, ut regi occurreret : interim tamen frumentum germinans circumcirca vastaverit, vel proculcando, vel demetendo, ut ita urbem fame premeret : insuper reliquisse militum præsidium in urbibus Judææ a se captis, qui infestarent agrum Jerusalem, quo fiebat ut serere non possent ; sed Deus sua providentia occurrit, promittitque Judæis quod eos primo anno alet granis sponte nascentibus, id est ex radicibus conculcatæ vel resectæ segetis mox repullulantibus, erumpentibus : secundo vero anno ex pomis arborum. Ita factum est. Tertio denique anno victo Æthiope rediit Sennacherib ad obsidionem Jerusalem, tumque ab Angelo cæso ejus exercitu, data est Judæis copia serendi et metendi. Ita Abulensis, Cajetanus, Torniellus, et alii in *IV Reg. XIX*. Biennium ergo integrum a Jerusalem abfuit Sennacherib, distentus bello Æthiopico, ut dixi cap. xx.

IN ANNO SECUNDO POMIS VESCERE, — atque segete quæ ex granis deciduis anni præcedentis succreverit. Unde Noster, *IV Reg. cap. XIX*, vertit : « In secundo autem anno comede quæ sponte nascuntur, » scilicet vel ex arbore, vel ex granis deciduis, non autem ex semente et germine reciso ac repullulante, uti dictum est de anno primo. Josephus Scaliger, lib. *V De Emendat. temp.* in cap. cui titulus est : *De Initio Ezechiae*, putat hunc secundum annum fuisse sabbaticum, in quo quiescere juxta legem *Levit. xxv, 4*, debebat terra, ut nec seri nec meti posset. Iisdem enim verbis, quibus utitur hic Scriptura, scilicet quod non sererent nec meterent, sed comederent sponte nascentia, etc., describitur annus sabbaticus, *Levit. cap. xxv, 4*. Verum quodnam fuisset hoc signum futuræ liberationis Judæorum, et profligationis Assyriorum? Absque Isaïæ enim vaticinio sciebat Ezechias, quis annus futurus esset sabbaticus, inquit Torniellus, qui non 14, sed 13 et 17 annum Ezechiae fuisse sabbaticos asseverat. Sed responderi posset signum hic dari non annum sabbaticum, sed quod paulo ante dictum est, scilicet primo, quod Deus illo anno sabbatico, in tanta

hostium excursionem, esset Judæos aliturus liberaliter ; secundo, quod anno tertio saturi essent et messuri, cujus tunc nulla erat spes, cum omnes timerent vastitatem et excidium ab Assyriis. Verum alii exacti Chronologi negant annum 14 Ezechiae fuisse sabbaticum.

Fabulatur R. Salomon Assyrios succidisse arbores et segetes, ita ut nullus ex iis sperari posset fructus ; Deum vero ex excisis arboribus produxisse poma, et ex excisis segetibus frumentum : hocque esse signum sive miraculum, ut ipse interpretatur, datum Ezechiae.

31. ET MITTET ID, QUOD SALVATUM FUERIT. — Nota, **Vers. 31.** « salvatum, » et paulo post « salvationem, » vocari reliquias Judæorum, quæ servatæ sunt ab incursu Sennacherib : de iis prædicit, quod Deus eas mire reflorescere, crescere et propagari faciet instar arborum, quæ late et profunde agunt radices, ideoque sursum ramos et frondes extollunt et dilatant, ut nec arescere, nec vento convelli possint, uti ex adverso facile accidit iis, quæ parvas et arctas habent radices, teste Plinio lib. *XVI, xxxi*. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

Allegorice, Eusebius, lib. *II Demonstr. XLVIII*, et Leo Castrus hæc referunt ad Apostolos, aliasque reliquias, quæ salvæ factæ sunt ex Israel tempore Christi.

Moraliter S. Gregorius, lib. *XII Moral. cap. xxii* : « Cum, ait, cogitationem nostram ad compatendum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus, ut retributionis fructum superius faciamus. » Idem, lib. *VIII Moral. cap. xxix* : « Radicem, ait, deorsum mittere, est cogitationem bonam in abditiis multiplicare. Fructum vero sursum facere, est per efficaciam operis, recta quæ cogitavit ostendere. »

33. NON INTRABIT CIVITATEM HANC, ET NON JACIET **Vers. 33.** IBI SAGITTAM. — Hinc colligitur castra Sennacherib, mox ut rediit ad obsidionem Hierosolymæ, antequam aggeres erigeret, aliaque ad oppugnationem necessaria præpararet, cæsa fuisse ab Angelo. Unde, *IV Reg. XIX, 35*, dicuntur cæsa « in nocte illa, » scilicet qua Sennacherib rediit ad obsidendam Jerusalem. Ita Cajetanus ibi.

36. ANGELUS DOMINI. — Hinc videtur Angelus hic **Vers. 36.** cæsor Assyriorum fuisse bonus, v. g. Gabriel aut Michael, præses Synagogæ. Ita Abulensis, licet alii putent tam hunc quam illum qui percussit primogenita Ægyptiorum (ut insinuat *Psal. LXXVII, 49*), fuisse dæmonem.

PERCUSSIT. — Tradunt Hebræi, et ex iis Cajetanus et Abulensis, Assyrios ab Angelo igne, id est pestilentia, ut ait Josephus fuisse percussos. Unde Isaïas *x, 16*, ait : « Succensa ardebit quasi combustio ignis ; » et alibi ignem eis denuntiat : unde et in Topheth, ac in valle Josaphat (ubi fiet iudicium generale, et morte ac igne æterno plectentur omnes reprobi, quorum typus fuerunt hic Assyrii) eosdem cæsos esse tradunt, uti dixi cap. *xxx*.

In hac clade servatus est Sennacherib, ut superbus rex videret Dei in suos manum et vindictam, utque turpiter fugiens ignominiosius a propriis filiis occideretur: sicut Pharaon in mari Rubro ultimus periit, non una, sed multiplici morte, scilicet et sua et omnium suorum quos ante se mergi videbat. Ita S. Hieronymus (1).

(1) Varia fuerunt interpretum tentamina ad explicandum quænam fuerit stragis illius causa, qua Deus per Angelum exercitum Sennacheribi percussit. Alii, ut interpretes Hebræi, juxta veterem traditionem, ab igne de cælo in cinerem redactos Assyrios credunt (vide supra Cornelium). Alii, ut Vitringa, quem sequitur Vogel ad Grotium, et Calmetus, tempestatem horribilem tonitruum et fulgurum prostravisse florentissimam copiarum Assyrii partem existimat, atque hanc sententiam defendit imprimis ex iis Prophetæ nostri locis, in quibus Sennacheribi clades describitur tanquam tempestas, a Jove excitata, tonitribus horribilis, fulminibusque et igne Assyrios prosternens. Loca sunt cap. xxix, 6; xxx, 30. Sed contra hanc sententiam hoc objici potest, si tempestas et fulgura tantam in exercitu stragem edidissent, reliqui non postredie demum præter spem et expectationem suam vidissent, quid factum esset, quod tamen verba ultima versus nostri 36 aperte innuunt. Quod vero illa loca attinet, cap. xxix, 6, et xxx, 30, minime ea proprie sunt intelligenda; sed imaginem continent poeticam vatibus Hebræis frequenter usurpatam auxilii Jovæ potentis et eximii, cujus aliud exemplum insigne est, *Psalm. xviii, 8 seq.* Alii, ut J. E. Faber, pernicioso illo in Orientis regionibus Euro, vulgo *Samum* dicto, tantum hominum numerum occisum esse putant. Sed huic sententiæ præcipue obstat hoc, quod ventus ille interdum tantum oriri solet, et solos eos qui faciem ipsi obvertunt, occidit. Fuerunt qui vel Assyrios se mutuo interfecisse ut in turbis nocturnis, et in subitis terroribus evenit, autumarunt, vel qui Thiracæ, sive Taraconis subito in auxilium Hiskie adventantis, armis stragem illam Assyriorum editam arbitrati sunt. Sed nec ullus alius in scriptis Hebræorum locus exstat, in quo strages in prælio inter exercitum edita, hoc modo describatur, nec cur ad talem stragem describendam tali dictione מלאך יהוה usus sit scriptor, ea cogitari potest ratio, quæ exstat, ubi ad subitam mortem indicandam illa adhibetur. Obstant quoque loca supra, cap. xxx, 30; xxxi, 9, ubi Assyrii copiarum ne gladio quidem urgente fugientes describuntur. Vide plura alia contra illam sententiam Michaelis, *Præfat. ad Jesajæ versionem tent.* Alii tandem, inter quos Rosenmuller, post Josephum qui in *Antiq.* lib. X, cap. 1, § 5, νόσον λοιμικὴν stragem illam edidisse dicit. Favet huic sententiæ usus loquendi, quo eadem imago angeli percussoris de peste adhibetur, II *Sam.* xxiv, 16, coll. vers. 15; I *Chronic.* xxi, 14, 15. Huic plerique recentiorum interpretum illi sunt astipulati velut Dæderlein, Michaelis, Dathius, Hensterus, etc., quibus assentiri posse credimus; quamvis, ut notat Rosenmuller, ne sic quidem res libera esset omni difficultate. Nam omnis difficultas hic pro Rosenmuller et aliis Rationalismum olentibus, in eo constat, quod vix est credibile, pestem et læm qualemcumque, licet vel maxime sæviat, unius noctis spatio, centum octoginta quinque millia hominum absumpsisse. Talis difficultas prohibere potest huic sententiæ assentiri, eos qui ab omni supernaturali Dei operatione in rebus humanis abhorrent, sed pro nobis res est in expedito, et ne minimum quidem nodum habet, nec necesse habemus huic difficultati occurrere, dicendo cum

Hujus cladis Assyriorum meminerunt Gentiles; ut Herodotus et Berosus, sed fabulas admiscunt, ut dixi cap. xx.

38. FILII EJUS PERCUSSE EUM. — Cur? incertum est. Tradit Lyranus ex R. Salomone, Sennacherib accepta tanta clade, ut suorum, qui filios, fratres aut cognatos in ea clade amiserant, animos leniret, vovisse deo suo Nesroch victimam filiorum suorum: filios id odoratos, parentem prævertisse, et ipsummet in templo Nesroch immolasse.

Nota: Non statim a fuga in Assyriam occisus est Sennacherib; nam rediens indignabundus persecutus est et occidit Judæos; unde Tobias ejus iram fugit et effugit. Sic enim legimus *Tobiæ* i, 21: « Cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, etc., et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, et tulit omnem substantiam ejus. Tobias vero cum filio suo et cum uxore sua fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas ejus restituta est ei. »

IN TERRAM ARARAT. — Chaldæus et Septuaginta, in Armeniam, per quam Araxes fluvius labitur, inquit S. Hieronymus, ad radices montis Tauri.

Dæderlein, tot hominum millia tantummodo in vitæ periculum adducta, quin morte abrepta sint, vel cum Henstero, his verbis non hoc indicari, una nocte tot hominum millia absumpta esse; verum hoc: illa ipsa nocte quæ sequebatur eum diem, quo Hiskie promissio erat data de liberatione ab Assyriis, luem contagiosam Sennacheribi exercitum invasisse, et per tempus aliquod ita sæviisse, ut 185 millia hominum ab illa essent deleta.

Cæterum, non desunt in veteribus monumentis, inquit ipse Rosenmuller, similia exercituum violenta peste brevissimo tempore absumptorum exempla. Tale est illud memorabile et tristissimum exercitus Carthaginiensium in Sicilia, Syracusæ obsidentis, duce Imilcone, *pestilentis sideris vi* (verba sunt Justini, *Hist.* lib. XIX, cap. iv), repente deleti. Historia integra legitur apud Diodorum (*Hist.* lib. XIX, pag. 434 seqq., ed. Rhod.), quæ Carthaginiensium fortuna sua insolenter usorum, exhibet centum quinquaginta millia, peste exstinctorum, quorum cadavera insepulta abjecta sint. Exemplum vere ad hoc nostrum proxime videtur accedere, et quidem eo magis, quod Imilco hanc subiisse punitionem Numinis severam dicatur, quod *templa Deorum* eorumque donaria irreverenter habuisset. Similis fere generis illud est Prusiæ, impii illius Bithyniæ regis, cujus copiarum maximam partem dysenteria consumptæ fuisse dicuntur; et naves ingenti tempestate in Propontide excitata pleræque absorptæ, postquam templum sub ipsis Pergami mœnibus situm destruxisset, suisque spoliasset imaginibus ornamentis.

Quoad tempus ad quod præcise hæc strages referenda sit, et de regno morteque Sennacheribi, vide *Recherches sur la chronologie des empires de Ninive, de Babylone et d'Ecbatane*, par M. de Saulcy, art. 8, tom. XXXIX des *Annales de Philosophie chrétienne*, page 137 et suiv.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sennacherib a Jerusalem proficiscente contra Tharacam regem Æthiopiæ, Ezechias in morbum incidit, quem ei mortem allaturum prædicit Isaias. Ergo flet rex, Deumque orat pro salute : Deus eum exaudit, vers. 4, adjicitque ad vitam ejus annos quindecim : insuper libertatem ab Assyriis promittit; atque ejus rei signum dat regressum umbræ in horologio Achaz per decem lineas. Quare lætus rex, vers. 9, canit Deo carmen eucharisticum, illudque in tabulis publicis exarari et proponi jubet.

1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem : et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei : Hæc dicit Dominus : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. 2. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum, 3. et dixit : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno. 4. Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens : 5. Vade, et dic Ezechiaë : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos : 6. et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam. 7. Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est : 8. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. 9. Scriptura Ezechiaë regis Juda, cum ægrotasset, et convalesceret de infirmitate sua. 10. Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsivi residuum annorum meorum. 11. Dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Non aspiciam hominem ultra, et habitorem quietis. 12. Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum. Præcisâ est velut a texente, vita mea : dum adhuc ordiretur, succidit me : de mane usque ad vesperam finies me. 13. Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea : De mane usque ad vesperam finies me : 14. sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Domine, vim patior, responde pro me. 15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 16. Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima : tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. 18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. 19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam. 20. Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. 21. Et jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, et cataplasmaerent super vulnus, et sanaretur. 22. Et dixit Ezechias : Quod erit signum quia ascendam in domum Domini ?

Vers. 4 1. IN DIEBUS ILLIS, — scilicet anno regni Ezechiaë 14, quo Sennacherib ab Jerusalem profectus est contra Tharacam regem Æthiopum. Id ita esse patet ex eo, quod post Ezechias vixerit et regnarit annos 15, uti ei promittitur vers. 5; constat autem ex IV Reg. XVIII, 2, eum regnasse 29 annis : jam deme 15 a 29, restabunt 14. Anno ergo ejus 14, hæc contigerunt ante plenam Hierosolymæ liberationem, et cladem Assyriorum :

hæc enim Ezechiaë promittitur vers. 6. Fallitur ergo Josephus, X *Antiq.* III, qui post cladem hanc ea contigisse scribit. Nam Deus cum signo regressus solis, promittit pariter liberationem ab Assyriis, Ezechiaë, vers. 5; ergo necdum ab iis liberatus erat (1).

(1) Quo tempore ægrotavit Ezechias? ante an post Sennacheribi cladem, non una est interpretum sententia.

ÆGROTAVIT EZECHIAS. — Morbum hunc Ezechiae fuisse immissum, ne insolesceret de tanta victoria contra Sennacherib, non obtenta, sed obtinenda, utpote promissa a Deo cap. præced., docent S. Hieronymus, Cyrillus et Theodoretus; sic enim intumuit Ezechias mox ubi a morbo convaluit, uti patet cap. sequenti, et diserte dicitur II Paralip. xxxii. Auctor *De Mirabil. S. Scripturæ*, apud S. Augustinum, tom. III, lib. II, cap. xxviii, secundam morbi causam addit: Quia forte, inquit, pro promissione ista et prophetia rex non satis gratus Deo exstiterat, nec dignas Deo gratias egerat.

Adde Deum voluisse pium regem purgare, probare et perficere hac afflictione, ut ardentius se Deo conjungeret, eumque invocaret, uti fecit; itaque novis miraculis Deus tam suam quam Isaïæ

Qui cum Cornelio priorem sententiam defendunt, morbum Ezechiae antea accidisse quam Sennacheribus clade accepta domum redierit (inter quos Calmetus, Berthierus, de Saulcy, *Recherches sur la chronologie biblique des empires de Ninive, de Babylone, etc.*, art. 7, tom. XXXIX des *Annales de Philosophie chrétienne*). Nituntur his fere argumentis: *Primo*, vetustam Judæorum traditionem prætendunt in libro Seder-Olam servatam, ubi cap. xxiii sic habetur: *Ante hanc Sennacheribi cladem ægrotavit Ezechias per triduum. Secundo*, ut ratificatur de Saulcy: Juxta Scripturam sacram, « Ezechias regnare cœpit cum viginti quinque esset annorum, et viginti novem annis regnavit in Jerusalem » (IV Reg. xxix, 1), ab anno 727 ad annum 743 ante Christum. In quindecimo vitæ anno, morbo laboravit, id est anno 713, quindecim annis ante mortem ejus. Aliunde ipso decimo quarto anno regni Ezechiae, ei Sennacheribus tributum imposuit, qui quidem annus ante Christum 713 congruit; in uno igitur unius anni intervallo omnia hæc evenere, et Ezechiae morbus necessario ante Sennacheribi cladem contigit. *Tertio*, Propheta, vers. 6 hujus capituli, principi mœsto, ac propter arctas et afflictas res summopere gementi, Dei nomine respondet: « Et de manu regis Assyriorum eruam te, » etc. ex quo manifeste apparet, eo tempore quo Ezechias ægrotavit, Sennacheribo cladem nondum illatam esse. *Quarto*, accedit quod in toto cantico sequenti, de liberatione adeo insigni ab hoste formidolosissimo, ne verbum quidem occurrat, sed ex adverso animum spiret, Dei auxilio intactam ac confisum; vide vers. 20. Porro credibile non est, regem tanto beneficio divinitus affecto, animum laudibus jam prægnantem continere potuisse diutius, quominus vel unum propter subitam adeo imminentis servitutis discussionem adderet encomium. *Quinto*, huc facit Ezechiae ingens illa sollicitudo et perturbatio mentis, cum sentiret se gravissima affectum plaga, urgente Sennacheribo, si moreretur, relicturum fore supremis expositis periculis aulam, urbem, quin totum quoque regnum Judaicum.

His argumentis, quæ priorem sententiam juxta nos satis evidenter probant sequentia reponunt alterius sententiæ defensores, inter quos Rosenmuller. *Primo*, recentiori illi Judæorum traditioni ex libro Seder-Olam obstare dicunt Josephi auctoritatem, qui, *Antiq.* libro X, cap. II, docet morbum Ezechiae non longe post liberationem ab Assyrio incidisse. Ad *secundum* pro priore sententia argumentum quod petitur ex vers. 6, Vitringa ad hunc locum respondet, id referri non ad hunc eventum irruptionis Sennacheribi, sed ad eventus similes in posterum metuendos. Fuisse enim probabile, potentem illum principem reparato exercitu, et confirmato rerum suarum statu, ad urgendum propositum et honorem vindicandum

et Ezechiae gloriam illustraret, uti eum fecisse videbimus in decursu textus.

QUIA MORIERIS TU, ET NON VIVES, — scilicet si naturam et naturales causas spectes, q. d. Morbus tuus lethalis est: non est medicina quæ te curet; nisi Deus miraculo te sanet, morieris ex eo. Ita S. Augustinus, lib. VI *De Genes. ad litteram*, cap. xvii, tom. III: « Secundum, inquit, aliquas causas inferiores jam vitam finierat rex: secundum illas autem quæ sunt in voluntate Dei et præscientia, qui ex æternitate norat quid illo tempore facturus erat, et hoc vere futurum erat, tunc finiturus erat vitam quando vitam finivit. » Est enim duplex vitæ periodus: una a natura, altera a Deo constituta: hæc semper est certa et fixa, nec augeri aut minui potest; illa a Deo breviari vel am-

stabiliendamque auctoritatem, reversurum esse. Contra *tertium* argumentum monent, Ezechiam carmen hoc composuisse non alium in finem, quam ut Deo sospitatori pro recuperata corporis valetudine in præsens grates persolvat, hujusque tantummodo beneficii memoria animum ipsius plenum fuisse. Ad *quartum* observant, sollicitudinem animi regis in eundem, metu hostium liberatum, et hactenus prole carente mascula, æque bene quadrare; quam si in ipso hostium accessu ægrotasse ponas. Cui rationi consentit Josephus loco citato.

Hiscæ accedunt binæ aliæ rationes quibus liquidissime demonstratur, inquit Rosenmuller, ac penitus conficitur, Ezechiam post Sennacheribi domum reditum ægrotasse. Quarum quidem altera petitur, quod legatio regis Babylonis ad Ezechiam regem demandata sit, postquam jam convaluisset. Missi erant illi viri, ut recuperatam valetudinem, nomine regis Babyioniorum, Ezechiae gratularentur (*Jesajaj.* xxix, 1; II Reg. xx, 12), ac de miraculo quod Jova per morbi tempus edidisset, sciscitarentur plenius (II *Chron.* xxxii, 31). Jam cum Babylon illo tempore obnoxia esset Assyrio, quomodo rex ei tributarius ausus fuisset gratulari Ezechiae adversus Assyrios rebelli, dum ipse Assyriæ rex, in Judæa aut confiniis ejus, cum exercitu grassabatur? Sed post cladem Sennacheribi ejusque regressum, idem tuto et libere fieri potuit. Altera accedit ratio ex ordine quo in libris sacris hæc referuntur. Nulla enim ægrotantis regis intjicitur mentio, nisi cum horrenda clades, et insecuta regis Assyrii fuga jam prius enarratæ essent. Attendendum imprimis ad disertissimum II *Chron.* xxxii, 22, 23, locum, unde clarissime liquet, cæteras quoque vicinas gentes de victoria reportata fuisse jam antea gratulatas, quam morbum illum exitialem subierit. Sub **בַּיּוֹם הַהוּא** intelligendus est idem clade Sennacheribi nobilitatis annus. Regnavit enim Ezechias annos undetriginta. Jam Sennacheribus expeditionem in Judæam suscepisse narratur anno decimo quarto regni Ezechiae. Vixit autem Ezechias post morbum quindecim annos. Ergo necesse est, ut illo ipso decimo quarto regni anno morbo ipso correptus sit Ezechias: neque enim aliter viginti novem anni compleri ac definiti possunt.

Porro longe abest ut prior sententia talibus momentis expugnetur. Nam prætermisissis difficultatibus in contrarium allatis, et quæ omnibus satis infirmæ videbuntur, quid absolute impedit Merodach Baladan legationem distulisse post Sennacheribi cladem quæ paulo post accidit? Ad secundam Rosenmuller probationem responderi potest supputatoriæ rationi quam affert perfecte congruere priorem sententiam, si dicatur cum Sanctio paulo post Sennacheribi in Judæa adventum, id est decimo quarto anno regni sui, morbo isto aberasse Ezechiam.

pliari potest, et de facto in Ezechia aliisque ampliata vel breviata est.

Vers. 2.

2. AD PARIETEM. — Quia ad templum ire non poterat, convertit faciem ad parietem templi, juxta quod Salomon palatium extruxerat : vel absolute « ad parietem, » ne lacrymas suas assidentibus ostentare videretur, ait S. Hieronymus. Adde tertiam causam, ut attentius et liberius ad Deum preces funderet. Natura enim ita comparatum est, ut si quis preces nostras ad Deum audiat, ingenuo pudore verecundemur; et pudor hic mentem orantis distrahat, deprimat, ejusque vim et fervorem incidat et hebetet.

Vers. 3.

3. OBSECO, DOMINE, MEMENTO, QUÆSO, QUOMODO AMBULAVERIM CORAM TE IN VERITATE, ET IN CORDE PERFECTO. — Magnam fiduciam orandi et impetrandi dat animus sibi bene conscius : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, » ait S. Joannes, *epistol.* I, cap. III, vers. 21. Similia habent *Tobias*, cap. IV, vers. 12; *Esdra*, lib. II, cap. XV, vers. 19; *Esther*, cap. XIV, vers. 16. Unde S. Hieronymus hic : « Felix, ait, conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur; » et S. Augustinus, *Præfat. in Psalm.* XXXI : « Pro spe, inquit, conscientiam posuit : ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quomodo enim mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe; » et S. Cyprianus, *serm. De opere et eleemosyna* : « Præclara, ait, et divina res salutaris operatio; solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati. »

IN CORDE PERFECTO, — idola destruens, templi valvas aperiens, serpentem æneum comminuens, etc. In hoc enim unius Dei cultu insignis et perfectus fuit; in aliis tamen nonnullis deliquit, quæ luget vers. 15.

ET FLEVIT EZECHIAS, — tum quia juvenis erat 39 annorum : juvenibus autem mors est acerbior; tum quia non habebat filium, quem relinqueret hæredem. Id colligimus ex eo, quod Manasses primogenitus ejus, et in regno successor, regnare cœperit patre mortuo anno ætatis 12. Ezechias autem post hunc morbum adhuc 15 annis regnavit; ergo necdum genuerat Manassen, sed is genitus est anno abhinc tertio : ita enim moriente patre erat 12 annorum. Ita S. Hieronymus, *Josephus*, Abulensis, Cajetanus et alii. Unde Auctor *De Mirab. S. Script.*, lib. II, cap. XXVIII : « Flevit, inquit, rex, non quod de suo, utpote perfectus, merito in conspectu Conditoris sui incertus fuit; sed quia in Christi venturi generatione sui generis prosapiam in throno David lucernam non dereliquit. » Flevit ergo, quia non habebat prolem, ex qua nasceretur Christus, Abrahamæ et Davidi promissus.

Morale,
morbus

Vide hic quam morbus etiam potentes et reges domet ac humiliet. Exstat ænigma Diphili

de tribus fortissimis, ferro, fabro et febre :

domat
omnes.

Primo : « Quod pereant et discendantur quævis. »

Secundo : « Fabro tamen plus inesse roboris. »

Tertio : « Febrim denique et hunc domare. »

Sicut ergo tres juvenes Hebræorum apud Darium disseruerunt, quid esset fortissimum? atque *primus* dixit : « Forte est vinum; » *secundus* : « Fortior est rex; » *tertius*, scilicet Zorobabel : « Fortiores sunt mulieres : super omnia autem vincit veritas, » III *Esdra* III, 10; ita et hic dicamus : Forte est ferrum, durum et indomabile; sed fortior est faber, qui illud cudit et domat : et fortissima est febris, quæ fabrum omnesque homines et reges domat et perimit; ideoque eos, licet superbos, flere et obsecrare cogit.

Antigonus rex postquam a gravi morbo convalescerat : « Hic morbus, inquit, submonuit nos ne animo efferamur, cum simus mortales. » Ita Plutarchus in *Apophthegm.* Ita sæpe levior morbus corporis pellit majorem animi, scilicet fastum et insolentiam. Anaxarchus ridebat Alexandrum, quod seipsum Deum faceret : cum autem in morbum incidisset Alexander, et ei medicus sorbitionem fieri imperaret, ridens Anaxarchus inquit : « At nostro Deo omnis spes in sorbitione patellæ posita est. » Nimirum morbus docuit Alexandrum non esse Deum, sed esse mortalem et morturum. Ita *Ælianus*, lib. VIII.

Ita Blesilla, febricitans, didicit sæculum ejusque pompas fastidire. Audi S. Hieronymum *ad Marcellam*, *epist.* 19 : « Ezechias, ait, vicina morte terretur : et fusus in lacrymas, quindecim annorum spatio protelatur. Ita et nunc, mea Marcella, Blesillam nostram vidimus ardore febrium per triginta ferme dies jugiter æstuisse, ut sciret rejiciendas delicias corporis, quod paulo post vermicibus exarandum sit. Venit et ad hanc Dominus Jesus, tetigitque manum ejus; et ecce surgens ministrat ei. Redolebat aliquid negligentiae, et divitiarum fasciis colligata, in sæculi jacebat sepulcro : sed infremuit Jesus, et conturbatus in spiritu, clamavit dicens : Blesilla, veni foras. Quæ vocata surrexit, et egressa cum Domino vescitur, etc. Vidua nostra ante morosius ornabatur, et die tota, quid sibi deesset, quærebat ad speculum : nunc od orandum festina consurgit, et tinnula voce cæteris Alleluia præripiens, prior incipit laudare Dominum suum. Flectuntur genua supra nudam humum, pulla tunica minus, cum humi jacuerit, sordidatur, » etc.

Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, prudentia et sanctitate illustris, quærenti Sigismundo Cæsari, quæ via recta ad cælum duceret? respondit : « Si tuam vitam ita institueris, uti futurum te promisisti dum calculus, aut podagra, aut alius morbus gravior te oppressit. » Nimirum morbus monet, et pene cogit capessere meliorem vitam. Ita *Æneas Sylvius*, lib. II *Comment. De Gestis*

Alphonsi. Sed in multis verum est illud vulgare :

Daemon languebat, monachus tunc esse volebat :
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

Vers. 5.

5. ECCE EGO ADJICIAM SUPER DIES TUOS QUINDECIM ANNOS. — Hinc liquet Ezechiam cognovisse annos vitæ, et consequenter annum mortis suæ, nimirum quod anno abhinc 16 moreretur. Quam ergo studiose illo anno ad mortem se comparavit! Si nobis hic annus esset fatalis, idque sciremus, quomodo ad eum nos compararemus? Nunc dubium est an sit futurus fatalis: quin pari studio ad eum nos comparamus? quin in re tanta a qua æterna pendet salus nostra, tutiorem in dubio partem eligimus? Sic Pontifex si ad annum 24 pontificatus perveniat, quasi certus est illum annum sibi fore ultimum. Experientia enim 1600 annorum docet verum esse istud quod Pontifici dicitur: « Annos S. Petri non videbis: » S. Petrus enim Romæ sedit 25 annis.

Vers. 8.

8. ECCE EGO REVERTI FACIAM UMBRAM, etc., IN HOROLOGIO ACHAZ, — id est jussu Achaz patris Ezechiae constructo. Hoc est primum horologium sciothericum, sive per umbram horas demonstrans, quod in historiis, vel sacris, vel profanis legimus. Fallitur ergo Plinius, lib. II, cap. LXXVI, dum ait: Umbrarum rationem, et quam vocant Gnomonicen, invenit Anaximenes Milesus, Anaximandri discipulus, primusque horologium quod appellant sciothericum, Lacedæmone ostendit. Nam Achaz diu præcessit Anaximenes: Achaz enim vixit sub primam Olympiadem; Anaximenes autem, uti et reliqui Græciæ sapientes, circa quinquagesimam; ergo ducentis pene annis Achaz præcessit Anaximenes. Quare rationem hanc horologiorum a primis illis patribus (quod et de aliis scientiis affirmat Josephus) originem traxisse crediderim, eamque sensim ad Ægyptios, ab his ad Græcos, a Græcis denique ad Latinos pervenisse. Ita noster Clavius, lib. I *Gnomonices*, pag. 7. Nam Latinos serius horologiis uti cœpisse docet Plinius, lib. VII, cap. LX: « Princeps, ait, Romanis solarium horologium statuisset, ante duodecim annos quam cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini, L. Papius Cursor, cum eadem dedicaret a patre suo votam, a Fabio Vestali proditur. » Fuit hoc sub primum bellum Punicum. Hinc rursum ab Hebræo η or, id est lux et sol lucens, Ægyptii annum et solem vocarunt Horum. Inde Græci quatuor anni primarias partes, ac tandem diem, denique notam diei partem, quam horam vocamus, $\delta\eta\alpha$ vocarunt. Ita ex P. Clavio noster Voellus, lib. I *De Horologio*, cap. I, in scholiis. Indeque Horus Ægyptius, qui scripsit Hieroglyphica, vocatus est Horus Apollo. Horus enim idem est quod Apollo, id est Sol.

Hora et horologii vigo.

Quæstio prima. An sol retrocesserit, an umbra tantum?

Quæritur, primo, an solum umbra retrocesserit in horologio Achaz, an vero etiam sol, et consequenter ejus umbra per totum orbem? Vatablus, Burgensis, Arias Montanus, et quidam alii pu-

tant tantum umbram regressam esse in horologio Achaz. Hoc enim tantum proponit Isaias, et hoc solum ex suo lecto spectare poterat moribundus rex, idque fuse probat Sanchez. Potuit autem facere Deus, ut umbra solis regrederetur, non ipse sol. Nam facile impedire potuit solares radios, ut non spargerent lucem in styllum horologii, nisi ab ea tantum parte, ex qua umbra adversa jaceretur in lineas ab Isaiâ designatas: quo facto necesse erat umbram ad illas jaci, non ad alias, et ita quasi regredi. Verum contrarium, scilicet non tantum umbram, sed et solem ipsum a Deo retroactum et reductum fuisse, communiter docent Patres et Interpretes, ut S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Lyranus, Hugo, Adamus et alii, ac nominatim S. Dionysius *ad Polycarpum*, et P. Clavius loco mox citando.

Hæc sententia probatur primo, ex II *Paralip.* xxxii, 31, ubi dicitur Babylonios venisse ad Ezechiam, ut interrogarent de portento quod acciderat super terram (« Portentum autem hoc non potest esse aliud, quam regressio solis, ut communiter docent Interpretes: nam cædes exercitus Sennacherib posterior, » scilicet secundo abhinc anno, « contigit, ut dixi cap. xx, 2 »); ergo etiam in Babylone visa est regressio umbræ, procedens ex regressione solis: cujus miraculi causam esse in Judæa cum Babylonii rumore percepissent, eo legatos miserunt, qui eam cognoscerent. Secundo, quia idipsum clare ait hic Isaias, dicens vers. 8: « Et reversus est sol decem lineis, » etc. Idem diserte asserit Ecclesiasticus, cap. XLVIII, vers. 26. Tertio, quia talia horologia, in quibus sola umbra retrocedat, naturaliter erigi possunt ubivis locorum « videlicet, si ita erigantur plana, ut altitudinem poli habeant minorem quam graduum 23 $\frac{1}{2}$. Unde ubi ea est altitudo, scilicet inter Æquatorem et alterutrum Tropicorum, Cancris scilicet aut Capricorni, naturaliter id accidit. » Hujus rei demonstrationem habet noster P. Clavius in *Fabrica instrumenti ad horolog.* cap. XXI (ubi et recte refutat Petrum Nonium asserentem, talem ac proinde naturalem fuisse regressum umbræ in hoc horologio Achaz, cum constet fuisse miraculosum). Neque id mirum: nam sicut pro ratione situs, aliæ regiones umbras habent dextras, aliæ sinistras; unde illud Lucani:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

(Ubi Arabum qui auxilio venerunt Pompeio contra Cæsarem, umbras Austrinas in Arctoas, sive nostrates, repente mutatas esse asserit. Nam hosce Arabes, priusquam egressi erant zonam torridam, umbræ sequebantur, post egressum vero præcedebant. Poetæ enim totum hemisphærium ab Æquatore ad Aquilonem vocant dextrum, alterum vero et adversum vocant sinistrum; licet secus, imo prorsus opposito modo hæc nomen Geographi et Astronomi). Ita et in certa loci posi-

tione, certoque solis respectu fieri potest, ut umbra nunc sole progrediente progredi, nunc sole se gyrante regredi videatur. Hoc ergo naturale est. Hic vero non naturale quid, sed stupendum miraculum datum fuit Ezechiae pro signo. Denique ex hac historia Poetae fabulam sumpserant de solis curru retroacto. Unde canit ille :

Aversos solis dum regeremus equos (1).

Quæritur, secundo, an decem hi gradus, quibus

(1) Absit ut in exquirendo saniori hujus miraculi modo, sententiæ vel hæreticorum, vel philosophorum, vel rationalistarum accedamus, qui omnes suam rationem, vel potius suas hypotheses et figmenta expressæ scripturæ auctoritati, opponunt, et juxta quos hic evanescere debent omnia prodigia; prona sunt omnia et naturæ legibus consentanea, et si quid prodigii creditum fuerit, id non ipsi rei, sed vulgaris rudisque populi credulitati deputandum est. Abeant igitur et Spinosæ, qui, *Tract. Theolog. polit.*, cap. II, *parelion* existimat insolitum umbræ motum effecisse; et Velthusius cum Rosenmuller, qui asserunt omnem illam umbræ mutationem pependisse a nube, quæ dum solis radios interceptisset, et singulari plane ratione fregisset, vel umbram vel lucem reddidisset gradibus; viderit et Dœderlein, qui negat solem ipsum loco motum, quia alienum id foret a divina sapientia, quæ vix patitur, confirmandæ unius uni homini datæ promissionis causa, universi orbis ordinem non mutari tantum, sed turbari quoque atque everti. Abeat tandem Von der Hardt, qui in *Biblia Bremensi*, tom. I, pag. 840 et sequentibus, non gradus, scætherici indigitari putat, sed gradus scælæ, ex arce Sionis in templum tendentis et Achaz gradus dictæ, asseritque umbram templi decem tunc implevisse pontis, aut ambulacri regii gradus, sive plures fuerint, sive minus, unde colligere liceat, post meridiem signum illud et prædictum et editum fuisse. Itaque sensus verborum Prophetæ hic esset: sequenti die, redeunte iterum umbra in eundem locum, superstitem adhuc regem futurum. Nam quis non sponte intelligat, has interpretationes sacræ Historiæ narrationi ex fronte adversari, et nullam ex eis cum verbis textus conciliari posse. Sed sunt interpretes non suspectæ fidei et non pauci nominis (quibus ex parte assentiuntur quidam acatholici), qui umbram tantum, non solem recessisse suspicantur. Cum enim illi animadvertissent incommoda sententiæ eorum qui solem ipsum vertisse cursum aiunt, omnem verterunt curam ut Scripturam cum philosophia conciliantes, veritatem historiæ simul cum miraculi fide componerent. Hæc sunt igitur momenta quibus fulcire nituntur. Quam sententiam, et quæ excepimus ex Calmeti dissertatione *De retrogradatione solis in horologio Achaz*, *Script. curs. compl.*, tom. XI. *Primo*, textum Scripturæ diserte satis pluribus in locis exprimere solis umbram recessisse. Porro, si recessus soli tribuendus fuisset, præpostere sane recessisse umbra perhiberetur. Patentur quidem, alibi expressam legi retrogradationem solis; solis nomen pro umbra ejusdem astri in horologio usurpatum est, quemadmodum contingit sæpissime, ut effectus pro causa et signum pro re significata ponatur. Ita in *Jona* IV, 8, dicitur: « Percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat, » ubi sol pro radiis solis ponitur. Ita in *Ecclesiast.* cap. XLVIII, 26, habetur: « In diebus ipsius (Ezechiae) retro rediit sol, et addidit regi vitam: » quo in loco diffinitur nemo solem, sive umbram signum tantummodo fuisse valetudinis Ezechiae. *Secundo*, animadvertunt, prodigium illud uni Ezechiae destinatum non nisi ejus in horologio fuisse spectandum; quare opus non fuit, ut in universo orbis theatro conspicuum præberetur. Erat enim

retrocessit umbra, sint decem horæ? Negant Cajetanus et Abulensis, putatque Cajetanus dimidias tantum fuisse horas. « Ratio est, quia si decem gradus decem essent horæ, non potuisset umbra progredi decem horis, et etiam regredi decem horis, uti proponit Isaias: » alterutro enim facto, scilicet vel in progressu, vel in regressu umbræ ad decem horas, fuisset profunda nox, cum nulla est umbra. Ex adverso, solem decem horis retrocessisse docet S. Dionysius, epist. ad Polycarpum; Auctor *Mirabil. S. Scripturæ*, lib. II, cap. XXVIII; Chaldæus, Beda, Angelomus et Eucherius in *IV Reg.* cap. XX, 7. Ratio est, quia 10 gradus vel lineæ ordinarie in horologiis integras horas significant. Ad rationem Cajetani respondent umbram metonymice pro sole accipi, *q. d.* Vis ut sol progrediatur decem horis, fiatque profunda nox; an ut regrediatur a loco ubi jam est, scilicet prope occasum, ad locum ubi mane fuit ante decem horas? Verum sententia Cajetani conformior est verbis Scripturæ, quibus ait *IV Reg.* XX: « Vis ut umbra revertatur? » non autem ut sol, idque in horologio: hoc autem noctu fieri non poterat. Decem ergo lineæ sunt quinque horæ, quibus per diem tam ascendere quam regredi poterat umbra; et hoc est quod ait Isaias: « Et reversus est sol (scilicet per suam umbram) decem lineis per gradus quos descenderat » (in

divinæ sapientiæ, ut quod paucis perficere poterat, multis non ageret: parcit Deus omnipotentiae suæ, neque a legibus naturæ, nisi quantum necessitas poscit, sibi ducit recedendum. *Tertio*, legati regis Babylonis, II *Paralip.* XXXII, 31, Hierosolymam venerunt, « ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, » nempe in Judæa, quæ terræ nomine consueta phrasi designatur. Porro, si hæc Babylone æque ac Hierosolymæ contigissent, quid opus fuit exquirendæ veritatis causa Hierosolymam adire? *Quarto*, si res universum orbem habuisset spectatorem, vix fieri potuisset, ut nullus de illa scriptor exstaret. *Quinto*, si sol post decursas decem lineas iterum verso cursu easdem repetiisset, ut iterum illas metiretur, dies illa profecto longior fuisset quam quæ sub Josue: illa enim duplo major fuit quam pro more, nempe 24 horarum, hæc vero ad 32 devenisset. Diserte autem Scriptura exprimit nullam diem priore illa productionem unquam fuisse sive antea, sive postea, *Jos.* X, 14. *Sexto*, tandem omnia recurrunt incommoda super fusius diducta, nempe corporum cælestium harmonia turbata violento illo et irregulari motu, etc.

Qua vero ratione retrogradatio ista in horologio contigerit, ita illi describunt. Potuit Deus motum suspendere, solisque radios ita determinare, ut umbra solem versus demitteretur: quemadmodum oriente sole fit in conclave ad occidentem patente, ubi umbra ipsa, quanquam ab orientis solis radiis resultans, orientem spectat; ita prodigii ratio in eo sita erat ut radii solis reflexi in stylum horologii, umbram, secus ac fieri debuisset, demitterent. Porro reflexio illa radiorum ex compacto subita opera corpore oriri potuit, quo scilicet subito radiis opposito, obstructa consueta luci via, aliam lux plane diversam teneret. Si hujus sententiæ momenta omnia non æque ejusdem ponderis sunt, non ea tamen fiet quæ penitus rejici mereantur, et sua pariter auctoritate, uti et scriptorum merito, veri aliquam speciem et similitudinem obtinent.

horologio). Adde, quod hic descensus per decem lineas, fuit datus Ezechiae in signum; ergo ab ipso notari et spectari potuit plene et per omnia: hoc autem solum fieri potuit in sententia Cajetani. Denique Josue x, dicitur, quod imperante Josue stetit sol, « et una dies facta est quasi duo, non fuit antea nec postea tam longa dies. » Hoc autem falsum erit, si hæc dies Ezechiae fuerit 32 horarum: sic enim hæc dies fuisset pene tam longa quam tres dies. Ad rationem S. Dionysii respondeo, in horologio Achaz, uti et in nonnullis nostratibus, horas fuisse notatas per semisses, hoc est dimidiatas.

Quæstio
tertia.
Quot ho-
rarum
fuit hic
dies?

Quæritur, *tertio*, an regressio solis facta sit subito, an successive motu solis ordinario? S. Dionysius loco citato putat solem sensim retrocessisse, impendisseque in recessu hoc decem horas, ac totidem horis rursus eodem progressum esse, ita ut dies hic auctus sit ad viginti horas, fueritque universim 32 horarum. Alii, et forsitan probabilius, putant retrocessisse solem in momento; vel certe celerius solito, verbi gratia quinque horas impendisse in regressione; ut cum decem aliis, quibus rursus juxta ipsos descendit, quindecim fiant horæ, quibus dies hic aliis major fuit; ut tot accesserint diei horæ, quot Ezechiae anni vitæ: « Ratio est, quia, si ordinario motu motus fuisset sol, non apte proponeret Isaias, an velit regredi solem, an progredi decem horis, quasi utrumlibet sic signum miraculosum; quia in progressu solis ordinario nullum est miraculum, sed tantum in momentaneo vel subito. » Fuit ergo dies hic juxta ipsos vel 22, vel 27 horarum. Porro Torriellus, anno mundi 3322, num. 6, censet diem hunc cæteris fuisse majorem decem horis.

Dices: Ezechias in progressu umbræ nullum videtur agnoscere miraculum; ait enim: « Facile est crescere umbram. »

Respondeo: Forte non satis assecutus est mentem Isaiæ. *Secundo*, respondeo « facile, » id est, facilius est umbram crescere, scilicet in momento, quam regredi in momento: quia illud tantum est miraculum quoad modum, hoc quoad modum et quoad rem. Ita Cajetanus, Procopius et alii.

Verius videtur, quod brevissimo tempore Isaias, elevando manum et quasi reducendo, umbram illam reverti fecerit, ut sic oculare et clarum esset miraculum Ezechiae, spectanti hanc subitam reductionem umbræ: *et* enim *reverti faciam* tam ad Isaiam, quam ad Dominum referri potest. Sic ergo dies hæc decem lineis, id est quinque horis, tantum fuit major aliis diebus: quibus adde decem horas illi naturales, fient 15 horæ, quot anni additi sunt Ezechiae. Hoc probabiliter conjectare licet: nihil enim hic est certi.

Quæstio
quarta.
Quando
cepit
regredi
sol?

Quæres, *quarto*, quæ esset hora diei cum cepit hoc miraculum, adeoque quo loco erat sol cum regredi cepit? Respondeo: Videtur fuisse

meridies, cum sol retrogressus est: hactenus enim umbra descenderat, ut patet vers. 8; in posterum autem ascensus restabat, ut patet ibidem. Igitur in puncto medio ascensus et descensus erat umbra, tunc temporis cum Isaias Ezechiae offerret miraculum: atque nullum diei punctum, præterquam meridies, videtur afferre posse hanc umbræ diversitatem, præsertim in horologio decem ut minimum horas denotante, quale fuit illud Achaz in omni sententia; et in loco sub 33 aut circiter gradu elevationis poli, ut est Palæstina (ubi brevissimus dies est paulo minus 10 horarum, longissimus paulo amplius 14); ergo, etc. Quodcumque enim assignaveris aliud punctum diei præter meridiem, a quo incipiat umbra ascendere, vel concludetur, non semper descendisse antea, vel horologium non continere decem horas. Adde, in meridie sola potuisse umbram vel ascendere vel descendere decem gradibus, id est quinque horis.

Ex quibus similiter capitibus, scilicet *primo*, quod fuerit ascensus et descensus umbræ; *secundo*, quod ut minimum horæ decem notarentur: adde *tertio*, quod umbra ascendendo cresceret; colligi videtur hoc horologium fuisse verticale Australe, vel certe hemisphæricum concavum similiter Australe, erectum ad elevationem poli; in quibus solis duobus illa tria commode salvari possunt; et probabilius est fuisse verticale, *primo*, quia hoc conspicuum est magis, et ad communem usum palatii Ezechiae magis aptum; *secundo*, quia rarius est locum patentem et elatum reperiri, qualem postulat hemisphæricum illud, in quo horæ ab ortu ad occasum usque designentur: commodissime autem verticale in quantum muro describitur; *tertio*, quia non est tam proprie ascensus, neque tam proprie augmentum umbræ in concavo quam verticali; *quarto*, quia Procopius gradus domus patris Ezechiae facit illos gradus horologii, quod verticali convenit, non concavo: nulla enim est pars ordinaria domus, apta horologiis concavis describendis.

Hinc nota: Non dicit Isaias: Vis ut ascendat, an ut descendat? sed: « Vis ut ascendat, an ut revertatur umbra? » Nam erat meridies: ergo umbra erat in summo descensu, ut a prandio rursus deberet ascendere ad vesperam usque, sicuti redeundo pariter ad mane debebat ascendere. Unde Ezechias ait: « Facile est umbram crescere » (ascendere ergo est progredi, itaque crescere: opponitur regredi et reverti), quia scilicet naturaliter a meridie ascendendo crescit semper usque ad vesperam, cum est maxima et longissima. Sicut ergo mane umbra est maxima, quæ sensim decrescit, ut in meridie sit minima: ita rursus a meridie sensim crescit in occasum, quando æquæ ut mane est maxima. Exstat de umbra elegans ænigma Theodectis apud Hermippum, lib. *De Isocratis discipulis*: « Est, inquit, res quædam, quæ circa ortum et interitum est

maxima : circa consistentiam vero et vigorem minima. » Nimirum hæc umbra est symbolum brevis et mox evanescentis ævi nostri. Quocirca voluit Deus in umbra corporis humani, quin et nasi ac digitorum, iuge et naturale exstare, horologium, quod hominem semper fluentis vitæ et temporis admoneret. Ut alia taceam, scitum est istud :

Si tuus ad solem statuatur nasus, hiante
Ore, tuis disces dentibus hora quota est.

Quæstio
quinta.
An om-
nes cæli
retroces-
serint?

Quæritur, quinto, an solus sol retrocesserit? Respondet Abulensis et indicat S. Dionysius, omnes orbis cælestes cum sole retrocessisse, sicuti stante sole sub Josue stetit et luna, ut dicitur Josue x, 12; et consequenter steterunt omnes orbis cælestes. Ratio est, quia alioqui perturbatus fuisset totus ordo et harmonia cælestis, et majori miraculo fuisset opus.

Nota hæc tria miracula, scilicet primo, stare solem sub Josue; secundo, solem retrocedere sub Ezechia; tertio, solem eclipsari in plenilunio cum est ex opposito lunæ, uti factum est in passione Christi; hæc tria, inquam, contigerunt in ipsis cælis et astris: stella vero quæ Magos duxit ad præsepe Christi, et ignis de cælo descendens ad preces Eliæ, non in cælo sidereo, sed aereo, sive in aere ipso acciderunt.

Quæstio
sexta.
Cur sol
retroces-
sit?

Quæritur, sexto, cur hoc signo usus sit Deus? Fabulantur Hebræi decem horas detractas esse illi diei quo sepultus est Achaz; ne regi tam impio exsequiæ regiæ de more deferrentur: quare ne temporum series turbata maneret, totidem horas additas esse diei, quo sanatus est pius Ezechias, filius Achaz. Sed hæc sunt solitæ Judæorum nœniæ. Respondeo ergo Deum hoc signo usum esse, ut ostenderet tam Judæis, quam Babylonis aliisque gentibus, se verum esse Deum, Dominum cæli et terræ, eosque hac ratione ad sui fidem et cultum vocaret, uti tres Magos per stellam vocavit ad Christum. Secundo, voluit declarare quanti faciat « electos » suos, cultores « et amicos, » utpote pro quibus universum naturæ cursum invertat. Ita S. Dionysius, qui ait: « Hoc profecto miraculum Babylonios tunc merito terruit, et absque pugna Ezechia (ut qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præstare) subiecit. » Forte tunc emergentes, et cristas attollentes Babylonii cogitabant de subjuganda Judæa, uti non ita diu post fecerunt; sed hoc signo a Deo coerciti sunt. Addit Dionysius hinc Persas triplicis « mitri, » id est solis, memoriam celebrare, videlicet progredientis, regredientis, rursus progredientis; vel potius, quia triplex quasi fuit hic dies, uti ipse autumat.

« Hoc autem signo umbræ et solis. Deus usus est, potius quam alio: quia, ut docent Angelomus et Auctor apud S. Augustinum, lib II *Mirabil. Script.* xxviii, signum hoc erat typus præsentis temporis et futuri; ut quomodo sol revertere-

tur ad exordium sui, ita et Ezechia vita ad de-
textos annos rediret (uti hic innuit rex, vers. 12), nobisque in hebdomade et ogdoade (quindecim enim dividuntur in septem et octo, quorum uterque significat æternitatem, sive sabbatum æternum, et octavam quietis) viventibus, per resurrectionem Christi spatia protelentur. » Hoc ergo signum litteraliter quasi significabat retexendam telam vitæ Ezechia, et vitam nostram non esse veram vitam, sed tantum esse umbram veræ vitæ et æternitatis, inquit Angelomus et Auctor *Mirabil. S. Scripturæ*.

Addit Lyranus in IV *Reg.* cap. xvi, 15, ubi Achaz jussit altare Dei tolli, de eoque ait: « Altare vero æneum erit paratum ad voluntatem meam, » quod Lyranus sic explicat: « Dicunt, inquit, communiter expositores, quod ex hoc altari Achaz fecit horologium illud famosum, de quo cap. xx. » Quod si verum est, merito voluit Deus signum hoc dare Ezechia, filio Achaz, in hoc ejus horologio, utpote facto e re sua, puta ex altari suo; simulque tacite monuit eum, ut rem sacram sacrilege usurpatam a patre restitueret, temploque redderet.

Denique, sicut Deus Ezechia ob pietatem adjecit 15 annos vitæ: ita eosdem impiis regibus dempsit et demit. Ita Anastasius Imperator, ait Zonaras, vidit virum terribilem cum libro, qui ei dicebat: « Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ deleo. » Cumque oraculo didicisset, sibi igne pereundum, cisternam quæ frigida dicitur, multis meatibus in palatio aperuit, ut ea ignem, si ingrueret, restingueret, sed frustra: nam igne cælesti, puta fulmine, est ictus. Ita et Cedrenus.

Moraliter, hoc signum indicabat quanti Deus Morale. æstimet suos, quam potens, quam pius, quam consequenter amandus et colendus sit.

Tropologice, innuebat convertentibus se ad Tropolo-
gice. Deum cum Ezechia per pœnitentiam, pristina merita et perfectionem restitui.

Anagogice, in æternitate reddendos nobis esse Anago-
gice. annos vitæ quindecim, id est æternos: quindecim enim conflantur ex septem et octo: septima dies est sabbatum, octava est Dominica: quarum utraque est symbolum resurrectionis et quietis æternæ. Ita Angelomus et Auctor *Mirabil. S. Scripturæ* jam citati.

Allegorice, representabat Christum descensurum decem lineis, id est summe infra omnes Angelorum et hominum choros in passione; inde rursus ascensurum ad Patrem. Ita Angelomus, Eucherius et Beda, quos audi: « Primus gradus descensionis (Christi) de Deo, in Angelo fuit; quia magni consilii Angelus erat (et Angelus vicem Dei Christi in veteri Testamento gesserat). Secundus fuit, de Angelo in Patriarchis: quia in omnibus, ut ait Apostolus, I *Cor.* xii, ipse est operatus. Tertius fuit in legis datione. Quartus in Jesu Nave, ut populum in terram promissioni Allego-
gice.

induceret. *Quintus* in Judicibus; quia in eis ipse regnabat *Septimus* in Prophetis; quia per eos annuntiatus est. *Octavus* in Pontificibus; quia per eos representatus est summus ipse Pontifex. *Nonus* fuit in homine quem assumpsit. *Decimus* in passione quam sustinuit. Per eosdem gradus rursum ipse in cœlum ascendit. »

9. SCRIPTURA EZECHIE REGIS, — *q. d.* Hoc est carmen eucharisticum, quod pius Ezechias per se, vel potius per Isaiam composuit, in gratiarum actionem Deo pro sanitate restituta, quodque scribi, vel in æs incidi, publiceque proponi jussit, in perpetuum divinæ clementiæ præconium et monumentum. Sic et Gentiles, pictis tabellis appensis in templis deorum, testabantur se beneficia in iis depicta a diis accepisse, ut fuse docet Mercurialis, *De Re Gymnastica*.

Nota: Stylus et nitor carminis videtur arguere Isaiam ejus esse auctorem, qui quod rex plana et soluta oratione dixerat, in elegans carmen convertit. Multi tamen volunt Ezechiam hæc omnia ad verbum composuisse: imo sunt qui putent librum Judicum ab Ezechia esse conscriptum, teste Sixto Senensi, lib. II, verbo *Ezechias*. Hugo insuper putat Parabolas Salomonis, et libros Regum ab illo in unum esse collecta et digesta. Id enim innuitur *Proverb. xxv, 1*. Verum ibi dicitur id factum non ab Ezechia, sed a viris ab eo ad id deputatis (1).

Vers. 10. 10. EGO DIXI, — tum ore, tum corde, *q. d.* Putavi omnino esse actum de vita mea; mihi immatura morte in flore ætatis esse moriendum. In hoc Ezechie canticum scripsit S. Bernardus sermonem, qui exstat, pag. 91, quo totum mystice exponit. Porro hoc canticum rex, *primo*, describit suos in morbo dolores, de vita desperationem, gemitus et pœnitentiam; *secundo*, vers. 17, narrat quomodo a Deo mire sanatus sit; unde ejus clementiam celebrat, et tota vita celebraturum se promittit.

IN DIMIDIO. — Erat enim Ezechias jam triginta novem annorum, quæ ætas est quasi dimidia vitæ humanæ; integra enim est ea quæ notatur *Psal. LXXXIX, 10*: « Dies annorum nostrorum in ipsis,

(1) Carminis hujus eucharistici argumentum binis potissimum membris comprehendere potest.

Primo, queritur Ezechias, *primo*, de præmatura morte sibi imminente, 10; *secundo*, de occasione Dei aspectabilis præsentia et cum viventibus communione fruendi sibi subtrahenda, 11; *tertio*, de posteritatis et cum Messia conjunctionis expectatione præcisa, 12; *quarto*, de spe et metu inter morbi dolores alternante, 13.

Secundo, sequitur *primo*, precatio per gemitus et lacrymas, pro temperanda morbi et periculi vehementia ad Deum profusa, cum recogitatione pœnitenti vitæ antea actæ, 14, 15; *secundo*, humilis professio acceptæ a Deo sanitatis, cum promptitudine animi ad patientiam quæ cum vitæ gratia et remissione peccatorum conjuncta sint, 16, 17; *tertio*, debita gratiarum actio, a mortuis non amplius cum merito præstandæ, 18; a viventibus solis etiam ad posteros propagandæ, 19; a se per omnem posthac vitam reddendæ, 20.

septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta; » *secundo*, verti potest cum Forerio, *in silentio, vel in quiete*; mors enim vocatur « somnus » et *silentium*, et mortui *silentes*. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion, ait S. Hieronymus, pro דמי *demi*, legentes דומי *dumi*, vertunt, *in infirmitate et silentio meo*; alii legentes דמי *dami*, vertunt, *in sanguine meo*; ut sit sensus, ait S. Hieronymus: « In sanguine dierum meorum, quando meus cruor, meusque exspectabitur interitus; » Pagninus vertit, *in excisione dierum meorum*; Clarius, *in succisione*; Tigurina, *in præcisione*; Arias, *in subtractione et curatione*; Marcerus, *in silentio et cessatione*; Brixianus, *in imaginatione*; Agellius, *in stupore meo, q. d.* Dum re improvisa territus, ac stupore defixus, moriendum mihi esse cogitarem. Hebræa vox דמי *dami* nusquam invenitur nisi hic: inde tam variæ ejus interpretationes; sed præ omnibus credendum S. Hieronymo qui vertit, « in dimidio. » Multæ enim voces et significata vocum Hebræarum jam exoleverunt, nosque latent, quæ apud præcisos erant trita et usitata. Conjecit hic noster Augustinus de Quiros, *demi* a Nostro verti « dimidium, » quia significat proprie « quietem; cessationem, silentium: » Ezechias autem erat 39 annorum, quæ est ætas quietis et cessationis, hoc est plena, matura, vicens et florens, ideoque eadem est dimidium vitæ humanæ, quæ 80 annis circumscribitur; atque hac de causa censet Nostrium vertere, « in dimidio. » Sed planius est quod dixi; et forte ab Hebræo *demi* deductum est Latinum *dimidium et medium*, quod proinde in multas alias linguas usu communi transivit: uti et Hebræum *sac*, id est *saccus*; et *keren*, id est *cornu*, et nonnulla similia. Videntur enim Hebræi *demi*, id est *succisum*, vocasse *dimidium*, eo quod dimidium sit dimidiata totius succisio; quodque res multæ, dum dividuntur, in medio succidi soleant. Denique totum, cum succiditur, hoc ipso dimidiatur, et in duas medietates (sive æquales esse sint, sive inæquales) dissecatur. Sic enim vulgo loquimur. Nam radix דמה *dama*, significat succidere, incidere, discidere, indeque dimidiare.

Moraliter, S. Hieronymus docet Sanctos a Deo donari longa vita, ut cum Abraham, Isaac et Jacob moriantur in senectute bona, saturi et pleni dierum: peccatoribus vero vitam incidi in ipso cursu, et quasi dimidiari. Idem docet S. Gregorius, XXXIII *Moralium*, cap. xxiv.

Septuaginta vertunt, *in excelso*; nam pro ד *da-leth* accipientes affine ר *resch*, pro דמי *bidmi*, id est *in medio*, legerunt דמי *beromi*, id est *in excelso*. Eodem redit sensus: nam in dimidia ætate est ἀκμή, id est vigor ætatis; tumque est quasi in summo, in quo statum sumit, permanetque aliquot annos, post quos sensim decrescit et deficit. Ita Leo Castrius. Sed Cyrillus τὸ *in excelso* sic exponit, *q. d.* Evectus ad fastigium regni, gloriæ et felicitatis, ecce cado. Theodoretus vero sic, *q. d.*

Cum intumui et in altum superbe me extuli, tunc a Deo humiliatus sum, et percussus morbo lethali.

VADAM AD PORTAS INFERI, — vadam ad sepulcrum corpore, anima ad inferos; cœlo enim ante Christum clauso, omnes, etiam Sancti, descendebant ad inferos, puta ad limbum Patrum. Idem ergo erat tunc ire ad inferos, quod mori et ire ad sepulcrum.

QUÆSIVI RESIDUUM ANNORUM MEORUM. — Legit Interpres פקדתי *pacadti*, id est « quæsivi, requisivi, » hoc est vidi mihi detrahi et deesse. Est metalepsis; quæ enim desunt aut perdita sunt, solemus requirere. Ita Forerius. Sic vulgo dicimus: Desidero vel requiro in te diligentiam, id est video diligentiam tibi deesse.

Jam legunt passive פקדתי *puckadti*, id est ut Vatablus vertit, *privatus sum residuo annorum meorum*. Unde Septuaginta vertunt, *relinquam annos residuos*. Nam *pakad*, id est recensere, requirere in passiva conjugatione Niphal (eadem est ratio de Pual, quale est *puckadti*) significat detrahi, subtrahi, seu subduci de summa aut loco, ut aliquid desit, ut multis exemplis demonstrat Forerius in *Lexico*. Unde et Pagninus in *Lexico* asserit, quod *pakad* in Niphal significat deficere, deesse.

Vers. 11.

11. NON VIDEBO DOMINUM DEUM IN TERRA VIVENTIUM, — scilicet in hac vita mortali, hoc est non vivam inter viventes, nec videbo Dominum, id est Domini templum, sive Dominum in templo residentem, loquentem, et se per nubem ostendentem, *q. d.* Non amplius agam, non versabor cum Domino in templo, uti soleo. Unde Chaldæus vertit, *non apparebo amplius coram arca Domini, in terra tabernaculi ejus*. Hic sensus est genuinus. Ita Lyranus, Adamus, Forerius et Jansenius, in hoc canticum.

Secundo, Vatablus et Hugo: « Non videbo Deum, » id est Dei opera illustria, quæ in dies facit, et faciet pro suo populo, præsertim victoriam Sennacherib, et stragem Assyriorum, quam promisit capite xxxvii; opera enim Dei sunt ejus quasi vestis et velum, per quod ipse se ostendit et videtur.

Tertio, pressius et pientius Leo Castrius per *Dominum* intelligit Christum; nam Septuaginta pro *Dominum Deum* vertunt *salutare Dei*, quomodo passim ipsi vocant Christum; et hebraice, est *יהוה יא יא*, quod verti potest: *Deum Dei, vel Deum de Deo*, quasi dicat Jam moriturus sum; unde non videbo Christum hominem factum de stirpe et sanguine meo, quem brevi nasciturum, et a me videndum sperabam. Unde S. Hieronymus: Timet, ait, rex quod non nascetur de semine ejus Christus: huc etiam inclinant Theodoretus et Hugo.

Quarto, Haymo (et indicat S. Hieronymus) censet regem ob peccata sua timuisse, quod non videret Deum post mortem in terra viventium, id est in cœlo. Sed hoc parum est probabile; nam *die* vixerat Ezechias, ideoque ait ipse, vers. 3,

quod ambulaverit coram Deo in veritate et in corde perfecto.

NON ASPICIAM, etc., HABITATOREM QUIETIS, — *q. d.* Deinceps gens mea et Jerusalem mea liberata ab Assyriis fruetur quiete: hanc ego non videbo, ecce enim morior.

Secundo, Forerius et Vatablus pro *quietis* vertunt, *sæculi*; alii, *orbis*, quasi *חַדֵּל chadel*, id est *quietis*, per methasin ponatur pro *חַדֵּל chaled*, id est *sæculi*.

Tertio, Leo Castrius, *q. d.* Non videbo Messiam sive Christum, uti sperabam, qui erit habitator quietis, id est erit rex pacificus et gloriosus; erit enim beatus simul et viator, eritque habitator orbis, scilicet terræ, factus homo. Verum hebraice est, *non videbo hominem ultra cum habitatoribus quietis, vel orbis*; quare primus sensus est litteralis. Septuaginta vertunt, *non videbo ultra hominem, defeci* (ita enim legit S. Hieronymus, et Complutensia non *defecit*, uti legit Caraffa) *ex cognatione mea*; S. Cyrillus vero ex Septuaginta ita legit: *Non videbo ulterius hominem ex cognatione mea*. Addunt Septuaginta: *Dereliqui reliquum vitæ meæ*.

12. GENERATIO (id est vita, vel sæculum et ætas) hoc enim est hebraice *דור dor*) MEA ABLATA EST; (generatio enim sæpe vocatur cujusque sæculum, sive vitæ cujusque tempus): ET QUASI CONVOLUTA A ME. — Idem dicit: nam alludit ad tabernacula pastorum vel militum extensa, quæ recedentes convolvere solent, ut ea secum auferant, et a loco uno in alium transferant. Ita S. Cyrillus, Theodoretus, Forerius, Adamus.

Nota: *Ætas* vel tempus vitæ recte comparatur tabernaculo; quia sicut tabernaculum nos ambit quasi locus: sic ætas sive sæculum vitæ spatia ambit et metitur quasi tempus; *secundo*, quia instar tabernaculi parvum est, mobile, incertum et caducum; *tertio*, quia instar tabernaculi volvitur et convolvitur; tota enim vita nostra agitur in continuis revolutionibus et vicissitudinibus, inquit Forerius. *Quarto*, quia in hac vita versamur quasi hospites et peregrini in tabernaculo; tendimus enim ad domum et patriam nostram cœlestem, in qua conscripti sumus cives sanctorum, et domestici Dei, *Ephes. ii*. *Secundo*, « generatio, » id est stirps mea, et posteritatis spes ablata est, prole careo ex qua nascatur Christus, Davidi, et consequenter semini meo, promissus: quare mihi domum, id est familiam stabilem, non ædificabo, sed ea instar tabernaculi, mox convolvetur et auferetur. Ita S. Hieronymus, Lyranus, S. Thomas, Haymo et alii.

Ætas vitæ est tabernaculum, cur?

PRÆCISA EST VELUT A TEXENTE VITA MEA, — *q. d.* Sicut textor telam, et aranea rete suum assidue textit: ita homo textit annos, opera et studia vitæ suæ. At, sicut ancillæ telam araneæ, milites telam textoris incidunt et auferunt, nec sinunt eam perfici: ita et Deus incidet vitam meam, ut eam ad justam ætatem et senium non pertexam. Sic

Poete fingunt *Parcas* stamina vitæ nostræ nere et **abrumpere**. *Secundo*, et magis *genuine*, *q. d.* Sicut *texens*, sive *textor*, veniente milite, vel urgente alia necessitate, præpropere telam inchoatam præcidit: ita et ego quasi *textor*, morbo pressus cogor telam vitæ meæ inchoatam præscindere et abrumpere. Unde hebraice est, *præcidi velut textor vitam meam*. Ita *Vatablus* et *Forerius*.

Moraliter *Theodoretus*: « Sanctus, inquit, stolam texit, per sua recte facta ornatum suæ animæ circumponens: » at *impii* quasi *araneæ* eviscerant se, ut texant sibi vestem vitiorum fœdissimam qua urantur in gehenna.

DUM ADHUC ORDIRER. — Hebraice, *in tenuitate mea*, id est in tenuibus et primis filis succidit telam meam; quod *Noster* vertit: « Dum adhuc ordirer, » scilicet vitam statam, virilem et perfectam; hæc enim est sub annum 39, quem habebat *Ezechias*; vel: « Dum adhuc ordirer, » scilicet opera magna, quæ animo designaveram, ac nominatim generationem, et per eam propagationem stirpis et posteritatis meæ; hanc enim telam texere moliebatur rex; sed in ipso molimine morbo fuit oppressus usque ad mortem.

DE MANE USQUE AD VESPERAM FINIES ME, — id est infra unius diei spatium finies vitam meam, *q. d.* Vita mea brevis fuit, ut videatur tantum una fuisse dies; *secundo*, *S. Hieronymus*, *Adamus* et *Vatablus*, *q. d.* Adeo gravis erat morbus, ut putarem me eo solo die victurum, et vespere moriturum.

Refert *Aristoteles* (ut ait *Cicero* I *Tuscul.*) circa flumen *Hypanim*, qui prope *Thraciam* in mare defluit, quædam oriri animalia, quæ unico duntaxat die vivunt. Scribunt quoque medici herbas esse quæ mane crescunt, vespere vero arescunt, ut uno duntaxat die perdurent. Hic vitæ est humanæ typus, quæ octogesimum licet aut centesimum annum attingat, unius diei est instar, si cum æternitate comparetur: vitæ hujus cursu absoluto, salutem *Beati* exspectant; *impios* vero æternum manet supplicium. Hoc est quod *Ezechias* hic ait: « De mane usque ad vesperam finies me; » et *Psalmes*, *Psalm.* LXXXIX: « Mille anni ante oculos tuos; tanquam dies hesternæ quæ præteriit. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret et arescat. Anni nostri sicut aranea meditantur. » Quid meditantur aranea? ut summo studio assidue e visceribus fila fundat, quæ aliis et aliis intexat, ut telam suam pertexat. Quorsum? ut muscas capiat. Et quid major pars hominum tota vita meditantur? quid molitur? ut se labore, unus suendi, alter fabricandi, alter scribendi, alter docendi exhauriat, ut opus suum compleat. Quorsum? ut muscas capiat. Quid enim aliud sunt honores et opes hujus vitæ? Annon ergo instar araneæ vana est meditatio, vanus labor, vana vita nostra? Et *Psalm.* CI: « Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego sicut fœnum arui, » et *Psalm.* CXLII: « Homo

vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt; » et *Psalm.* CII: « Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo, sicut fœnum dies ejus tanquam flos agri sic effloret; et *Job* cap. XIV: « Quasi flos egreditur, » etc. Hoc est quod ait *Horatius*, lib. IV, *ode* 7: « Pulvis et umbra sumus. »

Theophrastus, successor *Aristotelis*, moriens accusasse naturam dicitur, quod corvis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguum vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur, ac fructus laborum juventutis suæ uberiore caperet. Ita *Cicero*, lib. III *Tuscul.*, *Diogenes Laertius*, lib. V, in ejus Vita, *Divus Hieronymus*, *epist.* 2 *ad Nepotian.*, tom. I, qui hoc *Themistoceli* (nisi librariorum vitium est) adscribit. *Sallustius* vero respondet huic *Philosophi* querelæ in *Bello Jugurthino*: « Falso, inquit, queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla, atque ævi brevis, sorte potius quam virtute regatur; nam contra reputando, neque majus aliud, neque præstabilius invenias; magisque naturæ industriam hominum, quam vim aut tempus deesse. »

13. SPERABAM USQUE AD MANE. — *Primo*, *Vatablus* Vers. 13. exponit, *q. d.* Cum viderem me evasisse illum diem, de quo dixi: « De mane usque ad vesperam finies me; » meque ad vesperam pervenisse, sperabam, vel, ut hebraice est, *שִׁוִּיתִי sciuviti*, id est supputabam et statuebam me victurum usque ad mane. Contextus, inquit *Vatablus*, docet *Ezechiam* hac peste laborasse duos dies, alterum naturalem, alterum artificialem. *Secundo die*, venit ad eum *Isaias* denuntians mortem, mox flevit rex et vitam impetravit, atque eadem die ab *Isaia* sanatus est, ut dicitur *IV Reg.* xx, 5. Sensus ergo est, *q. d.* Cum vespere et nocte essem in bona spe sanitatis recuperandæ, mane desperare cœpi; tunc enim plane dejecit et vicit me morbus, instar leonis omnes vires depascens. Ita *Adamus*, et *genuine*.

Secundo, et ex adverso *Sanchez*, *q. d.* Cum nocte graviter vexarer morbo, non ultra diei sequenti diluculum vitam mihi pollicebar.

QUASI LEO SIC CONTRIVIT OMNIA OSSA MEA. — « Contrivit, » scilicet morbus, et *Deus* per morbum: hoc sentiunt, inquit *Adamus*, qui magnis febribus æstuant; harum enim ignis internus instar leonis omnes corporis vires, succum et ossa consumit, ut putent præ doloris magnitudine et virium debilitate se ulterius non esse victuros. Morbus ergo acriter sæviens comparatur leoni, unguibus hominem conterenti et laceranti: nam quasi leo hominem exossat et consumit. Unde et *Isaias* denuntiavit regi instantem mortem, *vers.* 1, idque ut clarius esset miraculum: nam eadem die sanatus est rex, uti jam dixi.

DE MANE USQUE AD VESPERAM FINIES ME, — q. d.

Cum viderem secundo mane morbum ita recrudescere, et instar leonis sævire, tunc rursus dixi: A mane ad vesperam, id est, hoc spatio quod intercurrit a mane usque ad vesperam, succides me, *q. d.* Hoc die secundo morbi mei ante vesperam finies annos meos. Ita Vatablus. Pro *finies me*, hebraice est תשלמני *taslimeni*; quod verti potest, *in pace constitues me*, id est in morte; hæc enim vocatur *pax*, æque ac quies et silentium, præsertim si sit mors piorum. Unde mortuis apprecamur: « Requiescat in pace. » Ita Sanchez.

Vers. 14. 14. SICUT PULLUS HIRUNDINIS, — *q. d.* Dixi: Tunc gemam sicut pullus hirundinis in nido implumis, frigans et famens gemit; et sicut columba quæ meditatur, id est gemit, ex imo non tantum gutture, sed et pectore. Hac de causa Varro pullos hirundinis garrulos et querulos vocat fritinnientes. Sic enim habet ex Nonio: « Et pullos peperit fritinnientes. »

Mystice, S. Bernardus explicans hoc canticum tres affert sensus: *Primum, q. d.* « Cum gratiæ matutinum arriserit, in modum hirundinis exultans et clamitans, gratias agam pro visitatione: et, cum vespera ingruerit, non deerit sacrificium vespertinum, cum instar columbæ lacrymas fundam in tribulatione: Mœrens mœrebo in vespera, quo lætus fruar matutino. Placet utrumque Deo, et peccator compunctus, et justus devotus; cui e regione displicet tam ingratus justus, quam peccator securus. »

Secundum, q. d. « Sicut pullus hirundinis hac illacque discurrens, Marthæ me officiis mancipabo, hilarem datorem me exhibens omni necessitatem patienti; » et rursus, « meditabor ut columba, » hoc est cum Magdalena contemplationis otia repetam.

Tertium: « Potest, inquit, et per garrulam aviculam, cantus simul psallentium in ecclesia; et per gementem columbam, privata orationum suspiria designari. » Sic et S. Cyrillus et Eusebius hæc ad gratiarum actionem, non ad gemitum referunt. Verum ad litteram patet has querulas esse afflictæ regis voces et gemitus; non exultantis psalmodiam, aut jubilantis vel gratias agentis hymnum. Mirum ergo est quod Cyrillus ait hirundinem et columbam hic esse typum psallentium semperque Deum laudantium.

Nota: Pro *pullus* hebraice est צוס *sus*; quod Leo Castrius, Vatablus, Pagninus et Recentiores vertunt *grus*, quasi gemitum suum comparet rex lugubri voci gruis, hirundinis et columbæ. Verum Septuaginta, Theodoretus, Symmachus, Chaldæus et S. Hieronymus constanter vertunt, *hirundinem*, vel *pullum hirundinis*, tam hic quam *Jerem. cap. viii, vers. 7.* Vide ibi dicta. Est onomatopœia. Vox enim pullorum hirundinis est *sis*, vel ut Marinus et alii legunt, *sis sis*; sicut passeris est *tsaphesaph*; unde hirundo *sis*, passer *tsaphesaph* hebraice vocatur. Unde nonnulli ab hebræo *sis*, derivant nomen *Isis*, et *sistrum*; sistrum

enim strepit instar *sis*, id est *hirundinis*: *sistri* autem pulsu Ægyptii colebant *Isidem*, quia *sistri* inventrix credebatur *Isis*.

ATTENUATI SUNT OCULI MEI, — tum vi morbi, tum potius ex fatigueatione orandi et respiciendi sursum ad Deum; sequitur *anim*: « Suspicientes in excelsum, » *q. d.* Assidue, intente et gemebunde respexi ad Dominum, ut oculi mei fessi morboque debilitati attenuarentur. Ita Adamus.

Secundo, Sanchez, *q. d.* Vide, Domine, quam oculi mei, quos ad te tollo, attenuati sint; movet pathos, ostendendo suam speciem et maciem, præsertim oculorum, qui in moribundis attenuari, et introrsus abscondi solent.

DOMINE, VIM PATIOR, — quia immerito, et sine mea culpa tanta patior, *q. d.* Meis peccatis non merui tantos dolores: insons ergo hæc patior, fitque mihi vis. Ita S. Hieronymus, Haymo et S. Thomas.

Secundo et melius, per *vim* intelligit vehementiam morbi, *q. d.* Vehementer hoc morbo crucior, ut non sim ferendo.

RESPONDE PRO ME, — *q. d.* Cum dolore sim impar et vim patiar, tu suscipe patrocinium meum, et quasi patronus tuere me; hoc malum, hanc morbi vim averte et propulsa.

Secundo, hebræum ערנני *arbeni* verti potest, *fidetjube*, vel *sponde pro me*, et ita legunt Jansenius, Vatablus, Forerius, Montanus et alii, quod S. Thomas, Hugo et Haymo exponunt, quasi Ezechias hic invocet Messiam, sive Christum venturum; ejus enim officium est, ut quasi mediator et sponsor laborantium causam suscipiat.

Tertio, *arbeni* verti potest cum Vatablo et Leone Castrio, *fac me quiescere, jucunda me, esto mihi dulcis*, da mihi tantum gaudium, scilicet vitam, et ex ea prolem ac Christum; hæc enim exposco.

15. QUID DICAM? (Ezechias hic ad se ex vi doloris rediens, corrigit se, *q. d.* Quid causabor contra Deum factorem meum?) AUT QUID RESPONDEBIT MIHI, CUM IPSE FECERIT? — Ita legendum cum Romanis, non *fecerim*, *q. d.* Cum Deus ipse fecerit quod voluit, quando hunc morbum justo suo et secreto consilio mihi immisit, quid queror? quid responsi ab eo exspecto, nisi hoc: « O lutum, in manu figuli, tace, et patere. » Ex Hebræo, alias obscuro, *vau* causaliter sumendo, clare sic vertit et explicat Sanchez: « Quid dicam? quia dicet Deus, quem contra percutientem patronum advoco, quia ipse fecit. » Simili modo corrigit querelam et disputationem cum Deo, *Job cap. xlii, vers. 2 et seq.*

RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE, etc. — *Primo*, S. Hieronymus et Adamus tollunt *tibi*, unde exponunt, *q. d.* Dum moribundus recogito prosperitatem et delicias præteritorum annorum, amarescit et indolet anima mea; videt enim illas esse elapsas, jamque conversas esse in luctum, ideoque moriendum esse, juxta illud *Eccli. xi, 29*: « Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, » *q. d.* Cum tribulationis tem-

pus advenerit, illud superat et exstinguit omnem præteritam felicitatem.

Secundo et genuine, præsertim quia Romana legunt *to tibi, q. d.* Cum tecum lite et jure contendere nequeam, supplex vertor ad pœnitentiam et lacrymas, ut iis a tua misericordia non debitum, sed gratiam impetrem; hæc enim omnia sunt verba et gemitus Ezechie in morbo versantis, et Dei clementiam invocantis: « Recogitabo ergo tibi omnes annos, » id est omnia peccata quæ singulis annis feci, in memoriam revocabo, de iis dolebo, veniamque gemens precabor. S. Bernardus, serm. *De Virginitibus*, urget verbum « recogitabo, » id est « iterum cogitabo, inquit, ne aliquid forte oblitus sim, neque aliquid invindicatum et indiscussum remaneat. » Hinc putavit D. Soto in IV, dist. XVII, *Quæst. II*, art. 3, ad veram contritionem quæ peccatum delet, necessarium esse, ut pœnitens singula peccata in memoriam revocet, et deinde de omnibus conteratur. Verum hoc passim refellunt alii Theologi, docentque sufficere in confuso de omnibus dolere. Vide Suarez, *De Pœnit.*, disput. IV, sect. VI, num. 9. Respondeo ergo Ezechiam recogitasse omnes annos, non ex obligatione, sed ex devotione (et hoc sane decet agere vere pœnitentem), ut Dei gratiam et favorem magis sibi conciliaret, itaque morbum et mortem imminentem ei ab Isaia prædictam evaderet.

Itaque omnes hi anni sunt anni elapsi et anni culpæ: licet Leo Castrius accipiat hæc de annis futuris pœnitentiæ, *q. d.* Per omnes annos futuros, et per totam vitam meam deinceps recogitabo peccata præterita, agamque pœnitentiam; hic enim est spiritus sanctorum pœnitentium, ut peccatum semel admissum per omnem vitam luceant et defleant, uti fecere S. Petrus, Paulus, Magdalena aliique plurimi, idque faciendum esse docet S. Chrysostomus, hom. 3 in dictum S. Pauli: « Utinam sustinuissetis modicum! » Vide et S. Gregorium in I *Reg.* lib. IV, cap. IV, paulo ante illa verba: « Cum te salutaverint, dabunt tibi tres tortas panis. » Hinc ergo patet contra Lutherum, pœnitentiam non esse resipiscentiam, sed dolorem et detestationem peccatorum: « Nemo enim potest novam vitam inchoare, nisi eum superioris vitæ pœniteat, » ait S. Augustinus, lib. *De Pœnitentia*.

Moraliter, nota viros probos et justos, qualis erat Ezechias, qui, vers. 1, ait se perfecte ambulasse coram Deo, subinde labi et peccare. Rursum hunc suum lapsum sæpe non agnoscere, præsertim si ejus consuetudinem sibi inducant, donec morbo aliave afflictione moneantur, ut ad cor redeant, Deumque orent et invocent. In oratione enim maxime illustratur animus, ut videat offensas, etiam minimas, contra tantam Majestatem quam invocat, admissas. Hoc est quod ait S. Augustinus: « Væ etiam laudabili vitæ hominum, si semota misericordia dijudices eam! » Unde S. Augustinus moriens assidue legebat psalmos

pœnitentiales, dicebatque « neminem, quantumvis recte vixisset, debere hac vita excedere sine pœnitentia. » Idem fecit S. Fulgentius.

16. DOMINE, SI SIC VIVITUR. — *To si non est in Hebræo*, nec apud S. Hieronymum si correcte edatur, uti recte observavit Jansenius. Romana tamen legunt *si sic*, sensusque eodem redit. Varii varie et obscure hæc vertunt. Clarius et gravius, *primo*, Septuaginta sic vertunt: *Domine, de ipsa enuntiatum est tibi, et suscitasti spiritum meum, et consolatus vixi.*

Secundo, Chaldæus: *Domine, de omnibus mortuis dixisti, quod vivificares eos, et ante omnes vivificasti spiritum meum; sanabis enim me, et sustentabis me*, quasi hæc sint verba Ezechie jam sanati, vel postquam sanitatis nuntium ab Isaia acceperat.

Tertio, Forerius et Vatablus: *Domine, ultra istos vivunt, et ad omnia intra ipsos vita spiritus mei: somnare me facies, et vivificabis me, q. d.* Qui post hos annos vixerint, et tibi fisi fuerint, teque invocarint, sentient idem beneficium quod ego, ac talis erit eorum vita, sana scilicet et vegeta, qualem ego nunc sanus et alacer ago.

Quarto, planius, et ad Vulgatam accommodatius vertit Sanchez: *Domine, super hæc et illa mala quæ commemoravi, tamen vita spiritus mei vivet et viget: dormire facies me, et vivificabis me, q. d.* In tot causis tamque efficacibus moriendi, vita vivam, id est erit mihi vita vitalis et optabilis. Huic versioni sic adaptat versionem Vulgatam, *q. d.* *Domine, si sic vivitur, vita nimirum usque adeo vitalis, post tot discrimina, angores et molestias, supple, quid non sperandum est de tua clementia?*

Quinto, planissime ex Hebræo sic vertas: *Domine, super (in) istis vivitur, et in omnibus istis vita spiritus mei: gravi somno gravabis me, et vivificabis me; quod Noster clare vertit: « Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me, » quasi dicas: Si talis atque tam misera est vitæ humanæ conditio, « corripies, » id est permitto me tibi, imo oro et precor, ut corripias et castiges me ob peccata mea, ac quasi gravi somno opprimas, dummodo vivifies me, id est in vita me conserves. Ita S. Hieronymus et Adamus. Hæc enim adhuc pertinent ad tempus doloris, et morbi amplificationem, illamque terminant.*

In Hebræo utitur Propheta genere *primo* masculino, deinde feminino, dicens *primo*, *בהן bahen*, in illis; *secundo*, *בהם bahem*, id est in illabus, ut ita dicam, *q. d.* In omnibus illis miseriis et ærumnis vitæ hujus vivitur. Hebræi enim cum omnia significare volunt in aliquo genere, jungunt genus femininum cum masculino. Vide *Can. LXI*.

CORRIPIES ME, ET VIVIFICABIS ME. — Pro *corripies me* hebraice est *תחלימני tachalimni*, id est somnare me facies, id est corripies me hoc morbo obiter quasi per somnium, facies ut ægritudo

et correptio hæc veluti somnium transeat et evanescat, et mox sanitati restituar. Ita Forerius. Hebræum enim חלום *chalam* significat incrassare, condensare quod liquidum est et rarum : unde חלמות *chalamut* vocatur coagulum ovi, sive vitellus, sicut ריר *rir* vocatur pars fluida ovi, scilicet albugo : et חלום *chalam* vocatur somnium crassum instar vitelli. Ita Forsterus. Alludit ergo ad somnum gravem et molestum, qui Latinis Incubus, Græcis Ephialtes dicitur (et forte eo, aut simili soporifero morbo laborabat Ezechias, uti solent lethargici et moribundi ex copia vel crassitie humorum), qui oritur ex sanguine crasso, et humore melancholico opplente organa cerebri, et phantasmata tristia et gravia in phantasia excitante ; ita ut somnians putet se suffocari, strangulari, opprimi, esse in periculo ruinæ, submersionis, similisve mortis, a qua sibi videtur non posse effugere ; unde gemit, singultit, imo exclamat : sed experrectus videt fuisse somnium ; unde vivit, et gaudet depulso hoc somnii metu et angore, *q. d.* Pari modo ego Ezechias in morbo putabam esse desperatum de vita mea : at morbus hic mox transiit, et ab eo quasi ab incubo evigilavi, et mihi restitutus sum : sanatus ergo, jam rursus alacer vivo et gaudeo omni metu mortis et morbi depulso. Ita Sanchez.

Qui *secundo*, *tachalimèni*, ait, quidam vertunt, *dormire me facies*, id est ad mortem deduces me : mors enim, præsertim brevis a qua mox quis resurgit, vocatur somnus, *q. d.* Deduxisti me, Domine, ad limina mortis ; sed ab ea me mox reduxisti et vivificasti.

Dices : Sic dicendum fuisset, *corripuisti me*, scilicet morbo et mortis periculo, non autem « corripies me. »

Respondeo : Hebræi sæpe commutant tempora, et futurum sumunt pro præterito, præsertim cum ei præponitur *vau* conversivum. Hoc enim ideo inventum est, ut vertat præteritum in futurum : hoc autem *vau* conversivum hic est, si illud alio puncto legas, nimirum *vattachalimèni* pro *vetachalimèni*.

Tertio, Vatablus et Forerius quoque vertunt, *dormire me facies et sanabis* ; non enim nocte somnum capiebat rex. Deus ergo restituit ei somnum et per somnum vires et vitam : hæc est enim vis somni. Unde discipuli ad Jesum de Lazaro mortuo, quem Jesus dicebat dormire, dicebant : « Domine, si dormit, salvus erit, » *Joan. xi, 12.*

Quarto, forte Noster pro *chet* legit affine *he*, scilicet pro *tachalimèni*, legit *tahalimèni*, id est percuties, tundes, quassabis me, id est corripies me : hoc sane videtur expeditissimum ad nostram Latinam versionem cum textu Hebræo conciliandam.

17. ECCE IN PACE AMARITUDO MEA AMARISSIMA, — *q. d.* In media pace, in flore ætatis et regni mei, quo homines sani, incolumes et vegeti esse solent, patior amarissima, scilicet agones mortis, et morior. Ita S. Hieronymus et Vatablus.

Secundo, Sanchez, *q. d.* Ista afflictio quam passus sum, jam in pace est : versa est enim mihi in gaudium, quia sanatus sum. Refert enim ipse hæc ad tempus quo rex fuit curatus a morbo, idque satis est verisimile : nam vers. præced., finita fuit querela regis in morbo ; hoc vero, vers. 17, incipit ejus gaudium ex reddita sanitate. Unde hebraice est לשלום *leschalom*, id est *ad pacem*, scilicet versa est hæc amaritudo : Noster tamen vertit, « in pace, » quia sæpe *lamed* sumitur pro *bet*, id est *in*.

TU AUTEM (flexus mea pœnitentia, oratione et lacrymis) ERUISTI ANIMAM MEAM (a morte præsentis et futura : nam, ut sequitur), PROJECISTI POST TERGUM TUUM (id est condonasti, amovisti a vultu tuo, oblitus es) OMNIA PECCATA MEA. — Est catachresis : quæ enim obliviscimur et oblitteramus, abjicimus post tergum. Rex hic illuminatus a Deo in oratione, et recogitans annos præteritos, videtur agnoscere se commisisse aliquando peccata graviora, ob quæ reus fuerit mortis ; cum ante orationem et examen hoc conscientie quasi securus dixerit, vers. 3, se ambulasse coram Deo in veritate, et in corde perfecto. Vide dicta vers. 15. Sed omnia hæc peccata abstersit ejus contritio et oratio, uti hic dicit.

18. QUIA NON INFERNUS CONFITEBITUR TIBI, — *q. d.* Ideo restituisti mihi vitam et vires, ut laudem et celebrem tuam clementiam in eos qui tibi serviunt, teque invocant in hac vita ; nam qui in inferno et morte versantur, te laudare, id est, celebrare apud homines tuum nomen nequeunt, præsertim in templo, de quo ait rex, vers. 20 : « Psalmos nostros cantabimus in domo Domini. » Vide dicta *Baruch ii, 17.*

Moraliter nota : Vita hæc a piis optabilis est ob duo, *primo*, ut laudent Deum, uti ait hic Ezechias ; *secundo*, ut lugeant peccata sua : qua de causa vitam sibi produci optavit Job, cap. x, vers. 20. *Primum* oritur ex Dei, *secundum* ex sui cognitione. Ita Sanchez.

NON EXPECTABUNT QUI DESCENDUNT IN LACUM (in sepulcrum et infernum) VERITATEM TUAM, — id est felicitatem tuam, scilicet qua *primo*, præstitisti inchoatè Hierosolymæ incolumitatem ab Assyriis, et mihi sanitatem ab Isaia nomine tuo promissam ; *secundo*, « veritatem, » scilicet quæ pertinet ad Messiam promissum, quem ex semine meo et Davidis progenerandum exspectamus, ut eum nascentem videamus ; et docentem audiamus : quæ de causa me in vita servasti : hoc enim soli viventes possunt præstare, non autem mortui. Unde ait :

19. VIVENS IPSE CONFITEBITUR TIBI, — v. g. Pater dum vivit filiis narrabit Dei beneficia, ut Deum celebret, eosque ad Dei laudem invitet : hoc autem facere nequit mortuus.

20. SALVUM ME FAC, — in sanitate accepta conserva me : jam enim a morbo sanatus erat. *Secundo*, « salvum me fac » perfecte ab Assyriis, cædendo eorum castra, uti promisisti.

21. ET JUSSIT. — Est hysterologia : hæc enim contigerunt ante canticum Ezechiae : hoc enim cecinit postquam hoc cataplasmate sanatus fuit, ut patet vers. 9, quare « jussit, » id est jusserat.

CATAPLASMARENT, — id est cataplasma, sive emplastrum ex ficibus conficerent, quod vulnere imponerent, quo rex sanaretur, uti de facto sanatus est. Hebraice est, *contundant super ulcus*, id est contusum imponant super ulcum : vulnus ergo hoc regis fuit ulcus, uti vertunt Aquila, Symmachus et Theodotion, et noster Interpres, IV Reg. cap. xx, 7. Hebræum enim *שֶׁחִין* *sechin* significat ulcus.

Nota : Ficus per se ulceri potius obsunt quam prosunt; licet enim Galenus, lib. II *De Arte curativa*, cap. VII, ad eos tumores, qui neque facile ad suppurationem perveniunt, neque facile discuti possunt, jubeat uti cataplasmate ex caricis sive ficibus, tamen alia est ratio in ulceribus : hæc enim extersionem et desiccationem postulant, non autem discussionem, emolliationem aut suppurationem : hæc enim tumorum sunt rationes, non ulcerum. Per accidens tamen, si ulceri accedant tumor et inflammatio (uti in morbo Ezechiae fieri potuit), ad eam vel resolvendam vel suppurationem valent ficus. Aliqui censent hoc ulcus non formatum, et proprie dictum ulcus fuisse; sed apostema, quo tumens corpus interius putrescente pure completur : quod si verum est, potuit pus sive sanies siccioribus ficibus atque contusis in cutis superficiem provocari, ibique excerni : et sic naturaliter ficus profuerunt morbo regis.

Verum noster Interpres censuit formatum et apertum fuisse ulcus; unde vertit, *vulnus*, quare ficibus non erat opus ad provocandam in cutem saniem. Quidquid sit, certum est ficus non habuisse tantas vires, ut hominem moribundum vitæ et sanitati restituerent, idque tam cito, scilicet ut tertio die adiret templum, ut dicitur IV Regum xx, 5. Quare potius hæc curatio miraculo tribuenda est, quam ficibus. Ita Valesius, *Sacræ Philôs.* cap. xxxix, Vatablus, Adamus et alii. Sic Christus lutum imponens oculis cæci, eum illuminavit. Sic Sancti olim in eremo, oleo a se benedicto quoslibet morbos curabant. Sic et hic ficus non tam ex se et sua virtute, quam quia a S. Isaia adhibebantur, quasi ab ipso benedictæ, et quasi instrumentum Dei, cujus jussu eas applicabat Isaïas, subito sanarunt regem. Adde S. Hieronymum hic : « Aquila, inquit, Symmachus et Theodotion *sechin* interpretati sunt *έλκος*, per quod morbum regium intelligi volunt, cui contraria putantur vel sumpta in cibo; vel apposita corpori, quæcumque sunt dulcia, » uti sunt ficus. Verum *έλκος* ulcus significat, vomitum et tuber, non morbum regium.

22. ET DIXIT. — Id est, dixerat Ezechias Isaïæ promittenti curationem, vers. 5; eo ergo hæc pertinent : est enim hysterologia; ut dixi; et patet IV Reg. xx, 8 et 9. Hic ergo versus ponendus est ante

vers. 7, ubi Isaïas respondet, et dat signum quod rex hic petit.

Moraliter, discite hoc capite ab Isaïa, quam pium et utile sit visitare infirmos, eosque visitari a sanctis, quamque sincere infirmos de morte et æternitate admonere debeamus, ut ad eam se comparent : sic enim Ezechiam regem hic libere monuit Isaïas; dicens : « Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives : » ideoque et sanitatem et 15 annos vitæ impetravit; quin et reipsa per cataplasma ficuum eum sanavit, vers. 21.

Ita Gallicanus Martyr, vir consularis, triumphalibus infulis sublimatus, et Constantino Augusto charus, a S. Joanne et Paulo ad Christi fidem conversus; cum S. Hilarino ad ostia Tiberina secedens, hospitalitati et infirmorum servitio totum se dedit : cujus rei fama in universo orbe divulgata, multi undique illuc venientes videbant virum ex Patricio et consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicitè ministrantem, et cætera pietatis officia exhibentem : hisque actibus meruit martyrium, ad illudque se disposuit. Martyrio enim a Juliano Apostata affectus est. Ita Baronius in *Martyr.* 25 junii, ex Usuardo et Adone.

Quidam Apollonius nomine, cum mundo renuntiasset, et montem Nitriæ habitasset, et nec artem discere posset, nec litteras, quod ætate esset proventus, viginti annis, quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem : suis pecuniis et suis laboribus emens Alexandria vasa medica omnis generis, universæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos : et licebat eum videre usque ad horam nonam discurrentem obeundo monasteria, et ostia ingredientem, et videntem num quis decumberet. Portabat autem uvam passam, mala punica, ova, panem siligineum, et ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem invenit vitæ rationem usque ad senium Christi servus. Ita Palladius in *Hist. Lausiaca*, cap. IV, et Nicephorus, lib. XI, cap. xxxv.

Placilla, Theodosii Imperatoris uxor, miram ægrorum et mutilatorum curam gerebat, eisque mira charitate inserviebat. In illorum enim domicilia ventitabat, et qua quisque indigeret re, eam illi suppeditabat; Ecclesiarum hospitales domos circumiens, eos qui gravibus morbis lecto affixi erant, curabat. Non enim tantum illorum attingebat ollas, et jacula delibabat; sed et patellas admovebat, panem apponebat, ciborum frusta auferebat, pocula eluebat, aliaque omnia sedulo et alacriter obibat, quæ servorum et ancillarum sunt officia. Ad eos vero qui ministerium ejus, quod per manus ipsa suas peragebat, inhibere conabantur, dicere solita erat : « Imperio quidem convenit, ut aurum id largiatur; ego vero manuum mearum opus pro imperio ipso, ei qui id semel contulit, offero. » Ita Nicephorus, lib. XII, cap. XLII, et Joannes Nauclerus, tom. II *Generat.* cap. XIII.

Morale,
de visitandis ægrotis.

S. Radegundis regina Franciæ hanc sibi fixerat legem, ut omni Dominico die pauperibus collectis ipsa manu sua potum porrigeret. Cum leprosi venientes signo facto se proderent, osculabatur vultus. Deinde mensa posita, ferens aquam calidam facies lavabat, manus ungens et ulcera, et rursus administrabat ipsa, pascens per singulos. Recedentibus præbebat auri vel vestimenti munuscula. Cum ministra diceret: Domina, quis te osculabitur, quæ ita leprosos amplecteris? illa respondit benevole: « Vere si me non osculeris, hinc mihi cura nulla est, » inquit Fortunatus in *Vita* ejus, lib. I, cap. xxxix.

Quanta cura et benevolentia Eustochium serviebat S. Paulæ matri ægrotanti, enarrat S. Hieronymus in *Epitaphio Paulæ*. Similia de S. Maria Oig-

niacensi refert Cardinalis Jacobus de Vitriaco, lib. II *Vitæ* ejus, cap. III, de S. Catharina Senensi Raimundus in ejus *Vita*.

S. Bernardini præ aliis Sanctis eluxit hac in re ardor: nam cum anno Domini 1400, qui erat Jubilæus, Senis ingens lues grassaretur, cum fœtore horribili et morte plurimorum, ipse duodecim adolescentibus ignita oratione persuasit, ut iis se duce totos impenderent, quod et præstiterunt ipso præeunte officiosissime. Digna sunt lectu quæ hac de re in ejus *Vita* habentur, cap. X, XI, XII, die 20 maii, apud Surium.

Similis fuit erga ægrotos charitas S. P. N. Ignatii, ut patet ex ejus *Vita* apud Maffei, lib. II, cap. III, Xaverii, et aliorum plurium, uti patet ex *Annalibus* nostræ Societatis.

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Merodach rex Babylonis mittit legatos, qui congratulentur Ezechie de sanitate miraculo recuperata: eis Ezechias ostendit omnes suas opes. Unde, vers. 3, ab Isaiâ corripitur, auditque omnes ejus opes rapiendas esse a Babyloniis, et filios ejus fore regis eunuchos. Hoc durum Dei decretum, vers. 8, æquanimiter accipit rex, oratque ut saltem in diebus suis fiat pax et veritas.

1. In tempore illo misit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset et convaluisset. 2. Lætatus est autem super eis Ezechias, et ostendit eis cellam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. 3. Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, et dixit ei: Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 4. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis. 5. Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. 6. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. 7. Et de filiis tuis, qui exhibunt de te, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 8. Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini quod locutus est. Et dixit: Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

1. MISIT MERODACH BALADAN. — Id est misit rex Baladan. « Merodach » enim commune nomen fuit regum Babylonis, sicut Ptolemæus Ægypti, Cæsar Romanorum. Hinc filius Nabuchodonosor vocatus est Evilmerodach, et Balsasar vocatur « Merodach, » *Jerem.* L, 2, forte a primo Babylonis rege, qui dictus est Merodach, et inter deos relatus. Sicut ergo dicitur Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæus Evergetes, Ptolemæus Philopator: sic dicitur Merodach Baladan, Merodach Balsasar, etc.

Falluntur ergo Hebræi, qui putant « Merodach » esse Nabuchodonosorem, qui monarchiam ab Assyriis ad Chaldæos transtulit: nam ab anno 15 Ezechie, quo contigit ejus morbus et sanatio, usque ad annum 4 Joakim, quo regnare cœpit Nabuchodonosor, fluxerunt anni 106. Probabiliter Scalliger, lib. V *De Emend. temp.*, et ex eo Torriellus, anno mundi 3306, censent hunc Baladan esse Nabonassar, a quo æra Babyloniorum fuit constituta, indeque prisca Astronomica observa-

ffiones ad sua usque tempora, accepisse se scribit Ptolemæus, lib. III *Almag.* cap. VIII, qui floruit tempore Adriani Imperatoris, ac consequenter Merodach filium Baladan, esse eum quem Ptolemæus vocat Mardokempad, Nabonassari filium. Nabonassar enim, ut deducitur ex Ptolemæo, cœpit regnare circa annum 6 Ezechiae, eodem scilicet tempore quo Baladan, in Babylone. De hoc plura *Ezech.* I, 1 (1).

LIBROS (epistolas : ita Chaldæus et Septuaginta; hoc enim est hebræum **ספר** *sepher*). AUDIERAT ENIM QUOD ÆGROTASSET ET CONVALUISSET, — et propter ægrotudinem ejus retrocessisset sol. Misit ergo legatos tum amicitiae causa, ut Ezechiae sanitatem gratularetur, tum ut de portento hoc, scilicet solis retrocessione, veritatem, modum et causam inquireret et cognosceret, uti dicitur II *Paralip.* XXXII, 31. Perierunt libri Astrologorum Babylo-niorum; alioqui ex iis illud constaret. Non enim est dubium illud ipsos in suis tabulis conscrip-sisse. Ita Cajetanus in IV *Reg.* cap. XX.

Nota hic, quam reges olim, etiam Ethnici, amicitiam et salutationis aliaque humanitatis officia cum aliis maxime vicinis principibus, etiam Judæis coluerint, ut de eorum felicitate legatos gratulatum, de eorum infelicitate comploratum ad eos mitterent. Abraham, Isaac et Jacob cum Achimelech aliisque regibus Chananæorum amicitiam firmarunt. Sic Davidi et Salomoni confœderati et congratulati sunt Hiram rex Tyri, Thou rex Emath, et alii : ipse quoque David misit legatos ad consolandum Hanon regem Ammon de morte patris, II *Reg.* X. Sic Jonathas et Simon Machabæi cum Romanis et Spartanis arcta societatis fœdera inierunt.

2. NON FUIT VERBUM (non fuit res ; Septuaginta, non fuit aliquid) IN OMNI POTESTATE SUA, — in

(1) Vide quæ Cornelius edisserit de Berodach Baladan, in vers. 12, cap. XX lib. IV *Reg.*, et quæ de eodem dicit De Saulcy, in opere : *Chronologie biblique des empires de Ninive, de Babylone, etc.*, loco supra citato.

omni regno suo ; Chaldæus, in omni dominatione sua.

6. ECCE DIES VENIENT, ET AUFERENTUR OMNIA. — Ex hac pœna videtur, quod Ezechias hic peccarit aliqua vanitate et superbia; scilicet ostentatione divitiarum suarum, ad quam eum impulit tam honorifica legatio Babyloniorum : inde enim sibi placuit et intumuit (licet forte hæc ejus superbia tantum fuerit venialis). Ita S. Hieronymus, Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XXI; Ambrosius in *Psal.* CXVIII, ad illa : « Humiliatus sum nimis ; » Cajetanus et alii.

Nota justam pœnam : qui opes suas ostentat meretur iis spoliari. Unde tropologice Eucherius et Beda, in IV *Reg.* XX : « Ezechias, inquit, vane ostentans thesauros suos significat servum Dei, dum virtutes suas vanæ gloriæ prodiderit, mox eas perdere, et in dæmonum dominio thesauros bonorum operum infelici permutatione transire.»

8. BONUM VERBUM DOMINI. — Id est, placuit mihi sententia Domini punientis meam vanitatem, accepto eam, illi me submitto. Sic Semei audiens a Salomone : « Quacumque die transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum ; » acceptans sententiam respondit : « Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus, » III *Reg.* II, vers. 38 et 43.

Perperam ergo Hebræi reprehendunt Ezechiam quasi minus sollicitum de posteris quam de se. Coactus enim acceptavit divinæ vindictæ sententiam, cumque eam in totum declinare non posset, petiit ejus mitigationem quæ sperari poterat, ut scilicet in diebus ejus non mandaretur executioni.

FIAT TANTUM PAX ET VERITAS IN DIEBUS MEIS. — Ut scilicet Deus me in vita et regno pacificum conservet; utque profliget hostem meum Sennacherib, uti promisit; hæc enim est veritas, id est fidelitas Dei, quam postulat. Alii per *veritatem* intelligunt Christum, Davidi et mihi promissum, antequam moriar.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hinc incipit secunda principalis pars, sive sectio oraculorum Isaiaë læta et fausta. Prior enim a cap. I, hucusque complectens quinque oracula, tristia omnia, excepto secundo, fuit objurgatoria et comminatoria. Protenditur hæc secunda pars ab hoc cap. usque ad finem libri, in qua Isaïas non tam Propheta est, quam Evangelista.

Jam primo, Judæi hæc accipiunt de consolatione et lætitia Judæorum ex lætata captivitate Babylonica per Cyrum. Verum multa hic augustiora dicuntur, quam ut Judæis et Cyro conveniant. Secundo S. Thomas, Hugo, Sanchez et Jansenius ac Maldonatus in Matth. III, vers. 3, multique recentiores hæc ad litteram historice accipiunt de Judæis per Cyrum liberatis, allegorice de soluta captivitate generis humani per Christum. Tertio, et optime Forerius, Adamus et alii ad litteram hæc accipiunt de Christo, ejusque redemptione: tamen cum allusione ad redemptionem et liberationem Judæorum e Babylone. Illa enim hujus, perinde ut Cyrus Christi, fuit typus. Vide can. IV et V.

Christus est Noe, id est consolator, tripliciter. Primo. Secundo. Tertio. Christus igitur hic est consolator ab Isaia prævisus et promissus; unde ejus typus (uti docent omnes Patres) fuit Noe, reparator generis humani diluvis pene absumpti, ideoque vocatus est Noe, id est, consolator, Gen. v, 29. Christus enim nos consolatus est primo, per se suasque exhortationes et gratias dum viveret, et quia suo labore et morte attulit nobis redemptionem, hoc est, justitiam et salutem æternam. Secundo, de cælis in dies consolatur nos, allegans Patri merita sua, novasque gratias impetrans et submittens. Tertio, abiens e mundo alium Paraclætum, sive consolatorem nobis assignavit, scilicet Spiritum Sanctum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius.

Hoc ergo capite, primo, hanc Christi consolationem promittit, ejusque præcursorem Joannem Baptistam, qui erit vox clamantis in deserto, et a Deo clamare jubebitur: Parate viam Domini, cogitando scilicet quod omnis caro scænum, verbum autem Domini maneat in æternum; ut nimirum agnoscant homines et suam infirmitatem, et Dei erga se indulgentiam ac potentiam, itaque ad eam recipiendam se parent. Verum quia hæc promissa gravia et grandia sunt, hinc secundo, vers. 12, digreditur ad describendam Dei potentiam, magnitudinem et sapientiam: quæ uti omnia creavit, et gubernat, ita et omnia quæ promittit præstare potest. Unde tertio, vers. 18, invehitur in eos qui pro Deo colunt idola muta et inanima. Denique, vers. 27, Judæorum in afflictione de Dei ope et providentia diffidentiam incusat, docetque eos qui sperant in Domino, mutare fortitudinem, ac omnia superare et transvolare quasi aquilas (1).

1. Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. 2. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. 3. Vox clamantis in deserto: Pa-

(1) His quæ præmittit Cornelius de objecto istius posterioris vaticiniorum Isaiaë partis addere sufficiat:

Primo, authenticitas viginti septem capitum quæ sequuntur, vivide oppugnatur ab interpretibus Rationalistis, inter quos eminent Koppius, Dæderleinus, Paulus, Eichorn, Baner, Rosenmuller, Bertholdtius, de Wethe, Gesenius et Hitzig. Præcipuum argumentum quod afferunt, id est: eam libri partem quæ inde a cap. XL decurrit, manifeste arguere scriptorem, qui postquam urbs Hierosolymitana a Chaldæis conflagrata, et respublica Judaica ab iisdem hostibus subversa esset, in Judæa vitam egit. Neque enim, inquit, gravissimas istas calamitates ut futuras prænuntiat, sed præsentis luget, et id quidem non ut Propheta, cui futura ob mentis oculos tanquam præsentia obversantur, verum tanquam is qui in terra vastata degit, et inter medias dirutarum urbium ruinas versatur. Porro plura in hac libri parte sunt, quæ manifeste produnt scriptorem qui ad finem vergentis exilii

Babylonici tempore floruit. Nam appropinquare non tam sperat, quam certo persuasum habet Babylonici regni interitum, atque exsulum Judæorum in Babylonicis terris per multos annos retentorum in patriam tellurem reditum, et totus in eo versatur, ut tam principem eum, qui Judæis domum revertendi potestatem fecit, cujusque auspiciis restauranda erat respublica Judaica, summis laudibus extollat, quam novæ reipublicæ felicissimam conditionem lætissimis imaginibus depingat. Quis vero non videt talia vaticinia, quæ instantem Babylonis interitum describunt, aut libertatem et novam rempublicam exsulibus augurantur, vix ullo emolumento vel consilio potuisse innotescere Judæis illis, qui, rebus adhuc pacatis et quietis, patrias sedes, securi transportationis incolerent? His atque similibus argumentis satis responsum fuit in annotatione ex Jahn excerpta, *De integritate vaticiniorum Isaiaë*, supra pag. 97 et seq. Qui plura voluerit, videat opera quæ in annotatione ad Isaiaë Com-

rate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. 4. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. 5. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. 6. Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo ? Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. 7. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus : 8. exsiccatum est fœnum, et cecidit flos : Verbum autem Domini nostri manet in æternum. 9. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester : 10. ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. 11. Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. 12. Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit ? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera ? 13. Quis adjuvit spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi ? 14. Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientiam, et viam prudentiæ ostendit illi ? 15. Ecce Gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt : ecce insulæ quasi pulvis exiguus. 16. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. 17. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. 18. Cui ergo similem fecistis Deum ? aut quam imaginem ponetis ei ? 19. Numquid sculptile conflavit faber ? aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius ? 20. Forte lignum et imputribile elegit : artifex sapiens quærit quomodo statuatur simulacrum, quod non moveatur. 21. Numquid non scitis ? numquid non audistis ? numquid non annuntiatum est vobis ab initiis ? numquid non intellexistis fundamenta terræ ? 22. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ : qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. 23. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit : 24. et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicans in terra truncus eorum : repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos. 25. Et cui assimilastis me, et adæquastis, dicit Sanctus ? 26. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc : qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat : præ multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit. 27. Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transivit ? 28. Numquid nescis, aut non audisti ? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ : non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus. 29. Qui dat lasso virtutem : et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. 30. Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent. 31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

1. CONSOLAMINI, CONSOLAMINI, POPULE MEUS. — Judæi et Haymo, Hugo ac Glossa, hæc referunt ad finem præcedentis cap., puta ad verba Ezechie :

mentarii argumentum indigitavimus, et præsertim Hengstenberg, *Christologie des Alten Testaments*.

Secundo, ista posterior Isaianæ prophetiæ dividi potest in tres sectiones sive classes, *prima* classis pertinens ad Christum et Cyrum ejusdem typum, a cap. xl ad cap. xlviii ; *secunda* pertinens ad Christi Evangelium et passionem, a cap. xlix ad cap. liv ; *tertia* pertinens ad Ecclesiæ christianæ constitutionem, a cap. lv ad finem.

Hoc caput, quod ut sequens libenter inscriberemus *De Præparatione Evangelii* :

« Fiat tantum pax et veritas in diebus meis, »
q. d. Ezechias, o Judæi ! videtur sibi suisque diebus tantum consuluisse, petendo sibi pacem ; vos

Primo, exorditur a promissione hujus præparationis, *primo*, per apostrophem Prophetæ populum Dei excitantis ad solatium capiendum, 1, et instruentis de adventante remissione peccatorum et de concessione gratiarum, 2 ;

Secundo, quasi respondet Propheta his qui quærent unde sciret consolationem hanc et remissionem peccatorum mox obventuram, se audire vocem præconis regis Joannis Baptistæ, *primo*, præscribens quid ab homine faciendum instante regis cœlestis adventu, et præparationis modum, 3, 4 ; *secundo*, indicantis rationem quare debeant viæ

autem et posteros vestros neglexisse : propterea Deus ipse suscipiet curam vestri, promittitque dicens : « Ego consolabor vos. » Verum ex vers. 5 et seq. patet hæc ad Joannis Baptistæ et Christi tempora pertinere ; alludit tamen ad captivitatem Babylonicam, uti dixi. Sensus igitur est, *q. d.* Prædixi cap. præced., vers. 6, vos captivos in Babylonem ituros ; hinc merito turbamini et mœretis : sed consolamini, nam post 70 annos inde vos eripiam, et in pristinum, imo meliorem, statum restituam. Hoc obiter vobis promitto, et quasi perstringo ; sed sub hac consolatione levi, quasi typo, aliam longe majorem intelligo, vobisque promitto, scilicet eam quam afferet Christus, cum vos morti, et gehennæ ac diabolo addictos in libertatem revocabit, Deoque et cælo restituet.

Nota : *Tò consolamini* passive capitur, pro *consolationem accipite* : sequitur enim « popule meus. » Septuaginta tamen active capiunt ; unde vertunt in accusativo, *consolamini populum meum*. Et ita legunt Græci, S. Cyrillus, Procopius, Chrysostomus, itaque vertunt e Latinis Pagninus et Vatablus. *Secundo*, populum suum vocat cœtum fidelium, puta Christianos tam Judæos quam Gentiles in Christum credentes.

Vers. 2. 2. LOQUIMINI (scilicet vos, o sacerdotes ! ut habent Septuaginta, et vos, o Apostoli) AD COR JERUSALEM, — *q. d.* Annuntiate ei blanda, recreent, omnemque ab eo mœstitiam abigant. « Idioma, ait S. Hieronymus, Scripturæ est, ut qui mœrenti loquitur, et blandiens consolatur, dicatur ei loqui ad cor. » Sic Sichem Dinæ a se corruptæ, ideoque tristi, « locutus est ad cor, » ut habetur in Hebræo

Loqui
ad cor
est blandi.

præparari, nempe quod instet manifestatio gloriæ Dei, 5 ;

Tertio, demonstrat promissionis datæ veritatem a Dei potentia et stabilitate quæ ut eo magis eluceat, cum eo comparat promissorum humanorum et gloriæ hominis levitatem et fragilitatem, 6-8 ;

Quarto, strenue prosequitur ex Dei jussu prædicationem, exponendo Christi venturi operationes, 9 ; quem comparat, *primo*, imperatori, cui victori e bello reduci, præferuntur præmia inter probatæ fidei milites ab ipso dividenda, 10 ; et *secundo*, ne quis putaret armis et bello Christum imperium in terra obtenturum, sedulo pastori tenero amore in populum suum affecto, 11.

Secundo, ut ista promissio confirmetur, omnemque Christi œconomiam circa hominum redemptionem perfacilem fuisse, omnemque a Deo prævisam et provisam fuisse demonstratur :

Primo, ex Dei magnitudine, quæspectata in se, complectitur potentiam, sapientiam et providentiam, nemini assequendam, 12-14 ; comparata cum creaturis, eminet infinite superior, 15-17 ; collata cum idolis nec fingi potest, 18-20.

Secundo, ex Dei operibus quæ sunt, creatio mundi, 21, 22, perditio regum et principum qui potentiæ Dei solent adversari, 23-25, ordinatio cœlorum, 26, ex quibus potentiæ signis concludit non esse cur existiment, humana hæc temere ac fortuito, evenire, aut non curare Deum quid justum et remuneratione sit dignum ; quid secus, et debito supplicio puniendum veniat, cum e contra habeat, sicut semper habuit, populi sui rerumque omnium curam et providentiam, 27, 28, et sit omnis virtutis et virium largitor, 29, 30.

Gen. cap. xxxiv. Sic *Osee cap. ii*, dicitur : « Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. »

Denique audi S. Bernardum, serm. 5 *in Natali Domini* : « Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester, dicit hoc Emmanuel nobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Clamant lacrymæ, clamant panni, eisdem ipsius cruenta jam vulnera ablui et detergi. Siquidem nullo horum eguit Christus, nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. » Apposite S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. xv, docet Episcopus hæc verba Isaïæ usurpare debere apud peccatores, ut eos ad pœnitentiam revocent, dando spem veniæ.

ET ADVOCATE EAM. — Septuaginta, *καὶ παρεκάλεισθε αὐτὸν*, et *consolamini eam*. Sic Spiritus Sanctus vocatur *παράκλητος*, id est advocatus, sive consolator ; significatur ergo ingens futura consolatio : quater enim repetit *tò consolamini* : ait enim : « Consolamini, consolamini, loquimini ad cor Jerusalem, consolamini eam. »

Hebraice est *קרו אליה קיר eleha*, id est *clamate ad eam*, vel *vocate eam*, ut scilicet annuntietis ei miram hanc consolationem, itaque eam recreetis et consolemini. Eodem enim redit sensus. Itaque « *advocate eam* » per metalepsin, idem est quod *consolamini eam*, ut vertunt Septuaginta : ad hoc enim advocatur, ut consolationem accipiat.

QUONIAM COMPLETA EST MALITIA EJUS. — Ita Romana. Pro *malitia* hebraice est *מלחמה tsaba*, id est militia : sed idem est sensus. Malitia enim hic non nequitiam, sed laborem, afflictionem et ærumnas militares significat. Unde Septuaginta pro *malitia* vertunt *humilitas*. Sic dicitur *Matth. cap. vi*, vers. 34 : « Sufficit diei malitia, » id est afflictio, « sua. » Sic Apostolus ait : « Redimentes tempus, quoniam dies mali, » id est miseri, « sunt. » *Malitia* ergo hic significat tribulationem et pœnas peccatorum, quas Ecclesia passa est, non tam a Gentilibus Imperatoribus primis trecentis annis, ut volunt aliqui (hæc enim post Christum ei contigerunt, non ob peccata, sed ad acuendam ejus virtutem et gloriam : hic autem Propheta loquitur de consolatione allata per Christum ; est enim hæc prima ejus consolatio), sed quas passa est ante Christum, cum adhuc Gentilis serviret infidelitati, peccato ac diabolo ; vel Judaica serviret Romanis, Græcis aliisque Ethnicis, qui duras ab ea peccatorum pœnas exigebant, direque eam exagitabant. Hæc ergo ejus malitia fuit ejus militia, hoc est laborum stadium, et tempus ejus militiæ et servituti et afflictionibus a Deo præfixum (sic enim olim militare debebant Judæi usque ad annum 50), *q. d.* Jam expletum est stadium tui laboris et ærumnæ, ac tempus pœnitentiæ, quo in sufferendis adversitatibus, et di-

Malitia
est mili
tia.

vinis castigationibus servivisti, te exercuisti, et quodammodo militasti: nam, ut sequitur, « Dimissa est iniquitas illius. » Christus etiam, sicuti ejus iniquitati, sic et militiæ ac malitiæ, sive captivitati finem imposuit; sicut enim Poeta ait de amore:

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.

Sic et de stadio hoc laboris et doloris dicas:

Militat omnis agou, et habent sua castra laborque,
Et crux, et dolor, et gaudens patientia duris.

Sic et militat omnis pœnitens: estque pœnitentia dura militia. Sic et S. Job ait cap. vii, 1: « Militia est vita hominis super terram. » Et hanc militiam explicans, vers. 3, ait: « Noctes laboriosas enumeravi mihi, » et cap. xiv, ait: « Homo natus de muliere, repletur multis miseriis, » etc.

Dices: Post Christum adhuc Judæi, etiam conversi ad Christum, servierunt Romanis, imo Christus ipse eis tributum persolvit; quomodo ergo servituti eorum finem imposuit? Respondeo: Proprie et primario Christus nos liberavit a captivitate peccati, mortis, diaboli et inferni. Hæc enim spiritalis est, maxima et æterna, præ qua temporalis servitus parva est, et quasi nulla. Secundario tamen a temporali quoque nos liberavit. *Primo*, quia ipse nascens quasi princeps pacis, pacem secum invexit in mundum, fecitque ut Augustus Cæsar non hostiliter et tyrannice, uti fecerant Salmanasar, Nabuchodonosor, et alii Judæorum vastatores, sed politice et pacifice, quasi legitimus princeps æquo jure, imo humaniter regeret Judæos, uti et alias gentes sibi subditas. Vide dicta *Isaiæ* II, 4. *Secundo*, quia Christus a Judæis ad se conversis depulit peccatum, ac consequenter et servitutem quatenus erat pœna peccati: fecit ergo, ut servitus fidelibus servis non esset culpæ pœna; sed conditio sortis et naturæ, imo ut esset eis exercitium patientiæ et virtutis, ac materia et causa libertatis et gloriæ cœlestis. *Tertio*, quia sua gratia facit, ut servitus Christianis non sit coacta et aspera, uti erat Judæis, sed libera et suavis: facit enim, ut eam amore Dei æquo et libenti animo ferant. « Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas, » II *Corinth.* III, 17. Hoc est quod ait Christus Judæis: « Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis, » *Joan.* cap. viii, 36. *Quarto*, quia Christus Constantinum Magnum et cæteros deinceps Imperatores suæ fidei subjiciens, fecit eos dominari Christianis, non ut tyrannos, nec ut Cæsares, sed ut patres. *Quinto*, quia in resurrectione omnem servitutem in Sanctis abolebit, et libertate, imo regno cœlesti eos donabit, ut reges sint æterni, orbisque domini.

Secundo, aliqui per *malitiam* accipiunt durissimas et laboriosissimas cæremonias, purificationes, circumcisiones, sacrificia, etc., quibus Synagoga ante Christum in templo Judaico Deo serviebat, et quasi militabat: sic enim Levitarum

officia, et servitus in tabernaculo, *Numer.* iv, sæpe vocatur *tsaba*, id est militia, *q. d.* Abolevit Deus molestam illam veteris tabernaculi militiam, fecitque ut nova, eaque facilis Christiana militia in Ecclesia ei succederet, de qua scribit Apostolus, I *Timoth.* I, 18, eumque monet ut in ea militet bonam militiam. Unde S. Justinus *Contra Tryphon.*, et Tertullianus, lib. I *Advers. Marcion.*, paulo post initium, et ex eis Leo Castrus, atque Forerius sic exponunt: *Completa est militia*, id est lex Mosis, et Synagoga Judæorum non est amplius Ecclesia militans; sed ea jam est lex et Ecclesia Christi, quæ non tam militia, quam pax et quies est, et vacando a molesta illa Judæorum militia, facile et suaviter, jam adjuta a Christo, sanctisque Angelis, militat Deo et cælo. Hæc expositio appositae est. Priori tamen magis favet id quod additur: « Dimissa est iniquitas illius. »

SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA. — « Duplicia, » id est multiplicia et grandia, sive multa et magna. Ita Chaldæus, Origenes in *Jerem.* hom. 12, et alii: sic enim *duplex* per catachresin sæpe capitur pro multo et gravi, uti dixi *Jerem.* xvii, 18.

Jam *primo*, sensus est, *q. d.* Duplices, id est multas et graves, pœnas pro peccatis luisti: sat ergo pœnarum dedisti; quare completa est malitia et afflictio tua. Ita Procopius, Theodoretus, Cyrillus. Qui et addunt pœnas vocari duplices, non quod Deus ultra condignum, et in duplum peccata puniat: hoc enim a justitia et clementia ejus alienum est: sed quod præ amore Ecclesiæ, videatur sibi duplo graviores, quam mereatur, ei pœnas irrogasse, perinde ac pater, qui castigavit filium charissimum pro peccato magno pœna levissima, videns ejus dolores et vibices, dolens, eumque demulcens ait: Heu! fili, nimis te castigavi, ira mea subita tibi nimis acres plagas infixit. Rursum Forerius hæc Ecclesiæ putat dici propter Christum, qui est ejus caput, ejusque scelera in se luenda suscepit; cujus proinde satisfactio nostra est, *q. d.* Satis, imo nimis, ob scelera tua punivi filium meum. Christus enim sua morte et cruce ita divinæ justitiæ satisfecit, ut licet multo majora peccassent homines, tamen Christi satisfactione non tantum omnes culpæ extinguendæ sint, omniaque peccata remittenda, sed et insuper Christus sibi eisque amplissima præmia petere possit, suæ, utpote Filii Dei, obedientiæ et patientiæ extremæ debita. Per Christum ergo plus satisfecimus Deo, quam debebamus. Denique S. Hieronymus et Hugo, « duplicia, » inquit, susceperunt Judæi, quia *primo*, a Babiloniis, *secundo*, a Romanis sunt eversi. Verum obstat præter alia, quod excidium per Romanos diu post Christum peractum sit.

Secundo, « duplicia » hæc non de pœnis, sed de gratiis accipi possunt, *q. d.* Deus ita dimisit Ecclesiæ iniquitates, itaque eam jam per Christum consolatur, ut « duplicia, » id est multiplicia, bona, charismata, gratias et consolationes ex im-

Militat
omnis
amans et
pœni-
teræ.

Duplici
qua?

mensa Dei misericordia susceperit pro suis peccatis, et pœnis peccatorum, quas merebatur. Ita Adamus. Uberrima enim hic Ecclesiæ per Christum datur consolatio. Prior sensus simplicior est; posterior hic sublimior est et divinior. Hæc enim est vindicta digna et propria Deo, ut bona reddat pro malis, eaque duplicia; ejus enim bonitas largissima tanta est, ut certet cum malitia hominum, eamque obruat.

Moraliter, divina est consolatio, etiam hostes.

Moraliter, discite hic quam divinum sit afflictos, etiam hostes et inimicos, consolari. Ita Joseph patriarcha consolatus est fratres suos mœstos pro illo gravi peccato, quo ipsum occidere voluerant, *Genes. L, 19*. Elcana pater Samuelis mœstam, quod æmula ejus impropere ipsi sterilitatem, *I Reg. I, Tobias senior consolatur uxorem tristem ob longiorem filii sui absentis moram, Tob. x, 6*. Christus Dominus consolatur Martham et Mariam Magdalenam tristes ob Lazari fratris sui mortem, *Joan. xi, 23*. S. Antonius Didymum cæcum consolatus est dicens: « Non est, Didyme, quod te ipsum mœrore conficias, propterea quod oculis careas, quos mures, lacertæ et vilia animalcula habent. Voluptate potius et lætitia te efferri convenit, qui itidem ut Angeli internis viges oculis, quibus clare immortalem et divinam cogitationem percipis, veritatemque ipsam exacte perspicias. » Ita Nicephorus, lib. IX, cap. XVII.

S. Gregorius, lib. II, *epist. 44*, consolatus est Juditham regno Hungariæ pulsam: « Cæterum, inquit, ea quæ tibi nunc instat adversitas, non te terreat, nec mentem tuæ generositatis deprimat: sed si quid mœstum aut grave ingruerit, vultu regalis constantiæ gestuque dissimula, et molestas (quas Deus avertat) causas, naturali morum tuorum virtute patienter tolera, fiduciam et spem firmam habens in Deo salvatore nostro, quoniam ipsi cura est de te, qui nunquam derelinquit sperantes in se: et quanto nunc animum tuum sollicitudinibus verberari sinit acerbius, tanto eum ex vicina et potenti virtute consolationis suæ lætificat uberius. Age ergo, ut omnibus quæ regnum fert et imperium, tanto te excellentiorem ostendas, quanto ea omnia mutari cognoscis. Deus autem omnipotens, qui est mœstorum consolatio, infirmantium fortitudo, præsentem vobis lætitiâ cito conferat, et veram æternamque gloriam supernæ felicitatis tribuat. »

S. Bernardus, *epist. 110*, Gaufridi parentes mœstos ob filii in Claravalle ingressum ita consolatur: « Quotquot sumus in Claravalle, vel de Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes suscipimus. At fortassis metuitis corpori ejus vitæ asperitatem, quod nimirum tenerum nostis esse ac delicatum. Cæterum de hujusmodi timore dicitur: Ibi trepidaverunt timore ubi non erat timor. Confidite, consolamini; ego ero illi in patrem, et ipse mihi erit in filium, quousque de manibus meis excipiat eum Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. Nolite ergo lugere,

nolite flere, quia Gaufridus vester festinat ad gaudium, non ad luctum. Ego ero illi pater, ego et mater, ego frater et soror. Ego faciam ei prava in directa, et aspera in vias planas. Ego ei omnia sic temperabo et dispensabo, ut et spiritus proficiat, et corpus non deficiat. Denique serviet Domino in lætitia et exultatione, et cantabit in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. »

3. VOX CLAMANTIS, — supple, erit, vel audietur in deserto. Jam S. Thomas, Hugo, Toletus et Jansenius pergunt hæc ad litteram referre ad reditum e captivitate Babylonica, *q. d.* Videor mihi Cyri præconem audire: Liberos vos, o Hebræi! facit Cyrus: alacres in patriam redite: vosque, o gentes! per quas transituri sunt, complanate eis vias, et colles vallesque implete, id est facilem et commodum eis transitum præbete. Est catachresis. Similis in hac eadem materia est *Baruch v, 7*. Alii vero referunt hoc ad solutam captivitatem generis humani e potestate diaboli per Christum, cujus illa fuit typus.

Verum dico hæc de Joanne Baptista præcursore Christi, eique viam præparante in deserto intelligenda esse; fateor tamen alludi ad reditum e Babylone. Id ita esse docet ipse S. Joannes, qui rogatus: « Tu quis es? » respondit: « Ego vox clamantis in deserto, etc., sicut dixit Isaias Propheta. » Ei enim proprie convenit illa concio: « Parate viam Domini, » etc. Denique ita de S. Joanne narrant et explicant hunc locum omnes Evangelistæ totaque Ecclesia, ut patet *Matth. III, 5*; *Marc. I, 3*; *Luc. III, 4*; *Joan. I, 23*. Ita Forerius, Adamus et alii. Idque magis patebit ex cap. seq., ubi clare agit de Christo et vocatione Gentium. Hinc S. Joannes a Tertulliano, lib. IV *Contra Marcion. cap. xi*, vocatur « vociferator in solitudine, et præparator viarum Dominicarum, per denuntiationem et laudationem pœnitentiæ. »

Nota primo: Hæc « vox clamantis » sive vocantis pertinet ad mandatum illud vers. 1: « Consolamini, et advocate eam. » Hic enim est ejus executio, aut potius indicium, *q. d.* Si quæras: Unde scis, o Isaiâ! consolationem hanc Ecclesiæ et nobis obventuram, Deum nobis reconciliatum remissurum peccata, ac redditurum duplicia! Respondeo, inquit, id scio ex eo quia video et audio vocem Joannis Baptistæ advocantis eam, et clamantis ut se paret ad hanc consolationem, remissionem et gratiam, quam ei affert adventans Christus, qui reconciliaturus est mundum Deo, Deumque sua obedientia et morte placaturus.

Nota secundo: Joannes fuit vox clamantis, scilicet Dei, et Verbi divini: Deus enim clamabat per os et vocem Joannis, sicut rex clamat per suum præconem. Ita S. Ambrosius, Theophylactus et alii, in *Lucæ III*. Potest ex Hebræo quoque verti, *vox clamans*: utrumque enim fuit Joannes.

Nota tertio: S. Joannes fuit vox, primo, quia sicut per vocem verbum in mente latens aliis manifestamus: sic Pater æternus per Joannem

Vers. 1

S. Joannes Baptista fuit vox cla-

mantis Verbum suum, scilicet Filium latentem in carne, **obnovem** mundo patefecit. Ita S. Augustinus, serm. 20 *De* **causas.** *Sanctis. Secundo*, sicut vox loquentis antevertit **Prima.** conceptum et intellectum audientis : sic Joannes **Secunda.** prædicatione sua præcessit Christi notitiam et fidem in mentibus Judæorum, eamque eis ingeneravit. Ita S. Gregorius, hom. 20 *in Evang. Tertio*, vox præcedit quidem verbum et conceptum audientis, sequitur tamen verbum quod præcessit in mente loquentis : per vocem enim suum Verbum et conceptum loquens revelat audienti : sic Joannes præcessit Verbum et notitiam Dei in mentibus auditorum ; hoc tamen Dei Verbum præcessit Joannem, quia fuit ab æterno. Ita S. Ambrosius in *Lucæ* cap. III, 4, ubi et addit : « Quia, ait, Joannes vox erat, idcirco in ejus nativitate pater mutus vocem recuperavit. » **Quarta.** Quartum, aliam analogiam affert Epiphanius, *hæres.* 69, qui per vocem hic imperfectam et inarticulatam accipit, qualem præcones in turba edere solent, dicendo v. g. *sus, sus*, cum silentium indicunt ; quia princeps locuturus est : sic enim Joannes præco fuit attentionem populo indicens, ut Christi doctrinam exciperet, cujus collatione prædicatio Joannis imperfecta et quasi inarticulata fuit. **Quinto**, dicitur Joannes vox, quia ex se nihil dicebat : sed tantum ea quæ audierat a Deo. **Sexto**, sicut vox præcedit verbum, voce enim formatur verbum : ita Joannes Christum : « Præibis, inquit Zacharias, ante faciem Domini parare vias ejus. » **Septimo**, dicitur vox, quia ejus officium erat non scribere sua oracula, uti fecit Isaias aliique Prophetæ, qui proinde fuerunt et vox et calamus scribæ velociter scribentis ; sed viva voce concionari, et Christum ostendere. **Octavo**, quia quidquid erat in Joanne, vox erat, totus pœnitentiam et sanctitatem prædicabat. Oculi, manus, vestis, cibus, quidquid denique in eo erat clamabat : « Pœnitentiam agite, parate viam Domini : appropinquavit enim regnum cœlorum. » Sic vulgo dicimus : « Philomela est tota vox, » quia non aliud facit quam canere. Unde a Syris vocatur *Spharcolo*, id est avis vocis, hoc est avis vocalis, ipsaque quasi vox. Talis vox sit concionator, et erit « mal-leus conterens petras. » Denique Joannes fuit vox non exilis et mussitans, sed clamans, quia mira audacia, constantia, toto spiritu, et vocis contentione, publice prædicavit, et contra principum et populi vitia vociferatus est. Erant enim tunc mores hominum corruptissimi, qui magna voce terrefaciendi et percellendi erant.

Rursum, clamore hoc suo significabat Evangelii prædicationem longe audiendam, lateque dilatandam, juxta illud *Psalms.* XVIII : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. » Pulchre S. Basilius in *Psalms.* XXVIII, attributa quæ Psaltes voci magnæ, id est tonitruo, dat dicens : « Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini conculentis desertum Cades,

vox Domini præparantis cervos, » etc., mystice explicat de voce S. Joannis efficacissima. Denique S. Ambrosius, *serm.* 9 : « Etiam hodie, ait, clamat Joannes exemplo et verbo, et vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concludit peccatorum. »

Quarto, Joannes fuit vox triplex : scilicet vox, **S. Joannes elo-** **primo**, Christum venturum prænuntians ; **secundo**, Christum natum demonstrans ; **tertio**, ad pœnitentiam incitans, itaque ad Christum præparans. Hinc in Scriptura Joannes tria habet epitheta, scilicet : « Vox, Angelus, Lucerna, » sive : « Prædicans, Propheta, plusquam Propheta. » Fuit enim Joannes vox prædicans pœnitentiam, fuit Angelus et propheta prædicans et annuntians instantem Christi gratiam. Fuit lucerna, et plusquam Propheta Christum præsentem demonstrans. Vide Franciscum Toletum in cap. III *Lucæ*, notat. 16.

Denique audi D. Petrum Chrysologum, *serm.* 127 : « Joannes, ait, virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Joannes major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco judicis, præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis. »

Porro Joannes adeo totus fuit vox, ut antequam nasceretur, locutus sit in utero, non loquela, sed saltu linguæ et totius corporis, quo adoravit et prædicavit Christum præsentem in utero B. Virginis, recens incarnatum, eundemque annuntiavit matri, quæ proinde repleta Spiritu Sancto agnovit eundem, ideoque B. Virginem vocavit matrem Domini, putâ Dei, *Lucæ* I, 44. Rursum hæc vox carcere claudi et silere nequivit. Nam in carcere locutus est Joannes discipulis, eosque transmisit ad Christum, *Matth.* XI, 2. Quin et moriens locutus est, non voce, sanguine perhibens testimonium castitati, æque ac Christo. Quare sanguis ejus etiamnum clamat, non ut Abelis vindictam, sed ut Christi misericordiam et sanctitatem.

Tropologice, S. Joannes fuit vox omnium virtutum. Pœnitentiæ; dicens : « Pœnitentiam agite. » Confessionis, quia « confessus est, et non negavit, » se non esse Christum, sed vocem Christi indicem. Humilitatis, quia dixit se non esse dignum solvere calceamentorum Christi corrigiam. Fidei, dicens : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. » Castigationis peccatorum, intonans : « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? » *Lucæ*, cap. III, 7. Justitiæ, dicens militibus : « Neminem conculcatis, neque calumniam faciatis : et contenti estote stipendiis vestris, » ibidem, vers. 14. Castitatis, dicens Herodi regi adultero : « Non licet tibi habere eam, » scilicet Herodiadem, utpote fratris tui uxorem, *Matth.* XIV, 4 ; atque ob hanc vocem Martyr occubuit. Laudis et doxologiæ, quando

patrem Zachariam nascens commovit ad canendum : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ, » et B. Virginem, per matrem salutando matrem Domini, commovit ad canendum : « Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, » *Lucæ* I, vers. 46 et 68. Discant a Joanne viri sancti, ut toti sint voces virtutum, vocesque et tubæ Dei gloriam celebrantes.

IN DESERTO.— Jansenius et aliqui hæc verba referunt non ad *vox*, sed ad *parate*. Nam quod, inquit, priori hemistichio dicit Propheta : « In deserto parate viam Domini, » posteriori iterat, et explicat dum subdit : « Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. »

Verum omnes Evangelistarum codices, pariter et Isaïæ, hæc ita dispungunt, ut *in deserto* conjungant cum « vox clamantis. » Fuit enim Joannes eremicola, et vox clamans in deserto : neque Joannes clamabat ut in deserto pararent viam Domino : non enim volebat Judæam vacuare suis incolis, eosque facere eremitas ; sed ad eum in deserto degentem et clamantem exhibant e vicis et urbibus Judæi, ut eum viderent et audirent. Unde S. Hieronymus ad Therasiam scribens, tom. IX : « Elegit, ait, locum, non ubi eum nullus audiat, sed ad quem populos de naturæ corruptæ conversatione reducat. Locus ergo ipse forma doctrinæ est, et ipsa solitudo prædicatio est virtutum : operatur habitatio, dum urbium frequentiam sollicitus relinquit auditor. » Reipsa ergo dicebat, imo clamabat Joannes de seipso :

Vilescent mitræ, et mundi fallacis honores.

Sola mihi deserta placent, gravis orbis et urbes.

O beata solitudo, o sola beatitudo, Angelorum socia et æmula!

Nota : Viri præcellentes et contemplativi ambierunt semper loca deserta. Est enim desertus velut schola paradisi. Unde Deus dicebat, *Osee* cap. II : « Ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus. » Hinc S. Antonius, Hilarion, Hieronymus aliique innumeri, urbibus relictis solitudinem coluerunt, ubi a convictu et turbis hominum, mundique illecebris et periculis liberi, studiis et orationibus vacabant, et charitate ardentes, et desiderio flagrantes ad cælum aspirabant. Quocirca S. Augustinus ; *epist.* 76, non veretur dicere : « Non erit bonus clericus qui non fuit bonus monachus. » Ita, ut alios taceam, S. Gregorius Nazianzenus, *serm. in S. Luminaria Epiphaniæ* : « Non possum, ait, cohibere lætitiæ voluptatem ; sed mente extollor, et propriæ pusillitatis oblitus, officium magni Joannis, imo potius famulatum subire contendo vel gestio : et licet non sim præcursor, de eremo tamen venio, » puta de solitudine Ponti, in quam cum S. Basilio cœlestis vitæ desiderio concesserat. Vide dicta *Thren.* III, 28, et *Jeremiæ* IX, 2. Errant ergo nostri desertores Novantes, monachorum et anachoretarum hostes ; qui desertum hoc Joannis cultum et habitatum

fuisse volunt, quasi in domo paterna quæ in montanis erat, habitavit Joannes. Ita nimirum isti fidei reformatores molles et delicati, Joannis desertum in urbem, vestem e pilis caprarum et cilicinam in undulatam (vulgo *camelot*), locustas in caneros marinos transformant. Verum longe aliter docet Isaïas, qui desertum hoc explicat per solitudinem, et Evangelistæ, qui eum habitasse docent in locis Judææ desertis, et Ecclesia, quæ canit :

Antra deserti teneris sub ænnis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

Et Patres omnes, quos vide apud Canisium, lib. *De Corrupt. verbi Dei*, cap. II.

Tradunt Cedrenus et Nicephorus, lib. I, cap. XIV, Joannem cum sesquiannum ageret, a matre ductum esse in desertum, ut Herodis, ut videtur, persecutionem effugeret. Addit Cedrenus Joannem delituisse in spelunca, ibique matrem ejus obiisse, Angelum autem Joannis parvuli curam suscepisse. Hæc spelunca postmodum ab eremitis culta fuit, ut patet ex Sophronio in *Prato spiritali*, cap. 1.

Porro causa cur Joannes in eremum secesserit, fuit, ut instar Mosis et Eliæ Christi spiritum et virtutem æmularetur, scilicet, ut in hoc a mundo mundique vitiis secessu sanctitatis puritatem et nomen sibi pararet, cui proinde Christum ostendenti merito omnes fidem haberent. Hinc Patres passim Joannem vocant principem Monachorum et Eremitarum. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius in *Matth.* III, 5 ; Hieronymus, *epist.* 22 ad *Eustoch.* ; Cassianus, *Collat.* XVIII, cap. VI.

Alterta causa fuit, ut significaretur Evangelium non prædicandum in Judæa et Jerusalem ; sed in solitudine Ecclesiæ, et deserta Gentium multitudine. Quocirca fuit hoc Joannis desertum Judææ juxta Jordanem celeberrimum, tum copia aquarum, tum habitatione et miraculis Prophetarum juxta Ænon et Salim, *Joan.* III, 23.

Tertia causa fuit, ut significaret Joannes sui ævi et mundi mores corruptos, seque in hoc mundo non quasi in deserto inter feras et serpentes versari. Unde ait : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ? » *Matth.* III, 7.

Ita Diogenes Cynicus, media luce in foro lucernam gestans, dicebat se homines quærere ; quoniam eos quos videbat, non homines, sed bestias et pecora esse censebat.

PARATE VIAM DOMINI. — Pro *parate* hebraice est *pannu*, quod primo, Forerius vertit, *date faciem*, hoc est speciem ; viæ Domini ; scilicet, curate ne quid via hæc habeat sordium, inæqualitatis, asperitatis aut indecentiæ, sed nitida sit, decora et speciosa. Radix enim hebraica *pa-*

Cur Joannes
in deserto
vixit ?
Resp.
Primo.

Secundo.

Tertio.

Pannus
Hebræum
tripliciter
exponitur

nim, significat faciem, unde verbum *pana* significat aspirare, faciem obvertere. *Secundo*, Vatablus et Forerius dicunt verbum hoc esse contrariæ significationis: *pana* enim in *Cal* significare faciem obvertere, *pinna* in *Piel* significare a facie amovere, expurgare. Unde ipsi vertunt: *Repurgate viam Domini*, scilicet a luto et sordibus. Posset *tertio*, apte ad sequentia, *pannu* verti, *angulate*, id est ad angulum, hoc est perpendiculum, æquate, id est exacte complanate, viam Domini. פִּנְנָה *pinna* enim significat angulum. Unde idem inculcans et explicans subdit: « Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri, » *q. d.* En Christus vester mox venturus est, ut quasi rex inauguretur; ei ergo vias complanate, hoc est, omnia impedimenta amovete, quæ eum offendere, vel dedecere possint, errores scilicet, vitia et peccata tollite, atque efficite ut expedite recipiatur ac cupide, corda vestra ad fidem ejus, et gratiam omnemque sanctitatem studiose præparando. Idem ergo est: « Parate viam Domini, » quod, « pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum; » hæc enim fuit vox et concio S. Joannis, ut patet *Matth. III.*

Maldonatus et alii, qui putant hic agi de reditu e Babylone, censent alludi ad egressum Hebræorum ex Ægypto, quibus aperta a Deo in mari Rubro, et in deserto fuit via, *q. d.* Parabitur via captivo populo Babylone redeunti, non aliter quam eidem cum in terram promissam ingressus est, Deus viam per mare, et per desertum aravit et patefecit.

IN SOLITUDINE. — Forerius hæc verba refert non ad « rectas facite, » sed ad « vox clamantis: » hoc enim hic ipse repetit, *q. d.* Vox clamantis in deserto et in solitudine. Verum hæc repetitio, in tot verborum traiectione dura est. *Secundo*, Vatablus *solitudinem*, ait, vocat animum sterilem et incultum verbo Dei. Hoc symbolicum est et mysticum. *Tertio*, et planissime, *q. d.* Existis ad me in solitudinem: hic ergo me vos cohortante mores corrigite, et præparate viam Christo. Ad hoc ipsa solitudo invitatur, ut semoti a turba, verbo Dei et salutis vestræ vacetis. Ita S. Hieronymus.

4. OMNIS VALLIS EXALTABITUR. — Est enallage modi: hæc enim futura per imperativum exponenda sunt: « exaltabitur, » id est exaltetur; « humiliabitur, » id est humilietur; « erunt, » id est sint. Explicat enim modum rectam faciendi, sive complanandi viam Domini, si videlicet valles impleantur et attollantur, montes et colles dejiciantur et deprimantur: « prava, » id est obliquæ, anfractuosæ et distortæ viæ, sive ambages, « fiant directæ; et aspera, » id est clivosæ et inæquales, fiant planæ et æquales, *q. d.* Tollite e mentibus vestris omne quod pravum, distortum, inæquale, altum nimis, vel depressum est: v. g. Qui superbiæ montem in corde gerit, tumorem hunc deprimat; qui vallem pusillanimitatis et æcediæ in se continet, eam im-

pleat, elevel et adæquet per magnanimitatem et fiduciam in Deum; qui asperis est moribus, ad suavitatem et modestiam se componat. Rursum, ut ait Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*: « Christus colles æquabit vallibus, et obliqua diriget in rectitudines et campos: quia omnes legis difficultates in Evangelii facilitates et æquitates convertet. » Atque hæc est causa cur futuro usus sit non optativo, dicens: « Implebitur, » non, *impleatur*. Ita Cyrillus.

5. ET REVELABITUR GLORIA DOMINI. — « Et, » id est *nam*: hoc enim sæpe significat Hebræum *vau*: dat enim causam cur paranda sit via.

GLORIA. — Hoc est gloriosa Christi humanitas, et latens in ea deitas, oculis omnium patebit, annuntians omnibus gloriosum Evangelium, ac per illud viam ad gloriam æternam demonstrans, et prædicans regnum cœlorum. Hæc enim omnia sunt gloria Domini. Olim nebula, seu fumus, e cujus medio emicabat ignis, et audiebatur terrificæ vox Domini, dicebatur « gloria Domini, » *Exodi XIX, 9 et 16.* Nunc vero in lege nova Deus homo factus, mundum Patri reconcilians, ubique docens, et miracula faciens, dicitur « gloria Domini, » toti mundo revelata.

Gloria Domini est Verbum caro factum.

ET VIDEBIT (id est videre et experiri poterit) OMNIS CARO PARITER QUOD OS DOMINI LOCUTUM EST, — *q. d.* Videbit tunc omnis homo reipsa præstari et impleri, quod nunc Dominus per me aliosque Prophetas de Christo salvatore promittit. Unde S. Lucas, cap. III, 6, clare explicat dicens: « Videbit omnis caro salutare Dei, » id est salvatorem Christum, *q. d.* Omnes videbunt promissiones tam magnificas de Christo a Prophetis factas, fuisse promissiones Dei, et intelligent Deum fuisse qui illa promittebat, cum veritatem promissorum, videlicet Deum ipsum in carne oculis suis conspiciant. Hæc ergo salus seu salvator est illa gloria Dei, quam revelandam fore asserunt.

6. VOX DICENTIS (*q. d.* Ego Isaias audio vocem mihi interius dicentem et suggerentem): CLAMA. ET DIXI (hoc est, respondi): QUID CLAMABO (Cui vox: Clama)? OMNIS CARO FOENUM. — Quorsum hoc clamare jubetur Isaias? quid hoc ad præcedentia facit? *Primo*, Sanchez; et alii qui putant hic agi de reditu e Babylone, exponunt, *q. d.* Ne consolatio hæc reditus vestri vobis, o Judæi! videatur impossibilis, ob potentiam Chaldæorum, qui vos detinent, suntque rerum domini: quia hæc potentia eorum, licet videatur esse in summo, tamen carnea est, et similis flori vernanti, qui mox æstuante sole marcescit, arescit et defluit, fitque foenum, quia spiritus, id est ira et furor, Domini instar venti urentis afflavit et exsufflavit illum.

Secundo, Forerius hæc refert ad cessationem Judaismi et legalium cæremoniæ quas Apostolus, *Hebr. IX, 10*, vocat « justitias carnis, » quia carnem purificabant et justificabant, non animam, *q. d.* Judæi, ut ait Apostolus, in carne

gloriantur, putantque circumcisionem, aliasque suas purificationes et cæremonias carnales esse solidas, foreque æternas, et ex illis sperant iustitiam et salutem. Volo ergo, o Isaia! ut Judæis carnalibus prædices omnes illas, cum caro sint, et spiritu careant, esse instar graminis vel fœni, terrenas et evanidas, ac proinde mox fore desiccandas et abolendas.

Tertio et genuine, præscribit hic Isaias modum parandi viam Domino, docetque eum esse humilitatem; nimirum ut cogitent homines et æstiment se esse carnem, omnem autem carnem esse fœnum, et carnis gloriam esse instar floris fœni. Hæc enim humilis meditatio omnia alta, prava et aspera complanat in anima nostra, omnia vitia tollit, omnes virtutes inserit, omnemque Dei gratiam ad se allicit: « Dum enim, ut recte ait Sanchez, humilis in se omnia videt, aut videre se putat, vacua atque profunda, id efficit ut Deus, qui ut in naturalium, sic etiam in spiritualium rerum universo nihil patitur esse vacuum, id compleat, quod vacuum in se deprehendit submissa cogitatio. » Et sicut, ut experientia docet quotidiana, nihil est in humili, in quod homines incurrant, impingant et offendant: sic in humili nihil est, quod Deum ab hospitio deterreat, quo fit ut Deus in eo suam domum et templum sibi constituat.

Rursum jubetur Isaias clamare: « Omnis caro fœnum, » ut homines intelligant quantum se propter eos demiserit et exinanierit Dei Verbum, quamque immensa fuerit divina bonitas, qua Christum suum voluit descendere ad homines tam infirmos et fragiles, ut sint instar herbæ et floris qui statim marcescit. Simul ut homines cognoscant se ad hanc Christi gratiam et gloriam immortalem non naturæ viribus, sed dono Dei pervenire, si videlicet cum fœno, id est cum carne Verbi, quod manet in æternum, jungantur. Ita Theodoretus, Procopius, S. Hieronymus et alii.

Vide hic ergo: Verbum, dum caro factum est, factum est fœnum; quia omnis caro est fœnum, ideoque ut hoc adumbraret, voluit poni in præsepio et fœno, et, ut canit Ecclesia:

Præsepe non abhorruit,
Fœno jacere pertulit.

Quia, ut ait S. Bernardus, *serm. 35 in Cantic.*, homo per peccatum similis factus erat jumentis: « Cognosce ergo, inquit, pecus quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Honora præsepium, cujus contempsisti imperium. Comede fœnum, quem panem, et panem angelicum fastidisti. » Ad Christum enim hæc pertinere patet ex præcedentibus. Illi enim jussit parari viam prædicando pœnitentiam, ad quam incitat cogitare, quod omnis caro sit fœnum, et flos qui spiritu Domini, id est vento urente sufflante, mox marcescit et exarescit.

Porro fœnum vocat non demessum et siccum, sed vivum, et in prato germinans: hoc enim hebraice vocatur *chisir*, et hoc mox sole urente arescit, præsertim cum demetitur. Hoc est quod ait Psaltes, *Psal. LXXXIX*: « Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret et arescat. » Vide sequentia. Et *Psal. CI, 12*: « Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fœnum arui. »

Moraliter, hic nota vilitatem carnis et hominis, qui similis est fœno, vel gramini, et flori mox evanescenti. Pulchre pieque S. Hieronymus: « Revera si quis fragilitatem carnis respiciat, et quod horarum momentis crescimus atque decrescimus, nec in eodem statu manemus, ipsumque quod loquimur, dictamus et scribimus, de vitæ nostræ parte prætervolat; non dubitabit carnem fœnum dicere, et gloriam ejus quasi florem fœni. » Id probat inductione: « Qui dudum infans subito puer, qui puer repente juvenis, et usque ad senectutem per spatia mutatur incerta: et ante se senem intelligit, quam juvenem non esse se miretur. Pulchra mulier quæ post se adolescentulorum trahebat greges, arata fronte contrahitur; et quæ prius amori, postea fastidio est. » Vere Poeta:

Carpe novos flores, dum flos novus et nova pubes;
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Vere homini dicitur: « Tanquam podii folium es, quod mane candidum, meridie purpureum, vespere cæruleum aspicitur. » Filius Adæ est instar pomi Adæ, ut Itali vocant, quod exterius grande est et speciosum, interius vile et insipidum. Et S. Augustinus in illud *Psal. CII*: « Tanquam flos agri sic effloreat: Totus, ait, splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores flos fœni est. Floret illa domus, et magna domus, floret illa familia, et quam multis floret, aut quam multis annis vivunt? multi anni tibi, breve tempus Deo. In comparatione longorum et longe viventium sæculorum, omnis flos cujuscumque domus, sic est quomodo flos agri, vix est annua omnis pulchritudo anni. Quidquid ibi viget, quidquid ibi candet, quidquid ibi pulchrum est, non perennat, imo per totum annum duci non potest. » Subdit deinde: « Quam exiguo tempore transeunt flores, et hoc est pulchrum in herbis. Hoc quod valde pulchrum est cito cadit. Quia ergo Pater cognovit figmentum nostrum, quia fœnum sumus, et ad tempus florere possumus; misit nobis Verbum suum, et Verbum suum quod manet in æternum; fœno quod non manet in æternum, fratrem fecit. Noli mirari quia particeps eris æternitatis illius: factus est ille prior particeps fœni tui. Quanta ergo spes fœni, quando Verbum caro factum est! Illud quod manet in æternum, non est dedignatum assumere fœnum, ne de se desperaret fœnum. »

Et S. Gregorius, *XI Moral. xxvi*, in illud *Job*

Morale.
de vilitate carnis et hominis.

cap. xiv : *Qui quasi flos egreditur* : « Quid sunt, ait, nati homines in mundo nisi quidam flores in campo? Ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne flos in fœno est; unde per Psalmistam dicitur : Homo sicut fœnum dies ejus, et sicut flos agri sic effloret. Isaias quoque ait : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus sicut flos agri. » Causam subdit : « Homo enim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico, qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus qui non eramus, quasi flos arescimus qui temporaliter apparebamus. » Simili modo de flore et fœno pie philosophantur Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. x, et ejus discipulus Origenes, homil. 4 in *Psalm.* xxxvi, et S. Basilius, hom. 5 *Hexam.*, et ex eo S. Ambrosius, lib. III *Hexam.* cap. vii, quorum verba colligit et recitat Delrio, *adagio* 765. Hac de causa S. Jacobus, in *epist.*, cap. iv, 15 : « Quæ est enim, inquit, vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur; » et David, *Psalm.* ci : « Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego sicut fœnum arui. » Verum est illud : « Homo bulla, vita fabulæ. » Homerus vitam hominis comparat caducis arborum foliis; Pindarus vocavit hominem « umbræ somnium; » Æschylus vitam hominis comparavit non fumo, sed umbræ fumi, qua nihil inanius est et fugacius.

Sentiunt hoc, sed sero, damnati in inferno : « Quid nobis, inquiunt, profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam; cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire; aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, » etc. Quam sapit, qui hoc sapit dum hic vivit! Quid, o miser! ambis gratiam hominis cras morituri? fœnum es, et fœnum ambis. Quid speciosam mulierem concupiscis? fœnum concupiscis. Cogita : « Omnis caro fœnum. » Quid in mensa carnibus pullorum inhias? fœno inhias, fœnum ut bos comedis : « Omnis enim caro fœnum. » Quid tuam carnem et cutem tam laute foves? fœnum foves, imo cinerem fœni. « Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem mox reverteris. » O si hodie plures haberemus Isaias, qui per compita, fora et pulpita stentorea voce et spiritu inclamarent mortalibus : « Omnis caro fœnum : filii hominum, ut quid diligitis vanitatem? » ut quid carni concupiscentias suas tribuitis? fœnum accumulatis, sed fœnum in igne æterno semper arsurum. An non merito Democritus semper ridebat, Heraclitus perpetuo flebat et plangebatur vanitatem et stultitiam hominum, qui caducis hisce volup-

tatibus et pompis capti futuras et æternas negligunt et amittunt? « Omnis caro fœnum : » ergo et Principes, et Reges, et Imperatores, et Episcopi, et Cardinales, et Pontifices fœnum sunt. Hoc est quod Pontifici dum inauguratur, stupa accensa, et flamma ejus mox evanescente, acclamatur : « Beatissime Pater, sic transit gloria mundi, hominem te esse memento. » Brevi morieris tu, et omnis gloria tecum. Præclare S. Hieronymus in *Epitaphio Nepotiani* in flore ætatis abrepti : « O miserabilis, ait, humana conditio, et sine Christo vanum omne, quod vivimus! Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Ubi nunc decora illa facies? ubi totius corporis dignitas, qua velut pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur? Marcescebat, proh dolor! flante Austro, liliū; et purpura violæ in pallorem sensim migrabat. » Et inferius : « Debemus ergo et nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, et quod, velimus nolimus, longius abesse non potest. Non si nongentos vitæ excederemus annos, et Mathusalem nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset. Etenim inter eum, qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusable mortis necessitas, transactum omne tantum est; nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur? » Denique Poeta leoninus plane, sed vere :

Dic, homo, vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? Mors ultima meta dierum.
Flores? marcesces. Audis? surdesces.

8. VERBUM DOMINI NOSTRI MANET IN ÆTERNUM. — Vers. 8.
Verbum hoc est illud quod, ut dixit vers. 5, « os Domini locutum est, » quodque promisit; est scilicet Christus, Christique Evangelium, de quo S. Petrus hunc locum citans ait : « Hoc est verbum quod evangelizatum est in vos. » Hoc est quod aliis verbis dicit David, *Psalm.* cxviii, 96 : « Omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum nimis. » Hoc est verbum de quo dixit Isaias, cap. ii, vers. 3 : « De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. »

9. SUPER MONTEM EXCELSUM ASCENDE TU, QUI EVANGELIZAS SION. — Ita Romana. « Sion, » id est Sioni, hoc est Ecclesiæ : nam Sion terrena erat in excelso monte, nec eo erat excelsior, in quo præco ascendere posset. Hebræa vero habent, *super montem excelsum ascende, evangelizatrix Sion*, quo jubetur Sion, id est Ecclesia, suis fidelibus evangelizare id quod sequitur : « Ecce Deus vester, » etc. Sed idem utriusque sententiæ est sensus. Nec enim Ecclesia per se evangelizat, sed per suos Apostolos et prædicatores; nec hi alteri quam Ecclesiæ, id est fidelibus, evangelizant. Prædicator ergo evangelizat Sioni, id est fidelibus in Ecclesia. Adde Hebræum *מבשרת* *mebasseret*, id est evangelizatrix, accipi posse pro masculino *מבשר* *me-*

basser, id est evangelizator. Solent enim Hebræi ob pulchritudinem eloquii uti genere feminino, *q. d.* Pulcherrimus et gratiosissimus erit hic Evangelista. Sic Ecclesiastes hebraice feminine vocatur קהלת *cohelet*, id est concionatrix, hoc est concionator elegantissimus, *Eccles.* cap. I, vers. 1. Porro τὸ *super montem ascende, exalta in fortitudine vocem tuam, noli timere*, per catachresin tantum significant, et jubent, ut præcones Christum Christique Evangelium summa alacritate, et animi contentione, totisque viribus, et intrepide denuntient, *q. d.* Age, o Joannes Baptista, vosque Apostoli Christi præcursores! publice, fortiter et animose prædicate Deum ante tot sæcula promissum, jam incarnatum adventare ut vos salvet (1).

Secundo, Leo Castrius ex S. Ambrosio, lib. VIII in *Lucam*, cap. XVII: « Mons, ait, tuus est Paulus, mons Petrus, mons alii Apostoli; super illorum fidem mentis tuæ locato vestigium, et virtutibus in montis altitudinem cresce, ut mons Dei sanctus sis, et e terra in cælum te attollas, ut inde conspicuus omnibus gentibus, locis, temporibus clamet, vocesque omnes ad Christum et salutem. » Verum hic sensus mysticus est.

Concionator
qualis
esse de-
beat.

Moraliter, recte ex hoc loco concludit Forerius: « Qui, ait, perfunctorie, aut molliter, aut trepide Evangelium prædicant, adhuc quæ sit dignitas Evangelii ignorant. Qui etiam aliud quam fructum Evangelii in prædicatione quærent, adhuc quantum sit lucrum et quantæ dignitatis Christum annuntiare, non intelligunt. Deum legitimi prædicatores Evangelii deferunt, Deum offerunt, Deum dant. Quid huic dignitati potest conferri? »

Mystice S. Bernardus, serm. 1 in *Festo omnium Sanctorum*, docet prædicatores cum Christo debere scandere in montem, id est desideriis animi, et conversatione sancta ad sublimia tendere, et virtutum conscendere montem.

DIC CIVITATIBUS JUDA, — dic particularibus Ecclesiis: hinc ergo patet eas ab una primaria, puta Romana, pendere, eique auscultare debere: sic enim civitates Judæ pendebant a Jerusalem. Quod ergo Sion et Jerusalem fuit in Judæa, hoc Roma est in Ecclesia.

10. ECCE DOMINUS DEUS IN FORTITUDINE VENIET, — veniet Christus magnis viribus, et obfirmato animo, ut dæmones profliget, tyrannos superet, omnesque gentes suæ fidei subjiciat. Hæc enim de primo Christi adventu intelligenda sunt. Ita Cyrillus, Procopius, S. Thomas, Lyranus et Forerius, licet S. Hieronymus et Haymo hæc ad secundum Christi adventum, quo dæmones omnesque impios deturbabit in tartara, referant. Hoc quo-

(1) Quod montem ascendere Sion lætorum nuntius jubetur, desumptum est a more illorum temporum, quo aliquid promulgaturi conscendebant montem, e quo tanquam e suggesto ad concionem habebant orationem, ut luculentum est exemplum in Jothamo Gedeonis filio, ex monte Garizim concionante, *Jud.* ix, 7. Cf. *Jerem.* xxiii, 20; *Matth.* v, 1. (Rosenmuller.)

que vere et recte dicitur: tunc enim completa erit fortitudo et victoria Christi. Hinc patet contra Judæos modernos, Messiam sive Christum proprie vere esse Deum. In Hebræo enim vocatur non tantum *Adonai*, sed et *Jehova*.

ET BRACHIUM EJUS DOMINABITUR. — « Brachium » in Scriptura symbolum est roboris et potentiae. Porro brachium hoc Christi non tantum divinitatis, sed et humanitatis ejus est. Hæc enim nos redemit, nostrosque hostes debellavit: hæc enim licet, qua caro sit fœnum, ut dixit vers. 6; tamen, qua caro est Verbi, quod manet in æternum, Verbi fortitudinem, brachium et robur participat. Unde rursus « brachium, » id est potens ejus gratia, « dominabitur, » id est dominari nos faciet nostræ libidini, aliisque passionibus et vitiis, ita ut nobis det non tantum posse bonum, sed et velle ac perficere, ait Leo Castrius.

ECCE MERCES EJUS CUM EO. — Triplex hic est sensus. *Primus*, *q. d.* Christus semper præ oculis habebit mercedem sibi a Patre paratam, scilicet quod pro mercede obitæ mortis sui que laboris, habebit dominium in omnes gentes, juxta illud *Psalm.* II: « Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ; » et *Isaiæ* cap. LIII: « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum; ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia. » Qui enim præmium et mercedem laboris coram oculis habent, hi graviter pro eo laborant et certant. Ita et Christus « proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. » Ita Forerius. Merces ergo Christi sunt fideles, quos quasi oves ei Pater pro mercede tradidit; de quibus sequitur: « Sicut pastor gregem suum pascet, » etc. *Secundus*, merces, id est pretium redemptionis nostræ, est cum Christo; quia Christus non gratis, sed lytro sanguinis sui nos e captivitate diaboli, peccati et mortis redemit. Ita Sanchez. *Tertius* et planissimus, *q. d.* Christus est rex, non avarus, sed liberalis, qui in promptu habet amplam mercedem, quam suis famulis, maxime prædicatoribus, ostentat dabitque, imo ipsemet eis erit « merces magna nimis. » Sic enim duces in bello solent accendere milites proposita victoribus ampla mercede et præmio. Hoc et facit Christus.

ET OPUS ILLIUS CORAM ILLO. — Hoc opus dupliciter capi potest. *Primo*, proprie, *q. d.* Ideo Christus a Patre amplam recipiet mercedem, quia (τὸ *et enim est causale significans quia*) opus nostræ redemptionis et salutis illi a Patre injunctum, semper præ oculis habebit, illique totus intendet. Hoc est quod ipse ait *Joan.* xvii, 4: « Opus consummavi, quod dedisti mihi (2). »

Secundo, metonymice « opus » est merces ope-

(2) Fuit merces ac præmium Christo Domino jus et potestas humani generis ad immortalitatem beatam unde ceciderat, revocandi. (Hubigantius.)

ris, ut more Hebræo idem dicatur posteriori hemistichio quod priori. Sic dicitur *Levit. xix, 13* : « Non morabitur opus (id est merces operis) mercenarii tui apud te usque mane. »

11. SICUT PASTOR GREGEM SUUM PASCET. — Declarat Propheta *id dominabitur, q. d.* Imperium Christi non erit dominatus tyrannicus, sed pastoralis, ut pastor non tam timore quam amore, magna cura et benignitate reget, imo pascet oves suas, ut non tam rex quam pastor esse videatur. Sic Homerus Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, pastorem populorum, quod bonus rex debeat regere populum, sicut pastor oves. Et Cyrus apud Xenophontem, lib. VIII, asserit quod bonus princeps similis sit bono pastori. Idem censuit Tiberius Cæsar addens : « Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. » Qui secus faciunt, non pastores sunt, sed laniones et tyranni. Tales sunt hodie qui erga oves sunt leones, erga lupos agni; lupos nutriunt, oves interficiunt.

IN BRACHIO SUO CONGREGABIT AGNOS. — Solent pastores agniculos, quos oves in campis vel montibus enixæ sunt, manibus et brachiis complecti, atque ad caulam deferre. Similem curam et amorem fidelibus exhibebit Christus. Unde, *Luc. xv, 5*, comparat se pastori, qui ovem errantem in humeros tollit, et ad ovile reducit. Hinc hac specie Romæ in antiquissimis templis et cæmeteriis depictus cernitur.

Moraliter, agnus et ovis est animal innocens, mite, subjectum, humile, utile lana, lacte, carne. Tales debent esse Christiani, oves sint et agni, non hirci, non vulpes, non tauri, non ursi, non lupi, non leones.

FOETAS (quæ foetum utero gerunt, vel jam recens enixæ sunt) IPSE PORTABIT, — suaviter ducet, ac si portaret, scilicet pedetentim eas minabit, ne fatigentur, ideoque sinet eas per intervalla quiescere, quin et pabulo vires earum recreabit, ac si opus sit, easdem in sinum aut humerum tollens, portabit. Ita Vatablus et Forerius, uti fecit Jacob, *Gen. xxxiii, 13*, ad quem hic alludit Isaias. Vide munia boni pastoris apud *Ezech. cap. xxxi*. Sensus est, *q. d.* Christus summa providentia, vigilantia et suavitate, quasi pastor « agnos, » id est plebem simplicem recens in baptismo renatam, fovebit; et « foetas, » id est Apostolos et Prædicatores, qui filios Christo pariunt, sua gratia et spiritu roborabit, et fulciet, quasi pastor eos suis ulnis circumferens, aut manu leniter per ardua et adversa quæque deducens, et sustentans, ac quasi portans. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius.

Vers. 12. 12. QUIS MENSUS EST PUGILLO AQUAS? — Excurrit Propheta in divinæ potentiae et sapientiae commendationem, eo fine ut ostendat mirabile hoc incarnationis Verbi opus, omnemque Christi œconomiam circa hominum redemptionem, quod quasi pastor pascet agnos, foetas portabit, etc., illi perfacilem fuisse, omnemque a Deo prævisam

et provisam fuisse. Ipse enim totum Universum facillime et sapientissime regit ac moderatur, *q. d.* Ne miremini mirabilia quæ dixi de gratia et consolatione Christi, de Deo homine, de Evangelio, de Gentium quasi ovium ejus vocatione, et ad ipsum conversione; quia Deus, qui admirabilis est, potentissimus et sapientissimus, ista omnia faciet. Ita S. Hieronymus, Theodoretus et Tertullianus in *Scorpiaco* (1).

Nota catachresin : Deus continet orbem palmo, pugillo, tribus digitis, id est facillime; licet alii, tribus digitis, inquirunt, id est tribus suis attributis, scilicet sapientia, bonitate et potentia. Verum hoc est symbolicum et mysticum, uti et illud Paschasii, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. II, qui per digitos SS. Trinitatem accipit : « Nonne, ait, hic in tribus digitis potentiae unius æqualitatem sub quadam mysterii lance libravit? » Sic et Glossa : « Sunt, inquit, tres digiti SS. Trinitatis. » Sic quoque Christus Dominus mysterium SS. Trinitatis, per manum tres digitos continentem repræsentavit S. Annoni Archiepiscopo Coloniensi. Visionem narrat Sigebertus in ejus *Vita*, cap. xviii : « Christus, inquit, radiantibus oculis in ora stupentis comem se et placidum ingerens, protensis coram eo tribus sinistræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice, dicens : Ecce Pater; moxque secundum : Ecce Filius; posthac et tertium : Ecce Spiritus Sanctus. Et voces intra fauces paululum cohibens : Ecce tres, ait, in una deitate similiter adorandæ personæ, quibus gloria par dicitur ab universali semper Ecclesia. Mediam inter Patrem et Spiritum Sanctum personam Filius habet, nec ullam habet divisionem a duobus in ulla diminutione majestatis ejusdem et gloriæ. »

Est hic insignis et viva hypotyposis potentiae et majestatis divinæ : Deus enim vastissimas et profundissimas totius Oceani aquas tam facile continet, quam facile homo paucas aquæ guttas pugillo complectitur. Totus ergo Oceanus Deo res est adeo parva, quam est aqua quam vola vel pugillo (Aquila vertit, *minimo digito*) metimur et stringimus. Idem cœlos palmo ponderavit. Palmus est extenta manus ab extremo pollice usque ad minimum digitum : quod si contrahas manum fit pugillus, *q. d.* Sicut Atlas a Poetis fingitur cœlum humeris sustinere, ita vere Deus, cœli mundi-que Atlas, imo Creator, non humeris, sed palmo, id est manu sua supposita, non tantum metitur, sed et appendit, librat et quasi ponderat ingentem illam cœlorum molem et vastitatem. Idem tribus digitis appendit molem terræ. Alludit ad in-stitores qui levia pondera examinant per uncias

Deus est
Atlas
mundi.

(1) Recte observat Hubigantius Isaiam in hac magnifica descriptione imprimis intendere ut Christus venturus a Judæis perfecte agnoscat. Non satis erat ut eum sicut merum hominem haberent; dici oportebat : Est Deus vester, ne Judæi comminiscantur hominem Redemptorem, sed hominem Deum. Nam idem qui modo ut homo descriptus est, nunc ut Deus exhibetur.

vel drachmata in statera quam tribus digitis sustinent, et in altum suspensam tenent in æquilibrio: pari enim modo Deus totum terræ globum in medio mundi, quasi in aere pendulum tribus quasi digitis appendit, id est librat et sustinet: hoc enim significat Hebræum כֹּל col.

Deus est in cælo, supra cælum, infra cælum, et ultra in immensum.

Ex hoc loco S. Gregorius, II *Moral.* VIII, docet Deum esse in cælo, sub cælo, supra cælum, infra cælum, ubique, et ultra: « Per sedem (cælum enim Deo sedes est, *Isaiæ*, cap. LXVI, 1), inquit, cui præsidet, intelligitur esse interius superque; per pugillum quo continet, exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia exterior, alia interior; sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans. Penetrando circumdans. »

MOLEM TERRÆ. — Hebraice, *pulverem terræ*, q. d. Totam terræ molem Deus continet, velut si quis extremis digitis paululum pulveris capiat. Similiter libravit montes in pondere. *Pondus* metonymice vocat stateram, vel bilancem, qua res ponderantur. Hoc enim est Hebræum מֶלֶךְ *peles*. Imperite et inepte Ubiquitarii hæretici ex hoc loco probare contendunt Christi corpus, eo quod divinitati sit unitum, esse ubique, omnia implere et continere. *Isaias* enim non loquitur de Christi corpore, vel humanitate; sed de Deo et divinitate. Esto enim illi sit unita humanitas Christi, ma-
get tamen humanitas, uti in essentia, ita et in quantitate terminata, certoque loco definita et circumscripta. Alioquin enim transiret in divinitatem, et desineret esse quod est.

Tropologice, montes et colles sunt dignitates et prælaturæ, quas pauci sciunt librare in pondere et statera. Unde exclamat *Isaias*: « Quis libravit in pondere montes, et colles in statera? » q. d. Rarus est et magnus qui eos libret. Dignitates enim plus habent oneris, quam honoris; et quantus est ascensus earum, tantus est et descensus. Si enim ascenditur ad prælationem, descenditur ad servitutem. Librat ergo animus Sancti montes in pondere, et colles in statera, qui onus in honore, et servitutem in prælatione pensat; sicque fit ut consideratio servitutis et oneris, omnem appetitum prælationis et honoris in animo ejus extinguat. Ita fecisse S. Laurentium Archiepiscopum Dublinensem, qui coævus fuit et defensor S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis et Martyris, in eoque opere vitam suam posuit, narrat Auctor *Vitæ* ejus, cap. XI. Exstat apud Surium die 14 novembris. Vere Antigonus rex ad filium regno insolescentem: « An nescis, o fili! inquit, regnum didam servitutem? »

nimirum multæ spinæ latent sub purpura, multæ curæ sub corona.

13. QUIS ADJUVIT SPIRITUM DOMINI? — Hebraice, *quis ponderavit*, id est expendit, perpendit, penetravit, « spiritum, » id est mentem et consilia Domini, ut eum ope et consilio suo in operando adjuvare possit? q. d. Nemo. Ipse enim omnia ponderat, metitur et penetrat; et, ut dicitur *Proverb.* cap. XVI, 2: « Spirituum ponderator est Dominus; » ipse vero a nemine ponderari, penetrari aut comprehendi potest. Hinc Septuaginta, et eos secutus S. Paulus, *Rom.* XI, 34, vertunt: « Quis enim cognovit sensum Domini? » unde idem exclamat: « Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! »

15. ECCE GENTES QUASI STILLA SITULÆ. — S. Irenæus, lib. V, cap. XXIX, legit, *ut stillicidium de cado*; S. Ambrosius in *Psal.* I, *ut stillicidium de urceo*. Est occupatio, q. d. Dicit quis: Esto Deus hominum ope aut consilio non egeat; homines tamen sunt imago Dei, et quasi terreni quidam dii, ac proinde magni ab eo æstimantur; quare habent unde sibi placeant. Hoc elidit dicens: « Ecce Gentes quasi stilla situlæ, » quia, ut ait S. Ambrosius in *Psal.* I, in fine: « Sicut terra ad cælum est instar puncti, sic omnes gentes ad multitudinem Angelorum sunt quasi stilla situlæ. » « Cogita ergo, » ait S. Chrysostomus in cap. I ad *Ephes.*, serm. 3, et homil. 2 *De incomprehensibili Dei natura*, fuse, « quanta hujus stillæ, vel guttulæ pars tu sis, et quantus sis respectu Dei. » S. Athanasius, *De Unitâ substantia SS. Trinitatis*, lib. I, in fine, hic putat significari neminem a divinitate Trinitatis posse se occultare vel fugere, quia illi totus orbis est quasi gutta. Hinc et Plato et Plotinus rogati: « Quomodo Deus videre possit omnia? » respondent: « Quia tota hæc rerum machina in conspectu Dei est instar puncti. » Sic, teste Clemente Alexandrino, lib. VII *Stromat.*, in fine, Theognis dixit: « Vos, Megarenses, neque tertii estis neque quarti, neque duodecimi, nec ullo in numero aut ratione, sed ut pulvis quem projicit ventus, et ut gutta cadi. » Vide ergo quid sint res terrenæ omnes, tuque ipse licet toti dominis orbi. « Quid est homo quod ejus es memor, Domine? Quid est quod superbit homo, ait S. Hieronymus, qui est quasi stilla e situla, decidua et neglecta? » imo stillæ hujus pars minima, nec centies quidem millies millesima. « Quomodo si a situla modica stilla fluat, a portante negligitur: ita universa gentium multitudo, supernis ministeriis comparata et Angelorum multitudini, pro nihilo ducitur. » Hucusque S. Hieronymus.

Rursum, sicut stilla situlam neque gravat si maneat, nec levat si excidat: sic homines neque si pereant omnes, quidquam relinquunt vacuum, neque si in natura rerum sint, aliquid occupant aut implent, si tam vastam maris orbisque amplitudinem spectes. Sic, *Sapient.* XI, 23, totus orbis coram Deo dicitur esse « tanquam gutta roris

Homo est
stilla situla.

antelucani, » quæ scilicet ante lucem descendit, et statim ortu solis et lucis siccatur, sorbetur et evanescit.

ET QUASI MOMENTUM STATERÆ. — Sic et Sap. XI, 23, dicitur : « Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum. » *Momentum*, id est minima inclinatio, aut motus : græce enim sic habetur : ὡς ῥοπή ἐκ πλαστίγγων, hoc est, sicut vergentia vel inclinatio ex lancibus libræ, quæ scilicet cum semper agitentur, semper una lanx alia magis minusve pendula inclinatur sursum vel deorsum : quod veteres *momentare* dicebant. Vatablus intelligit de ipso stateræ libramento, sive æquatoria cuspidem, quæ lancem utramque ex æquo sustinet et suspendit. Et sic videtur Plutarchus in *Camillo* accipere ῥοπήν. Sensus est, q. d. Sicut hæc propensio lancis minima est, et minimi momenti, sic et mundus quantus quantus est, respectu Dei est minimus.

Secundo, sicut instabilis hæc est propensio, et transiens, semperque agitatur : ita mundus hic coram Deo. *Tertio*, sicut hæc propensio minimo motu ejus qui libram tenet tolli potest, et in aliam partem inclinari, sic et mundus totus est in manu et nutu Dei per omnia.

Recentiores, ut Vatablus et Forerius, Hebræum קטש *sachac* vertunt, quasi levitas, vel quasi levis pulvisculus (quales sunt atomi, quos videmus volvi in radiis solis) in bilance pondus non auget, vel minuit : ita scilicet homo apud Deum nullius est pretii, nec Deo additus quidquam adauget (Deus enim solus, utpote immensus et infinitus, tantus est, tantumque efficit, quantum Deus et mundus simul juncti et compositi), nec Deo illum creare, et per Christum recreare, reformare, et ad pondus auctorare volenti quidquam opis, consilii, ponderis aut momenti attulit.

ECCE INSULÆ QUASI PULVIS EXIGUUS. — « Insulæ » Hebræis vocabantur regiones trans mare sitæ, etiamsi essent terra continens, uti Italia, Hispania, Græcia, etc. Pro *quasi pulvis* Septuaginta vertunt, *quasi saliva*, vel *sputum*. Hebræum enim קטש *dac* significat tenue, minutum, quod tam salivæ, quam pulveri convenit. « Terra, ait Boetius, lib. II *De Consol.*, est punctum puncti, scilicet mundi, qui punctum est, si cum Deo comparetur. » Forerius vertit : « Ecce insulas quasi tenue operiet (יטול *iittol* enim a radice יטל *talal* significat operire), q. d. Facile est Deo omnes insulas submergere, ac si illas nebula operiret. Vatablus vero יטול *til*, id est projicere, deducens vertit, *ecce insulas quasi minutissimum pulverem projiciet, aut transferet alio*; sicut in historiis legimus insulas quasi in mari natantes et fluitantes sæpius alio fuisse translatas. Noster vertit, *ecce insulæ quasi pulvis qui projicitur*, id est vilis et exiguus : scilicet, omnes sunt instar *scrupi levis aut oculos fallentis arenæ*.

Moraliter, cogita quis tu, quis Deus? ut te cognoscas et deprimas, Deum admireris et venereris.

Ita Abraham : « Loquar, ait, ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. » Ita Moses, interrogans nomen Dei, audit : « Ego sum qui sum, » q. d. Ego sum, tu non es, *Exodi* III, 14. Vide ibi dicta. Ita S. Franciscus noctes integras meditabatur, nec dicebat aliud quam : « Quis tu, Domine, quis ego? Tu abyssus essentiae, sapientiae, sanctitatis et bonorum omnium; ego abyssus nihili, ignorantiae, peccatorum et miseriarum omnium. »

16. ET LIBANUS NON SUFFICIENT, — q. d. Tanta est Dei celsitudo et majestas, ut omnia ligna, omne thus, omnia aromata, omnia animalia Libani, et quorumvis montium non sufficiant holocaustis, si pro dignitate ea illi offerantur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii. Dicit hoc, ut Judæos, æque ac Gentes ad Dei veri cultum et reverentiam, atque ad idolorum contemptum excitet, q. d. Dei majestas et sanctitas immensa est; quare nullis victimis satis coli et adæquari potest, nisi unica victima infinita, scilicet qua seipsum unigenitus Filius Dei in cruce offeret. Hic ergo efficit quod Libanus, totusque mundus facere non potuit. Adæquabit enim Dei dignitatem : erit enim Deus Deoque æqualis qui offeretur, et simul offeret semetipsum Deo in holocaustum atque mundi piculum.

17. ET QUASI NIHILUM. — Forerius vertit, *plusquam nihilum*. Si enim nihilum cum ente quolibet creato conferas, minus illud ab eo distat (cum utrumque sit finitum, finiti autem a finito distantia sit finita) quam distet ens quodlibet, imo totus mundus a Deo; hujus enim infinita est distantia. Deus enim in infinitum entia omnia creata transcendit : ac proinde ab iis non tantum negative, sed et positive distat in infinitum : cum ens a nihilo positivam distantiam habeat finitam. Sicut enim ens est finitum, sic etiam ejus oppositum, puta non ens, sive *nihil*, est finitum : est enim negatio, vel privatio entis finiti. *Nihil* ergo per se, et quasi positive est finitum : quia minus habet esse quam ens : nullum enim habet esse, estque nihil prorsus. Negative tamen *nihil* est aliquo modo infinitum, quia negat omne ens, omnesque res, etiamsi illæ essent infinitæ : negat ergo infinita quæ sunt, vel esse possunt; sed positive est finitum, ac finite tantum distat ab ente creato et finito. Si autem nihilum cum Deo conferas, nil a Deo magis distare potest quam nihilum. Loquor physice : nam moraliter magis a Deo distat peccatum. Et hoc sensu est hyperbole; q. d. Omnes gentes, imo entia omnia a Deo distant summe, et in infinitum, ideoque si posset dari major distantia quam sit nihil a Deo, magis quam nihilum distarent a Deo. Huc alludit Apostolus, *I Corinth.* I, 28, cum ait : « Elegit Deus ea quæ non sunt, » id est quæ nullius sunt pretii, vel momenti. Vide et hic quam se demiserit « Verbum caro factum, » quamque vere dicat Apostolus : « Exinanivit semetipsum formam servi accipiens. » Homo enim est nihil, et plusquam nihil coram Deo.

Momentum stateræ triplex.

Terra est punctum puncti.

18. CUI ERGO SIMILEM FECISTIS DEUM? — Digreditur ad carpendam idololatriam Gentium (hæc enim eos a Christo et salute impediēbat: idola enim erant prava et aspera in via Gentium, quæ, vers. 3, tolli jussit, ut paretur via Domino), quod videlicet pressi ab hostibus vel alia natione, aut rei alicujus cupiditate ducti ad eam obtinendam confugerent ad idola aurea, lignea et inanima, cum Dei opem implorare, in eumque, utpote potentissimum et benignissimum, omnem spem defigere deberent; unde concludit, vers. 31: « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. » Hic est ergo epilocus totius hujus orationis, scilicet ut doceat sperandum esse in Deo, non in idolis, ac cum Gentibus ab idolorum cultu transeundum esse ad Dei cultum in Christi Evangelio propositum.

Nota: Gentes fabricando et colendo simulacra Jovis, Apollinis, Mercurii, etc., lapidea et lignea colebant idola, non Deum; dicuntur tamen Deum iis similem fecisse, quia ea adæquabant Deo, Deumque alium non colebant quam hæc simulacra, ac consequenter Deum et deitatem transferebant in simulacra, quasi Deus iis similis esset, haberetque simile corpus, imo corpus simulacri esset corpus Dei: quæ sane gravis erat injuria Dei, quod scilicet simulacra Deo æquarent, ac consequenter Deum similem, imo æqualem facerent simulacris. Unde ex Hebræo ad verbum sic vertit Forerius: *Ad quem assimilabitis Deum, et quam similitudinem æquabitis ei?* Et sic *et similem fecistis*, vers. 26, explicatur per *adæquastis*. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom. I, 23*: « Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, » etc., quod explicans subdit: « Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori. » Vides hic similitudinem hanc vel assimilationem simulacrorum non esse aliud, quam quod cultum Creatoris transtulerint in creaturas, id est in simulacra, « et incommunicabile nomen (Dei) lapidibus et lignis imposuerint, » ut ait Sapiens, *Sap. cap. xiv, vers. 21*. Sensus ergo est, *q. d.* Cum omnes Gentes Deo comparatæ sint quasi gutta, imo nihilum et inane; qua temeritate, impietate ac sacrilegio vos, o Gentiles! Jovem Jovisque idolum comparatis et æquiparatis Deo, Deumque Jovi, imo Deum facitis Jovem, et Jovem Deum? Perfide ergo hoc loco abusus est Leo Armenius Imperator iconoclasta, qui socium in scelere habuit Theodorum, quem amoto Nicephoro sede Constantinopolitana donaverat. Hic Theodorus grassabatur in sanctas imagines, cumque aliquando hæc Isaïæ verba in Ecclesia recitarentur: « Cui assimilastis Dominum? num imaginem ejus facit faber, aut aurifex similitudinem paravit? » accessit propius, atque Imperatori in aurem insurravit: « Audi Prophetam, domine, eique obtempera. » Tum vero Leo suam iconomachiam ma-

jore insania profudit, et furere cœpit contra imaginum Deique cultores. Ita Zonaras et alii. Perfide, inquam: nam imagines Christianorum non sunt imagines, hoc est idola, Gentilium, contra quas hic detonat Propheta, nec coluntur ut dii: nec a fidelibus æquantur Deo, ut Deus injuriam sibi fieri sentiat, quod imaginibus assimiletur, comparetur et æquetur. Nemo enim fidelium tam simplex aut stolidus est, qui imagines colat ut deos, uti fecerunt Gentiles. Porro Deum has imagines etiam Dei ipsius, hic non carpere, patet ex eo, quod ipse hanc imaginem assumpserit, in eaque apparuerit, et hominibus se videndum exhibuerit; non tantum cum Verbum caro factum est, sed etiam cum Patriarchis et Prophetis sui imaginem objecit, et venerandam proposuit, uti fecit Mosi ei apparens in corpore assumpto, *Exodi*, cap. xxxiii et xxxiv, et *Isaïæ* cap. vi, 1, et *Danielis* cap. vii, 9, et S. Joannis, *Apocal. cap. I, vers. 13*. Si Deus sui imaginem nobis exhibuit, cur eam simili imagine exprimere non liceat? dicitur enim imago quasi imitago, ab imitando; sicut εἰκὼν ab εἴκω, id est assimilo, repræsentatio, uti ex Concilio Nicæno II, docet Sanderus, lib. I *De Adorat. imag.* cap. ult., § *Leoni*. Vide Damascenum, lib. IV, cap. xvii, et orat. *De imaginibus*, et Concilium Nicænum II, quod totum est pro imaginibus. Vide et dicta *Exod. xx, 4*, et *Sapient. xiv, 21*.

19. NUMQUID SCULPTILE CONFLAVIT FABER? — Vers. « Sculptile » sumit pro conflabili, hoc enim conflavit faber. Hebræum enim פֶּסֶל *pesel*, quod Noster vertit « sculptile, » significat idolum, sive sculptum, sive conflatum, sive pictum, sive dolatum sit. Irridet hic idololatrarum vesaniam, *q. d.* Numquid non idola vestra ligna sunt: aut metalla dolata, fusa, conflata, vel sculpta a fabricis, qui ad id quæerunt ligna imputribilia, ne a tineis vel carie corrodantur; malleisque et clavis firmant, ne vento aliove impetu dejiciantur, auro et argento ea ornant? quomodo ergo ista comparatis Deo, deosque vestros facitis? Itane faber fabricat numina? Itane Vulcanus deos cudit?

21. NUMQUID NON SCITIS? — Ita legunt Romana Vers. 21 in præsentī, non *scietis* in futuro, *q. d.* Numquid facile scire potestis, et audire jam inde a mundi exordio per patrum et avorum traditionem, posita esse a Deo fundamenta terræ, sive terram ipsam a Deo creatore conditam et fundatam esse? ac proinde hunc ejus creatorem unum et solum esse Deum, non Jovem; non Mercurium, non simulacra, *q. d.* Si Deus terram, quæque in ea gignuntur metalla creavit, quis ita deliret ut Deum esse credat simulacrum ex auro vel argento sculptum aut conflatum?

Nota: « Fundamenta terræ » non sunt cardines aut fines terræ, ut voluit Cyrillus, sed ipsa terra, in seipsa a Deo fundata et firmata. Nec enim alios cardines aut fulcra habet terra in aere pendula, quam quod ibi firmiter collocata sit a Deo.

22. QUI SEDET SUPER GYRUM (Vatablus, *globum*) Vers. 22

TERRÆ, — *q. d.* Qui in cœlis quasi rex orbis sedet et præsidet, despicitque totum terræ gyrum et ambitum, videtque in eo homines quasi locustas, cicadas et formicas ambulare et saltitare. Nam pro *locustis* Forerius vertit, *cicadas*. Hæ enim locustis sunt affines, tum natura, tum parvitate, tum strepero stridore.

Nam cuculus cuculat, fritinnit rauca cicada.

lata in eum qui cessaverit : ita homo impius et aliis et sibi nocentissimus est. *Undecimo*, locusta quia agros corrumpit, symbolum est corruptionis humanæ. Pulchre S. Chrysostomus, homil. *Quod nemo læditur nisi a seipso* : « Omne, ait, quod est in rebus, habet aliquid quo corrumpitur ac læditur : lanam tineæ, ovium greges lupo, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit, lolium segetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta et plantas locustæ vastant. »

Denique locustæ, ait Aristoteles, pariunt in exitu veris, et mox a partu moriuntur; vermiculis circa collum innascentibus tempore partus, qui eas strangulant : similiter brevis ævi est homo, et non raro a fœtu proprio necatur.

Ita S. Gregorius in Angliam pergens obvians locustæ, ei se comparavit, ex eoque cognovit sibi in eo loco standum, et Romam revertendum esse. De quo plura *Ezech.* cap. XXI, 21.

QUI EXTENDIT VELUT NIHILUM CÆLOS. — Pro *nihilum* hebraice est *dac*, id est tenue, per quod Forerius intelligit *nebulam*; Vatablus, *cortinam*, vel telam tenuissimam. « Nihilum » ergo hic significat aliquid tale tenuissimum atque levissimum, ut pene nihil esse videatur, quod facillime extendi potest, uti est cortina, nebula, etc. Sic enim Deus cœlos vastissimos facillime extendit, ut sub iis quasi sub tentorio degerent homines. Unde Septuaginta vertunt, *qui extendit cœlos quasi cameram*, rotundos scilicet et solidos instar cameræ et fornix.

Potest, *tertio*, *dac* verti pulvis tenuis et exiguus, uti vertit Noster, vers. 15, *q. d.* Deus ita facile creavit et fecit cœlos, ac si faceret pulveris atomum tenuissimum. Ita S. Chrysostomus, lib. *De Incomprehensibili Dei natura*.

23. QUI DAT SECRETORUM SCRUTATORES QUASI NON SINT. — Ita vocat Philosophos, qui naturæ, et sapientiæ ac Dei secreta rimantur; aut potius consiliarios, et principes, ut vertunt Septuaginta (unde et Noster, *Habacuc* cap. 1, 10, vertit, « tyrannos; » *Proverb.* cap. VIII, 15, vertit, « legum conditores »), qui status et politiæ ac gubernationis secreta rimantur. Hi enim hebraice vocantur *רוזנים rozenim*. Posterius enim hemistichium more Hebræo explicat prius. Idem ergo est « qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, » quod, « iudices terræ velut inane fecit. » Hebræi enim principes vocant iudices, quod principum officium primarium sit justitiam inter cives tueri, et populum judicare, id est vindicare ab hostium injuriis. Hinc Salomon orat Dominum, III *Regum*, cap. III, dicens : « Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit. » Hinc et vocatur *liber Judicum*, id est vindicum et principum Israel. Celebrat ergo Isaias Dei potentiam, quod ipse reges et principes solio dejicere, infatuare, perdere, et quasi in nihilum redigere possit, et sæpe redigat.

Undeci-
ma.Duodeci-
ma.

Vers. 23

Homo est locusta Nota congrue homines comparari locustis; utriusque enim exiguum, vile, molle, miserum et caducum sunt animal. Nam, *primo*, locusta gignitur ex putredine; ita et homo. Unde S. Job ait : « Putredini dixi : Mater mea es; et Soror mea, vermibus. » *Secundo*, locusta humore turgescit : ita « homo quid est aliud quam pituita et bilis? » *Tertio*, locusta est gracilis, et pedum longitudine omnia animalia pro modulo sui corporis excedit : ita et homo. Unde *Eccles.* cap. XII, vers. 5, ærumnas hominis senescentis describens : « Florebit, inquit, amygdalus, impinguabitur locusta, » id est superveniet canities, et accedet pedum tumor, scilicet podagra. Dicitur enim locusta quod longis sit pedibus, inquit Isidorus, Lyranus et Albertus, lib. XVI *De Animal.*, ubi refutat alios, quibus dicitur locusta quasi locostans. Pedibus ergo impinguatis et tumidis tumescit et impinguatur locusta. *Quarto*, locustæ, ait Albertus, omnes femineæ sunt, uti scarabæi omnes sunt mares : ita homines femineos habent animos, pariter et vitia. *Quinto*, locustæ, quia palpebris carent, durissimis sunt oculis; imo sunt qui putant eas oculis et visu carere : hinc pariter stupidæ sunt. Unde proverbium : « Locustæ mentem habet; » id est parum habet mentis et cerebri; quod usurpat Lucianus in *Jove tragædo* : ita et homines desipiunt, et circa res divinas ac saluti duri sunt, et cæcutiunt quasi talpæ. *Sexto*, locustæ rege carent, et sese invicem devorant, inquit Aldrovandus, lib. *De Insectis exsang.*, cap. *De locusta* : sic homines laborant ataxia, et invicem perimunt. « Homo homini lupo. » *Septimo*, locustæ non tam proprium habent volatum, quam vento feruntur, et cum se a terra paululum elevaverint, iterum pennis deficientibus cadunt : ita homo ut efflorescit ætate et gloria, ita mox pariter cadit. *Octavo*, locustæ sunt innumere : ita et homines. Rursum, locustæ sunt maxime leves et mobiles : ita homines sunt leves et inconstantes. Unde Isidorus : « Locustæ, ait, sunt vagæ animæ, et salientes in sæculi voluptates. » *Nono*, locusta gulosum est animal omnia germina depascens : ita homo in ventrem projectus est. Hinc *decimo*, locusta nocentissimum est animal frugibus, vastans integra regna et provincias; unde aliis *locusta* dicitur quasi *loca urens*. Adeo ut Plinius, lib. XI, cap. XXIX, scribat in Cyrenaica regione legem esse ter in anno locustas debellandi, primo ova obterendo, deinde fœtum, postremo adultas, desertoris pœna

Homo est
locusta
obduode-
cim ana-
logias.
Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octava.

Nona.

Decima.

Pro *inane* hebraice est תוהו *tohu*, id est *inanis*; inornatus, incompositus: sic enim *Genes. 1.* dicitur terram fuisse inanis et vacua, hebraice, תוהו ובוהו *tohu vabohu*, antequam Deus eam herbis, floribus et fructibus ornaret et decoraret. Pari modo Deus reges omni honore et decore spoliare potest, et sæpe spoliat. Unde explicans subdit:

24. ET QUIDEM NEQUE PLANTATUS, — *q. d.* Licet principes terræ in ea summi, firmi et potentes esse videantur; tamen eorum principatus similis est arbori, aut ramo, qui nec satus, nec plantatus est in terra, nec radicatus; unde succo destitutus arescit, aut levi vento aut turbine prostermitur: sic enim et principum gloria caduca est et fucata, quam Domini flatus et jussio mox dejicit et dissipat. Rursum Forerius hunc dat sensum, *q. d.* Deus reges et tyrannos statim initio imperii sæpe aufert, et de medio tollit, antequam prolem generent, non relicta sobole: perinde ac truncus, qui in terra radices non egit, flores et fructus proferre nequit (1).

25. ET CUI ASSIMILASTIS ME? — *q. d.* Cur non tantum Jovem, Mercurium, Venerem, etc., et principes flagitiosos jam putridos, sed etiam serpentes et monstra fecistis deos, mihi quæ adæquastis?

26. LEVATE IN EXCELSUM OCULOS. — « Quis est, ait Cicero, qui cum oculos in cælum sustulerit, Deum esse non sentiat? » « Cœli » enim et astra « enarrant gloriam Dei. » Rursum, cœli fuerunt ante Jovem deosque omnes, creati a vero Deo.

QUIS CREAVIT HÆC? — id est hos cœlos. Hebraice pro *quis hæc est* מִי אֱלֹהִים *mi elle*, quod Cabalistæ per anagrammatismum retrogrado ordine legunt אֱלֹהִים *elohim*, quasi respondeat, *elohim*, id est Deus creator, « creavit hæc. »

QUI EDUCIT IN NUMERO MILITIAM EORUM. — « Militiam, » vocat stellas et astra. Unde Septuaginta vertunt, *ornatum eorum*. Hæc educit Deus « in numero, » id est numerose; plurimæ enim sunt stellæ. *Secundo*, « in numero, » id est in ordine suo, in quo quæque suum habet locum et numerum, eumque constanter servat, ut hæc sit prima, illa secunda, alia tertia, perinde ut milites in acie constanter servant suum ordinem. Ab ordine enim pendet exercitus robur, et victoria æque ac decor. Est catachresis: numerus enim

ponitur pro numerosa dispositione, harmonia, proportionem et ordine. Sic numerus musicus vocatur vocum et sonorum plurimum harmonia et concentus. Talis est et acies castrorum (qualis est astrorum) ordinata. « Deus, inquit S. Augustinus, epist. 28 ad S. Hieronymum, stellas tot astris distinctas, tanta varietate motuum, tanto sonorum concentu (loquitur ex sententia Pythagoræ et veterum, qui cœlos suavissimum suo motu concentum edere crediderunt), insignes educit, et movet, ut nulla creatura admirari satis possit. » Pro *qui educit* hebraice est מוֹצִי *motzi*, quod verti potest, *oriens*, id est oriri faciens. Dei ergo æque ac Christi, *Zachar. cap. vi, 12*, nomen est « Oriens. » Ita Forerius.

ET OMNES EX NOMINE VOCAT. — Significat hæc phrasim tria: *Primum*, quod Deus stellarum omnium naturam, vim et efficaciam intime perspectam habet, ita ut eas proprio et accommodatissimo nomine vocare possit. Est catachresis. *Secundum*, quod singularum stellarum, et rerum creaturarum Deus habeat curam et providentiam, ut cuique tribuat quod opus est, et cuique injungat opera et munia suæ naturæ et viribus commensurata, et accommodata, verbi gratia, lucifero ut lucem, hespero ut vesperam indicet; lunæ ut nocti, soli ut diei præsit; nil autem cuiquam supra facultatem et vires præcipiat. *Tertium*, quod stellæ omnes Deo per omnia obediant, ita ut, cum ipse eas accersit, vel quid eis jubet, omnes mox ei pareant et occurrant, ita ut nulla sit reliqua quæ se illi non sistat; hoc enim est quod ait:

Deus
stellas
vocat ex
nomine
triplici-
ter.

PRÆ MULTITUDINE FORTITUDINIS ET ROBORIS, VIRTUTISQUE EJUS, NEQUE UNUM RELIQUUM FUIT. — Aliqui *fortitudinem* et *robur* ad stellas referunt, *q. d.* Virtus stellarum et robur quantum est Deo parret, neque vel una est quæ in suo ordine et munere, in quo a Deo constituta est, deficiat. Verum sic dicendum fuisset *earum*; jam autem dicit « ejus, » scilicet Dei, *q. d.* Tam multa et magna est fortitudo, robur et virtus Dei, cœlos et astra moderantis, ut ne vel unum sit quod ejus ordinationi et mandato per omnia non satisfaciatur. Pulchre Boetius, lib. I *De Consol.*, Deum ita compellat:

O stelliferi Conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cælum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis!

27. QUARE DICIS, JACOB, ET LOQUERIS, ISRAEL: Vers. 24.

ABSCONDATA EST VIA MEA (id est vitæ meæ ratio, meus status, mea conditio) A DOMINO. — Est mimesis. Imitatur enim vocem Judæorum epicurizantium, qui adversis pressi putabant se a Deo negligi, Deum sui non habere curam et providentiam, *q. d.* Cum Deus sit tantus, tamque potens et sapiens, uti etiam aliæ gentes confitentur; cur tu, o Jacob, id est vos, o duæ tribus jam ab Assyriis afflictæ! et tu, o Israel, id est vos, o

(1) Est autem in oratione Prophetæ gradatio quædam. Primo ait, *etiam non plantantur*. Etiam si principes arboribus comparati ipsi intercidant, fieri tamen posset, ut surculus, quasi ex ramis aut radicibus arboris decerptus, infingeretur terræ et sensim excrescens fructum faceret, et, si ne id quidem locum habeat, posset tamen ex semine, quod in terram decidet, nova arbor enasci; verum et hoc futurum esse negat vates, ut Nahum de rege Assyrio, 1, 14: « Nullus amplius de nomine tuo seretur. » Denique fieri posset, ut arbore dejecta et succisa, tamen imus stirpis in terra relictus radices agat, et post aliquod tempus reflorescat, novosque stolones emittat. Sed ne id quidem futurum esse docet vates. (Rosenmuller.)

decem tribus jam in Assyriam ab iisdem abductæ! dicitis: Deus res nostras non curat, quantis affligamur malis, qua captivitate premamur non considerat, nostras ærumnas non videt, non attendit: « Circa cœli cardines perambulat, » nostra negligit, nec aspicit? Ita S. Cyrillus.

ET A DEO JUDICIUM MEUM TRANSIVIT. — Idem aliis verbis repetit, *q. d.* Non est Deo curæ nostrum iudicium, id est nostra causa, nostrum jus, nostraque justitia, an juste an injuste vivamus, an juste an injuste affligamur. Hactenus sumus habiti populus Dei, ecce jam opprimimur ab hostibus impiis et tyrannis; Deus iis nos permittit, ergo non est illi cura de nobis. Nota: In voce « transivit » est hypallage: iudicium enim transit, quia iudex illud pertransit, et præterit, *q. d.* Deus causam meam pertransit, negligit, iudicare non vult, sive jure, sive injuria mecum agant hostes non attendit. Sunt verba populi in captivitate et afflictione despondentis animum, et de Dei providentia diffidentis, ac queruli. *Secundo*, Sanchez, « transivit, » ait, id est præterivit et latuit. Sic enim vulgo dicimus: Ista res me præterit, id est latet. Hisce querimoniis respondet Propheta, aitque:

28. DEUS SEMPIERNUS DOMINUS. — Hebraice, *Jehova est Deus æternitatis, q. d.* Deus, Deique virtus et sapientia æterna sunt: ergo quam olim habuit, eandem nunc habet vestri rerumque omnium curam et providentiam. Cum enim sit æternus, non lassessit in gubernando, non deficit, non laborat, non senescit; sed æque semper recens, vicens, agilis et expeditus regit universa; præsertim cum uti potentia, ita et sapientia ejus sit immensa et investigabilis; quam proinde nullæ res, nulla hominum consilia, nullæ fraudes, nulla arcana latere possunt. Est enim Deus et Dominus non temporis, non ævi, sed totius æternitatis.

29. QUI DAT LASSO VIRTUTEM, — *q. d.* Non solum Deus ipse non lassatur, sed et lassis vires animosque restituit.

ET IIS QUI NON SUNT (qui esse non videntur, qui tam infirmi ac debiles sunt, ut ruituri et in nihilum casuri videantur, Deus dat) FORTITUDINEM. — Rursum iis qui non sunt dat esse, simulque robur, dum eos creat et producit.

Ex hoc versu Hebræi sumpserunt formulam benedicendi Deum: « Benedictus qui dat lasso robur, et ei cui non sunt vires multiplicat; » quam per compendium solis initialibus Isaïæ in Hebræo litteris in fine librorum ascribere solent hoc modo בְּנִלֵךְ אֵעִי.

30. DEFICIENT PUERI. — Declarat quanto majores sint vires quas Deus suis, quam quas natura confert: Pueri, ait, et juvenes vegeti et robusti labore fatigantur, infirmitate franguntur et cadunt: at qui sperant in Domino, ab eoque vires expectant, etiam si languidi sint, lassii et debiles, corroborabuntur, et in senili aut puerili corpore vires alent, et spiritus plusquam juveniles; hoc est quod ait:

31. QUI AUTEM SPERANT IN DOMINO, MUTABUNT (Hebraice יַחַלְפֻּהוּ *iachaliphu*, id est innovabunt, instaurabunt, integrabunt: est metaphora ab armis, quæ fracta, vel retusa cum novis et integris commutamus: hoc enim significat *iachaliphu*) FORTITUDINEM, — tum animi, tum corporis. Huc alludit S. Paulus dicens: « Cum infirmor, tunc potens sum. » Nam infirmitas ejus virtute Christi pensabatur. Rursum: « Licet, ait, is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem; » et: « Omnia possum in eo qui me confortat. » Sensus ergo Prophetæ est, *q. d.* In adversis, o Hebræi! nolite cadere animis, eos firmate in Deo, fixi in ejus providentia state, sperate et implorate ejus opem: qui enim ita sperant in Domino, licet infirmi, lapsi et pene collisi sint, pristinam fortitudinem ab eo recipient. Rursum, ut explicat S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* xvi: « Mutant fortitudinem, quia fortes esse student in spirituali opere, qui dudum fortes fuerunt in carne. »

Anagogice, Sancti in cœlo mutabunt fortitudinem, ubi corpus, quod hic « seminatur in infirmitate, surget in virtute, » ut ait Apostolus I *Cor.* xv, 43, nimirum debiles resurgent validi, morbi di sani, terrestres cœlestes, carnei spiritales. Quocirca B. Dionysius Carthusianus, qui in totam sacram Scripturam, pluresque alios libros, commentarios reliquit, vir æque sui contemptu et sanctitate atque doctrina illustris, præsagens tempus mortis, quæ ei obtigit anno Domini 1471, anno integro ante mortem, tria carmina decantabat, cum lacrymis et gemitibus. *Primum* erat: « Requiem æternam dona eis, Domine; » quo certo cognovit se illo anno moriturum. *Secundum*: « Maria unxit pedes Jesu; » quo sperabat se veniam peccatorum a Christo consecuturum. *Tertium*: « Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; » quo confidebat se cum Sanctis immortalē fortitudinem adepturum, uti habet *Chronicon Carthus.* Petri Dorlandi, lib. VII, cap. xxiv.

ASSUMENT PENNAS SICUT AQUILÆ. — Pro *assument* hebraice est יָעֹלֵי *iaahu*, id est ascendere facient. Unde Vatablus vertit, *sustollent alas*, quasi jam ante eas habuissent, sed fatigatione demissas et contractas. Verum melius et significantius vertunt Septuaginta, *πτεροποιήσουσιν ὡς ἀετοί, pennas producent ut aquilæ*, novas scilicet, dum in senectute veteres in iis pennæ decidunt. Hoc significat Noster dum vertit: « Assument pennas ut aquilæ. » Vide quantum gratia naturam superet, scilicet quantum aquila alias aves, præsertim in eo quod infirma et senescens vires, pennas et juventutem renovet, *q. d.* Qui sperant in Domino, ope gratiæ ab eo acceptæ ita fortiter et prompte labores, dura et adversa quælibet superabunt, atque viam divinæ legis non tam ambulando et currendo, quam volando conficient, et in cœlum contendent, ac si aquilæ, imo Angeli essent, quibus

Vers. 28.
Deus est
Dominus
æternita-
tis.

Vers. 29.

Scriptura dat alas aquilæ, idque quia Christus pectora eorum fortitudine complet. Ita Procopius, Theodoretus, Cyrillus et S. Thomas, qui per aquilas non tantum aquilas, sed et Angelos alatos et veloces instar aquilarum accipiunt. Sic Plato viris justis dat alas quibus cœlum petant. Chaldæus vertit, *super alas aquilarum current*. Quod primo, sic exponi potest, *q. d.* Aquilis erunt velociores. Secundo, *q. d.* Sicut aquila pullos suos alis vectat, et celerrime transfert: ita Deus alis providentiæ suæ fideles in se sperantes excipiet et vectabit, ut e captivitate et adversis omnibus celerrime evolent. Rursum Sancti assumunt, id est renovant, pennas, et veteribus depositis novas assument sicut aquilæ.

mini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile est aliquid: sic senem, in quo est aliquid adolescentis, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit:» ac talem docet fuisse Appium, cæcum licet.

Symbolice ergo, aquilæ sunt Sancti. Primo, quia aquilarum dotes et mores imitantur. Aquilinam vitam et dotes his versibus complectitur Poeta:

Alta volat, manet in petris, rostrum terit, est rex,
Venatur, jejunit, habet gemmam, rota solis
Sola probat pullos, lambit, fonte innovat alas,
Fulva, videns unguis, pisces prædataque clangit.

Symbolice aquilæ sunt Sancti, cur? Prima analogia.

Ita Sancti mente in cœlos conscendunt: habitant in petra, id est Christo: rostrum incurvum, id est pravitatem animi, iram, rapacitatem, ad petram, id est ad Christi crucem atterunt (Nota *rostrum terit*: senescens enim aquila ita magno et adunco fit rostro, ut cibum capere nequeat; unde Plinius, lib. X, cap. III, ait aquilam perire non senio, sed fame). Rursum, Sancti instar aquilarum sunt reges sui et mundi, venantur animas, jejuniis corpus macerant, habent gemmam gratiæ et charitatis: Solis justitiæ, id est Christi, intuitu, pullos, id est filios, an vere fideles et genuini sint, probant. Pii enim parentes cordi non habent proles, nisi et ipsi pietatem colant, et nisi totos se ad præcepta et nutum divini Solis componant, juxta consilium Sapientis, *Eccli. XVI, 1*: «Ne jucunderis in filiis impiis, etc., si non est timor Dei illis.» Adhæc aquilæ, id est fideles Sancti, non potant, non inebriant se, sed lambunt, et sobrie bibunt. Si vitiis senescant, fonte lacrymarum et pœnitentiæ innovant se. Fulvi sunt, id est magnanimi, ut aquilæ et leones: hi enim proprie fulvi sunt. Respiciunt unguis, id est vilitatem suæ naturæ, ut se humiliant. Insuper aquila inter ambulandum unguis contrahit, ne aciem eorum atterat, quo monet nos, ait Plutarchus, ne ingenii nostri acumen in rebus vilibus hebetemus, sed arduis et præstantibus impendamus. Denique aquila prædam prospicit; et pisces, id est animas, diabolo eripiens clangit et jubilat.

Secundo, sicut aquila est calido et sicco temperamento, ac fortis: ita viri sancti per zelum calidi; per spontaneam paupertatem, vel etiam per sobrietatem ac abstinentiam sunt sicci, indeque constantes, et in adversis fortes.

Tertio, aquila, teste Aristotele, Aldrovando et aliis, ordinarie parit tria tantum ova, quorum tertium, tanquam duo ad conservandam speciem sint satis, e nido præcipitat: ita Sancti duo ova pariunt, scilicet opera rectæ rationis, et opera gratiæ; tertium ovum, scilicet opus cupiditatum et voluptatum carnalium, abjiciunt: qui ergo aquila est, non affigit humo divinæ particulam auræ. Imo Aristoteles ex Musæo, lib. VI *Histor. animal. cap. VI*, sic scribit de aquila: «Exclu-

Secunda.

Tertia.

Modus quo renovat aquila ex S. Hieronymo.

Ex S. Augustino.

Ex Physicis.

Historice juventutis renovationem in aquila ita describit S. Hieronymus: «Aquilæ, ubi conseruerit, gravantur pennæ et oculi. Quærit illa fontem, erigitque pennas, calorem in se colligit: eo modo sanantur oculi, in fontem se ter mergit, atque ad juventam redit. Unde in *Psalm. CII*, dicitur: Renovabitur sicut aquila juvenus mea.» Ubi S. Augustinus scribit aquilam se renovare, rostrum aduncum, quod nimis excrevit ut cibum capere non possit; ad petram allidendo: «Tunc enim rursus accedit ad cibum, et omnia reparantur: est post senectutem tanquam juvenis aquila, redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum: volat excelsa sicut antea, fit in ea quædam resurrectio.» Verum alium modum hujus renovationis ex Epicrate, Athenæo, et Alberto Magno, dat Aldrovandus, lib. I *Ornithol.*, pag. 26: «Dicunt, ait, senem aquilam eo tempore quo pulli jam adulti volare possunt, sicubi deprehendat fontem clarum et latum, recte super illum in sublime efferri usque ad tertiam aeris regionem: ubi cum radiis solis, et aere calido incaleverit, ita ut fere exuri videatur, subito demissis retractisque alis in fontem frigidum allabi, ut a frigore forinsecus astringente calor interius augeatur: tum fonte relicto ad nidum suum non procul distantem advolare, et inter alas pullorum tectam resolvi in sudorem, et sic cum veteribus pennis senectam exuere, induique novis; interea vero dum creverint illæ, nutriri præda pullorum. Ad hæc non habeo quod dicam, nisi mirabilia naturæ esse multa. In duabus quidem aquilis quæ apud nos alebantur, nihil hujusmodi observavi; erant enim illæ cicures, et ad modum aliarum avium rapacium mutabantur.» Hinc proverbium: «Aquilæ senecta, Corydi juventa;» de viridi et cruda senecta quæ aliquorum ignavæ juventæ præstat. Nam aquila avis præstat corydo aviculæ, etiam ætate integra. Recte sapiens Græcus:

Ille senectus gratior, quæ parilis juventa:
Ille juvenus gravior, quæ similis senectæ:

Et Cicero, lib. *De Senectute*: «Senectus honesta est, si ipsa se defendit, si jus suum retinet, si ne-

ait binos (foetus), edit terna (ova), educat unum, » quod, inquit Aldrovandus, licet ut plurimum verum sit, tamen aliquando binos pullos visos ab ea ali, aliquando ternos, tradit Avicenna et alii. Hinc symbolice unus pullus significat aquilam, id est regem, regnum debere relinquere uni filio, non pluribus : monarchia enim est optimum regimen, unde Homerus, *Iliade* β, 204, et ex eo Aristoteles, *IV Polit.* iv.

Ὅν ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίρανος ἔστω,
Εἰς βασιλεύς.

Non bonum est multorum dominatus, unus Dominus esto, unus Rex; vel, ut Poeta Latinus explicuit :

Multorum imperium multa est confusio semper,
Multi sunt damno Domini, Rex unicus esto.

Moraliter unus pullus nobis educandus est opus charitatis et Spiritus Sancti. Secundus enim pul-
lus, id est opera tantum moraliter bona, et rectae rationi conformia Gentilibus et Philosophis relinquenda sunt : Christianus ex fide et gratia operetur oportet.

Quarta. Quarto, aquilæ ova excludere non possunt, nisi *Ætitem* lapidem in nidum importent. Causa est, quod ipsæ adeo exæstuant, ut ova prope excoquantur (incalescunt enim tantopere ac si bulliant); quare necesse est ut *Ætitis* refrigerio fervor temperetur, ejusque peculiari qua pollet vi partus acceleretur. Et cum binos tantum lapillos, nempe marem et feminam (ut quidam volunt), in nidum inferant, binos etiam tantum pullos pariunt. Ita Aldrovandus. Sic Sancti, ut pariant opera Spiritus, indigent *Ætite*, id est prudentia et discretione, quæ zelus eorum temperetur.

Quinta. Quinto, aquila generosa et excelsa est signum animi excelsi et placidi, omnia terrena despicientis. Hinc *Ægyptii*, ut significarent convitiolorum contemptorem, pingebant aquilam immotam, quæ nec pennis, nec rostro minaretur quidquam mali, et juxta eam cornicem quæ eam laceraret, et convitiis molestaret. Aquila ergo symbolum est magnanimitatis, ut videre est in emblemate Alciati, in quo aquila generosa tumulo fortissimi Aristomenis insidens depingitur hac epigraphe :

Quæ te causa movet, volueris Saturnia, magni
Ut tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo, quantum inter aves ego robore præsto,
Tantum semideos inter Aristomenes.
Insidiant timidæ timidorum busta columbæ,
Nos aquilæ intrepidis signa benigna damas.

Hinc et Claudius Paradinus in *Symbolicis heroicis*, ut monstret ad res arduas opus esse summa industria, labore ac diligentia, aquilam pingit cervi capiti inter cornua insidentem, pulveremque in alis collectum in oculos ejus excutientem, ut excæcatum tandem de rupe præcipitet. Inscriptio hujus symboli est :

Ardua deturbans vis animosa quatit.

Et Curtius Gonzaga emblemata habet, in quo aquila ita depicta, ut sub cælo procelloso ac fulgurante, immunis atque intacta solem aspiciendo, ab altera parte ad montem contendere videatur, cum hoc lemmate : « Neque occidere me, neque terrere me potest. » Significat virum qui nullis adversitatibus expavescit, quo minus in incepto amore, et negotio honesto perseveret. Ales enim virum, mons virtutem, tempestas adversitates denotat. Hoc est quod ait hic Isaias : « Mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ. »

Anagogice, Beati sunt aquilæ. *Primo*, quia aquila quæ acutissimi est visus (indeque dicta est aquila, quod acute videat, ut volunt multi) significat altam, arduam, intentamque Beatorum contemplationem. Hi enim divina visione fruentes mentis aciem in Deum, solem verum ac omnium luminis fontem, figunt.

Secundo, aquila fulmine non tangitur, quod tamen mortalibus omnibus pavore est : ita Beati non timent damnationem, nec gehennam, quæ omnibus hic est terrori.

Tertio, Beati similes sunt Angelis Dei, et Cherubinibus, qui, *Ezechiel.* cap. 1, 10, comparantur aquilæ. Nam, ut ait S. Dionysius, *Cælest. Hierarch.*, cap. xv : « Aquila significat regiam dignitatem Angelorum, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium reparandis viribus cibum agilitatem atque vigilantiam, et cursum ac facilitatem summam; ac propterea vim illam singularem speculandi atque intendendi libere, directe, in nullam partem inclinando aciem luminum, in radium illum uberrimum et lucidissimum deitatis, quem ex se instar solis emittit. » Quæ omnia Beatis quoque conveniunt.

Quarto, quod hic proprie respicit Isaias, alæ aquilæ velocissimæ significant dotem agilitatis Beatorum. Hæ enim in resurrectione erunt perfectissimæ, quando corpus spirituale per hanc dotem protinus erit ubi esse voluerit, inquit S. Augustinus *ad Hesych.* epist. 79, et S. Hieronymus hic. Per hanc dotem cum Christo, qui est prima et princeps aquila, evolabunt in cælum. Nam, ut dicitur *Matth.* cap. xxiv, 28 : « Ubi-
que fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ, » id est, ubi fuerit Christus, ibi erunt et Beati. Quocirca S. Hilarius illud *Psalm.* cxxxviii : « Si sumpsero pennas meas diluculo, » de Christo intelligit, qui assumpsit pennas suas in resurrectione jam corpore non gravato. Et infra dicit has pennas pertinere ad demutationem terrenorum corporum in spiritualem naturam. Et postea subdit : « Meminit et alibi (*Isaiæ* xl), dicens cum de spiritualium indefessa jam æternitate tractaret : Pennigerabunt tanquam aquilæ, naturam evolandam in cælum in resurrectionis demutatione sumpturi. »

Quinto, aquila amat excelsa : Beati sunt in cælo *Quinta.*
empyreo, in sublimissima gloria ac vita. Nam

ob sublimitatem sapientiæ S. Joannes vocatur aquila, *Apoc.* cap. iv, 7.

Secundo, « aquila non captat muscas; » Beati non curant res terrenas et viles : « Ne sustineas ergo, o homo ! primas tenere inter graculos, si aquila esse possis : » ne ambias hic primas inter homines, cum te humiliando possis inter Beatos referri.

Septimo, sicut aquilæ senes se renovant et juvenescunt : ita Sancti in resurrectione juvenescunt, et pro mortali corpore accipient immortale et gloriosum, cum eoque quasi aquilæ rapiuntur obviam Christo in aera. Ibi enim non erit labor, non tædium, non lassitudo, non dolor, non gemitus, non infirmitas, non senectus, sed quies, alacritas, vigor; lætitia, jubilus, sanitas et juvenita perpetua. Ita S. Hieronymus, Haymo, Procopius, et S. Augustinus, epist. 39 ad *Hesychium*, et Hilarius in illud *Psalm.* cxxxviii : « Si sumpsero pennas meas diluculo; » hunc Isaïæ locum ad litteram accipiunt de futura vita et beatitudine. Verum hic sensus anagogicus est. Nam litteraliter agit Isaïas de viventibus, puta de fidelibus, qui in hac vita adversis pressi sperant in Domino, ideoque innovantur quasi aquilæ, ut dixi.

CURRENT ET NON LABORABUNT, AMBULABUNT ET NON DEFICIENT. — Hebraice *יָבִיחַ לֵב* lo *iiaphu*, id est non lassabuntur, fessi non deficient, sed pergent strenue in continua ambulatione. Plus videtur hic promitti currentibus, quam ambulanti-
Moraliter, de fervore.
bus in via virtutis; plus enim est non laborare, id est non sentire laborem, quam non fatigari, et ex fatigatione non deficere. Currentes enim sunt fervidi, qui præ fervore cursus laborem non sentiunt, quia eum amant et ambiunt : « Ubi enim est amor, ibi non est labor, sed sapor, » ait S. Bernardus. Ambulantes sunt minus fervidi, qui proinde in operibus virtutum laborem sentiunt, sed superant. Ita in naturalibus videmus juvenes alacres et fervidos sæpe in cursu, aliisque laboribus ipsis gratis et jucundis, non sentire laborem; tum quia delectatio quam hauriunt, pellit sensum laboris, tum quia ingenti animo, vi et spiritu eum capessunt. Hæc enim vis et spiritus, pondus laboris ita facile sustinet, ut vix sentiat. Docet enim Aristoteles in *Physic.*, vim motricem, si magna sit et efficax, facilius movere pondus alioqui magnum, quam vis et virtus parva moveat pondus parvum. Ita vir facilius portat onus decem librarum, quam infans onus unius libræ. Curre ergo in stadio virtutis, et magis proficies in ea, magisque merebere, et minus laboris senties. Idcirco B. Virgo, spiritu et Verbo Dei prægnans : « Exurgens... abiit in montana cum festinatione..., et salutavit Elisabeth, » eique, æque ac Joanni, suos ignes et spiritus afflavit, *Luceæ* cap. i, 39. Sic Christus, quasi sol divinus : « Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio eius : et o cursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscon-

dat a calore eius, » *Psalm.* xviii, 6. Currentibus ergo Deus magnam gratiam et spiritum, magnos animos et vires quasi alas aspirat, qui omnem laboris sensum exsufflant. Hinc Paulus currebat, et ad cursum incitans ait : « Sic currite ut comprehendatis, etc. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, » I *Cor.* cap. ix, 24. Accedit et alia causa, quam dat Pimenius Abbas in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. xxxix : « Sicut, inquit, ad succensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insidunt in eam, et faciunt vermes : sic et monachum succensum igne divini spiritus dæmones fugiunt, tepidum vero illudunt et insequuntur. » Ergo ferventes non sentiunt laborem, vel molestiam, quia hæc omnis in opere virtutis provenit ex tentatione et resistentia dæmonis, carnis aut mundi, quæ omnes fugantur fervore. Quocirca sapienter monet Ecclesiasticus, cap. xxxi, vers. 37 : « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi. »

Hinc *secundo*, S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* cap. xvi, docet ex hoc Isaïæ loco Sanctos sæpe ferventius prosequi et perficere opus bonum, quod tepidius inchoarunt. Explicans enim illud *Job*, cap. xxix : *Sicut palma multiplicabo dies* : « Palma, inquit, vastior in summitate est, quam esse cœperit ex radice, quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando; et si tepidius prima inchoat, ferventius extrema consummat, videlicet semper inchoare se aestimat, et idcirco infatigabilis in novitate perdurat. » Probat id subdens : « Hanc scilicet justorum constantiam Propheta intuens ait : Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, etc. Mutant quippe fortitudinem, quia fortes esse student in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Assumunt autem pennas ut aquilæ, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant et non deficient, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant. In cunctis vero bona quæ accipiunt, quanto aliis libenter accommodant, tanto ipsi incommutabiles in novitate perdurant, et qui tenues a radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione convalescunt. » Ita refert Moschus in *Prato spiritali*, cap. v, quemdam Religiosum negligentem sub finem magnum assumpsisse fervorem, cumque causam tantæ mutationis rogetur, dixisse : « Modo moriturus sum. Et post dies tres mortuus est. » Cogita quotidie, dum surgis : Hodie forte moriar, et fervebis toto die, nec senties laborem.

Nota : Tò *assument pennas ut aquilæ*, dupliciter accipi potest. *Primo*, ad volandum; aquilæ enim pennas renovando, novasque assumendo, nova velocitate volant, *q. d.* Fessi sperando in Deo assument novum robur, ut nova alacritate ad bona opera volent, quasi aquilæ. *Secundo*, ad currendum : sic enim struthiocamelus pennas habet non ad volandum, sed ad celerrime currendum. Sed

eodem redit sensus; nam volare proprie est aquilarum, hominum vero currere, *q. d.* Sperantes in Deo ita veloces erunt in via virtutis, ut, cum in ea decurrent, non tam currere, quam volare videantur; nec tam homines, quam aquilæ esse appareant. Unde τὸ *assument pennas ut aquilæ*, explicat, dum subdit: « Current, et non laborabunt, » *q. d.* Sperantibus a Deo paratæ sunt aquilinæ pennæ et velocitas, quibus immensa locorum, operum et virtutum spatia volatu semper integro ac vegeto percurrant, aut gressu celeri ita decurrant, ut non tam pedibus ingredi, quam alis volare videantur. Unde Chaldæus vertit, *super alas aquilarum current.*

Nota secundo, τὸ *ambulabunt et non deficient*, idem quasi esse cum eo quod præcessit, « current et non laborabunt. » Hebraice enim est *יָלַח* *ialach*, id est ivit, ambulavit; progressus enim tribuitur etiam Angelis, fulguri et ventis, qui non tam ambulant, quam currunt: ita tribuitur Cherubinis, *Ezech. cap. 1, 9, 12 et 13*, qui tamen « ibant in similitudinem fulguris coruscantis, » ibid. vers. 14; ire enim et ambulare Hebræis significat progressum, sive is fiat pedetentim ambulando, sive celeriter currendo, sive etiam volando.

Igitur hoc loco idem quasi significant hæc tria, scilicet volare, currere et ambulare; sed volare impetum et facilitatem significat, currere celeritatem, ambulare continuationem et progressum, puta effectum volandi et currendi, qui est promoveri gressum et situm versus itineris metam et terminum. Cursum enim difficile est continuare, ambulationem vero continuare est facile; unde ut significet Sanctos cursum hunc continuare, addit eos ambulare, ita ut non deficient; Hebraice, *non delassentur*; Septuaginta, *non esuriant* (esuries enim sequitur ex defectu virium), sed lassitudinem, si quam sentiant, resumpto animi vigore et robore superent et transcendant. Idem ergo Sanctus, acceptis a Deo gratiæ alis, volat, currit et ambulat viam virtutis constanter usque ad finem vitæ, imo usque in cælum, et sic in τὸ *ambulabunt*, non decrescit, sed potius crescit et perficitur oratio, *q. d.* Ambulabunt continuo usque dum ad metam, puta ad cælum, perveniant.

Nota tertio: Possunt tamen hæc tria disjungi, et tribus sperantium gradibus adaptari; unde ex Hebræo cum Pagnino sic vertas: *Sperantes in Domino mutabunt robur, ascendent alta sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non lassabuntur*; Vatablus, *sustollent pennas ut aquilæ*, id est volabunt. *Primus* ergo gradus sperantium in Deo est eorum, qui amore Dei ferventes, humana omnia mente transcendent, instar aquilarum, imo Angelorum, evolant ad Deum in cælum, dicuntque cum Apostolo: « Nostra conversatio in cælis est. » Tales fuere Apostoli, de quibus ait

Isaias cap. LX, 8: « Qui sunt isti, qui ut nubes volant? » Item illi qui agunt vitam contemplativam, quales fuere Essei, et modo sunt Religiosi non pauci. *Secundus* gradus sperantium in Deum est eorum, qui in vita activa fervent, et fervendo currunt, qui proinde ob fervorem non sentiunt laborem, uti paulo ante dixi. *Tertius* gradus est eorum, qui in eadem, non quidem ardentem currunt, sed tamen constanter ambulant. Dices: Sic decrescit oratio, et a summo gradu descenditur ad imum, scilicet a volatu ad ambulationem. Respondeo *primo*: Id parum vel nihil habet incommodi; sic enim a perfectiori sæpe descendimus ad minus perfectum. Respondeo *secundo*: Esto una ex parte decrescat hic oratio, ex altera tamen parte crescit, et forte mysterium hic latens innuit Isaias, nimirum, *q. d.* Sancti summi volant contemplando per captus et extases ad Deum; illi quidem summi sunt; sed his periculum grave imminet illusionis, ne a Satana transfigurante se in Angelum lucis decipiantur et corruant, uti multis contigit. Medii currunt, nimirum qui devotione sensibili acti a Deo fervent ad opera charitatis, mortificationis, missionum; sed his periculum est a spiritu singularitatis, superbiæ et vanitatis, qua cæteris se eminere et sanctiores esse occulte autumant. Rursum tales deficiente devotione sensibili facile corruunt, fiuntque acedi et tepidi. Imi videntur, qui ambulant lente quidem, sed constanter in via virtutis; illi sunt qui eundem sequuntur vivendi in suo gradu modum, v. g. qui in Religione regulas omnes exacte et constanter observant, qui jugum Religionis constanter usque ad mortem portant, ac laborem, difficultates et tentationes omnes usque ad ultimum vitæ spiritum superant. Hic gradus, licet videatur excellentia imus, primus tamen est securitate, et sæpe fructu: nam cursus sæpe inciditur, ambulatio vero semper continuatur, quo fit ut ambulans continuo tandem currentem prævertat, juxta illud *Proverb. cap. XIII, 11*: « Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim manu colligitur, multiplicabitur. » Unde S. Bernardus cæterique Sancti suadent, ut hunc ambulationis gradum præ aliis capessat, qui suæ salutis et profectus est studiosus; quotidie enim ambulando, id est proficiendo in virtute, quanta per menses et annos singulos virtutum fit accessio? quantus accrescit meritorum cumulus? Et hoc forte notare voluit Isaias, nimirum sperantes in Domino, si secure viam Dei inire velint, in ea non tam currere et volare, quam ambulare, id est in communi sui instituti vivendi modo constanter progredi, et promoveri debere; ambulare enim est proficere, ait S. Bernardus, serm. 49 *in Cantic.*; sic enim certo itur ad mortem sanctam, indeque ad beatam immortalitatem; nec hic est periculum illusionis, vel singularitatis et superbiæ, quod est in volantibus et currentibus.

Secundus.

Tertius.

Tres gradus sperantium in Deum. Primus.

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*Fersuaserat Judæis Propheta in fine cap. præced. eos qui Deum colunt, in eoque sperant mutatu-
ros fortitudinem, et volaturos ut aquilas; hic jam ostendit quanto id sapientius faciant quam Gentes, quæ idolis suis
confidunt. Inducit ergo Deum cum Gentibus disceptantem, et quasi coram judicibus causam agentem, volen-
temque ut illi causam deorum suorum agant, cum ipsimet utpote muta simulacra pro se loqui nequeant.
Suam ergo causam Deum agentem, itaque inchoantem facit: Taceant ad me insulæ, etc. Primo, itaque pro-
bat suam divinitatem ex potentia et providentia, quam ostendit servis suis, scilicet Abrahamæ et posteris ejus,
dando eis tot victorias miraculosas, deducendo eos per desertum, protegendo eos, etc. Secundo, vers. 11,
promittendo eis in posterum hanc eandem suam opem et beneficentiam, unde tacite eos hortatur ut in ipsius
fide, spe et cultu persistent. Tertio, vers. 21, cum idolis disceptat, eaque non esse deos duobus argumentis
convincit. Primum est certa futurorum prædictio, qua se pollere, non deos Gentium, demonstrat. Alterum
est, vers. 24, quod idola ex se nec sint, nec firma sint, sed a fabris sint facta, et glutino firmata ne dissol-
vantur et corruant, ac proinde nemini vel bene vel male facere possint (1).*

1. Taceant ad me insulæ, et Gentes mutent fortitudinem: accedant, et tunc loquantur, simul ad judicium propinquemus. 2. Quis suscitavit ab Oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus Gentes, et reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio

(1) In hoc capite, veluti confirmat Isaias quæ in præcedenti capite exposuit, ut recte notat Cornelius, scilicet postquam Hebræis fiduciam in Deo præmendandam suasisset, jam iterum ostendit, quanto id sapientius faciant, quam aliæ gentes quæ diis fictitiis confidunt; profert igitur statim argumentum, unde quanta polleat potentia appareat. Cum is populus quem sibi jam olim in peculium elegerat, in Babyloniorum vinculis detentus diuturnum servitium pertulisset, liberavit tandem illum, patriisque restituit finibus, ministro usus heroe aliquo, fortitudine ac justitia pariter claro; Cyrum enim hic describi et non Abrahamum existimamus, ita tamen, ut bene observat Berthierus, duos int. ibi sensus litterales, quorum proximior et imperfectior ad Cyrum, remotior vero et sublimior ad Christum referatur. Quæ vero de statu Judaicæ gentis dicuntur, sunt veluti expeditionis Cyri consecraria, et si ad Christum spectes, sunt gratiæ per illum effusæ super Judæos qui Evangelium amplexati sunt, et quarum Gentiles abjecto idolorum cultu participes facti sunt.

Porro illum quem versibus 2, 3, 4, Isaias non appellato nomine describit, non esse Abrahamum, bene vero Cyrum, sic probat Rosenmüller (cui consentiunt præter interpretes quos Cornelius indicat, Calmetus, Berthierus, Allioli), cujus argumenta abbreviata producimus. *Primo*, sententiæ quæ hæc de Abraham dictum putat, eo quod devicerit reges qui adversus Sodomam et Gomorrhæam venerant, obstat, casum hunc unicum tantum occurrere in tota vita Abrahami, qui non faciat ejus characterem. Nemo enim Abrahamum ab hoc characterem privo et proprio describere velit. Fiducia Abrahami in divinis promissis, obsequii in Deum promptitudo, pietas et in Deum reverentia, maxime promissa a Deo ei facta et præstita, sunt χαρακτήρα hujus viri, non vero illum tanquam magnum bellatorem populos regesque debellasse atque suo imperio subjecisse. *Secundo*, cum hæc verba Deo aptentur in disputatione cum gentibus, quæ idola colunt, tanquam argumentum, quo illis demonstrat se esse verum Deum, apparet in hoc argumento nullam vim esse, qua moveri illæ potuerint ad suscipiendam fidem veræ divinitatis eum apud ip-

sas nulla exstaret Abrahami memoria, qualis in Hebræorum monumentis servatur. *Tertio*, quæ hic dicuntur, multo sunt majora quam quæ in Abrahamum competere possint. De eo enim minime vere et proprie dici potest, Deum ipsi tradidisse Gentes, et reges subjecisse imperio suo. *Quarto*, neque Abrahamo conveniunt, quæ versu 5 et seqq. leguntur, gentes ad ea quæ heros hic descriptus perfecit, obstupuisse, et idolorum cultores illis commotos se mutuo excitasse ad idola studiose facienda et colenda, ut mala sibi ab illo bellatore impenduntia averterent.

Quæ cum ista sint, nil restat, quam ut ad Cyrum quæ hic leguntur referamus; nam illi *primo* conveniunt (in sensu primo litterali supra dicto) quæ personæ hic descriptæ tribuuntur, et quod rem totam conficit, loca hinc plane similia in reliquo hoc libro, quæ indubie de Cyro agunt, id evidenter evincunt, vers. 25, cap. XLV, 1, 13, cap. XLVI, 11, ubi eadem voces et phrases occurrunt, eadem res agitur, quæ in hoc loco. *Secundo*, verbum *עִירָא* *excitare, suscitare*, non convenit vocationi Abrahami, sed principibus et populis qui a Deo suscitantur ad magnum aliquod opus divinæ providentiæ bello exsequendum. Sic supra XII, 17. Medi dicuntur adversus Babylonios suscitati. De Cyro autem eadem phrasim usurpatur infra, vers. 25, cap. XLV, 13; *Jerem. I, 9*. *Tertio*, dicitur excitandus vel excitatus esse hic princeps, *ab Oriente*, ab ortu solis (ut vers. 25), quod proprie et vere intelligitur de regione Trans-ægyptica quæ a veteribus *Oriens* dicebatur, ut adeo indicentur Persæ et Elymæi. *Quarto*, cum Calmeto addimus hanc sententiam melius cum sequentibus coherere; nec quod Cyrus princeps infidelis, hic *justus* vocetur, negotium facere potest; nam sic appellatur, ut notat Berthierus, per oppositionem cum aliis regibus Assyriæ et Babylonæ. Et revera hoc convenit Cyro, bellica non magis virtute, quam insigni æquitate, bonitate et justitia inlycto. Testis est Xenophon qui tametsi Cyrum suum non ad historiæ fidem, sed ad effigiem justii imperii, scripsisse Ciceroni dicitur, non tamen proposuisset, cum in exemplum nisi virtutibus eminuisset.

ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus. 3. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit. 4. Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum. 5. Viderunt insulæ, et timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt, et accesserunt. 6. Unusquisque proximo suo auxiliabitur, et fratri suo dicet: Confortare. 7. Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est: et confortavit eum clavis, ut non moveretur. 8. Et tu, Israel serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei: 9. in quo apprehendi te ab extremis terræ, et a longinquis ejus vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, et non abjeci te. 10. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei. 11. Ecce confundentur et erubescant omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi. 12. Quæres eos, et non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint: et veluti consumptio, homines bellantes adversum te. 13. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te. 14. Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: et redemptor tuus sanctus Israel. 15. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes, et comminues: et colles quasi pulverem pones. 16. Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos: et tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. 17. Egeni et pauperes quærent aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. 18. Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivus aquarum. 19. Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul: 20. ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et sanctus Israel creavit illud. 21. Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid forte habetis, dixit rex Jacob. 22. Accedant, et nuntient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ fuerunt nuntiate: et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum, et quæ ventura sunt indicate nobis. 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos. Bene quoque aut male, si potestis, facite: et loquamur, et videamus simul. 24. Ecce, vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos. 25. Suscitavi ab Aquilone, et veniet ab ortu solis: vocabit nomen meum, et adducet magistratus quasi lutum, et velut plastes conculcans humum. 26. Quis annuntiavit ab exordio ut sciamus, et a principio ut dicamus: Justus es? non est neque annuntians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros. 27. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo. 28. Et vidi, et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet verbum. 29. Ecce omnes iniusti, et vana opera eorum: ventus et inane simulacra eorum.

1. TACEANT. — Theodotion, *mutiant et sileant*. « Taceant » ergo, id est tacite me audiant: est metalepsis. Non enim omnimodum Gentibus in-

His præmissis, hujus capituli analysim, in sensu exposito capite præcedenti prosequimur. Confirmat igitur Isaias promissionem:

PRIMO, ex Dei beneficiis erga populum suum, ad quæ spectanda proponitur Cyrus victor populorum divina potentia effectus 2-4 et ad quæ impedienda vel æmulanda nulla vis hominum vel industria opposita aut conspiratio valuit, 5-7.

SECUNDO, promittendo, ad animandum populum, a Deo jam in parentibus electum, 8, 9, primo, præsentissimum Dei præsidium, 10-14; secundo, plenissima de hostibus vic-

dicat silentium, nam eos provocat vultque iudice cum eis contendere, sed postulat ut tacite se

toria, 11, 12, 15, 16; tertio, abundantissima rerum necessariorum copia, 17-20.

TERTIO, deridendo gentiles, quorum idola, primo, sarcastice provocantur ad ediscenda futura, 21-23; secundo, convincuntur vanitatis tum ipsa tum ipsorum cultores, 24; tertio, prædicantur conculcanda, et subsannantur tanquam fati hujus minime præscia, 25, 26.

QUARTO, edocendo omnes, primo, de veritate Dei Judæorum, qui futura de Christo præscit, et per Prophetas prænuntiat, 27; secundo, de falsitate idolorum, quæ nihil norunt, et huic vana comprobantur, 28, 29.

suæ causæ et divinitatis argumenta proferentem auscultent. Deinde iis, si quid habent libere respondeant. Hoc est enim quod ait, « mutent fortitudinem, » id est roborentur animis, viribus, et argumentis, ut mecum disceptent; animose fortiter et audacter me refellant, suamque causam stabiliant si possint. « Accedant » ergo, et ubi me audierint « tunc loquantur. Simul ad iudicium propinquemus. » Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus. Est hystorologia, sive ordo verborum inversus; nam plano ordine sic dixisset: Commutent Gentes fortitudinem, accedant, pariter ad iudicium propinquemus, tacite auscultent me, tunc loquantur. Ita Forerius. Pro taceant Symmachus vertit, *arate* (hoc enim quoque significat Hebræum *חרה* *charas*) *ad me insulæ*, id est, ut Procopius, servite mihi insulæ, sicut arator servit suo hero. Septuaginta pro *חרה* *charas*, legentes *חרה* *chadas*, id est innovavit, eddicavit, vertunt *ἐγκατατίθεσθε*, id est *encœnia celebrate*, » et, ut Nazianzenus, orat. *in novum Dominicum*, interpres vertit, *encœniamini*, *q. d.* Innovate novale gentilitatis aratro fidei et prædicationis Christi. Rursum innovate novale cordis vestri, arate, serite in eo novas virtutes, et bona opera, itaque dedicate cor vestrum in novum Dei templum, et hujus dedicationis agite encœnia. Simili modo ait Jeremias cap. iv, 3: « Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. » Tertio, Hebræum *charas* verti potest, *fabricate*, et *ædificate* vos ad me insulæ, ut scilicet mihi sitis in domum spiritualem.

INSULÆ. — *Insulas* vocat insulanos, hoc est gentes remotas, Judæis trans mare sitas, ut Græcos, Italos, Hispanos, etc.

2. **QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE JUSTUM?** — *Primo*, Hugo, Adamus et Pagninus per « justum » intelligunt Cyrum, qui divinæ justitiæ et vindictæ fuit exsecutor, tyrannos Chaldæos evertendo, et Hebræos ab iis liberando, quem Deus ad hoc evocavit ab Oriente, hoc est e Perside. Huic expositioni favent verba Isaïæ, quibus ejus victorias graphice describit æque ac cap. xlv, ubi Cyrum diserte notat vers. 1. Illud enim caput huic simile, et ejusdem argumenti esse videtur.

Secundo, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, per « justum » accipiunt Christum, *q. d.* Christus a Deo hominibus datus est quasi sol quidam justitiæ oriens in Oriente. Sicut enim sol ibi oriens mundum illustrat et vivificat, ita Christus, ut ait Zacharias, « visitavit » et illustravit « nos oriens ex alto, » scilicet oriente lucis divinæ; inde enim eum nobis oriri fecit Deus Pater.

Tertio et genuine ad litteram « justum » vocat Abrahamum, quia ipse inter infideles et impios solus pene fidelis et justus vixit; hinc vocatur « justus, » *Sapient. x, 5*, æque ac Lot inter Sodomitas vocatur « justus, » ibidem, vers. 6. Rursum Abraham vocatur *justus* quia fuit fidei et justitiæ quasi pater, eam in Chananæos et in poste-

ros suos propagando. Denique quia genuit Christum justum, et justificatorem mundi. Unde Hebraice pro *justum* צדק *tsedec*, id est *justitiam*; hanc enim emortuam in mundo per Abrahamum Deus suscitavit, et quasi ædificavit. Deus ergo vocavit Abrahamum ab Oriente, id est ex Mesopotamia, quæ orientalis est Palæstinæ, « ut sequeretur se; » secutus est enim Abraham Deum vocantem, cæca obedientia, « nesciens quo iret, » *Hebr. xi, 8*. Pro *se* hebraice est לרגלו *leraglo*, id est *ad pedem suum*, *q. d.* Deus ostendebat, et quasi præibat viam Abrahamo, eumque Abraham quasi cæcus pede ad pedem insistens ejus vestigiis, secure et fidenter sequebatur. Ita Chaldæus, S. Thomas, Hugo, Lyranus, Forerius, Sanchez et alii.

Vatablus paulo aliter vertit et explicat hoc modo: *Quis excitavit ab Oriente justitiam* (id est justum Abraham)? *proclamavit illam ad pedem suum*, id est, Abraham prædicabat justitiam in omnibus locis per quæ transibat et in quibus versabatur. Justitiam, ait, vocat cultum unius Dei. Nam et qui non tribuit aliis quæ sua sunt, injustus est; ergo et qui fraudat Deum honore suo, *q. d.* Abraham gloriosus ille Patriarcha inter vos idololatrias agebat, cum tamen eum idola nobilem non reddiderint, sed Deus: quod cum novaveritis, non tamen reliquistis idola, ut Abraham justum et a Deo benedictum sequeremini. Hucusque Vatablus.

DABIT IN CONSPECTU EJUS GENTES. — « Dabit, » id est dedit; omnia enim hæc futura per præteritum exponenda sunt, tum quia præcessit præteritum « suscitavit, » illi enim ea quæ sequuntur per et copulantur; unde pari tenore et tempore exponenda sunt; tum quia sequuntur præterita. « Quis hæc operatus est, » etc. Vide *Can. XIII*. Ita Chaldæus, Forerius et Vatablus, qui apte sic vertit: *Tradidit, vel tradebat coram eo Gentes, et imperitare faciebat eum regibus, ut daret eos quasi pulverem in gladio suo, et velut stipulam arcui suo. Persequebatur eos, et evasit incolumis via quam pedes ejus antea nunquam fuerant ingressi.* Loquitur primo, de victoria Abrahæ, quam retulit celerem, facilem et incruentam de Chodorlahomor et aliis tribus regibus liberando Lot nepotem suum, *Genes. cap. xiv, 15, q. d.* Quis Abrahamum fecit superiorem istis quatuor regibus victoria superbis? hocne idolorum cultus præstitit? minime; sed ego: et vos ergo me colite, non idola, et similia experiemini. *Secundo*, loquitur de victoriis, quas Abrahæ posteri, scilicet Moses, Josue et Hebræi sæpe miraculosas ab Amalecitis, Chananæis, Philistinis aliisque Gentibus retulerunt. Censetur enim Abrahæ datum, quod ejus posteris collatum est. Sic enim ipsi non in se, sed in posteris promissa est terra Chanaan, *Genes. cap. xiii, 15*. Vide *Canon. XXXIV*.

DABIT QUASI PULVEREM GLADIO EJUS. — « Pulverem, » scilicet « vento raptum, » ut sequitur; hoc enim per zeugma hic supplendum est, *q. d.*

Quam facile ventus rapit et dispellit pulverem et stipulas, tam facile Abraham et Hebræi trucidarunt suos hostes.

3. TRANSIBIT IN PACE. — Forerius et Vatablus vertunt, *transibit pax*, seu integritas, hoc est, integer et incolumis Abraham cum suis e prælio evasit. Hebræi enim sæpe ponunt abstracta pro concretis. *Secundo*, Noster subaudiendo *bet*, id est *in*, quod Hebræis est frequens, vertit « transibit, » id est « transivit in pace, » id est pacifice, integre et feliciter, nemine ex suis amisso. Sic pacifice Hebræi, duce Josue, occuparunt Chananeam, Deo pro eis pugnante, et Chanaanos percellente et fugante.

SEMITA IN PEDIBUS EJUS NON APPAREBIT. — *Primo*, potest esse hypallage, quasi, conversis verbis, dicat: Ita velociter pertransiit invadendo reges, ut pedes ejus in semita non apparuerint, ut pedum vestigia in semita non relinqueret; familiaris enim est Hebræis hypallage.

Secundo, proprie, *q. d.* Deus Abrahamum et Hebræos ita sanos, vegetos et integros, tum per desertum, tum per Chanaan victores deduxit, ut nullum semitæ et tantæ viæ vestigium in pedibus eorum appareret. Nam nec pedes callum obdurerunt; nec calcei aut vestes vetustate consumptæ sunt, perinde ac si nihil viæ confecissent; hoc est enim quod dicitur *Deuter. xxix, 5*: « Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt; » et *Deuter. cap. viii, 4*: « Pes tuus non est subtritus. » Ita Sanchez.

Aliter vertunt Forerius et Vatablus, scilicet: *Viam hanc pedes ejus ante nunquam fuerant ingressi, q. d.* Abraham ibat via incognita, et bellum insolitum gessit, nunquam enim prælium ante inierat: eo ergo major fuit hæc ejus victoria, eo et major Dei in eum favor et præsidium. Deo enim duce victoriam obtinuit.

Denique S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, qui de Christo hæc accipiunt, exponunt, *q. d.* Christus tam facile et celeriter victor transibit, hostesque et gentes passim suæ fidei subiget, ut non tam ambulasse quam volasse, aut, ut sol, in momento omnia sua luce pervasisse et occupasse videatur; victoria enim ejus spiritualis describitur per arma et res corporales, quia alludit ad arma et victorias vel Abrahæ, vel Cyri, qui etiam typus fuit Christi.

Speciatim per *pedes* Procopius et S. Augustinus in illud *Psal. xc*: « Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, » accipiunt Apostolos quibus Christus peragravit orbem, quos Saulus conculcare volebat: sed frustra. De his enim dicitur, *cap. liii, 7*: « Quam pulchri pedes annuntiantis... pacem! » Christus ergo est celer prædator; unde *vomen* ei dedit, *cap. viii, 3*: « Accelera spolia detrahere: Festina prædari. » Hic sensus appositus est, sed allegoricus potius quam litteralis.

4. QUIS HÆC OPERATUS EST, ET FECIT, VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO? — Forerius notam interrogationis facit post « fecit? » quasi deinde respondeat: Is facit, qui vocat generationes ab exordio. Verum Biblia Romana et alia ponunt hanc notam post *et ab exordio*. Sensus ergo est, *q. d.* Quis fecit hæc ut Hebræi inermes et timidi tot gentes suis regionibus expellerent, tot victorias illæsi obtinerent, idque continua generationum serie ab Abrahamo parente suo usque ad modernum Ezechiam? Sane non alius quam Deus, qui vocat generationes ab exordio, qui scilicet Hebræos omnes ab Abrahamo genitos hucusque vocavit et elegit in populum suum, quique uti Abrahæ, ita et posteris ejus, quamdiu eum coluerunt et in eum speraverunt beneficia, contulit.

Nota *et vocans generationes*, id est creans, et, ut Chaldæus, ordinans perpetuum generationum decursum, ut una continuo alteri succedat. Est metalepsis. « Vocans, » id est præsciens, providens, et sigillatim quamque suo ordine collocans, ut distincte quamlibet designare et evocare possit, et de facto quamque suo tempore evocet et producat, *q. d.* Quis est qui facit continua serie alias generationes aliis succedere? v. g. Quis est, qui fecit ut suo tempore veniret Abraham, deinde Isaac, mox Jacob, postea Moses, Josue, David et cæteri usque ad præsentem Isaiam et Ezechiam, et post Ezechiam pari modo alios et alios inducet, ac tandem Christum, inquit Cyrillus et Procopius, cujus pariter generationes ordinabit, ut in ejus Ecclesia, primo Apostoli, deinde Martyres, mox Doctores, aliique aliis usque ad finem mundi suo ordine succedant? Quis, inquam, has omnes generationes ab Abrahamo, imo ab Adamo usque ad Ezechiam ordinavit, et pari modo ab eo usque ad Christum, et finem mundi ordinabit nisi Deus, qui, ut ait S. Paulus, est « Rex sæculorum, » id est auctor, creator ac moderator sæculorum, qui sua providentia disponit certa serie sæcula, et res quovis sæculo futuras? Cujus ratio est, quia, ut ait S. Dionysius, *De Divinis Nomin. cap. v*, in Deo et circa Deum totum et omne esse, omne ens subsistensque versatur, et quasi volvitur. Sicut enim in rōta canthi circa axem, in circulo peripheriæ circa centrum, in mundo cæli circa terram volvuntur: sic omnia tempora et sæcula præterita, præsentia et futura certo ordine volvuntur circa æternitatem Dei; hæc enim stabilis semper, eademque præsens est cuivis temporis, omneque tempus ambit et amplectitur. Hoc est quod canit Boetius, *lib. VIII De Consolatione*:

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem!

EGO DOMINUS, PRIMUS ET NOVISSIMUS, — *q. d.* « Ego sum α et ω , principium et finis, » *Apocat. xii, 13*. « Ego ipse sum. Ante me non est forma-

Deus est
rex sæcu-
lorum,
cur?

tus Deus, et post me non erit, » *Isaiæ*, cap. XLIII, 10, *q. d.* Ego creo, conservo, dispono sæcula omnia, quia ego sum primus et novissimus, sæcula omnia anteo et sequor. Ego sum a quo omnia, in quem omnia, circa quem omnia. Hoc non faciunt idola et dii Gentium; hi enim ab ipsismet fabricantur et sculpuntur: ergo suis fabris sunt juniores, quomodo ergo sunt primi et novissimi? quomodo sæcula omnia, imo sui cultum, et cultores ab exordio ordinare potuerunt? Septuaginta vertunt, *Ego Deus primus, et in ea quæ ventura sunt ego sum, q. d.* Fui, sum, et ero omni ævo, sum æternus. Ita quoque ad æternitatem Dei hæc retulit Chaldæus.

Sic Plato, lib. IV *De Legibus*, ait vetus esse de Deo proverbium, quod ipse rerum omnium principium, medium et finem contineat et complectatur. Sic Theocritus in *Encomio Ptolemæi* ait:

Inter homines Ptolemæus vocetur primus, ultimus et medius.

Ad verbum Hebræi habent: *Ego Dominus primus, et cum novissimis ego ipse*, subaudi futurus sum, *q. d.* Primus sum, quia omnia creavi: et post novissima, postque consummationem sæculi ero: sum novissimus, sum æternus, sine principio et fine. Ita Vatablus. Ac consequenter sum α et ω , sum rerum omnium summa, sum universi prora et puppis, caput et calx. Omnia proficiscuntur a me, velut a fonte, et ad eundem omnia referuntur, tanquam ad felicitatis portum. Hinc illud Virgilio: « A te principium tibi desinet. »

Vers. 5. 5. **VIDERUNT INSULÆ, ET TIMUMERUNT,** — *q. d.* Gentes remotæ audientes victorias non tantum Abrahamæ, sed et Mosi in transitu maris Rubri, et deserto, ac Josue in Chanaan, aliisque eorum posteris concessas, agnoverunt Dei Hebræorum potentiam, eumque percussæ timuerunt, ut patet *Exodi* xv, 15, et *Josue* v, 1. Attamen ex inveterata consuetudine perstiterunt in sua idololatria, et in æternum persistunt, ad eamque tuendam se invicem adhortantur; cumque nihil habeant quo sua idola solide tueantur, quoque eorum divinitatem astruant, ut aliquid firmitatis habere videantur, eorum simulacrum ex se futile et ruiturum componunt ex forti materia, atque operiunt laminis, et clavis connectunt et solidant.

Qui hæc ad Christum referunt, sic explicant: Gentes viderunt gloriam et miracula Christi, et per ea ad Christum accesserunt, cesseruntque Evangelicæ prædicationi et victoriæ verbi Dei. Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Procopius, Haymo, Adamus, et S. Augustinus, lib. *De Unit. Eccles.* cap. VII. Verum quia sequitur: « Unusquisque, etc., fratri suo dicet: Confortare, » ut scilicet facias idolum; hinc melius hæc accipias de Gentibus, quæ ad Christi et Evangelii famam excitæ pro suo gentilismo contra Christum insurrexerunt, uti fecerunt omnes pene Imperatores primis trecentis Ecclesiæ annis usque ad Constantinum.

CONFORTARE. — Est vox idololatrarum volentium sua idola contra Deum, suam divinitatem et potentiam tot victoriis et miraculis ostendentem, fortiter tueri, ad idque atque eorum fabricam firmam ac elegantem invicem se animantium, ut strenue et fortiter omnes simul idolo fabricando et stabiliendo insistant. Patet ex sequentibus. Pari modo post Christum et contra Christum, fecerunt idololatræ, ut patet *Actor.* XIX, 27, in fabris Dianæ. Ita Lyranus, Arias, Forerius et Vatablus.

7. **CONFORTAVIT FABER,** — *q. d.* Faber unus ærarius qui malleo utitur et incude, id est malleator, fabrum alium, socium vel administrum suum, qui pariter idem cudebat idolum (sicut enim quædam idola conflabantur ex liquefacto metallo, quædam compingebantur, sic et quædam cudebantur malleo super incude), adhortatus est, ut simul animose et alacriter pergerent in fabricando et concinnando idolo; utque partes ejus glutino unirent, dicendo per modum laudantis et adhortantis: « Glutino, » id est de glutino (hoc est enim hebræum לַדְּבֵק *laddebec*) « bonum est; » Septuaginta, *bona est solidatio*; græce σύμβλημα, id est *commissura* [aut *conflatio*; Symmachus, Aquila et Theodotion, *sic κίλλησις, κλάδον ἔστιν, ad conglutinationem bonum est.* Eia ergo, glutino hoc utamur, et optime idoli partes connectamus; ac tandem idolum ita concinnatum clavis parieti affixit, ut firmum esset ac immobile. Summa est, *q. d.* Faber fabrum, malleator malleatorem confirmabat et incitabat ad tuenda et fabricanda idola.

8. **ET TU, ISRAEL, SERVE MEUS.** — Ostensa Gentibus idolorum vanitate, quod suis cultoribus nil opis et auxilii conferre possunt, convertit se Deus ad Israelitas cultores suos, eosque in suo cultu, fide et spe confirmat, promittens se eorum, æque ac Abrahamæ fore Deum et protectorem.

Allegorice, per Israel, spiritualem intelligit, scilicet Christianos, qui imitantur avitam fidem Abrahamæ et Israelis, hoc est Jacobi; ad eos enim sensim assurgit, imo de iis ad litteram hæc accipiunt S. Cyrillus, Hieronymus, Theodoretus, Eusebius Papa, epist. 1, *Decretali*, et S. Augustinus, lib. *De Unit. Eccles.* cap. VII. Vide *Canon.* VIII et XXII, *q. d.* Ego Christianos non tantum in Judæa, sed ubilibet inter extremas gentes agentes apprehendi, et per omnia adversa, ærumnas, hostes et pericula incolumes servavi, protexi et velut manu duxi, quasi amicos meos, quibus summum amorem, affectum curamque paternam exhibeo. De quo affectu et cura Dei in suos fideles agit Propheta per sex capita sequentia, quibus mire Apostolos, nosque fideles consolatur, et in spem erigit contra omnes afflictiones, tentationes et martyria, animatque ut in iis libere verbum Dei prædicemus. Ita Patres jam citati.

9. **IN QUO APPREHENDI.** — Septuaginta, Chaldæus, Vatablus, Forerius, et alii clarius vertunt, *quem*

(scilicet Israelem) apprehendi. Sed idem est sensus, imo significantior, si veritas cum Nostro, « in quo, » scilicet Abrahamo, *q. d.* Quando ab extremis terræ, id est ex remota Chaldæa, evocavi Abrahamum, in eo simul filios evocavi, et apprehendi totam ejus posteritatem.

10. ET SUSCEPIT TE DEXTERA JUSTI MEI.—Hebraice *justitiæ meæ*, *q. d.* Ego suscepi te dextera mea justa et fideli; qua enim fidelitate suscepi et protexi Abrahamum, eadem suscepi et protexi posteros ejus, uti Abrahæ promiseram. Ita Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et Forerius.

Verum vox *justitia* accipi potest pro *justo*, uti accipitur vers. 2, et eodem redit sensus. Quocirca per *justum* Lyranus Mosen, Hugo Cyrum, S. Hieronymus, Haymo et alii Christum, magis genuine ad litteram S. Thomas et alii Abrahamum accipiunt; de eo enim egit vers. 2 hucusque. Ita tamen ut per Abrahamum assurgat et tendat ad Christum. Solent enim Prophetæ sensim assurgendo a typo ad antitypum, ab umbra ad veritatem, tandem utramque sensu litterali amplecti, uti hic utramque amplectitur. Vide *Canon. V.* De utraque ergo hæc et sequentia ad litteram cum Forerio explicabo, *q. d.* Qua dextera Abrahamum, et multo magis Christum suscepi, eadem suscepi eorum filios et posteros, qui in iis, quasi in parentibus suis eorumque lumbis continebantur. Ubi ergo Abraham, pariter et Christus, Deo porrexit dexteram, id est Dei cognitionem et fidem amplexus est, ejusque opi, gratiæ et ductui se suosque commisit; in ea dextera Deus totam ejus familiam amplexus est. Ita Forerius, Sanchez et alii.

EGO TECUM SUM : NE DECLINES.—Septuaginta vertunt, *tecum enim sum : non fallo.*

Vers. 11. 11. ECCE CONFUNDENTUR, — Deo suos tuente, et pro iis pugnante. Hæc ergo sunt quæ Deus in fidelium suorum hostes intorquet : pudor, ignominia, perditio, ac omnimoda consumptio et abolitio, uti abolevit Pharaonem et Ægyptios in mari Rubro, Chananæos in terra promissionis.

Vers. 12. 12. ERUNT QUASI NON SINT, — erunt res nihili, mox nihilum futuri.

ET VELUTI CONSUMPTIO (velut id quod consumptum et deletum est, erunt) HOMINES BELLANTES (sic enim legendum cum Romanis et Hebræis, non *hominis bellantis*, uti legunt nonnulli) ADVERSUM TE.

Vers. 13. 13. APPREHENDENS MANUM TUAM. — Id est te animans, adjuvans, corroborans ut hostes tuos omniaque contraria vincas; hoc enim apud homines fieri solet apprehensa dextera, quæ proinde horum æque ac fœderis et amicitiae symbolum est. Ita Vatablus et Forerius.

Vers. 14. 14. NOLI TIMERE, VERMIS (Vatablus, *vermicule*) JACOB. — Historice et typice Judæos afflictos ab Assyriis, et paulo post vastandos a Nabuchodonosore, inquiunt S. Thomas, Hugo, Lyranus, Vatablus et Forerius; antitype vero Apostolos et Christianos (imo de his ad litteram accipiunt S. Hiero-

nymus, Haymo et Adamus), tum ob paucitatem, tum ob contemptum et humilitatem vocat vermiculum, v. g. lumbricum, aut teredinem, qui lignum corrodit. Similes enim sunt Christo, qui dicit : « Ego sum vermis, et non homo. » Rursum : « Sicut vermis terram penetrat, ita sermo Apostolicus penetrat Gentium civitates, et ingressus est corda prius durissima, » ait S. Hieronymus; unde sequitur : « Qui mortui estis ex Israel, » *q. d.* Qui afflicti estis et contempti (unde Septuaginta vertunt : *Parvule Israel*; Forerius, *Pusille Israel*), exsules et extorres, ut quasi pro mortuis habeamini, imo a tyrannis morte mulctemini. Sic *Job xxv, 6*, dicitur : « Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis. » Et huc proprie respicit Isaias, scilicet ad lumbricum, v. g. qui pedibus calcari et exteri solet. Hic enim notat hominem vilem, infirmum, afflictum et conculcatum. Et *II Reg. xxiii, 8*, Jesbaam, sive sedens in cathedra, primus inter fortes Davidis, vocatur « tenerrimus ligni vermiculus. » Huc alludit Christus, *Luc. xii, 32*, dicens : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum; » et Paulus, *I Cor. iv, 9* : « Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos. » Simili figura Ezechiel, cap. xxxvii, 14, Judæos captivos in Babylone vocat « ossa arida, » et « mortuos degentes in sepulcris. »

15. EGO POSUI TE QUASI PLAUSTRUM TRITURANS NOVUM, — *q. d.* Videris, imo es vermiculus, et cadaver; sed ego te elevabo et roborabo, ut, sicut plaustra dentatis et serrantibus rotis aut tribulis armata segetes conterunt et tritulant, id est grana excutiunt (uti fiebat in Palæstina, et etiamnum in aliquibus regionibus fit) : ita et tu tritures montes et colles, id est reges et tyrannos; hos enim Israelitæ in typo subjugarunt, Apostoli vero in veritate verbo Dei pedibus suis subjecerunt, « Destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, » *II Corinth. cap. x, 5*; Apostoli enim hostes potentissimos et elatos quasi montes, vel contriverunt, uti dæmones; vel subegerunt frangendo eorum superbiam, et convertendo eos ad Christum, uti infideles, quos humillimos reddiderunt, et quasi pulverem pedibus et præceptis piscatorum subditos. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Theodoretus.

17. EGENI ET PAUPERES QUÆRUNT AQUAS, ET NON

SUNT. — Historice et typice Deus Hebræis in deserto et alias hæc ipsa præstitit; desertum enim illis egentibus non fuit desertum, sed quasi paradisi deliciarum : non defuerunt aquæ, nec panis de cælo, et pro umbrosis arboribus columna nubis castra obumbrans; imo cum miraculo non uno loco eruperint fontes quasi flumina, quæ tota Hebræorum castra sitiencia satiarunt; quis dubitet quin cedrus, myrtus, olea et cæteræ arbores, quas hic nominat Propheta, illic creverint tot annorum spatio, inquit Forerius. Quod si cui

novum, incertum et durum hoc videatur, is cum Sanchez hæc figurate accipiat, ut tantum significet summam felicitatem, *q. d.* Deus Hebræos post stragem Sennacherib, post reditum e Babylone ita amplectetur indulgenter ac molliter, ac si in deserto areni produceret flumina, cedrum, myrtum aliasque arbores fructiferas et odoriferas, uti patribus eorum in deserto (eo enim alludit) dedit aquas largissimas e petra, quam Moses in colle Horeb virga percussit, *Exodi xvii, 6.* Quinimo ad litteram post sitim et inopiam, quam passi sunt in Babylone Hebræi, cum inde redierunt, dedit eis Deus largum imbrem, ut patet *Zachar. cap. x, 1*; idque quia speraverunt in Deo, non in idolis.

Antitype vero, et spiritualiter longe verius hæc Apostolis Christique discipulis conveniunt; his enim Deus genus illud vitæ Christianæ et Apostolicæ asperum et horridum, in delicias cœlestes vertit, et tristitiam eorum in gaudium et consolationes cœlestes commutavit. Hoc est quod eis promiserat Christus, quod « flumina de ventre » credentium in se orirentur, quodque ipsimet re expertos profiterentur, cum aiunt: « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiecimur, sed non perimus; » *II Cor. cap. iv, 8, et cap. vi, 9*: « Quasi morientes, et ecce vivimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. »

Rursum, « egeni et pauperes, » *q. d.* Peccatores miseri et captivi a diabolo quærebant animæ suæ refrigerium et liberationem; sed non inveniebant, nec in lege Mosis, nec apud Philosophos; sed ego hanc eis præstabo per Christum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus et Procopius.

18. APERIAM IN SUPINIS (ita legendum cum Romanis, non *supremis*) COLLIBUS. — « Supinis, » id est acclivibus et montosis. Unde Horatius, lib. I *Carm.*: « Seu mihi, inquit, frigidum Præneste, seu Tibur supinum. » Tibur enim urbs fuit in ascensu collis, quem Roma quotidie spectamus, posita, cujus et hodie ruinas, imo vicinam urbem, novumque Tibur cernimus. Unde Septuaginta vertunt, *in montibus*; Hebræa vox *סֶפְהִי* *sephi* significat præcipitium, *q. d.* Faciam ut in locis peccato aridis, sterilibus, præruptis et inviis abundet gratia, donaque Spiritus Sancti. Ita Procopius, S. Hieronymus, Cyrillus et Basilius, in illud *Psal. xxviii*: « Vox Domini concutientis desertum. » Alludit ad flumina quæ e montibus oriri solent, uti Rhenum, Mosam, OEnum, aliaque in Alpibus oriri cernimus.

19. DABO IN SOLITUDINEM CEDRUM, — *q. d.* Faciam ut hactenus inculta Gentilitas, Apostolica prædicatione exulta, arbores virtutum pulcherrimas, pariter et fecundissimas proferat. Ita S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus et S. Hieronymus, qui

ait: « Manus Domini perfecit, ut in ariditate Gentium invenirentur fluentia virtutum, et in terra quondam deserta plenaque salsuginis, cedrus, cyparissus, et aliæ arbores nascerentur: quarum sublimitatem et verticem ad cœlestia festinantem illuminaret lignum olivæ, quod nutrimentum lucis est, et laborantium requies. » Hæc etiam hodie in Japone, Brasilia, China aliisque Indiarum provinciis impleri magna animi lætitia conspiciamus.

Sic et S. Gregorius, homil. 20 *in Evangel.*: « Cedri, ait, sunt, quorum corda ita in æterno amore solidata sunt, ut eadem jam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Spinæ, qui corda audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant. Myrti, qui proximorum tribulationem per compassionem temperant. Olivæ sunt misericordes. Abietes sunt, qui in terrenis corporibus positi cœlestia contemplantur. Ulmi quæ vites sustinent, sunt sæculares qui sanctos viros donis spiritalibus plenos sua largitate sustentant. Buxi, qui licet ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent, tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenent. »

ET SPINAM. — Hebraice est *setim*, quæ est arbor in deserto odorata et imputribilis, omnesque arbores tam in nitore quam in fortitudine superans; quoad speciem similis spinæ albæ: unde Noster « spinam » vocat; ex qua arca tabernaculum ejusque vasa fabricata sunt. Ita S. Hieronymus. Vide dicta *Exod. xxv, 10*.

ULMUM. — *Ulmus* tum ad alia valet, tum ad maritandas vites. Hebraice est *תִּדְהָר* *tidhar*, quod aliqui *pinum* vertunt, ita dictam a splendore, quem, si accendatur, edit. Radix enim *זָהָר* *zahar* significat splendere. Unde ab Hebræo *tidhar* Forerius Latinum *tæda* deducit. Littera enim *zain* valet *ds*, unde sæpe cum *daleth* sive *d* commutatur, uti fit in tota conjugatione Hitpaël.

BUXUM. — *Buxus* hebraice vocatur *תֵּאֲשֻׁר* *theasur* a felicitate, quia semper viret, et foliis luxuriat. Ita Forerius.

21. PROPE FACITE JUDICIUM VESTRUM, — *q. d.* Ego argumenta meæ divinitatis hucusque proposui: vos, o Gentes! si quid habetis pro idolis vestris, nunc proferte. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

SI QUID FORTE: — si quod forte, osseum et validum habent argumentum pro idolorum suorum divinitate, promant. « Forte » enim hic nomen est, non adverbium; Hebræi enim *עֲצָמוֹת* *atsamot*, id est ossa, vocant argumenta, et confirmationes validas, quas quisque pro se suaque causa in judicio profert: hæc enim in causa et oratione sunt, quod ossa et nervi in corpore. Unde Septuaginta vertunt, *φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, afferte in medium fortia vestra; καταύματα ὑμῶν, robora et firmamenta vestra.*

DIXIT REX JACOB. — Studio vocat Deum regem Jacob, ut suggillet deos Gentium, quæ cum *ἱ*

cultum quasi diis exhibebant, ab eis tamen neque reguntur, neque defenduntur, sicut Israelitæ a Deo suo.

22. PRIORA QUÆ FUERUNT NUNTIATE : ET PONEMUS COR NOSTRUM, ET SCIEMUS NOVISSIMA EORUM. — Tò eorum non refert idola, sed tò priora : in Hebræo enim utrobique est genus femininum. Compellat Deus hic ipsamet idola, cum iisque disceptat, *q. d.* O idola ! o saxa ! o stipites ! o trunci ! si estis dii, ostendite vestram divinam omniscientiam, aut saltem scientiam priorum et præteritorum, nuntiate initia rerum, principia mundi et Divinitatis. Dicite quid Deus a principio et ab æterno fecerit, cogitaverit, decreverit ; inde « ponemus cor nostrum, » id est intelligemus, et « sciemus » vos quoque scire « novissima eorum, » id est ea quæ post illa priora jam dicta sequentur et evenient ; inde cognoscemus vobis inesse aliquid præ sagum et divinum. Ita Origenes, lib. IV *Periarchon*, cap. II. Hic sensus planus est et facilis. Licet enim dæmones, qui per idola subinde loquuntur, sciant initia mundi (illa enim viderunt, sunt enim creati simul cum cælo et terra), tamen nesciunt initia Divinitatis.

Rursum, loquitur Propheta ipsis idolis ligneis et saxeis, quæ per se, et ordinarie muta æque ac amentia sunt : rarius enim contingit dæmonem per ea loqui.

Secundo, Sanchez sic explicat, *q. d.* Nuntiate, o Gentes ! ea quæ prædixerunt dii vestri, et « ponemus cor nostrum, » id est considerabimus et expendemus « novissima, » id est successus et eventus eorum, et ex eventu judicabimus an vera sint locuti. Idem alium affert sensum, *q. d.* Priora idolorum considerate, et videbitis novissima, scilicet quod sicuti ex nihilo sunt facta, ita et in nihilum redibunt, quodque uti ex terra sunt fabricata, ita et in terram revertentur.

Tertio, Forerius sic exponit, *q. d.* Ex rebus quas Deus cum Abrahamo aliisque patribus nostris operatus est miraculose, licet conjectare quem finem res illæ habituræ quoque sint, tanquam ex umbris veritates, uti exposui, vers. 8 et 14, nimirum Deum, sicut affuit Abrahamæ, ita et posteris ejus affuturum. Pari modo, si qua priorum et præteritorum, o Gentes ! nobis annuntiaveritis, quæ dii vestri divine operati sunt, colligere poterimus eorum novissima, id est exitum et finem divinum quoque fore. Hic sensus apte respondet iis quæ supra, vers. 2, de benevolentia Dei erga Abraham ejusque posteros recensuit ; et vers. 9, cap. seq., ubi hanc cum idolis disceptationem concludit.

Denique S. Cyrillus et Theodoretus accipiunt « priora » et « novissima » idolorum, *q. d.* Dicite, o idola ! o Gentium dii ! priora vestra, id est vestri originem et initium, quomodo, quando, et a quibus fabricati sitis ; prædicite et novissima vestra, scilicet, quid eventurum sit vobis, an et quando demoliendi sitis. Atqui hoc non potestis ; ergo

ignorantes estis, non dii. Verum sic dicendum fuisset : « Scimus novissima vestra ; » jam autem dicit, « eorum : » quod ad idola referri nequit, uti ostendi.

23. ANNUNTIATE QUÆ VENTURA SUNT IN FUTURUM, ET SCIEMUS QUIA DII ESTIS VOS. — Aliud divinitatis et omniscientiæ idolorum poscit signum, scilicet præsentiam et prædictionem futurorum. « Testimonium enim Divinitatis est veritas divinationis, » ait Tertullianus ; *Apologet.* cap. XX. Ergo animæ humanæ non inest vis divinandi et vaticinandi, uti multi opinati sunt ; quos citavi et refutavi *Canon. XXI in Minores Prophetas*. Hinc ex hoc loco docent Theologi Deum, uti per se solus est cardiagnostes, sive conscius cogitationum et volitionum liberarum, quas mens in seipsa occultat, nec eloquitur aut prodit : ita solum certo prænosse futura contingentia et libera. Proprie enim solum contingentia sunt, ea quæ libera sunt, vel a libertate alicujus pendent : quæ enim mere naturalia sunt, determinata sunt, ideoque necessario eveniunt ; unde non sunt contingentia : quocirca ab eo qui totam seriem causarum naturalium videt et penetrat, certe prædici possunt, uti sunt eclipses, cometæ, venti, inundationes, pestilentiæ, etc. Libera vero quia ab arbitrio voluntatis pendent, indeterminata sunt ; unde prævideri et prædici nequeunt, nisi a Deo, qui hominum et Angelorum mentes ac voluntates penetrat et comprehendit, atque certissimo scit et prævidet quid quæque voluntas, positis quibuslibet circumstantiis, libere sit volitura, electura vel factura.

Ratio ergo cur Deus præsciat et prævideat futura omnia, est infinita ejus acies et vis cognoscitiva, infinitus intellectus, infinitum lumen ejus, quod omne verum ubicumque sit, videt et penetrat. Est enim Deus quasi sol quidam omnia videns, omnia lustrans. Sicut ergo lyncei in monte positi, longissime vident ; sunt enim acutissimo visu : ita Deus ex altissimo æternitatis suæ monte et specula, videt omnia quæ in hac mundi valle per omnia tempora fiunt et fient. Rursum, sicut qui stat in axe rotæ, videt omnes ejus canthos omnemque eorum volubilitatem : ita Deus in æternitate, quasi in axe consistens, videt totum sæculorum omnium decursum. Omnia enim præterita, præsentia et futura volvuntur circa æternitatem Dei. Adde mundum hunc, et tempus omniaque quæ in eo sunt, vel fiunt, esse instar parvoglobi, imo puncti, respectu Dei, ejusque immensitatis et omniscientiæ. Facile ergo totum quod in eo est a Deo prævideri potest : si enim quod sit in parvo cubiculo, totum ab homine qui in medio ejus consistit, facillime pervidetur, multo magis a Deo conspicitur id quod fit in toto mundo.

Dices : Etiam dæmones sæpe prædixerunt futura. Respondeo : Id eos non ex certa scientia, sed ex conjecturis fecisse, ideoque fuit hæc non certa divinatio, sed probabilis tantum conjectatio. Sunt enim dæmones acri, et ad conjectandum sub-

Vers. 23.

Testis
Divinitatis
est
veritas
divinationum

Ratio
cur Deus
prævideat
futura
contingentia,
est
ejus
infinita
vis
intelligendi.

tili et sagaci ingenio. Modos, quibus id faciunt, recenset S. Augustinus, lib. *De Divinat. Dæmon.* Quocirca in hac conjectatione sæpe errarunt, vel falsa veris miscuerunt; hinc etiam sæpe ambigue responderunt, ut in utramque partem eorum oracula accipi possent: unde Apollo dictus est Loxias, id est obliquarius. Tale fuit illud ejus ad Pyrrhum regem, a quo consultus erat, an Romanos esset superaturus nec ne:

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Et ad Cræsum: « Cræsus transgressus Halym maxima regna perdet. » Perdere enim tam amittere quam vastare significat. Ita S. Hieronymus et Cicero, lib. II *De Divinat.*

Porro dæmonem in sua conjectatione falsum esse et fefellisse multos exemplis doceri potest. Accipe pauca. Illustre est exemplum Achab regis, cui, cum omnes pseudoprophetae et divini victoriam contra Syros prædicerent, solus Michæas contrarium, scilicet cædem et necem, quæ vere ei contingit, prædixit. Historiam vide III *Reg.* cap. ult. Simile fuit vaticinium Hananiæ, qui Judæis liberationem ab obsidione Chaldæorum et victoriam promisit: contrarium enim, idque vere prædixit Jeremias, qui et idcirco Hananiæ mortem jussu Dei intentavit, *Jerem.* xxviii, 16.

Dum de Ferrandi Flandri fortuna mater ariolos consuleret, hoc ab eis oraculum accepit: « Rex in prælio cadet, pedibus hominum atque equorum calcabitur, nec sepelietur; Ferrandus vero a Parisiensibus jucundissime excipietur. » Verum secus evenit. Nam in bello contra Philippum Francorum regem captus Ferrandus Parisios ducitur et carceri includitur, anno Christi 1211. Ita Robertus Gaguinus, lib. VI *Histor. Francorum.*

Simile de Merovæo recensui cap. viii, in fine.

Cato major dicere solebat, « demirari se, quod aruspex aruspiciem aspicere posset sine risu, » quia pervidebat totum hoc divinationis genus imposturam esse, qua populo fiebat fucus. Solent enim impostores inter se ridere multitudinis stultitiam.

Denique nervose et eleganter S. Cyprianus, *De Vanitate idolorum*: « Hi, inquit, spiritus (dæmones) sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatium pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt. Nam et falluntur et fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacesunt, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium et rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cum illorum cessat injuria: nec aliud illis studium est quam à Deo homines avocare, et ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere; cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad

pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. Hi tamen adjurati per Deum verum a nobis, statim cedunt et fatentur, et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et operatione majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari. »

BENE QUOQUE AUT MALE, SI POTESTIS, FACITE. — Aliud argumentum divinitatis ab idolis exposcit, scilicet beneficium in suos cultores et vindictam in contemptores, uti se fecisse Abrahamo et posteris ostendit Deus vers. 2. Sic Gedeon, *Judic.* cap. vi, vers. 32, ait: « Si Deus est (Baal), vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. » Impotentiam hanc idolorum multis exaggerat Baruch, cap. x, vers. 52 et seq.

24. ECCE, VOS ESTIS EX NIHILO, ET OPUS VESTRUM EX EO QUOD NON EST. — Obmutescentibus idolis Deus contra eos causam perurget, et quasi victor victis insultat, *q. d.* Quid laboro? quid argumenta conquiro? Vos stupidi et muti estis, sine lingua, sine mente, sine viribus, imo nihilum estis, tantum abest ut bene cuiquam vel male possitis facere. Porro, ex nihilo, et consequenter nihilum sunt idola, sive eorum materiam spectes: hæc enim cum reliquis rebus a Deo ex nihilo creata est; sive formam, puta divinitatem, *q. d.* Divinitas vobis, o idola! non est forma, sed larva afficta; fictitii estis dii; ortum habetis non ab aliqua veritate, sed ab inani, stulta et sacrilega imaginatione et adulatione quorundam hominum: nihil ergo habetis veri numinis; omnia vestra plena sunt fucis et mendaciis; mentimini vos esse deos. Hoc sensu dixit Apostolus: « Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus, » I *Cor.* viii, 4.

Nota: Pro eo quod Noster vertit, *ex eo quod non est*, hebraice est מֵאֵפֶסֶת *meapha*, quod S. Hieronymus, Chaldæus et Vatablus vertunt, *ex nihilo*, sive « ex eo quod non est; » Forerius et Forsterus vertunt, *præ sibili*, a radice פָּאָא *pa*, id est *sibilavit*, *q. d.* Opera vestra inania et nulla prorsus sunt, et minus habent ponderis quam sibilus quidam.

Nota secundo: « Opus » hic dupliciter accipi potest. *Primo*, passive, « opus vestrum, » scilicet, quo vos idola facta estis, *q. d.* Fabrica vestra, id est vos ipsa, quæ estis opus et fabrica hominum stultorum, estis ex eo quod non est, id est ex nihilo. Idem enim videtur esse, « ecce vos estis ex nihilo, » quod, « opus vestrum ex eo quod non est, » scilicet, *q. d.* Estis ex nihilo, ac proinde nihil. Posterius enim hemistichium, more Hebræo, explicat prius. Simili modo vers. ult., cum ait: « Vana opera eorum, » idem est cum eo quod subdit: « Ventus et inane simulacra eorum. »

Secundo, « opus vestrum, » active, quod scilicet vos facitis et operamini, *q. d.* Opera vestra sunt ex nihilo, id est nihilum sunt, nulla sunt, quia nihil potestis operari, nihil bene vel male facere,

ut ait vers. præced. Prior sensus magis planus et genuinus, ex phrasi Hebræa videtur: posterior tamen sequitur ex priore, eumque complet: quod enim nihil est, nihil potest operari, nihil opis afferre.

ABOMINATIO (id est abominabilis) EST QUI ELEGIT vos, — qui vos colit. Hoc est quod ait Osee cap. IX, vers. 10: « Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. »

Vers. 25. 25. SUSCITAVI AB AQUILONE, ET VENIET AB ORTU SOLIS. — S. Thomas, Lyranus, Vatablus et Hugo hæc accipiunt de Cyro: hunc enim Deus suscitavit Hebræorum columen ex Perside, quæ Judææ partim est Aquilonaris, partim Orientalis.

Verum melius Forerius et Sanchez hæc accipiunt de Abrahamo. Est enim hic dictorum anacephalæosis et conclusio, q. d. Me ergo colere deberet orbis, quia feci, quæ in præcedentibus recensui, quæque audistis, nimirum vocavi Abrahamum ab Oriente, scilicet e Chaldæa, et e Septentrione, scilicet e Mesopotamia: de quo, cum fuerit nominis mei cultor, et me solum pro Deo coluerit, cumque ipse per se, et per posteros suos reges potentes debellarit et conculcarit quasi lutum, nemo dubitare potest quin id meis viribus fecerit. Symbolice, hæc accipe de Christo, q. d. Suscitavi, id est suscitabo, Christum, qui adventu suo Aquilonem, id est frigidæ gentes, ortu suo calefaciet, quique magistratus, id est omnes superbos mundi principes, conculcabit, et subdet sibi quasi lutum figulo, ut faciat ex eis vasa alia in honorem, alia in contumeliam. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus.

VOCABIT NOMEN MEUM. — Dupliciter, primo, q. d. Colet et invocabit nomen meum; secundo, q. d. Vocabitur nomine meo, id est meus servus et cultor: « vocabitur, » id est vocatus est, vocatur, vocabitur, juxta Canon. XIII.

ADDUCET (Forerius, *invadet*) MAGISTRATUS, — hebraice סגנים *seganim*, id est magnates, principes et reges, sicut plastes, id est figulus, invadit et subigit lutum.

Vers. 26. 26. QUIS ANNUNTIAVIT? — q. d. Quis ex vobis, o idola! harum rerum ordinem prævidit et prædixit? ut in hac disceptatione et iudicio pro eo sententiam feramus dicamusque: « Justus es, » id est tua causa justa est; jus a te stat, juste Deus habetis et coleris. Alii « justus, » id est « Deus es. » Deo enim propria est justitia; unde ejus titulus est: « Justus Israel. » Alii, « justus, » id est « verox Propheta es, » quia hæc prædixisti.

NEQUE AUDIENS SERMONES VESTROS, — o idola! q. d. Muta estis saxa et ligna; ergo nullus est tes-

tis, qui dicere potest se a vobis quippiam audisse et didicisse de futuris.

27. PRIMUS AD SION DICET: ECCE ADSUNT (sic legendum cum Romanis et Hebræis non *adsum*), q. d. Non idola, sed primus omnium Deus, id est ego ipse (est enim enallage personæ frequens Hebræis) dicam Sioni: Ecce adsunt qui tibi futura prædicant): ET JERUSALEM EVANGELISTAM DABO, — id est lætum nuntium, scilicet Isaiam aliosque Prophetas, qui quasi Evangelistæ, ei, quæ futura sunt, maxime de Christo, Christique Evangelio, salute ac regno annuntient; hoc est enim quod dixit cap. XL, vers. 9: « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. »

Rursum, « ecce adsunt, » id est, brevi aderunt Prophetarum successores Apostoli et Evangelistæ, qui ventura sub Christo, et per Christum, bona annuntient, imo digito ostendant. Hi enim dæmones et idola ejicient, eruntque Hierosolymæ, imo toti orbi, Evangelii præcones, ut eum in viam veritatis vocent, ut habent Septuaginta; hoc enim est quod mandat eis Christus, Luc. cap. ult. vers. 46: « Oportebat Christum pati, etc., et prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. » Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Inuit hic Isaias, Christo veniente cessatura et tacitura omnia dæmonum oracula. Tum enim, et deinceps omnia siluisse patet ex historiis. Unde Plutarchus scripsit librum *De Oraculorum defectu*.

28. ET VIDI, ET NON ERAT NEQUE EX ISTIS, — scilicet idolorum prophetis et cultoribus. Sunt verba Isaïæ, qui videns, nec idola, nec Gentes quidquam ad Dei cum eis disceptantis argumenta respondere posse, aut consultare de responsione adoranda, concludit:

29. ECCE OMNES INJUSTI, — q. d. Dii, qui a stultis Gentibus coluntur, æque ac Gentiles, sunt injusti, id est injustam et iniquam causam fovent, causa cadunt, et condemnantur; et enim *injusti* opponitur ei quod dixit vers. 26: « Justus es. » Rursum sunt injusti, quia a suis cultoribus quasi dii emungunt aurum et opes, pollicendo opem quam non præstant: opera enim eorum vana sunt, hoc est, ut sequitur, « ventus et inane simulacra eorum. » Vide dicta vers. 24. Omissis ergo ipsis transit in sequenti cap. ad Deum, Deique opera admiranda, quæ eum facturum prævidebat sequentibus sæculis, maxime sub Christo; ita tamen ut subinde ad idola redeat, eaque perstringat. Pro *inane* hebraice est תהו *tohu*, id est, ut Vatablus, *res informis*; alii, *chaos*, id est res confusa et inanis. Vide dicta *Genes. 1, 2*

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Christum, qui erit in fœdus populi, et in lucem Gentium, cujus modestiam, misericordiam et æquitatem describit. Unde secundo, vers. 10, omnes Gentes quibus tanta parata est salus, ad Dei laudes invitat. Tertio, vers. 13, idola et lucos se destructurum denuntiat. Quarto, vers. 18, ad Judæos conversus, proponit eis recentem cladem et excidium decem tribuum, monetque eos, ut a peccatis ad Deum se convertant, ne similem Dei vindictam experiantur (1).

1. Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus proferet. 2. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. 3. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet : in veritate educet iudicium. 4. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium : et legem ejus insulæ expectabunt. 5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, et extendens eos : firmans terram, et quæ germinant ex ea : dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. 6. Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium :

(1) Juxta communem interpretum tum catholicorum, tum etiam et unanimem acatholicorum sententiam, hic agitur de Christo directe, et quidem in sensu litterali exclusivo pro majore hujus capituli parte, ita ut quæ Cyrus respiciant, sint paucissima et non nisi in sensu imperfecto ad illum referri queant. Itaque fatemur non intelligere plane cæcam sed certe ultroneam Rosenmuller et plurimum Rationalistarum interpretationem, qui hanc clarissimam de Christo prophetiam, aliunde Evangelistæ testimonio confirmatam, a Christo avocare et ad populum Hebræum adscribere conantur. Quæ quidem interpretatio eo minus venia caret, quod ipsi agnoscere coguntur, primo, hic falsis gentium aliarum doctoribus, de quibus capite superiore, opponi ministrum quemdam Dei, gentes illustratum lumine doctrinæ suæ castæ et sanctæ per quem abducantur a vano et superstitioso idolorum cultu; secundo, hæc non competere in Cyrus, et multo majora esse quæ de illo Dei ministro hic dicuntur, quam ut ad vatem (v. g. Isaiam) a Deo missum referri commode possint. Porro, quæ sint nova momenta quibus ista explanatio textui, universæ traditioni, adeoque catholicæ fidei adversa nitatur, indigitare sufficiat ex Rosenmuller, ut ab uno discamus talium interpretum aliunde aliqua scientia præditorum, quam infirma sint tum argumenta, tum ratiocinatio.

Quæ vers. 19-22 hujus capituli, inquit, de servo Jovæ, ad gentes mittendo, dicuntur, *populum Hebræum* tam clare describunt, ut nec ii qui priores hujus capituli versus de Messia intelligunt, de eo dubitent. Accedit quod locis aliis compluribus partis posterioris hujus, qui a *Jesaja* nomen habet libri, עֶבֶר יְהוּדָה appellatione *populus Hebræus* designatur, et sicuti hoc primo versu a *Jovæ electus* dicitur, ut supra xli, 8, 9, infra vers. 19 hujus cap. xlii, 1, 21; xlii, 4; xlviii, 20. Nisi itaque mire inconstantem sibi vatem nostrum statuere velimus, illum et quatuor prioribus hujus capituli versibus de populo Hebræo loqui agnoscere debebimus. Proponitur itaque *populus Hebræus* *ministri Jovæ* seu *Prophetæ* persona, qui gentes reliquas a superstitione et erroribus ad veri Dei cultum et religionem sit perducturus. Porro ita huic *hesedoxæ* explanationi adhæret Rosenmuller, ut addat :

« Quod quidam vatem in hac pericope (xlii, 1 et seqq.), & in nonnullis similibus aliis hujus libri, modo de *populo Hebræo*, modo de ejus *duce* sive rege, Messia nunc diversis, nunc iisdem dictionibus loqui statuit, in eo minus illi assentiri possum, propterea quod talis oratio anceps et lubrica futura esset, qua bonum scriptorem uti posse aut unquam usum fuisse vix est credibile. » Nobis vero, cum Evangelista manifeste hæc de Christo interpretetur, non est alia expositio quærenda, nec alia etiam discutienda. Satis sit ergo respondere nullam esse similitudinis relationem inter Deum servum de quo vers. 11 et seqq., et illum, de quo vers. 19 et seqq., ut ex characteribus unicuique propriis judicare licet, et aliunde non eandem in scribendo analogiæ rationem statui posse inter scriptorem, v. g. historicum, et Prophetam, ut ipse bene scit Rosenmuller.

In hoc igitur capite, postquam in duobus præced. cap. de præparatione Evangelii actum est, ipsius Christi missionem aggreditur Propheta exponendo :

PRIMO, mittendi habilitatem, primo, ex dignitate personæ, 1; secundo, ex moderamine actionis, 2; tertio, ex rectitudine studii, 3; quarto, ex æquitate iudicii, 4.

SECUNDO, mittentis auctoritatem, primo, ex potestatis dominio, 5; secundo, ex communi in omnes merito ad quos salvandos Filium misit, 6, 7; tertio, ex gloriæ sibi debitæ zelo quam alteri tribui non patietur, 8; quarto, ex dato rerum futurarum, sibi cognitarum, certo indicio, 9.

TERTIO, missionis utilitatem et fructus, primo, ex imperato omnibus cantico, 10; secundo, ex diffuso hinc ad omnes gaudio, et redditur hinc ad Deum gloria, 11, 12.

QUARTO, discretionem iudicii hic intercedentem, primo, circa Gentiles, ex quibus persecutores veræ religionis, mutata jam Dei patientia in vindictam, exterminabuntur, 13-15, dum e contra errantes ex ignorantia melius eruditi convertentur, 16, 17; secundo, circa Judæos, quorum cæcitas et surditas, lumine et monitis divinis opposita, reprehenditur, 18-20; perversitas, divinam populum sanctificandi intentionem negligens, communicatione gravissima percussit, 21-23, et obduratio tot jam inflicta a Deo plagis non emendata perstringitur, 24, 25.

7. ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo et laudem meam sculptilibus. 9. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt : nova quoque ego annuntio : antequam oriantur, audita vobis faciam. 10. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ : qui descenditis in mare, et plenitudo ejus ; insulæ, et habitatores earum. 11. Sublevetur desertum, et civitates ejus : in domibus habitabit Cedar : laudate, habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt. 12. Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. 13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum : vociferabitur, et clamabit : super inimicos suos confortabitur. 14. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar : dissipabo, et absorbebo simul. 15. Desertos faciam montes, et colles, et omne gramen eorum exsiccabo : et ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam. 16. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt ; et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta : hæc verba feci eis, et non dereliqui eos. 17. Conversi sunt retrorsum : confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : Vos dii nostri. 18. Surdi, audite ; et cæci, intuemini ad videndum. 19. Quis cæcus, nisi servus meus ? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ? quis cæcus, nisi qui venundatus est ? et quis cæcus, nisi servus Domini ? 20. Qui vides multa, nonne custodies ? qui apertas habes aures, nonne audies ? 21. Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret. 22. Ipse autem populus direptus, et vastatus : laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt : facti sunt in rapinam, nec est qui eruat ; in direptionem, nec est qui dicat : Redde. 23. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat et auscultet futura ? 24. Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus ? nonne Dominus ipse, cui peccavimus ? Et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. 25. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit : et succendit eum, et non intellexit.

Vers. 1.

Christus
qua ho-
mo est
filius,
est et ser-
vus Dei.

1. ECCE SERVUS MEUS, SUSCIPIAM EUM. — « Servum » alii accipiunt Jacob, alii Isaiam, alii Cyrum : sed certum est ex *Matth.* XII, 18, intelligi Christum, qui servus est Dei, quatenus formam servi assumpsit factus homo. Licet enim idem, qua homo, sit filius Dei naturalis, quatenus scilicet humanitas illa subsistit in persona Verbi, quæ est filius Dei naturalis ; tamen idem est et servus ratione ipsius naturæ, puta humanitatis, quam assumpsit : hæc enim est creatura, ac proinde serva sui Creatoris. Vide D. Thomam et Scholasticos, III part., *Quæst.* XX. Nota : Hebræum עֶבֶד *ebed*, non significat servum, qui ex servili conditione serviliter servit, uti sunt mancipia ; sed ministrum, qui dominum suum colit, eique in amplo officio et dignitate ministrat, uti duces et principes serviunt et ministrant regi, Cardinales Pontifici, Apostoli Christo. Sic enim S. Paulus se vocat servum, id est Apostolum Christi, ut dixi *Philip.* I, 1.

Porro hæc connectuntur capiti præcedenti, hac ratione, quod ibi dixerit vers. 2, 4, 23 et 27, se futura æque ac priora et præterita annuntiare et adducere : cumque illud ibi de præteritis, per ea quæ Abraham et Hebræis contulit, demonstrarit, nunc id de futuris, scilicet Christo et posteris ejus, quorum typus fuit Abraham et Hebræi, demonstrat. Hoc est enim quod ait vers. 9 : « Quæ prima

fuerunt, ecce venerunt : nova quoque ego annuntio. » Rursum dixerat, cap. præced. vers. 27, se Sioni daturum Evangelistam ; hinc hoc capite promittit Christum Evangelii conditorem, et Evangelistarum principem.

Septuaginta vertunt : *Jacob puer meus, assumam eum : Israel electus meus : Jacob*, id est Jacobita ; *Israel*, id est Israelita, scilicet Christus ex Jacobo nasciturus. Sic de eo dicitur cap. XLIX, vers. 3 : « Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. » Vide *Can.* XXXIV. Huc alludit beata Virgo canens : « Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordie suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, » *Lucæ* I, 54. Pro *assumam* enim et pro *suscepit*, utrobique, in Græco est idem verbum ἀντιλαμβάνω.

SUSCIPIAM EUM. — Hebraice אֶתְמַח *etmach*, id est sustinebo, sustentabo eum quasi pater filium charissimum, summo amore æque ac cura et studio fovebo et fuleciam eum. Chaldæus, *adereo ei*, quasi comes, protector, imo dux et pædagogus. Sic Christus S. Ignatio fundatori Societatis Jesu, Romam eunti, dixit : « Ego vobis Romæ propitius ero. » Dixit, et præstitit.

ELECTUS MEUS, COMPLACUIT SIBI IN ILLO ANIMA MEA. — « Electus » tum in duces et imperatorem belli spiritualis, quod contra diabolum et peccatum geret, tum in filium dilectissimum : huc enim

allusit Deus Pater; quando Christo baptizato intonuit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, » *Matth.* III, 17.

DEDI SPIRITUM MEUM SUPER EUM. — « Spiritum » scilicet septuplicem, de quo *cap.* XI, vers. 2. Hujus rei symbolo misit Pater in eum, dum baptizaretur a Joanne, Spiritum Sanctum in specie columbæ.

JUDICIUM GENTIBUS PROFERET. — « Judicium, » id est id quod justum est, puta justas leges; *secundo*, verum justumque Dei cultum; *tertio*, veram justitiam et sanctitatem, nimirum legem Evangelicam, quæ hæc tria complectitur, docebit et promulgabit per omnes Gentes. Vox ergo *judicium* significat Christum fore novum justitiæ, id est Evangelii, doctorem et legislatorem. Unde in sequentibus describuntur ejus æquitas, modestia, mansuetudo, misericordia et clementia. Ita passim Patres et Interpretes hic, et *Matth.* *cap.* XII, præter Theodoretum et Eusebium, lib. IX *Demonst.* *cap.* XV, qui sic explicant, *q. d.* Christus prænuntiabit Gentibus futurum generale Dei judicium, ut omnes sibi prospiciant, et ad illud se comparent. Hoc verum est, sed in sensu anagogico.

Notat Procopius Christi Evangelium vocari « judicium, » quia Judæi legem suam veterem vocabant « judicium: » legi autem veteri quasi typo et umbræ successit Evangelium, quasi veritas. Unde majore ratione veritas Evangelii vocatur « judicium, » id est justitia et judicatio recti, quam umbra legis Mosaicæ: majorem enim, diviniorem et sublimiorem quam illa tradit justitiam et perfectionem. Rursum Christus longe major fuit legislator quam Moses. Hoc autem significat « judicium proferet, » id est jus dicet. Est enim hæc phrasis regiæ et imperatoriæ potestatis periphrasis. Hinc etiamnum in Ecclesia Christus per suos Pontifices et ministros jus dicit. Unde cum principes et reges ipsi Christo nomen dederint, judicia, ut par est, exercere, causas juste judicare, ac juste jus reddere, non se existimabunt, nisi prius legem Christi consuluerint. Rursum cum reges Christiani inter se habent lites, judicium a Christo, id est ejus in terris vicario, petant, illique stent et obediunt, non autem armis jus sibi dicant. Ad hoc enim caput Ecclesiæ Christianæ post se in terris reliquit Christus.

2. NON CLAMABIT, — non erit clamorosus, nec contentiosus: unde *Matthæus*, XII, 19, vertit, « non contendet. » Docet hic Propheta Christum fore mansuetissimum, et mansuetissimo modo docturum et rectorum suos. Hoc enim significat trina ejusdem rei repetitio apud S. *Matthæum*, cum ait: « Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. »

NEQUE ACCIPIET PERSONAM. — Nota plures posse esse ejusdem loci S. Scripturæ, non tantum explicationes litterales, sed et versiones, ut alibi ostendi. Sic hic Hebraice *לֹא יִשָּׂא* *lo issa*, id est non levabit, S. *Matthæus* subaudiens *קָלוּ* *kolo*, id

est *vocem suam*, vertit, « non contendet. » Noster hic subaudiens *פָּנִים* *panim*, id est *facies*, hoc est « personam, » vertit, « non accipiet personam. » Utraque ergo hæc versio canonica est, et intenta a Spiritu Sancto.

Tertio, Symmachus, teste S. Hieronymo, verrens, non decipietur, legit *יִשְׂשָׁחָ* *iusscha* per *schin*, a radice *נִשְׂחָ* *nassa*, id est *deceperit*.

Quarto, Septuaginta, non relinquet, scilicet populum Judæorum, legerunt *יִשְׂסָחָ* *iissca* per *sin*, a radice *יִשְׂסָחָ* *nassa*, id est *oblitus est*. Porro juxta nostram versionem in iudice Christo commendatur hic uti mansuetudo, ita et sinceritas et rectitudo, qua sine acceptione personarum jus cuique dicet.

3. CALAMUM QUASSATUM NON CONTERET, ET LINUM FUMIGANS NON EXTINGUET. — S. Hieronymus per *calamum* accipit tibiam, sive fistulam, quæ prius canora, cum quassatur, hiulecum edit sonum, ideoque abjicitur. Verum melius generatim quemvis hic *calamum* accipias: nam S. *Matthæus* « *calamum* » exponit « *arundinem*. »

Rursum apposite *Delrio*, *adagio* 772, per *linum* accipit *myxam*, sive *ellyphnium* ex lino caligans, flamma nondum dominante, vel jam evanescente. Unde et *Syrus* pro *linum* vertit *lucernam*, puta *ellyphnium* lineum *lucernæ*. Vertit enim, et *lucernam fumigantem* (quæ jamjam exstinguenda est) *non exstinguet*; et *Arabicus*, *lucernam quæ lucet non exstinguet*. Sic enim sæpe materia ponitur pro re ex ea confecta, ut lina pro retibus, ferrum pro compede, lignum pro numella, aurum pro annulo aureo, argentum pro pecunia, lapides pro ponderibus.

Sic veteres, præsertim Romani, *ellyphnia* *lucernarum* accensa non exstinguebant, sed ea per se languescere et deficere permittebant. Causas indagat et assignat *Plutarchus*, *Problem. Roman.* *cap.* LXXV: « An, inquit, quasi inexstinguibilis illius et immortalis ignis cognatum et affinem colentes? An et hoc quoque signi est, non oportere quod animatum sit, nisi noceat, corrumpere, neve interficere, quasi animal ignis sit? Nec immerito. Nam et alimento indiget, et per se movetur, et cum exstinguitur, vocem emittit. An hoc more docemur, non oportere nec aquam, nec ignem, nec eorum quidquam quæ ad usum pertinent, etsi abunde suppetant, corrumpere aut absumere, sed indigentibus utenda relinquere, cum ipsi jam illis opus non habeamus? »

Est ergo hic geminum proverbium, significans summam Christi mansuetudinem: homines enim *calamum* quassatum abjiciunt, quia inutilis est, et quia tenentem suis fracturis et aculeis pungit et lædit. Similiter *linum*, sive *ellyphnium* non ardens et vix lucens, sed fumigans, qui nocet et oculis et naribus (fœtet enim), mox exstinguunt. Christus vero tantæ erit patientiæ, ut neutrum faciat, *q. d.* Christus erit tam patiens et mansuetus, ut *calamum* quassatum et *linum* fumigans.

in quo adhuc aliquid luminis et ignis remanet, id est infirmos et imbecilles in fide, spe et charitate, non abiciat, nec contentiose, nec clamose increpet et opprimat, sed sua mansuetudine eos sustentabit, fovebit, sanabit et accendet. Ita S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus et Hilarius, in *Matth.* XII. Unde et S. Chrysostomus interpretatur: « Christus hostes suos non ulciscetur. » Paulo aliter Maldonatus, *q. d.* Christus tam mansuete, quiete et attente ambulabit, ut etiamsi super arundinem quassatam ambularet, eam tamen non frangeret; aut, si super linum et stupam fumigantem incederet, eam tamen non exstingeret. Hunc esse sensum patet ex *Matth.* XII, 18. Nam cum Pharisei, invidentes miraculis Christi, consilium inirent ut eum perderent, Christus inde recessit, et plurimos ex eis qui ipsum sequebantur sanavit, quibus mandavit, ne eum manifestum facerent, « ut adimpleretur, inquit Matthæus vers. 17, quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, etc., non contendet, etc., arundinem quassatam non confringet. » Pharisei ergo erant arundo conquassata, sed quæ adhuc integritatis speciem retineret: quocirca Christus noluit eos exasperatos in furorem adigere, et omnino perdere: quod fecisset, si cum indignari eos videbat, in operatione sua perstitisset, neque inde abivisset, inquit Forerius: abiens vero et injuriæ immemor, ægros (qui et ipsi erant calamus quassatus) ipsorum sanare perrexit. Ita S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.* cap. III: « Calamus, ait, quassatus est genus regale, quod jam apud Judæos defecerat; nam regnum eorum alienigena (Herodes) possidebat. Quid vero per linum, nisi eorum sacerdotum exprimitur, quod lineis nimirum vestibus utebatur? Quod quia in adventu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit. Illum Christus non confregit, hoc non exstinxit: quia neutrum potestate judicii percussit, sed utrumque cum patientiæ longanimitate toleravit. »

Moraliter, discat hic a Christo Christianus, patienter ferre mores, infirmitates et vitia proximorum, imo reddere eis bonum pro malo, sicut Christus hic, cum Judæi machinarentur ei necem, ille tamen infirmos eorum curare non destitit. Cum ergo linum, id est homines imbecilles fumigaverint contra te, perfer et patienter sustine: da fumo, id est iræ, locum: ipsa enim suo se ardore quam celerrime exstinguet. Omnis enim humana virtus etiam regia, cauda est titionis fumigantis, ut de Rasin rege Syriæ et Phacee rege Samarie ait Isaias cap. VII, 4. Audi S. Basilium in *Regul. brevior.*, Respons. 291: « Quis est, inquit, calamus quassatus, aut fumigans linum? quomodo ve alterum quis non conterit, alterum non exstinguit? » Respondet: « Sane per quassatum calamum illum intelligi arbitror, qui non ea quæ oportet animi sinceritate mandatam Dei exsequi-

tur; quæ non conterere convenit, neque abscindere, sed sanare potius, sicut docuit Dominus, cum dixit: Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Et in alio loco: Nihil per contentionem aut inanem gloriam. Linum vero fumigans, quotiescumque qui mandatum quidem exsequitur, sed non ardenti desiderio, aut pleno studio, sed segnius quodammodo ac lentius; qui ideo non est deterrendus, sed excitandus, potius admonitione assidua judiciorum Dei, et promissionum ipsius. »

Rursum discant a Christo Prælati, Pastores et Principes propriam eorum virtutem esse clementiam et misericordiam. Præclare Justinianus Imperator, lib. ult. Cod. *De Donat. inter virum et uxorem*: « Nihil aliud, ait, tam peculiare imperiali majestati est, quam clementia, et humanitas, per quam solum Dei servatur imitatio. » Plinius in *Panegyrico Trajani*: « Principis, ait, est, beneficiis potius, quam remediis ingenia nostra experiri. » Seneca, lib. I *De Clement.*: « In apibus, ait, videmus regem sine aculeo esse. Noluit enim illum natura, nec sævum esse, nec ultionem magno constituram petere: telumque detraxit, et iram ejus inermem reliquit. Exemplum hoc magnis regibus ingens est. » Salomon, *Prov.* cap. XX, 28: « Roboratur clementia thronus ejus, » scilicet regis. Ennodius in *Panegyrico Theodorici*: « Flexus sit animus tuus, pronus semper ad veniam. » Et Ovidius:

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox.

Julius Cæsar, *epist. ad Oppium*, lib. IX *ad Attic.*: « Hæc nova est vincendi ratio ut munias te misericordia et liberalitate. » Vis exempla? Julius Cæsar Bruto et aliis, qui contra se Pompeii partes foverant, ignovit. Idem detectas contra se conjurationes non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet sibi notas, et acerbè loquentibus, satis habuit pro concione denunciare ne perseverarent.

« Annibal, ait Livius, lib. XXI, hoc unum studuit in principio rerum, ut clementiæ famam colligeret. »

Carolus Magnus sanxit ut omnes domini clementer tractarent subditos: « Scientes, inquit, fratres suos esse, et unum secum patrem habere Dominum, ad quem clament omnes: Pater noster qui es in cœlis. »

Nero initio imperii clemens, rogatus a Præfecto utreorum quorundam damnationi subscriberet, exclamavit: « Utinam nescirem litteras? »

Alexander Severus cum ei Mammea mater, uxorque Memmia nimiam clementiam improperarent, dicerentque: « Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem fecisti; » respondit: « Sed securiorem et diuturniorem. » Ita Spartianus.

Titus, teste Suetonio, duos patricios de affectatione imperii convictos pertulit, nihilque amplius, quam ut desisterent monuit, hoc tantum dicens: « Principatum fate dari. »

Morale
Propria
principum
virtus est
clementia.

M. Antoninus uxori Faustinae postulanti ad poenam conjugationis Avidii Cassii complices, ita rescripsit : « Ego vero et ejus liberis parcam, et genero, et uxori; nihil enim est quod Imperatorem melius commendet gentibus quam clementia. Hæc Cæsarem deum fecit; hæc Augustum consecravit; hæc patrem tuum præcipue ornavit. Esto igitur segura, dii me tuentur, diis pietas mea cordi est. »

IN VERITATE EDUCET JUDICIUM. — Hoc est, proferet justum judicium, vel « judicium, » id est legem Evangelicam veram et solidam constituet et sanciet. Forerius vertit, *in veritatem exire faciet* (id est proferet et promulgabit) *judicium, q. d.* Pro veritate sententiam feret, vel in causis faciet, ut finis sit veritas, veritasque elucescat et vincat, quam ipse velut reginam in mundum proferet, eamque in solio sibi debito collocavit, uti mox dicam.

Vers. 4.

4. NON ERIT TRISTIS, NEQUE TURBULENTUS. — Hebraice *לֹא יִכְהוֹלוּ וְלוֹ יִרְוַח* *lo iiche velo iaruts* : quod ad verbum vertunt Aquila et Theodotion, *non obscurabit, sive caligabit, et non curret*, id est, ut ait S. Hieronymus, Christus nullum vultus sui tristitia deterrebit, nec festinabit ad poenam, quia judicii veritatem ultimo tempore reservavit. *Secundo*, S. Hieronymus vertit, *non erit obscuro vultu*, id est tristis, *neque curret præceps*, id est non feretur ut turbo, non erit turbulentus, sed summa cum maturitate et prudentia res causasque omnes judicabit, *q. d.* Nunquam tetricus, tristior, morosior, tardior erit Christus : nunquam etiam lætior, levior, festinantior, sed sui et passionum dominus, æqualitatem vultus et motuum omnium quiete omni tempore conservabit; quod de Socrate falso gloriantur Gentiles, ait S. Hieronymus.

Tertio, Chaldæus vertit, *non erit lassus, nec laborabit, q. d.* Christus ex nimio zelo, labore non delassabitur, sed facile et quasi sine labore agat omnia, donec ponat in terra judicium suum.

Quarto, Vatablus vertit, *non hallucinabitur, vel non fumabit, id est non exstinguetur, non etiam erit præceps, vel non quassabitur* (ut *iaruts* sit futurum a *רָצַר* *ratsats*, id est *conterere*), id est non morietur, non patietur Christus donec evulgarit suum Evangelium.

Quinto, Septuaginta vertunt, *q. d.* Non fumabit, sed *ἀναλάμψει καὶ οὐδραυθήσεται*, id est, *resplendet et non conteretur, q. d.* ait Hilarius Prologo in Psalm. : Non fumabit Christus, id est non diu manebit exstinctus, sed uti lampades exstinctæ ne diu fument, statim rursus accenduntur : ita Christus tertio die reviviscet et resplendet, id est rursus fulgentius quam ante clarissimo lumine toti orbi irradiabit. Græce enim non est *λάμψει*, sed *ἀναλάμψει*, id est rursus splendebit, ut notat Procopius. Sic et S. Hieronymus et Cyrillus.

Paulo aliter S. Augustinus, lib. XX *De Civit. cap. xxx* : « Refulsit, inquit, in monte facies ejus,

in orbe fama ejus, nec contractus, sive contritus est; quia neque in se, neque in Ecclesia, ut desisteret, persecutoribus cessit. » Possent quoque hæc referri ad linum fumigans, et calamum quassatum. Hunc enim non conteret, illud non exstinguet Christus, sed faciet ut resplendeat, id est accendatur, et rursus luceat.

Denique possunt conciliari Septuaginta cum Nostro, ut idem dicant : facies enim serena et splendens indicat hilaritatem animi, hominemque non esse tristem. Rursus faciem non conterit, vultum non cadere, nec retorqueri, significat hominem non esse turbulentum, sed composito animo.

Summa, hisce verbis significatur Christum fore placido et constanti vultu, qui nec rerum adversitate contrahatur, nec prosperitate dissolvatur; sed eodem semper tenore perseverans, significet tranquillum animi statum, et mentis in eadem lenitate atque modestia constantiam. Christus ergo non fuit tristis, id est tetricus : assumpsit tamen in passione animi dolorem et mœrorem pro peccatis nostris. Unde ipse ait : « Tristis est anima mea usque ad mortem, » *Matth. xxvi, 38*. Perperam ergo dixit Cleon apud Thucydidum, lib. III : « Tria sunt nocentissima imperio, miseratio, blandiloquentia et lenitas. » Nam, ut ait Claudianus, *Panegyri. Mallii* :

Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit : mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

Tam placido, sereno et splendenti vultu fuit mansuetissimus Moyses, ut patet *Exod. xxxiv, 29*. Multo magis Christus, cujus in transfiguratione « facies resplenduit sicut sol, » *Matth. xvii, 2*. Ita S. Antonius, teste Athanasio, ex oratione, quiete et lætitia mentis, vultum habebat radiantem instar solis, ita ut inter tria millia monachorum unus Antonius ab iis qui nunquam eum viderant, ex solis hisce radiis et constanti vultus hilaritate, agnosceretur.

Similes radios in vultu habuit orans S. Franciscus, S. P. N. Ignatius aliique Sancti. Hi enim radii symbolum et effectus erant serenitatis, lætitiæ, et lucis internæ, qua mens eorum perfunde-batur a Deo.

Hæc verba : « Non erit tristis, nec turbulentus, » omisit S. Matthæus, cap. xii, 18, citans hunc locum, quia satis in præcedentibus et sequentibus videntur contineri; licet S. Hieronymus oscitantia et errore scriptorum omissa putet.

DONEC PONAT IN TERRA JUDICIUM, — *q. d.* Non desistet Christus tota vita usque ad mortem sua patientia, lenitate et constantia, homines instruere et docere, donec in terra legem Evangelicam, humilitatis, patientiæ et sanctitatis stabiliat, doceatque quomodo humiliter, pie, juste et sancte ex ea vivendum sit. S. Matthæus vertit : « Donec eiciat ad victoriam judicium, » hoc est, donec per-

ducatur iudicium, id est iustitiam, sive fidem et sanctitatem Evangelicam, ad victoriam, ut scilicet illa toto orbe dominetur. Et sic Noster accipi potest, donec ponat in terra iudicium, hoc est donec in terra, quasi in regno et solio suo collocet iudicium, quasi reginam et dominam; hoc est quod ait Christus, *Joan. xii, 31*: « Nunc iudicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » Videtur S. Matthæus in Hebræo, vel potius Syro-Hebræo scripsisse זִכְיָהוּ *zekita*, quod et puritatem (ac veritatem) et victoriam significat: quod Interpres in *Matth.* pro victoria accepit, cum in *Isaia* sit « veritas, » inquit Maldonatus; sed eodem redit sensus. Rursum Irenæus, lib. III *Contra hæres.* cap. xi, ita legit: *Usquequo emittat in contentionem iudicium.* Videtur in S. *Matth.* pro νικῶς, id est victoria, legisse δίκη, id est contentio, q. d. Christus sua lege Evangelica contendet cum lege Solonis, Lycurgi, Pythagoræ, aliisque Romanorum, Græcorum et Gentilium legibus, quas partim naturale lumen, aut potius cæcitas, partim ambitio, avaritia et libido in mundum induxerunt: quas omnes ipse superabit, evertet et abolebit, facietque ut suum iudicium, id est sua lex, suum Evangelium, ubique vincat et triumphet.

Vide hic quibus armis Christus suum regnum suamque legem in mundum induxerit, scilicet patientia, lenitate, longanimitate: hisce subiecit sibi omnes gentes: si fuisset arrogans, præceps, impatiens, omnes a se suaque lege avertisset. Simili modo Romani possederunt omnem locum consilio suo et patientia, I *Machab. viii, 3.* Iisdem armis Apostoli hoc Christi regnum et legem propagarunt, uti docet S. Paulus, II *Corinth. vi, 4*: « Exhibeamus, ait, nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia. »

Videant ergo illi qui disciplinam Christianam nunc et deinceps revocare et restituere cupiunt, quibus armis instruendi procedere debeant.

LEGEM EJUS INSULÆ EXPECTABUNT. — *Insulas* vocat insulanos, id est gentes etiam remotissimas, trans mare et in insulis habitantes, q. d. Lex Mosis uno Judææ angulo conclusa fuit; at iudicium et lex Christi ad insulas usque, id est ad omnes gentes et ad terminos terræ propagabitur. Unde Septuaginta, quos sequitur S. Matthæus, cap. xii, vers. 21, vertunt, *in nomine ejus Gentes sperabunt.* Nomen Dei est ipse Deus. Est hebraismus. Notat Forerius posse in his verbis repeti וְיָ אֲד, id est donec, quod præcessit, q. d. Donec vel quousque insulæ institutionem ejus expectent, subditusque fiat totus mundus Deo. Plura de hac re dicam, cap. li, vers. 5.

5. HÆC DICIT DOMINUS DEUS, CREANS COELOS. — Excurrit hic Propheta in laudes et præconia divini potentiae, quia adhuc cum idolis et idololatriis disceptat, ut patebit vers. 9, et quia magna magnamque salutem promittit per Christum, q. d. Ne

miremini magna me polliceri Christianis; sum enim omnipotens, « dans flatum populo et spiritum. » *Primo*, S. Athanasius, disput. *Contra Arium* in concilio Nicæno, per spiritum accipit ventum; *secundo*, S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. xxi; Irenæus, lib. V, et S. Hieronymus, S. Thomas, Haymo et Procopius, hic per flatum accipiunt animam, et halitum quo respirat et vivit homo; per spiritum vero Spiritum Sanctum; hic enim datur « calcantibus terram, » id est iis qui terrena calcant, qui terra superiores sunt, quorum conversatio in cælis est. Hic sensus subtilior est, et symbolicus ac moralis potius quam litteralis.

Tertio ergo et genuine, « flatus » hic idem est qui et spiritus, scilicet anima. Idem enim est dicere: « Dans flatum populo qui est super eam, » quod, « et spiritum calcantibus eam. » Ita S. Cyrillus, Hugo et Dionysius.

6. EGO DOMINUS VOCAVI TE IN JUSTITIA, — hoc est in iustitiam. Loquitur de Christo, ut patebit ex sequentibus. Perperam ergo Hugo hæc de Cyro accipit hoc sensu, q. d. Vocatus a Deo Cyrus « in justitia, » ut scilicet juste puniret Chaldæos; et « in fœdus, » ut Judæos liberaret. Porro « in justitia, » id est cum justitia, et summa justitia præditum, vel ad justitiam, ut vertunt Septuaginta, q. d. Ego te, Christe, ad hoc excitavi, ut tu justitiam collapsam in terra impia et injusta erigeres et restitueres, utque tu justus justificares et sanctificares alios. Unde sequitur: « Dedi te in fœdus, » etc. Ita passim Interpretes. Hic autem sensus est genuinus.

Secundo, « in justitia, » id est ut justitia et fidelitas mea toti mundo appareat, qua, sicut te Christum Patriarchis promisi, ita et reipsa exhibui, inquiunt S. Thomas et Adamus.

Tertio, « in justitia, » id est ea qua sum præditus bonitate excitavi te, fecique ut in terra nascereris. Ita Forerius.

APPREHENDI MANUM TUAM (hoc est favi, sustentaui, deduxi te per omnia dura) ET SERVAVI TE — illæsum inter hostes, inter tot pericula, quin et in morte, ne in ea maneres, sed mox quasi victor mortis resurgeres, et per eam plurimos a morte æterna servares et liberares.

DEDI TE IN FOEDUS POPULI, IN LUCEM GENTIUM. — Christus datus fuit populo Dei, id est Judæis, « in fœdus, » quia eis fuit promissus. Unde Septuaginta Complutenses vertunt, *dedi te in fœdus generis Israel*; Gentibus vero datus fuit « in lucem, » quia eis non fuit promissus. Simile est cap. xlix, vers. 6. Hoc est quod canit Simeon: « Salutare, » id est Salvatorem Christum datum esse quasi « lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel, » *Lucæ ii, 32.*

Porro Christus datus fuit Judæis « in fœdus, » id est ut compleret pactum et promissum Dei de mittendo Messia. Rursum, « in fœdus, » id est, ut Forerius, in reconciliationem, ut scilicet Judæos,

indeque omnes Gentes reconciliaret Deo, atque inter eos et Deum sanciret fœdus novum, puta Novum Testamentum, illudque jucundissimum, de æterna hæreditate fidelibus ei, ejusque Evangelio obedientibus danda, conderet. Vide dicta I Cor. XI, 25, et Jerem. xxxi, 31.

Quocirca per populum Israel possunt accipi fideles omnes, tam Gentiles quam Judæi; hi enim sunt spiritualis Israel, et genus, id est filii Dei. Hisce enim omnibus novum hoc fœdus et testamentum instituit Christus, ut fere idem sit: « Dedi te in fœdus populi, » quod, « Dedi te in lucem Gentium, » ut scilicet omnes Gentes illuminares, doceresque veram Dei fidem, religionem, viamque ad æternam salutem et beatitudinem. Hæc enim est summa, scopus et finis totius Novi Testamenti.

7. UT APERIRES OCULOS CÆCORUM. — Hæ sunt notæ et signa Messiæ, quæ proinde Christus protulit, ex iisque demonstravit discipulis S. Joannis se esse Messiam, Matth. XI, 5. Porro hæc potius de cæcis, vinctis, etc., spiritaliter quam corporaliter accipienda sunt; explicat enim « dedi te in lucem Gentium, » ut scilicet Gentibus infidelitatis et ignorantiae tenebris occæcatis aperires oculos mentis, ut viderent et cognoscerent Deum et Christum.

Hoc est quod canit Zacharias: « Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, » Luc. I, 79. Infidelitas enim et peccatum sunt tenebræ et umbra mortis; sunt et carcer ac vincula, quibus misere vincti a diabolo tenentur peccatores. Hoc est quod ait: « Ut educeres de conclusione, » id est de carcere quo clauditur, « vinctum. »

8. EGO DOMINUS, HOC EST NOMEN MEUM. — Hebraice: *Ego Jehova, hoc nomen meum.* « Jehova » est proprium Dei nomen, idem cum eo: « Sum qui sum. » Vide dicta Exodi III, 14, et cap. VI, vers. 3.

Igitur Deus hic, cum jam enarrasset quæ olim Abrahamæ et posteris ejus beneficia et miracula promisisset et præstitisset; secundo, ea quæ novissime per Christum Abrahamæ filium toti mundo erat præstiturus, prædixisset, quæ duo (ut divinitatis suæ signacula et argumenta invicta cap. præcedenti proposuerat) quasi de victoria in judicio de idolis et idololatris parta, nemine contradicente, lætus sibi Divinitatis gloriam, Deique nomen *Jehova* adscribit, non permissurus, ut alteri hæc gloria, et hoc nomen tribuatur. Ita Forerius. Hoc est quod subdit: « Quæ prima fuerunt, » etc.

GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO (non dicit, *alicui*, ne excluderet Filium; huic enim suam gloriam communicavit Pater, ut ipse ait Joan. XVII, 1: sed « alteri, » qui scilicet alterius est essentiae et naturæ, v. g. idolis; unde explicans subdit): ET LAudem MEAM SCULPTILIBUS. — Ita S. Hieronymus. Vide S. Bernardum, serm. 13 in Cant., quo toto docet soli Deo competere gloriam, ubi inter cætera ait: « Gloriam meam alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis, Domine, quid dabis nobis? Pacem, inquit, do vobis; pacem relinquo vobis.

Sufficit mihi: gratanter suscipio quod relinquis, et relinquo quod retines; sic placet, sic mea interesse non dubito. Abjuro gloriam prorsus, ne forte si usurpavero non concessum, perdam merito et oblatum. Pacem volo, pacem desidero, et nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu. Tu es enim pax nostra, etc. Tibi, Domine, tibi gloria tua maneat illibata. Mecum bene agitur, si pacem habuero. »

9. QUÆ PRIMA FUERUNT, ECCE VENERUNT: NOVA Vers. 9. QUOQUE EGO ANNUNTIO, ANTEQUAM ORIENTUR. — Hic est conclusio disceptationis cum idolis et idololatris, q. d. Quæ olim Abrahamæ, Moysi aliisque Prophetis promisi, et per eos prædixi, ea jam evenerunt; unde conjicere potestis ea quæ per Isaiam aliosque Prophetas, quasi Evangelistas meos prædico et prænuntio, de Christo Abrahamæ filio, deque ejus gloria, Evangelio, testamento, vocatione Gentium, etc., pariter eventura, meque ut eveniant effecturum. Quid ergo restat, nisi ut, relictis idolis, me solum pro Deo colatis, meoque Christo, cum venerit, credatis, vosque subdatis? Ita Forerius et Sanchez. Quocirca, quasi post victoriam et triumphum Dei, Propheta in ejus epinicion, simulque in laudem et gratiarum actionem, quod per Christum salutem, tantaque beneficia orbi jam destinavit, prorumpit, dicens:

10. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, — q. d. Vers. 10. Nova, et a sæculo inaudita per Christum beneficia annuntio vobis, o Gentes! scilicet liberationem a jugo peccati et diaboli, criminum remissionem, reconciliationem cum Deo, gratiam et gloriam sempiternam: ergo par est ut mecum novum lætissimumque ex imo pectore canatis canticum.

LAUS EJUS (supple, audiatur, celebretur et resonet) AB EXTREMIS TERRÆ. — Septuaginta vertunt: *Principatus ejus glorificatur, et nomen ejus a summitate terræ.* Ita enim legit S. Hieronymus, licet Romana Caraffæ ita legant: *Principatus ejus; gloriificate nomen ejus a summitate terræ.*

QUI DESCENDITIS IN MARE (Repete per zeugma, « Cantate Domino, » quod præcessit. Descensores in mare vocantur nautæ et insulani; hi dicuntur descendere, quia terra, præsertim in littore, mari est altior). ET PLENITUDO EJUS (scilicet maris, id est, ut sequitur) INSULÆ. — Hæ enim implent mare, sicut urbes et pagi implent terram; non totam, nec totum, sed sicut in annulo gemma implet ejus palam, itaque annulum implere dicitur; hæc enim inde hebraice vocatur מֵלֹ מֵלֹ *melo*, uti et hic est in Hebræo, id est plenitudo. Ita Sanchez.

Porro insulæ laudant Deum muta voce, uti et omnes creaturæ inanimes. Rursum, per suas incolas laudant Deum; unde « insulæ » accipi possunt insulani, ut illud et, quod sequitur, sit exotericum significans, *id est habitatores earum.*

Secundo, pro plenitudo ejus, Septuaginta vertunt, *navigantes illud, q. d. Qui vestris navibus et mercibus impletis mare.*

Tertio, simpliciter accipi potest « plenitudo maris, » pro ipso pleno et vasto mari, cum suis piscibus, margaritis aliisque quæ in se continet. Sic enim inanima invitatur ad Dei laudem a Psalte, *Psal. CXLVIII*, et a tribus pueris, *Daniel. cap. III*.

11. SUBLEVETUR DESERTUM. — Judæa ab Occidente habet mare, a Meridie desertum, tum Palæstinæ, tum Arabiæ. Itaque, sicut paulo ante mare et insulas, id est Occidentales gentes urbibus et incolis frequentes, ita hic Meridionales desertas invitat ad laudem Dei. Ait ergo : « Sublevetur desertum, » *q. d.* Cedareni, Arabes aliæque gentes in deserto habitantes, adeoque tota Gentilitas hactenus deserta et depressa nunc sese erigat, lætitia exsiliat et exsultet, et, ut Forerius et Vatablus vertunt, *levet attollatque vocem, ac jubilet Deo*. Causam subdit :

IN DOMIBUS HABITABIT CEDAR. — Sicut nos hominem barbarum vocamus Scytham, sic Hebræi eum vocabant « Cedar » vel « Cedarenum. » Nam « Cedar » erant Arabes sylvestres, prædones et barbari, qui non in domibus certo loco habitabant, sed in tabernaculis degentes circumquaque vagabantur, et omnia depascebantur, uti dicam *Jerem. XLIX*, 38. Per hosce ergo intelligit omnes gentes incultas, agrestes et barbaras, qui et Pagani vocantur, eo quod *πρὸς τὰς παγὰς* (doricè enim *παγὰς* dicitur pro *πηγάς*), id est ad fontes conveniant sicut feræ, quæ solæ fere degunt, siti tamen urgente, ad fontes conveniunt. Pagani ergo dicti sunt, quasi eodem fonte potantes. Ita ex Festo Perottus et Baronius in *Martyrol.* 31 januarii, ubi et addit, inde Ethnicos dictos esse *Paganos* sub tempora Constantini Imperatoris, quod ab eo idololatræ urbibus exclusi ad pagos et villas se reciperent, ibique occulte sua idola colerent. Sensus ergo est, quasi dicat : Pagani per Christum desinent esse Pagani, non in tabernaculis, sed in domibus habitabunt. Id ad litteram videmus hodie impleri in Brasilia et tota India Occidentali.

Rursum, *q. d.* Gentes barbaræ et vagæ per quævis idola et vitia, in infidelitatis tenebris (« Cedar » enim etiam tenebras significat, utpote cæcas, horridas, ideoque atras et nigras ; unde Poeta : « Speluncis abdidit atris ; » atras enim vocat profundas, per metalepsin ; profundæ enim videntur esse atræ : ita S. Hieronymus), degentes, in domibus, id est in Ecclesiis, imo in una domo, id est in eadem communi Ecclesia, fixæ habitabunt. Ita S. Hieronymus.

LAUDATE, HABITATORES PETRÆ. — « Petræ, » id est *rupium*, ait Sanchez. Unde Vatablus vertit, *jubilent qui edita petrarum incolunt, q. d.* Barbari qui in rupibus et montibus, æque ac in Cedar et desertis locis, ab hominibus semoti, agrestes et feri habitant, hi ad Ecclesiam convertentur et laudabunt Deum. *Secundo*, proprie hic accipi potest « Petra » urbs et metropolis Arabiæ, quæ

inde *Petræa* cognominata est. Jam synecdochice per *Petram* totam Arabiam accipit. Ita Cyrillus, Haymo et Hugo. Triplex enim est Arabia, scilicet Deserta, Felix et Petræa. Cujus conversionem prædicit, quia erat vicina Judææ, inculta et barbara, quasi dicat : Nulla regio, quantumvis fera et barbara, qualis est Arabia, erit inaccessa Evangelio, nulla ei non subdita ; et quia in ea floruit Christiana religio. Nam in Arabia prædicavit S. Paulus, *Galat. I*, 17 ; ex Arabia venerunt ad Christum recens natum tres Magi. Ibidem *Homertæ Martyres* sub Dunaan tyranno in fidei constantia emicuerunt tempore Justinii Imperatoris et Hormisdæ Papæ, de quibus vide Baronium, tom. VII, donec Mahomet ex Arabia Petræa oriundus, ibique in Mecha sepultus, Arabes ad suam sectam traduxit.

DE VERTICE MONTIUM CLAMABUNT. — Posset congruentius ad *laudate* quod præcessit, verti cum Vatablo et Forerio : *Clament et plaudant*, uti et sequent., *ponat pro ponent*. Invitat enim et excitat eos ad laudem Dei. Verum propheticè aptius Noster vertit in futuro, « clamabunt. » Prævidebat enim Propheta quod hac sua voce æque ac præconum Evangelii excitati Gentiles reipsa clamaturi, et plausum daturi essent Christo et Evangelio ; hoc est quod ait :

12. PONENT (id est dabunt) DOMINO GLORIAM, ET LAUDEM EJUS IN INSULIS (id est remotis gentibus) NUNTIABUNT, — *q. d.* Non solum ipsi in terra sua laudabunt Deum, sed et per totum Orientem ac Meridiem cognitionem et præconium Dei deferent, eruntque quasi Apostoli et Evangelistæ Christi.

13. DOMINUS SICUT FORTIS (Forerius vertit, *sicut gigas*) EGREDIETUR. — Dat causam cur Gentes dabunt Domino gloriam ; quia scilicet ipse, quasi fortis bellator et triumphator, perget ad bellum, scilicet ad debellanda idola et quævis peccata et vitia : item Judæos, tyrannos, philosophos omnesque suos hostes. Significatur ergo hic admirabilis et magnifica victoria Dei et Evangelii per Christum, qui exsultavit et procurrit ut gigas, ad debellandum peccati et dæmonis regnum ; ut fortem illum armatum mundi principem fortior ipse superveniens mundo depelleret, et omnes ejus asseclas vel confunderet, vel deleret, vel converteret. Aptius S. Cyrillus et Procopius per *fortem* accipiunt Deum, qui per Christum id ipsum patravit. Eodem ergo redit sensus.

Anagogice S. Cyprianus, lib. *De Bono patientiæ*, in fine, et S. Augustinus in *Psal. LXXXII*, hæc omnia referunt ad ultimum judicium ; tunc enim Christus omnes suos hostes, dæmones, tyrannos et reprobos adiget in tartara.

SICUT VIR PRÆLIATOR SUSCITABIT ZELUM. — Redemptio Christi in Scriptura tribuitur zelo Dei et Christi, significatque eorum indignationem contra diabolum, proficiscentem ex amore erga homines. Indignabatur enim Deus homines tam

Vers. 12.

Vers. 13.

Zelus in Deo, quid ?

nobiles creaturas suas, quos ad imaginem suam creaverat, a se abstractos a dæmone tyrannice possideri. Hoc est quod dicitur *Joel*. II, 18: «Zelatus est Dominus terram suam;» *Zachar*. I, 14: «Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno;» et cap. VIII, 2: «Indignatione magna zelatus sum eam;» *Isaia* IX, 7: «Zelus Domini exercituum faciet hoc.» Videbatur enim tot retro sæculis algere zelus Dei, quasi non curaret salutem hominum, nec res suas suumque honorem, cum ubique impietas et regnum Satanæ obtineret. Excitavit ergo clamorem et zelum et indignationem suam Dominus, quando misit Filium suum, et Filius ipse, quando ad nos descendit, inquit Forerius. Vis nosse quis, qualis quamque potens in Deo, Angelis et Sanctis sit zelus? audi: «Zelo,» inquit S. Ambrosius in *Psalms*. CXVIII, serm. 18, «vindicitur Jerusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur;» et rursum: «Zelus charitas est; valida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ hujus nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent;» et Hugo: «Zelus, ait, est fervor animi ad compassionem naturæ, et ultionem culpæ, et devotionem gratiæ proni; zelus itaque utiliter flagellat servum, salubriter corrigit filium, sollicitè atque fideliter servat conjugium; servum ultione, filium compassionem, conjugium devotione;» S. Augustinus, tract. 10 in *Joannem*: «Unumquemque, ait, Christianum zelus Dei comedat, ut quantum in eo est nihil perversum patiat. Vides fratrem currere ad theatrum; prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, et inebriari velle, et hoc velle in locis sanctis, quod nusquam debet; prohibe quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere; tamen, si amicus est, admoneatur leniter: uxor est, severissime refrenetur; ancilla est, etiam verberibus compescatur;» divinius vero S. Dionysius, *De Divin. Nomin.* cap. IV: «Divinius, ait, est nomen amoris quam dilectionis. Scribit autem et divinus Ignatius: Amor meus crucifixus est. Est autem et exstatis divinus amor, non sinens se ipsos esse amantes, sed amandorum. Talem habebat Paulus dicens: Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.» Ab hoc amore et exstasi Deum Zelotem vocari docet, «velut multum ad existentiam amorem, et ut ad Deum suscitatore concupiscentiæ suæ amatoris,» scilicet spiritualis et sancti sui desiderii, sive rei desideratæ, quam ipse amat et concupiscit, «et ut zelotem eum ostendentem, et concupita zelantem.» Et Div. Thomas, I II, *Quæst.* XXVIII, art. 4: «Zelus, ait, ex intentione amoris provenit. Manifestum est enim quod quanto aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium vel

repugnans. Cum igitur amor sit quidam motus in amatum, ut S. Augustinus dicit, lib. LXXXIII *Quæst.*; intensus amor quærit excludere omne id, quod sibi repugnat; et hic est zelus, sicut maritus zelat uxorem, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in uxore quærit.»

VOCIFERABITUR, ET CLAMABIT. — Solent milites in prælio vociferari, ut invicem animent et hostes percellant: ita Deus per Christum et Apostolos clamabit contra idola et peccata, eaque prosterneat, iisque prostratis, vociferabitur, clangetque in triumpho. Ita S. Cyrillus, Procopius et alii; licet S. Hieronymus et S. Thomas hæc referant ad excidium Judæorum per Titum. Vox ergo hæc significat efficaciam prædicationis Christi et Evangelii, sed sine rixa et turbulentia animi. Hanc enim Christo ademit, dicens vers. 2: «Non clamabit.»

14. TACUI SEMPER. — Est mimesis et prosopœia. Imitatur enim verba Dei, eumque loquentem inducit Propheta, q. d. Ego Deus multis jam sæculis dæmones in homines grassari, idola et vitia Gentibus dominari permisi: non amplius id feram, non patiar, non silebo; sed loquar ut parturiens, quæ ex vi doloris quo foetum enititur fremit et rugit. Ita et ego rugiens detonabo in hostes meos, eosque increpabo, condemnabo et fulminabo. Unde sequitur:

DISSIPABO, ET ABSORBEBO, — q. d. Desolabo, et deglutiam simul omnes inimicos meos. Potest, secundo, verti cum Vatablo et Forerio: *Anhelabo et absorbebo pariter*, id est anhelus, et crebro singultu halitum exspirabo et inspirabo, exsorbebo et insorbebo: quod est eorum qui fatigantur, vel labore, vel animi dolore et angustia, q. d. Tantam edam hostium stragem, ut ex defatigatione anhelus simul exspirare et inspirare debeam. Forerius aliter adhuc hæc accipit, vertitque per præteritum: *Anhelabam et inspirabam*, ut respiciat tempus præteritum, quod vindictam et redemptionem antecessit, q. d. Silui longo tempore, licet indignans, ideoque suspirans, gemens et anhelus, ut sit idem, quod ait Apostolus, *Roman.* IX, 22: «Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.» Ideoque amplius ferre non valens loquar ut parturiens, et prorumpam in acrem vindictam. Nam, ut ait Cicero: «Nunquam ingemiscit vir fortis, nisi forte ut se intendat ad firmitatem,» ut scilicet fortius feriat, et validiorem det ictum. Sicut ergo timidi, sed jactabundi, «in pace sunt leones, in prælio cervi;» ita ex adverso vere fortes «in pace sunt cervi, in prælio leones.»

15. DESERTOS FACIAM MONTES (in quibus erant excelsa, id est altaria et templa idolorum), ET PONAM FLUMINA IN INSULAS, — id est in aridam, q. d. Flumina et stagna arefaciam. Gentiles enim in montibus, sylvis et fluminibus ob amœnitatem et delicias, aris erectis, deos suos colebant. Quin et

Gentes **montes, fontes et flumina quasi deos adorabant, hisque sacrificabant.** Uti Æneas sacrificavit Tiberi, *Æneid.* VIII. Sic fonti Blandusiæ immolari solere hædum testatur Horatius, lib. III, *ode* 13. Et fontibus dicata terra docet Cicero, lib. III *De Natura Deorum.* Et Strymoni fluvio magos offerre solere equos albos testatur Herodotus, lib. VII. Denique Phryges sacrificare Meandro, Massagetas Tanai asserit Maximus, *serm.* 18. Ita Sanchez. Est ergo hoc versu catachresis, significans eversio- nem regni Satanæ, impietatis et peccati, puta delubrorum, lucorum, idolorum, etc. Rursum significat evertenda etiam esse ipsa regna idolo- latrarum, et Judæorum Christi hostium, inquit S. Hieronymus et Procopius, sic ut nullus Evan- gelio et regno Christi sit obex; sed cæcæ Gentes avide illud audiant et excipiant, ad illudque cer- tatim se aggregent, et ab eo cœlesti luce illumi- nentur. Hoc est enim quod ait :

Vers. 16. 16. ET DUCAM CÆCOS IN VIAM, — *q. d.* Gentibus quæ concupiscentiis suis addictæ, nec lumen fi- dei, nec rationis, nec legis sequebantur, triplex hoc lumen impertiar per Christum, qui est mundi lux, via, veritas et vita, ut deinceps non per pravas passionum et vitiorum, sed per rectas virtutum semitas, quæ in cœlum ducunt, ince- dant.

HÆC VERBA FECI (id est faciam) EIS; — est enim prophetia, ut patet ex præcedenti.

Vers. 17. 17. CONVERSI SUNT RETRORSUM, — id est conver- tentur retrorsum, hoc est frustrabuntur sua spe et voto. Est antithesis, *q. d.* Meos cultores serva- bo, idololatræ pudefaciam per splendorem Evan- gelii toto orbe coruscantem. Ita Vatablus. Hunc sensum exigit id quod sequitur: « Confundantur confusione qui confidunt in sculptili. » *Secundo*, Forerius, *q. d.* Idololatræ convicti argumentis Dei relicta sua causa cesserunt, et terga vertentes abierunt. *Tertio*, Procopius et Sanchez hæc acci- piunt de Gentibus ad Christum conversis, sed rursus ab eo apostatantibus, et ad pristina sua idola ac vitia redeuntibus.

Vers. 18. 18. SURDI, AUDITE; ET CÆCI, INTUEMINI AD VIDEN- DUM. — Hæc Judæis dicuntur, *q. d.* Cum splen- dente Evangelio Gentes antea cæcas et surdas in rebus salutis illuminabo, tunc vos, o Judæi! an- tea videntes et eloquentes, fietis cæci, quia lucem a Prophetis et Christo oblatam cernere; et surdi, quia ejus vocem audire noletis: uti nunc mea et aliorum Prophetarum oracula audire non vultis, sed ea irridetis et exsibillatis. Patet ex sequenti; subdit enim:

19. QUIS CÆCUS, NISI SERVUS MEUS? — scilicet po- pulus Judaicus, qui Prophetas et Christum noluit recipere. Ita S. Hieronymus, Procopius, Theodo- retus, Justinus, Chrysostomus et alii passim scri- bentes contra Judæos.

Contrarie hæc exponunt Judæi, et Vatablus; quasi ipse Isaias et Christus hic a Judæis vocetur cæcus et surdus: nam pro מַלְאָכִי *malachai*, id est

nuntios meos, uti legit Noster, ipsi aliis punctis legentes מַלְאָכִי *malachi*, id est nuntius meus, sic vertunt: *Quis cæcus nisi servus meus; et surdus æque ac nuntius meus, quem missurus sum?* itaque exponunt, *q. d.* O infideles Judæi! vestra opinione servus meus Isaias est cæcus et ignarus divina- rum rerum: at vos potius cæci estis qui non pu- tatis eum videre, qui maxime videt, unde et *Videns* dicitur. Et quis est surdus opinione vestra sicut est legatus meus Christus? *q. d.* Idem di- cetis de Christo, quem sum missurus, quod de Isaiâ.

Septuaginta pro *malachai* per *aleph*, id est nun- tios meos, legentes sine *aleph* מְלָאכִי *melachai*, vertunt κυριεύοντες; ἀδύνα, id est *dominantes eorum.*

QUIS CÆCUS, NISI QUI VENUNDATUS EST? — Pro *ve- nundatus* hebraice est מְשֻׁלָּם *mescullam*: quod primo Vatablus vertit, *perfectus*, *q. d.* Israel de- beret perfecte videre, et cognoscere, et colere Deum; at jam est cæcus.

Mescul- lam quis?

Secundo, Forerius vertit, *persolutus*, *q. d.* Israeli persolutum est a Deo omne quod ei promisit; cur ergo a Deo suo resilit?

Tertio, aliis punctis legendo מְשָׁלָם *meschalem*, significat retributorem, *q. d.* Israel, qui deberet Deo pro tot beneficiis esse gratus et retributor, jam est ingrattissimus.

Quarto, Noster vertit, « venundatus, » quod ali- qui sic explicant, *q. d.* Qui totum se tradidit et vendidit diabolo et peccato. Verum melius ex Hebræo *mescullam* « venundatum » accipiemus cum Forerio et Sanchez pro persoluto, repenso, retributo. Est epitheton servi, qui tot dona acce- pit a Domino, ut iis solvendis non sit par, nisi seipsum ei rependat, et in servum addicat, et quasi venundet. Sic enim Israel tot beneficiis a Deo af- fectus et obrutus fuit, ut ei animam debeat, imo etsi millies se ei in servum venderet, tamen nec- dum iis ex æquo satisfaceret. Multo magis omnis Christianus est *mescullam*, id est servus Christi emptitius, quem Arabes *mamluchum* vocant; unde Mamluchorum origo et imperium apud Ægyp- tios, uti dixi ad illud I *Cor.* vi, 20: « Empti estis pretio magno. » Hic sensus est illustris, pungitque peccatores acri stimulo.

20. QUI VIDES MULTA, — *q. d.* O serve! o popule mi! multa vidisti, multas visiones, revelationes et prophetias, multa portenta et miracula a Deo tuo per Prophetas accepisti, et apertis auribus accepisti, et plura a Christo et Apostolis audies, per quos Dei voluntatem et mandata cognovisti et cognosces; at non curas, non custodis, non exsequeris ea quæ per ipsos tibi facienda esse intelligis: quare merito te in media solis luce cæcum, et inter tot Dei voces surdum appellavi et appello. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Hoc est quod dixit cap. vi, 9: « Audite audien- tes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. » Concionatores hæc eadem intentent Christianis qui ad verba et minas,

æque ac ad Dei beneficia sunt cæci ac surdi.

Ubi nota surditatem et cæcitatem esse duplicem : unam inchoatam, qualis est surdastrorum et cæcutientium ; aliam perfectam, qualis est eorum qui nati sunt surdi et cæci, aut a multis annis tales fuerunt. Prior curabilis est naturaliter, posterior incurabilis. Rursum, causa surditatis et cæcitatibus est triplex : *prima* ab extrinseco, cum scilicet exterius carnositas, organo auditus, puta tympano ; et pellicula oculo, puta tunicæ corneæ, annascitur et superinducitur. *Secunda*, quia organum ipsum, in quo residet sensatio, puta auditus et visus, corruptum aut vitiatum et distemperatum est. *Tertia*, cum humor abundans in cerebro, puta bilis aut pituita, ad organum auditus (excitans ibidem sonum et tinnitum, qui alterius soni perceptionem impedit) aut visus defluit, illudque obstruit et opplet. Modus curandi singularis est tollendo causam, et applicando contraria. *Prima* ergo curatur, si carnositas aut pellicula acri et mordaci quapiam re exedatur, aut acu aliove instrumento educatur aut resecetur. *Secunda*, si organum emendetur et corroboretur. *Tertia*, si bilis et pituita tollantur per purgationes, per abstinentiam, per missionem sanguinis e naribus, etc. Ita docent Galenus, Paulus Ænigeta, et passim alii medici.

Hæc omnia tropologice facile est accommodare surditati et cæcitati spirituali ; sunt enim aliqui non plene cæci et surdi, sed cæcutientes et surdastrum, qui superiorum monita et Dei inspirationes audiunt, sed tarde et ægre. Unde clamore pœnitentiarum, objurgationum et tribulationum excitandi sunt ut audiant, sicut equi cervicosi qui freno non reguntur, calcaribus adigendi sunt. Et hæc est utilitas, eaque ingens tribulationis, quod surdos faciat audire ea quæ necessaria sunt ad salutem. Triplex causa surditatis et cæcitatibus spiritualis similis est corporali. Extrinseca (quæ primæ est assignata) est avaritia, quæ rebus externis, earumque desiderio et cura ita aures, oculos et mentem opplet, ut alia audire vel videre nequeat. Hæc curanda est, resecando funditus ex animo concupiscentiam opum et commodorum hujus vitæ. *Secunda* vitiatum organi est, cum quis laborat phantasmatibus et falsis principiis mundanis, Dei legi et vocationi suæ contrariis. Hæc curanda est, eradicando ex mente hæc phantasmata et principia. *Tertia* bilis et pituitæ, est superbia et gula luxuriæque. Hæc per abstinentiam, orationes, pœnitentias, confessiones et missionem sanguinis, id est demissionem animi, perque frequentes humiliationes curanda est : quo facto, incipiet audire et videre ea quæ sunt salutis.

Vers. 21. 21. ET DOMINUS VOLUIT UT SANCTIFICARET EUM. — *q. d.* Quod Israel sit surdus et cæcus, non est culpa Dei, sed ipsiusmet, qui oculos et aures obturando, surdum et cæcum se fecit. Nam Deus voluit eum sanctificare, ideoque dedit ei sanctos Doctores, Prophetas, sacram Scripturam, sacri-

cia et sanctam legem, quam magnificavit, exultavit et declaravit tot pulchris cæremoniis, tanta Levitarum et sacerdotum ac pontificum majestate, tot tantisque miraculis et victoriis. Verum Israel hisce omnibus non sanctior, sed nequior, surdior et cæcior effectus, sibi ipsi constituit justam Dei punitionem, scilicet hostes, qui eum diriperent et vastarent, ut sequitur. Ita Procopius, Adamus et alii, favetque Chaldæus.

Secundo, Forerius sic explicat : « Dominus voluit, » id est consensit in hanc Judæorum excæcationem, imo quasi lætatus est quod Israel sic proderet sui cordis pervicaciam : « ut sanctificaret eum, » hebraice, *propter justitiam suam*, vel ut justificaret se, ut scilicet notam faceret justitiam suam, dum populo suo non parcat ob scelera ejus, et ab eo aufert regnum Dei, illudque dat genti facienti fructus ejus. Duo enim habet justitia, seu sanctitas Dei, scilicet, punire impios, et benefacere piis et justis. Utrumque nos jubet considerare Paulus, scilicet severitatem Dei in eos qui ceciderunt, nempe Judæos ; bonitatem vero in eos qui inserti sunt trunco, scilicet Gentiles Christo credentes. Hucusque Forerius.

Porro hoc faciendo Deus magnificavit legem, quia implevit, eisque inflixit comminationes, quas per Moysen in lege Judæis intentavit. Ita Vatablus, qui pro *voluit* vertit, *egregiam voluntatem erga vos habuit*, scilicet *εὐδοκίαν*, id est gratuitam in indignos benevolentiam et beneficentiam.

22. IPSE AUTEM POPULUS DIREPTUS, ET VASTATUS, Vers. 22
— *q. d.* Ipse Israel a Deo ita dilectus, quæsitus et exaltatus, quem Deus tot modis voluit sanctificare et beare, propter sua peccata, suamque in his obstinationem, fecit se rapinam tum dæmoni, tum Tito et Romanis, inquit S. Hieronymus et Leo Castrius (licet aliqui veterum hæc ad excidium Judæorum per Chaldæos referant) ; unde in laqueum juvenum fortissimorum incidet et detinebitur in carcere, ut sequitur.

LAQUEUS JUVENUM OMNES. — *Tò λαικός* active accipiunt S. Hieronymus et S. Theodorus, *q. d.* Scribæ et Pharisei suis pravis traditionibus et dogmatibus, quasi laqueis illaqueaverunt juvenes, id est juniores et rudiores in plebe. Sic ait Osee, cap. v, 1 : « Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor ; » et cap. ix, 8 : « Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus. »

Secundo et magis genuine, ex hebraismo passive capias « laqueus, » id est illaqueatus. Unde ex Hebræo sic ad verbum vertit Angelus Caninius, ejusque discipulus Forerius : *Laqueus juvenes universitas ipsorum*, vel *omnes ipsi*, *q. d.* Omnes juvenes validi et fortes in bellis erunt laqueus, id est illaqueati, et Romanorum armis et stratagematibus quasi laqueis capti. Noster vertit, « laqueus juvenum, » *q. d.* Israelitæ fuerunt laqueus juvenum suorum, quia propter peccata eorum filii et juvenes ipsorum in bello a Romanis capti sunt et illaqueati. Ita Cyrillus, Adamus, Vatablus et alii.

Ponitur ergo abstractum pro concreto, *laqueus* pro *illaqueatus*. Vide Canon. XXXVIII.

Paulo aliter Sanchez: Vocatur, ait, « *laqueus* » vel *catena* juvenum, id est valida et fortissima, quæ non senibus et debilibus, sed juvenibus et robustis, qui fortia etiam vincula et funes dirumpere possunt, injicitur, seu qua juvenes validi vincuntur et catenantur.

NEC EST QUI DICAT: REDDE, — *q. d.* Nemo est qui de Judæis captivitate liberandis cogitet, nemo qui eos curet, oblivioni traditi sunt et ab hominibus, et a Deo, in perpetuo degent exsilio et captivitate.

Vers. 23. 23. QUIS EST IN VOBIS? — Est vox Prophetæ conquerentis, quod Judæi hisce suis oraculis non credant, imo ea despiciant, *q. d.* Utinam inter vos vel pauci aliqui sint, qui hæc secum ponderent uti par est! non enim agitur de re parva, sed æterna vestra libertate et salute.

Vers. 24. 24. QUIS DEDIT IN DIREPTIONEM JACOB? — « Jacob » et « Israel » generatim accipit pro quibusvis Jacobi posteris, tam duarum quam decem tribuum, ut patebit cap. sequent. vers. 1, et cap. XLIV, vers. 1. Ita Adamus, *q. d.* Nonne videtis, o Judæi! patres vestros sæpius a Philistinis, Moabitibus, Idumæis, Assyriis vastatos fuisse: atque jam recenter anno sexto Ezechiae decem tribus plane excisas et abductas esse in Assyriam? Et quare? Nonne quia in Deum peccaverunt, illius monita et prophetias spreverunt, uti et vos peccatis et spernitis? Videte ergo ne idem Dei judicium et vindictam subeatis. Hæc enim certo vobis imminere prædico, nisi Dei oracula, ac præsertim Christum Dominum, ejusque Evangelium recipiatis. Dicatur hoc etiamnum fidelibus, uti Belgis, bello diutino afflictis: « Quis dedit in direptionem, in cædem, in ignem Belgium? » etc.

ET NOLUERUNT. — Est enallage personæ, *q. d.* Et noluimus. Ita Forerius. *Secundo*, simplicius Sanchez refert ad decem tribus, *q. d.* Deus, in quem peccavimus, dedit in direptionem Israel. « Et, » id est *quia*, noluerunt in viis mandatorum ejus ambulare.

25. ET COMBUSSIT EUM IN CIRCUITU, ET NON COGNOVIT. — Loquitur de Israel, quasi de republica nunc in singulari, nunc quasi de populo et multitudine in plurali. Sensus est, *q. d.* Deus per Assyrios omnes decem tribus, totamque Samariam circumquaque vastavit et combussit, « et, » id est *quia*, « non cognovit, » id est non creditur Prophetis, hæc ei ex Deo minitantibus. Vel simplicius, *q. d.* Israel tam fuit obstinatus, tam stupidus, ut etiam cum vastaretur non intelligeret hæc sibi a Deo, ob peccata sua, infligi. Idem hodie Christianis usu venit.

Aliter Forerius, qui hæc omnia a vers. 24 intelligit de excidio non decem, sed duarum tribuum per Romanos, *q. d.* Quis, quæso, dilectum Dei populum dedit in captivitatem, non septuaginta, ut olim, sed mille jam et sexcentorum annorum? Certe Jehova, quia ejus Messiam contempsit: quocirca forte et durum bellum, ac obsidionem Romanorum ei immisit, quæ eum in hanc vastitatem continuam deduxit. « Et non cognovit, » *q. d.* Etiam post tam diram cladem non intellexit, quod ob infidelitatem in Christum Domini puniretur: imo neque, postquam totus conflavit, non recogitat, non redit ad eor, ut Christi a se occisi causa, hæc se pati videat; sed obstinatus in Judaismo, Christique odio persistit. Verum prior sensus congruentior est. Stimulat enim Judæos exemplo et clade recenti fratrum suorum, puta decem tribuum sive Samaritarum.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Propheta hoc cap. et seq. in argumento capituli præcedentis. Dixerat ibi, vers. 24, Jacob et Israel a Deo datum esse in direptionem vastantibus Assyrîis : nunc de more eum consolatur, quod nimirum ab iis, atque etiam ex Babylone, quo captivus est abducendus, Deus eum liberabit et reducet, ut patet, vers. 14, et cap. seq., vers. 28. Ita S. Thomas, Hugo, Pagninus et Sanchez. Jam sub hoc typo altius quàm intelligit, videlicet, liberationem Israelis spiritualis, id est, fidelium, a captivitate peccati et diaboli per Christum. Multa enim hic augustiora dicuntur, quàm ut convenient Judæis Babylone liberatis : ad eos tamen alludit, eosque obiter quasi perstringit. Unde et typum cum antitypo permiscet, jamque quædam dicit quæ magis typo, jam quædam quæ magis antitypo convenient. Vide Can. V. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Forerius et alii, qui omnes hæc potius de Christi Ecclesia, quàm de Judæorum Synagoga accipiunt.

Ad litteram ergo Israeli, id est, Ecclesiæ, promittit nomen hoc, scilicet Meus es tu, quodque eam illæsam per ignem et aquam deducet, quodque ei Gentes omnes ex quatuor orbis plagis subjecturus sit, Judæos vero utpote cæcos et surdos ejectionis. Deinde, vers. 9, redit ad disceptationem cum Gentibus, earumque idolis, urgetque ut testes proferant, qui testentur deos illos similia beneficia et miracula præstitisse suis cultoribus, atque ipse se præstitisse docet : hujusque rei testes producit Israelitas, qui se nuper a Sennacherib, olim a Pharaone Dei ope liberatos, viderunt, ac mox simili modo e Babylone se liberari videbunt. Tertio, vers. 18, nova divinitatis argumenta profert, videlicet beneficia populo Gentili, a se conferenda, scilicet gratiam, salutem et remissionem peccatorum. Hanc enim Israelitas non suis meritis aut victimis, sed meræ suæ misericordiæ, et Christi meritis ascribere, indeque expectare debere demonstrat (1).

1. Et nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israel : Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : Meus es tu. 2. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. 3. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te. 4. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus : ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. 5. Noli timere, quia ego tecum sum : ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. 6. Dicam Aquiloni : Da; et Austro : Noli prohibere : affer filios meos de longinquo, et filias meas ab

(1) Argumento hujus capituli a Cornelio supra exposito nihil addendum judicamus, nisi quod parum verisimile videtur, vers. 3, referendum esse, ut vult Cornelius, ad Sennacheribum a Judæa evocatum ut contra Ægyptum et Æthiopiam arma verteret; nam Cyrus nimis evidenter in cap. præced. et seq. designatur ut de alio hic sermo esse possit. Igitur quod Deus Ægyptios, Æthiopes et Sabæos daturus sit redemptionis pretium pro Hebræis, hoc significat illum libertatem Hebræorum redempturum esse Ægyptiis, Æthiopiis et Sabæis quos Hebræorum loco Cyri potestati, vel potius Cambysis ejus successoris sit subjecturus. Et revera Cambyses Ægyptum occupavit, et usque in Æthiopiam et ad Meroe (Jaba) progressus est. Jam vero sub typo liberationis Judæorum aliud altius intelligi ab omnibus interpretibus admittitur.

Quia igitur cæcitatem et devastationem Israelis in fine cap. præced. enarrat, ne videretur Deus omnino repulisse populum suum et semen Abrahamæ abjecisse; qualis futurus sit deinceps Dei populus, non solum ex Israelitis secundum carnem, sed ex omnibus gentibus, ita ut isti etiam censeantur viri Israelitæ et ad semen Abrahamæ pertinent, jam incipit exponere.

PRIMO itaque, recenset beneficia et amoris divini indi-

cia Judæis tum præstita, tum etiam præstanda, 1-4; et prænotat vocationem gentium ex omni terrarum parte ad fidem faciendam, 5-8.

SECUNDO, certitudinem hujus vaticinii asserit, primo, testimonio Prophetarum quibus carent Gentiles, 9; gaudent Judæi, 10; utitur Deus unus Dominus, unus Salvator, et unus Omnipotens, 11-13; secundo, confirmat documento operationum tum antiquarum, a Deo contra hostes terrarumque potentes pro Judæis editarum, 14-17; tum novarum, ad gentium salutem Deique gloriam edendarum, 18-21.

TERTIO, cum tota oratio Isaïæ eo tendat, ut doceat populum Judaicum amplissima beneficia in se collata, non suis meritis, sed divinæ debere gratiæ, hic vero Judæorum vulgus excipere posset, utique Deum sibi debitorem esse cultus publici in Templo ipsi solemniter exhibiti, et ejus rei causa sibi aliquid vindicare posse, occurrit vanæ eorum gloriationi, primo, exprobrando negligentiam et defectum in sacrificiis, 22-24; secundo, demonstrando peccatorum veniam soli misericordiæ divinæ, non meritis humanis, tribuendam, vers. 25-26; tertio, objiciendo majorum etiam prævaricationem, penamque commertam, vers. 27. 28.

extremis terræ. 7. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. 8. Educ foras populum cæcum, et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt. 9. Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus: quis in vobis annuntiet istud, et quæ prima sunt audire nos faciet? dent testes eorum, justificentur, et audiant, et dicant: Vere. 10. Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi: ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. 11. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. 12. Ego annuntiavi, et salvavi: auditum feci, et non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus; et ego Deus. 13. Et ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat: operabor, et quis avertet illud? 14. Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel: Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes. 15. Ego Dominus sanctus vester, creans Israel, rex vester. 16. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. 17. Qui eduxit quadrigam et equum: agmen et robustum: simul obdormierunt, nec resurgent: contriti sunt quasi linum, et extincti sunt. 18. Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. 19. Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, et in invio flumina. 20. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. 21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. 22. Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel. 23. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me: non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. 24. Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbui mihi laborem in iniquitatibus tuis. 25. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. 26. Reduc me in memoriam, et judicemur simul: narra si quid habes ut justificeris. 27. Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me. 28. Et contaminavi principes sanctos, dedi ad interneccionem Jacob, et Israel in blasphemiam.

Vers 1

4. ET NUNC HEC DICIT DOMINUS CREANS TE. — Ne Israel ab hostibus afflictus desperet, deque se actum putet, erigit eum in spem, dicens, quod Deus eum sibi in populum creavit et formavit. Utque eum magis in spe confirmet, quatuor genera beneficiorum ei collatorum commemorat. *Primum*, creationis, dicens, « creans. » Deus enim omnes homines creavit, sed peculiariter Hebræos, quia miraculose Abraham ex Sara anu et sterili genuit Isaac, et Isaac ex Rebecca Jacobum, ex quibus prognati sunt Hebræi. *Secundum*, formationis, cum ait « formans, » q. d. Sicut figulus format et fingit sibi vas in honorem, illudque distinguit ab aliis vasis vilibus et sordidis: ita ego te, o Israel! in rempublicam fidelem, piam et sanctam formavi, dando tibi legem sanctasque cæremonias, et ritus sacrificiorum. *Tertium*, redemptionis ex servitute, cum ait: « Redemi te. » *Quartum*, electionis in populum selectum et peculiarem, ut vocareris populus Dei, cum ait: « Meus es tu. »

Moraliter, in adversis et minis Dei, ne animum despondeamus, nos recordatione beneficiorum Dei animare debemus; Deoque dicere: « Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi, et

opera manuum tuarum ne despicias. » Ita Forerius.

REDEMI TE — ex captivitate tum Ægypti per Mo- sen, tum Babylonis per Cyrum, tum maxime diabolⁱ per Christum. Tò enim *redemi* etiam per futuram redimam exponi potest, juxta Canon. XIII.

VOCAVI TE NOMINE TUO. — Alludit ad morem herorum benignorum, qui servos quos amant nomine proprio evocant et accersunt, dicendo, non, Serve, ades dum, sed, Petre, vel Paule, veni; audi, Pamphile. Sic Deus ait, « Israel, veni »: hoc enim benevolentiae est signum. Ita Vatablus. *Secundo* et melius, Leo Castrius, « vocavi te nomine tuo, » id est, ut ex Hebræo veritas, *vocavi nomen tuum*, id quod sequitur: « Meus es tu. » Israeli ergo indit nomen novum, scilicet hoc: « Meus es tu, » Simili modo, *Osee* cap. I, a Deo jubetur vocare filium suum primogenitum « Jezrahel, » id est *semen Dei*: tertium vero: « Non populus meus. » Ingens enim est dignitas æque ac utilitas quod, ut ait Apostolus, « filii Dei nominemur et simus. » Nam, ut ait Plato in *Cratyllo*: « Dei appellatio est, cum Deus facit inesse rei nominatæ, id quod nomen significat. » Ergo cum Israeli spiritali, id est Ecclesiae, et fidelibus Christianis, dat hoc nomen;

« Meus es tu, » facit reipsa ut ipsi sint populus, peculium et possessio Dei. Hoc est quod ex Mose, *Exodi* XIX, 5, ait S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, » id est, ut Moses habet, hebraice סגולה *segulla*, id est peculium et cimelium Dei. Vide ibi dicta.

2. CUM TRANSIERIS PER AQUAS, TECUM ERO, etc.; CUM AMBULAVERIS IN IGNE, NON COMBURERIS. — Aliqui vertunt per præteritum : *Cum transires per aquas, ego tecum fui*, scilicet in transitu maris Rubri et Jordanis; *cum ambulares in igne, non es combustus*, scilicet cum Abraham de Ur, id est de igne, Chaldæorum eduxi. Vide dicta *Genes.* XI, 31, q. d. Pari modo nunc, et deinceps traducam te illæsum per ignem et aquam, id est per quævis etiam gravissima vitæ pericula, tum in Babylone, tum potius in persecutione Imperatorum et tyrannorum Christi Ecclesiam et Christianos flamma et ferro persequentium, adeoque in quavis tentatione et adversitate te liberabo, vel ita confortabo, ut pro nomine meo malis esse in igne quam in refrigerio, imo gaudeas et ambias pro Deo Deique fide aquis mergi, igne cremari, dicasque cum S. Laurentio : « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Sicut enim Christus mortem moriendo vicit, ita S. Laurentius et Martyres igne cremati, igne et tyrannis superiores, sua magnanimitate et constantia, exstiterunt, imo ignem quasi ad duellum provocarunt. Uti fecit S. Ignatius scribens ad Romanos : « Ignis, ait, crux, bestia, etc., omnia tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruatur. » Unde Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. IX : « Si transieris, ait, per ignem, non combureris, quia non cades in corruptionem, sed transibis ad immortalitatem; » dicesque cum *Psalte* : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. »

Mirum hac de re refert exemplum S. Paulinus, epistola ad *Macarium*, de sene quodam catechumeno, qui in baptismo vocatus est Victor. Hic enim in navi solus, vi tempestatis abreptus, sine temone, sine cibo, sine ulla hominum ope plures septimanas in mari jactatus, a Deo et Angelis protectus, pastus et deductus est : « Ipse enim Christus, ait Paulinus, nunc suo vultu coruscus, nunc S. Felicis ore venerabilis sedebat in puppi, senemque allecabat, qui inter ejus genua caput reclinabat; vidit et sæpius Angelos excubare navigio, et cuncta nautici muneris administrare : nec sane navim illam nisi Angeli nautæ ducebant; cui gubernaculum erat mundi gubernator. Viginti tres dies homo non modo a terris, sed ab hominibus exclusus omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exsul, diversi maris hospes, et exsors generis humani inter fluctus et belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, jejuniis, senio, timore confectus, quæso te, numquid natura sua perduravit? Cui ergo obscurum sit Deum in illo fuisse. Navis

primo ad Urbem acta, Romani portus pharum vidit : deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatisque turbinibus in Africæ littora transvolavit; atque ab ipsis rursus abrepta, Siciliam transcurrit; ita freta sulcans, ut quasi divina navis, et immisso divinitus spiritu sapiens, sua sponte cavenda vitaret, sequenda peteret. Tandem finem errorum atque discriminum in Lucanis posuit littoribus. » ibi enim piscatorum opem inclamans senex, ab iis navi in littus protracta, portum vidit. Quocirca Deo gratias agens, baptismo suscepto, vitam Christianam et sanctam instituit. Fusc hæc et eleganter narrat Paulinus. Ita fideles suos regit Deus, qui deducit velut ovem Joseph.

Apposite S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Verbi*, et ex eo Leo Castrius : « Sicut, ait, ex amianto lapide (teste Dioscoride, lib. V, cap. CXIII, et Plinio, lib. XXXVI, cap. XIX), utpote ductili et flexili, textores fila deducunt, ex eisque telas et vela contexunt quæ si in ignem injiciantur, ardent quidem, sed flammis invicta splendidiora exeunt : ita beata Virgo agnum peperit, e cujus glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis : qua tecti, nec igne comburi possumus, nec aquis concludi, aut re ulla, quin per omnia cruciamenta transeamus illæsi, et ad cælum evolemus. » Anima enim mox evolat, corpus in resurrectione evolabit.

Imo sic ad litteram in fornace Babylonia Angelus sua quasi veste tres pueros ob meritum castitatis, innocentia, religionis et constantia ab igne tutatus est, Angelus, inquam, similis Filio Dei, Christique typus, *Daniel.* III, 92. Sic S. Joannes edolio ferventis olei hic Romæ ante Portam Latinam (locum sæpe magno pietatis sensu visi, et vidi) illæsus exivit. Ita de S. Polycarpo in rogo ardenti constituto scribunt Smyrnenses apud Eusebium, lib. IV *Histor.* cap. XV : « Ignis facta cameræ specie, ad morem veli nautici vento repleti, corpus Martyris veluti muro quodam circumcinxit; eratque illud in medio non tanquam caro ardens, sed tanquam aurum et argentum in camino ignitum. Etenim tantam boni odoris fragrantiam sensimus, quasi vel thus vel aliud quoddam pretiosum aroma spiraret. Tandem igitur iniqui, cum corpus illius ab igne non posse consumi cernebant, confectorem accedere, et ferro illud transfodere jubent. Quo facto, copiosus sanguis effluxit, ita ut ignis exstingueretur, ac tota turba miraretur. »

Sic S. Vincentius sub Daçiano, S. Cæcilia, S. Lucia, S. Agnes, aliæque plurimæ virgines, in flammis, Christo protegente, manserunt intactæ : atque non minore miraculo, cum undique tentarentur libidinis igne, eo non arserunt, sed illibatæ perstiterunt : imo a sponso Christo angelum virginittatis suæ custodem et vindicem perpetuum adeptæ sunt. Sic et S. Dominicus, non Ordinis Prædicatorum fundator, sed alius ejusdem Ordinis et nominis, tentatus a muliere forinsecus, a dæmone intrinsecus igne libidinis, cum fortiter

Sancti
quasi
amianti
in igne
illæsi.

Mira na-
vis et
naufragi
guberna-
tio Dei,

omnia tentamenta superasset, audivit inclaman-
les dæmones : « Vicisti, quia in igne fuisti, et
non arsisisti. »

Narrat Bartholomæus Pisanus in Gestis S. Fran-
cisci, quod Fredericus II Imperator S. Franciscum
a concione, quam habuerat contra vitium libidi-
nis, invitavit ad cenam, lauteque habitum solum
in cubiculum introduxerit, ubi paratum erat scor-
tum, quod eum ad turpitudinem illectabat. Mox
Sanctus in focum in cubiculo accensum se proje-
cit, in eoque quasi lecto decumbens, ad eundem
meretricem invitavit : illa et ignis incendio, et
viri sanctitate percussa, illico in fugam se dedit.
Imperator, cum omnia per rimulas observasset,
videns beatum virum integro et illæso ab igne
corpore, quem illudere statuerat, maxime admi-
rari cœpit et venerari. Tales etiamnum sunt multi
Religiosi, et virgines, qui in carne vivunt ange-
lice, qui quasi salamandræ in hoc igne, per gra-
tiam Christi degunt integri et illæsi. Vide dicta
Daniel. cap. III, vers. 4.

Ex hoc Isaia loco S. Cyprianus, tract. *De Exhor-
tat. Martyrum*, docet non esse fideli timendas in-
urias, nec persecutiones : « Quia, inquit, major
est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad
impugnandum. Quare in persecutionibus nemo
cogitet quod periculum diabolus importet, sed
imo consideret quod auxilium Deus præstet : nec
mentem labefactet humana infestatio, sed corro-
boret fidem Dominica protectio, quando unus-
quisque secundum Dominica promissa, et fidei
sue merita tantum accipiat de ope Dei, quantum
se credat accipere; nec sit quod Omnipotens
præstare non possit, nisi accipientis fides caduca
defecerit. » Idem, tract. *De Orat. Domin.* : « Cum
Dei, ait, sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si
Deo ipse non desit. »

Mystice S. Gregorius, lib. VI, epist. 169 ad *Cy-
riacum* : « Cum transieris, ait, per aquas, tecum
ero, et flumina non operient te. Illos enim flumi-
na operiunt, quos actiones hujus sæculi mentis
perturbatione confundunt. Nam qui Sancti Spi-
ritus gratiam tenet in mente, transit aquas, et ta-
men fluminibus non operitur; quia etiam inter
medias populorum turmas sic peragit gressus sui
itineris, ut non submittat actionibus sæculi caput
mentis. »

3. DEDI PROPITIATIONEM TUAM ÆGYPTUM, ÆTHIO-
PIAM ET SABA PRO TE. — S. Hieronymus « propiti-
ationem » accipit active, *q. d.* Dedi tibi, o Israel,
o Ecclesia! Ægyptios, Æthiopes et Sabæos, ut eos
prædicato Christi Evangelio converteres, Deo pro-
pitiaries et reconciliaries. « Et dabo homines pro
te, » *q. d.* Cunctorum hominum quibus prædica-
bis, quosque convertes, salus tibi imputabitur.
Verum sic τὸ pro te improprie admodum sumitur.
Quare melius « propitiationem » passive capias
pro hostia pro peccato, vel victima piaculari, sed
humana (quæ veteres vocabant καθάρματα) qualis
fuit M. Curtius, qui in ingentem terræ hiatum

Romæ eques insiliit ad placandum sua morte toti
populo numen. Talis et symbolice fuit hircus
ille apompœus sive emissarius, cui Pontifex,
in die expiationis, peccata totius populi impreca-
batur, sicque eum emittebat in desertum, a feris
devorandum, ut ex Origene et Cyrillo dixi *Levit.*
cap. xvi, 21 et sequent.

Sensus ergo est, *q. d.* Cum Sennacherib Israël,
id est Judææ et Hierosolymæ, immineret, jamque
illa ab eo esset vastanda, et quasi devoranda,
ego effeci, ut pro Judæa Sennacherib objiceretur
Æthiopia, Ægyptus et Saba, quasi victima piacu-
laris, loco Judææ, ab eo mactanda. Unde Septua-
ginta vertunt, *feci commutationem tuam Ægyptum
et Æthiopiam et Saba pro te*. Hoc est quod dicitur
Prov. xi, 8 : « Justus de angustia liberatus est : et
tradetur impius pro eo. »

Historiam vide supra, cap. xxxvii, ubi narratur,
quod Sennacherib, relicta Jerusalem, perrexerit
contra Tharaca regem Æthiopiæ, adversum se ar-
ma moventem, et cap. xx, ubi Ægyptus conspi-
rans cum Æthiopia, vastanda prædicitur a Sen-
nacheribo. Porro Saba hic est pars Æthiopiæ, in
qua regnavit regina Saba, scilicet Abyssia, ubi
regnat nunc Preto-Joannes, unde venit Eunuchus
Candacis reginæ Æthiopum in Jerusalem, conver-
sus et baptizatus a Philippo, *Act.* viii, 27.

Sub hoc vero typo altius quid de Ecclesia Chri-
stiana intelligit, *q. d.* Pro te, o Israel! id est o
fidelium Ecclesia! perdam Æthiopes, Ægyptios et
Sabæos, id est omnes gentes et hostes tibi adver-
santes, faciamque ut sint quasi hostia pro te, per
quam mea justitia, justaque vindicta, expleatur
et quasi pascatur, eoque magis tibi conciliet. Ita
Cyrillus.

Aliter Procopius, S. Hieronymus et Forerius, *q. d.*
Dedi « propitiationem, » vel, ut Septuaginta, *com-
mutationem*, hoc est pro commutatione et pretio
sanguinis tui et Martyrum tuorum, o Israel, serve
mi! id est, o Christe! tradidi et subjeci Ecclesiæ
tuæ Ægyptum, Æthiopiam et omnes orbis par-
tes. Hic sensus concurrit cum primo. Nam juxta
regulam Ticonii, quæ de corpore, id est Ecclesia,
dicuntur, competunt et capiti, id est Christo : et
vice versa. Sic ergo Christus representat Eccle-
siam, sicut rex regnum. Christo favet id quod sub-
dit : « Dabo populos pro anima tua. »

Ubi nota, Gentes hostiles Ecclesiæ factas fuisse
victimas, vel quia manentes in infidelitate mac-
tatae et excisæ sunt a Deo, vel potius quia Deus
eas subegit Christo, et ex infidelibus fideles, Chri-
stoque subditas effecit. Sic enim fuerunt victimæ
Deo gratissimæ, cum morientes peccato, et veteri
vitæ, cœperunt vivere Deo : has enim offerens
Paulus ait, *Rom.* xv, 16 : « Ut sim minister Christi
Jesu in Gentibus : sanctificans (græce ἁγιασμοῦντα,
id est sacrificans) Evangelium Dei, ut fiat oblatio
(victima) Gentium accepta, et sanctificata in Spi-
ritu Sancto. » Atque huic victimæ suum sanguinem
Quasi libamen libens offert, *Philip.* ii, 17, dicens :

« Sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et congratulor omnibus vobis. » Et de hac ait, Rom. XII, 1 : « Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. »

Vers. 4. 4. ET DABO HOMINES PRO TE. — Sicut Æthiopes decem pro te, sic dabo et Babylonios; hos enim Cyrus delevit, ut Judæos liberaret : multo magis homines et populos omnes pro Christo et Ecclesia dabo, id est evertam, vel convertam, uti jam dixi.

Vers. 5. 5. AB ORIENTE ADDUCAM, — *q. d.* In captivitate Babylonica dispergemini in quatuor orbis plagas, ut dicitur Zachar. II, 6; sed ex omnibus reducam vos in Judæam. Multo magis hæc competunt Gentibus ex omnibus plagis mundi adductis, et venientibus ad Ecclesiam Christi. Sic ex Occidente ad eam venerunt et veniunt Europæi; ex Oriente Indi; ex Aquilone Gothi, Livones, Moschi, Poloni; ex Meridie Ægyptii et Afri. Unde sequitur :

Vers. 7. 7. ET OMNEM, QUI INVOCAT NOMEN MEUM. — Tò et causale est, significans quia, *q. d.* Adducam eos, quia creavi, formavi et feci eos fideles Christianos, ad hoc, ut nomen meum invocarent et celebrarent, meæque Majestati et gloriæ servirent in sanctitate et justitia, omnibus diebus vitæ, imo æternitatis suæ.

Vers. 8. 8. EDUC FORAS POPULUM CÆCUM. — Calvinus sic vertit et explicat : Educam cæcos, ut visum ipsis restituam; surdos ita liberabo, ut aures recuperent, *q. d.* In captivitate aperientur eorum oculi ut videant, et aures ut audiant, quibus jam suapte malitia destituuntur, dum eas obturant. Verum obstant Hebræa, quæ ad verbum habent : *Educ vel effice populum cæcum, cui oculi; et surdos, quibus aures.* Aliqui hæc de Gentibus idololatri accipiunt; verum dico Prophetam loqui de Judæis; hōs enim, cap. præced. vers. 19, vocavit cæcos et surdos : tales enim facti sunt, cum Gentes a Christo illuminatæ sunt, *q. d.* Ejice, o Christe! per te tuosque Apostolos, a te tuaque Ecclesia Judæos, qui oculos habent, quibus videant tua miracula; et aures habent, quibus audiant tuam doctrinam; sed lumen veritatis quod vident et audiunt, recipere et in animum admittere nolunt. Cæcos ergo hos et surdos reproba, magisque excæca, ac tandem projice in tenebras æternas, atque effice, ut Judæorum loco, omnes gentium tribus tibi et Ecclesiæ jungantur. Ita S. Hieronymus, Procopius et Theodoretus. Vide Prosperum, lib. I *De Vocat. Gentium*, cap. III. Hoc est quod ait Christus *Matth. VIII, 12* : « Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, » id est extremas, vel quæ occupant omnia ea quæ extra regnum Dei sunt. Nam in regno Dei lux est; extra autem quidquid est, tenebricosum est, imo mære tenebræ.

9. OMNES GENTES CONGREGATÆ SUNT. — Redit more suo Propheta ad Gentes, earumque idola, cum quibus cœpit disceptare, cap. XLI, vers. 22. Jam subaudi voculam *si, q. d.* « Si omnes gentes

congregatæ sint, » vel finge animo congregari, aut, ut Vatablus vertit, *congregentur omnes gentes cum suis diis, faciant et prædicant ea, quæ ego hic facio et prædico, testes si quos habent proferant.* Ego a cap. XLI hucusque demonstravi me Jehova esse Deum, qui præterita fecerim, sicut prædixeram, quique nova facturum sim, scilicet ut ex stirpe Abrahæ veniat Messias, qui illuminabit totum orbem, eumque redimet a potestate diaboli; in cujus adventu Judæi a fide patrum degenerabunt, fientque cæci, ac interibunt : quare loco eorum vocabo et surrogabo Gentes, ac in semen Abrahæ cooptabo. Hoc mysterium quis Gentium, quis deorum agnovit? quis prædixit? « dent testes, » si habent, oraculorum, et « justificentur, » id est causam suam justificent, scilicet probent se esse deos ex præsigio futurorum, ut audientes populi dicant : « Vere, » scilicet, hi sunt dii, et præsagi futurorum. Ita S. Cyrillus, Forerius et alii.

10. VOS TESTES MEI, DICIT DOMINUS, ET SERVUS MEUS, QUEM ELEGI. — Gentes et idola nullos habent testes suorum oraculorum et miraculorum : at ego plurimos profero. Vos, o Israelitæ! testes estis eorum, quæ dico : jam enim recenter vidistis me vos a Sennacherib liberasse, ejusque castra per Angelum cecidisse, uti promiseram. Item vidistis miraculum solis et umbræ reductæ in horologio Achaz, vitamque regi vestro Ezechie jam deposito, a me redditam. Vos quoque, o Prophetæ! oraculorum vestrorum, id est meorum, testes estis. Vos denique, o Apostoli, o fideles, o Martyres! tempore Christi, testes eritis, cum videbitis hæc mea oracula et promissa reipsa compleri. Hoc est quod ait Christus, *Actor. cap. I, 8* : « Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. »

ET SERVUS MEUS, — id est Cyrus, ait Hugo : hic enim liberans Judæos Babylone, promissionis divinæ de eadem liberatione, quasi testis fuit. *Secundo*, Forerius accipit Isaiam. *Tertio* et optime, passim alii accipiunt Christum; hic enim, cap. XLII, 1, vocatus fuit « servus » Dei, hicque suis dictis, factis, miraculis, suaque passione et redemptione adimplendo hæc Dei oracula, erit testis, id est, reipsa testabitur et demonstrabit ea esse vera, ac consequenter tam se quam Patrem, a quo missus est, esse verum Deum. Unde de eodem ait, cap. LV, vers. 4 : « Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus; » sic *Apoc. I, 5*, dicitur : « A Jesu Christo, qui est testis fidelis; » et cap. III, vers. 14 : « Hæc dicit : Amen, testis fidelis et verus. »

12. EGO ANNUNTIAVI, ET SALVAVI : AUDITUM FECI, ET NON FUIT IN VOBIS ALIENUS, — hoc est alius, scilicet Deus, qui ista faceret, *q. d.* Abraham, Isaac, Jacob, Moses, Josue, etc., et nuper Ezechias, quibus prænuntiavi et contuli salutem, vel ab hostibus, vel a morbo, quosque ita protexi et magnificavi, hi, inquam, non coluerunt deos alios, sed

me solum. Imo, ope mea Chananæos aliasque gentes deos alios colentes, sua terra exturbarunt: ergo non virtute deorum, sed mea solius id præstiterunt.

Vers. 13. 13. NON EST QUI DE MANU MEA ERUAT, — *q. d.* Habeo claves vitæ et mortis, animam et flatum cuiusque hominis manu mea contineo, ego vivifico et mortifico, solus sum Deus omnipotens et omniscius. A me idola, principes, et mortalia omnia morte damnata sunt, ut ait Seneca. Utinam hoc sæpe cogitemus, illique soli studere satagamus, illumque revereri et timere, « qui potest et animam et corpus perdere in gehennam! »

Vers. 14. 14. PROPTER VOS MISI (mittam) CYRUM IN BABYLONEM, ET (per eum) DETRAXI (id est detraham) VECTES UNIVERSOS, — *q. d.* Vectes portarum, omniaque robora et munitiones Babylonis frangam, ut vos ex ea liberem: pari modo per Christum, cuius typus erat Cyrus, ex Babylonis, id est mundi, et Chaldæorum, id est dæmonum, potestate vos liberabo. Ita S. Hieronymus, Procopius et Cyrillus.

Per « vectes » rursum Hieronymus accipit principes, quia validi sunt ac potentes. *Secundo*, Sanchez per « vectes » accipit impedimenta et remoras, quæ erant quasi carceres et repagula, quibus Deus gestientes ad bellum et imperium Persas et Medos hucusque continuerat, et quasi concluserat, jam vero iis diffractis liberos fecit, ut præcipites in Babylonem irruerent. Hos vectes Zacharias, cap. vi, 1, vocat « montes æreos. »

Tertio et optime, « vectes » sunt muri, turres, portæ, earumque vectes et claustra, omniaque munimenta Babylonis.

Septuaginta pro *vectes* vertunt, *fugientes*. Hebræum enim כריח *bariach* utrumque significat: radix enim ברח *barach*, significat *fugit*, indeque *vectis* dicitur *bariach*, quod transeurrat, et quasi fugiat ab uno extremo ad aliud. Porro per *fugientes* Cyrillus accipit Persas, *q. d.* Persæ, qui antea fugerant Chaldæos, jam a Deo animati eos invadent. Procopius vero accipit Chaldæos, quos jugientes insecuti Persæ, necarunt vel captivarunt.

ET CHALDÆOS IN NAVIBUS SUIS GLORIANTE S. — Babylon alluitur a Tigri et Euphrate: hi enim fluvii quasi vectes cingunt et sepiunt urbem, atque per aquæductus multis in locis restagnantes (uti fit Venetiis) miram ei utilitatem æque ac delicias præbent: sed hæc sustulit et evertit Cyrus, cum Euphrate in alios pluresque alveos per milites deducto, sicco pede urbem invasit et occupavit, uti ostendam *Jerem.* I, 36.

Vers. 16. 16. QUI DEDIT IN MARI (Rubro) VIAM, ET IN AQUIS TORRENTIBUS SEMITAM. — Commemorat pristina beneficia et miracula Israeli præstita, in transitu maris Rubri, *Exod.* cap. XIV. Per *aquas torrentis* intelligit vel aquas Jordanis, quas Hebræi, duce Josue, sicco alveo transierunt, cum is tempore messis intumisset, ideoque ferretur præceps magno cum impetu instar torrentis, *Josue* III; vel do-

tius aquas maris Rubri, ut posteriori versu, more rhythmi Hebraici, eleganter idem dicat quod priori. Unde Septuaginta vertunt, *aquam vehementem*, quomodo de transitu maris Rubri dicitur *Exod.* xv, 10: « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. » Aquæ enim maris Rubri a Deo utrinque instar montium suspensæ, ut mediam darent semitam transitui Hebræorum, quasi vim passæ, et frementes, iis transgressis, mox magno fragore convolutæ, instar torrentium, imo montium, insequentibus Ægyptios obruerunt. Ita S. Hieronymus, Procopius, Sanchez, Forerius et alii. Hoc est quod sequitur:

17. QUI EDUXIT QUADRIGAM, — *q. d.* Deus illexit, et quasi induxit Pharaonem cum suis quadrigis et copiis in mare Rubrum, ut persequeretur Hebræos, ibique eum mersit. Unde ibi Ægyptii in morte perpetua obdormierunt.

CONTRITI SUNT QUASI LINUM, ET EXTINGUITI SUNT, — ea scilicet facilitate qua linum, vel stupa accensa vel fumigans mersa in aquas validas, vel flumen ingens, mox conteritur et exstinguitur.

Rursum, quia anima est velut igniculus quidam in nobis, hinc exstinctos Ægyptios, quasi linum fumigans dixit. *Tertio*, in lino fumigante notat iram et ardorem persequendi Hebræos in Ægyptiis, qui instar flammæ aquis exstinctus est. Ita Forerius.

18. NE MEMINERITIS PRIORUM, — *q. d.* Magna videntur hæc miracula quæ pro vobis feci in mari Rubro; sed parva, vel nullâ sunt, si comparentur cum iis quæ vobis factururus sum in Ecclesia Christi. Illa enim sua magnitudine et gloria, ista vetera obruent. Ita S. Hieronymus, Procopius, Sanchez, Forerius et alii. Notent hic Christiani, quot quantisque beneficiis a Deo cumulati sint præ Judæis, omnibusque sæculorum omnium nationibus, Deoque gratos se exhibeant.

19. PONAM IN DESERTO VIAM. — Aliqui hæc ad litteram accipiunt de reditu e Babylone: tunc enim vel ad litteram, ut sonant, hæc Hebræis a Deo data esse, uti eisdem data sunt, cum duce Mose per desertum profecti sunt in Chanaan: vel hisce quasi proverbii tantum significari, quod Judæi, Babylone redeuntes, maxima a Deo acceperint beneficia.

Verum hæc veterum fuerunt, eaque exilia; hic autem nova Deus novæ Ecclesiæ, eaque magna promittit. Loquitur ergo de gratia per Christum in Gentes effusa, « ut ubi superabundavit iniquitas, ibi superabundaret et gratia. » Alludit tamen ad typum Hebræorum, duce Mose desertum trans-euntium. Tunc enim Deus iis viam quasi prævit, in columna ignis et nubis; tunc etiam ex petra a Mose percussa dedit copiosas aquas, et quasi flumina, quæ tantis castris sufficerent, eaque perdurantia, et deinceps perennantia: ita ut post discessum Hebræorum feræ, dracones et struthiones arentes siti inde eam exstinguerent; ideoque mutâ voce Deum glorificarent, eique gratias agerent.

Unde Abulensis in *Num.* xx, Quæst. II et III, cum Hebræis censet has aquas non tantum decurrisse per desertum, et secutas fuisse Hebræos, uti innuit Apostolus I *Cor.* x, 4; sed etiam ex illo tempore Arabiam propter aquas a Mose elicatas et perdurantes, factam fuisse habitabilem, cum antea ob ariditatem, æstum et sitim esset inhabitabilis; quod alibi discutiendum est.

Sensus ergo est, *q. d.* Aperui olim Hebræis viam in mari Rubro, et in deserto invio: at nunc totius mundi quasi maris magni viam omnibus nationibus aperiam, viam, inquam, ad Christum, Ecclesiam, salutem et cælum, atque dabo in invia Gentium solitudine non corpori, sed animæ de « fontibus Salvatoris » non flumen, sed flumina gratiarum, ut laudent et glorificent me gentes barbarie et feritate draconibus, struthiis aliisque bestiis similes, imo concorporatæ ipsi Leviathan, ut dixi cap. xxvii, vers. 1. Ita S. Hieronymus. Hinc Plato, lib. III *De Republica*, docet, in homine, velut in equo Trojano, esse omnia animalia: in doloso enim est vulpes, in crudeli leo, in libidinoso amica luto sus, in torpido asinus, in suspicaci odora canum vis, in guloso lupus, in compto et compta pavo, in garrulo pica, etc. Et hoc voluisse Pythagoram, cum dixit improborum animas degenerare et migrare in corpora belluina, seque induere in leones, lupos, canes, etc., censent nonnulli. Vide *Canon.* XIX. Simili modo S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. v, vers. 6, per « dracones, » accipit homines humi reptantes, carnales, et manifeste improbos, per « struthiones » vero hypocritas. Struthio enim habet pennas quasi volaturus, nec tamen volat. Utrique hi conversi a Christo et Apostolis, sincere et serio Deum glorificabunt. Septuaginta pro *dracones* vertunt, *Sirenes*, quales scilicet socios Ulyssis suo cantu fascinarunt, et in porcos, asinos aliasque feras converterunt. Tales sunt amasiæ et lenæ, quæ juvenes sua forma, voce et gestibus dementant: has Christus et Apostoli convertent, docebuntque canere Deo alleluia.

VERS. 21. 21. POPULUM ISTUM FORMAVI MIHI, LAUDEM MEAM NARRABIT. — Hinc patet per « dracones, struthiones, » etc., non bestias, sed homines et populum intelligi. Occurrit tacitæ objectioni Judæorum dicentium: Quomodo, Domine, nobis relictis, qui homines sumus fideles, et populus a te olim electus, qui te colimus victimis et thymiamate, transfers te ad Gentes, qui non ut homines, sed ut dracones et feræ vivunt? quomodo eos tibi adsciscis et eligis? Respondet Deus: Ego populum istum formavi, ego ex lapidibus, imo ex feris, filios Abrahæ suscitavi, ut ipse magnificam meam in se beneficentiam, potentiam et gloriam jugiter præsentet, æque ac celebret. Unde sequitur:

VERS. 22. 22. NON ME INVOCASTI, JACOB, NEC LABORASTI IN ME, ISRAEL. — « In me, » id est in meo cultu. Est nova occupatio. Occurrit enim alteri Judæorum objectioni et instantiæ. Dicit enim Israel: Si Gen-

tes vocasti, ut te laudent, ego quid aliud ago? nonne tibi psalmos et hymnos decanto? nonne tibi offero thura et victimas? Respondet Dominus: « Non me invocasti; » tuæ invocationes, laudes et psalmi, non laudes meæ, sed vituperia sunt; ac proinde ea mihi non obtulisti, nec iis me glorificasti, sed dedecorasti; consequenter ego hanc servitutem oblationum, et laborem thurificandi a te non requisivi, non volui, non cupivi, quia illa mihi non voluptatem, sed molestiam pariant; tum quia sceleribus pollutus me laudas, mihi sacrificas; tum quia externis hisce laudibus et victimis me putas reconciliari et oblectari. Falleris: ego enim victimis boum et arietum non placor, non vescor, non inebrior, calamum aromaticum, et suffitum thymiamatis non odoror; nullo odore pascor et delector: sed corde contrito et puro, puta mentis victimis, et thymiamate virtutum, quas tu negligis: et tu ad eas offerendas te inducerem, sacrificia ista externa, quasi excitationa tantum institui. Ita S. Hieronymus, Procopius et alii. Hoc est quod dixit cap. xi: « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? » etc. Vide ibi dicta. Aliter vertunt Syrus et Arabicus, nimirum: *Non me vocasti, o Jacob! et (vel quia) ecce appellavi te, Israel.*

24. NON EMISTI MIHI, — *q. d.* Quod emisti calamum, quem mihi offerres, ego mihi emptum et oblatum non reputo, non accepto ob causas jam dictas.

CALAMUM — aromaticum. Forerius accipit cannellam, quæ vulgo dicitur, quam ipse distinguit a cinnamomo. Vide dicta *Exodi* xxx, 24, et *Jerem.* cap. vi, 20 (1).

SERVIRE ME FECISTI, — *q. d.* Non ego te mihi in victimis servire feci: sed tu me tibi servire fecisti, hoc est, peccatis tuis tu me gravasti, molestia affecisti, et, quasi servus tuus essem aut mancipium, onerasti. Est catachresis. Hoc est quod dixit cap. i, vers. 14: « Laboravi sustinens. » Unde Septuaginta vertunt, *in peccatis tuis et iniquitatibus ante me stetitisti* (sic enim legit editio Romana, Irenæus et Procopius, licet alii legant aliter, uti mox dicam) tanquam effrons et impudens, non

(1) *Non comparasti mihi argento calamum odoratum*, videlicet ad suffitum faciendum. Nam per קנה, unde latinum *canna*, designatur species illa cannæ odoratæ sive aromaticæ, plene קנה בשם, *Exod.* cap. xxx, 23 et קנה הטוב, *Jerem.* vi, 20, dicta, quam veteres appellabant κασσία σφύγγα, *casiam fistulam*, quæ recentioribus Græcis dicitur κανέλλα, voce pariter hebræa ducta, latinæ formæ, vide Celsii *Hierobot.* part. II, pag. 324. Quod vates dicit, Judæos non emisse calamum aromaticum argento, Jarchi sic accipit, ac si dicere velit, Judæos non necesse habuisse, calamum aromaticum sibi comparare argento, quod magna copia reperitur in Cananæa, quod confirmat verbis R. Aba ex Midrasch-Echa, sive Commentario in *Lamentationes*. Sed in Judæa aut Syria maxime nasci calamum odoratum, evincitur ex insigni loco *Jerem.* vi, 20, qui in oratione similis argumenti, *quid itaque, inquit, thus ex Sabæa veniat, et calamus bonus, odoratus, e terra longinqua?* (Rosenmuller.)

tam victimas quam peccata oculis meis ingerens, ostentans, et quasi offerens, ideoque irritans, et quasi irridens, imo pugnans contra me. Stat enim ante Deum peccator cum peccatis suis, quasi pugnaturus contra illum. Peccata enim tela quædam sunt, quæ intentat peccator et vibrat contra Deum, ait Sanchez. Hic sensus est genuinus.

Moraliter, advertant Christiani se, dum peccant, facere Deum sibi suisque peccatis quasi servum. Nam ejus concursu, natura et donis ab eo acceptis, ad scelera abutuntur, ad eaque Deum Deique dona, quasi invitum trahunt.

Secundo, Forerius explicat, *q. d.* Non tam mihi servivistis vestris sacrificiis, quam ego servivi vestro ex iis quæstui, honori, epulis ac voluptatibus, o sacerdotes et Judæi! cum vos iis permitterem expiari, et haberi in populo pro expiatis, cum revera ista non haberent vim expiandi, sed vos peccatores æque ut ante relinquerent.

Tertio, ex Lactantio, lib. IV, cap. XIX, Leo Castrius, *q. d.* Tuis peccatis « servire, » id est servi carnem induere, servi pœnas, scilicet crucem, suscipere, « me » Christum « fecisti : » imo tam tu, o Israel! quam Pilatus et Romani in morte me tractastis, non tam ut mancipium, quam ut pecus vel belluam. Unde juxta S. Hieronymum Septuaginta ita vertunt : ἐν ταῖς ἀμαρτίαις σου ἡπερήσθησάν σε ; in peccatis tuis defendi te, et quasi hyperaspistes scutum me pro te iræ Dei opposui. Ita et ex Septuaginta legunt Cyrillus, Theodoretus et Eusebius, lib. X *Demonstr.*

Aliter S. Hieronymus explicat Septuaginta : Quasi, ait, labor sit Dei, et lassitudo defendere peccatores. Perinde ac si Deus clemens et parcens pugnet contra se, suamque justitiam, flagitantem ut justa vindicta peccata et peccatores plectat.

25. EGO SUM, EGO SUM IPSE, QUI DELEO INIQUITATES TUAS (*q. d.* Non tuæ victimæ, quæ plus habent sceleris quam pietatis, non opera legis a te facta, ut tu putas : sed ego per Christum, Christique merita, deleo iniquitates tuas) PROPTER ME (id est propter immensam meam misericordiam, merumque amorem, non propter merita patrum tuorum) : ET PECCATORUM TUORUM NON RECORDABOR, — ut ea tibi ad culpam et pœnam imputem, ut ea ulciscar : alioquin enim manet in Deo peccatorum æque ut præteritorum omnium memoria cognitrix, sed non ultrix.

Notat S. Hieronymus τὸ deleo alludere ad chirographum, quod homo dum peccat, quasi manu sua scribit, suoque nomine subscribit, quo se peccato et diabolo quasi mancipium vendit, mancipat et addicit. Hoc delet et abolet Deus, dum peccati reatum et obligationem delet. De quo vide Origenem, homil. 13 in *Genes.* (1).

(1) Metaphora desumpta est ab eo qui cum in commentariis suis consignata habet, quæ alii ipsi solvenda debent, postquam persoluta fuerint, delere solet. Ita populi Hebræi deiicta (adeoque totius populi Christiani) pro quibus pœnæ ipsi luendæ erant, Deus, quasi persolutæ essent

Secundo, τὸ ego ego repetitum habet epitasin; estque asseverantis, sibique complacentis et gloriantis. Quomodo ergo in amorem tam indulgentis patris, qui in se merus amor noster est, non rapimur ?

Prudenter S. Ambrosius, lib. II *De Pœnit.* cap. VI : « Ego, inquit Deus, deleo iniquitates tuas, et memor non ero ; tu autem memor esto propter correctionem : memor esto, ut scias donatum esse peccatum, ne glorieris quasi innocens. »

26. REDUC ME IN MEMORIAM, ET JUDICEMUR SIMUL : NARRA SI QUID HABES UT JUSTIFICERIS. — Nota hic humanitatem Dei, qui ad nostra judicia descendit, et hominum arbitrio quasi se submittit, *q. d.* O Israel! qui putas te ex operibus legis justificari, merita si quæ habes, ob quæ putas me debere tibi ignoscere, et delere iniquitates tuas, in medium profer, fac ut ea mihi in mentem redeant : ego enim nil tale memini. Est tacita irrisio. Quis enim Deum doceat, aut ei aliquid in memoriam reducat ? Ita Forerius.

JUDICEMUR SIMUL, — ut videamus, an ex operibus et meritis tuis, an vero mera mea misericordia remissio peccatorum tibi obtingere debeat, ut « justificeris, » ut in hac causa et lite superior evadas, ostendasque jus a te stare, itaque pro te sententia feratur, hæc scilicet, quod remissio peccatorum meritis tuis, non gratiæ Dei sit ascribenda. Ita Forerius. Hic sensus est genuinus.

Aliter hæc explicat S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* cap. VI, scilicet de examine conscientiæ, præsertim quod confessionem peccatorum præcedit, ut eam deinde facientes, atque absolutionem recipientes, justificemur. Hoc enim examen est instar judicii privati et domestici, in quo personas requisitas, scilicet, accusatorem, judicem, satellitem et carnificem ita describit : « Conscientia, ait, accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. »

Denique Septuaginta vertunt, *dic tu iniquitates tuas primus ut justificeris*, quod S. Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Leo, Chrysostomus, et ex eis Leo Castrius, accipiunt de confessione Sacramentali, quam ex hoc loco probant esse medium necessarium ad justificationem. Imo hoc sensu versionem nostram Vulgatam accipit et interpretatur Castrius.

27. PATER TUUS PRIMUS PECCAVIT, — *q. d.* Ne dicas te ob merita patrum justificari : nam et ipsi peccarunt. Quis autem dicat ejus merito nos a peccato liberari, qui aliquando peccato subjacuit ? « Pater » ergo vel est Adam : hic enim primus peccavit, et peccatum in omnes posteros transfudit. Vel potius Abraham : hic enim proprie Judæorum erat pater, id est patriarcha, et ob ejus merita justitiam omniaque sibi deberi putabant Judæi. Unde illud perpetuo jactabant : « Pa-

illæ pœnæ, delevit e suis tabulis et e sua memoria, ita ut illas non exigat. Idque se facere ait *propter se*, id est ex sola sua natura benigna atque ad clementiam prona, nullis sui populi in se meritis motum. (Rosenmuller.)

trem habemus Abraham, et semen Abrahæ sumus. » Porro Abraham peccavit, quia antequam vocaretur a Deo, coluit idola gentis suæ, scilicet Chaldæorum, ut patet *Josue*, cap. *xxiv*, 2. Vide dicta *Genes.* cap. *xi*, 31, et cap. *xii*, 1 (1).

(1) Berthierus et Rosenmüller satis recte existimant hinc Isaiam neque Adamum intendere, qui peccandi primus exemplum dedit, quia Adamo Judæi nunquam ut patre gloriati sunt, quippe quem cum omnibus mortalibus communem habeant; neque Abrahamum quo equidem patre gloriari solent; sed qui posteris suis ubique proponitur exemplum pietatis in Deum, et Deo charissimus homo. Præterea huic sententiæ æque ac priori obstat quod membrorum parallelismus docet dictionem אביו, cui in altero hemistichio respondet pluralis מליציו, capiendam esse *collective pro patres tui*, ut *Ezech.* *xvi*, 3, de populo Judaico feminæ imagine inducto dicitur, *pater tuus erat Amorrhæus*, id est patres, majores tui impietate Amorrhæos æquarunt. Hic autem *patribus* populi Hebræi non tam intelliguntur ejus majores, qui jam primis post exitum ex Ægypto temporibus, dum per Arabiæ deserta iter facerent, idola coluerunt, quæ S. Hieronymi est sententia; quam potius populi reges et antistites, præcipue *sacerdotes*; אביו enim Hebræis, haud aliter atque Latinis *pater* nomen quoque fuisse reverentiæ et honoris, quo appellabantur qui alios instituerunt, aut suis consiliis adjuverunt, patet e *Jud.* *xvii*, 10, ubi Micha narratur Levitam quemdam rogasse, ut sibi esset *in patrem et sacerdotem*, eodem modo ad eundem Danitæ, *Jud.* *xviii*, 19. Neque ob aliam rationem, II *Reg.* *xi*, 12, Elisæus Eliam, et II *Reg.* *xiii*, 14, Joas Elisæum *patrem* vocat; vide et *Genes.* *xlv*, 8. Dicit igitur Propheta, sive quem loquentem inducit, Deum, ipsos populi antistites, quorum erat pietatis et religionis studio alios antecellere, exstitisse aliis peccandi auctores. Cui sententiæ congruit alterum hemistichium, « et interpretes tui prævaricati sunt in me; » nam hoc loco interpretibus sive oratoribus populi Hebræi intelliguntur sacerdotes, quorum officium erat apud Deum pro

Et interpretes tui, — scilicet Moyses et Aarón, qui fuerunt sequestri et internuntii inter Deum et populum. Hi quoque prævaricati sunt, scilicet ad aquas contradictionis, ideoque ingressu terræ promissæ a Deo exclusi sunt. Unde et hosce

28. CONTAMINAVI PRINCIPES SANCROS, — id est peccato contaminatos ostendi (vide *Can.* *XXIX*), ad indignos qui terram sanctam ingrederentur: quocirca eos quasi peccati reos ad mortem damnavi, morique in deserto coegi.

DEDI AD INTERNECIONEM JACOB (quando omnes Jacobæos, id est Hebræos, ob murmur pariter damnavi ad mortem obeundam in deserto; *Numer.* *xiv*, 29. Itaque dedi) ISRAEL IN BLASPHEMIAM, — id est, ut Chaldæus et Septuaginta, *in opprobrium hostium*. Hostes enim irridebant eos et subsannabant, quod ob scelera sua a Deo suo, qui eos eduxerat ex Ægypto, omnes occiderentur in deserto. Quo pacto ergo patrum tuorum justitia te justificet, qui ob crimina sua morte damnati sunt? non est ergo quod de eorum meritis glorieris, o Israel! « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, » *Rom.* cap. *iii*, 23. Itaque non Aaron per sua merita aut sacrificia expiat te; sed Dei misericordia, qua gratis justificaris per Christum. Quocirca non mirum si populum novum credentium ex Gentibus creare voluerim, qui hoc ipsum agnoscit, ut ipse misericordiam meam celebret, cum videat se ex se nihil habuisse, nisi peccata ob quæ erubescat, ac mera mea gratia justificatum esse. Ita S. Hieronymus, Forerius et alii.

populo intercedere, et oblati sacrificiis pro eo veniam orare. (Rosenmüller et Berthierus.)

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propheta a cap. xli ad xlvii, singulis capitibus idem pene agit, inculcatque hæc tria, scilicet primo, liberationem Israelis e Babylone per Cyrum. Secundo, liberationem hominum, præsertim Gentium, a peccato per Christum, ac beneficia per eum Gentibus danda. Tertio, disceptat cum idololatriis, docetque idola esse idola, non deos, Deique unius et veri divinitatem multis probat et confirmat. Facit hoc tam impense, quia suo tempore Achaz rex, multique cum eo coluerant idola. Rursum, quia Judæi erant captivi ituri in Babylonem, visurique idola, et idololatriam late dominantem; ne ergo in eam abripiantur ex consuetudine diuturna cum idololatriis, præmunivit eos, ostenditque multis idolorum inanitatem. Ita et præmunivit eos Jeremias toto cap. vi Baruch. Rursum facit hoc propter Gentes, præsertim futuras tempore Christi, ut eas præparet Evangelio, ac ab idolis ad Deum et Christum traducat.

Primo ergo describit hoc cap. felicem statum, et aureum sæculum Evangelii. Secundo, vers. 7, ostendit idolorum inanitatem ex fabris, qui miseri homines sunt, et ex materia, puta lignis, quæ igne comburuntur, et in cineres abeunt. Tertio, vers. 21, hortatur fideles, ut idolis despectis, se verum Deum colant, utpote qui creator eorum et redemptor est, quique Judæos a Babylone per Cyrum, et Christianos a peccato per Christum, uti promisit, educet.

1. Et nunc audi, Jacob serve meus, et Israel quem elegi: 2. Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem

elegi. 3. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam : effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. 4. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas. 5. Iste dicet : Domini ego sum : et ille vocabit in nomine Jacob : et hic scribet manu sua, Domino : et in nomine Israel assimilabitur. 6. Hæc dicit Dominus rex Israel, et redemptor ejus Dominus exercituum : Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. 7. Quis similis mei? vocet, et annuntiet : et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum : ventura et quæ futura sunt annuntient eis. 8. Nolite timere, neque conturbemini : ex tunc audire te feci, et annuntiavi : vos estis testes mei, numquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? 9. Plastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis, ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. 10. Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? 11. Ecce omnes participes ejus confundentur ; fabri enim sunt ex hominibus : convenient omnes, stabunt et pavebunt, et confundentur simul. 12. Faber ferrarius lima operatus est : in prunis et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suæ : esuriet et deficiet, non bibet aquam, et lassescet. 13. Artifex lignarius extendit normam; formavit illud in runcina : fecit illud in angularibus, et in circino tornavit illud : et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. 14. Succidit cedros, tulit ilicem : et quercum, quæ steterat inter ligna saltus : plantavit pinum, quam pluvia nutrit. 15. Et facta est hominibus in focum : sumpsit ex eis, et calefactus est : et succendit, et coxit panes : de reliquo autem operatus est Deum, et adoravit : fecit sculptile, et curvatus est ante illud. 16. Medium ejus combussit igni, et de medio ejus carnes comedit : coxit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixit : Vah, calefactus sum, vidi focum. 17. Reliquum autem ejus deum fecit et sculptile sibi : curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat, dicens : Libera me, quia Deus meus es tu. 18. Nescierant, neque intellexerunt : obliiti enim sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo. 19. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant : Medietatem ejus combussi igni, et coxi super carbones ejus panes : coxi carnes et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam? ante truncum ligni procidam? 20. Pars ejus cinis est : cor insipiens adoravit illud, et non liberabit animam suam, neque dicet : Forte mendacium est in dextera mea. 21. Memento horum, Jacob, et Israel, quoniam servus meus es tu, formavi te, servus meus es tu, Israel, ne obliviscaris mei. 22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua : revertere ad me, quoniam redemi te. 23. Laudate, cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus : jubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus : quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur. 24. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus, ex utero : Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. 25. Irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum : et scientiam eorum stultam faciens. 26. Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Jerusalem : Habitaberis; et civitatibus Juda : Ædificabimini, et deserta ejus suscitabo. 27. Qui dico profundo : Desolare, et flumina tua arefaciam. 28. Qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem : Ædificaberis; et templo : Fundaberis (1).

1. ET NUNC AUDI, JACOB SERVE MEUS. — Per *Jacob* vel *Israel* spiritalem accipe, id est populum fidelem et Christianum, cum allusione tamen ad Is-

rael carnalem, ejusque liberationem e captivitate Babylonica. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Forerius, Adamus, et alii passim.

(1) Idem pene argumentum hujus capituli ac præcedentis, scilicet ex more, Propheta a reprehensionibus et minis ad consolatorias promissiones transit :

Primo igitur, veros Israelitas consolatur, primo, exi-

mendo, facta ad attentionem excitatione, omnem metum, 1, 2; secundo, promittendo gratiarum et benedictionum copiam, 3, 4; tertio, prædicando concordem omnium et gratitudinis erga Deum plenam professionem, &

Populo ergo fideli, partim ex Israele, partim et magis ex Gentibus colligendo, id est Ecclesiae, perguit Deus promittere suam opem, tutelam, gratiam omneque bonum per Christum.

2. AB UTERO AUXILIATOR TUUS. — « Ab utero, » id est a principio, ab incunabulis, *q. d.* Ego te adjuvi, o Israel! a tui ortu, puta, primum tuum parentem Abrahamum liberavi et eduxi de Ur Chaldæorum. Deinde proximum tuum parentem, unde nomen sortiris, puta Jacobum, sive Israellem, in utero adjuvi, dum ibidem luctando cum fratre Esau, illi prævaluit, et nascendo tenuit plantam ejus, quasi qui eum esset supplantaturus. Unde et mater Rebecca audivit a Deo, *Genes. xxv, 23* : « Major serviet minori, » puta Esau Jacob : ita pariter, et multo magis adjuvi verum Israel, id est Christianos, in sui exordio, cum eos a Judæis et tyrannis, præsertim Imperatoribus Romanis, tutatus sum, adeo ut, cum ipsi per trecentos annos, in eos sæviendo, omni vi contenderint delere ipsos et Ecclesiam, ego contra effecerim, ut per persecutiones et martyria, magis semper illi creverint. Ita S. Hieronymus et alii jam citati.

NOLI TIMERE, etc., RECTISSIME QUEM ELEGI. — Pro *rectissime* hebraice est יְשׁוּרִן *iescurun*, quod Septuaginta et Chaldæus vertunt, *dilectus Israel*. Unde et *iescurun* pene omnes easdem habet litteras quas *Israel*, uti notat S. Hieronymus, dicitur « Israel rectissimus, » quia rectissimam Dei legem, cultum et religionem a Deo accepit.

Nota : Hebræum *iescurun* varie verti potest : primo, cum Aria, *directus, destinatus, missus*, scilicet a Deo ad Christi Evangelium, vel recipien-

Secundo, cum totam consolationem populi Israelis effusione Spiritus Sancti circumscripsisset, qua si veritatem attendas, nihil optabilius mortalibus posset accidere ; si vero vulgi opinionem, non multum se felices fore arbitrari possent ; necessarium fuit et promissionem amplificare cum ex parte promittentis, tum maxime ex ipsius rei natura : primo equidem ostendit hanc esse veri Dei promissionem a quo expectabant redemptionem : ergo, cum Deus sit verax, hoc redemptionis genere sibi esse satisfactum, et fidem suam Deus liberasse, 6-8. *Secundo*, idem confirmat per oppositionem, primo, exhibendo idololatriæ conditionem, stuporis plenam, et pudoris feracem, 9-11 ; *secundo*, exponendo idolorum vanitatem, ex eorumdem operariis, instrumentis, materia, et usu conspicuam, 12-17 ; *tertio*, ostendendo idololatrarum vecordem insaniam, 18-20. *Tertio*, rem ipsam promissam dilucidius aperit, et tum Judæos ad memoriam remissorum peccatorum perpetuo servandam excitat, 21, 22 ; tum Gentiles et ipsos promissionis consortes ad laudem et gloriam Deo redemptori reddendam, 23.

Tertio, ad Cyrum et Christum ejus typum transit : primo, summam vaticiniorum exponendo, quorum auctor est solus Deus, tum factorum omnium potens, 24 ; tum futurorum præsciis, et delusis pseudoprophetis, per suos præsagus, 25, 26 ; *secundo*, argumentum proponendo, scilicet restaurationem reipublicæ hebraicæ, 26 ; et eversionem ejus potentiorum hostium, 27 ; *tertio*, modum, mediumque indicando, in Cyro, voluntatem Dei exsequente, et in Hierosolyma, urbis ædificia et templi fundamenta recipiente, 28.

dum, quasi fidelis ; vel annuntiandum, quasi Apostolus. Unde omnes Apostoli ex Israel orti sunt.

Secundo, dilectus, ut vertunt Septuaginta, hic, et Noster, *Deuter. cap. xxxii, 15*, vel potius, *dilectulus*. Est enim *iescurun* diminutivum ; unde significat tenerum amorem, qualis est parentum erga parvulos, uti Jacobi erga Benjamin.

Tertio, videns, vel *canens*, uti vertit Leo Castrius. Utrumque enim significat Hebraica radix שׁוּר *scur*, et utrumque Ecclesiae et Apostolis competit. Hi enim fuerunt *videntes*, id est Prophetæ, et quasi oculi Dei, eique *canentes*, id est laudes ejus celebrantes.

Quarto, iescurun deduci potest a שׁוּר *scor*, id est tauro, qui robore et magnitudine eminens armenta et gregem boum et vaccarum ducit : sic enim Israel inter greges populorum emittit, fuitque Deo quasi primogenitus, et dux gregis ; perinde ut in familia regis, primogenitus fratrum, est princeps et dux. Ita Forerius. Et huc alludit Moses, *Deut. xxxii, 15*, et *cap. xxxiii, 17*, ubi Joseph vocans Nazaræum inter fratres suos, subdit de eodem : « Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ. » Tales fuerunt *iescurun*, id est duces gregis Christiani.

3. EFFUNDAM ENIM AQUAS SUPER SITIENTEM. — Vers. 3. « Sitientem » et « aridam, » scilicet terram, vocat Gentilitatem. Gentiles enim ante Christum instar terræ aridæ erant, squalidi, miseri, infrugiferi et steriles honorum operum : sed cum Deus per Christum effudit in eos aquas, id est charismata Spiritus Sancti, fecit eos instar agri succulenti fertiles virtutum. Unde idem, alia metaphora explicans, subdit :

EFFUNDAM SPIRITUM MEUM SUPER SEMEN TUUM. — « Spiritum » vocat halitum, sive calorem vitalem, qui semina in hieme quasi emortua, in vere quasi ad vitam resuscitat, et germinare facit. Jam semen sive posteros Israelis spirituales accipit, non carnales, *q. d.* Super Gentes Christo credentes, ideoque spirituales Abrahæ et Jacobi filios, effundam spiritum meum vitalem gratiarum ; ut fruges virtutum proferant, utque iis semper vi-reant et vigeant. Ita Cyrillus, Procopius et S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral. cap. v.*

4. ET GERMINABUNT INTER HERBAS QUASI SALICES. — Vers. 4. Est hic tertia metaphora idem significans, *q. d.* Tam florebit felix illud Ecclesiae tempus, tam flore-bunt fideles, quam florere solent et germinare herbæ in loco humecto, et salices juxta aquas. Salices enim amant rivos, ibique luxuriant, teste Virgilio, II *Georgic. :*

Fluminibus salices, crassique paludibusalni
Nascuntur.

Ita S. Hieronymus. *Secundo*, sicut salices a qua deficiente, quasi emortuæ ; ea redeunte quasi

Ecclesia
et justi
sunt sal-
ces, cur?

Israel est
iescurun
cur?

respirant et reviviscunt : ita et Deus per Christi gratiam reviviscere faciet Gentes peccato et vitiis emortuas. *Tertio* et maxime genuine, comparat et præfert salices alte germinantes herbis humilibus, *q. d.* Quantum inter herbas humi repentis sese efferunt altæ salices juxta aquas plantatæ, ab eisque jugiter irrigatæ : tantum sese extollet aureum illud Christi et Evangelii sæculum inter priora sæcula, quæ in terra repere, et vix de Deo et cælo cogitare videbantur. Ita Forerius, Sanchez et alii.

Moraliter, notat S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. v, apte justos comparari salicibus, quæ semper virent, ut arescere nequeant, et recisæ usque ad truncum, uberius resurgunt, altiusque excrescunt : ita enim et justus semper animi virorem virtutemque retinet, atque vexati, afflictus et oppressus, magis animos viresque exerunt et attolunt.

3. **ISTE DICET : DOMINI EGO SUM.** — Est mimesis : imitatur enim voces Gentium, sibi de conversione gratulantium, seque quasi servos Deo et Christo mancipientium. Unus enim dicet : Domini ego sum servus, illi vivere, illi mori cupio (1).

ET ILLE VOCABIT IN NOMINE JACOB, — *q. d.* Alter invocabit nomen Dei Jacob. Vide *Canon.* XXX. Vel prædicabit nomen Dei Jacob.

Forerius pro יַעֲקֹב *iacra*, id est *vocabit*, aliis punctis legit יַעֲקֹב *iacare*, id est *vocabitur*, *q. d.* Ille vocabitur Jacobæus, Israelita, Abrahamæ et Jacobi filius, puta fidelis et Christianus.

ET HIC SCRIBET MANU SUA : DOMINO, — id est « Domini ego sum. » Ita Septuaginta ; unde Arabicus vertit, *hic scribes se e proprietate Domini*, puta se esse e familia Domini, se esse ex iis qui ad Dominum, vel Domini famulitium et servitutum pertinent. Sicut enim sagæ, aliique cum se dæmoni devovent, dant ei sygrapham, qua se ejus esse servos profitentur : ita et fideles olim scribebant se esse Christianos, servos Jesu Christi ; uti scribit Apostolus : « Paulus servus Jesu

Christi. » Hinc baptizati dicuntur nomen dare Christo, nomenque suum, vel ipsi, vel Pastor eorum, catalogo fidelium inscribit, quasi qui transeant in militiam Christi. Sic in nonnullis Religionibus professi, dum faciunt vota Deo, ea manu sua scribunt, scriptaque tradunt Superiori Ordinis. Simili modo Martyres vel voce, vel scripto testabantur se esse Dei cultores et Christianos. Sic Athenagoras, Justinus, Arnobius, Tertullianus, Minutius Felix, et alii, qui ad Imperatores Christianos persequentes, pro iis Apologias scripserunt, scribebant se Dei et Christi cultores esse. Sic Imperatores, Reges et Principes scribunt : Ferdinandus Dei gratia Romanus Imperator, Philippus Dei gratia Hispaniarum Rex.

Secundo, aliqui ex Septuaginta vertunt, *inscribet manui suæ : Dei ego sum.* Olim enim milites stigma inustum vel impressum in manu ferebant, quo se milites hujus, vel illius ducis esse profitebantur, uti docet Lipsius, lib. I *De Militia Rom.* cap. ix. Imo id ipsum testatur S. Gregorius, lib. II, *epistol.* 100 et 103. Sic ait Paulus : « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. » Sic et Antichristus faciet assecclas suos suum characterem gestare in dextera, *Apocal.* XIII, 16.

Et sic fideles etiamnum in annulis et armillis manuum gestant cruces, aut iconculas Christi, quibus se Christi servos esse fatentur. Imo primis Ecclesiæ temporibus multi Christiani, non in annulis, sed in carne, candentibus notis nomen Jesu, aut signum crucis curabant sibi inuri, ait Procopius, vetus Auctor hic.

Tertio, alii ex Hebræo vertunt, *inscribet manum suam Domino.* *Inscribet*, id est consignabit, aut consecrabit. Sic manus suas consecrant Domino, qui eis assidue operantur bona opera ad Dei honorem et gloriam. Item qui templis, altaribus, domibus libris, aliisque operibus inscribunt *Deo optimo maximo*, vel, *Deo sit laus et gloria.*

ET IN NOMINE ISRAEL ASSIMILABITUR, — id est simili nomine vocabitur, puta cognominabitur Israelita, id est Christianus, similis Israeli patriarchæ fideli et sancto ; quia ejus fidem et religionem amplectetur, ait S. Hieronymus ; Hebræum enim כִּינָא *kinna*, significat cognominari, vel cognominare se a persona aliqua illustri, vel re quapiam insigniter gesta. Ita Syrus, Arabicus, Forerius, Vatablus et alii, *q. d.* Græcus non vocabit se Græcum, Belga non vocabit se Belgam, sed Christianum. Hic sensus ex Hebræo est genuinus. Hinc Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. xxxix, ait hæc esse verba Martyrum, in confessione fidei pro Deo, et cum Deo invalescentium. Hoc enim significat, inquit, Hebræum *Israel*, scilicet, *invalescens*, vel *prævalens Deo.*

Hinc *secundo*, Leo Castrius sic explicat, *q. d.* Fidelis et Christianus, nomen Israelis, id est ipsi Israeli verò, puta Christo, assimilabitur tollendo post eum crucem suam : « Omnis enim Christi actio est nostra instructio, » cui nos confor-

(1) « Et hic scribes manu sua : Domino. » Phrasis desumpta est a contractibus, qui in tabulas redacti subscriptione nominum, tum ab his qui inter se contraxerant, tum a testibus confirmari solebant, ut apud alios populos, sic et apud Hebræos, de quo ritu Hebræis recepto luculentus locus est apud *Jerem.* cap. xxxii, 10, 12, 44. Dicit igitur vates Jovæ cultores veluti pactione cum eo ineunda se solemniter obligaturos esse ad fidem et obsequium illi præstandum ; veteres pios subinde fidem suam Deo non tantum voce et *jurejurando*, sed et scripto dedisse, ex *Nehem.* x, 1 (al. ix, 38), ubi narratur, postquam fœdus inter Deum et populum solemniter instauratum esset cura Esdræ et piorum Sacerdotum et Levitarum, eosdem fœdus illud nominibus suis suscriptis firmum et inviolabile obsignasse. Alii, ut Lowthus, verba hebræa ita intelligunt : *Et hic inscribet manui suæ* se esse *Jovæ*, et phrasim inde ductam existimant, quod servi olim stigma manui inustum ferebant, ex quo cujus essent agnoscendum. Vide Ursini *Analecta S. Script.* lib. I, sect. lx. Hæc autem stigmata servorum ethnicorum frontibus plurimum inurebantur. (Rosenmuller.)

mare et assimilare debemus. Sic Plato, lib. VII *De Legibus*, ait: « Homo est Dei *paignion*, id est iudicium, quia in eo sita hominis felicitas, ut Deum imitetur, illique quoad potest mores suos assimilet. » Hinc illud celebre inter septem sapientum dicta: « Sequere Deum, » ait S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II.

Tertio, Sanchez: « Assimilabitur, » ait, hoc est, similitudine aliqua aut affigie aut caractere Israelis, id est Christi, consignabitur, signo aliquo ostendet se Christi legem et religionem sequi. v. g. gestando ex collo crucem, agnum Dei, rosarium, medallium, Christi, B. Virginis, aut Sancti alicujus imagine insignitum, uti faciunt Japones, Helvetii alique ferventes Catholici, qui inter hæreticos, vel infideles degentes libere et constanter suam fidem publice profiteri volunt. Hoc est quod postulabat sponsus, *Cant.* VIII, 6: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » *q. d.* Tu, o sponsa! mei sponsi tui imaginem gesta in medallio ad cor, vel ad armillas brachiorum appenso. Sic enim ex adverso idololatræ idoli sui effigiem in anulo, tabula vel armilla ex collo, digitis aut brachiis gestabant, uti ostendit Sanchez.

Vers 6.

6. HÆC DICIT DOMINUS. — Hic de more Deus vertit se ad idola et idololatrias, cum eisque de Divinitate disceptat.

REDEMPTOR EJUS, — scilicet Israelis, et populi fidelis. « Redemptor, » id est qui tanquam frater aut propinquus, alienatos nos a Deo redimet, sibi que vindicabit, et in libertatem Israelem suam reducet; ille ipse iudex, redemptor et assertor libertatis vestræ, cognatus, o Israelitæ! vester, Deus homo ex semine David. Is, inquam, hujusmodi consolationem et felicitatem divinam, in tanta hac rerum vestrarum deploratione, non aliam vobis promittit, inquit Forerius. Alludit ad ritum veterem, quo bona a quopiam vendita, a fratre, vel cognato ejus, reddito emptori pretio, redimi et recipi poterant: is enim dicebatur *גֹּאֵל* *goel*, id est redemptor, *Levit.* XXV, 25.

Vers 7.

7. QUIS SIMILIS MEI? — Qui similiter ut ego redimat Israël, qui ejus peccata dimittat, qui spiritum suum in eum effundat, ut dixi cap. præced., vers. 3 et 25. Sic infra, vers. 22, cum remissionem peccatorum promisisset, mox, vers. sequenti, cælos ad Deum laudandum invitat. Hinc patet quantum opus sit a Deo peccata hominibus remitti, et quam Deo dignum, ut vel ex hoc Divinitas possit agnoscī. Justificatio enim impii, majus difficilius et divinius est opus, quam sit creatio Universi, uti docet S. Augustinus, tract. 72 in Joannem, et ex eo D. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9.

VOCET, — prædicet, clara voce pronuntiet.

ORDINEM EXPONAT MIHI (narret mihi ordinem et seriem generationum et sæculorum, qui fluxit ab eo tempore) EX QUO CONSTITUI POPULUM ANTIQUM,

— ex quo scilicet Adam primosque homines creavi et collocavi in terra (1).

8. EX TUNC, — *q. d.* A priscis temporibus, ab initio mundi, docui veritatem, et futura prædixi. Ego, inquam, non idola; ergo ego solus sum Deus, non idola. Ita Cyrillus et Procopius.

FORMATOR, — creator Deus, qui hunc mundum creavit, et quasi plastes formavit, variisque formis essentialibus et accidentalibus decoravit: sicut figulus variis vasis varias dat formas. Hebræum enim *יֹצֵר* *iotser* significat figulum sive plastem, qui ex luto vasa fingit et format. Deus ergo est quasi plastes et figulus Universi, sicut artifex est plastes sui idoli. Deum ergo mundi opificem opponit idolis, quorum figuli et plastæ sunt fabri, homines viles et abjecti. Hebræi pro *iotser* jam legunt *צֹר* *tsur*, id est petra, fortis, refugium. Talis enim est Deus in se sperantibus, seque invocantibus. Ita Forerius.

9. PLASTÆ IDOLI OMNES NIHIL SUNT. — Ostendit idolorum vanitates, ex ipsa eorum fabrica et fabricis. Pro *plastæ* hebraice est *יֹצֵר* *iotser*, quod proprie figulum significat; inde tamen transfertur, ut significet quemvis fabrum et opificem, ut hic significat aurifices, qui ex auro, argento, etc., fabricabant idola. Pro *nihil* hebraice est *תוֹהוּ* *tohu*, id est inanes, informes, vani et quasi nihil sunt. Est elegans antithesis, *q. d.* Plastæ idolis figuram et formam dare conantur; at ipsimet informes sunt, forma et figura carent, suntque ipsa prorsus inanitas. Nullius enim rei nomine digni sunt, dignique qui vocentur, « nihil. » Illi enim sic desipuerunt, ut manibus suis se formare deos arbitrentur, cum sint ipsimet plasmati a Deo. Ita Forerius.

Rursum sunt « nihil, » quia esuriunt, sitiunt, lassescunt, deficiunt, et ad suum « nihil, » unde a Deo educti sunt, tendunt et redeunt, ut sequitur.

AMANTISSIMA EORUM (idola quæ amant, et in pretio habent) NON PRODERUNT EIS.

IPSI (plastæ idoli) SUNT TESTES EORUM (quæ jam dixi, quod idola « non proderunt eis, » etc.); si enim verum fateri velint, cogentur dicere de idolis, QUIA (id est quod) NON VIDENT, NEQUE INTELLIGUNT (sed saxa sunt et trunci, visus et mentis expertes) UT CONFUNDANTUR, — *q. d.* Ut merito confundi debeant, qui idola fingunt, colunt, adorant, quasi deos.

Allegorice idolum est hæresis, quod plastæ, id est hæresiarchæ, ex suo cerebro confingunt, ait S. Hieronymus.

(1) Verbum *רָצָה* Hebræis idem valet quod Græcis *παράταται*, rem certo ordine, serie, successione disponere et ordinare. Pertinet proprie ad militiam, ubi exercitus in ordinem componitur, et copiæ in aciem instruuntur, vide *Jud.* XX, 22; *Jerem.* VI, 23; *L.* 42. Eadem ratio est firmandorum decretorum. Qui id agit, typum rei gerendæ sibi proponit, ut in executione nihil ante non cogitatum turbet. (Rosenmuller.)

Tropologice, idolum avari est pecunia, ut ait S. Paulus, idolum gulosi est venter, idolum superbi est honor. Quam demens ergo est Paganus colens idolum Jovis, tam demens, imo dementior, est Christianus colens idolum suæ veneris, auri, gulæ! etc.

Vers. 10. 10. QUIS FORMAVIT DEUM? — *q. d.* Quis ergo fuit tam demens ut idolum formaret? quæ fuit ista hominum vesania? qui furor? Vatablus vertit: *Quis ergo sit tam demens ut formet idolum?* « Quid magis ridiculum, quam cum homo est opifex Dei? » ait S. Basilius in cap. III *Isaiæ*, et Sedulius:

Quis furor est, quæ tanta animas dementia ludit,
Ut volucrem, turpemque bovem, torvumque draconem,
Semihominemque canem supplex homo pronus adoret?

Quin et gentilis Lucretius contra eosdem exclamat apud Lactantium, lib. I *Divin. Institut.* cap. XXI:

O stultas hominum mentes! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ! quantisque periclis
Regitur hoc ævi quodcumque est!

Subdit deinde Lactantius: « Quis ludibria non derideat, qui habeat aliquid sanitatis? cum videat homines velut mente captos ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu, nimis lascivus et ineptus esse videatur? »

Porro, primum idolorum platen apud Romanos fuisse Numam Pompilium, idem docet, cap. XXII: « Harum, ait, vanitatum apud Romanos auctor et constitutor Sabinus ille rex, qui maxime animos hominum rudes atque imperitos novis superstitionibus implicavit, quod ut faceret aliqua cum auctoritate, simulavit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus. » Numa enim secundus a Romulo rex ex Sabinis oriundus, in deorum timorem (quo ad mitiora truces per continua sub Romulo bella, Romanorum animos flecteret), sacra instituit, sacerdotes creavit, virgines Vestales sacravit, pontificem maximum primus declaravit, dies fastos nefastosque condidit, annum in duodecim menses divisit, cumque quadraginta annis in pace cum reverentia suorum et finitimorum regnasset, diem suum obiit.

Vers. 11. 11. OMNES PARTICIPES EJUS (qui in dolo fabricando, poliendo, ornando collaborant) CONFUNDENTUR (rationem subdit), FABRI ENIM SUNT EX HOMINIBUS, — *q. d.* Quomodo ergo non pudeant, qui cum sint homines, et Adæ filii, Deum tamen fabricare volunt?

Vers. 12. 12. CONVENIENT OMNES, etc. — *q. d.* Tam miseri sunt, ut unus non sufficiat ad opus, sed plures convenient: e quibus hic cudit idoli aurem, alter oculos, alter brachium, alter pedes, etc. Itaque simul stant, instantque operi, et si quid frangatur, aut minus succedat opus, pavent, confunduntur et tristantur, *q. d.* Quam miseri ergo sunt dii, qui a tam miseris fabricantur?

Alii hoc referunt ad tempora Christi, vel ad diem judicii; tunc enim omnes idoloplastæ con-

venient coram tribunali Christi, et pavebunt et confundentur.

IN PRUNIS ET IN MALLEIS (*q. d.* Faber igne et malleis tundit et cudit miserum illum deum, perinde ac lignem vel vomerem suum, idque) IN BRACHIO FORTITUDINIS, — id est summo brachiorum disu et percussione.

ESURIET ET DEFICIET, — *q. d.* Faber hic dum cudit idolum, fame laborat, esurit et languescit, et nisi aquam hiberit, lassescit, et siti deficit. Ex fame et siti artificis, colligit operis, id est idoli et dei hujus, vanitatem. Ita S. Hieronymus.

Vers. 13. 13. ARTIFEX LIGNARIUS, — qui ex ligno fabricat idolum, sicut faber ferrarius suum cudit ex ferro, ære, metallo: hic suum idolum, perinde ut scamnum, norma sive regula dimetitur, formatque runcina sua. Runcina enim instrumentum est, quo fabri lignarii scalpendo tabulas lævigant, quod et planula dicitur, eo quod trabes et tabulas, inæqualia et aspera, abradendo, complanet. Ita Plinius, lib. XVI, cap. XXIV.

FECIT ILLUD IN ANGULARIBUS, — angulari mensura ad rectum perpendiculari angulum illud dimetiendo. Vatablus vertit, *fecit illud in dolabris*; Forerius, *fecit illud in angulis domorum, et locis secretis*.

ET FECIT IMAGINEM VIRI QUASI SPECIOSUM HOMINEM, — *q. d.* Itaque sua runcina et circino fabricat hominis effigiem, quasi ille homo sit animatus et speciosus, qui domum sacram inhabitet, illique quasi numen præsit. Ita Horatius, lib. I, *satyra* 8, Priapum de se loquentem inducit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido.

Vers. 14. 14. PLANTAVIT PINUM, — *q. d.* Dum succidit arborem, v. g. cedrum, pinum, ilicem, quercum, ut ex ea idolum faciat, aliam mox arborem plantat, quam pluvia riget, et crescere faciat, ne desit unquam materia ad fabricandum idola: « O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur, imo plantantur, in hortis Numina! » Cætera sunt clara. Operose enim Propheta tam Judæis quam Gentibus ostendit idololatriæ, quæ toto tunc orbe dominabatur, inanitatem, ex idolorum vili fabrica, materia, opifice. Unde patet omnino putasse rudes hosce Gentiles, idolum verè deum esse, aut certe aliquid numinis ei inesse. Sæcis sentiunt et faciunt Christiani, cum venerantur imagines Christi et Sanctorum. Quare perperam hæc contra illas torquent Oecolampadius et Pellicanus, aliique Novantes. Citat Pellicanus pro se Comment. Ambrosii in cap. I *ad Rom.*, sed perfide. Loquitur enim ibi Ambrosius de imaginibus Ethnicorum, quas pro diis colebant, ut patet loeum intuenti.

Vers. 16. 16. DE MEDIO EJUS CARNES COMEDIT. — « Comedit, » id est coxit et comedit, uti legunt aliqui codices, hoc est igni coctas comedit.

VAN, — euge; hebraice enim est חַנִּיחַ *heach*. Septuaginta, *dulce est mihi*, scilicet gaudere tam luculentum lignorum igne, ut frigore argentia membra calefaciam.

Vers. 18

18. NESCIERUNT, NEQUE INTELLEXERUNT. — Schicet plastæ idolorum, quod idola sint saxa, et lapides politi et ornati (nam pigmentis obliti sunt), non autem dii. Unde clare vertit Vatablus: *Non sentiunt, neque intelligunt* (cæci isti figuli), *quia tectorium est super oculos eorum, quominus intelligant*. Hoc est, quod vertit Noster, « obliti sunt, » id est calce, stibio aut fuco incrustati sunt (τὸ enim *obliti* præteritum est ab obliino, non ab obliuiscor, ut patet ex Hebræo חַנִּיחַ *tach*) *oculi eorum, q. d.* Idola oculos et corda habent non animata, sed lignea, et calce aliove ornatu obducta; ergo videre et intelligere nequeunt: at cæci fabri hoc non considerant, non recogitant. Nota τὸ *obliti sunt*, tam ad deos Gentium, quam ad ipsos eorum fabros et opifices (hi enim errore communi oblitos et obductos habent oculos) referas. Hebræa magis referunt ad deos, noster Interpres magis ad opifices. Vide hic in quam cæcitate abripiat homines consuetudo, et aliorum exempla, dum unus alium quasi ovis ovem sequitur, nec rem considerat, vel examinat. Qui ergo sapit, non sequatur insitas vulgi opiniones; sed actiōnes suas examinet et consideret, priusquam quid aggrediatur, an id rationabile sit, honestum, Deo gratum, ejusque legi conforme.

Simile est quod canit Psaltes, *Psal. cxiii*: « Simulacra Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Oculos habent, et non videbunt: aures habent, et non audient, etc. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. »

20. PARS EJUS CINIS. — Hebraice, *socius cineris est*, scilicet idolum, quia, videlicet altera pars trunci, ex quo formatum est, combusta est, et versa in cinerem. Ita Forerius. Jam Vatablus et Judæi vertunt: *Pascit cinerem* (id est frustra, et in ventum laborat) *cor insipiens, quod facit et adorat idolum*. Jam enim legunt in Hebræo רֵעָה אֶפְרַיִם *roe epher*, id est *pascit cinerem*. Sed Noster aliter dispunxit; nam litteram *he* non accepit ut finalem *roe*, sed ut initialem *epher*, legitque רֵעָה אֶפְרַיִם *rea haepher*, id est *socius cineris*. *Socius*, id est pars, uti vertit Noster, *Gen. xv, 10*, Septuaginta aliter legerunt, videlicet רֵעָה *ree*, id est *vide*. Vertunt enim: *Scito quia cinis cor eorum*. Non ergo pro *pars* vertunt, *cor*, uti aliqui putaverunt, sed τὸ *cor* ex sequentibus acceperunt, aliter dispungentes. Sequitur enim, « cor insipiens adorabit illud, » pro quo Septuaginta vertunt duntaxat, *et errant*; quia *cor* præcedentibus junxerunt. Jam S. Cyrillus, Germanus et Leo Castrius (qui perperam contendit Septuaginta pro רֵעָה *rea*, id est *socius*, hoc est *pars*, legisse רֵעָה *dea*, id est *sapientia*), per *cor* intelligunt sapientiam, huncque dant sensum: « cor, » id est sapientia eorum arefacta emortuaque est, et

facta instar cineris. Posset quoque per « cor » accipi idolum, quod amant et depereunt, vocantque suum corculum.

Sic Plautus dixit « cinerem quærere, » hoc est ambire abjecta et vilia; et P. Sabinus:

Jam cinis, et tantum flebile Troja solum.

Et Seneca in *Hercul. furente*:

Cadmæa proles, atque Ophionius cinis,
Quo recidistis?

NEQUE DICET: FORTE MENDACIUM EST IN DEXTERA MEA, — *q. d.* Non recogitat artifex, ut dicat: Forte dextera mea operatus sum rem mendacem, nugacem et vanam. Talis enim est idolum.

21. MEMENTO HORUM, JACOB ET ISRAEL. — Vide, Vers. 21. o popule fidelis! idolorum et idololatrarum cæcitate, ne eos sequaris; sed me solum verum Deum colas, qui te creavi, quique deleo peccata tua, tam facile et liquide, quam nubes et nebulae vel a solis calore, vel a venti impulsu et impetu dissolvuntur et dissipantur, aerque serenatur. Apte peccata comparantur nubi, uti ostendam *Thren. iii, 44*, et Spiritus Sanctus delens peccata, vento; unde in Pentecoste in Apostolos descendit in specie spiritus vehementis, *Actor. ii*. Minus recte aliqui sic exponunt, *q. d.* Uti nubes, id est pluvia e nube resoluta, abluit terræ sordes, ita ego animæ tuæ sordes abluo.

22. REDEMI TE — ex Ægypto, et redimam te Vers. 22. tum ex Babylone, tum potius e captivitate peccati et diaboli per Christum.

23. LAUDATE, COELI. — Quia meminit Propheta Vers. 23. remissionis peccatorum et redemptionis Christi; hinc de more ad tantum beneficium exsultans, jubilat, et in vocem laudis erumpit, cœlosque et terram, montes et saltus ad Dei laudem invitat.

EXTREMA (Septuaginta, *fundamenta*) TERRÆ, — id est centrum terræ. Ibi enim erant animæ sanctorum clausæ in limbo, hanc Christi redemptionem avidè exspectantes, quas proinde, ea parta, ad congratulationem et hymnos invitat.

25. IRRITA FACIENS SIGNA DIVINORUM. — Divini et Vers. 25. augures divinabant ex astris, ex extis animalium, ex garritu avium, ex somniis, ex fulminibus, quasi signis et omniibus futurorum; sed Deus hæc eorum signa sæpe facit irrita et mendacia, facitque divinationes eorum esse falsas

ET ARIOS IN FUREM VERTENS, — tum quia videntes se suaque oracula falsa esse, et ut falsa a populo irrideri, in furem aguntur; tum quia ex hac falsitate, populus videt eos, non a Deo, sed furore quodam lymphatico ac diabolico agi, dum hæc oracula promunt, ut *vertens* sit idem quod *versos ostendens*, juxta *Canon. XXXI*.

CONVERTENS SAPIENTES RETRORSUM, — ut cadant, falsaque sint eorum oracula et consilia: hinc et ipsi cadant a sua fama et gloria, qua credebantur esse divini. Unde explicans, addit:

ET SCIENTIAM EORUM (artem augurandi et divi-

randi) STURTAM FACIENS,—ideoque inconstantem : non enim constant sibi, repugnante Deo : et dum se falsos vident, contraria consilia ineunt, ut suam falsitatem tegant. E contrario Deus suscitatur, et reipsa confirmat oracula sua, suorumque Prophetarum. Unde subdit :

26. **SUSCITANS VERBUM SERVI SUI**,—*q. d.* Ego sum qui reipsa complebo omnia quæ de servo meo Cyro, de restauranda Jerusalem, ut sequitur, quæque allegorice de Christo per nuntios meos, id est per Prophetas, prædixi et promisi, vel, *q. d.* Ego sum, qui verbum et consilium meum de Christo, deque ejus nuntiis, id est Apostolis, eorumque Evangelio, toto orbe propagando, adimplebo.

QUI DICO JERUSALEM : HABITABERIS, — *q. d.* Ego te, o Jerusalem! a Chaldæis eversam, per Cyrum ædificabo et restaurabo. Rursum et potius, Jerusalem spiritalem, id est Ecclesiam Christianam, per Christum ædificabo et instituo.

27. **QUI DICO PROFUNDO : DESOLARE, ET FLUMINA TUA AREFACIAM**. — Nota ex Chaldæo, Theodotione, S. Hieronymo et aliis passim, *profundum* vocari Babylonem. Sic eandem vocavit « mare, » cap. XXI, vers. 1, idque, tum quia per illam fluebant flumina Tigris et Euphrates, quorum rivos et cur-

sum in alios alveos avertit et deduxit Cyrus dum eam cepit; tum quia Babylon erat velut mare et abyssus potentis et opum, æque ac vanitatis, fastus et luxus.

28. **QUI DICO CYRO : PASTOR MEUS ES**, — *q. d.* Tu, o Cyre! populum meum in Babylonem dispersum, reduces in Judæam, sicut pastor oves dispersas colligit et reducit ad caulam. De quo plura cap. sequenti.

Secundo, « pastor, » id est rex; quod enim pastor est gregi, hoc rex sit regno oportet.

Septuaginta pro littera *resch*, legentes affinem *dalet*, scilicet **דל** (ut hoc femininum per enallagen ponatur pro masculino **דל**) pro **דל** *roi*, vertunt: *Qui dico Cyro ut sapiat*, id est qui sapientiam de Cyro, ut sapienter bellum gerat, quique artes et stratagema hoc de Euphrate avertendo ei suggero, ut Babylonem capiat. Sensus est, *q. d.* Ego sum potentissimus et sapientissimus Creator et Redemptor tuus, o Israel! qui ea quæ promisi de Jerusalem restauranda per Cyrum, certissime complebo, ut non possis non expectare illam alteram augustiorem promissionem de Christo, qui cælum et terram lætificabit, fore complendam, quam volo te magni facere, et cætera omnia ad hanc referre, tanquam umbras ad veritatem. Ita Forerius.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur quod in fine capituli præcedentis dixerat de Cyro. Cyro ergo opes, victorias, prosperos successus, et eversionem monarchiæ Chaldæorum, Deus hic prædicat et promittit, ad hoc, ut ipse Judæos Babylone liberet. Inde Isaias, vers. 8, assurgit et suspirat ad Christum Cyri antitypum, ut ipse, totius mundi peccato oppressi, salvator et redemptor e cælo adveniat. Inde, vers. 9, redit ad Cyrum, ac marmuratoribus contra Dei providentiam, ob suam sortem in captivitate miseram et infelicem, Cyri vero aliorumque felicem, respondet, lutum non debere obstrepere suo figulo, nec filium patri se generanti. Mox, vers. 14, transit ad Christum, promittitque quod subdet ei omnes Gentes, etiam barbaras, quæ conversæ dicent ei: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. Post hæc, vers. 16, redit ad disceptationem cum idolis, ac tandem, vers. 23, iis explosis, jurat se facturum, ut sibi curvetur omne genu, omnisque lingua se colat et magnificent (1).

1. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes, et dorsa regum vertam, et aperiā coram eo januas, et portæ non claudentur. 2. Ego ante te ibo : et gloriosos terræ humiliabo : portas æreas conteram, et vectes

(1) Continuat igitur in hoc capite, et disertius exponit Isaias quæ de Cyro, gentis Hebræorum liberatore et Christi typo, in fine superioris capituli dicere cœperat, illum exhibendo :

PRIMO, ad demandas gentes, vincendos reges, et agendas prædas a Deo delectum, ductum et evocatum, 1-3; *secundo*, ad Israelis electi utilitatem, et veri numinis gloriam amplificandam licet ipse utriusque ignarus fuerit, a Deo destinatum, 4-7; *tertio*, in se, sed multo magis in suo antitypo Christo summe desideratum ab iis qui in

captivitate positi adventum hujus divini Salvatoris anxie expectabant, 8.

SECUNDO, cum Judæi qui exsules agebant apud Babylonos, rationem a Deo exigent, v. g. cur permiserit populum Judæum ab hostibus e patria abduci, et tam diu ac tam dure in alieno solo inveterascere pateretur; aut cur si aliquando revocare in antiquam sedem constituisset, id potius per Cyrum, alienum a Judaica gente et religione, quam per aliquem a suo sanguine vindicem præstare voluerit; vel potius cum desiderium ardentissimum expres-

ferreos confringam. 3. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum : ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. 4. Propter servum meum Jacob et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo : assimilavi te, et non cognovisti me. 5. Ego Dominus, et non est amplius : extra me non est Deus : accinxi te, et non cognovisti me : 5. Ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, et non est alter, 7. formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc. 8. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem : et justitia oriatur simul : Ego Dominus creavi eum. 9. Væ qui contradicit fictori suo, testa de samis terræ ! Numquid dicet lutum figulo suo : Quid facis, et opus tuum absque manibus est ? 10. Væ qui dicit patri : Quid generas ? et mulieri : Quid parturis ? 11. Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes ejus : Ventura interrogate me, super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. 12. Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego : manus meæ tetenderunt cœlos, et omni militiæ eorum mandavi. 13. Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam : ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum. 14. Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : Post te ambulabunt, vincti maricis pergunt : et te adorabunt, teque deprecabuntur : Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. 15. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. 16. Confusi sunt et erubuerunt omnes : simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. 17. Israel salvatus est in Domino salute æterna : non confundemini, et non erubescetis usque in sæculum sæculi. 18. Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram, et faciens eam, ipse plastes ejus : non in vanum creavit eam : ut habitaretur, formavit eam. Ego Dominus, et non est alius. 19. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso : non dixi semini Jacob : Frustra quærite me. Ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta. 20. Congregamini, et venite, et accedite simul qui salvati estis ex Gentibus : nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ, et rogant Deum non salvantem. 21. Annuntiate, et venite, et consiliamini simul : quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud ? numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me ? Deus justus, et salvans non est præter me. 22. Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ : quia ego Deus, et non est alius. 23. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur : 24. quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. 25. Ergo in Domino, dicet, meæ sunt justitiæ et imperium : ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. 26. In Domino justificabitur et laudabitur omne semen Israel.

Vers. 1.

1. HÆC DICIT DOMINUS CHRISTO MEO CYRO. — Nota cum S. Hieronymo, Theodoro, Cyrillo, Procopio, Eusebio, lib. VI *Demonstr.* cap. ix, et aliis, ad litteram Deum hic loqui de Cyro futuro rege Persarum, eique hic victoriam contra Chaldæos ac monarchiam promittere. Cyro enim, non Christo

serat mox adventandi Messiæ, quæ vota etiam a Judæis eo vividius emittebantur, quo tempora præsentia duriora erant, et tamen tardante mundi redemptione, hanc moram ægerrime ferrent, et etiam propter hoc cunctationis impatientes murmurarent, respondet Propheta nomine Dei his querulis divinæ providentiæ obtreptatoribus, *primo*, neque ab aliquo sibi præscribendum quid facturus sit, neque se a quoquam de suo officio admonendum esse, cum sua virtus et sapientia in tota rerum universitate reluceat, vers. 9-12; *secundo*, confirmando quod superius dixerat, scilicet se suscitasse Cyrum pro Ju-

Domino, competit illud vers. 4 et 5 : « Et non cognovisti me. » Cyrum enim elegit Deus, ut esset eversor monarchiæ Chaldæorum, eamque ad se transferret, hoc fine ut Judæorum esset vindex, eosque e Babylone in Judæam liberos dimitteret. Edita est hæc prophetia ab Isaia de Cyro, ducen-

dæorum metropoli ædificanda et captivitate solvenda, vers. 13.

TERTIO, jam proventus Cyri expeditionis, vel potius et verius libertatis per Christum hominibus collatæ, felicia consecraria exponit : *primo*, agnitionem, cultum et laudem Dei veri ad vicinas gentes propagata, 14-17; *secundo*, vocationem gentium omnium ad veram religionem vulgatam vere divinis prædictionibus, quas opponit absconditis et falsis idolorum oraculis, 18-21; *tertio*, salutem et justitiam sinceris Dei cultoribus promissam et juramento confirmatam, 22-26.

Isaias de Cyro prophetat ducentis et decem annis ante.

tis et decem annis ante Cyri aetatem, ait Josephus. Porro Cyrum legisse hanc de se prophetiam, eaque animatum, audaciam invadendi Babyloniam sumpsisse, ac Judæis captivis libertatem promississe, colligitur primo, ex Josepho, lib. XI *Antiq.* cap. 1, ubi narrat Judæos hoc Isaiaë oraculum Cyro ostendisse; indeque Cyrum, Deum verum Hebræorum agnovisse, et publice professum esse, ei regnum suum acceptum tulisse, et Judæos e captivitate Babylonica cum donis ad templum in patriam remisisse; secundo, idem patet ex litteris, et edicto ipsius Cyri laxantis Judæos, apud I *Esdr.* cap. 1, 2: « Omnia, ait, regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi (ubi? nisi hic per Isaiaem?) ut ædificarem ei domum in Jerusalem. » Cyrus ergo poterat legitime, scilicet ex voluntate Dei, et jure ab eo accepto, evertere Babylonem, ejusque imperium ad se transferre; itaque non esse tyrannus, sed legitimus rex et monarcha, saltem postquam audivit a Judæis hoc Isaiaë de se oraculum. Potuit, dico: nam de facto videtur, non tam Deo, quam suæ ambitioni hac in re servivisse. Hoc enim est quod ait, vers. 4: « Et non cognovisti me. » Vide *Canon. XXXVI et Can. XXXVII.*

Porro voluit Deus hæc de Cyro prædici ab Isaia, hoc fine ut Judæis, ex hac Cyri liberatione futura, æque atque ex aliis antiquis Dei beneficiis eis collatis, per experientiam fidem faceret suis per Isaiaem oraculis, de remissione peccatorum, gratiisque per Christum afferendis, quorum illa erant typus. Rursum ad hoc, ne Judæi hanc suam per Cyrum liberationem alteri, vel homini, vel idolo, v. g. Persarum aut Chaldæorum, adscriberent; sed soli Deo suo, utpote qui solus id tot annis ante promiserat et prædixerat.

Allegorice loquitur Isaia de Christo. Illius enim typus fuit Cyrus, qui Judæos omnesque homines e captivitate peccati, mortis et diaboli liberavit, quique vectes inferni confregit, atque ex eo sanctos Patriarchas eduxit, ait S. Chrysostomus, *Demonstr. quod Christus sit Deus*, tom. V. Imo veteres multi, ut S. Augustinus, lib. *De Quinque hæres.* cap. vii, tom. V; Tertullianus, Nyssenus, et Cyprianus in libris et testimoniis *Contra Judæos*; Lactantius, Chrysostomus, et alii quos citat Leo Castrius, R. Abraham, R. Salomon aliique Rabbini apud Galatinum, lib. IV, cap. xii, hæc ad litteram accipiunt de Messia, sive Christo. Unde Patres jam citati ex Septuaginta, pro Κύριος, id est Cyro, legunt Κυρίως, id est Domino, sicque vertunt: *Hæc dicit Dominus Christo meo Domino.* Sed in Septuaginta irrepsit error; corrigendum enim est Κυρίως: sic enim habent Hebræa, Chaldæa et Latina Biblia. Ita S. Hieronymus. Quod enim Leo Castrius putat Septuaginta, hebraice לכור *lecores*, id est Cyro, divisim legisse hoc modo לכור *leco*, id est *ei*, et רש *ras*, id est *pauper*, q. d. Ei Christo, qui sicut pauper ingressus est Jerusalem insidens asino in die Palmarum, quasi ibi inaugurandus

rex, et Messias; hoc, inquam, detortum est, nec verum. Nam Hebraice non לכור *leco*, sed לו *lo*, significat *ei*. Addit Castrius: Aut certe putarunt Septuaginta, Cores æque ac Emmanuel, esse cognomen Christi. Verum cum habeamus in hac voce clarum nomen Cyri, cur fingamus hæc diverticula fundamento carentia? Ubi nota Massoretas historiarum et nominum Gentilium regum imperitos, male hic puncta substituere: pro כורש *cores* enim, ut ipsi punctant, punctandum est כורש *curos*, id est Cyrus. Sic enim punctatum legerunt Septuaginta, Noster et alii. Pari modo pro *Darius*, male punctant ipsi דריוש *Dariaves*, I *Esdr.* cap. vi, 1.

CHRISTO MEO CYRO. — Cyrus vocatur hebraice Messias, id est Christus, sive unctus; tum allusione ad reges Hebræorum, hi enim unctione consecrabantur; unde hi soli in Scriptura vocantur Christi Domini, ait S. Augustinus in *Psal.* XLIV, vers. 8. Cyrus autem fuit rex a Deo electus, ad Hebræorum liberationem: unde Deus eum hic vocat suum; ait enim: « Christo meo. » Tum quia Cyrus fuit typus et imago Christi: imago autem sortitur nomen sui antitypi, sive exemplaris. Sic enim visa imagine S. Petri, vel S. Pauli, dicimus: Hic est S. Petrus, hic est S. Paulus. Unde Cyrus lingua Persica significat *solem*, ait Plutarchus in *Vita Artaxerxis Mnemonis*. Pro *Cyrus Persæ*, uti et Rabbini, aliis punctis dicunt *Cores*, quod affine est Hebræo *Chares*, id est sol. Ipse enim quasi novus sol affulsit mundo et Hebræis, perinde ac Christus sol justitiæ visitavit nos oriens ex alto. Sic Samson hebraice idem est quod parvus sol. Talis enim fuit ipse Hebræis sedentibus in tenebris afflictionis et captivitatis sub jugo Philistinorum, quod ipse, si non omnino excussit, certe ad tempus discussit; unde et ipse typus fuit Christi. Hinc ferunt Cyrum in somnis vidisse solem ad pedes suos adstantem, cumque eum Cyrus vellet apprehendere, solem aufugisse, idque tertio: rogati divini quidnam hoc portenderet, responderunt portendi Cyrum petriginta annos regnaturum. Cyrus ergo inter reges Gentium, interque Persas effulsit quasi sol, tum sapientia, tum justitia, tum temperantia, tum magnanimitate, tum liberalitate, adeoque omnium regiarum virtutum fuit exemplum, inquit Xenophon, qui, lib. VIII *Cyri Pædiæ*: « Non est, ait, mos Cyri ut pecunias congreget, qui dando magis, quam quærendo possidendoque delectatur; » uti facit sol, qui omnibus dat lucem et vitam, ac nihil a quoquam accipit. Maxime vero emicuit quasi sol, religione inter suos: nam et imperium a re divina et sacrificio orsus est, ait Xenophon lib. I, et credidit animæ immortalitatem. Ejus enim vox est apud Ciceronem in *Catone Majore*: « Mihi persuaderi nunquam potuit, animos dum in mortalibus essent corporibus, vivere; cum exissent ex his, nec emori vero tunc animum esse insipientem, cum ex insipienti cor-

Cyrus . persice idem est quod sol.

Samson hebraice idem est quod parvus sol.

Cyrus jure a Deo excepto monarchiam invadere potuit.

Cyrus fuit typus Christi.

pore evasisset, sed cum admixtione corporis liberatus purus et integer esse cœpisset, tunc esse sapientem. »

Quocirca ejus mortem ita describit Xenophon lib. VIII. Videbatur accedere ad ipsum quidam specie humana augustior, et dicere : « Vasa cœlignito, o Cyre! jam enim ad deos abiturus es. Statim ergo, captis hostiis, rem divinam fecit Jovi patrio, et soli, dicens : Jupiter patrie, et sol, etc., magnas ago vobis gratias, quod vestram de me curam intellexi, quodque nunquam rebus secundis supra conditionem humanam animus elatus est. »

Ita Æsopus (ut habet ejus Vita), prisca sapientia inclytus, exceptus magnifice a Nectenabo Ægyptio rege (erat enim rex regali paludamento amictus, et gerens capite gemmatam cidarim, atque primorum flore circumseptus, sedensque solio sublimi, rogatus a rege : « Cui me, eosque qui circa me sunt assimilas? » respondit : « Te soli verno, hoc autem spicis pretiosis. » Quo dicto rex adeo fuit delectatus, ut hominem admiratione donisque prosecutus sit.

Ita Demosthenes, teste Plutarcho, cum super adventu Philoxeni, unius e præfectis classis Alexandri, populus Atheniensis percelleretur (tunc enim agebatur de auxiliis contra Alexandrum mittendis) : « Quid facient, inquit Demosthenes, si viderint solem, qui non queunt contra lucernam oculos tollere? » Nempe regem Alexandrum vocavit solem, Philoxenum præfectum, lucernam.

Ita Virgilius Latino regi tribuit caput radiatum, atque eum nepotem esse Solis.

Ita Joseph parentem Jacob, qui erat Hebræorum princeps, in somnis vidit per solem repræsentari, Genes. xxxvii, 9.

Rex ergo et princeps in terra est quod sol in cœlo. Nam primo, sicut sol solus est in mundo, ita rex solus in regno.

Secundo, sol in motu naturam sequitur : ita rex rationem sequatur, nec ad consortium regni admittat animi libidines et cupiditates; sol enim est in mundo, quod ratio est in homine, ait Philo.

Tertio, sol est purissimus et lucidissimus : ita rex suis præluceat.

Quarto, sol vocatur Apollo, ὡς ἀπολόων ἡμᾶς τῶν νόσων, ut qui morbis nos liberet : regis pariter est, omnem pestem et calamitatem a subditis avertere. Quocirca Plutarchus, lib. De Doctrina principum : « Princeps, inquit, simulacrum est Dei administrantis universa, nihil egens Phydia statuario, sed ipse seipsum per virtutem Deo similem reddit, ac fabricatur statuam omnium visui jucundissimam et magnificentissimam. Sicut enim Deus in cœlo pulcherrimum sui ipsius simulacrum constituit solem et lunam, talis est in republica imago ac lumen princeps, qui Dei reverens, justitiam tuetur, hoc est Dei rationem gestat, nempe intellectum, non sceptrum, aut fulmen, aut tridentem, qua specie seipsos nonnulli fin-

gunt ac pingunt, stultitiam suam, quod videantur inaccessi, reddentes invidiosam. »

Quinto, sol omnia penetrans et calefaciens, id est in mundo, quod cor in animali, ait Plato sic et regis est omnia regere et quasi vivificare.

Sexto, præcipua solis dos est bonitas; radiis enim suis emicantibus, omnibus benefacit, ideoque plenus est hilaritatis : sic et rex, qui diadema radiatum gestat, curet ut e capite ejus emicent prudentia, constantia, justitia, ac præsertim beneficentia, qua omnibus, quasi sol quidam salutaris, irradiet et recreet.

Septimo, Orphæus hoc dedit encomium soli : ἡλιε παντοκράτορ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς : Sol omnipotens, spiritus mundi, mundi vis, mundi lumen. Quid in universo regno rege potentius? An non et ipse spiritus est regni? an non ejus vis et lumen?

Octavo, sol humores noxios et superfluos, ne aerem inficiant, absumit : rex maleficos tollit, ne rempublicam perturbent.

Nono, sol est lumen omnituens : et βασιλεὺς est rex est omnia videns, omnia rescians. Apharantes, gens Libyca, soli orienti maledicebant, eo quod revelaret multa mala : et scelerati regem oderunt.

Decimo, uti sol omnia videt, ita et ab omnibus videtur : ita rex omnium oculis, omnium judiciis, omnium sermonibus expositus est. Putet ergo sibi illud dici : ἐν ἄλλω ἡλίου λανθάνεις καὶ δαρθάνεις : in sphaera solis lates et dormis.

Undecimo, sol omnis labis est intolerans : et rex omnis sceleris et impuritatis.

Duodecimo, solem Dores vocabant ἄλιον, κατὰ τὸ ἀλλεῖν εἰς ταυτὸ τοῦ ἀνθρώπου, quod homines in unum eundemque locum congregat : et rex homines lingua, moribus, institutis, religione dissitos in unum corpus et rempublicam cogit.

Decimo tertio, sol deficiens, subfuscus, sublucidus hominibus portendit omne malum : et rex vitiis deformatus reipublicæ vitia et clades omnes inducit.

Decimo quarto, sol circumfusus est astris, et esto solus luceat, astris tamen suum lumen communicat : itidem ex præsentia regis, omnia dignitatum culmina assurgunt. Sole abeunte perit sideribus decor : ita sine rege, omnis perit proceribus et magistratibus auctoritas.

Decimo quinto, sol est irrequietus, imo ἀκάματος, id est indefessus, atque sui semper similis, nunquam solito incitator aut remissior : et rex semper agit et cuncta regit, sed animo sedato, vitatque omne consilium præceps.

Decimo sexto, uti sub sole, ita sub rege bono, omnia non solum sunt sana, sed etiam pulchrescunt, aurescunt, valescunt.

Decimo septimo, sol oritur piis ac impiis, adeo æquus est et communis : rex omnium salutis est intentus, probis quidem tuendis, improbis autem ad frugem revocandis. Hinc uti sol, veluti curru

Princeps
in terra
est quod
sol in
cœlo.
Primo.
Secundo.

tertio.

quarto.

Decimo.

Undeci-
mo.

Duodeci-
mo.

Decimo
tertio.

Decimo
quarto.

Decimo
quinto.

Decimo
sexto.

Decimo
septimo.

inter planetas vehitur medius : ita rex in medio, et quasi in centro regni resideat, ut omnibus circumcirca æque se præsentem sistat.

Decimo octavo, sol semper est juvenis (unde Persæ eum vocabant *κωῦρον*, id est adolescentulum), semper vegetus. Habet tamen tres quasi ætates. Nam primo aspectu, ait Martianus Capella, lib. I : « Est sicut puer renidens et renitens ; incessu medio, est juvenis anhelus ; in fine, senex apparet occiduus. » Et rex in ipso aditu comitatem præ se ferat, ne adeuntes majestate deterreat ; at in tractatione rerum juvenile robur promat ; denique in consiliis, quid facto opus, senilem ostendat prudentiam. Ita Carolus Paschalius, lib. IX *De Coronis*, cap. xv. Hinc et S. Augustinus, docet regem similem esse soli, populum lunæ. Audi eum, lib. I *De Genes. contra Manich.* cap. xxiii : « Quid, inquit, evidentius splendorem regni significat, quam solis excellentia ? et plebem obtemperantem regno splendor lunæ ostendit, » etc.

CUJUS APPREHENDI DEXTERAM. — *Primo*, quia ejus dextera usus sum ad feriendum et puniendum Chaldæos. *Secundo*, quia eum, quasi pædagogus dextera apprehensum deduxi per tot hostes et obices, roborans eum, dirigens, protegens, dans victorias, omniaque prospera efficiens usque ad Babylonis excidium. Unde Arabica versio habet : *Apprehendi eum dextera sua inter manus ejus, ibo ante eum.*

ET DORSA REGUM VERTAM. — Hebraicè est, *aperiam vel dissolvam lumbos*, id est reges elumbes, imbelles et infirmos ad resistendum Cyro efficiam. Rursum, exarmabo illos, et discingam gladio, quo ad lumbos accincti sunt. Sic enim *Job* xii, dicitur : « Balteum regum dissolvit. » Sic ex adverso stringere et accingere lumbos, significat roborare, armare, agilem et expeditum facere. Unde clare hic vertunt Septuaginta, *fortitudinem regum dirumpam.*

Prædicat ergo Isaias Deum Cyro tantas vires daturum, ut nemo ei resistere valeat, ut reges potentissimos et urbes munitissimas expugnet, ut opes, victorias et gloriam ad stuporem admirabilem obtineat, idque propter servum suum Jacob, ut scilicet Jacobæis faveat, eosque e Babylone liberet : quæ omnia ita, ut prædixit Isaias, impleta esse, et reipsa accidisse Cyro, docent Herodotus et Xenophon in octo libris, quibus Cyri hujus Majoris historiam conscripsit, ait S. Hieronymus.

Audi Xenophontem, initio lib. I : « Cyrus, ait, subjugavit Syros, Assyrios, Arabas, Cappadocas, Phrygas, utrosque Lydos, Caras, Phœnicas, Babylonios. Potitus est etiam Bactrianis et Indis, ac Cilicibus, et itidem Sacis, et Paphlagonibus, et Maryandinis, atque aliis quamplurimis gentibus, quarum ne nomina quidem quis dixerit. Insuper dominatus est Asiaticis, Græcis, Cypriis et Ægyptiis, » etc. Audi et Herodotum, lib. I, ubi Cyri felicitatem commendans sic ait : « Quaecumque

gentem Cyrus invaserat, ea gens nullo pacto potuerat evadere (1). »

2. EGO ANTE TE IBO, — quasi antesignanus quem sequaris, vel ut præfectus castrametationis, et ut præcursor, qui an tutus sit progressus considerat, et si quid sit periculi explorat et antevertit, ut nihil sit quod timeas, dum me præcedentem sequeris. Sic Angelus in columna prævit castra Hebræorum in deserto, *Exodi* xiii, 21.

3. DABO TIBI THESAUROS ABSCONDITOS, ET ARCANA SECRETORUM. Hebraice, *dabo tibi thesauros caliginis, et thesauros absconsionum*, id est thesauros defossos in terra, ibique in tenebris latentes, et in occulto abstrusos, et, ut vertunt Septuaginta, *κατακρυβους, ἀποκρυφους, ἀόρατους*, id est *tenebrosos, absconditos, invisibiles, q. d.* Faciam ut urbium, quas tibi subjiciam, thesauris potiaris, etiam abditissimis. Solent enim urbium incolæ thesauros suos, præsertim hoste adventante, defodere, vel abscondere. Ita Mexicani suos defoderunt, et victi ab Hispanis eos illis nullo metu, nullis pœnis propositis prodere voluerunt. Solus Atabaliba rex ab eis captus, ut se redimeret, cubiculum quo detinebatur, auro se impleturum promisit, et pene præstitit ; nec tamen mortem evasit.

Ita Cyrus maximas Croesi opes, eo victo, occupavit. Croesi enim opes in proverbium abierunt, ut dicamus : « Croeso ditior, Iro pauperior. » Rursum opes Babylonis, quas Nabuchodonosor e tot regnis collegerat, statuamque ejus auream et vastissimam, *Daniel*. iii, 1, victor Cyrus possedit. Si summam thesaurorum, quos ex Asia subacta extulisse Cyrum scribit Plinius, lib. xxxiii, cap. iii, ad nostram monetam subducas, invenies eum extulisse trecentos milliones. Codices Chaldaici, qui teste Sanchez Compluti manuscripti exstant, initio libri *Esther* ita habent : *Cyrus quando vastavit Babyloniam, fodit in latere Euphratis, et invenit ibi sexcentas et octoginta hydrias æneas plenas auro optimo, et lapidibus pretiosis et margaritis et gemmis.* Alludit Propheta ad nomen Cyri juxta etymon Hebraicum. Cyrus enim hebraice hæredem et possessorem significat ; a radice *צׁר* *iaras*, id est hæreditavit, possedit. Vide hic opum fugacitatem. « Cyrus » enim, post tres annos monarchiæ suæ, factus est « Irus, » cum a Thomyri regina Scythiæ, vita, regno bonisque omnibus spoliatus est : quinimo Thomyris, caput Cyri in culeum sanguine plenum conjiciens, insultavit ei dicens : « Sa-

(1) « Aperiam coram eo januas. » Portas canalium quæ ex urbe ad flumen deducebant, apertas reliquerunt Babylonii in confusione, orta ex magna festivitate quæ celebrabatur hac ipsa nocte qua urbs Babylonis capta est. Si clausæ fuissent, Persæ et Medi qui per has portas in urbem ingressi sunt, veluti in laqueo comprehensi fuissent, et omnes ad interneccionem cæsi. Ipsæ palatii portæ apertæ fuerant jussu regis qui, audito ingenti tumultu, causam sciscitari voluit, eodemque momento Gobrias et Galatas Cyri duces in eadem regiam irruerunt, omnesque quos obvios habebant, ipsumque regem trucidarunt. (Lowthus in *Isaiæ* cap. xlv.)

tia te, o Cyre! sanguine quem tantopere sitivisti.»

Symbolice notat Forerius Hebræum *matmon* sive *mammon*, et Chaldæum *mammona*, id est opes et thesauros, vocari tenebrarum seu obscuritatis (*matmon* enim deducitur a טמן *taman*, id est abscondit, in tenebris abdidit), non sine sale, quod illis Pluto tenebrarum deus præsideat, et quod e tenebris eruantur, et in tenebras reponantur. Neque enim horum amici sunt, nisi qui et tenebras amant.

4. PROPTER SERVUM MEUM JACOB. — Hic est finis et scopus Dei, ob quem Cyrum ita evexit: unde liquet Deum pariter voluisse ut hæc Isaiæ de se prophetia innotesceret Cyro, ut per eam Judæi ejus gratiam inirent, cum ipse videret eorum Prophetam tam faustum de se vaticinium edidisse, uti dixi initio capituli.

VOCAVI TE NOMINE TUO, — vocando te, vers. 1, Christum meum Cyrum. Aliter Joannes Alba, *Electorum IX*: «Vocavi te nomine te,» hoc est, inquit, elegi te, o Cyre! ad potentiam et regnum. Nomen enim interdum ponitur pro potentia, opibus et regno. Sic *Exodi xxxiii, 17*, ait Deus Mosi: «Teipsum novi ex nomine,» hoc est, elegi te ad hoc munus, ut sis dux et princeps populi mei. Nomen enim ponitur pro munere et dignitate: quia hæc secum affert cognomentum et titulos, paritque nomen et gloriam. Hic sensus symbolicus videtur potius quam litteralis.

ASSIMILAVI TE. — Hebraice יכנך *iecannecha*, id est cognominavi te, vocando te Christum meum: feci enim te similem Christo regi et pastori meo, ejusque typum. Sicut enim tu Judæos Babylone, ita Christus homines inferno liberabit. Ita S. Hieronymus, Forerius, Vatablus et alii. Vide dicta vers. 1.

Secundo, Sanchez: «Assimilavi te,» id est te tuis notis et characteribus descripsi, vocando te nomine tuo, quod geres, scilicet Cyrum, item ascensorem asini et cameli, cap. *xxi, vers. 7*, id est mulum, vel semiasinum, quia patre Persa, matre Meda es generandus. Rursum, prædicendo tuas opes, victorias et eversiones Babylonis; ex hisce enim quasi ex tui imagine et similitudine cum nasceris, cognosceris, scilicet quod hæc de te sint prædicta, quodque hic tui effigiem tibi simillimam descriperim.

ET NON COGNOVISTI ME. — Scilicet hoc tempore quo hic te describo et assimilo, quia nondum es natus. Ita Lyranus et Forerius. Unde Vatablus vertit: *Cognominavi te cum nondum haberes mei notitiam. Secundo*, etiam natus et rex existens, «non cognovisti me,» nisi postquam per Judæos te illuminavi, hancque meam de te prophetiam ostendi. *Tertio* et genuine, «non cognovisti me,» scilicet in eo quod te assimilaverim Christo meo, *q. d.* Nescis te a me eligi et dirigi ad eversionem Babylonis, hoc consilio, ut Judæos inde liberes, utque formam et typum geras Christi mei. Nec enim Christum meum cognoscis, multo minus

cognoscis te eum adumbrare; quare nec me, ne meam providentiam, quæ ad hoc te tuasque victorias destinat, satis agnoscis, imo eas non mihi, sed tibi, tuisque armis et fortunæ tuæ adscribis. Perinde enim accidit Cyro, atque si quis pingendi inexpertus, imaginem regis quem nunquam vidisset, perfectissime et ad vivum expingeret. Omnes enim dicerent hic altiore et divinam intervenisse manum, quæ dexteram pingentis direxerit. Ita Dei manus Cyrum finxit et pinxit, ut ad vivum repræsentaret suum exemplar, id est Christum. Ita Sanchez. *Quarto*, quia; licet Cyrus agnovit Deum Hebræorum, eumque publicis litteris confessus sit, tamen a sua idololatria non recessit (ut videtur), sed idola sua pristina, non Deum Hebræorum coluit; unde et misere periit in tyrannica invasione Scytharum. Ita S. Hieronymus.

5. ACCINXI TE, — gladio accingam te, armabo vires et animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quasi strenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, et meis auspiciis manus conseres ac vinces, esto me non cognoscas. Ita Forerius. Septuaginta vertunt, *confortavi te*.

6. UT SCIANT. — Vere et pie Forerius: Cum vera, ait, Dei cognitio sit omnino nostræ salutis necessaria, et tam longe quis a salute absit, quantum a cognitione hac distat, hinc nostræ salutis amantissimus Deus eam miris modis nostris sensibus ingerit. Passim ergo in Scriptura invenies diluvium, tempestates, submersiones, conflagrationes, calamitates, castigationes; et ex adverso liberationes, victorias inexpectatas, etc., quæ homines non possint non animadvertere in hunc finem a Domino fieri, ut nemo tam hebes sit, qui divinæ cognitionis non fiat particeps, ac præsertim non agnoscat esse numen, quod orbi, regnis et hominibus præsideat, eaque disponat, quodque æque criminum sit vindex et ultor, ac virtutum remunerator.

7. FORMANS LUCEM, ET CREANS TENEBRAS, — *q. d.* Ego initio mundi creavi cælos et terram, fecique ut tenebris lux, et luci tenebræ succederent. Est synecdoche: ex creatione enim lucis et tenebrarum, totius mundi creationem, dispositionem et gubernationem intelligit. Neque enim fieri potest ut unus Deus mundum condiderit, alter conditum gubernet, præsertim, quia rerum creaturarum conservatio est continuatio creationis, et quasi continua quædam creatio. Meminit potius lucis et tenebrarum, quam aliorum a Deo creatorum, quia lux symbolum est lætitiæ, libertatis et prosperitatis, quam Deus per Cyrum adduxit Judæis; tenebræ vero symbolum sunt tristitiæ, carceris et ærumnarum. Rursum, in voce *lucis*, alludit ad nomen Cyri, quod persice solem, qui lucidissimus est, significat. Deus enim Judæis in tenebris captivitatis, Cyrum quasi solem oriri fecit, dixi vers. 1.

FACIENS PACEM, ET CREANS MALUM. — *Pax* Hebræis est quies, opulentia, libertas, felicitas, et

bonorum omnium affluentia : ergo huic oppositum « malum. » est rerum turbatio, inopia, pestis, fames, bellum, servitus, captivitas, et quidquid hominem affligit, et miserum facit. Deus ergo hoc malum pœnæ creat, non autem malum culpæ. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Irenæus, Chrysostomus, et ex iis Leo Castrius. Vide S. Basilium, hom. *Quod Deus non est causa malorum, q. d.* Quod, o Israel! aliquando in pace vixeris, hoc meum erat beneficium. Rursum, quod nunc detinearis captivus, et hoc meum est opus. Ita S. Hieronymus. Ad hæc ego tibi creavi hoc malum captivitatibus Babylonicæ, ego rursum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem asseram. Deus ergo est, qui omnia a se creata, sua potentia et sapientia gubernat : qui prius Judæis induxit tenebras et malum, Chaldæis vero lucem et pacem; deinde vice versa, per Cyrum Judæis creavit lucem et pacem, Chaldæis tenebras et malum. Idem aliis sæculis fecit, in singulis regnis, alternando vices, nuncque dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio aliisque provinciis. Quocirca recte S. Hieronymus, ex hac Isaïæ sententia : « Confundatur, inquit, Marcion, duos inducens deos, unum bonum, alterum malum; unum visibilibus, alterum invisibilibus conditorem; unum pacis, alterum mali auctorem; cum utrumque pro diversitate meritorum unus idemque Deus condiderit (1). »

Et symbolice S. Gregorius, III *Moral.* VII : « Creare, ait, se mala Dominus indicat, cum res bene conditas, et per naturam bonas, nobis male agentibus in flagellum format. Unde et venenum mors quidem est homini, sed vita serpenti. Unde et bene dicitur : Formans lucem, et creans tenebras : quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. Faciens pacem, et creans mala, quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita, sed male concupita, in ea quæ nobis mala sunt, flagella vertuntur. »

8. RORATE (Forerius, *defluite*), COELI, DESUPER. — Syrus vertit : *Jucundamini, cœli, desuper, et nubes rorent justitiam : aperiatur terra, et multiplicetur salus*; Arabicus Antiochenus : *Gratiam præsta, o cœlum! desursum, et tu, o nubes, quæ spargis justitiam! gaudeat terra, et multiplicetur veritas*; Arabicus Alexandrinus : *Gratiam præsta, o cœlum! desuper, et nubes spargat justitiam : aperiatur terra, et multiplicetur salus*. S. Thomas, Lyranus, Forerius, hæc ad litteram accipiunt de Cyro, allego-

(1) Haud improbabilis est R. Saadiæ a Kimchio commemorata, et etiam a Rosenmuller et Lowtho probata sententia, Isaïam dum Deum ait *efficere lucem eundemque et tenebras*, respicere veterem illam Orientalium, præsertim Persarum, opinionem de duabus divinitatibus, seu duobus primis rerum principiis, altero Lucis, Tenebrarum altero, quorum illud spectandum sit tanquam fons omnis lætitiæ, bonitatis, felicitatis (Oromasden), hoc vero existat causa malorum, vitiorum et confusionis omnis (Abrimannen). Vide Hyde, *De Relig. veter. Pers.* cap. XXII.

rice de Christo. Ad Cyrum enim quasi ad rorem cœlestem anhelabant Judæi in Babylone captivi. Rursum Cyrus, ait Lyranus, comparatur hic pluvie cœlesti, et germinanti terræ, quia Astyages, teste Herodoto, lib. I, avus Cyri, vidit in somnis ex corpore filie suæ, quæ fuit mater Cyri, prodire vitem, cujus palmites totam obumbrabant Asiam : quod divini interpretati sunt, ex ea nasciturum filium, qui toti Asiæ dominaretur. Verum augustiora hic dicuntur quam ut Cyro convenient. Dico ergo Prophetam de more cum in Cyro videret imaginem Christi, mox ad eum avolare : Christus enim ejus erat amor, scopus, desiderium. Unde hic in ardens ejus votum erumpit. Sic cap. XVI, vers. 1, subito avolavit ad eum dicens : « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ. » Vide Canon. V. Quare hæc de Christo ad litteram accipienda sunt, et claudenda parenthesi, quæ totum hunc versum a præcedentibus et sequentibus, ubi continua est prophetia de Cyro, separet. Ita communiter Patres. Unde S. Augustinus, lib. *De Quinque hæres.* cap. IV, censet hæc tam plane et aperte dicta esse de incarnatione Christi, ut interpretatione non egeant.

Notat Concilium Hispalense, Canon. XIII, hisce Isaïæ verbis significari utramque in Christo naturam, scilicet divinam, cum ait : « Rorate, cœli, desuper; » humanam, cum ait : « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Sicut enim Spiritus Sanctus vocatur pluvia et ros, sic et Filius. Ut *Psalm.* LXXI, 6 : « Descendet sicut pluvia in vellus. » Cujus symbolum fuit ros descendens in vellus Gedeonis, *Judic.* VI, 37. Ita Sanchez.

Secundo, rectius et germanius, utrumque hoc hemistichium accipias de humana Christi generatione et natura : de hac enim omnis hic Prophetæ est sermo. Christus enim, qua homo, fuit germen cœli, quia ex rore cœlesti, id est ex Spiritu Sancto, conceptus fuit; et germen terræ, quia ex beata Virgine formatus et natus. Unde Vatablus sic exponit : « Rorate, cœli, desuper, » id est descendat Spiritus Sanctus in Virginem, eamque irroret et fecundet, ut pariat Justum et Salvatorem. Rursum in Christi nativitate et adventu, ait Forerius : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatae » se mutuo « sunt : veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit : » quia dona cœlestia in terris germinarunt. Et cum per totum orbem melliflui facti sunt cœli, tota terra repleta est misericordia Domini. Itaque divitiæ cœlestes effectæ sunt et terrestres, terraque et cœlum, in unum quasi agrum et germen redacta sunt.

Denique nota *et rorate*. Apte enim ortus Christi comparatur rori. *Primo*, quia roris ortus latens est et occultus : ita arcana fuit generatio Christi.

Secundo, ros qui non est aliud quam purus et subtilis vapor, resolutus in aquam, symbolum est virginitatis et virginæ partus.

Tertio, ros noctu oritur : ita Christus noctu na-

Generatio Christi comparatur rori. *Primo*; *Secundo*;

Tertio

tus est. « Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus, etc., in terram prosilivit, » Sap. cap. xviii, 14.

Quarto. Quarto, ros suavem auram et halitum vitalem aspirat animantibus, omnibusque viventibus, fisque mitigat æstum : ita Christus halitum vitæ nobis afflat, eoque ardorem concupiscentiæ temperat.

Quinto. Quinto, ros est aeræ et cœlestis naturæ, adeoque si ovum vacuum, puta corticem ovi exsuccum, rore impleas, et baculo apponas, apteque accommodes, sole incalescente, ascendet ad baculi culmen. Ros enim sursum fertur, præsertim si calore excitetur, et ex parte in vaporem vertatur. Ita Christus cœlestis est naturæ, æque ac vitæ, suosque asseclas facit cœlestes. « Primus homo, ait Apostolus I Cor. xv, 47, de terra, terrenus : secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. »

Sexto. Sexto, ros pinguis est, pinguemque et quasi oleatum succum germinibus, seminibus et plantis instillat, itaque eas impinguat, incrassat et fecundat : ita Christus rore gratiæ irrorans mundo, eum fecundavit, ut proferret virtutes, æque ac Sanctos in omni virtutis et sanctitatis genere, puta, illustres Martyres, Confessores, Episcopos, Religiosos, virgines, viduas, conjugatos, eosque cujuslibet status, sortis et generis.

Septimo. Septimo, ros condensatus fit manna, quod suave est ad cibum, et efficax ad medicinam : ita Christus in Eucharistia se dedit nobis in cibum, estque ipse manna, hoc est, « panis de cœlo descendens, » cujus virtute non tantum vivimus, et tentationibus resistimus, sed et resurgemus in vitam æternam, Joan. vi, 55. Vide dicta de manna, Exodi xvi.

Octavo. Octavo, ros in concham apertam illapsus, cum vi cœlesti, præsertim fulminis, afflatur et constringitur, fit unio sive margarita, teste Plinio, lib. IX, xxxiii et aliis : ita Christi deitas in concham uteri virginalis illapsa, ex eoque sibi corpus humanum efformans, illudque vi divina per inoperantem Spiritum Sanctum sibi uniens, efformavit pulcherrimam margaritam, et pretiosissimam unionem, puta Christum hominem et Deum.

Nono. Denique, ros est melleus ; adeoque mel non est aliud quam roris medulla, ejusque succus prædulcis et subtilis, qui herbis, flosculis et terræ solo excipitur, atque ab apibus colligitur. Ita Aristoteles, lib. V *Histor. Animal.* cap. xxii, docet apes favos construere e floribus, ceram ex arborum lacryma effingere, mella ex rore aeris colligere. Quod enim apes non faciant mel, uti putat Seneca, sed confectum in aere asportent, probant Aristoteles, Plinius et nostri Conimbricenses,

tract. 7 in *Meteora*, cap. ix, tum ex eo quod uno aut altero die cellas apum melle repletas inveniunt apiarii : tam brevi enim tempore tantum mellis conficere non possunt apes ; tum ex eo quod in autumnno apes mel sibi detractum, non reparant, cum tamen illo etiam tempore flores suppetant. Secus est de bombycibus, quas videmus byssum conficere, sed lente post diutinam foliorum mori comestionem, concoctionem et alterationem, ut tertio colorem mutant, tandemque flavescant : tunc enim flavæ byssi fila e visceribus nendo (miro naturæ, imo Dei opere) sensim educunt. Hoc in apibus non videmus : colligunt ergo illæ mel, id est roris medullam, non faciunt. Pari modo, quid est Jesus, nisi roris cœli medulla, hoc est : « Mel in ore, melos in aure, jubilus in corde ? » ait S. Bernardus.

ET NUBES PLUANT JUSTUM. — Hebraice *justitiam*, id est justum, puta Christum, qui justissimus est, ipsaque quasi justitia, quam proinde secum mundo afferet. Unde sequitur : « Ego Dominus creavi eum. » Significat Propheta incarnationem Christi non aliud fore, quam nubium et cœlorum, imo universi orbis lætitiæ et jubulum.

APERIATUR TERRA, ET GERMINET SALVATOREM, — q. d. Utinam terra producat, et in lucem proferat Salvatorem ! Nam et terra in hoc opere natiuitatis Christi tam mirabili præbitura erat suam operam : Christus enim nasciturus quidem erat cœlitus, sed in terris. Ita Adamus. Hic sensus est genuinus : sic enim terra hic simpliciter et genericè sumitur. Terra enim præbuit materiam corpori, ut Christus nasceretur.

Secundo, terra hæc est B. Virgo, quæ rorem Spiritus Sancti excipiens, concepit et germinavit Salvatorem. Nulla enim alia terra id præstitit, aut præstare potuit. Ita communiter Patres. Primus ergo Adam ex virgine terra, id est vili limo, formatus est ; secundus vero Adam ex purissimæ Virginis sanguine corpus sibi aptavit.

Dices : Quomodo B. Virgo, quæ semper mansit virgo, id est clauso utero, dici potest aperta ? Respondeo, esse metalepsin : « Aperiatur, » id est instar aperientis proferat et producat. Terra enim naturaliter germinare, et germen producere nequit, nisi vi seminis erumpentis et germinantis findatur et aperiatur, itaque germini emergenti cedat et det locum. Simili metalepsi dicitur cap. LXIV, 1 : « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes ! » Corpus enim si cœlo naturaliter descenderet, deberet rumpere cœlos : sed Deus qui spiritus est, in suo descensu non eget cœlorum disruptione.

Secundo, respondet Sanchez *aperiatur* significare hic tempus vernum, hoc enim *apertum* vocamus : quia tunc ea quæ in hieme frigidibus fuerunt contracta, laxantur, intepescunt et solvantur. De quo Ovidius :

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum ;

q. d. Adam et Eva suo peccato, hiemem et rigorem virtutum ac lætitiæ induxerunt mundo. Duravit hæc hiems et frigus usque ad B. Virginem, quæ ver spiritale et virgineum mundo induxit, cum ipsa quasi lilium convallium, non ex humano semine, sed ex irroratione Spiritus Sancti germinavit Salvatorem. Hoc est quod dicitur *Cant. II, 12*: «Vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.»

Tertio, Origenes, Tertullianus, S. Hieronymus, Epiphanes, Nyssenus et Ambrosius dicunt solum Christum aperuisse uterum matris, id est ex eo clauso natum esse ac prodiisse, perinde ac si fuisset apertus: ipsi enim fuit pervius et penetrabilis; sicut nobis pervia sunt, quæ aperta sunt.

Itaque censent solum Christum designari ista lege, *Exodi cap. XIII, 12*: «Separabis omne quod aperit vulvam Domino.» Vide ibi dicta. Est catabresis. Similis est, cum dicimus Christum sua morte aperuisse nobis cælum antea clausum, quia fecit illud nobis pervium et penetrabile. Sic Hispani et Lusitani dicuntur nobis aperuisse Indias et insulas novi orbis, quia primi navibus suis eo penetrarunt, et ostenderunt iter pervium.

Ex Hebræo potest aliter verti. *Primo* sic: *Aperiat terra, et fructificent*, seu germinent, *salus et justitia*. *Secundo* sic: *Aperiat terra, et germinent* (scilicet cœli et terra) *salutem, et justitia succrescat simul*. Ita Forerius.

ET JUSTITIA ORIATUR SIMUL. — Alludit, imo pene ad verbum citat illud Davidis, *Psal. LXXI, 6*: «Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus justitia,» q. d. Ab Adamo usque ad Christum, terra germinavit spinas et tribulos peccatorum; veniat ergo Christus justificator, ut cum eo germinet justitia ac justi, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, etc. Potest, *secundo*, sic verti: *Aperiat terra, et fructum edant* (cœli et terra) *salutem et justitiam, quas progerminare simul faciet*, id est quas Virgo est simul productura cum Christo, inquit Vatablus. Quod nota contra hæreticos, qui nos subsannant cum dicimus B. Virginem contrivisse caput serpentis, salutem peperisse, cum eam salutamus: «Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve.»

EGO DOMINUS CREAVI EUM. — «Creavi,» id est *creabo*. Est vox Dei, Isaiaë votis respondentis, q. d. Quod tu adeo optas, o Isaia! æque ac terra arida et sitiens optat e cœlo pluviam, hoc ego suo tempore præstabo et creabo, id est produciam hunc justum: meum enim donum ac beneficium est, ejus adventus et nativitas, q. d. Si ego sum qui Christum promitto, formo et creo, ut vos a peccato et diabolo liberet, uti tu ipse, me obsecrando pro ejus adventu, fateris; mihi ergo

totum hoc ejus negotium committendum est, ad me spectat designare tempus, quo nasci et prodire debeat. Unde sequitur: «Væ qui contradicit fictori suo.» *Secundo*, aptius Sanchez et alii hæc referunt ad Cyrum, quasi ad eum, post suum suspirium parenthesi interceptum, redeat hic Propheta. Sic enim hæc cum præcedentibus apte et plane connexa, optime cohærent, æque ac cum sequentibus. Nam explicans *et ego creavi eum*, subdit vers. 13: «Ego suscitavi eum: ipse ædificabit civitatem meam (Jerusalem), et captivitatem meam dimittet.» Quæ verba proprie soli Cyro conveniunt, sed ita ut Cyrus esset typus Christi.

9. VÆ QUI CONTRADICIT FICTORI SUO; TESTA DE SAMIIS TERRÆ, — q. d. Væ testæ contendenti cum suo figulo, ac dicenti: Cur me sic, et non sic formasti? illam enim mox confringeret et contereret figulus. Pari modo homo plasmatus a Deo et quasi testa Dei, contendens cum eo, mereretur ab eo conteri et annihilari. Hæc spectant ad *et Ego Dominus, faciens pacem, et creans malum*. Increpat enim murmuratores dicentes: Cur, Domine, patribus nostris pacem dedisti, æque ac aliis gentibus, nobis autem sæculum miserum et malum captivitatis in Babylone creasti? Rursum, cur Cyrum hominem infidelem et impium ita prosperas, constituisque nostrum liberatorem et ducem? Cur non mittis nobis alterum Mosen, Josue, Gedeonem, etc., uti misisti patribus ex ipso eorum semine et stirpe? De Cyro enim hucusque fuit sermo. Unde et de Cyro respondet Deus, vers. 13: «Ego suscitavi eum, etc., ipse ædificabit civitatem,» etc. Hos retundit Deus, q. d. Quis tu es, qui mihi obstrepas? tu, inquam, qui es in manu mea, qua te instar figuli formavi, quasi testa e samis terræ, id est ex vasis luteis, ex terra effictis? Samia enim vasa vocantur testea, a Samo insula, in qua hæc fiebant pulcherrima, ob argillam, quæ ibi est præstantissima, firmissima et durissima, adeo ut ex ea acuti fiant cultri, teste Plinio lib. XXXV, cap. XII. Unde et Agathocles, rex Siciliæ, cœnabat in vasis Samiis, ut meminisset semper se esse figuli filium. Simili luti et argillæ similitudine utitur Apostolus, *Rom. IX, 20*, retunditque eos qui Deo, ob sortem status et gratiæ sibi datæ, obmurmurant. Idem facit Deus per Jeremiam, cap. XVIII, 6. Vide ibi dicta. Hebraice est, *testa de testis terræ, q. d.* Testa lutea et terrea, non ærea, testa una ex grege testarum, testa vilissima. Potest, *secundo*, ex Hebræo cum Forerio et Vatablo verti: *Væ litiganti cum plasta suo, testæ cum factoribus, vel figulis terræ*; ut idem dicat posteriori hemistichio, quod dixit priori.

Tertio, Septuaginta et Theodotion pro *testa de samis terræ*, vertunt, *qui arant arantes terram*. Hebræum enim *חרש charas*, si punctetur *ש* in dextero cornu, significat *arare*; sin in sinistro, aliisque punctis legas *חרש cheres*, significat *testam*. Hoc Procopius ita exponit per modum unius, q. d.

Deus : *Ego populum in aliam formam refinxī, qui terræ incolæ instar agrorum exerceo, aræ et subigo. Videte ergo ne dispositioni providentiæ meæ reluctemini, non magis quam lutum figulo.* Leo Castrius vero vertit, *aratrum arantibus*, ut sit alia similitudo, sed idem significans quod prior, *testa figulo*, *q. d.* Numquid contendet aratrum cum aratore, eique dicet : Cur me, postquam arasti et seminasti, seponis et abjicis? cur non semper me uteris, et aras? Ita ex S. Ambrosio Castrius. Unde Septuaginta vertunt : *Numquid arans tota die arabit?*

NUMQUID DICET LUTUM FIGULO SUO : QUID FACIS, ET OPUS TUUM ABSQUE MANIBUS EST? — id est opus tuum caret ansis suis. Ansæ enim vasi sunt, quod manus homini. *Secundo, q. d.* Opus tuum impositum est et informe, ac si pedibus, non manibus esset elaboratum. Et sic major est blasphemia.

10. VÆ QUI DICIT PATRI : QUID GENERAS? — Alia similitudine murmuratores coarguit, *q. d.* Stultus et contumeliosus foret filius, dignusque perire et perdi, qui diceret patri suo : Cur me deformem, cæcum, claudum, stupidum, id est ignobilem, pauperem, infortunatum, et non pulchrum, integrum, ingeniosum, nobilem, divitem et fortunatum genuisti? Et ut Forerius : Cur me fecundum, multaque prole, quam alere non valeo, onustum effecisti? aut si in ipsa generatione modum ei præscriberet : Volo ut me talem et talem, non autem talem generes. Multo magis talis est, qui Deo Patri cœlesti de sua sorte sibi ab eo data, obstrepit et obmurmurat, aut modum præscribit, ut in futurum talem et talem sibi sortem, non aliam concedat. Simili enim modo queritur Jeremias, cap. xv, vers. 10 : « Væ mihi, mater mea? quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ? »

Symbolice S. Hieronymus de Christo hæc explicat, *q. d.* Væ qui dicis Patri omnipotenti : Quare tu generas Filium? quique dicis B. Virgini : Quid parturis? An Deum? at Deus æternus est, non gignitur in tempore. An hominem, ut quid ergo θεοτόκος, id est Dei mater, appellaris? uti blasphemabat Nestorius, quasi ejus et similibus hæc sint verba. Unde allegorice S. Cyrillus hæc refert ad Nicodemum, et similes, qui audientes a Christo, oportere quemque per baptismum renasci, dicebant : « Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? » *Joan. III, 4.*

11. HÆC DICIT DOMINUS SANCTUS ISRAEL, PLASTES EJUS, — scilicet Israelis. Hic dat apodosin, id est redditionem similitudinis, applicando eam Deo, *q. d.* Israel lutum vel argilla est, Deus plastes sive figulus : Israel filius est, Deus Pater : non est ergo quod Israelitæ obstrepant et litigent cum Deo, ac quasi ei non sint curæ, conquerantur. Taceant ut argilla : subditi sint velut morigeri et prudentes filii, hæc est eorum sors : meum est illis providere, resque eorum tristes, æque ac lætas disporre. Attamen ut immensam meam in vos, o Is-

raelitæ! benignitatem ostendam, concedo vobis id, quod non auderet testa in figulum, filius in patrem. Quocirca « ventura interrogate me, super filios meos, » quid videlicet de vobis, qui estis filii mei, deque vestra captivitate proroganda, vel solvenda, decreverim, quidque vobis eventurum sit : « Et super opus manuum mearum, » quod estis vos, « mandate mihi, » id est ab Isaia, meisque Prophetis sciscitamine et postulate, ut vobis dicant quæ futura sint et facienda a me; quod idola nequaquam possunt. Identidem enim redit ad divinationem futurorum, ex eaque cum idolis de divinitate disceptans vincit et triumphat. Ita Sanchez. Rursum « opus » hoc Dei sunt, cœli, stellæ, terra, homines. Unde sequitur : « Ego feci terram. »

Aliter S. Hieronymus et Forerius qui putant hæc per ironiam irrisorie dici, *q. d.* ait S. Hieronymus : Interroget me testa, et futurorum secreta inquirat, et præcipiat mihi, quomodo adoptivos filios, qui in meum Filium credituri sunt, regere debeam, *q. d.* Estne vestrum mihi mandare, quid facere, quomodo filios meos regere debeam? *q. d.* Minime.

12. EGO FECI TERRAM. — Hic opus suum, cuius est plastes, explicat Deus, ejusque quasi rationem murmurantibus assignat.

ET OMNI MILITIÆ EORUM MANDAVI, — *q. d.* Astra, quæ Gentiles colunt ut deos, mihi subsunt, ego eis mando, id est ea dispono et ordino.

13. EGO SUSCITAVI EUM AD JUSTITIAM. — Per eum S. Hieronymus, Procopius, Eusebius, lib. V *Demonstr.* cap. iv, Epiphanius, Hilarius, Origenes, Haymo, et ex eis Leo Castrius intelligunt Christum : S. Thomas vero, Hugo, Forerius et Sanchez Cyrum. Utrumque verum est : miscet enim hic tyrum cum antitypo, agitque de Cyro, quasi de typo Christi. Unde quædam dicit quæ magis Cyro, quædam quæ magis Christo competunt. « Ad justitiam, » ut scilicet Cyrus juste puniret tyrannos Chaldæos, et fideles Hebræos ab eorum tyrannide liberaret. Ex Hebræo verti potest, *in justitia*, id est ex mera mea bonitate, nullis provocatus meritis vestris, sed tantum quia ego justus sum et sanctus, dabo vobis Cyrum liberatorem.

Secundo, Forerius : *Justitia*, ait, hic accipi potest pro ipsa ratione divinatorum consiliorum, quæ æquitatis est plenissima, estque ipsa amussis et regula omnium quæ juste fiunt, *q. d.* Excitavi Cyrum summa cum justitia et æquitate, pensatis omnibus, quæ in tam ardua re erant pensanda, habitaque ratione et causarum, et effectuum, et temporis, et loci. Non est ergo quod quis hic murmuret dicendo : Quare Cyrum Gentilem, non Hebræum, vel fidelem aliquem misisti, qui nos Babylone liberaret? aut, quare tam tarde eum misisti, aut isto tempore potius quam illo? Sed agnoscant omnes et laudent meam sapientiam, æquitatem et clementiam. Jam sub Cyro respicit Christum, quem a Deo excitatum esse ad justitiam toto orbe propagandam, clarum est.

IPSE ÆDIFICABIT CIVITATEM MEAM (Jerusalem) **ET CAPTIVITATEM MEAM** (id est captivum populum meum, scilicet Judæos) **DIMITTET**, — gratis et sine lytro. Id fecisse Cyrus per suum mandatum et edictum patet I *Esdrae* I, 3. Unde patet hunc locum ad litteram intelligendum esse de Cyro, ita tamen ut in Cyro altius quid spectarit Propheta, scilicet Christum, qui civitatem, id est Ecclesiam, ædificavit, et solvit captivitatem generis humani, non pretio, sed gratis, imo solvendo et dependendo per se lytrum nostrum, puta sanguinem suum. Ita Patres paulo ante citati.

14. **LABOR ÆGYPTI, ET NEGOTIATIO ÆTHIOPIÆ, ET SABÆIM VIRI SUBLIMES** (1) **AD TE TRANSIBUNT, ET TUI ERUNT.** — Hugo et Vatablus hæc ad Israel, sive ad Judæam referunt, *q. d.* Ægyptii, Æthiopes et Sabæi videntes, o Israel! te prosperari et benedici a Deo, tecum fœdus inibunt, imo multi ex eis tuam religionem capessent. Aut, ut Vatablus, sensus est, *q. d.* Israelitæ potentur opibus Ægyptiorum, Æthiopum et Sabæorum, cum videlicet Deus ad mœnia Jerusalem cædet per Angelum castra Sennacherib et Assyriorum: hæc enim constabant supradictis, utpote jam subactis, hæcque jam habebant spolia Ægypti, Æthiopiæ et Sabææ, quæ ibidem rapuerant, quæ jam ab iisdem capient Judæi. Verum hic sensus, uti frigidus, et incertus est ac dubius, ita textui non cohæret. Non enim de Israel, sed de Cyro hæc hactenus egit Propheta.

Dico ergo, ad litteram sermo est de Cyro cujus victorias obiter perstringit; sed sub eo intelligit Christum Christique victorias, *q. d.* Cyrus debellabit Ægyptum, Æthiopiam ejusque primariam provinciam, puta Sabæam, sive Abyssiniam; hæcque provinciæ Cyro Babylonis et monarchiæ Chaldæorum eversori se dedent. Ita enim factum esse docet Xenophon, lib. VII *Cyripædiæ*, et lib. VIII, ubi Cyri regnum terminat ab Oriente mari Rubro, ab Occidente Ægypto, a Meridie Æthiopia, ab Aquilone Ponto Euxino. Porro de Cyro dicitur: «Tantum in te est Deus.» Sicut dicitur cap. x, vers. 5, indignatio Dei fuisse in manu et virga Assur, cum per eum percussit et punivit Judæos aliasque gentes. Pari enim modo Deus agebat Cyrum ad excidium Babylonis, et ad Judæorum liberationem; unde subdit:

15. **VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS**, — qui nimirum abscondis te in Cyro homine impio, idololatra et tyranno, quique sic occulte per eum operaris, et bellas, ut non tu, sed ipse tantum bellare videatur. Unde Xenophon aliique historici, Cyri victorias ejus virtuti tribuunt; hoc est quod Isaias dixit vers. 5: «Accinxi te, et non cognovisti me.» Ita Didacus Alvarez, Pintus et Sanchez, qui mora-

liter apte hinc colligit, Deo tribuenda esse, quæ bene a prælato, vel magistratu, etiam infideli et impio (qualis fuit Cyrus) gesta sunt. Rursum Deum uti subinde instrumentis indignis, qualis fuit Cyrus, propter, et ad bonum suorum fidelium.

Sic, ut ait S. Chrysostomus, hom. 3 in epist. ad *Coloss.*: «Deus ad Cain loqui dignatus est, propter Abel; diabolo, propter Job; Pharaoni, propter Joseph; Nabuchodonosori, propter Danielelem; Balsassari, propter eumdem. Et Magi quoque revelationem consecuti sunt; et Caiphas cum esset occisor Christi et indignus, prophetavit, propter sacerdotii dignitatem.» Denique hinc colligit Sanchez subditos etiam impiis prælatis obedire debere, ac cogitare, quod in iis loquatur, imperet et gubernet Deus. Imo addit S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. vi, diaboli potestatem nunquam esse injustam, licet voluntas semper iniqua sit: «Quia a semetipso, ait, voluntatem habet, sed a Domino potestatem.»

Verum potius hæc accipienda sunt de Christo, quem sub Cyro intelligit, et quasi in imagine præsentat. Illi enim, non Cyro, competit proprie et plene id quod sequitur: «Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus.» Ita S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus, Cyrillus, Eusebius, lib. V *Demonstr.* cap. iv; Hilarius, lib. IV *De Trinit.*, et alii passim. Sensus ergo est: «Labor Ægypti,» etc., hoc est, opes partæ labore Ægyptiorum, Æthiopum et Sabæorum, id est quorumvis Gentilium, etiam remotissimorum, tibi, o Christe! servient, totus orbis tibi se subdet, quasi a te victus, et vinctus spiritu gratiæ et charitatis. Gentes enim a Christo et Apostolis conversæ, omnia sua cum fide Christo Domino obtulerunt, ut veluti captivi Apostolorum viderentur. Nam seipsos tradebant primi illi Christiani, et corpora, et animas, et omnia, adeoque oculos, si fieri potuisset, eruissent, ait S. Paulus, *Galat.* iv, 15, ad promovendam Christi et Apostolorum ejus gratiam et gloriam.

Potest, *secundo*, metonymice sic explicari: «Labor Ægypti,» id est laboriosi Ægyptii, et negotiosi Æthiopes, puta divites ex labore et agricultura, æque ac ex mercimoniis et industria: hi, inquam, cum suis opibus et mercibus «ad te,» o Christe! «transibunt,» deserentes suam religionem suosque deos, tibi que credent, te colent et adorabunt, «vincti manicis,» quasi bello subacti, victique et in triumphum ducti. Significat hæc phrasis omnimodam, sed spontaneam subjectionem: quod indicant verba sequentia, incurationis, supplicationis, sive interpellationis, item libera confessio et gratulatio eorum, dicentium Christo: «Tantum in te est Deus.» Manicæ ergo hæc fuit potens et efficax gratia, et impulsus Spiritus Sancti, «cujus vincula adamante sunt fortiora,» ait S. Ambrosius in *Psal.* xxxvii, post principium. Ita et S. Hieronymus, aliique Patres

(1) Sabæi hic dicuntur מְדַבְּרֵי מִשְׁכָּלֵי viri mensuræ, id est stature præcæ, et eadem phrasis sumitur, *Num.* xiii, 32; *Jerem.* xxii, 14. Sabæos ut homines quorum corpora essent spectabiliora describit et Agatharchides, cap. 1 (τὰ σωματὰ ἐστὶ τῶν κατακοιμένων ἀξιολογώτερα.).

(Rosenmuller.)

jam citati, inter quos S. Hilarius : « Talis, inquit, erat Paulus vinculus propter Christum, qui proinde, *Ephes.* III, 1; *Philip.* I, 13, et alibi, in vinculis hisce suis gloriatur. »

TANTUM IN TE EST DEUS. — Vatablus vertit : *Revera in te est Deus, præter quem nullus est alius.* Hoc est, certe in te, o Cyre! est Deus, qui pugnat et vincit, extra quem non est alius Deus, *q. d.* Non est Cyrus qui Bæbylonem evertit, qui salvat Israel; sed est Deus, qui dexteram dirigit ad feriendum Chaldæos et liberandum Hebræos. Unde hoc opere Dei peracto infelix fuit, tertioque post anno a femina Thomyri, cum toto exercitu cæsus est; æque ac Sennacherib peracta vindicta Dei, cæsus est ab Angelo; Vespasianus ac Titus, peracto Judææ excidio, ad quod a Deo dirigebantur, paulo post infeliciter uterque periit. Ita Sanchez, Alvarez, Pintus et Vatablus.

Verum proprie hæc soli Christo competunt. *Primo* enim in Christo, qua Deus est, est tota divinitas æque ac SS. Trinitas. Pater enim (uti et Spiritus Sanctus) est in Filio per circuminseccionem illam divinam SS. Trinitatis, ut Theologi vocant; hanc enim significat Christus, cum ait *Joan.* XIV, 9 : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? » *q. d.* ait Cyrillus, *Doctrinam meam, et opera mea habeo a Patre, et cum Patre communia* : ergo et naturam ac divinitatem. Significatur ergo his Christi verbis intima et perfecta inhabitatio unius personæ SS. Trinitatis in alia, et e converso, quam Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. XI, vocat περιχώρησιν, et ex illo Scholastici, circuminseccionem. De quo mysterio disputat S. Augustinus, lib. VI *De Trinit.* cap. ultim.; Hilarius, lib. IV *De Trinit.*, Ambrosius, in cap. XIII *epist. ad Corinth.* : « Singula, ait Augustinus, sunt in singulis (personis), et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. » Quocirca ex hoc loco et similibus Scholastici, et nominatim Franciscus Suarez, lib. IV *De Trinitate*, in fine, docte contra Durandum et Henricum docet, hanc circuminseccionem esse in SS. Trinitate non tantum quoad essentiam divinam, sed etiam quoad personas ipsas, idque magis proprie; esto ejus fundamentum sit ipsa essentia, quæ in tribus personis est una et eadem. Itaque in essentia proprie est unitas et identitas, non circuminseccio sive περιχώρησις. Quare non recte Budæus, et ex eo Henricus Stephanus, in *Lexico περιχώρησιν*, apud Damascenum loco citato interpretantur ἑνωσιν, id est unitatem. Aliud est enim περιχώρησις, id est circuminseccio, aliud unitas, ut patet ex terminis. Hæc ergo circuminseccio non est aliud, quam intima præsentia unius personæ ad aliam, cujus radix et quasi causa est ipsa earundem immensitas. Cum enim ipsæ in se sint immensæ, inde necessario sequitur, ut sint intime in se invicem non tantum secundum essentiam, sed etiam secundum proprias relationes. Unde sicut habent

immensitatem ratione essentiæ quam includunt, ita ex eadem radice habent, ut sint intime in se invicem, etiam secundum proprias relationes. Quamobrem circuminseccio hæc est mutua præsentia, et quasi penetratio, hoc est, inexistencia et inhabitatio unius personæ in alia. Hoc est quod ait S. Athanasius in *Expositione fidei* : « Spiritus Sanctus semper est in manibus Patris et Filii. » Et Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. X, hac de causa Spiritum Sanctum vocat « inseparabilem et indigressibilem a Patre et Filio. » Et cap. IX, processionem unius personæ comparat luci mananti ab igne : « Quia, inquit, lux ab igne gignitur, et ab igne non separatur, sed semper in eo est. » Et Fulgentius, lib. *De Fide ad Petr.* cap. I : « Per hanc unitatem essentiæ, inquit, totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est, totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, et totus Spiritus Sanctus in Patre et Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est. » Idipsum canimus in hymno ad Laudes feriæ secundæ : « In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater. » Causa est, personarum divinarum tum immensitas, ut dixi, tum summa connexio, et intima conjunctio, quæ oritur ex una eademque numero essentia. Ex ea enim fit ut Personæ divinæ ad invicem sint inseparabiles; conjunctissimæ et intimæ : inde fit ut sibi invicem inexistant.

Ita de Christo qua Deus est, hunc Isaïæ locum explicant S. Hieronymus, S. Ambrosius, lib. I *De Fide*, cap. II, et Athanasius, lib. *De Assumptione hominis*. Dices : Falsum est, quod tantum in Filio sit Deus : nam est etiam in Patre et Spiritu Sancto. Respondeo, vox *tantum* solum excludit idola, Angelos aliaque entia. Nam regula Theologorum est : Cum voces exclusivæ adduntur Personis divinis, in attributis essentialibus, sive communibus tribus personis, eæ tantum excludunt res alias, quæ aliam a Deo habent naturam et essentiam; non autem alias personas divinas : hæ enim cum eadem habeant essentiam, eadem quoque habent attributa essentialia. Sensus ergo est : *Tantum in te, o Christe! est Deus, q. d.* Non est alia in mundo divinitas, quam illa quæ est in te, quæ tamen quoque est in Patre et Spiritu Sancto. Vide D. Thomam et Scholasticos, I part., *Quæst.* XXXI, art. 3 et 4.

Secundo, hæc verba competunt Christo, qua homo est, quia in humanitate Christi, quasi in templo, corporaliter inhabitat divinitas, imo divinitatis plenitudo, ut ait Apostolus *Coloss.* II, 9. Vide ibi dicta. Ita S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus et Cyrillus, lib. I *in Joan.* cap. XV, Epiphanius, lib. II *in hæres. Noetianorum*. Sensus ergo est, *q. d.* Gentes videntes Christi, Apostolorum, et primorum Christianorum gratiam, virtutes, mores angelicos, sanctamque et divinam conversationem, imo videntes in se ipsis per baptismum et Christianismum tantam fieri morum mutationem, ut ex barbaris, superbis, blasphemis

nie, maleficis, homicidis, rapacibus, gulonibus, libidinosis, etc., per Christi fidem et gratiam fiant humani, humiles, Deum timentes, amabiles, justii, sobrii, casti, etc., obstupescunt, dicentque Christo: Vere « tantum tu es Deus. » Felices nos, qui te, imo Deum habemus, non corpora, sed animas transmutantem, et ex bestiis homines, imo Angelos facientem. Hoc ad litteram hodie contingit in Japone, China, Brasilia aliisque Indiae partibus, uti Nostrorum inde litteræ fidem faciunt. Notent hoc Christiani Europæi, præsertim Pastores et Ecclesiastici. Si enim hæretici, Judæi aliique infideles viderent in eis eam sanctitatem, mores angelicos, sine avaritia, ambitione, turpitudine, qui fuerunt in Apostolis, suntque hodie in India, sane multi ex eis, quasi manicis vincti, eos sequerentur, exclamarentque: « Vere in vobis est Deus. » Vere in vobis non aliud relucet nisi Deus. « Vos estis semen cui benedixit Dominus. » E contrario scimus, uti Lutheranismum occasionem dedit inscitia et mala vita nonnullorum sacerdotum, ita et hodie ipsos blasphemare, et Ecclesiæ insultare, cum eorum impuram vitam audiunt aut vident, magisque se in sua hæresi et sacerdotum odio obfirmare.

ET NON EST ABSQUE TE DEUS. — Quis enim totum mundum Christo crucifixo ejusque Evangelio tam paradoxo de contemptu honoris, opum, voluptatum, subjicere potuisset, nisi solus Deus! Quis, nisi Deus, animum hominis sic immutare potens est? Quibus viribus sic homo semetipsum, sic effrenas suas passiones domare valeret? Quis sic posset innatam cuique concupiscentiam superare et suppressere? Quis tot simul homines, Angelos, imo Deos quosdam efficere sufficeret nisi Deus? non vobis, o Christe, et Christiani! arma, non exercitus, non eloquentia hanc dignitatem, hanc efficaciam pepererunt. Solus in vobis, in vestro hoc opere, conspicitur Deus vestræ efficacæ et libertatis auctor. Nulli hæc gloria debetur, nisi Deo. Ita Paulus prædicabat « Christum crucifixum, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut sublimitas, ait, sit virtutis Dei, et non ex nobis. » Ita Forerius.

Hinc Mahomet in Alcorano sumpsit illam suæ fidei, imo perfidiæ professionem, quam Mahometani ad ravim usque inclamant in suis Moskeis sive fanis: « Non est Deus nisi Deus, et Mahomet consiliarius ejus. »

VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS. — Hebraice **מסתתר** *mistatter*, id est *abscondens se*. Sic primo, vocatur Deus, quia natura sua invisibilis est, fugitque aciem Angelorum æque ac hominum, « et lucem habitat inaccessibilem. » Unde Mosi, Salomoni et aliis passim apparuit tectus nube et caligine. Rursum, « absconditus, » quia non omnibus, sed tantum electis suis Israelitis se patefecit. « Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus. » Ita Vatablus. Hinc in templis Ægyptiorum

inscriptum visebatur hoc Dei emblemata: « Ego sum quod fuit, quod est, quodque futurum est; velum meum nemo unquam revelavit. »

Secundo et genuine, « Deus absconditus » appellatur Salvator (ut sequitur), id est *Jesus*, propter assumpti corporis arcanum sacramentum, ait S. Hieronymus, quo deitas ejus carnis tegumento celatur. Unde Septuaginta vertunt, *tu es Deus, et nesciebamus*. Ita Hilarius, lib. IV *De Trinit.*, Ambrosius in cap. II *ad Roman.*, Eusebius, lib. V *De monstr.* IV; Cyrillus (vel potius Clictovæus Doctor Parisiensis; ille enim quatuor medios Cyrilli in Joannem libros, qui interciderunt, reparavit), lib. V *in Joan.* cap. II, in illa verba: « Hunc nescimus unde sit. » Ubi docet Judæos ex hoc loco Isaia sumpsisse occasionem dicendi: « Christus cum venerit, nemo scit unde sit. » De Christo enim homine, Cyri antitypo, toto hoc capite agit Propheta. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut in Cyro occulte salutem Judæorum operatus est Deus, et quasi abscondit se: ita multo magis in Christo homine paupere et abjecto, abscondet se deitas, nec oculis videri poterit: sed in operibus emicabit, et ostendet se. Agnoscent enim homines eum esse Deum ex miraculis et salute, quem afferet: erit enim salvator totius orbis. Ex hoc loco clare patet contra Arianos, Christum vere et proprie esse Deum. Unde S. Ambrosius loco jam citato: « Quia, inquit, Filius Dei semper quidem apparuit, latebat autem quis esset; cum post resurrectionem cognoscitur, dicitur ei in confessione: Tu es Deus, et nesciebamus. Et qui putabatur in lege tantum Angelus, et dux exercitus Domini, cum intelligitur Filius esse Dei, dicitur ei cum gratiarum actione: Tu enim es Deus, et nesciebamus. Per hoc ergo significat, quia ipse esset qui apparuerat quidem Patriarchis, et post incarnatus est, sed non fuerat intellectus ab hominibus. »

Mystice, hæc verba apte conveniunt Eucharistiæ: ibi non tantum deitas, sed et humanitas Christi absconditur sub specie panis et vini: ibi omnes sensus falluntur, excepto auditu: visus videt colorem panis, gustus gustat saporem panis, odor odoratur odorem panis, tactus tangit figuram orbicularem et levitatem panis: solus auditus verum audit, scilicet: « Hoc est corpus meum. » Hic ergo mystice impletur illud Isaaci de Jacobo se pellibus hispidis Esau tegente: « Vox quidem, vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esau, » *Genes.* XXVII, 22. Sic enim hic manus tangit accidentia panis, sed vox est vox Christi, qui falli, aut fallere nequit, atque: « Hoc est corpus meum. » De Eucharistia ergo vere dicitur: « Tantum in te est Deus, » puta Christus, non panis, non alia substantia. « Vere tu (o Christe in Eucharistia) es Deus absconditus, Deus Israel salvator. » Lates ibi realiter in corpore, anima et deitate: sed agnosceris in virtute et salute, quam Israelitis, id est fidelibus, digne manducantibus

In humanitate;

In Eucharistia.

Symbolum Mahometis

Deus absconditus

affers, dum cor eorum immutas, vitia sanas, passionibus sopis, mentem caelestem facis, eamque divinibus subinde consolationibus ita mulces, ut jubilet, dicatque cum S. Monica in S. Communione: « Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. »

Vers. 16. 16. CONFUSI SUNT. — Identidem reflectit se Deus, et insurgit contra idololatriam tunc grassantem, q. d. Cum viderint Babylonii, aliæque gentes, quod Baal, sive Bel eorum deus non possit eos tueri, quin a Deo vero per Cyrum devastentur; tunc ipsi cum diis suis, eorumque fabricatoribus, pudefient. Rursum, cum Gentes videbunt Christum absconditam in se deitatem, per miracula, per sanctitatem et charismata Spiritus Sancti prodentem, tunc omnes, qui idola coluerunt et fabricarunt, pudefient; imo ea contemnent, et comburent, atque ad Christi cultum se transferent. Nota: Idola vocantur *errores*, quia summus error est, quod saxa et ligna præ se ferant se esse deos. Hebraice est צַרִּים *tsarim*, id est *angustia*. Idola enim, aut potius daemones, per idola cultorum suorum mentes in mille angustias redigunt, ac in primis perpetuo remorsu conscientiae, quod Deum creatorem caeli negligant, et pro eo lapides colant, eos lancinant. Ita Forerius, Sanchez, Vatablus et alii.

Aliter Adamus, q. d. Scribae et Pharisei simul abierunt in confusionem suorum errorum et mendaciorum, quæ spargebant toto orbe, scilicet, Christum non resurrexisse, sed ab Apostolis furto esse sublatum. Contrarium enim patuit, et credidit totus orbis. Verum hic sensus arctior est.

Vers. 17. 17. ISRAEL SALVATUS EST IN DOMINO SALUTE AETERNA; — q. d. Babylonii et Gentibus idololatrias obvenient pudor et ignominia, tum temporalis per Cyrum, tum aeterna per Satanam in gehenna, cujus illa temporalis fuit umbra et praeludium: at veri Israelitæ, id est fideles Christiani, a Christo donabuntur salute et gloria aeterna: hinc patet hæc ad Christum, non ad Cyrum pertinere. Salit enim Propheta a typo ad antitypum, et mox ad typum, sive historiam resilit; nam constat salutem quam Judæis attulit Cyrus, non fuisse aeternam: imo, paulo post eam, gravissime ab Antiochis aliisque Asiæ regibus, per ducentos annos tempore Machabæorum, afflicti fuerunt; ac non multo post sceptrum perdiderunt, sub Herode et Romanis, atque a Tito tandem excisi sunt.

Vers. 18. 18. HÆC DICIT DOMINUS CREANS COELOS. — Addit וְיַעֲרֵם *creans caelos*, ut innuat caelos ad hoc creatos esse a Deo, ut in eos ingrediantur, eosque possideant veri Israelitæ, ibique aeternam salutem (quam eis hic promisit) consequantur.

NON IN VANUM CREAVIT EAM (terram): UT HABITARETUR, FORMAVIT EAM, — q. d. Sicut Deus caelum creavit fidelibus in præmium, ita terram creavit in stadium, ut scilicet eam incolant homines ad tempus, ibique ita pie et sancte vivant, fortiter

dimicando contra peccata; omnesque carnis et diaboli insultus, ut victores in caelis coronari mereantur. Hoc est quod ait Paulus: « Spectaculum (græce θέατρον , theatrum) facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus, » I Cor. iv, 9.

Porro, oculum conjicit Deus ad terram Judææ, reditque ad Cyrum, q. d. Reducam vos per Cyrum in Judæam: non enim frustra creavi eam, ut esset et maneret deserta, uti jam vobis in Babylone captivis, deserta est; sed ut vos in eam reducerem, sicut primus olim induxi, expulsus Chananæis per Josue.

19. NON IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM IN LOCO TERRÆ TENEBROSO, — q. d. Sibyllæ oracula dabant ex antro, incantatores et magi ex locis subterraneis, ubi consulebant daemonem, qui male sibi conscius lucifuga est, et princeps tenebrarum, ideoque quærit latibula: at ego non in abscondito, sed in Sina, in montis excelsi vertice, coram omnibus Hebræis, cum fulguribus et tonitruis, clara voce, media luce cum eis fœdus inii, promisque me daturum eis terram Chanaan, si legi meæ obedirent, atque uti promisi, ita et præstiti. Ego ergo sum, qui in Chananæam vos induxi, ego pariter, qui ex Babylone vos eodem reduco.

Huc allusit Christus dicens, Joan. xviii, 20: « Ego palam locutus sum mundo: et in occulto locutus sum nihil. » Impostores enim et hæresiarchæ, qui docent mendacium, latebras quærunt, ibique sua agunt conventicula, uti recte notavit Vincentius Lirinensis in aureo suo libello *Contra hæreses*.

NON DIXI SEMINI JACOB: FRUSTRA QUÆRITE ME. — Dat hic Deus triplex discrimen inter se et idola. *Primum*, quod ipse in publico, idola in abscondito respondeant. *Secundum*, quod frustra colantur: suis enim cultoribus nihil dant præmii; Deus suis cultoribus ampla dat præmia, uti Judæos duxit et reduxit in Chananæam. *Tertium*, idola et daemones a suis impura et scelestia exigunt obsequia et cultus; Deus non nisi pura et sancta deponit, ut sequitur.

20. CONGREGAMINI, — q. d. Vos igitur omnes qui e Babylone nunc effugitis, et e captivitate evaditis: vos etiam qui a Gentilismo ad Christum convertimini, convenite, et afferte si quid habetis, quod iis, quæ dixi, opponatis pro causa idolorum: si quid in Babylone, aut Gentilismo vidistis vel audistis, quod ea esse deos ostenderet, si quid opis aut numinis ab iis experti estis, promite. Sed frustra hæc propono: scio enim omnes vos mecum dicturos:

NESCIERUNT (id est, cæci et stolidi sunt omnes idololatræ) QUI LEVANT LIGNUM (ita legendum cum Romanis et Hebræis non *signum*) SCULPTURÆ SUÆ (id est qui erigunt idolum ligneum a se sculpturæ, illudque colunt), ET ROGANT (et invocant) DEUM NON SALVANTEM. — Quomodo enim alios salvet et erigat, qui seipsum erigere et salvare nequit? Ita S. Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, Adamus, Forerius et alii.

21. ANNUNTIATE, ET VENITE, ET CONSILIAMINI SIMUL, — *q. d.* Jungite colloquia, cœtus et consilia, ut quod uni non occurrit, alter suggerat pro deitate idolorum, ac in primis hoc inter vos agitate: quis prædixit Judæos Babylone per Cyrum liberandos, idque reipsa præstitit? atque homines e captivitate diaboli per Christum liberandos, idque pari fidelitate suo tempore præstabit? Quis, inquam, nisi ego, quem colit Israel? Clarum ergo est, quod non sit alius Deus sanctus et salvator, quam ego. Quocirca:

22. CONVERTIMINI AD ME, ET SALVI ERITIS, OMNES FINES TERRÆ. — Promittit hic Deus fidelibus se colentibus et invocantibus, omnem salutem temporalem et spiritalem, sed maxime spiritalem et æternam per Christum.

23. IN MEMETIPSO JURAVI. — Hic Deus promissa sua sancit et confirmat juramento, *q. d.* Per memetipsum juravi, id est *juro* (vide *Canon. XIII*), quod sententia et verbum, juste et in æquitate ore meo prolatum, nequaquam irritum erit, sed reipsa complebitur. Porro verbum illud est, quod sequitur: « Quia (quod) mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua, » hoc est, non tantum gens Judaica, sed omnes omnino gentes me agnoscent, timebunt et colent: ideoque per me jurabunt, non per idola. Colent, inquam, inchoate in hac vita, cum ad me convertentur, aiunt S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Thomas et alii: sed perfecte et integre colent in futura, et in die judicii: ita ut hostes quoque mei vi coacti, tanquam scabellum subjiciantur pedibus meis, meque suum Deum ac Dominum esse confiteantur. Ad diem enim judicii hæc quoque pertinere, patet ex *Rom.* cap. xiv, 10, ubi cum dixisset Apostolus: « Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, » subdit probationem ex hoc loco, dicens: « Scriptum est enim: Vivo ego (id est juro per vitam meam), dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: et omnis lingua confitebitur Deo. » Ita Adamus et Sanchez.

JUSTITIÆ VERBUM. — Forerius et Vatablus vertunt, *justitiam verbum*, hoc est verbum, quod est vera et mera justitia: nam *justitia*, ait Forerius, primo accipi potest, *beneficentia*. Jurat enim hic Deus, se toti mundo daturum beneficium maximum, et summe optabile, scilicet, veram suam cognitionem, obedientiam et religionem, in qua sola consistit nostra salus. *Secundo*, « justitia » proprie accipi potest, *q. d.* Juro me mundo daturum justitiam, quæ est ipsum meum verbum: Christus enim Dei Filius est « justitia » et « Verbum » Patris, quod non rediit vacuum, sed efficax fuit, terramque inebriavit, fecundavit et justificavit. Ita Haymo et Forerius. *Tertio* et planissime, egreditur hic ex ore judicis Dei « justitia » vel « justitiæ verbum, » id est verbum justissimum et æquissimum. Justissimum enim est, ut omnis creatura rationalis, etiam dæmones subdant se Deo suo plastæ et creatori, eumque colant et glo-

rificent. *Justitia* ergo, id est justa, Deoque debita observantia et submissio significatur per τὸ *mihi curvabitur omne genu*: observantia per τὸ *et jurabit omnis lingua*. Huc alludit Apostolus, *Philip.* II, 10: « In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. » Quod consecutum ait esse Christum per humilitatem, qua formam servi accepit, factus homo. Ergo dum jurat facturum se, ut sibi curvetur omne genu, implicite jurat se formam servi accepturum: quod verbum et juramentum, est justitia, misericordia et sanctificatio mundi.

Notat S. Hieronymus in τὸ *curvabitur omne genu*, perspicue significari populum Christianum. « Moris enim, ait, Ecclesiastici est Christo genu flectere: quod Judæi mentis superbiam demonstrantes, omnino non faciunt. » Judæi enim stantes et erecti orant.

24. JURABIT OMNIS LINGUA. — « Jurabit, » id est celebrabit, colet, adorabit. Est synecdoche. Juramentum enim ponitur pro quovis Dei cultu, uti superius dixi. Unde S. Paulus pro *jurabit* vertit, *confitebitur*, id est laudabit et glorificabit, *Roman.* cap. xiv, 11. Homines enim per eum jurare solent, quem credunt esse Deum, et summum Numen, quod perjurii sit vindex.

25. ERGO IN DOMINO DICET (omnis lingua, ut præcessit): MEÆ SUNT JUSTITIÆ ET IMPERIUM. — *Primo*, Forerius putat esse verborum trajectionem, et sententiam ita esse ordinandam: *Omnis lingua dicet: Meæ justitiæ sunt in Domino*, quasi in fonte et datore, *q. d.* A Deo manant omnes meæ justitiæ, illi describendæ sunt meæ virtutes et opera sancta, non mihi; ille glorificandus est, non ego. Perperam ergo hæretici hoc loco abutuntur pro justitia sua imputativa, qua ipsi dicunt se esse justos, non per justitiam formalem et inhærentem, sed extrinsecam sive imputatam a Deo.

Secundo, alia disputatione sic legit et intelligit idem Forerius: *Omnis lingua jurabit, dicetque in Domino*, id est per Deum, per Christum, ut per τὸ *in Domino* describatur formula juramenti, qua usuri sunt fideles. Deinde « dicet » etiam « omnis lingua, quod meæ sint justitiæ et imperium, » hoc est, Dei est justitia, seu laus justitiæ, et Dei est imperium. Dicit « meæ, » quia hæc sunt verba Dei loquentis: est ergo hic explicatio ejus quod præcessit, « mihi curvabitur omne genu: » sicut prior pars, τὸ *in Domino*, est explicatio τὸ *jurabit omnis lingua, q. d.* Omnis lingua clamabit me esse justum et imperatorem: sive mihi inesse tam justitiam, quam potentiam, robur, imperium. Hæc enim omnia significat Hebræum *יָצוֹר*, et hæc omnia in principe vero, qualis est Christus, requiruntur, scilicet justitia, ut juste regat; et potentia, ut possit justitiam suam exsequi. Unde hæc duo Scriptura sæpe in Deo commendat, *Psal.* LXX, 19: « Potentiam tuam, et justitiam tuam, Deus. » Et

. VII, 12: « Deus iudex justus, fortis. » Unde Septuaginta hic vertunt: *Jurabit omnis lingua Deum, dicens: Justitia et gloria ad eum veniet.* Ita Sanchez.

Tertio, Idem Forerius sic vertit: Profecto Jehova dixit: Per Jehova mihi sunt justitiæ et imperium, hoc est, Jehova Christus dixit: A Jehova, id est a Deo Patre, habeo justitiam, quod sim justus, et justificans: habeo et imperium Ecclesiæ, et totius orbis, ut nemo sit fidelis Ecclesiæ civis, nemo justus, nisi quem ego justificavero; et quemcumque ego convertero et justificavero, ille sit fidelis et justus, atque a me in jus civicum Ecclesiæ cooptatus. Hoc est quod ait Christus: « Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra, » Matth. xxviii, 18; et ad Apostolos: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt, » Joan. xx, 23.

Quarto, alii putant hæc spectare ad fideles et Ecclesiam, q. d. Omnis fidelis sua lingua dicens « in Domino, » id est Dominum confitens et laudans, dicet: « Meæ sunt justitiæ » Evangelii, meum est « imperium » et regnum Christi, mea est ejus Ecclesia, non Judæorum. Ita S. Hieronymus. Secundus sensus optime cohæret cum præcedentibus, et videtur maxime genuinus ex phrasi Hebræa. Tè enim יְהוָה badonai, id est « in Domino, » est formula jurandi usitata Hebræis. Deinde primus, qui facilis est et appositus.

AD EUM (Christum Deum) VENIENT (ut curvent ei genu), ET CONFUNDENTUR OMNES (infideles et rebelles) QUI REPUGNANT EI. — Hoc fiet in die judicii. Hæc sunt verba Prophetæ probantis sententiam Dei: præcedentia enim sunt verba et sententia Dei.

26. IN DOMINO JUSTIFICABITUR, ET LAUDABITUR OMNE SEMEN ISRAEL. — Rebelles confundentur, ibuntque in ignem æternum: at Israelitæ, id est fideles, « in Domino, » id est apud Dominum, a Domino, coram Domino, « justificabuntur » per fidem Christi: aut potius justificabuntur, id est, justi publice declarabuntur, et coram toto mundo pronuntiabuntur, ut nemo condemnare audeat, quos Deus justificat et absolvit, ut ait S. Paulus. Hinc ab omnibus « laudabitur omne semen Israel, » ut etiam reprobi qui eos in hac vita despexerant, cogantur eos laudare, et dicere: « Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est! » Hæc est enim salus et lætas æterna, quam veris Israelitis, id est fidelibus, per Christum dandam promisit, vers. 17. « Semen Israel » vocat Israelis filios, non carnales, sed spirituales, puta fideles et sanctos. Vis illustria, laudabilis hujus seminis, non tantum genu, sed et cor et corpus et animam Deo curvantis, in eoque lingua sua jurantis, atque ejus justitiam, robur et imperium glorioso agone et victoria confitentis et decorantis, exempla? Accipe.

Exempla laudantium Deum etiam In Typanensi Mauritanie civitate, Hunericus rex Cyrillam Arianum Episcopum constituit. Cives eum et Arianismum execrati, Christumque Deum

confitentes, publice divina mysteria in domo una congregati, celebrare cœperunt. Cyrilla id significavit Hunerico, qui jussit in medio foro congregata omni provincia, linguas eis et manus dexterarum radicitus abscindi. Quod cum factum fuisset. Spiritu Sancto præstante, ita locuti sunt, et loquuntur, quomodo antea loquebantur, ait Victor Uticensis, lib. III *Wandal.*

Ibidem narrat Episcopum nomine *Habet Deum*, cum ab Antonio Ariano pedibus manibusque ligatis, oreque obturato ne lingua clamaret, per vim rebaptizaretur; deinde solutis vinculis ab eo audiret: « Ecce jam, frater Habet Deum, noster Christianus effectus es. Quid ultra facere poteris, nisi ut voluntati consentias regis? Cui Habet Deum: Illa est, impie Antoni, mortis damnatio, ubi voluntatis tenetur assensio. Ego fidei meæ tenax vœibus confitens crebris, quod credo et credidi, clamando, defendi. Sed et posteaquam catenis vinxisti, et oris januam oppilasti, in prætorio cordis, violentiæ meæ, scribentibus Angelis, gesta confeci, et lectitanda Imperatori meo transmisi. »

Idem postea apud Hunericum de persecutione exostulans: « Quid, ait, jam cum projectis habetis? quid cum eis quos exsilio relegastis, quotidie dimicatis? abstulistis substantiam Ecclesiis, patria domibusque privatis: sola anima remansit, quam captivitate contunditis. O tempora, o mores! universus hæc mundus intelligit, et ipse qui persequitur videt. Si fides dicitur, quam tenetis, quid veræ fidei membra tantis persecutionibus agitatis? Quid vobis cum exsilio nostro? Quid vobis cum egenis in sæculo, quorum est vita semper in Christo? Liceat saltem gaudere consortio bestiarum eis quos abjecistis a facie omnium populorum. » Audi aliud ex eodem.

Victorianus Proconsul Carthaginis, et familiaris regis Hunerici, cum a rege per internuntios sollicitaretur ad Arianismum, libera voce respondit: « Securus de Deo et Christo Domino meo, dico quæ regi dicatis, subigat ignibus, adigat bestiis, excruciet generibus omnium tormentorum; si consensero, frustra sum in Ecclesia baptizatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, et aliam; quæ vere est, non sperarem æternam, nec ita fecissem ad modicum usque temporaliter gloriari, et ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit creditori. » Ad quod tyrannus excitatus, inexplicabilibus eum tormentis cruciavit: qui tripudians in Domino, feliciterque consummans, martyrii coronam accepit.

Ibidem narrat S. Victoriam, ab eodem rege suspensam, cum abjecto igne cremaretur coram filiis et marito, ab eo hisce verbis fuisse tentatam: « Quid pateris, conjunx? si me despicias, vel horum quos genuisti miserere impia parvulorum. Quare oblivisceris uteri tui, et pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? ubi sunt fœdera conjugalis amoris? Respice, quæso, filios et maritum, regi obedi, ut imminetia adhuc tormenta

excisa
lingua
et in tor-
mentis.
Primum.

Secun-
dum

lucreris, simul et mihi doneris et liberis. » Sed illa, nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cum continuatione suspendii, vulsis humeris, qui cruciabant conspicerent mortuam, deposuerunt prorsus omni parte exanimem : quæ postea retulit, quamdam sibi virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, et illico fuisse sanata. O gloriosa Victoriæ victoria!

Sextam. Ibidem refert duos fratres invicem juravisse in fide constantiam, et rogasse tortores, ut eodem supplicio torquerentur, et dum primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis, tota die penderent, unus illorum petivit se deponi, et sibi inducias dari. Cui frater alius, metuens ne fidem negaret, e suspendio clamabat : « Noli, noli, frater ; non ita juravimus Christo. Accusabo te, cum

ante thronum ejus terribilem venerimus, quia super corpus ejus et sanguinem juravimus, ut pro eo invicem patiamur. » Ista dicens fratrem confortavit, qui clamans ingenti voce dicebat : « Adigite suppliciiis quibus vultis, et pœnis Christianos arctate crudelibus. Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego. » Itaque laminis igneis adusti, unguis exarati, aliisque gravissimis pœnis affecti, constantes steterunt, ita ut tortores et a facie sua projicerent, dicentes : Istos imitati universus populus, ut nullus ad religionem nostram convertatur, et præcipue, quia nulli livores, nulla pœnarum vestigia, in eis penitus videbantur. Hoc est quod dicit et prædicat hic Propheta : « In Domino justificabitur et laudabitur omne semen Israel. » Vere dixit S. Hieronymus : « Vita Sanctorum interpretatio est Scripturarum. »

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat Deus idola Babyloniorum suos cultores gravantia, cum iis confringenda et in captivitatem itura ; se vero suos curare et portare quasi ab utero usque ad senectam. Inde, vers. 5, redit de more ad disceptationem cum idolis et idololatris, eorumque inanitatem et inopiam demonstrat. Tertio, vers. 10, suum consilium assignat, promittitque Cyrum celerem quasi avem, qui voluntatem suam in Babylonis vastatione, et Judæorum ex ea liberatione adimpleat. Sub Cyro intelligit Christum.

1. Confractus est Bel, contritus est Nabo : facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. 2. Contabuerunt, et contrita sunt simul : non potuerunt salvare portantem, et anima eorum in captivitatem ibit. 3. Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a me a vulva. 4. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo : ego feci, et ego feram : ego portabo, et salvabo. 5. Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me, et fecistis similem ? 6. Qui confertis aurum de sacco, et argentum statera ponderatis : conducentes aurificem, ut faciat Deum : et procidunt, et adorant. 7. Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco suo : et stabit, ac de loco suo non movebitur : sed et cum clamaverint ad eum, non audiet : de tribulatione non salvabit eos. 8. Mementote istud, et confundamini : redite, prævaricatores, ad cor. 9. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. 10. Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet : 11. vocans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ, et locutus sum, et adducam illud : creavi, et faciam illud. 12. Audite me, duro corde, qui longe estis a justitia. 13. Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam (1).

1. CONFRACTUS EST BEL, CONTRITUS EST NABO. — Dixerat Deus cap. præced. tempore Christi con-

(1) In hoc capite, primo, pergit Propheta exponere felicitia consecraria, tum Cyri expeditionis contra Babylonem,

terenda esse idola, et vers. 24 : « Mihi curvabitur omne genu. » Hic id ostendit primariis Chaldæo-

tum potiori sensu regni Christi, clare prædicendo, ruinam idololatriæ et abjectionem idolorum futuram, 1, 2 ; quo-

rum et orbis idolis, scilicet Baal sive Bel, et Nabo, nimirum hæc a Cyro victore vastanda et diripienda esse, et multo magis hæc omniaque alia a Christo abolenda esse aureo Evangelii sæculo. Ipsi ergo insultat hic victor Deus. Vastitas enim deorum Babyloniorum, facta a Cyro, fuit typus vastitatis idolorum in toto mundo faciendæ a Christo. Unde pro *confractus est* hebraice est כרע *cara*; id est *curvatus est*, hoc est, brevi curvabitur a Cyro, q. d. Cyrus evertet Babylonem, tuncque Baal, cui Babylonii, et omnes gentes eis subditæ, curvare solent genu, eumque adorare, cogetur ipse Cyro et Deo vero curvare genu suumque dorsum, cum a Cyro in terram dejicietur et confringetur. Cyrus enim aurum et argentum, ex quibus conflatus est, rapiet, illudque per partes camelis imponet, ut transferat in Persidem. Porro, quod Cyrus fecit in Babylone, hoc Christus ejus antitypus faciet in toto orbe. Quis fuerit Bel sive Baal, dicam *Daniel. xiv, 2.*

NABO. — Fuit hic secundus Babyloniorum Deus, ita dictus, ut videtur, quod daret oracula. *Nabo* enim Hebraice et Chaldaice idem est quod prophetia, vel divinatio, inquit S. Hieronymus. Inuit hic Propheta Christum *Nabo*, id est oraculis idolorum, silentium impositurum. Cum enim ipsum Dei Verbum hominibus loqui cœpit in Christo, tunc obmutuerunt omnes Gentium loquaces dii, aut potius dæmones, uti fatetur Porphyrius apud Eusebium, lib. IV *Præparat. Evangel.* cap. I. Perperam Septuaginta juxta editionem Complutensium, item Cyrillus et Procopius, pro *Nabo* legunt *Dagon*: Nam et Hebræa, et Latina, et Græca, Septuaginta Romana habent *Nabo*: hic enim fuit deus Chaldæorum, *Dagon* vero Philistinorum. Porro videtur *Nabo* idem esse quod *Merodach*. Sicut enim hic Isaias ait: « Confractus est Bel, contritus est *Nabo* »: ita rem eandem significans Je-

rum inantiam et impotentiam opponit Deum ipsum ostendentem quantum a diis Babyloniis differat, per singularia materni amoris beneficia erga populum suum hac tenus præstita, et posthac præstanda, 3, 4.

Secundo, quæ cum ita sint, exponit ipse Deus ridendam hominum idola colentium stultitiam, et ad vivum depingit superstitionem ditiorum lautiorisque fortunæ hominum, quibus suppetebant facultates ad idola ex pretiosissimis metallis conflanda, 5-8.

Tertio, revocat idolorum cultores, quorum et plurimi Judæi consortes erant, ad meliorem frugem, commendata tum memoria factorum, tum prænotione et prædictione futurorum maxime per Cyrum, 9-11, et asseverando contra incredulos proximum prædictionis eventum, tum quoad Cyrum tum quoad Christum ejus typum. Nam, quamvis centum et sexaginta anni adhuc elapsuri erant usque ad finem Babylonicæ captivitatis, et septingenti ad minus anni usque ad Christi adventum, attamen Dominus dicit prope esse justitiam suam, sive quia sæculorum series ante Deum tanquam unus dies, et pro nihilo reputatur, sive quia spem populi confirmare volebat et illum ab idololatria avocare, sive tandem quia ista prophetia pro omnibus temporibus edita erat, et semper verum est dicere prope esse justitiam Dei, cum corda hominum ad illam recipiendam exhortari non cessat, 12, 13.

remias, cap. L, 2, ait: « Confusus est Bel, victus est *Merodach*. » Cujus rei signum est, quod *Balsasar* filius *Nabuchodonosoris*, sicut vocatus est *Merodach*, vel *Evilmerodach*, sic et vocatus est *Nabonitus*, vel *Labinitus*; litteræ enim N et L, cum utraque sit labialis, inter se sæpe commutantur. Nam solebant reges tam Judæorum quam Chaldæorum a diis suis nomen mutuari. Sic et *Jah*, quod est abbreviatum *Jehova*, annexum est nominibus *Abia*, *Ezechias*, *Josias*, *Ozias*, etc., regum Juda. Unde *Abia* idem est quod pater *Domini*; *Ezechias*, fortitudo Dei; *Josias*, ignis Dei; *Ozias*, robur Dei. Alii et *Jah* vel *Jehova* in nomine suo præponebant, ut *Josaphat*, id est Deus judex; *Joas*, vel, ut hebraice est, *Jehoas*, id est Dei ignis; *Joachim*, id est Dei resurrectio; *Joachaz*, id est Dei apprehensio; *Jonathan*, id est Dei donum. Sic a *Baal* vocatus est *Balsasar*, ut dicam *Daniel. v, 1.* Imo verisimile est *Nabuchodonosorem* nomen sumpsisse a *Nabo* deo, nisi malis *Nabo* esse ipsum *Nabuchodonosorem* per compendium abbreviatum. Voluit enim ipse adorari ut deus in statua aurea quam erexit, *Daniel. iii, 1.*

FACTA SUNT SIMULACRA EORUM BESTIIS ET JUMENTIS. — Hic aliquid supplendum est. S. Hieronymus, *Haymo* et *Hugo* suppleunt et *similia*. Sic enim ait S. Hieronymus: « Facta sunt simulacra eorum bestiis: non quod in prædam bestiarum et jumentorum exposita sint, sed quod religio nationum, simulacra sint bestiarum et brutorum animalium, quæ maxime in Ægypto divino cultui consecrata sunt: de quibus et *Virgilius*:

Omnigenumque Deum monstra, et latrator Anubis.

Nam et pleraque nomina oppidorum ex bestiis et jumentis habent nomina: κυνῶν, a cane; λέων, a leone; θμοῦτις lingua Ægyptia, ab hirco; λύκων, a lupo, ut taceam de formidoloso et horribili cæpe et crepitu ventris inflati, quæ *Pelusiaca* religio est: hæc, inquit, simulacra, quæ non possunt salvare portantes, nihil sunt aliud, nisi onera sacerdotum. » Hucusque *Hieronymus*.

Sic draco iste, quem occidit *Daniel*, cap. xiv, 22, pro Numine colebatur. Sic *Jupiter Hammonius* capri formam habebat, eratque caper. *Hammon* enim punice significat caprum, ait *Herodotus* in *Euterpe*. Unde pro *Nabo* Septuaginta hic vertunt *Dagon*. *Dagon* enim erat idolum Philistinorum habens formam piscis: דגון *Dagon* enim hebraice significat *piscem*, videturque *Dagon* habuisse speciem balænæ, aut marini alicujus monstri, quale est illud nobilitatum *Persei* et *Andromedæ* fabula, quod colebant pro Numine. Vide quæ de *Dagon* dixi *Philipp. iii, 19.*

Secundo, S. *Thomas*, *Forerius* et *Vatablus* suppleunt *imposita*, q. d. *Bel Nabo*, aliaque idola Chaldæorum, jam confracta, jumentis imposita, deportata sunt in Persidem.

Tertio, *Haymo* per bestias et jumenta intelligit *Belis* cultores. Hi enim nisi stolidi et stupidi fuis-

Rege
Iudeba
sibi n
men D
apud J
daos f
Babyle
nics.

sent instar brutorum, nunquam coluissent idola lignea, saxea, aerea et aurea.

Quarto, alii sic explicant, *facta sunt bestiis, id est calcata sunt a bestiis*; cum a Persis deserta et prostrata sunt. Persae enim alios colebant deos quam Babylonii, imo uti gentem, ita et deos ejus, suos censebant esse hostes.

Quinto, valde apposite Sanchez per zeugma repetit *onera, q. d.* Simulacra Belis et Nabo bestiis et jumentis facta sunt onera (cum scilicet Persae iis onerarent suos camelos, asinos et equos, ut ea transferrent in Persidem), quae prius fuerunt onera vestra, o Babylonii! eaque gravi pondere usque ad lassitudinem vos gravabant et fatigabant, cum scilicet illa vestris humeris portaretis. Id enim eos factitasse docet Baruch, vi, 3.

Sexto et planissime, Forerius, simulacra Chaldaeorum facta, vel, ut hebraice est, *fuerunt jumentis*, id est tradita sunt jumentis, fuerunt in potestate jumentorum, veluti sors eorum. Hoc enim Hebraea phrasis significat, cum dicitur aliquid esse, vel fieri alterius, scilicet esse in ejus potestate, vel esse in ejus jure et dominio: jumenta enim cum dorso continerent idola, habebant ea quasi captiva, in sua manu et potestate. Hunc sensum exigit id quod sequitur: « Anima eorum in captivitatem ibit. »

Vers. 2.

2. CONTABUERUNT, ET CONTRITA SUNT SIMUL. — *q. d.* Idola vestra quae portabatis usque ad lassitudinem, vobiscum simul curvata et confracta a Persis contabuerunt, perierunt et consumpta sunt. Perinde ac si asinus dorso ferat onus lagenarum, atque ab hoste protrusus corruat, itaque lagenas una secum confringat: hoc enim innuunt Hebraea. Unde et Biblia Complutensia haec praecedentibus neclunt hoc modo: *Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt, et contrita sunt simul.* Hinc et sequitur: « Non potuerunt salvare » a Persis « portantem se, » id est portantes ea Chaldaeos. Legit Noster *מַשֶׁה* *masse* in praeterito *hiphil*, id est *portantem*; jam aliis punctis legunt *מַשֶׁה* *massa*, id est *onus*. Unde Vatablus et Forerius vertunt: *Curvata sunt, incurvata sunt simul, non potuerunt evadere onus.* Intelligentque hoc de jumentis, non de idolis, *q. d.* Corruerunt illa jumenta onusta idolis, sub onere, neque onus ipsum potuerunt excutere.

ANIMA EORUM IN CAPTIVITATEM IBIT. — Id est, ipsamet idola quae idololatrae putant anima esse praedita, eo quod ex iis dentur oracula, quasi voce et mente polleant, abducentur in captivitatem a Persis. Ita Vatablus. Aut potius *animam* idoli vocat ipsum idolum, quod quia rei animatae est imago et idolum, hinc animam habere dicitur metonymice. Sic caro mortua quae aliquando vixit, vocatur anima, quia carni antea animatae similis est, et quasi eadem cum illa, uti dixi *Levit. xix, 28.* Sic anima hominis vocatur ipse homo. Ita Sanchez. Adde, anima idoli est daemone illi assidens, et quasi alligatus, ac per illud dans

oracula, *q. d.* Idolum totum cum suo daemone paretro capietur.

Aliter Forerius, qui haec refert ad jumenta, sicque vertit, *anima eorum cum captivitate abiit*: hoc est, jumenta sub tanto onere idolorum corrueantia exspirarunt, et animam efflarunt, sicut ipsa idola captiva cum jumentis corrueantia, confracta sunt: sicque abierunt, id est evanuerunt, perierunt, et quasi animam exhalarunt.

Tertio, S. Hieronymus: « Anima eorum, » scilicet idololatrarum vel sacerdotum portantium idola, « ibit in captivitatem. »

3. AUDITE ME, DOMUS JACOB, ET OMNE RESIDUUM (omnes ex captivitate superstites et reliqui) DOMUS ISRAEL, QUI PORTAMINI A MEO UTERO. — Pungit idola et idololatas, *q. d.* Idola saxea et aenea portantur a suis cultoribus, eosque delassant, ut sub onere gemant: at ego meos cultores ipse porto, ea cura et amore, quo infans portari solet a matre in utero.

Pro *a meo* hebraice est *מִיְמִי* *minni*, quod pro *מִיְמִן* *min*, id est *a*, accipiunt Septuaginta, Forerius et alii, ut *iod* sit hic paragogicum, vertuntque, *qui portamini a me ab utero*: id est quos ego porto a nativitate, qua ex utero prodierunt: hoc est a teneris usque ad canos, ut sequitur.

Secundo, significantius et efficacius Noster *minni* accepit proprie, ut significet *a me*: unde ad verbum ex Hebraeo sic veritas: *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.* Uterum et vulvam per catachresin et metaphoram vocat maternam Dei erga suos providentiam, tenerumque amorem et curam, imo plusquam maternam. Mater enim dat partem materiae corpori embryonis, sed nihil dat animae ejusdem; Deus dat utrumque totum, et in solidum: tam enim animam quam corpus format et creat.

Rursum, mater ex superfluo, scilicet ex sanguine menstruo, embryonem in utero, et lacte infantem postquam ex utero prodiit, alit et nutrit: Deus autem seipso nos alit et nutrit, idque continuo per omnem vitam, ab utero usque ad canos, ab ortu usque ad occasum et mortem. Ad haec Deus non tantum corpus, ut mater, sed et animam pascit sua gratia, doctrina, illuminatione, impulsu, et SS. Sacramentis, praesertim Eucharistiae.

Ad litteram loquitur Judaeis e captivitate non Babylonica, sed Assyriaca reliquis et superstitionibus, puta duabus tribubus, Juda et Benjamin: haec enim reliquae manserunt in Judaea, cum decem tribus a Salmanasare anno sexto Ezechiae ductae sunt in Assyriam. Hoc enim jam contigerat, cum haec diceret Isaias: Babylonica autem captivitas needum contigerat, sed post multos annos futura erat, *q. d.* O Judaei! ego vos, licet mihi rebelles, intime amo, et curo ab utero usque ad canos et senectam, perinde ac mater amat et curat infantem, quem utero gestat. Ita S. Hieronymus.

Vers. 3

Deus suos curat ab utero ad canos, quomodo?

Responsio prima.

Rursum «ab utero,» id est ab ortu Synagogæ, puta a tempore quo esse cœpistis, o Judæi! scilicet a tempore Abraham, Isaac et Jacob, ego vestri curam maximam gessi, et gero, alo, foveo, servo, libero. Hoc est quod dicitur *Exodi* xix, 4: «Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi.» Et *Deuter.* xxxii, 10: «Circumdixit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.»

Jam sub Judæis e captivitate reliquis intelligit sanctas eorum Gentiumque reliquias, quæ super fuerunt ex infidelitate, vel pristina patrum Gentilium, vel patria cæterorum Judæorum Christum spernentium; hos enim paucos et reliquos Christo credentes, Christus et Deus Pater ac Spiritus Sanctus, quasi mater in utero Ecclesiæ formant, alunt, fovent, educant, dirigunt usque dum ad salutem æternam in cœlo perveniant.

Quarta. Mystice, «ab utero,» id est a rudimentis doctrinæ cœlestis, quæ fuerunt in lege veteri usque ad perfectionem Evangelicam, Deus Ecclesiam et fideles suos rexit et direxit. Ita S. Augustinus, et ex eo Leo Castrus.

Hinc rursum S. Augustinus in *Psal.* cxii, 1, infert, nos omni ætate, a puero usque ad senium debere laudare Deum, quia semper et omni ætate tanta cura ab eo alimur.

Vers. 4. 4. USQUE AD SENECTAM, — *q. d.* Matres infantes usque ad tertium annum tantum lactant et gestant; mox ab ulnis et lacte eos depellunt, ut per se ambulare, et communes cibos comedere discant. Sic aves pullos jam potentes volare rostro e nido abigunt; idem faciunt equi calcibus, et canes morsu. At Deus suos non tantum in utero, et infantes, sed et grandes per omnem vitam usque ad senectam, eadem cura et indulgentia prosequitur, etiam cum peccant Deumque ad iram concitant. Porro infantia Synagogæ et Judæorum fuit tempore Abraham; juvenus, tempore Mosis; virilis ætas, tempore Davidis. Hucusque quasi mater, fovit, educavit, provexit eam Deus. Senecta fuit tempore captivitatis, nec hic eam deseruit; sed Jeremiam et Prophetas excitavit, qui eam monerent, docerent, consolarentur, ac paulo post e captivitate eos reduxit, cum jam perditum et excisum esse viderentur. Mors et occasus Synagogæ fuit tempore Christi, quo desiit et abrogata est; succedente illi Ecclesia Christi. Itaque quamdiu stetit ille populus, fuitque populus Dei, Deus quasi mater ejus curam gessit; cum vero desiit et occidit, desiit et cura Dei. Multo major est cura Dei et Christi circa Ecclesiam suam, quam sanguine suo emit et lavit, statuitque ut maneat in æternum: ac proinde æternam hujus curam geret. Quod Deus hic promittit, hoc David sibi postulat dicens, *Psal.* lxx, 6, 9: «In te confirmatus sum

ex utero; de ventre matris meæ tu es protector meus, etc. Ne projicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.»

EGO FECI (ego vos genui, ego alui, ego educavi, ego provexi), EGO (pariter) FERAM, — et portabo vos deinceps usque ad senectam, *q. d.* Non propter vestra merita vos hac cura complector, sed propter me, propter maternum meum in vos affectum. Sicut enim mater sordibus, ejulatu, lascivia, malitia, milleque fastidiis parvuli sui non offenditur, ut ejus curam abjiciat, sed hæc omnia materno affectu devorat, dicitque quod vulgo dicunt matres rogantibus: Quomodo hæc a puero toleras? «Mater sum, mater infanti suo irasci nequit,» imo hisce ejus ineptiis magis accenditur ejus erga illum amor. Et, si quis eam arguat, dicit: «Nescis quid sit esse matrem. Maternum cor quale et quantum sit ignoras. Matris affectum, quantus sit, nemo scit, nisi expertus; nisi quæ fuit, vel est mater.» Ita pariter Deus tulit murmura, idololatriam aliaque scelera populi sui, nec eum abjecit, sed majorem Dei amorem, majora exhibuit per Davidem, Salomonem aliosque reges, ac per Isaiam, Jeremiam, Eliam aliosque Prophetas beneficia.

Moraliter, discite hic quis, qualis, quantus, quam benignus et beneficus sit Deus, quamque ab omnibus redamandus et colendus. Moralis, quid est Deus?

Quid est Deus? «Est animal sempiternum et optimum,» ait Aristoteles lib. XI *Metaphys.*

Quid est Deus? «Est mens incorporea, quæ per omnium rerum naturam diffusa, vitalem sensum cunctis animantibus tribuit,» inquit Pythagoras apud Lactantium, lib. *De Ira Dei.*

Quid est Deus? «Est mens universi. Deus est quidquid vides totum, et quidquid non vides totum,» ait Socrates.

Quid est Deus? «Est animus per immensas mundi partes diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur, vitam capiunt,» ait Plato.

Quid est Deus? «Est mens infinita, quæ per seipsam movetur,» ait Thales Milesius.

Quid est Deus? «Est ineffabile principium, et omnium rerum origo: cujus potentia mundus creatus est: cujus providentia conservatur, et assidue gubernatur,» ait Theophrastus.

Quid est Deus? Est ens immensum, incogitabile et inexplicabile. «Quo diutius considero quid sit Deus, eo magis mihi eripitur Dei cognitio et redditur obscurior,» ait Simonides Hieronici Siculorum tyranno, post iteratas ab eo petitas ad cogitandum de Deo inducias; uti refert Cicero, lib. I *De Natura Deor.*

Audi Orthodoxos et Theologos. Quid est Deus? «Est infinitum bonum, a quo datur esse quadruplex, creationis, conservationis, recreationis et beatitudinis,» ait Dionysius.

Quid est Deus? «Est quo nihil melius, nec majus excogitari potest.»

Quid est Deus? «Est cujus posse non nume-

ratur : cujus esse nec principio nec fine clauditur : cujus bonitas, sapientia, pietas, justitia, liberalitas, prudentia non terminatur. »

Quid est Deus ? « Est increatum bonum, quod quo plus habetur, eo vehementius placet et re-creat. »

Vers. 5.

5. CUI ASSIMILASTIS ME, — fabricando idolum, quasi Deum alium mihi similem et æqualem, uti dixi cap. XL, 18 et 35. Perperam ergo ex hoc loco Calvinus, et e Catholicis Abulensis in cap. IV Deuter. Quæst. V; Durandus in III, dist. IX; Quæst. I.; Peresius, De Tradit. part. III De Imaginibus, ex hoc Isaïæ loco contendunt probare, fas esse facere imagines Sanctorum, Dei autem imaginem facere esse nefas. Vide dicta Deuter. v, 7.

Nota : Sicut zelotypus maritus identidem in adulterum corrivalem invehitur, et stomachatur; ille enim semper obversatur menti, bilemque ei commovet, eo quod unice amet et depereat suam uxorem, quam indigne fert alium ambire : ita Deus hic ex zelo, quo Ecclesiam et animas quasi sponsas suas vehementer amat, crebro in idola, eorumque opifices et cultores, quasi in adulteros, mentem, verba et tela sua intorquet. Pathos habent verba *me, et cui, q. d.* Scitis quis ego sum? quid idolum? Idolum truncus est et saxum, quod nihil opis vobis confert : ego sum, qui vos genui, pavi, evexi a puero, et continenter pasco et eveho; quomodo ergo me comparatis idolis? quomodo idola mihi adæquatis, imo præfertis, meamque providentiam et divinitatem mihi adimitis, et in idola transfertis? (Idem sibi dictum a Deo putet quilibet peccator, qui suum sibi cupiditatis pingit idolum.) Judæi enim, hoc tempore sub Achaz et Ezechia, valde proclives erant in idola, et magis futuri erant paulo post, tempore Manassis, ideoque vastandi et captivandi a Babyloniis, itaque in ipsa Babylone, ejus idola erant culturi, ut ait Jerem. XVI, 13. Hac ergo de causa toties in idola insurgit hic Deus, ut Judæos ab iis avertat : et ne obijciant felicitatem Babyloniorum hoc tempore dominantium, quasi hoc imperium a suis idolis acceperint; prædicat tam Babylonis, quam deorum ipsius excidium.

Vers. 6.

6. QUI CONFERTIS AURUM DE SACCULO, — *q. d.* Videte bellos vestros deos, a quibus et quomodo fabricentur, scilicet, vos ipsi eos formatis et cuditis : nam de marsupio profertis aurum, et argentum ad stateram appenditis conflatori, ut ipse ex eo idolum conflet, quod ejusdem sit ponderis, ut nimirum certi ponderis a vobis dati deum recipiatis.

Vers. 8.

8. ET CONFUNDAMINI. — Hebraice *חִטְסָסָה* hitoscusu, quod recentiores ab *יִשׁ* isch, id est vir, deducunt. Unde primo, Leo Hebræus vertit, et corroboremur; secundo, Forerius et Vatablus: Præstate vos viros, hoc est, ostendite vos valere recto judicio, et linquite idololatriam; tertio, Pagninus et Forsterus: Sitis fortes ut fundamenta. Unde Forerius putat textum Latinum hic esse corrup-

tum, et pro *confundamini* legendum esse *fundamini*, id est tanquam fundamenta in corde ponite, hoc est alta mente reponite. Verum fallitur Forerius; omnia enim exemplaria, etiam Romana, legunt *confundamini*. Ita enim recte vertit Iuterpres. Nam Hebræum *hitoscasu*, deduxit non ab *isch*, sed ad *יִשׁ* esch, id est ignis. Unde *hitoscasu* idem est quod, *sitis rubei ut ignis*, hoc est erubescite, et confundamini; quocirca Septuaginta vertunt, *στυβάετε*, id est *ingemiscite*.

REDITE AD COR. — Hebraice *חַשְׁבוּ עַל לֵב* *hascibu al leb*, id est *reducite ad cor*, revocate in mentem, quod vos creaverim, educaverim, portaverim; idola vero creentur et portentur a suis cultoribus. Apposite S. Gregorius, XXVI Moral. xxiii: « Quid, ait, vicinius nobis est corde nostro? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur? Longe ergo Propheta prævaricatorem mittit, cum eum ad cor suum redire compellit; quia quo se exterius fudit, eo ad se unde possit redire, vix invenit. » Quin et Seneca dixit: « Mali ubique sunt præterquam secum. »

Moraliter, hic locus docet sæpe in memoriam reducenda et revocanda ac meditanda esse Dei beneficia: horum enim meditatio mire valet ad torporem excitandum, mentem Dei cognitione, æstimatione et amore inflammandam, vitamque recte instituendam, hoc est redire ad cor, scilicet secum versari, meditari ea quæ Dei et salutis sunt, non ad res mundi vagari et diffluere, quæ a Deo, et seipsa mentem abducunt. Ibi in seipsa videt mens, quis, qualisque sit tum ipsa tum Deus, quæ et tanta a Deo acceperit, et in dies, imo in singulas horas et momenta accipiat. Ibi videt Dei bonitatem et magnificentiam, quod non sit similis illi in orbe, quod ille solus mentem pascat et satiet, cætera omnia irritent tantum et lancinent. Hoc sapiebat Psaltes dicens: « In meditatione mea exardescet ignis. » Vide S. Bernardum in lib. De Consider. d. Eugenium Pontificem.

Mali ubique sunt præterquam secum. Morale, de jugi memoria Dei.

Ita Tobias præcepit filio, cap. IV, vers. 6: « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, » et vers. 20: « Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. »

Ita S. Dominicus, ut habet Auctor Vitæ, lib. IV, cap. II, assidue in mente habuit Deum, « atque tam domi quam in itinere semper voluit aut de Deo, aut cum Deo colloqui, raro alias loquens: » hinc tanta linguæ in eo custodia, et præmeditatio; « testatique sunt viri perfecti, qui multo tempore apud ipsum vixerant, non fuisse dolum in ore ejus, nec ab eo profectum fuisse unquam verbum otiosum, aut noxium, aut obrectatorium, vel adulatorium. Si quis ei maledixisset, ille contra benedicebat. » Hinc « et tanta ejus comitas et affabilitas. Unde et ipse tria præcipue voluit a suis observari. Primo, ut semper de Deo vel cum Deo loquantur. Secundo, ut iter agentes, non fe-

rant apud se pecuniam. *Tertio*, ut nullas unquam recipiant temporarias possessiones : hæc enim sunt quæ cor mundum, et a curis liberum, et ad divina meditanda expeditum efficiunt. » Ibid. cap. XI : O felices, o perfectos, o Angelos qui semper de Deo, aut cum Deo colloquuntur ! Ita S. Bernardus in *Meditat.* cap. VI : « Omne, inquit, tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse. » Et mox : « Mens sapientis semper est apud Deum. Illum semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus et sapimus. Ipsum namque ut essemus habemus auctorem : ipsum etiam ut sapiamus, debemus habere doctorem : et, ut beati simus, suavitatis largitorem. » Et paulo superius : « Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. »

9. RECORDAMINI PRIORIS SÆCULI, — scilicet quanta promiserim, prædixerim et præstiterim patribus vestris; inde videbitis me esse Deum vestrum quem patres vestri coluerunt. Idem nunc dicamus hæreticis, qui novi sunt, et religionem fidemque novam prioribus sæculis inauditam in orbem inducunt. Præclare S. Hieronymus, epist. ad *Pammachium et Oceanum* : « Quisquis, inquit, assertor es novorum dogmatum, quæso ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolorum ore laudata est. Cur post quadringentos annos (audi, Luther; audi, Calvine, qui post 1500 annos fidem canam novare vultis) docere nos niteris, quod antea nescivimus? usque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit. » Eisdem interrogat Tertullianus, lib. *De Præscript.* : « Qui estis vos? unde et quando venistis? ubi tam diu latuistis? » Et Optatus, lib. II *Contra Parmen.* : « Vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. » Et Hilarius, lib. VII *De Trinit.* : « Tarde mihi hos piissimos doctores ætas nunc hujus sæculi protulit, sero hos habuit fides mea quam tu (o Christe) erudisti : inauditis ergo iis in omnibus, in te credidi. »

10. ANNUNTIANS AB EXORDIO NOVISSIMUM, — *q. d.* Ego sum qui ab exordio tum mundi, tum Synagogæ prædixi quæ novissimis, id est posterioribus, temporibus futura erant, v. g. *Genes.* III, 15, prædixi, quod mulier per suum semen, id est Christum, contereret caput serpentis. Abrahæ prædixi posteritatem numerosam instar stellarum cæli, possessionem Chananææ, ortum Isaaci et Christi, etc.

DICENS : CONSILIUM MEUM STABIT. — « Dicens, » id est dicendo faciens : Dei enim dicere (cum sit efficax) est facere. Unde efficaciter vertit Vatablus : *Qui dico, et consilium meum ratum est, et quidquid volo facio.*

11. VOCANS AB ORIENTE AVEM. — Cyrus cum suo exercitu vocatur *avis* : *אֵיב* ait, id est *avis*, aut potius, *collectio et turba avium rapacium*, quæ celeri-

ter et cum impetu in prædam involant : sic enim involarunt Cyrus et Persæ in Babylonem. Simili modo Nabuchodonosor vocatur aquila grandis involans in Judæos aliasque Gentes, *Ezech.* XVII, 3; *Jerem.* XLIII, 40. Vide ibi dicta.

Secundo, Cyrus vocatur *avis*, quia in vexillo præferebat aquilam auream expansis alis, teste Xenophonte, lib. VII *Cyripædiæ*. Unde hoc signo deinceps usi sunt reges Persarum, et postea Romani.

Tertio, Arias per *avem* accipit solem, qui velocissimus est instar avis. Cyrus enim persice idem est quod sol, qui serenus et jucundus Judæis in tenebris captivitatis affulsit. Verum hic sensus alienior est.

Venit hæc avis « ab Oriente, » id est ex Persia, quæ Babylo ni est ad Orientem.

Aliter Cyrillus, qui per *avem* accipit Nabuchodonosorem, et Chaldæus, qui per *avem* intelligit Judæos; vertit enim : *Judæos quasi avem a captivitate Babylonica reducam.* Unde et Arabica versio, quæ in Vaticano exstat, habet : *Et vocabo eos qui sunt in ortubus (Oriente), et venient velocius ave : et adducam virum, qui jam fecit voluntatem meam, de terra longinqua.*

Mystice avis hæc est Christus qui « visitavit nos oriens ex alto. » Ita Cyrillus et Hieronymus, qui rursus per aves accipit Angelos : hi enim quasi aves celerrime per orbem propter electos discurrunt.

ET DE TERRA LONGINQUA VIRUM VOLUNTATIS MEÆ. — Per hunc *virum* Vatablus non Cyrum, sed Christum accipiunt. Verum alii passim accipiunt Cyrum : Cyrus enim voluntatem et consilium Dei, puta justitiam vindicativam, in Chaldæos exercuit, ad Sionis, id est Judæorum gloriosam salutem et liberationem. Multo magis Christus fuit vir voluntatis divinæ, qui Dei voluntatem in redemptione Ecclesiæ plene adimplevit. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo et alii.

ADDUCAM ILLUD, — scilicet consilium, quod præcessit, de vocanda ave ab Oriente, et viro voluntatis meæ.

12. AUDITE ME (o Judæi in Babylone, qui estis) DURO CORDE, QUI LONGE ESTIS A JUSTITIA, — vel quia a Deo et virtute ad Babyloniæ idola et scelera declinastis; vel potius justitiam hic non Judæorum, sed Dei, puta in promissis fidelitatem, intelligit, *q. d.* Arguitis me, o Judæi! quod justitiam, id est fidem et promissa de vestri liberatione, non servem; putatis enim vos longe ab eâ abesse, videmini vobis in æternum detrusi carcerem; sed fallimini : nam licet duro sitis corde, et mereamini ut ego fidem et promissa revocem, tamen id non faciam, quinimo :

13. PROPE FECI JUSTITIAM MEAM (Ecce enim Cyrus quasi avis mox advolabit, qui meam justitiam, id est fidem, præstabit, vosque Babylone liberabit; unde et per eum) DABO IN SION (vel Sioni, id est Sionidis, puta Judæis) SALUTEM, ET IN ISRAEL (vel Israeli) GLOBIAM MEAM. — Fuit enim hæc glo-

cur?
Primo.

riosa et magnifica Israelis liberatio. Ita S. Hieronymus, qui cum aliis docet, hæc longe verius competere Christo Cyri antitypo: Christus enim Sioni, id est Ecclesiæ, veram et æternam attulit justitiam, salutem et gloriam. Nota *τὸ prope feci.* Cum enim Christus propinquat, tunc propinquat et justitia et salus nostra, æque ac gloria Dei. Hæc enim

simul procedunt, et pari passu simul vel accedunt vel recedunt: quantum enim distas a Christo, tantum distas a justitia, salute et gloria Dei; quantum ad ipsum, tantum et ad hæc accedis: rursum, quantum ad justitiam, tantum ad Christum accedis vel recedis: idem est de salute et gloria Dei.

Pari passu incedunt Christus, justitia, salus et gloria Dei.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promiserat Judæis in fine capituli præcedentis, salutem per Cyrum. Nunc, quoniam ea ipsis obventura erat per Babylonis excidium, ad illud redit. Inducit ergo Babylonem quasi reginam plenam deliciis, luxu ac fastu lateque dominantem, eamque solio dejiciendam, atque ancillæ vilis, pauperis et captivæ sortem subituram prædicit. Inde causam aperit, scilicet, peccata ejus tria. Primum, crudelitatem in Judæos, vers. 6. Secundum, fastum et arrogantiam, vers. 8. Tertium, divinationes et incantationes, vers. 9. Quocirca magos et augures nihil ei profuturos, sed cum ea exurendos prædicit.

1. Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra: non est solum filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera. 2. Tolle molam, et molem farinam; denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. 3. Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam, et non resistet mihi homo. 4. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israel. 5. Sede tacens, et intra in tenebras, filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultra domina regnorum. 6. Iratus sum super populum meum, contaminavi hæreditatem meam, et dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias: super senem aggravasti jugum tuum valde. 7. Et dixisti: In sempiternum ero domina: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. 8. Et nunc audi hæc, delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, et non est præter me amplius: non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. 9. Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas et viduitas. Universa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. 10. Et fiduciam habuisti in malitia tua, et dixisti: Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo: Ego sum, et præter me non est altera. 11. Veniet super te malum, et nescies ortum ejus: et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repente miseria, quam nescies. 12. Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. 13. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, et salvent te augures cæli, qui contemplantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. 14. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: non liberabunt animam suam de manu flammæ: non sunt prunæ quibus calefiant; nec focus, ut sedeant ad eum. 15. Sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras: negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt; non est qui salvet te (1).

1. DESCENDE (de tuo monarchali throno ac fastu, olim regina, nunc ancilla captiva), SEDE IN PUL-

VERE (instar mancipii), VIRGO FILIA BABYLON, — id est, o Babylon tenera et delicata instar filiæ vir-

(1) Capituli superioris versu extremo Deus populo suo spem fecerat certissimam liberationis imminentis, jam apertius vindictam describit quam sumpturus sit de Bæ-

lyloniis qui illum in potestatem suam redactum inclementer habebant, et imperiose tractabant. Quod argumentum Propheta ita exsequitur, ut Deum inferat per

ginis. Vide *Can. XVIII*. Ita Judæa subacta a Vespasiano in nummo ab eo cuso pingitur, quasi ancilla in terra sedens. Per Babylonem intelligit Babylonios, viros et feminas (1).

SEDE IN TERRA. — S. Cyrillus legit, ἐν τῷ σκότει, *sede in tenebris*.

NON EST SOLIUM FILIÆ CHALDÆORUM, — id est Babylonii, quæ genita, id est ædificata, hoc est restaurata, mire amplificata et ornata est, a Nabuchodonosore Chaldæo, ut ejus videatur esse filia; nam ante eum Nemrod, et post eum Semiramis, primo ædificarunt Babylonem: de quo *Daniel. cap. iv, vers. 27*.

Secundo, simplici hebraismo Babylon vocatur *filia Chaldæorum*, id est filia Chaldæa. *Filia*, quia tenera, ut dixi; *Chaldæorum*, quia in Chaldæa erat sita. Simili modo ipsa vocatur *filia Babylonis*, id est filia Babylon, urbs Babylon. Sic enim dicimus: Urbs Venetiarum, Parisiorum, id est Venetiæ, Parisii; Provincia Hispaniæ, Italiæ, Angliæ, etc., id est ipsa Hispania, Italia, Anglia.

Vers. 2.

2. TOLLE MOLAM, ET MOLE FARINAM, — *q. d.* Capieris, o Babylon! addiceris servituti et relegaberis ad pistrinum. Eo enim ad molendum relegabantur olim servi et ancillæ, quasi in ergastulum. Ita Cyrillus. Hæc ergo phrasis significat extremam, vilissimam et miserrimam servitutem, ut notum est captivis apud Turcas et Mauros, et patet *Exodi xi, 5*. Aliter hæc Hebræi, et ex iis S. Hieronymus, explicant, scilicet de violatione et stupro (2).

apostrophem Babylonem compellantem, eique ornata oratione prædicentem extrema mala justo suo iudicio illi infligenda, ut videre est in supra posita Cornelii a Lapide synopsis.

(1) Societates omnes apud Hebræos amant genus femininum, et censentur populi et urbium incolæ civitatem aut rempublicam habere *matrem*, tanquam ex ea et in ea nati, nutriti et adulti, Cf. *Psal. LXXXVII, 5*; infra *LXVI, 8*; *Jerem. I, 12*. Cf. Lowthium, *De sacra Hebræorum Poest.* Prælect. XIII. (Rosenmuller.) Qui sensus non excludit interpretationem a Cornelio datam. Aliam dat Kimchius, scilicet, quod tunc temporis inexpugnata et illæsa manserat ab irruptione hostili.

(2) Alludit Propheta ad molas manuaris, quales erant omnes molæ in Oriente; nam asinariæ multo recentiori ævo inventæ sunt, *Math. xvii, 6*; et quas servæ solitæ erant versare, ut patet ex illo *Exodi* loco, *xi, 5*, ubi cum supremæ dignitatis viris opponuntur infimæ conditionis homines, nominatur ancilla alligata molæ ad opus pistorium. Hinc Samson a Philistæis captus molæ manuaris alligatus narratur *Judic. xvi, 21*. Cf. *Odys. vii, 103* et seqq. *xx, 105* et seqq. Familiaris Hebræorum mola, inquit Jahn, vix differebat ab ea quæ adhucdum in Oriente et Ægypto usitata est, et duobus orbicularibus lapidibus diametri duorum pedum, et crassitudine dimidii pedis, absolvi- tur...; adaptatum est superiori lapidi manubrium, quo circumvolvitur. Mola olim plerumque a duabus sortis infimæ ancillis circumgebatur, quæ facie sibi obversæ sedentes, mediam habebant molam, ut altera lapidem manubrio moveret, et altera mox apprehenso manubrio eum plene circumageret, *Exod. xi, 5*; *Job xxxi, 10, 11*; *Isai. XLVII, 2*; *Math. xxiv, 41*. Labor erat molestus, ad quem nonnunquam etiam hostes capti ad inurendam ignominiam, damnabantur, *Jud. xvi, 21*; *Thren. v, 13*. (Jahn, *Archæol. Bibl. part. I, cap. ix.*)

Moraliter, hæc omnia fuse et minutim expendit, et animæ peccatrici adaptat S. Gregorius, VI *Moral. xi*, ubi inter cætera ait: « Molam tollere, ac farinam molere jubetur. Mola in gyrum ducitur, et farina profertur. Unaquæque autem mundi hujus actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit: atque ex se quasi farinam projicit, quia sæducto corde, semper minutissimas cogitationes gignit. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus, lucris mundi inhiet, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones hujus sæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indeficienter appetit, dumque alias relinquit, alias assequitur, quasi de flumine semper ad flumen tendit. »

DENUDA TURPITUDINEM, — non pudendorum, uti explicat S. Hieronymus, et favet Symmachus, dum vertit: *Denuda taciturnitatem tuam*, id est quod taceri debet præ verecundia: sed capitis et comæ. Hanc enim significat Hebræum *צממת* *tsammat*, *Can. iv, 1, q. d.* Nudaberis tua coma, et decalvaberis, itaque apparebit tua turpitudine, puta calvitium. Hoc est enim quod Sionidis virginibus minatus est Deus, *cap. iii, 17*: « Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion. » Ita Sanchez, qui cum Luisio Legionensi *Can. iv, 1*, per *tsammat* accipit *capillos* sive *cæsariem* oculos velantem, eisque involitantem.

Secundo, Hebræum *tsammat* aptius Forerius, Vatablus et Forsterus vertunt, *constructorium*, sive *fasciam*, qua comæ et cincinni constringuntur ne diffuant. Unde Forerius vertit, *explica fasciam tuam*; Vatablus, *dissolve cincinnos tuos*, ut scilicet fascia, vel vitta ablata capilli turpiter spargantur et diffuant, uti fit in ancillis captivis, vel rusticanis, aut lugentibus. Unde et Septuaginta vertunt: ἀποκάλυψαι τὸ κάλυμμα σου, *revela operimentum tuum*; *revela*, id est denuda et tolle. Radix enim *צממ* *tsammat* significat *constringere*, ut patet *Thren. cap. iii, 53*; et pluribus exemplis ostendit Forsterus, licet Pagninus velit significare, excidere, succidere. *Tsammat* ergo est velamen, puta vitta, tænia vel fascia velans capillos, aut oculos et faciem (3). Unde Noster, *Can. iv, 1*, cum de oculis dixisset: « Oculi tui columbarum, » scilicet clari et nitidi subdit: « Absque eo quod intrinsecus latet, » hebraice est *tsamma*, *q. d.* Non solum spon-sæ oculi, visus et aspectus elegans erat ex nitore, sed etiam ab eo « quod intrinsecus latet, » id est, ex eo quod oculi latebant sub velamine (quale gerunt matronæ nobiles, ita ut frons earum non appareat, oculi tantum per orbiculos, quasi per fenestellas prospiciant); inde enim quasi gemmæ aut adamantes emicare videbantur, atque quasi ex insidiis incautos adoriri, eosque vulnerare: lumina enim oculorum ita recondita habebant

*Tsam-
mat
quid?*

(3) *צממ* est *operimentum*, *tegumentum*, præsertim capitis, sive vultus, quo in Orientis regionibus omnes feminæ honestiores, uti solent, carentque eo solæ infimæ et ancillaris conditionis feminæ. (Rosenmuller.)

ingens decus, et quasi ex arcano quodam lucis radios ex se, tanquam tela quædam jacere et vibrare videbantur. Uti explicat Luisius Legionensis. Sic comœdiæ, quæ in tenebris ad facies exhibentur, plus videntur habere decoris et majestatis; nam personæ, omniaque in tenebris apparent augustiora et illustriora, quam revera sint. Sic et musica eminens audita delicatior videtur, et quasi cœlestis; videtur enim ex arcano prodire; atque delicata est et subtilis, ut aures alliciat, non impleat.

DISCOOPERI HUMERUM, — tum ad nuditatem et ignominiam, tum ut plagas et verbera Persarum nudo humero et dorso excipias. Hac enim de causa mancipia in triremibus sedent nudo dorso (1).

REVELA CRURA, TRANSI FLUMINA, — *q. d.* O Babylon regina! depones tuum regium longumque syrma, curtas vestes quasi ancilla indues, ut Euphratis rivus a Cyro factos, aliaque flumina pede transeas, cum captiva duceris in Persidem. Ita S. Cyrillus (2).

Vers. 3. 3. **REVELABITUR IGNOMINIA TUA**. — « Ignominia, » id est ignominiosa nuditas. Rursum « ignominia, » id est occultæ sordes, vitia, stigmata et probra. Alludit enim ad mulieres menstruo, lue venerea, aliove dedecore, putore vel vitio laborantes, aut male olentes, quæ, ut hoc tegant, solent vestes splendidas, et muscho odoratas induere, iisque se ornare; sed dum fucus hic et ornatus tollitur, apparet earum vitium et probrum. Ita Sanchez. Vere enim dixit Poeta: « Posthume non bene olet, qui bene semper olet. »

Vers. 4. 4. **REDEMP TOR NOSTER**. — Per parenthesin hæc

(1) Hieronymus vertendo, *discoopert humerum*, respexisse videtur ad radicem סבּל, *bajulavit*, coll. *Genes. XLIX, 15, וישבמו לנסל*, *inclinavit humerum suum ad portandum*, vid. et *Jesaj. IX, 3*. Huic proximus Saadias, qui verba nostra, et *nuda brachium tuum* vertit. Vitringa quoque nil rectius et emblematis convenientius existimat, quam si סבּל intelligatur de ea brachii parte, quæ a cubito decurrit ad palmam, quia verbum וישבמו hic illi junctum *Ezech. IV, 7*, de *brachio districto nudatoque* dicitur. Solent autem Orientales honestioris conditionis, addit Vitringa, etiam feminæ, brachium usque ad juncturam manus arcta veste interiore tectum habere; quod secus se habuit in ancillis et servis molesto opere distentis.

(Rosenmuller.)

(2) Et revera vestes longo syrmate præditas in Orientis regionibus etiamnum homines, opulentia et dignitate insignes gerere solent. Hoc loco regina, solio deturbata et serva abducenda jubetur vestem suam colligere et retrahere, ut nudentur crura, quod significatur verbis, *denuda crura, transi flumina*, non quod regina, ancilla jam facta, captiva in Persiam abducenda esset, ut nonnulli ex Hebræis interpretes volunt, neque enim docet historia, neque etiam probabile est, populum Babylonium alio translatum esse; sed referendum est hoc ad conditionem servilem, eamque abjectissimam. Solent enim in partibus illis Mesopotamiæ et Assyriæ, quas Euphrates et Tigris adluunt, feminæ vilioris conditionis, illorum fluviorum alveos, si res postulet, vel nudatis cruribus transire, vel exuta veste nudæ plane ac discoopertæ eos tranare.

(Rosenmuller.)

claudenda sunt. Propheta enim audita Dei de Babylonis vindicta, subito et obiter ad Deum de more gaudens avolat, *q. d.* O Israel! hanc vindictam de Babylone faciet propter nos, ut scilicet nos redimat et liberet Deus noster, cujus nomen est, Sanctus Israelis, hoc est Deus Israelis: nomen enim Dei est *Sanctus*. Nota hic affectum patris benigni in Deo erga Judæos; nam antequam Judæi in Babylonem eant, prædicit eorum liberationem, et Babylonis excidium, quasi nullo modo induci possit ad castigandum Ecclesiam et populum suum, nisi simul etiam definiat qua ratione et quando eam sit liberaturus. Ita Forerius.

5. **SEDE TACENS, ET INTRA IN TENEBRAS**. — Per silentium et *tenebras*, accipe captivitatem, et carcerem, vel statum et locum mortuorum; hic enim hebraice vocatur דומה *duma*, id est silentium, et umbra mortis. Unde et Virgilius, lib. VI *Æneid.* :

Di, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, et Phlegeton, loca nocte silentia late, etc.

Ita Forerius.

Aliter Sanchez, qui putat per hæc significari orbitatem; alludi enim ad matronam nobilem olim et gloriosam, quæ nunc orbata marito et filiis tenebras amat et solitudinem, ibique se perpetuo silentio et angore tradit, uti de Hecuba tradunt Tragici. Huc alludit S. Joannes, *Apoc. XVIII, 7*, loquens de Babylonis excidio: « Quantum, ait, glorificavit se, et in deliciis fuit: tantum date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit: Sedeo regina: et vidua non sum: et luctum non videbo. »

6. **IRATUS SUM SUPER POPULUM MEUM**, — *q. d.* Israheli iratus fui ob ejus scelera, ideoque eum tradidi castigandum Chaldæis; at illi eum non castigarunt, sed enecarunt: ergo et ipsos non castigabo, sed enecabo. Hic assignare incipit causas excidii Babyloniorum: primamque hic dat, scilicet crudelitatem in Judæos.

CONTAMINAVI HÆREDITATEM MEAM. — « Contaminavi, » primo, hoc est contaminatam declaravi per supplicia, et captivitatem, quam ei ob scelera imisi. Sic enim sumitur *contaminare* pro contaminatum declarare, *Levit. XIII, 20, 25, 27 et 30*. Secundo, « contaminavi, » id est a contaminato meritis pœnas exegi, sive contaminatum culpa contaminavi pœna, puta sordibus, plagis et sanguine eum infeci et maculavi. Ita Sanchez. Tertio, « contaminavi, » id est, ex terra sua et sancta transtuli eum in terram idololatrarum, ut populus, olim fidelis et sanctus, jam censeatur profanus, pollutus et contaminatus, quia degit inter incircumcisos, profanos, pollutos et contaminatos. Ita Vatablus. Sicut enim profanari dicebatur sacerdos, si rem immundam tangebatur, ita res sancta (puta Israel) censebatur profanari, si ab immundis tractaretur. Hic sensus valde appositus est. Cui adde quarto, « contaminavi, » vel profanavi, « hæreditatem meam » populum meum hæreditarium, scilicet

Vers. 5.

Vers. 6.

Causa excidii Chaldæorum. Prima, crudelitas.

Contaminare quadruplex.

Judæos), hoc est, eam quasi rem quæ suam sanctitatem amisit, factaque est publica, communis et immunda, infidelium Babyloniorum violentiæ, injuriæ et cædi exposui. Hebræum enim ^{לכל} *chil lel* significat rem contaminare, profanare, et communem facere. Cum enim est sancta, est propria Deo, nec potest ad profanos usus applicari; cum vero polluta est, fit publica et communis. Hinc *commune* vocant Hebræi, id quod sanctitatem amisit, quod est immundum, profanum et pollutum. Unde *Actor. x, 15*, Petro dicitur: « Quod Deus purificavit, tu commune (id est immundum) ne dixeris. » Et communicare, sive commune facere, est coinquinare, *Marc. vii, 15*: « Quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant (id est coinquant) hominem. » Et vers. 18: « Omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare, » id est inquinare. Similia sunt vers. 20 et 23.

NON POSUISTI EIS MISERICORDIAS. — Immisericorditer, o Babylon! tractasti Judæos; hinc pari modo tractaberis a Persis. Tu non pepercisti senibus, pueris, virginibus, statui, ætati aut sextui, ut patet *Thren. v, 11*, nec Persæ parcent tibi. Senum meminit, quia canities venerabilis est et miserabilis, atque reverentiam et misericordiam etiam ab hoste infenso extorquere solet.

7. ET DIXISTI: IN SEMPITERNUM ERO DOMINA. — Secundum hoc est Babylonis crimen, et causa excidii, scilicet fastus et arrogantia, atque Numinis et divinæ providentiæ oblivio (hæc enim fere fastum comitatur); quasi per se ita esset valida, tamque potenti solio consideret, ut inde nulla vi, nullis armis dejici posset, nequidem a Deo.

NON POSUISTI HÆC SUPER COR TUUM, — scilicet, quod Israel esset populus meus, et sancta mea hæreditas, quodque eum tibi leviter tantum castigandum, non exciendendum tradidissem, atque, si secus faceres, ego te pariter excinderem.

NEQUE RECORDATA ES NOVISSIMI TUI. — Hebraice *novissimi illius*, id est illorum, *q. d.* Non es recordata quid post omnem illam tuam (unde docte *Interpressensum* sequens vertit, *novissimi tui*) crudelitatem, æque ac gloriam et pompam, esset secuturum, scilicet quod non esset in æternum duratura, ut tu jactabas, sed brevi finienda et convertenda in extremam ignominiam et calamitatem. Unde Septuaginta vertunt, *non es recordata novissimorum*.

Hæc est stupenda incogitantia et imprudentia filiorum hujus sæculi, ut futura non cogitent, ut mortem, infernum et novissima non prospiciant, ut suam fortunam, opes et gaudia putent semper duratura.

Sic vivunt homines, tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Merito ergo eis in inferno insultabunt dæmones: « O infelix anima! hæc scivisti; et, cum facile posses, non evitasti, non es recordata novissimi

tui. » Hæc legimus, hæc credimus; et tamen, quasi ad nos non pertineant, transimus, inimus vias antiquas, mores et vitam in melius non commutamus: o stupor! o cæcæ! o insensatæ mentes hominum! Et quare? quia hæc non ponderamus, non penetramus, non apprehendimus, uti rei gravitas poscit; quia crebra et diutina meditatione hæc mente non volvimus, non versamus, non vive nobis representamus. Qui sapiis ergo, hæc jugiter meditare. Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. **ÆTERNITATEM COGITA.**

8. EGO SUM, ET NON EST PRÆTER ME AMPLIUS, — *q. d.* Nihil est in toto orbe opulentum, pulchrum, nobile, splendidum et gloriosum, quod in me non sit: nihil est quod quis in mundo videre desideret, ubi me viderit: in me est summa totius elegantiae, felicitatis, opulentiae, deliciarum, imperii et gloriæ. Hoc certe dicere, solius est Dei. Quare perperam sibi hoc arrogat creatura, jureque meretur omnibus privari, et excindi. Ita Forerius.

Secundo, Sanchez censet Babylonem hic quasi deam vocitare et ostentare. Sic enim Deus passim hic se vocat: « Ego Dominus, et non est amplius, » cap. XLIII, vers. 11; cap. XLIV, vers. 6; cap. XLV, vers. 5; cap. XLVI, vers. 9, ut alludat ad Nabuchodonosorem, qui in statua aurea voluit adorari ut deus, *Daniel. iii, 1*, et ad Balsasarem, cujus hæc fuit vox, cap. xiv, vers. 13: « In cælum ascendam, etc., similis ero Altissimo. » Sic Roma a Gentilibus vocatur « terrarum dea gentiumque. » Et talis describitur Babylon, *Apoc. xvii, 5*.

9. VENIENT TIBI DUO HÆC, etc., STERILITAS ET VIDUITAS. — « Sterilitas, » id est *orbitas*, ut vertit Vatablus, hoc enim est Hebræum ^{שכול} *sechol*, *q. d.* Uno die privaberis simul tuis filiis, id est civibus et incolis, quibus fecunda eras et abundans, *erisque orba*; ac marito, scilicet rege Balsasare, *erisque vidua*. Rex enim reipublicæ et regni est quasi maritus, et respublica, eo mortuo, est quasi vidua, quæ amisit maritum, ducem, tutorem et protectorem suum. Ita S. Cyrillus, Forerius et Vatablus.

UNIVERSA. — Hebraice, *in perfectione*, *q. d.* Perfecta plenaque orbitas quæ præcessit, tibi adveniet.

PROPTER MULTITUDINEM MALEFICIORUM. — Tertium hoc est peccatum Babylonis, ejusque excidii causa, scilicet quod maleficiis et incantationibus dedita fuerit, ac divinationi, præsertim quæ fit ex astrorum inspectione. Quocirca Chaldæi in proverbium abierunt, idemque sunt quod astrologi et genethliaci, qui ex astris et horoscopo de cujusque vita et sorte divinant. Unde Cato, lib. V, cap. III: « Augurem, ait, aruspicem, ariolum, Chaldæum ne quem consuluisse velit. » Et Cicero, lib. I *De Divinat.*: « Chaldæi, ait, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, et quo quique fato natus esset. »

PROPTER DURITIAM INCANTATORUM. — Pro *duritiā* hebraice est אַפְסָמָא *afsama*, id est robur, vel corroboratio. Per quod *primo*. Forerius accipit densitatem, seu constipationem, quæ scilicet astrologi non ex una stella, sed ex conjunctionibus astrorum, et densitate constellationum divinant. Nomen enim חַבְרִים *chabarim* a conjunctione, seu coadunatione dicitur; toti enim in conjunctionibus stellarum observandis et explicandis versabantur.

Secundo, Vatablus per *robur* accipit multitudinem incantatorum.

Tertio, melius Noster per *robur* accipit *duritiā*, de multitudine enim præcessit. Nam quod forte est, durum est; sicut ex adverso, quod infirmum est, molle est. Jam *duritiā* intelligit, qua incantatores adulantes Babyloni, promittentesque ei imperium perenne et invictum, eam in sua arrogantia et tyrannide fovebant, corroborabant et obdurabant; ut nihil non auderet, ut nec reges, nec Deum timeret. Ita Haymo. *Duritiā* ergo hic, non tam passivam quam activam intelligo, qua incantatores suis falsis oraculis obdurabant Babylonicos. Unde sequitur :

Vers. 10. 10. **FIDUCIAM HABUISTI IN MALITIA TUA** (*q. d.* Fidenter mala perpetrasti, non timuisti Deum, Deique vindictam); **DIXISTI (enim) : NON EST QUI VIDEAT ME,** — *q. d.* Vel non videt, et nescit, vel non curat, vel non potest scelera mea punire, nec me imperio dejicere. Incogitantia enim vel negatio Numinis et providentiæ Dei vindicis, est origo omnium scelerum. Unde Psaltes, *Psalm.* XIII, 1, cum dixisset : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus, » mox effectum subdit : « Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt, » etc.

NON EST QUI VIDEAT ME, — *q. d.* Non est qui me meaque scelera visitet, inspiciat, examinet, damnet et puniat; hæc enim omnia significat *videat* per metalepsin. Alioquin impii parum curant quod videantur, imo sæpe coram aliis de sua impietate gloriantur, eamque ostentant. Videri ergo, hoc est a iudice visitari et puniri, metuunt. Ita Haymo.

SAPIENTIA TUA ET SCIENTIA TUA HÆC DECEPIT TE, — tua astrologia judiciaria, tua divinatio decepit te. Putabas enim sortes humanæ vitæ et reipublicæ in solidum pendere ab astris; cumque ex astris non videres tibi malum impendere, quasi securam nihil timebas. Ita Forerius.

Vers. 11. 11. **VENIET SUPER TE MALUM, ET NESCIES ORTUM EJUS.** — Pro *ortum ejus* hebraice est שַׁחַרָּא *sachra*, id est *auroram ejus*, id est *ortum ejus*. Ortus enim diei est in aurora. Alludit ad Chaldæos, qui ex stellis, earumque ortu divinabant, eosque irridet, *q. d.* O astrologi! in stellis non vidistis tempestatem vobis impendentem, scilicet malum et excidium vestrum, ejusque ortum, *q. d.* Subito capietis et vastaberis, o Babylon! ut nescias unde tibi hoc malum oriatur; exscinderis, nec scies a quibus, et quomodo. A Persis enim vilibus nihil timebis. Everteris antequam videas urbem quati et

invadi, antequam scias malum tibi creari. Hostis per vada Euphratis occulte in urbem penetrabit, eamque occupabit, antequam eum scias ingressum. Miraberis urbem ante captam, quam oppugnatam. *Secundo*, Sanchez putat alludi ad regem Persarum, quem quasi solem corona radiis distincta redimitum, præcedebat ignis in hasta instar vexilli elatus, quasi Lucifer, vel auroræfer, *q. d.* Persæ erunt in urbe, eamque occupabunt, antequam videas eorum vexilla, antequam scias eos adventare.

CALAMITAS QUAM NON POTERIS EXPIARE, — id est expiando avertere. Solebant veteres per catharmata, id est victimas piaculares, propitiare Numen, et impendentes clades antevertere; sed id facere nequivit Babylon, *q. d.* Calamitas tua est inexpiabilis et inevitabilis : Deus enim inexorabilis est, facietque ut Persæ sint inexorabiles, nec tibi prece aut pretio parcant. Hoc est quod dixit cap. XIII, vers. 12 : « Pretiosior erit vir auro. »

12. **STA CUM INCANTATORIBUS.** — Est sarcasmus, Vers. 12. sive hostilis irrisio, *q. d.* Salvent te tui incantatores, « in quibus laborasti, » id est, quos magno labore et sumptu comparasti, quibus insudasti, quibus te erudiendam et regendam a teneris tradidisti.

13. **SALVENT TE AUGURES COELI.** — « Augures » Vers. 13. proprie sunt, qui ex garritu et volatu avium divinant futura. Inde extensione vocis augures vocati sunt omnes divinatores : astrologi hebraice vocantur חַבְרִים *chabarim*, id est *conjunctores*, sive *combinatores*, qui scilicet stellas combinant et conjungunt, atque studiose observant siderum concursus, aspectus et oppositiones, ex iisque divinant. Ita Forerius.

SUPPUTABANT (hebraice מוֹדִיִּים *modiim*, id est *scire facientes*, id est *prædicentes*) **MENSES.** — Hebraice חֹדָשִׁים *chodascim*, id est *neomenias*, novilunia, sive initia mensium. Hebræi enim habebant menses lunares, ab uno novilunio ad alterum. Novilunium ergo eis erat prima dies mensis. Significat itaque hos astrologos ex stellis suis, maxime ex luna, puta ex singulis lunationibus, et noviluniis, utpote lunæ renovationibus, et novis cum aliis astris conjunctionibus et oppositionibus, divinasse de futuris, quid scilicet illo mense prosperum vel adversum Hierosolymæ certo esset eventurum. Sic nostri astrologi in suis Ephemeridibus non certo divinant, sed conjectant de futuris ex noviluniis (tunc enim notabilis fit rerum mutatio; luna enim rebus sublunaribus dominatur, valdeque afficit, et immutat omnia corporea), et quandoque tangunt rem, quandoque aberrant : « Astra enim inclinant, non necessitant. »

14. **FACTI SUNT QUASI STIPULA, IGNIS COMBUSSIT ROS.** — *Ignem* vocat vastationem Persicam, quæ omnia consumpsit, ut ignis, veroque igne cremavit Babylonem, *q. d.* In Babylonis incendio ita comburentur omnia ac tui astrologi, instar stipulæ, ut nullas prunas relinquant, quibus homines

se calefacere possit. Ligna usta utilia sunt; nam relinquunt prunas, quæ usui sunt hominibus; at tui astrologi nihil prunarum sunt relicturi; nam exurentur et redigentur in cineres. Significatur ergo hic extrema vastitas, plenaque concrematio Babylonis. Ita Hugo, Vatablus, Forerius, Adamus (1).

Septuaginta vertunt, *quæ habes carbones ignis, sedebis super eos, q. d.* Astrologi tui fuerunt faces et carbones, qui te succenderunt, fuerunt causa tui excidii et incendii: quia ergo eis credidisti, *sedebis super eos*, id est cum iis combureris. Notat S. Hieronymus ignem hunc utiliore fuisse Babylonis, quam fuerunt magi, quia, inquit, « hic eos per pœnas et supplicia ad pœnitentiam provocat: illi per errorem ducunt ad superbiam. »

NON SUNT PRUNÆ QUIBUS CALEFIANT, — non astrologi et augures: hos enim dixit jam combustos; sed homines, puta vicini. Tò enim *calefiant*, more Hebræo impersonaliter sumitur.

(1) Notandum est hic cum Jahn, quod cubilia et palatia hiemalia fenestris ad austrum conversa erant, ut in aprico essent; teneriores ea nihilominus calefaciebant vel carbonibus candentibus, vel igni in urceo vel olla accenso, quæ foveæ ad idipsum in meditullio parvimenti paratæ, imponebatur, velut et adhucdum in Oriente mos est, ubi nonnunquam ignis in hac ipsa quoque fovea excitatur; fumus per fenestras exitum quærit, *Jerem. xxxvi, 22; Isai. xliv, 16; xlvii, 14.* (*Archæol. Bibl. part. I, cap. II.*)

15. NEGOTIATORES TUI. — Ita vocat astrologos, quod ex sua divinatione lucrum et quæstum facerent; de qualibus ait Cicero, orat. *4 in Verrem*: « Novus astrologus, qui non tam cœli rationem, quam cœlati argenti duceret. » Hi ergo « in via sua, » id est in arte et divinatione sua, « erraverunt: » quia falso prospera prædixerunt Babylonis, ejusque excidium præscire et amoliri non potuerunt. Idque « ab adolescentia tua, » quia hæc ars in te, o Babylon! et tecum quasi nata fuit.

Alii proprie accipiunt « negotiatores, » quasi significet eos, audito adventu Persarum, urbem deseruisse, et ad alia emporia dispersos fuisse, *q. d.* Hi qui te ad opes hæc provexerunt a tui exordio, jam fugient, alii in Orientem, alii in Occidentem, neque te juvabunt. Ita Vatablus. Simile de mercatoribus Babylonem deserentibus, ejusque excidium lugentibus, habet S. Joannes, *Apoc. cap. xviii, 11 et 15.*

Forerius pro *in via sua* vertit, *in transitu suo*, sicque explicat, *q. d.* Sicut negotiatores, qui in quovis transitu; id est commutatione mercium, sive in quovis contractu et cambio jacturam paterentur, deciperentur et errarent; malo aliquo genio impulsus, aut infausto sidere dicerentur negotiationi incubuisse: ita tui astrologi qui in quovis transitu astrorum, supputatione, applicatione, consilio et divinatione tua decepti, et se et te perdidit. Nam et Cicero docet Chaldæos observasse trajectiones et motiones stellarum.

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicat Deus Judæorum ob peccata captivitatem Babylonicam, indeque liberationem, quod nec idola, nec quisquam alius ante hæc eis prædixerat, indeque probat se esse Deum, non idola. Unde, vers. 12, ad sui agnitionem et cultum eos revocat. Tertio, vers. 17, docet se esse consiliarium et gubernatorem Israelis, sed ejus culpa accidisse, quod in hostium manus, aliasque calamitates incidit, eo quod suis consiliis non paruerit. Denique, vers. 20, lætum e Babylone reditum describit, ad eumque captivos excitat (1).

1. Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis, qui juratis in nomine Domini, et Dei Israel recordamini non in veritate, neque in justitia. 2. De civitate enim sancta vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti sunt: Dominus exercituum

(1) Quam utilitatem deberent Judæi habere, inquit Forerius, tam ex consideratione liberationis e Babylone, quam ex istarum rerum prædictione, aperit Dominus per Prophetam, et viam parat ad apertiora de Christo vaticinia.

Primo, captat attentionem, eos ad quos loquebatur graphice depingens, et vehementer illos objugans, quod licet professione et ritu externo viderentur sectari veram religionem, verumque Deum agnoscere, eique inniti, magna tamen ex parte animo essent ab illo alieno, atque ad idolorum cultum et superstitiones nefandas propenso, 1, 2.

Secundo, revocat in memoriam prædictionem malorum a Deo factam, ad frangendam apostatarum obstinatio-

nem, et prævertendam eventuum falsam ad Deos relationem, 3-5, et postulat contemplationem prædictionum, opere jam completarum, 6-8.

Tertio, tacitæ objectioni: Si transgressores merito jam ab initio vocati sunt, si nosti quod a studiis suis non desistent, quid est quod et eos a captivitate educere vis, et hoc illis prædicis? Respondet Deus, se honoris et gloriæ suæ respectu moveri, ut severitatem justissimamque indignationem suam temperaret clementia, 9-11.

Quarto, tunc Deus auctoritatem quam contestatur, et Cyrum voluntatis suæ contra Chaldæos exsecutorem designat, per Prophetam qui fidem sibi conciliat, et suam a Deo missionem asserit, 12-16.

nomen ejus. 3. Priora ex tunc annuntiavi, et ex ore meo exierunt, et audita feci ea : repente operatus sum, et venerunt. 4. Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. 5. Prædixi tibi ex tunc : antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres : Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea et conflatilia mandaverunt ista. 6. Quæ audisti, vide omnia : vos autem non annuntiastis? Audita feci tibi nova ex tunc, et conservata sunt quæ nescis : 7. nunc creata sunt, et non ex tunc : et ante diem, et non audisti ea, ne forte dicas : Ecce ego cognovi ea. 8. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua : scio enim quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te. 9. Propter nomen meum longe faciam furorem meum : et laude mea infrenabo te, ne intereas. 10. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. 11. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem : et gloriam meam alteri non dabo. 12. Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco : ego ipse, ego primus, et ego novissimus. 13. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos : ego vocabo eos, et stabunt simul. 14. Congregamini, omnes vos, et audite : quis de eis annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldæis. 15. Ego, ego locutus sum, et vocavi eum : adduxi eum, et directa est via ejus. 16. Accedite ad me, et audite hoc : non a principio in abscondito locutus sum ; ex tempore antequam fieret, ibi eram : et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus. 17. Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel : Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. 18. Utinam attendisses mandata mea ! facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris : 19. et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus : non interisset, et non fuisset attritum nomen ejus a facie mea. 20. Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exsultationis annuntiate : auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite : Redemit Dominus servum suum Jacob. 21. Non siti erunt in deserto, cum educeret eos : aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ. 22. Non est pax impiis, dicit Dominus.

1. QUI VOCAMINI NOMINE ISRAEL, — *q. d.* Qui inane tantum nomen Israelis portatis, quique gloriamini Israele patre, tanquam ejus filii et posteri, cum ab ejus religione, sinceritate et sanctitate sitis degeneres. Ille enim Deum verum constanter et sancte ad mortem usque coluit; vos ad idola sacrilege respicitis et declinatis. Estis ergo picti Israelitæ, estis hypocritæ, estis semen Chanaan, non Juda, non Israel.

ET DE AQUIS JUDA EXISTIS. — Id est, ut Chaldæus, qui de stirpe Juda existis. Aquas vocat scaturiginem et sobolem. Est metaphora, a fontibus et rivis : Jacob enim fuit quasi fons, ex quo duodecim rivi, id est duodecim Patriarchæ et tribus, fluxerunt. Sed Judæi ex nobilissimo rivo, puta ex Juda, descenderunt. Sic dicitur *Psalm. LXVII, 27* : « In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel, » id est vos qui de fontibus, id est

rivis, Israel profluxistis, estisque Israelitæ. Ita S. Hieronymus, Sanchez et alii.

DEI ISRAEL RECORDAMINI (hebraice יִשְׂרָאֵל *iaskiru*, id est commemoratis, celebratis, prædicatis, *q. d.* Qui nomen Dei, nomen Elohim et Adonai, crebro in ore habetis, perque illud juratis, sed) NON IN VERITATE, NEQUE IN JUSTITIA, — tum quia sæpe juratis quod falsum est vel injustum, tum quia hanc religionis speciem et larvam obtenditis vestræ hypocrisi, qua a Dei veritate et justitia longe abitis ad dolos, fraudes, iniquos contractus, usuras et rapinas. Hoc est quod eis inclamat Isaias, cap. *XXIX, 13*, et ex eo Christus, *Matth. xv, 8* : « Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. » Hi enim iniqui sunt et injusti, imo falsarii : Deo enim auferunt vita et moribus, quod illi vocibus tribuunt : et cum laudem ei decantent ore, alios vita ad blasphemandum excitant. Ita Forerius.

2. DE CIVITATE ENIM SANCTA VOCATI SUNT. — A sancta Jerusalem vocati sunt cives Hierosolymitani, cives civitatis Dei, qui a Deo Israelis sustentantur, quasi vices et domestici ejus. Huc allusit S. Paulus, *Ephes. II, 19* : « Vos estis cives sanctorum et domestici Dei. » Judæi enim a sancta urbe, Ecclesia et templo vocati sunt populus Dei,

Quinto, sua in Judæos beneficia, tum olim collata, tum etiam si paruisent, amplificanda commemorat, vers. 17-19.

Sexto, Propheta jam convertit orationem ad pios quibus liberationem prædicat, et ad discessum, ne cum gentilibus pereant, ex Babylonia adhortatur, divinamque providentiam indicatis ex antiqua historia exemplis demonstrat, 20-22.

populus fidelis et sanctus. Unde putabant se ob Dei præsidium et tutelam, armis Chaldæorum et Romanorum esse inexpugnabiles, ex eo quod ait Isaias, cap. LXII, 6: « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; » et ex eo quod promittit Deus per David regem, *Psal.* CXXIV, 1: « Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus: et Dominus in circuitu populi sui. » Vocabant ergo se cives Jerusalem, sive Salem, id est pacis, a qua urbs nomen sumpserat, et in qua regnaverat Salomon pacificus, id est securus, potens et opulentus rex, *q. d.* Habitamus in Salem, id est in pace, in urbe cui Deus pacem et prospera omnia promisit: innitimur super Deum Israel, quasi ejus proprius et peculiaris populus; ergo non est quod timeamus hostem, vel excidium. Verum hæc nomina vestra, o Judæi, sine re cassa et inania sunt. Vita enim vestra nominibus hisce indigna non respondet: « Noli, ait Poeta, respicere ad fumos et nomina vana Catonum. Grande est Christianum esse, non dici, » ait S. Hieronymus, *epist. ad Paulinum*.

DOMINUS EXERCITUUM NOMEN EJUS. — Hoc nomine valde gloriabantur Judæi, quod essent de domo potentissimi Dei, qui paratos habet exercitus Angelorum, hominum et omnium creaturarum. Recte, si in cultu ejus fideles perstitissent.

3. **PRIORA EX TUNC ANNUNTIAMI,** — *q. d.* « Piora, » quæ jam pridem venerunt, illa « ex tunc, » id est ab olim, prædixi, et sicut prædixeram feci, et operatus sum, *ut repente*, id est inopinato, præter rerum et naturæ cursum acciderent, v. g. quod Abraham ex Sara anu et sterili generaret Isaac, cujus semen foret ut astra cæli; quod posterius ejus servirent in Ægypto 400 annis, et post eos in summa rerum desperatione, liberarem eos, ut inde exirent in Chanaan, eamque occuparent, quod vos in meam rempublicam et regnum eveherem, etc. Hæc ecce omnia prædixi, ut evenerunt: ergo ex hoc colligite et credite, futurum pariter, quod jam prædico, scilicet Chaldæos a Cyro et Persis superandos, vosque inde liberandos. Ita S. Hieronymus. Identidem repetit et urget suam de futuris prædictionem certo evenisse, quasi infallibile argumentum divinitatis et providentiæ suæ. Nota *τὸ repente*. Repentinum enim in Scriptura dicitur quod inopinato, aut rebus desperatis vel indispositis advenit, etiamsi diu ante prædictum et promissum sit. Sic I *Thessal.* v, 2, dicitur quod « dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus. »

4. **SCIVI ENIM QUIA DURUS ES TU.** — *τὸ durus* notat Judæorum indocilitatem; *cervix ferrea* inobedientiam, obstinationem et pervicaciam; *frons ærea* impudentiam, *q. d.* Quia indociles estis, pervicaces et perfrictæ frontis, ac impudentes; hinc toties vobis in os regero, illudque verbero repetitione præcedentium prædictionum et beneficiorum, quæ in vos contuli, ut per eam tandem vos

doceam, emolliam et pudefaciam, itaque tandem agnoscatis non idola, sed me hæc præstitisse. Chaldæus vertit: *Manifestum est coram me, quod sis rebellis, et durum sicut ferrum collum tuum, et frons tua fortis sicut æs.* De qua vide dicta *Ezech.* cap. III, 7, et cap. II, 4.

6. **QUÆ AUDISTI, VIDE OMNIA: VOS AUTEM, NUM** (id est nonne; hoc enim est Hebraice *אִלְלָהּ halo*) **ANNUNTIASTIS?** — Ita legendum interrogative cum Romanis. Loquitur de populo utpote multo, nunc in plurali, nunc in singulari, *q. d.* Videtis esse completa, quæ audistis a me. Vos enim ipsi quotidie ea annuntiat et commemoratis, tum celebratis festa in eorum memoriam instituta, v. g. festum Paschæ, in memoriam liberationis ex Ægypto, dumque canitis psalmos; hi enim sæpe præterita beneficia vobis inculcant. Ita Forerius, Adamus, Vatablus et Sanchez.

Verum S. Hieronymus, Haymo et Dionysius legentes sine interrogatione, et non pro num, explicant, *q. d.* Vos videtis impleta esse, quæ prædixi, quæque audistis, sed non annuntiaſtis ea posteris, non divulgastis ea, ad meam gloriam, ut filii vestri et posterius inde cognoscerent me esse verissimum prophetiæ fontem, et consequenter verum Deum.

AUDITA FECI TIBI NOVA EX TUNC (videtur legendum *ex nunc*: sic enim habent Hebræa, Septuaginta, Chaldæus, Forerius, Vatablus et alii; unde et S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Non adduco vetera, ut fidem astruam, sed nova quæ contra Babylonios facturus sum annuntio) **QUÆ CONSERVATA** (id est reservata, recondita) **SUNT** — apud me.

7 et 8. **NUNC CREATA SUNT** (id est nunc a me decreta sunt, *q. d.* Nunc a me lata est sententia de Babylonis excidio, cum nunc illud per Isaiam edico et prædico; ita Vatablus); **ET ANTE DIEM** (quo scilicet eveniet hoc ejus excidium, ne putes me prophetare de præteritis), **ET NON AUDISTI**, etc. (*q. d.* Hæc tibi prædico, cum nihil de iis scias, nihil unquam de iis audieris, vel ab idolis, vel ab aliis, cum) **NEQUE EX TUNC APERTA EST AURIS TUA**, — id est, cum ad aures tuas nulla hujus rei fama aut notitia pervenit, ne quidem « ex tunc » id est ab olim. Identidem inculcat hanc futurorum præscientiam et prædictionem, ne Judæi ituri in Babylonem, diis Babyloniorum suam captivitatem, et ex ea liberationem attribuunt, non Deo suo. Aperire enim aurem Hebræis est, revelare et indicare quid alicui, sive facere ut aliquis quid audiat vel intelligat. Ignorans enim et non audiens, videtur clausas vel obstructas habere aures, quas quasi aperit qui eas audire et cognoscere facit.

SCIO ENIM QUIA PRÆVARICANS PRÆVARICABERIS, — *q. d.* Hæc signa divinitatis meæ toties tibi inculco, quia scio quod prævaricaberis, id est deficies, eris transfuga et apostata: transfugies enim more tuo a me ad idola.

ET TRANSGRESSOREM EX UTERO VOCAVI TE, — *q. d.* Ab ipso tui ortu et conceptu, videlicet, cum te in

Ecclesiam meam formarem et quasi parturirem in Sina, dando tibi legem per Mosen, transgressor fuisti, ut merito « transgressor ex utero » a me vocari possis. In Sina enim conflasti et adorasti vitulum aureum. Hoc est quod eis S. Stephanus exprobrat, *Actor. vii, 51* : « Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. »

§. PROPTER NOMEN MEUM. — Est prolepsis sive occupatio : occurrit enim tacitæ objectioni, *q. d.* Dicetis mihi : Si nosti nos fore tam impios, instabiles, ingratos et transgressores, quid tam anxie de nobis nostraque e Babylone liberatione laboras? quid tam studiose hoc prædicis et inculcas?

Respondet Deus : Ego hoc facio non propter vos, vestraque merita, sed « propter nomen meum, » ne scilicet Gentes illud blasphemant, si videant me populum meum in captivitate derelinquere.

LONGE FACIAM (hebraice *אריך* *arich*, id est prolongabo, elongabo, longe faciam, id est auferam, amovebo) FUROREM MEUM. — Aliter Forerius et Vatablus : *Prolongabo*, aiunt, id est differam vindictam in longum tempus, donec scilicet illi impleant mensuram peccatorum suorum, quod facient, dum occident Christum. Quare tunc plene omnia eorum scelera puniam, eosque excindam.

ET LAUDE MEA INFRENABO TE, NE INTEREAS. — Ita Romana, et passim omnia Biblia, licet Arias legi velit passive *infrenabor*, ut dicat idem cum eo quod præcessit, *q. d.* « Laude, » id est propter laudem et gloriam meam, ego Deus infrenabor, et cohibebo furorem meum, ne te disperdam. Unde Vatablus vertit, *Propter nomen meum differam furorem meum, et propter laudem meam frenum injiciam mihi, tui causa, ne te omnino excindam.*

Verum legendum est active, « infrenabo te. » Quod primo, sic explicant S. Thomas et Haymo, *q. d.* Cum e Babylone in Judæam redieris, frenum legis et religionis meæ tibi injiciam, cogamque te ad mei cultum, ut in templo more solito me laudes per psalmos, preces, sacrificia sacrasque cæremonias, ne ad cultum et laudem idolorum dilabaris.

Secundo, simplicius et significantius magisque genuine, laus hæc, qua Deus infrenavit Judæos, fuit Dei in ipsos indulgentia et misericordia, sive ipsa Dei in eos beneficia. Nihil enim principem, et magis Deum, ita commendat, et laudabilem facit, atque clementia et beneficentia, quæ regum et principum propria est virtus; quæque subditos frenat, et cogit eos amare, eisque obsequi. Porro hæc Dei laus sive frenum, puta beneficentia, duplex fuit. Prior fuit tribulatio, scilicet captivitas Babylonica. Hac enim quasi freno Deus populum in scelera et interitum ruentem infrenavit, et ab idololatria aliisque sceleribus pariter, ac ab interitu retraxit, et ad se revocavit. Unde S. Hieronymus : « Infrenabo, ait, te, ut vel invitus quasi jumentum, me dominum tuum sequaris; » hæc ergo captivitas fuit ingens Dei beneficium. Unde discas tribulationes esse magna

Dei dona, ac proficisci ex animo Dei benevolo ac benefico, volente, scilicet, luxum et lasciviam nostram edomare, frenare et resecare. Tribulatio ergo est laus Dei, ac proinde in ea cum Job, Tobia et Martyribus non murmurare, sed Deum laudare, eique gratias agere debemus. Ex adverso, Dei irati evidens signum est, cum alicui laxat habenas, sinitque eum sequi concupiscentias suas, ut quasi equus lascivians sine freno in exitium ruat. Ita Haymo, Adamus, Dionysius et Sanchez. Posterior Dei laus fuit beneficium liberationis Judæorum e Babylone; de eo enim præcessit : « Propter nomen meum longe faciam furorem meum; » perinde ac de priori, puta de ipsa captivitate, sequitur : « Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. » Hæc enim sententia : « Laude mea infrenabo te, » cum inter has duas sit media, ad utramque pertinet, et utramque complectitur. Sensus ergo est, *q. d.* O popule mi! duræ cervicis es, et transgressor ab utero : frenum ergo tibi injiciam, ne quasi equus effrenis et furiosus te præcipites; et intereas : frenum hoc erit laus mea, puta regia mea beneficentia, nimirum paterna castigatio, scilicet captivitas Babylonica, sed brevis et abbreviata, brevique laxanda a Deo; hæc ergo captivitas non fuit ira aut furor meus, sed laus, amor et favor meus erga te : poteram enim te in ea perpetuare, disperdere et funditus delere, uti merebaris : verum ob beneficentiæ et clementiæ meæ laudem nolui; imo vero ne in ea interires, post modicum tempus te ex ea liberavi, indeque te quasi equum jam calcari afflictionis domitum in patriam reduxi, ut deinceps ductum freni mei, id est meæ voluntatis, perpetuo sequi, meque laudare disceres, dum vides tantam meam erga te dilectionem, curam et benignitatem : quæ summa mea est laus. Hinc

Tertio, ex Hebræo pie vertit Forerius : *Laudem meam obsignabo tibi, ne excindaris, q. d.* Cum nihil ex te habeas, quo possis provocare misericordiam meam, ego laudem meam, quasi pallium meum inducam super te, teque ea quasi signo et caractere meo obsignabo, ut appareas mihi quasi materia, ratio et causa laudis meæ, itaque hæc laus mea pro te intercedat, teque semper comitetur, tegat et protegat, imo te speciosum et amabilem in oculis meis reddat, eosque ita feriat, ut, si te delere velim, non possim, sed protinus meminerim laudem meam pariter interituram; cum enim te aspicio, laudem meam aspicio. Hinc

Quarto, Septuaginta vertunt : *Gloriosa mea inducam super te. Gloriosa*, hoc est gloriosam liberationem e Babylone, ait S. Cyrillus, qui addit : « Dei gloria est posse omnibus sine labore dominari, servare et misereri. »

Allegorice Leo Castrius, *q. d.* « Laude mea, » etc.; hoc est, tot signa et miracula gloriosa edamper Christum et Apostolos, ut frenum injiciam vestræ infidelitati et blasphemiiis o Judæi, atque

multos e vobis ad Christi fidem convertam, et salvem.

Tropologice S. Bernardus, serm. 11 in *Cantic.*, q. d. « Ne nimia peccatorum tristitia cum Cain desperes, et quasi equus effrenis in præceps ruas, freno te inhibebo indulgentiæ meæ, et meis laudibus erigam, respirabisque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me sane benigniorem quam te culpabiliorem invenies. »

Ita laude Dei infrenatus fuit religiosus ille S. Dominici discipulus Vincentius, vir singularis doctrinæ, humilitatis, abnegationis sui, et amoris Dei, mire B. Virgini devotus, ut nunquam concionaretur, quin aliquid semper in ejus laudem diceret, qui cum in morbum, indeque in gravem et longam melancholiam incidisset, sub finem vitæ, visa B. Virgine, cœpit in Spiritu exsultare et jubulare: cumque socius ejus Matutinum et Laudes recitaret, pervenissetque ad finem, diceretque ultimum versiculum ultimi psalmi: « Omnis spiritus laudet Dominum; » ipse æger et agonizans, jussit socium sistere, et multoties iterando ac jubilando: « Omnis spiritus laudet Dominum, » spiritum emisit in cœlis perpetuo laudaturum Dominum: uti refert Ferdinandus Castiglius, *Histor. Ordinis S. Dominici*, part. I, lib. I, cap. LXI.

10. ECCE EXCOXI TE, SED NON QUASI ARGENTUM, ELEGI TE IN CAMINO PAUPERTATIS.—Clare ex Hebræo vertunt Forerius et Vatablus, *ecce conflavi, ussi, vel excoxi te, non in argenti (fornace), elegi te in fornace inopiæ et afflictionis, q. d. Excoxi te non sicut argentarius in fornace ardentissima excoquit argentum, ut ignis ab eo separet omne stannum, plumbum et scoriam, ut purum putumque remaneat argentum (1). Si enim sic excoxissem te, utique consumpsissem te, cum non nisi peccatorum sis scoria (hoc est enim quod dixit cap. I, 22: « Argentum tuum versum est in scoriam »), sed leniori camino et purgatorio te purificavi, scilicet, paupertate, servitute et ærumnis in Babylone; itaque effeci ut tu mores corrigeres, teque rursus ex scoria per gratiam meam efficeres argentum, id est fidelem, justum et pium; unde sic purgatum « in camino paupertatis elegi te: » sicut in fornace separata scoria, ab argentario seligitur et colligitur purum argentum. Ita S. Cyrillus et Procopius. Simili metaphora conflatoris, eaque illustri, utitur Jeremias, cap. VI, 27. Vide ibi dicta.*

Mystice Forerius: Argentum, ait, est Evangelium et eloquia Dei, juxta illud *Psal. XI, 7*: « Elo-

(1) Dicit igitur Jova, se populum pœnis emendasse, quemadmodum metalla vi ignis a scoriis purgantur. Sed addit, at non cum argento, vel sicut argentum, id est non ea ignis vi, qualis necessaria ad argentum excoquendum et purgandum. Docent enim rerum metallicarum periti, aurum esse mollioris naturæ ad fusuram, ac de facili liquari, contra argentum difficilium, ac magis invictum esso ignibus, observante Salmasio ad Solinum, cap. LU.

(Rosenmuller.)

quia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, » q. d. Excoxi te per paupertatem, non vero per Evangelium Christi: illam enim purgationem plenam reservo tempori feliciori, quod erit in lege gratiæ.

Septuaginta vertunt, *ecce vendidi te non propter argentum, erui te de fornace paupertatis, q. d. Tradidi te Chaldæis, indeque rursus liberavi, non quærens inde meum (nec enim a Babyloniis, nec a te argentum accepi), sed quærens tuum bonum, scilicet tuam expiationem et purgationem, ut te pristino nitore fidei et religionis, puræque conscientie restituerem.*

11. UT NON BLASPHEMER, — a Gentibus dicentibus: Deus Hebræorum est impotens, vel infidelis et crudelis, utpote qui sinit populum suum ab hostibus opprimi; dii nostri ipso sunt fortiores et faventiores. Sicut Turcæ, tot victoriis contra Christianos potiti, blasphemant, dicuntque Mahometem potentiorum esse Christo. Vers. 11.

GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO. — Non patiar ut idola me potentiora videantur, quasi ipsa tradiderint populum meum Chaldæis, cum ego ipse id fecerim. Excindendo enim Chaldæos, et Judæos liberando, ostendam me Chaldæorum æque ac Judæorum esse Deum ac Dominum, meque Hebræos ad tempus eis tradidisse, ut castigarentur, ac deinde majore gloria liberarem eos. Ita S. Cyrillus, S. Thomas et alii.

ISRAEL, QUEM EGO VOCO. — *Primo*, Forerius, quem voco, id est quem familiarem et domesticum habeo, utpote cujus nomen semper in ore habeo, ut ejus oblivisci nequeam.

Secundo, Haymo et Hugo, quem voco, scilicet ad pœnitentiam, aut potius, ut S. Hieronymus et Cyrillus, ad peculiarem mei cultum, ad meam Ecclesiam, gratiam et salutem.

Tertio, optime Hebræum מְצוּאִי *meczuai* vertunt Symmachus, Aquila, Vatablus et alii, *vocatus meus, vel vocate mi, q. d. Quem ego Israelem voco, cui ego nomen Israelis indidi.*

Objicit Israeli nomen suum, ut ex eo cognoscat se Dei esse, et Deum, non idola colere debere. Hoc est enim argumentum Dei: Illum colere debes et adorare ut Deum, a quo pater tuus Jacob, sive Israel nomen accepit, quemque nomine suo circumfert et præfert: atqui ego sum qui eum vocavi Israel, id est dominantem Deo, unde me semper in nomine suo circumfert, quique ab eo te vocavi et voco Israel; ergo ego sum Deus tuus, tibi amandus et colendus, q. d. Vis scire Deum tuum, inspice tuum tuique patris nomen. Nam ut ego *El*, id est Deus, sic tu vocaris *Israel*, id est prævalens Deo. Sicut enim a Cæsare milites vocati sunt Cæsariani; a Pompeio, Pompeiani: sic ab *El* vocatus est Israel, æque ac a Christo Christianus. Ita Sanchez. Videtur enim hic idem dicere cum eo quod dixit vers. 4: « Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel. »

Vocatus, ^{id est} ^{servus} Huic adde *quarto*, Deus nuncupat Israel *vocatum suum*, id est servum suum. Sicut enim nobiles a rege evocantur ad obsequia, tum domestica, tum publica, præsertim bellica, ut in eis regi et regno serviant (unde et Hispani gloriantur, quod sint *creados del Rey*, id est servi vocati et evocati a Rege): ita Deus Israellem evocaverat ad sui obsequium et cultum. Huc alludit S. Paulus, cum tam se quam fideles vocat vocatos, sive vocatitios Dei: « Paulus, inquit, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, etc. In quibus estis et vos vocati Jesu Christi, » *Rom. cap. i, 1 et 6*; Israel enim ejusque vocatio typus fuit S. Pauli et fidelium, eorumque vocationis.

EGO IPSE, EGO PRIMUS, ET EGO NOVISSIMUS, — *q. d.* Ego fui ante cælum et terram, ante mundum et Angelos. Ego fui ab æterno, et ero in æternum; sum possessor et dominus æternitatis. *Secundo, q. d.* Ego sum omnium rerum principium et finis, ex quo omnia, et in quem omnia. Ita Forerius. Notat Sanchez in trina repetitione *אני* ego innui mysterium SS. Trinitatis.

13. DEXTERA MEA MENSÆ EST CÆLOS (1). — Pro mensa est hebraice est *טִיפְּעָחָה* *tippecha*, quod verti potest *secundo, dextera mea palmo mensa est cælos, q. d.* Tantus ego sum, ut cælorum vastitatem palmo metiar et comprehendam. Ita Vatablus. *Tertio, verti potest, dextera mea palmo explanavit, explicavit et distendit cælos.* Ita Forerius. *Quarto, dextera mea formavit cælos, dextera mea cælos in hanc formam, speciem, figuram et decorem conformavit.* Vide dicta *Thren. II, 20.*

EGO VOCABO EOS (cælos cum suis stellis, ac terram), ET STABUNT SIMUL, — *q. d.* Si ego eos vocem, mox ad meam vocem sistent se, sicut ministri ad vocem principis accurrunt, sistuntque se, jussa accepturi, et protinus exsecuturi. Id patuit sub Josue, quando sol, luna cœlique steterunt, *Josue cap. x, vers. 13*; et sub Ezechia, quando cursum reflexerunt et retrogressi sunt, *Isaiæ cap. xxxviii, vers. 8.*

14. CONGREGAMINI OMNES VOS (O Israelitæ) ET AUDITE: QUIS DE EIS (diis Gentium, quos toties hic nominavi et confutavi: posset quoque verti, *quis* astrologorum, *ex eis*, scilicet cælis et astris; divinando; egit enim contra astrologos cap. præced., vers. 12) ANNUNTIAVIT HÆC, — quæ ego prædico de Cyro et Babylonis excidio? de vestra captivitate, quod in ea vobis ero dux et redux?

DOMINUS DILEXIT EUM, — Cyrum de quo cap. XLIII, cap. XLIV et sequentibus hucusque passim egit, quique hoc Chaldæorum excidium, de quo continuo loquor, peraget. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Hebræi. Cyrum Deus dilexit, quia elegit eum suæ vindictæ administrum. Addit Forerius Cyrum vere et proprie fuisse dilectum a Deo,

(1) Mirum quod toties suam potentiam qua terram cælosque creavit, commemorat. Certe cum incredulis res ei erat, quorum bona pars idola colebat, et diis gentium plurimum deferebat. (Forerius.)

quia ejus cultor exstitit, I *Esdrae I.* Quod quomodo verum sit dixi superius.

FACIET VOLUNTATEM SUAM IN BABYLONE (potest ex Hebræo verti: *Faciet* (Cyrus) *voluntatem ejus* (Dei) *in Babylone*), ET BRACHIUM (potentiam potentemque vindictam) EJUS IN CHALDÆIS. — Verum vertendo, *voluntatem suam*, hic triplex est sensus.

Primus, de Cyro, *q. d.* Cyrus faciet in Babylone voluntatem suam, id est quidquid ei libuerit, et brachium suum in Chaldæos exeret. Ita Forerius.

Secundus, de Deo: faciet Deus Cyrum in Babylone vastanda voluntatem suam, et faciet eum brachium suum contra Chaldæos. Ita Sanchez. Sed quia dure Cyrus vocatur voluntas Dei, hinc

Tertio, planissime exponas, *q. d.* Deus per Cyrum faciet voluntatem et vindictam suam in Babylone, et brachium suum, id est validam plagam, in Chaldæis.

Allegorice, Cyrus est Christus, quem Pater dilexit, qui fecit omnem voluntatem Patris, quique in Babylone, id est confusione hujus mundi, subvertit Chaldæos, id est dæmones, ait S. Hieronymus. Christi etiam « directa est via, » quia Pater per omnia ardua et dura eum fortiter et feliciter direxit et deduxit, multo magis quam Cyrum.

16. NON A PRINCIPIO IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM, — *q. d.* Ex quo cœpi prophetare de excidio Babylonis, non in angulis ambigue et perplexe, sed publice, clare et aperte de eo locutus sum.

EX TEMPORE ANTEQUAM FIERET, — antequam scilicet Babylon everteretur, ego Isaias ibi eram spiritu præsens, videbamque et contemplabar rei gerendæ seriem, modum et ordinem.

Inepte ergo R. Salomon et R. Thauhuma apud Galatinum, lib. II, cap. III, *א* *ex tempore antequam fieret, ibi eram*, sic interpretantur, *q. d.* Ego Isaias, omnesque Prophetæ, quoad animam simul fuimus et adstitimus in monte Sina, cum daretur ibi lex Mosi, tuncque ibidem nostras prophetias accepimus. Inde enim sequitur animas eorum diu fuisse ante corpora: qui est error Origenis et Pythagoræorum.

ET NUNC DOMINUS DEUS MISIT ME, ET SPIRITUS EJUS, — ut quæ ante de Cyro et Babylone mihi revelaverat, ea nunc edicerem et proloquerer. Sunt enim hæc verba, non Cyri, ut volunt aliqui apud Procopium; sed Isaiæ, qui missus est tanquam Propheta et præco, a Deo et spiritu Dei, ad hæc vaticinandum. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Vatablus, Forerius, Sanchez et alii.

Unde mystice S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Hugo, S. Thomas, hic, atque S. Basilius, Eusebius, Origenes, Augustinus, Chrysostomus, Nyssenus, quos citat Leo Castrius, item Galatinus, lib. II, cap. III, docent hic significari SS. Trinitatem, scilicet Filium, qui missus est a Patre et Spiritu ejus, puta a Spiritu Sancto, nimirum qua homo est, ad hominum redemptionem

Nam qua Deus est, et Verbum Patris, uti a solo Patre procedit, ita et ab eo solo mitti potest, uti docent D. Thomas et Scholastici, I part., *Quæst.* XXXIV, art. 8. Et S. Anselmus, lib. *De Processione Spiritus Sancti*, ait: « Si autem dicunt, quia Spiritus Sanctus mittit etiam Filium, sicut idem ipse dicit per Prophetam: Et nunc Dominus, etc., hoc secundum hominem, quem gerebat, intelligendum est, quia Patris et Spiritus Sancti una voluntate et dispositione, mundum redempturus, mundo apparuit. »

Hunc sensum Galatinus et alii volunt esse litteralem; sed ex dictis patet esse allegoricum: Isaias enim hic fuit typus et allegoria Christi.

Rursum ex hoc sensu mystico, probat Paschasius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. VII, Spiritum Sanctum subsistere, et habere in SS. Trinitate hypostasim; ait enim: « Alter ergo in persona est Dominus Pater, alter Spiritus Dei Patris. Itaque dum a Patre et Spiritu Sancto destinari Filius legitur, sub trium nomine personarum, Spiritus Sanctus a semetipso (id est per semetipsum) subsistere, evidenter aperitur. » Rursum, quod ait, *misit*, non *miserunt*, significat unitatem essentialis divinæ in SS. Trinitate.

17. DOCENS TE UTILIA, — non curiosa, non vana, non ridicula, non pomposa, et plausum captantia; sed quæ saluti tuæ præsentem et æternam proficiant. Notent hoc, et imitentur concionatores, si præcones, non vanitatis, sed Dei esse velint.

GUBERNANS TE IN VIA, QUA AMBULAS. — « Gubernans, » non despotice quasi jumentum, sed politice, quasi hominem et civem suum, per consilium, imperium et directionem; cui tamen tu, utpote liber, reluctari et resistere possis. Ita gubernavit Israel in deserto per 40 annos, deduxitque in Chanaan. Ita gubernavit Davidem: « Dominus, inquit, regit me (sicut pastor ovem), et nihil mihi deerit, » etc., *Psal.* LXXIX, 2. O felices quos Deus gubernat, quique ductum Dei sequuntur, seque ab eo per omnia regi sinunt! Hi labi non possunt; reguntur enim a sapientissimo et potentissimo gubernatore.

Ubi nota: Sanissimum et utilissimum consilium, æque ac medium, pertingendi ad portum salutis est, si quis Deum assidue oret: « Domine, rege me quasi pædagogus puerum, qui nescit introitum et exitum suum, qua via incedere debeat: deduc me per illas vias, status, officia, socios, etc., in quibus prævides me non habiturum peccati et lapsus scandalum, sed recto et certo itinere me perrecturum et perventurum ad vitam æternam; » sive: « Domine, da mihi semper et ubique gratiam congruam; hæc enim erit efficax, et efficaciter ad finem salutemque me perducet. » Hoc oramus singulis pene *Psal.* cxviii versiculis, quem per partes, ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam recitamus: « Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!

Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar, etc. Hoc est enim omnis homo. »

18. UTINAM ATTENDISSES MANDATA MEA! FACTA FUISSET SICUT FLUMEN PAX TUA. — « Pax » Hebræis est non tantum quies, sed et prosperitas; rerumque omnium copia et affluentia. Unde comparatur hic fluvio perenni, qui nunquam arescit, sed semper alias et alias aquas affert et affluit. Addunt Cyrillus et Procopius, *pacem* hic comparari torrentibus et fluctibus, qui ita violenti sunt, ut nihil eis possit resistere, quin etiam montes et rupes defringant et sternant, *q. d.* Ita tu, o Israel! esses Assyrii; Chaldæis aliisque hostibus non tantum inexpugnabilis, sed et terribilis, victorque et calcator, si Dei legibus obediens.

ET JUSTITIA TUA SICUT GURGITES MARIS. — « Justitia » metonymice vocatur præmium justitiæ, puta pax jam dicta: sicut ex adverso iniquitas sæpe vocatur pœna iniquitatis. Sic ait Jacob: « Respondebit mihi cras justitia mea, » id est præmium justitiae laboris mei, *Genes.* cap. xxx, 33. Sic Samuel ait, *I Regum*, cap. xii, vers. 7: « State, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis (beneficiis) Domini (hebraice, *de justitiis Domini*). » Sic *Daniel.* cap. iv, 24: « Peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis (hebraice, *justitiis*) pauperum. » Justos enim et sanctos maxime decet misericordia, adeoque hæc eorum genuina est virtus et nota.

Secundo, « justitia » proprie accipi potest quasi pacis comes et effectus. Nam in pace viget justitia, quæ tempore belli sæpe exulatur. Respicit quoque ad Christum, qui justitiam æque ac pacem attulit orbi.

Tertio, Salmeron, tom. IX, *tract.* 54: Justitia, inquit, similis est mari, pax fluvio; quia, sicut flumina oriuntur ex mari, *Eccles.* cap. i, 7, ita pax oritur ex justitia, juxta illud *Isaiæ* cap. xxxii: « Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium. »

19. ET FUISSET QUASI ARENA SEMEN TUUM, — uti promiseram Abraham patri tuo, *Genes.* cap. xii, 17, et Davidi, dicens, *Psal.* LXXX, 14: « Israel, si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, » inimici ei adulerentur, perpetuo viveret, « cibarem eum adipe frumenti, » etc. Ita Forerius.

ET NON FUISSET ATTRITUM NOMEN EJUS, — scilicet Israelis. Gente enim attrita, nomen quoque, et fama, æque ac regnum gentis atteritur. Sic regnum Juda et Israel in Babylone fuit attritum et quasi interiit. Sic Judæi olim apud Gentiles viles, ignobiles, imo probrum fuerunt, uti etiam nunc sunt apud Christianos. Hinc illud: « Verpus est; credat Judæus Apella: verpe, jura

Consi-
Hum effi-
cax ut
quis ad
salutem
perve-
niat.

mihî per Anchialum. » Et Juvenalis, *Satyr.* 2 :

Delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex.

Et Martialis, lib. XII, epigram. 57, Judæos a puero mendicare solitos tradit :

A matre doctus nec rogare Judæus,
Nec sulphurata lippus institor mercis.

Sic videmus eos hic Romæ sulphurata et scruta vendere, eaque cum fracto vitro permutare.

Vers. 20. 20. EGREDIMINI DE BABYLONE. — Ad litteram, aiunt S. Cyrillus et Procopius, hortatur Propheta Judæos in Babylone captivos et attritos, ut ex infideli et impia, æque ac tyrannica Babylone ejusque vitiis relicti, in Judæam, ad Dei templum, cultum et pietatem avitam redeant.

Allegorice, hortatur omnes, ut e captivitate peccati, et e regno diaboli, non Cyro, sed Christo luce, egrediantur in statum gratiæ, libertatis et adoptionis filiorum Dei. Nulla enim regio magis confusione plena est; quam peccati; nulli Chaldæi filiis Dei magis nocent, quam peccata: hæc est Babylon, hi sunt Chaldæi, unde suos jubet Dominus fugere. Vide cap. LII, 11 : « Recedite, exite inde. »

Unde tropologice hæc adaptat Apostolus fidelibus, ad hoc, ne misceant connubia et commercia cum infidelibus et impiis, II *Cor.* cap. VI, 17. Sequentia enim tam læta et fausta sunt, ut magis per Christum, quam per Cyrum, adimpleta sint. Recte Forerius : « Quoties, ait, in Prophetis has denuntiationes, exultationes et orationes, ad omnes Gentes, et ad extrema terræ lego, toties Prophetas redemptionis universalis (per Christum) mentionem facere non dubito. » Hanc enim spectant, non unam tantum, exilem vilemque Judæorum gentem.

Vers. 21. 21. NON SITIERUNT IN DESERTO. — Refricat beneficia Judæis in deserto, sub Mose præstita, *Exod.* cap. XVII, 6, et sub iis, figurate per proverbium et per hyperbolem significat Deum similem curam et providentiam præstitisse Judæis, Babylone redeuntibus, videlicet curasse tum per se; tum per Cyri et Darii edictum, I *Esdrae*, cap. VI, 8, ne quid in via ad famem sitimque levandam, aut alias necessarium, deesset, *q. d.* ait Cyrillus: Celebrate Deum, o Judæi, ab exsilio reduces! qui, ut olim vos redemit ex Ægypto, per desertum incolumes duxit, e cælo manna quotidie pavit, e petra aquam dedit: ita nunc ex Babylone vos liberavit, et per desertum deduxit, cibumque et potum dedit, salvosque in patriam revexit, ut ibi in pace habitaretis, quam in Chaldæa non habebatis; nam : « Non est pax impiis, dicit Dominus. »

Mystice, multo magis Christus redemit nos, et per desertum hujus vitæ in cælum ducit datque manna Eucharistiæ, atque aquas de petra. Nam « latus ejus » lancea vulneratum () apertum; « aqua fluxit et sanguine, baptismam nobis et martyrium dedicans, » ait S. Hieronymus.

22. NON EST PAX IMPIIS, DICIT DOMINUS. — Quia *Vers.* 22. impii sequuntur suas cupiditates, quæ mille bella et in ipsa anima et in rebus publicis generant; atque justo Dei judicio, cum seminant iniquitates, metunt dolores. Unde cap. LVII, vers. ultim., Septuaginta vertunt: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus.* Quorsum hoc dicit Propheta? quid hæc ad præcedentia? Respondeo primo, respicit ad vers. 18 : « Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua. » Illius enim hic dat causam, per antithesin; quia « non est pax impiis, » omniaque eis in malum cedunt. Hæc est ergo sors improborum, quam opponit sorti proborum. Ita Forerius.

Secundo, respicit ad vers. 20 : « Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis. » Quare? « Quia non est pax impiis. » Vere Horatius, lib. II, *ode* 16 :

Patriæ quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit
Ociior cervis, et agente nimbos
Ociior Euro.

Tertio, taxat Judæos carnales, abjectos et impios, qui vel idolis et vitiis, vel pace et opibus Babylonis delectati in ea sedem figere, nec in patriam, data a Cyro potestate, redire voluerunt. Hisce prædicat eos non habituros veram pacem in Babylone. Porro multos ibi remansisse liquet ex *Esdra*, cap. II, cum numerum exiguum, et pauca nomina redeuntium describit, dicitque, cap. I, vers. 5, eos solum rediisse quorum Deus tetigerat cor et spiritum. Imo, multi Hebræi docent neminem ex iis, qui cum Sedecia capti sunt, in patriam rediisse, uti refert S. Hieronymus in *Ezech.* XI, 17. Ita Sanchez.

Denique mystice, inquit Forerius, hæc verba sunt Prophetæ dolentis et indignantis, ex eo quod præsigret frustra Christum vocaturum Israelitas, ut ex Babylone peccati ad se in Jerusalem, id est Ecclesiam, redirent; eum enim vocantem erant despecturi, ut sit correctio, *q. d.* Quid moror? Quid eos e diaboli regno evoco? Quid saxa alloquor? Improbi sunt et obstinati in Judaismo ac vitiis, ideoque indigni pace ac felicitate, quæ illis offertur. Quocirca Christus ad Gentes transiens, et se convertens, ait cap. sequenti : « Audite, insulæ, et attendite, populi de longe. »

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*Christus loquitur, aitque se esse gladium et sagittam electam Dei, ad confingendum sibi nationes orbis, etiam Sinas, vers. 12. Inde, vers. 14, inducit Sion, id est Ecclesiam in Judæa incipientem, querentem de Judæorum cre-
dentium paucitate. Cui respondet Deus se pro iis surrogaturum omnes gentes et populos. Unde, vers. 22, præ-
dicit quod ad signum crucis convolabunt omnes nationes, ac reges et reginæ erunt nutritii et nutrices Eccle-
siæ; quodque hostes Ecclesiæ Deus cibavit carne sua et sanguine, ut seipsos devorent.*

1. Audite, insulæ, et attendite, populi de longe : Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. 2. Et posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me. 3. Et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. 4. Et ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi : ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. 5. Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur : et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. 6. Et dixit : Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. 7. Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum : reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel qui elegit te. 8. Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui : et servavi te, et dedi te in fædus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas : 9. ut diceres his, qui vincti sunt : Exite; et his, qui in tenebris : Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. 10. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol : quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. 11. Et ponam omnes montes meos in viam, et semitæ meæ exaltabuntur. 12. Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi. 13. Laudate, cæli, et exsulta, terra ; jubilate, montes, laudem : quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. 14. Et dixit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. 15. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. 16. Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui coram oculis meis semper. 17. Venerunt structores tui : destruentes te et dissipantes, a te exhibunt. 18. Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi : vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. 19. Quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur qui absorbebant te. 20. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. 21. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos ? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva : et istos quis enutrivit ? ego destituta et sola : et isti ubi erant ? 22. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levabo ad Gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. 23. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. 24. Numquid tolletur a forti præda ? aut quod captum

fuerit a robusto, salvum esse poterit? 25. Quia hæc dicit Dominus: Equidem, et captivitas a forti tolletur: et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero, qui judicaverunt te, ego judicabo, et filios tuos ego salvabo. 26. Et cibabo hostes tuos carnibus suis: et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob (1).

1. AUDITE, INSULÆ. — Transit hic ab umbra ad veritatem, a Cyro scilicet ad Christum, a Synagoga ad Ecclesiam. Quare, sicut compellavit Judæos initio cap. præced., dicens: « Audite hæc, domus Jacob: » ita hic compellat Gentes, etiam remotissimas et abstrusissimas, dicens: « Audite,

(1) Frustra plerique ex Judæis, Jarchi, Aben-Ezra et Kimchius, et ex Christianis Grotius et Koppius, hic Isaiam de se loqui statuunt. Haud feliciore exitu Rationalistæ, inter quos præcipue Rosenmuller et Dæderlinius, asserunt omnino tenendum esse populum Hebræum hoc loco introduci, et de eo omnia commode dici posse. Frustra alii, saniori licet mente, ad Cyrum proximiori quidem et in secundo sensu ad Joannem Baptistam, hoc vaticinium referendum esse contenderunt. Etenim clarius sole patet Isaiam hic jam nunc, discussis omnibus umbris, aperte de mysterio Christi pronuntiare, et nullum præter Christum vi verborum respondere, eorundemque tum extensionem, tum omnia adjuncta adimplere potuisse. Cæterum, quod hæc ad Christum Dominum referenda sint, et in eo adimpleta fuerint, confirmat locus ex hoc capite adductus in *Actis Apostolorum* (xiii, 47) a Paulo, qui est versus 6; et alter, II *Corinth.* vi, qui est versus 8; item alius quem adducit Joannes in *Apocalypsi* (vii, 16, 17), qui est versus 10; ita ut nihil nos mirari debeant Judæorum vel Rationalistarum figmenta; omninoque fatendum sit aliunde augustiora esse quæ dicuntur ut Cyro convenire possint, et non nisi in sensu imperfecto et accommodatio ex aliqua parte ad S. Joannem Baptistam referri posse.

Hic incipit quasi secunda sectio secundæ partis vaticiniorum Isaiæ, quæ a cap. xlix ad cap. liv pertinet præsertim ad Christi Evangelium et Passionem.

PRIMO igitur, inducitur Christus concionem habens ad universos homines in qua suæ vocationis et muneris rationem reddit, Deo id munus ei per Incarnationem committente, 1; efficaciam et subsidia ad illud implendum conferente, 2; et gloriam inde suam intendente, 3.

SECUNDO, de frustrata apud Judæos opera conqueritur 4; de qua gloriam tamen apud Patrem consecuturus sit, 5, et exinde occasionem sumit divinorum consiliorum ordinem exponendi, ex quibus fructum laboris longe ampliore apud gentes collecturus sit, 6, 7.

TERTIO, nonnulli effectus redemptionis per Christum connumerantur, *primo*, fæderis innovatio, 8; *secundo*, libertas per remissionem peccatorum, ne videlicet ab affectibus præpediamur quominus ad Deum curramus, et insolitam virtutis viam incedere et veluti regionem commutare possimus; *tertio*, tenebrarum, id est peccatorum et ignorantiae discussio, 9; *quarto*, malorum ablatio et honorum largitio, ita ut nihil eis omnino nocebit, et nulla erit conditio, nulla sors, nulla vocatio (per montes figuratæ) quæ impedimento esse poterit quominus Deus comprehendatur, 10, 11; quæ omnia cum veluti jam facta videt Propheta, omnia ad collaudandum Deum et congratulandum filius Dei invitat, 12.

QUARTO, attamen cum Sion querimonias apponat, quia Judæi adhuc carnales, licet pii, hæc restitutione spiritalis generationis non sunt contenti, et impleri promissiones petunt de multiplicatione filiorum, ut qui semper Jerusalem desolatam deflent; his satisfacit Dominus, *primo*,

insulæ, et attendite, populi de longe. » Hæc enim non ad Cyrum, ut vult Hugo, nec ad Joannem Baptistam, ut volunt alii; sed ad Christum pertinere patet ex ipsis verbis, et ex *Actor.* xiii, ubi illud vers. 47: « Posui te, in lucem Gentium, » de Christo exponitur; et II *Corinth.* cap. vi, illud vers. 2: « Tempore accepto exaudivi te, » de tempore Ecclesiæ Christianæ explicatur; et *Apocal.* cap. vii, illud vers. 16: « Non esurient, neque sicient, » etc., de Ecclesia Christi beata et triumphante in cælis, intelligitur. Inducitur ergo hic Christus, quasi concionem habens ad omnes homines, in qua suæ legationis, adventus et officii rationem reddit, scilicet, ut omnes Gentes ad Deum et salutem vocet, eosque Judæis, in vera Dei Ecclesia, subroget atque substituat.

DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME, — dicens matri Virgini per Gabrielem Archangelum: « Vocabis nomen ejus Jesum, » *Matth.* cap. i, vers. 21, *q. d.* Uti Cyrum ab utero, imo ante uterum, nominavi, dixique: « Vocavi te nomine tuo, » cap. xlv, vers. 4; item Israelem, dicens: « Formans te, ab utero auxiliator tuus, » cap. xlv, vers. 2; et cap. xlv, vers. 3: « Qui portamini a meo utero: » ita ab utero, imo antequam in utero conciperer, vocavit Deus me « Jesum, » id est salvatorem, hoc est, designavit et destinavit me, ut essem vindex et redemptor generis humani; Deus enim vocat res ut sunt, aut quales futuræ sunt: imo quales ipse eas facturum est; Dei enim nominare, est efficax, et Dei dicere, est facere. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Ambrosius in *Psal.* xxxv.

2. ET POSUIT OS MEUM (id est *verba mea*, uti vertit Chaldæus) **QUASI GLADIUM ACUTUM**, — quasi aciem gladii. Alludit ad phrasin Hebræam: *Percutere in ore gladii*, id est in acie gladii; huic enim comparat os Christi. Rursum alludit ad Cyrum Christi typum, de quo dixit cap. xlv, vers. 2: « Ego ante te ibo: et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, » etc. Pari enim modo gladios et arma dedit Christo, quibus totum orbem subjugavit. Sensus ergo est, *q. d.* Ecce ego Christus cædem facturum advenio non corporum, sed animorum; venio enim peccata et vitia trucidaturus, ut caro, id est vita animalis, pereat, et spiritus vivat. Prædicatio enim Christi sive Evan-

memoriam benevolentissimam et affectum tenerrimum ostendendo, 14-16; *secundo*, restaurationem, exornationem et amplificationem per conjunctionem cum Ecclesia promittendo, 17-21; cui Ecclesiæ *tertio* promittit, accessionem ex omni gente, 22, sustentationem et reverentiam a summis principibus, 23, liberationem et vindicationem de hostibus, contra horum opinionem, 24-26.

gelium et verbum Dei resecat et jugulat crimina, passiones, concupiscentias; item reprobos et demones, præsertim in die iudicii. Hoc est quod ait Christus: « Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, » *Matth. x, 34.*

Hoc gladio oris Petrus occidit Ananiam et Saphiram, Paulus Elymam excæcavit. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr. cap. iv, vers. 12*: « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. »

Huc allusit Joannes *Apoc. cap. i, vers. 16*: « Et *Je* ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. » Et S. Paulus militem Christianum Christi panoplia armans: « Galeam, inquit, assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, » *Ephes. cap. vi, vers. 17.* Hisce ergo verbis et seqq. describuntur vis, energia et efficacia prædicationis Christi. Ecclesia adaptat hæc S. Joanni, non sensu litterali, sed accommodatitio, quia ipse fuit præcursor Christi, et vox ejus, clamantis in deserto. Simili modo hæc Apostolis aliisque efficacibus Christi prædicatoribus adaptes, uti in Officio divino multa quæ in Scriptura de certis quibusdam personis et Sanctis dicta sunt, aliis similibus adaptantur. Uti illud de Abrahamo: « Non est inventus similis illi in gloria, qui conservaret legem Excelsi, » *Eccli. cap. xliv, vers. 20,* omnibus Confessoribus adaptatur.

IN UMBRA MANUS SUÆ PROTEXIT ME. — *Primo*, « in umbra, » id est in protectione. Unde Septuaginta vertunt, *in protectione manus suæ abscondit me*, ut scilicet carnis meæ vilitas, divinitatis potentia tegetetur. Unde et Angelus ait B. Virgini matri, Christum concepturæ: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, » *Luc. cap. i, vers. 35.* Ita S. Hieronymus et Procopius. Umbra enim symbolum est protectionis, quia umbra protegit homines ab æstu solis, qui in Indæa ingens est, et aves alis suis obumbrantes pullos, eos protegunt a milvo. « In umbra ergo manus, id est manu sua, mihi obumbrante et objecta, protexit me. Sic dicitur de Christo, *Threnor. cap. iv, vers. 20*: « In umbra tua vivemus in Gentibus. »

Secundo, apposite Forerius per « umbram manus, » accipit vaginam gladii, quæ sub manu sinistra quasi absconditur (hoc enim proprie significat hebræum *חַבָּא chaba*), eaque tegitur et obumbratur. Persistit enim in metaphora gladii, qui sub sinistro brachio abditur in vagina, ut dextera inde facile educatur. Nam sicut mox se vocat sagittam in pharetra Dei absconditam, ita se vocat hic gladium in vagina, sub manu Dei reconditum, *q. d.* Ego sum gladius acutus, quia sum gladius Dei potentissimi; Deus enim in vagina sua, quasi in umbra manus suæ sinistrae me abscon-

dit, ut cum vult, inde dextra sua me educat, stringat, omniaque secet et penetret.

ET POSUIT ME SICUT SAGITTAM ELECTAM. — Alludit ad Cyrum, qui quasi fuit gladius et sagitta Dei. Nam arma militis sunt duo, scilicet gladius, quo cominus, et sagitta, quæ eminus et celestissime hostem ferit. Sic Christo duci, *Psal. xliv, 4*, datur gladius: « Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime. » Deinde sagittæ, vers. 6: « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. » Christus enim per se et Apostolos tam gentes vicinas quam remotas potenter et velociter debellavit, et suæ fidei subjugavit, itaque tam cominus gladio quam eminus sagitta pugnavit, vicit et triumphavit. Ita Forerius, Vatablus, Sanchez et alii. Pro *electam*, Forerius et Vatablus vertunt *extersam*, politam, nitidam et fulgentem; qua voce significatur sagittæ acumen, felicitas, fulgor et robur. Ita enim milites solent gladios et sagittas suas polire, tum ad ornatum, tum ut ea acuant, iisque omnia confringant et penetrent. Et hoc proprie significat hebræum *בָּרֹר barur*; unde Noster et Septuaginta qui vertunt, *electam*, videntur legisse *בַּחֹר bachur*.

Christus ergo est Patris gladius, et sagitta tersa, præ Apostolis aliisque Sanctis electa, quam in pharetra, tum suæ præscientiæ et providentiæ, aiunt Cyrillus et Lyranus, tum humanæ carnis abscondit. Hanc sagittam mittit quo vult, ejusque verbis, verberibus et vulneribus transfixit, compunxit et vulneravit mentes fidelium sui amore, eorumque vitia et peccata occidit. Ita S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus et S. Chrysostomus, hom. *De Virtute vel turture*, tom. V, qui et addit: Hac sagitta Jeremias, cap. xvii, vers. 16, vulneratus dicebat: « Non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis; » et David dicens: « Adhæsit anima mea post te; » et Petrus: « Domine, tu scis, quia amo te; » et Paulus: « Quis nos separabit a charitate Christi? » Hæ sunt sagittæ amoris, quarum cor scopus in quem collineant, ut vivificent occidendo, ait S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgines*: « Quam beatum hæc sagitta vulnerari, » ait Origenes, hom. 2 *in Cant.* Hac sagitta quoque confixus fuit S. Augustinus audiens conversionem duorum aulicorum, qui legentes Vitam S. Antonii, relicta aula, Deo in solitudine se consecrarunt, uti ipse refert, lib. VIII *Confess. vi et viii.* Hac sagitta icta S. Magdalena, fluvios lacrymarum profudit. Erant enim ejus lacrymæ, sanguis cordis vulnerati, qui per oculos fluebat. Ubi nota efficaciam harum sagittarum Christi: ita enim corda feriebant et subigebant; ut illa ipsa mox facerent sagittas, quibus alios sibi subigeret. Sic enim Magdalena, Paulus et Apostoli hisce Christi sagittis confixi, facti sunt ipsimet sagittæ, ad alios ejus amore sauciandos. Et idcirco Christus hic vocatur sagitta electa, quia quoscunque tetigit, sagittas effecit, itaque serpsit crevitque ejus exercitus, quo mox totum orbem pervasit, sibi que subegit. Hoc enim habet amor Chri-

Christus est gladius et sagitta Patris; amore confixus.

sti, ut sua salute non contentus, aliorum omnium salutem sitiatur, et pro viribus procuret. Hinc

Apostoli Tropologicae, sagittae Dei et Christi sunt Apostoli virique Apostolici. Ita S. Hieronymus, epist. ad Principiam, S. Paulum vocat sagittam. Apostoli enim idem sunt quod missi, sagittae proprium est ab arcu emitti. Hac de causa S. Joannes, Apoc. vi, 2, ait : « Et vidi : et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. » Equus enim

albus sunt Apostoli, sessor est Christus, arcus et sagitta sunt Evangelica praedicationis, corona est victoria, puta conversio et subjugatio Gentium. Vide ibi dicta. Vox sagitta ostendit quales debeant esse Apostoli, scilicet, primo, missi et directi a Deo, quasi ejus instrumenta; secundo, conjuncti cum Deo per orationem, eique per omnia obedientes, seque conformantes; tertio, veloces; quarto, efficaces et penetrantes. Sic enim sagitta magna vi fertur in scopum in quem a sagittario emittitur, eumque configit et penetrat; quinto, a vitis tersi, et virtutum sanctitate politi ac fulgentes, ut cum Joanne Baptista sint lucernae ardentes et lucentes; sexto, ut librentur directe in scopum, hoc est, feriant et configant timore et amore Dei cor ac mentem, non aures tantum tangant et scalpant. Denique concionator, si vere concionator est, totus sagitta sit oportet; tam enim sanctis exemplis, quam verbis necesse est ut feriat corda hominum, adeoque tota ejus vita debet concionari, et timore Dei configere corda mortalium. Utinam, Domine Jesu, des nobis, nosque ipsos efficias tales sagittas, ut simus sagittae potentis acutae, quibus icti homines dicant cum sponsa : « Vulnerasti cor meum : fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo ! » Cantic. II, 5, et IV, 5.

Vers. 3. 3. ET DIXIT MIHI : SERVUS MEUS ES TU ISRAEL. — Christus vocatur servus Dei, quia cum in forma Dei esset, sponte nostri amore formam servi accepit. Vide dicta cap. XLII, vers. 1.

Israel est Rursum vocatur Israel, id est Israelita, quia natus est, ait S. Hieronymus, de semine Israelis et Juda. Secundo, quia missus fuit primario ad oves, quae perierunt, domus Israel. Tertio, quia ejus typus fuit Jacob, sive Israel : sicut enim ipse cum Angelo, Dei vicario et legato, luctans et praevalens, vocatus est Israel, id est dominans Deo : sic multo magis Christus fuit Israel, id est dominatus est Deo, cum Deum iratum, sua obedientia usque ad mortem crucis, vicit, eumque hominibus fecit propitium, itaque Dei vindictam et sententiam damnationis in homines latam rescidit. Vide Can. XXI.

QUIA IN TE GLORIABOR. — Christus enim in hoc mundo per tot labores et cruce, non aliud quaesivit, quam gloriam Dei, ut per ea glorificaret Patrem. Unde ipse ait, Joan. XVII, 4 : « Ego te clarificavi super terram, » etc.

Secundo, q. d. Es quidem servus meus, sed et es tota gloria mea, et decor meus, quia in te uno

ostendi mundo abyssum meae bonitatis et amoris : unde illam in te mundus agnoscens subdidit se mihi, meque pariter glorificavit. Ita Forerius.

4. ET EGO DIXI : IN VACUUM LABORAVI. — Est vox Christi conquerentis, tot tamque validos labores et fatigationes suas, quas in docendo, concionando, discurrendo, patiando, exhaustis apud Judaeos, fuisse sine fructu. Pauci enim ex iis conversi sunt. Ita S. Hieronymus.

ERGO JUDICIUM MEUM CUM DOMINO, — q. d. Ego Christus manifestavi nomen tuum, o Pater, hominibus, puta Judaeis; feci quidquid potui pro eorum salute, usque ad crucem et mortem in qua, inclinato capite, clamavi : « Consummatum est. » Judicium ergo hujus causae tibi, Pater, committo; tu judica, cujus culpa factum sit, ut tam pauci ex iis mea opera sint conversi et salvati, ait S. Hieronymus, eosque qui meos labores spreverunt, et in se cassos reddiderunt, judica et puni.

Interim, opus meum, id est merces operis mei, ait Chaldaeus, cum Deo meo, id est apud te scilicet, o Pater, mihi integra servatur. Tu enim bona opera remuneras, secundum laborem, non secundum effectum et fructum ex iis consecutum, qui saepe non est in operantis potestate; imo ab auditoribus duris, vel ab aemulis, cassus redditur. Notent hoc Christumque imitentur viri Apostolici, qui vel hic, vel in India apud Barbaros, ingentes labores exantlant, subinde parvo cum fructu : merces enim et laurea Apostolica integra eis servatur apud Deum.

Secundo, Sanchez sic quoque exponit : Judicium, id est pactum meum est cum Deo Patre, ut scilicet sicut eum ego glorifico, sic ipse vicissim me glorificet, illudque ipse abunde praestitit. Unde opus, id est merces operis mei mansit apud Deum, mihi data est, cum ipse me glorificavit in baptismo, dicens : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite, » Matth. XVII, 5, et in morte, inducendo tenebras orbi, et in ipsa resurrectione, me gloriose resuscitando.

Tertio, Forerius Hebraeum מִשְׁפָּט mispat, id est iudicium, sumit pro statu, conditione, officio et exercitiis : sic enim saepe sumitur, q. d. Ne putes ex eo, quod frustra apud Judaeos laboravi, me non missum fuisse a Patre, aut aliter negotium, ad quod misit me, tractasse, quam debui, aut in aliquo deliquisse. Nam conditio, status, officium, exercitia, omnesque actiones meae, a Deo Patre dispositae fuerunt et ordinatae, a cujus iudicio et ordine ego ne latum quidem unguem recessi. « Nam sicut mandatum dedit mihi Pater, sic » feci, et « facio semper. » Verum primus sensus maxime planus et germanus est.

ET NUNC DIXIT DOMINUS. — Hic Deus inducitur quasi respondens querelae Christi, quod frustra apud Judaeos laboravit. Respondet autem vers. seq. Hoc enim versu Christus causam suam exponit et justificat.

5. FORMANS ME EX UTERO SERVUM SIBI, ET REDU- Vers. 3.

CAM JACOB. — *וְנִחַם* paret Christum per se, et primario, quasi ex officio et instituto, missum esse a Patre, ad Judæos docendos et salvandos: his enim ab eo promissus erat Messias. Quare Christus a Patre præceptum accepit docendi Judæos, illudque per se et per Apostolos, vivens implevit: unde mandavit eis dicens, *Matth. x, 5*: « In viam Gentium ne abieritis, etc. Sed potius ite ad oves quæ perierunt, domus Israel. » Cum ergo Judæi repellerent ejus Evangelium, voluit Deus, Christusque in cælum abiens jussit Apostolis, ut prædicarent Gentibus totique orbi: « Euntes, ait, docete omnes Gentes, » etc., *Matth. xxviii, 19*. S. Paulus, *Actor. xiii, 46*: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, etc., ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit (Pater Christo, et Christus) nobis: Posui te in lucem Gentium, » etc.

ET ISRAEL NON CONGREGABITUR. — Ita habent Hebræus, Symmachus, Theodotion et alii. Quare perperam alii, pro *לֹא* lo per *aleph*; id est non, legunt *וְלֹא* lo per *vau*, vertuntque contrarie, et congregabitur. Sensus est, *q. d.* Quæsi oves perditas Israel, ut eas reducerem in caulam et Ecclesiam Dei; sed illæ noluerunt: itaque non congregabuntur, id est, nolent colligi et congregari in ea.

ET GLORIFICATUS SUM IN OCULIS DOMINI, — tum quia gloriosa signa et miracula coram Judæis edidi, quibus eos infidelitatis et pertinaciæ coargui et convici; tum quia Deus Pater pro Judæis tradidit mihi omnes Gentes mundi. Harum enim conversio et salus fuit ingens Christi gloria, æque ac gaudium. Causam subdit dicens:

ET DEUS MEUS FACTUS EST FORTITUDO MEA, — *q. d.* Non mihi gloriam jam dictam adscribo, sed Deo Patri: ille enim mihi fortitudinem et robur dedit, ad illam acquirendam, et ad opus redemptionis humanæ peragendum. Haymo fortitudinem intelligit eam, qua Christus potenter, Dei virtute, a morte est suscitatus, et resurrexit.

Vers. 6. 6. PARUM EST. — Hebraice *נָקֵל* *nakel*, id est leve est; Forerius vertit, *vile*, indecorum, ignominiosum est, *q. d.* Si cui ignominiosum videtur, quod non valueris ad me reducere Israelitas; ecce, do te in lucem Gentium: itaque hanc ignominiam majori laude et gloria compenso et obruo.

FÆCES. — Hebraice *רֵסָעִים* *netsure*, id est reservati et superstites ex tot cladibus et excidiis, præsertim Titi et Vespasiani; quod Noster recte vertit, « fæces, » id est viles et exiguas reliquias, « Israel. » Jam enim Judæi ita abjecti, exsules et miseri sunt, ut videantur esse fæces omnium gentium et mundi quisquiliæ.

ECCE DEDI TE IN LUCEM GENTIUM (ut sis quasi sol spiritualis et divinus mundi, et « lumen ad revelationem Gentium, » ut canit Simeon *Luc. ii, 32*), UT SIS SALUS MEA. — Septuaginta, *ut sis in salutem*. Vide quam Deo cordi et curæ sit salus nostra, cum eam vocat suam. « Volo, inquit S. Hieronymus, ut salus mea universum orbem occupet. » En glori-

riam magnificam Christi. An non enim gloriosum est, quod unus homo crucifixus in toto orbe pro Deo colatur? et barbaras nationes ad se et ad Deum per discipulos suos adduxerit, an non gloriosum est, quod pro angulo Judææ, occupet extrema terræ et fines orbis? Quod enim Apostoli fecerunt, hoc Christus in eis loquens et cooperans effecit.

7. HÆC DICIT DOMINUS, etc., AD CONTEMPTIBILEM ANIMAM, — id est ad viles Judæos, qui jam quasi servi viles et contemptibiles sunt. Ita aliqui apud S. Hieronymum. Unde et S. Thomas refert hæc ad Judæos Babylone liberatos; Hugo vero ad Cyrum, qui puer in sylvis, bestiis jussu Astyagis avi sui expositus, a Deo evectus est ad regnum. Verum dico sermonem esse ad Christum, ejusque discipulos. Christus enim ab Herode, Anna, Pilato et Judæis contemptus fuit, quasi « vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis; » et, ut Isaias ait cap. *lxi*, vers. 3 et 4: « Despectus, et novissimus virorum: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. » Tales fuerunt quoque Apostoli, et primi Christiani sub Imperatoribus Gentilibus et tyrannis. Christianos ergo vocat Gentem abominatam, et servum quorumlibet dominorum. Unde Aquila et Theodotion vertunt: *Ei qui despicit animam, qui abominationi est genti, qui servus est principum*, id est Christo cum suis Christianis, qui pro genere humano redimendo, quasi servus, mancipium, imo quasi bestia, consputus, coronatus, cæsus et irrisus, « ave Rex Judæorum, » animam suam dedit in mortem principibus Judæorum ac Pilato. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius; Eusebius, Tertullianus, et ex iis Leo Castrius, Forerius, Sanchez et alii.

Unde Septuaginta vertunt: *Sanctificate eum qui despicit animam suam, qui abominatur a Gentibus, servus principum*. Hoc est quod Christus suis prædixit *Luc. xxi, 17*: « Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; » et *Joan. xvi, 2*: « Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. » Id contigisse reipsa Apostolis, patet *Actor. cap. ii, 5, 6* et sequent., et *I Cor. iv*.

Sensus ergo est, *q. d.* Licet Christus et Ecclesia jam videantur contemni et calcari, ac in eam totus orbis odiis insurgere, ait Cyrillus, atque Christianos probris et tormentis exeruciare, quasi vilia mancipia, imo quasi oves morti destinatas et quasi purgamenta mundi; tamen hæc eorum misera sors non diu durabit: nam ego brevi vicem commutabo, faciamque ut reges eam honorent et adorent. Hoc est enim quod sequitur:

REGES VIDEBUNT, ET CONSURGENT PRINCIPES, ET ADORABUNT, — *q. d.* Reges et principes assurgent, et venerabundi supplicabunt tibi, o Christe, et Ecclesia; hoc est, ut ait vers. 23: « Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. » Secundo, S. Hieronymus et Procopius

hæc reyerunt ad diem iudicii : tunc enim Christus, Apostoli et Martyres, sedentes in gloriosis thronis, iudicantes duodecim tribus Israel, quin et Annam, Caipham, Pilatum, Neronem, Decium, Diocletianum, omnesque reges et tyrannos, qui olim eos persecuti sunt, iudicarunt, et condemnarunt, et excruciarunt; cogent quasi reos, ad suum tribunal sisti, et fieri supplices, seque venerari, eosque iudicabunt et condemnabunt.

PROPTER DOMINUM (*q. d.* Dominus erit causa efficiens hujus mutationis, ut reges, ante hostiles, nunc adorent Christum et Ecclesiam), QUIA FIDELIS EST, — ut hoc ipsum quod ei promisit, præstet.

Aliter Forerius : Propter Dominum, inquit, deferebant principes hunc honorem discipulis Domini; quia eos videbant et agnoscebant electos a Domino, a sancto illo Israelis Deo, quod ex signis et virtutibus, et ingenti malorum tolerantia, inaudita mansuetudine, cæterisque cœlestibus donis, quæ non possunt non admirari vel barbari homines, et reges ipsi; manifeste intelligebant, hæc non nisi ex ope et virtute Dei, qui fidelis est et liberalis in sanctos et electos suos, proficisci. Unde ad Dei hujus amorem et cultum impulsus, et tantum non coacti sunt.

Vers. 8.

8. HÆC DICIT DOMINUS : IN TEMPORE PLACITO EXAUDIVI TE, — *q. d.* Eo tempore quo contemnebaris, vexabar, imo crucifigebaris, o Christe, ab impiis Judæis, orasti me ut te ab hisce Judæorum et Gentilium probris eriperem, glorificarem, a morte suscitarem, nomen tuum toto orbe celebrarem, et per illud justitiam et salutem darem omnibus Gentibus. Dixisti enim in tempore contemptus tui, *Psalm.* xcviij, vers. 12 et 14 : « Factus sum illis in parabolam. Ego vero orationem meam ad te, Domine (dirigebam) : tempus beneplaciti (adveniat), Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ. » Idem orasti in cruce « cum clamore valido et lacrymis, et exauditus es pro tua reverentia, » *Hebr.* v, 7. Nam tertio die a morte te suscitavi, quadragesimo die triumphantem in cœlos subvexi, quinquagesimo die in nomine tuo Spiritum Sanctum in Apostolos tuos misi, qui mox tuum nomen toto orbe celebrarunt, tuamque fidem, gratiam et salutem omnibus Gentibus attulerunt et deprædicaverunt.

Tempus ergo placiti, sive benevolentiae (hanc enim significat Hebræum רצון *ratson*) divinæ erga Christum et Ecclesiam, est tempus placabile, quo Deus placatus et reconciliatus est per Christum generi humano, puta tempus gratiæ Evangelii, præsertim id quod mox Christi mortem consecutum est, in quo vivebant, docebant et convertebant orbem Paulus et Apostoli. Sic enim explicat S. Paulus, II *Cor.* vi, 2 : « Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. » Idem enim est « tempus acceptabile, » quod « dies » id est tempus, « salutis. »

Sunt verba Patris ad Filium, *q. d.* Exaudivi, id est exaudiam te cum incarnatus et natus fueris, pro membris tuis, et in membris tuis, puta Apostolis et Christianis, deprecantem, opemque, gratiam et salutem toti mundo postulantem. Hæc enim ob preces tuas illi conferam et præstabo. Vide *Canon.* XL. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et passim alii.

ET SERVAVI TE, — ne moriens interires, sed mox gloriose resurges : hoc tibi conferam. Sequitur aliud, quod tuis fidelibus in tui gratiam præstabo.

ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI, — ut novum foedus, pactum et testamentum conderes inter Deum omnesque Gentes, sicut vetus foedus sanxit Moses inter Deum et Judæos, utque hoc foedus tua morte et sanguine sancires. Unde *secundo*, « dedi te in foedus, » id est in victimam foederalem, qua placatus Pater, hominibus reconciliatus est, cum iisque foedus iniit de danda eis salute æterna. Ita Forerius, qui et addit : Dicitur quoque Ecclesia primitiva, et Apostoli, qui unum cum Christo corpus efficiunt, foedus populorum, quia ministri fuerunt hujus reconciliationis et foederis, illudque sua quoque morte et martyrio obsignarunt. Hoc est enim quod paulo ante, cap. vi jam citato, ait Paulus : « Pro Christo legatione fungimur. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. »

UT SUSCITARES TERRAM, — ut homines terræ incolæ, in peccatum lapsos, et in mortem ac gehennam ruentes, erigeres, atque ad vitam et salutem cœlestem revocares.

ET POSSIDERES HÆREDITATES DISSIPATAS — Gentium sedentium in tenebris, carcere et umbra mortis, infidelitatis, ignorantiae et peccatorum, per eaque dissipatarum, longeque recedentium a fide, Deo, gratia et salute. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii. Simili metaphora utitur Isaias, cap. xxxv, 5, et sæpe alibi.

Secundo, Forerius : *Hæreditates*, ait, desolatæ et *dissipatæ*, vel, ut in Hebræo est, *afflatæ*, id est quas initio, qui videbant, quasi rem absconditam, execrabantur atque exhibebant, erant virtutes et dotes Christi et Christianorum, puta contemptus, vigiliæ, jejunia, paupertas, fames, nuditas, probra, flagella, crux, etc. Adde innocentiam, castitatem, continentiam, mansuetudinem, humilitatem, etc. Quis enim hæc non horrebat, ut crucem et furcam? At in has desertas possessiones induxerunt nos Christus et Apostoli, ut ea jam ambiamus, iis nos ad cœlum tendere, iis nos beatos esse æstimemus. Hic sensus subtilior et spiritalior, prior solidior et germanior est.

9. UT DICERES HIS, QUI VINCTI SUNT : EXITE. — *v* Exite, o Gentes! ex vinculis peccatorum, ex reatu culpæ et pœnæ, quo diabolo et inferno astricti estis : ego per Christum in libertatem et gratiæ statum, vos assero, imo in amicos et filios meos adopto.

ET HIS, QUI IN TENEBRIS (idololatriæ et gentilismi) : REVELAMINI, — hoc est illustramini, luce Evangelii perfundamini; ac consequenter, « abji-

cite opera tenebrarum, et induimini arma lucis, ut sicut in die honeste ambuletis. » S. Anselmus in *Elucidario* hæc refert ad animas in Limbo et Purgatorio existentes, quas omnes Christum inde liberasse, cum eo descendit post mortem, censet; de quo plura dixi *Osee* cap. XXIII, 13.

SUPER VIAS PASCENTUR, ET IN OMNIBUS PLANIS PASCUA EORUM. — Hisce et sequentibus metaphoris significat Propheta, tempore Christi, non Hierosolymis tantum, ut olim, sed ubique Gentium, fore copiam pabuli, et fontium spiritualium, puta verbi Dei, gratiæ, Sacramentorum omnisque consolationis spiritalis. Denique promittit Deus se tunc amoturum omnia impedimenta, ut via salutis sit plana et expedita inter prospera et adversa. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Origenes, lib. I *Contra Celsum*. Speciatim Origenes per *pascua* accipit templa; S. Hieronymus vero et Cyrillus sacram Scripturam, doctrinam Evangelicam, et quidquid animam pascit. Hoc est quod ait Christus: « Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet, » *Joan.* x, 9.

10. NON ESURIENT, NEQUE SITIENT, ET NON PERCU- TIET EOS ÆSTUS ET SOL. — Alludit ad Hebræos in deserto, quos Deus pavit et satiavit manna de cælo, atque columna nubis protexit a solis æstu, *q. d.* Simili modo, imo potiori et feliciori, Deus Christianos pascet et satiabit suo Evangelio, sua doctrina et gratia, ac præsertim Eucharistia: atque proteget eos ab æstu tentationum, ut si eo niti, eum sequi, ejusque gratiæ cooperari velint, omnes tentationum et tribulationum æstus sint superaturi, neque experturi ullam famem aut sitim spiritalem. Hoc expertus Paulus dicebat, II *Cor.* cap. iv, 8: « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deieimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. » Levius ergo ferunt pii suas adversitates et afflictiones, in quibus non raro cum Paulo gaudent et gloriantur, quam improbi suas felicitates, in quibus non raro nauseant. Ita Forerius.

Anagogice, hæc accipe de beata saturitate gratiæ et gloriæ in cælo. Ita enim accepit S. Joannes, *Apoc.* cap. vii, 16.

QUIA MISERATOR EORUM REGET EOS. — Hæc est causa cur non sitient, non urentur sole, quia scilicet Deus, qui ex intimis charitatis visceribus eorum miseretur, et afflictionibus eorum compatitur, et quasi condolet, dirigit, vel, ut Vatablus vertit, *pascet eos*, « et ad fontes aquarum, » jam dictos, « potabit eos. » Alludit ad *Psalm.* xxii, 4: « Dominus regit me (hebraice, *pascit me*), et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. » Nota: Pro *potabit* Hebræa et Septuaginta habent, *portabit*; Latina vero Biblia, Romana et alia passim legunt *potabit*, pleniori sensu: nam portabit eos ad fontes, ut ibi potet eos.

11. ET PONAM OMNES MONTES MEOS IN VIAM, ET SEMITÆ MEÆ EXALTABUNTUR. — Alludit ad Hebræos ex Ægypto venientes in Chanaan et Jerusalem, eoque redeuntes ex Babylone. Hisce enim Deus quasi complanavit montes et semitas; sive valles: montes deprimendo, valles implendo et attollendo; quia fecit ut plana et commoda via, læti et alacres proficiscerentur, *q. d.* Pari, imo meliori modo, deducet gentes, ubivis locorum sint, ut ardua et aspera quæque superent, planaque via contendant ad Jerusalem et Sionem, hoc est, ad Ecclesiam Christi. Hoc est quod ait Joannes Baptista: « Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, » *Luc.* cap. iii, 5.

S. Cyrillus speciatim per *montes* accipit sublimitates virtutum. Olim, ait, virginitas, continentia, innocentia, patientia, martyrium, inimicorum dilectio, mundi despicientia, etc., videbantur esse virtutes homini impossibiles et quasi montes inaccessi: nunc per Christum, Deus illas planas et faciles reddidit; itaque viam ad perfectionem et cælum quasi complanavit, et in æquabilem semitam redegit; ita tamen, ut hominibus terrena sapientibus exaltata videatur, et revera sit. « Nostra enim conversatio in cælis est. »

12. ECCE ISTI DE LONGE VENIENT. — S. Hieronymus, Forerius et Sanchez putant hic significari quatuor plagas orbis, quod scilicet ex eis venturæ sint Gentes ad Christum et Ecclesiam. Unde per *de longe* accipiunt Orientem. Verum, non videtur hoc loco id curæ fuisse Prophetæ: nec enim *de longe* significat Orientem potius quam Occidentem, cum æque ex Occidente remotissimo, atque ex Oriente venturæ essent Gentes ad Ecclesiam: uti hodie ex remotissimis Americæ regionibus venire videmus. Alibi enim satis hæc plagas expressit, ut cap. xliii, 5: « Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da; et Austro: Noli prohibere. » *Tò ergo de longe* potius genericum est, quamlibet mundi plagam remotam, in genere significans. Unde illud subdividens, non in omnes, sed in aliquas ejus potiores partes, subdit: « Ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi. » *Tò enim ecce*, quod præposuit *de longe*, dicens: « Ecce isti de longe venient, » semel tantum repetit in sequentibus membris, dicens: « Ecce illi ab Aquilone, » etc., significans hæc tria membra quæ sequuntur explicare et subdividere *de longe*. Alioquin enim si *de longe* solum Orientem significaret, vocem *ecce* æque Occidenti et Austro præposuisset, atque Orienti et Aquiloni.

ET MARI, — hoc est de Occidente. Vide *Can.* XXXIX.

ET ISTI DE TERRA AUSTRALI. — Hebraice *מֵאֵרֶץ סִינַי* *veelle meerets sinim*, quod Hebræi, testibus S. Hieronymo, Forerio, Forsterio, Vatablo et Sanchez, vertunt, *et isti de terra Sinæorum*, sive incolarum vel accolarum montis Sina, hoc est Australium. Sina enim, inquit, est ad Austrum

Judææ. *Secundo*, Septuaginta vertunt, et isti de terra Persarum. Per Persas autem tres Magos, quasi illi ex Perside venerint, significari putant S. Cyrillus et Procopius.

Propheta de Sinarum conversione. Verum dico cum Osorio et Aria Montano, hic esse prophetiam de vastissimo et magnifico regno Sinarum; verto ergo: *Et isti de terra Sinarum*. Porro Sinæ sunt in extremo Oriente, juxta Japonem; et versus Septentrionem, proximam habent Tartariam.

Probatur primo. Probatur hæc sententia: *primo*, quia *Sinim* proprie significat Sinas, nec potuit Isaias Sinas hebraice aliter nominare, quam dicendo, *Sinim*. Sicut enim hebraice *Gehlim* vocantur Galilæi, *Jehudim* Judæi, *Assurim* Assyrii, *Casdim* Casdæi, sive Chaldæi, *Aramim* Aramæi, id est Syri: ita *Sinim* vocantur et sunt Sinæ. Porro Sinæ hoc nomine, non alio (esto ipsi domi suæ alio se vocent), toto orbe Christiano sunt notissimi.

Secundo. *Secundo*, quia cæteri Interpretes, inquit S. Hieronymus, puta Symmachus, Aquila et Theodotion, uti et Syrus, et Arabicus tam Antiochenus quam Alexandrinus, ac Leo Hebræus, retinuerunt Hebræum nomen *Sinim*, quasi proprium gentis, vertuntque: *Et isti de terra Sinim*, id est Sinarum, uti jam dixi.

Tertio, *Sinim* esse Sinas potius quam Sinæos, sive accolas montis Sina, probatur *primo*, quia nusquam in Scriptura Sinæi vel Australes hebræi vocantur *Sinim* a monte Sina, cum tamen montis Sina crebra fiat mentio. Rursum Meridies, sive Auster, non vocatur hebraice Sina, sed *negeb* vel *theman*. *Tertio*, Sina mons, ait Sanchez, magis est ad Occasum Judææ, quam ad Austrum (quod tamen in Tabulis geographicis non apparet, ibi enim notatur quasi Australis Judææ); unde ipse per *Sinim* hic accipit Occasum, per *mare* vero Austrum: mare enim Mediterraneum tam est ad Austrum, quam ad Occasum Judææ. Unde in Scriptura *mare*, nunc Austrum, nunc Occasum denotat. *Quarto*, Sina mons est desertus, et paucos habet accolas. Quorsum ergo in tanta gentium multitudine, qui ad Ecclesiam venturi erant, solos Sinæos desertos et paucos nominasset Propheta magniloquentissimus?

Quarto, quia per *Sinas* proprie explicamus *et ecce isti de longe venient*. Sinæ enim longissime ab hoc orbe dissiti sunt, sitique in extremo Oriente, cum Sinæi vicini sint Judææ.

Cur pro Sinim, versum est, terra Australis. Dices: Cur ergo S. Hieronymus, cujus versio probata est ab Ecclesia, pro *Sinim* vertit, de terra Australi? Respondeo: Quia tempore S. Hieronymi, Sinæ, et Sinarum regio erat incognita; unde per *Sinim* ipse in Commentario accepit Sinæos, qui post Sinas proxime accedunt ad Hebræos, *Sinim*. Spiritus Sanctus tamen manum ejus direxit, ut non Sinæos, sed terram Australem verteret. Sinæ enim, qui proprie hic significantur, licet sint ad Orientem, dici tamen possunt esse ad Austrum: *primo*, quia Lusitani in Sinas navigaturi,

initio longo flexu navigant ad Austrum, scilicet ex Lusitania usque ad promontorium Bonæ Spei, quod ultimum est in continente, et directe oppositum Austro. Ita Arias. Simili modo Babylon vas-tatrix Judææ, dicitur in Scriptura esse ad Aquilonem Hierosolymæ, cum potius sit ad Orientem, quia scilicet Nabuchodonosor cum suis copiis per Dan, sive Cæsaream, quæ Aquilonaris est Hierosolymæ, ingressus est Judæam, indeque perrexit in Jerusalem, uti dixi *Jerem.* 1, 13.

Secundo, quia sub Austro hic quoque Orientem (quem ideo non nominat) subintelligit. Opponitur enim hic Auster tam Aquiloni quam mari, id est Occidenti. Unde Septuaginta, quibus pariter Sinæ erant incogniti, pro *Sinim* vertunt *Persas*, qui sunt ad Orientem Judææ. Porro per Persas, directum e Judæa est iter terrestre in Sinas. Quocirca et S. Hieronymus dubius de voce *Sinim*, putansque hic quatuor orbis plagas significari, per *Sinim* ait posse accipi Orientem. « Si autem *Sinim*, inquit, ut Septuaginta transtulerunt, Persas intelligimus qui ad Orientem siti sunt; illud quod supra dicitur: Ecce isti de longe venient, ad Austrum referre poterimus. » Per *Sinim* ergo accipe cum S. Hieronymo et Septuaginta Orientales populos: et quos alios accipies, quæso, quam Sinas? Quid enim Persis cum voce *Sinim*? *Sinim* ergo, hoc est Sinas, ad Sionem, id est Ecclesiam Christi venturos prædicit.

Quæres: Cur præ aliis Gentibus tot tantisque solorum Sinarum meminit Isaias? Respondeo *primo*, quia dixerat: « Ecce isti de longe venient; » Sinæ autem longissime distant. Rursum, quia, ut docet noster Maffei, lib. VI, Botterus, lib. *De Magnitudine imperior. in Sinensi*, Ortelius et alii, Sinæ numerosissimi sunt, eorumque regio adeo populosa est, ut urbes vulgares censeantur supra 1150, majores 247. Rursum incolæ non tantum in oppidis et pagis, sed et in fluminibus, pontibus et navibus habitant.

Botterus scribit, in Sinis numerari 70 milliones hominum, quæ multitudo non est in tota Europa. Nam Italia, ut idem tradit, numerat 10 milliones, Anglia tres, Gallia 12, Germania 15, et ita consequenter (1). Quocirca Sinarum rex semper in armis habet alitque decies centena millia militum. At vero Noster Nicolaus Trigautius, qui plures annos in Sinensi regno habitavit, et visa, non audita narrat, asserit, lib. I *De Exped. Sinensi*, in eo censeri supra 58 milliones adultorum, qui regi pendunt tributum. Sed in his neque mulieres, neque pueri, neque adolescentes, neque eunuchi, neque milites, neque magistratus, et literati, alique multi continentur, qui omnes si computentur, excedunt 250 milliones.

(1) Illæ supputationes, licet non sint eadem hodie, cum ex ultimâ recensione, Europa 250 milliones hominum, Sinarum vero imperium 340 milliones habeat, attamen manent veræ quoad comparationem ab auctore propositam.

Cur pro aliis nominantur hic Sinæ? Respondeo primo.

In China sunt 250 milliones hominum.

Secundo. *Secundo*, quia Sinæ mire ductum naturæ et rationis sequuntur, suntque humani et dociles æquæ ac ingeniosi : unde typographiam et ænea tormenta ante Europæos habuerunt, magistratus et politiam habent admirabilem, in qua, ut volebat Plato, rectores philosophantur, et non nisi philosophi et eruditi regunt. Quocirca valde capaces sunt sapientiæ Christianæ, et Philosophiæ cœlestis et supernaturalis, quam mundo attulit Christus per suum Evangelium.

Tertio. *Tertio*, quia opulentissimi sunt. Abundant tritico, vino, oleo, carnibus, piscibus, fructibus omnis generis, lino, bombyce, lana, fodinis auri, argenti, æris et metallorum omnium. Scribunt Botterus et Maffei annuum regis Sinarum censum esse centum et viginti milliones auri. Vas autem auri vocant centum millia, non florenorum, sed aureorum : aureus autem est drachma auri, siue 12 julii, aut regales. Quæ summa tanta est, ut Vespasianus, licet orbis monarcha, et auri cupidissimus, moriens semel tantumdem non reliquerit. Hinc Sinæ suum regem vocant « cœli filium, et mundi dominum. » At vero Noster Trigautius ex ipsis Sinensium tabulis docet annum regis censum excedere 150 milliones, quæ summa Europæis videtur immensa et incredibilis; sed ipse vectigalia computusque regis subducens, legenti facile id ita esse persuadet.

Quarto. *Quarto*, quia Sinæ inaccessi sunt, et sub periculo capitis aut servitutis et carceris, exteris omnibus aditum in regnum interdicitur. Unde et muro, qui quadringentas et quinque leucas longus est, a Tartaris se diremerunt : atque contra eos, si irruant, mox rex trecenta peditum, ducenta equitum millia, imo, si vult, millionem militum, in aciem educit. Significat ergo Isaias Sinas, licet alios externos excludant, non tamen exclusuros suo tempore Europæos Apostolos; qui non tantum horologia, astrolabia, Astronomiam, Mathesin, Physicam, Metaphysicam aliasque naturales scientias, ac præsertim Ethicam, OEconomicam ac Politicam, quibus mire justitia, felicitas et splendor rerumpublicarum increscit et clarescit; sed etiam supernaturales disciplinas, puta fidem et legem Christi, Ethicam et sapientiam Christianam, ac Theologiam, quæ viam in cœlum, ad bene beatæ vivendum in omnem æternitatem, ostendunt, quæque simul rempublicam miro sapientiæ et virtutis splendore illustrant, eamque in æquitate, obedientia, modestia et pace conservant, atque ei pariter ingens decus et opes, Deique eximium favorem et beneficentiam conciliant; incolas doceant, eosque ad omnem virtutem et sanctimoniam instituant. Itaque eos ad vitam immortalem, et gloriam sempiternam in cœlis obtinendam perducant.

Nominat ergo Propheta Sinas præ aliis populis, ut doceat Sinas licet aliis inaccessos, remotissimos et potentissimos, Christo tamen Dei Filio, ejusque Ecclesiæ se subdituros, ut ab eo gratiam

et salutem adipiscantur. Rursum ut significet insignem fore conversionem, et illustrem Ecclesiam Sinarum præ aliis Indiarum, imo orbis Ecclesiis. Unde exsultans, et in jubulum effusus subdit : « Laudate, cœli ; et exsulta, terra ; quia consolatus est Dominus populum suum. » Porro hæc conversio et illuminatio Sinarum, nostro hoc felici sæculo, magni Indiarum Apostoli S. Francisci Xaverii, Matthæi Ricci, aliorumque Nostrorum incenso zelo, fieri cœpit, et magis fit crescitque in dies.

Nota : Sub Sinis intelligit Japones vicinos, qui a Sinis suam sapientiam et religionem acceperunt. Item medios Indos, omnesque Orientales et Australes populos : hos enim quasi medios vel confines, ab extremitate et termino, puta a Sinis, designat et complectitur. Ita nuper Japonii reges aliquot ad Christum conversi, legationem a sæculis inauditam Romam miserunt ad Gregorium XIII Pontificem, illique per suos legatos obedientiam et pedum osculum detulerunt : atque de Japonum fidei, pietatis ac martyrii zelo, Christianorumque propagatione et sanctimonia, instar primitivæ Ecclesiæ, mira et magna ex Japonicis Nostrorum litteris, quotannis ingenti animi voluptate audimus.

Horum ergo, quæ nec S. Hieronymus, nec prior ætas vidit, hoc ævo experientia clare explicat, et deinceps magis explicabit, hoc Isaiæ vaticinium.

Agite ergo, o generosi athletæ Christi ! o Apostoli ! o Religiosi zelosi ! qui vitæ vestræ prodigi per immensa Oceani et terrarum spatia, ultra Seras et Indos, ad Sinas et Japones, puro ipsorum salutis desiderio, Deique amore contenditis ; agite constanter, animose pergite, labor vester non erit inanis in Domino. Æstus, frigora, famem, sitim, persecutiones, carceres, flagella, mortes et martyria alacriter superate. Hisce fundata est primitiva Ecclesia, fundanda est et Sinensis. Spondet vobis Isaias, imo spondet per ipsum Spiritus Sanctus, qui falli aut fallere nequit, cui nulla vis, nulla ars, nulli obices resistere possunt, Sinarum conversionem : spondet apud eos aras et templa Christi, spondet gloriosam stabilemque Ecclesiam. Agite et vos, o Sinæ ! o nobiles animæ ! alacres excipite lætum hoc, æque ac magnificentum de vobis a nobilissimo Propheta ante bis mille annos editum oraculum. Reverenter suscipite magni Dei Apostolos, quos ipse tempora prioris ignorantie despiciens, misertus vestri, nunc quasi postliminio vobis submittit. Exsultantes amplectimini Evangelium Salvatoris nostri Jesu Christi, gratias agite Deo, « qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, atque in partem sortis sanctorum. Jam enim non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei. » Vobis ergo intonat Isaias : « Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos

æstus et sol : quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. »

13. LAUDATE, COELI. — Hebraice רַנְנֵנוּ *rannenu*, id est *jubilare*, ut Vatablus; *ovate*, ut Forerius. Propheta invitat inanima, puta cœlos et terram, ut tantum Dei beneficium, quo Sinas Gentesque omnes ad se suamque gratiam et salutem vocavit, celebrent cum júbilo et triumpho. Vide hic pium Prophetæ zelum salutis animarum. Optat enim cœlis et elementis multis linguas, quibus congratulentur hominibus, e captivitate peccati redeuntibus, ait Forerius. Rursum, audi S. Hieronymum: « Præcipitur, inquit, cœlis et terræ; vel his virtutibus quæ in cœlo morantur et terra; vel Angelis et hominibus, ut Dei concinant laudes. Et qui in excelso virtutum positi sunt, mentis lætitiâ júbilo et exultatione testentur. » Causam subdit: « Quia consolatus est Dominus populum suum, puta eos qui ex Judæis credere voluerant. Et pauperum humiliumque suorum misertus est, sive omnis populi sui, qui de Oriente et Occidente, Aquilone et Austro ad eum vocatus est: non habens legem, nec Prophetas, nec divitias spirituales; sed desertus, pauper et humilis, cunctis dæmonibus subjacebat. »

14. ET DIXIT SION: DERELIQUIT ME DOMINUS. — Hæc usque ad finem capitis, aliqui ad litteram accipiunt de Sione carnali, hoc est de Synagoga, sive Judæis in Babylone captivis, quasi illi vicem suam doleant et defleant, Deusque eos spe celeris reditus et melioris fortunæ consoletur. Ita Chaldæus, S. Thomas, Hugo et Sanchez. Qui tres ultimi mystice per Judæos censent hic adumbrari Christianos, per Sion Ecclesiam Christi. Verum, multo hic augustiora dicuntur, quam ut carnalibus Judæis conveniant. Fateor tamen ad illos alludi.

Secundo, S. Augustinus, Eusebius, Cyrillus, Justinus, Tertullianus, et ex eo Leo Castris, per Sion ad litteram accipiunt Ecclesiam Christi, putantque hanc esse vocem Ecclesiæ et Apostolorum tempore persecutionis, quasi querentium se a Deo derelictos. Verum Apostoli primique fideles in persecutionibus, non querebantur, sed gaudebant et exultabant; sciebantque, imo videbant per eas, perque martyria, Ecclesiam crescere. Deinde, paulo ante promisit Deus numerosam sobolem Ecclesiæ, ex omnibus terræ partibus: « Ecce, inquit, isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone, » etc. Ergo non poterat statim queri Ecclesia se a Deo derelictam.

Dico ergo cum S. Hieronymo, Haymone, Forerio et aliis, per *Sion*, hic accipi Synagogam et Judæos, verum non omnes, sed tantum in Christum credentes et pios. Hi enim videntes multo majorem suæ gentis partem deficere a fide et Christo, seque esse paucos, queruntur quod Deus Sion et Synagogam videatur reliquisse. Quibus respondet Deus se eorum curam gerere, se minus eorum posse oblivisci quam mater sui infantis,

se eos habere semper præ oculis, imo in manibus descriptos, ac proinde curaturum ut Sion, id est Ecclesia fidelium, non intereat, nec minuat; nam licet pauci Judæi obstinati deficiant, se pro iis innumeram Gentium multitudinem surrogaturum, atque undequaque ad Ecclesiam adducturum. Ad Judæos enim hæc pertinere, præter rationes jam allatas, suadet id quod cap. sequent. initio dicit, se matri eorum, id est Synagogæ judaizanti, dedisse libellum repudii, et quod cap. LI, initio, dicit: « Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos. » Idem enim argumentum more suo tractat Isaias seq. cap. quod hoc capite.

Ubi nota: Isaias, uti et Evangelistæ, per Sion et Judæos, nunc fideles et pios, nunc incredulos et impios, intelligunt, ut, cum illos consolantur, mox hos redarguant. Vide *Canon*. VII. Dolebant enim Judæi fideles, suam gentem olim sanctam, et a Deo electam, nunc a fide et sanctitate deficere, atque a Deo rejici et reprobari, querebanturque hac de re apud Deum; quibus ipse respondet: Etsi gens illa ex parte periret, Sion tamen, id est Ecclesiam, non perituram, in eaque tuenda se servaturum promissa Abraham et patribus facta. Eamdem querelam Judæorum tractat Apostolus, *Roman.* IX, 6, ac respondet Dei promissa facta esse filiis Abraham, non carnalibus, sed spiritualibus, hoc est, iis qui fidem et pietatem Abraham sectantur, sive illi Judæi sint, sive Gentiles: « Non enim, inquit, omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abraham, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen; id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. »

16. ECCE IN MANIBUS MEIS DESCRIPSI TE. — Hebraice, *exaravi te*; Septuaginta, *depinxi*; Theodotion, *efformavi*; Symmachus, *formavi*; Aquila, *accurate descripsi*, ut sis quasi signum, vel signaculum in manu mea, *Cantic.* VIII, 6. Est catachresis, *q. d.* Intime tui jugem memoriam servo, tui semper recordor, te tuaque sedulo curo, ac si in manibus meis te descripsissem, ut semper ferires oculos meos, quoties manus meas intueor. Unde sequitur: « Muri tui coram oculis meis semper. » Sanchez putat alludi ad annulos, in quibus amici eos solent exsculpere, quos intime amant et venerantur, quomodo Epicuri effigiem ab ejus asseclis in annulo exsculptam, gestari solitam, tradunt Cicero et Plinius, lib. XXXV, cap. II. Remotius est quod ait Arias, alludi hic ad ichnographiam architectorum qui rudem fabricæ ideam, puta aream, in manu delineant et ostendunt (1).

(1) His verbis J. D. Michaelis in *Epimetro* ad Lowthi *Prælect.* XIX, alludi putat ad morem Orientalium, sacrarum urbium non nomina sed ipsas mœnium turriumque adeoque personarum summo amore dilectarum imagines, manibus seu brachiis inurere, utque perpetua illa imago sit, hennæ seu cypri colore perficere, quo fortius earum

Secundo, proprie Christus Ecclesiam sponsam suam singulosque ejus fideles descripsit in cicatricibus vulnerum, quas in manibus pro eis suscepit gestabitque semper, in æternum. Ibi enim eos descripsit non atramento, sed sanguine suo; non calamo, sed clavis et stigmatibus; non in cute, sed in carne, ita alte, ut ea nulla unquam ætas, nec æternitas, sit deletura. Inde enim fluxerunt dona gratiæ, Sacramenta Ecclesiæ bonaque omnia spiritualia, quibus muros Ecclesiæ perpetuo tuetur et firmat. Ita S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. v. Unde S. Cyrillus notat in manibus designari robur et potentiam, adeoque in manibus Christi fundatas esse Ecclesiæ vires insuperabiles. Sic enim ait: « Christi passio, et pretiosa crux, et manuum ipsius affixio, securitas fuit et murus inaccessus. » Christi ergo vulnera sunt certum tutumque fidelibus omnibus, in omni persecutione et tribulatione, perfugium et asylum. Huc ergo confuge, quisquis anxiaris, tristaris, affligeris. Pie S. Augustinus, in *Soliloq.* cap. II: « Manus, ait, tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me: manus, inquam, illæ, quæ affixæ clavis sunt pro me. Opus manuum tuarum, Domine, ne despicias; vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus, descripsisti me; lege ipsam scripturam, et salva me. En ad te suspiro creatura tua; Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua; vita es, vivifica me. En ad te respicio tuum plasma; plasmator es, restaura me. »

Anagogice, Procopius hæc refert ad librum vitæ qui est in manu Dei, in quo ipse electos ad gloriam indelebiter conscripsit, ut nemo eos expungere, nec ipse eorum oblivisci possit.

17. VENERUNT STRUCTORES TUI. — Alludit ad destructam a Chaldæis Jerusalem, quam nunquam restaurandam fore putabant Judæi; sed Deus Esdram et Nehemiam ejus structores et restauratores effecit. Jam per hosce structores intelligit Apostolos, *q. d.* En adsunt Apostoli, qui te, o Sion! restaurent, imo renovent, et quasi novam Christi Ecclesiam ædificent. Pro *venerunt* hebraice est מִיָּהָרִי *miharu*, id est festinarunt, id est festinantes venerunt, *q. d.* Jamjam restauraberis, ecce præsto sunt mei discipuli, qui te reædificent.

DESTRUENTES TE ET DISSIPANTES A TE EXIBUNT, — id est a te recedent, removebo eos, ne tui structuram impedire possint. Alludit ad Sanaballat, qui Nehemiam a reædificatione Jerusalem impedire conatus est, *Nehem.* cap. IV, 1, *q. d.* Video, uti olim, ita et nunc ruinas murorum tuorum, o Sion! scio quid facto opus sit; cerno tuos hostes, Scribas, Phariseos, Imperatores et tyrannos, apostatas et hæreticos, qui a te exeunt, suntque transfugæ ad hostes, te velle destruere, dissipare

memoriam recolant. Vide Maundrelli, *Itiner.* pag. 75, edit. sext., et in *Sylloge Itinerariorum* a H. E. G. Paulo edita, part. I, pag. 95. Vide etiam Jahn, *Archæolog. Bibl.*; Lowth. in *Isaiam*, et Samuelem Burder, *Customs Orient.*

et evertere. Verum ego eos avertam, vel compescam, vel certe efficiam ut tui structuram non impediunt, sed potius promoveant. Unde Septuaginta vertunt: *Cito ædificata es, a quibus destructa fuisti.* Nam Judæi, ac præsertim Imperatores, Ecclesiam persequentes, postea ad eam conversi, magis eam propagaverunt. Ita fecit Saulus, cum factus est Paulus. Ita fecit Constantinus Imperator ejusque posterii. Sic explicant S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, Tertullianus, Justinus, et ex eis Leo Castrius. Idem dicit et amplificat in seqq. Propheta, adeo clare, ut S. Augustinus, Tertullianus et Origenes asserant ea interpretatione non egere. Orandum est etiamnum Deus, ut Ecclesiam suam benigne respiciat, eique tales structores restituat, et eam dissipantes amoveat, eique restituat judices et principes ejus, uti fuerunt prius, et consiliarios ejus, sicut antiquitus, ut vocetur civitas justi, urbs fidelis.

18. LEVA IN CIRCUITU, — *q. d.* Luges, o Sion! tuorum fidelium paucitatem: age, lætare; ecce, vide populos venientes turmatim a quatuor orbis plagis ad te, ut tibi aggregentur et incorporentur. Tibi veniunt omnes isti, quia licet ex Abrahamo non sint prognati, sed ex Gentibus; filii tamen tui, æque ac Abrahæ sunt, secundum fidem et spiritum. « His velut ornamento vestieris. » Numerosa enim beneque morata et sancta soboles, ingens ornamentum est matri: « Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ, » ait Psaltes *Psalm.* CXXVII, 3.

Notum est ex Valerio Maximo factum Cornelie, quæ Gracchorum fuit mater. Cum enim matrona quædam suas ei gemmas, monilia et torques magnifice ostentaret, exspectavit illa donec filii domum redirent: quos redeuntes, matremque magna cum reverentia, modestia et verecundia salutantes, ipsa matronæ ostentans: « Hi, ait, sunt gemmæ meæ, torques et monilia mea. » Idem fecit Lacæna apud Plutarchum in *Apophthegmatibus.*

Qui ergo animas convertit, aut bonis moribus excolit, totidem gemmis ornat Ecclesiam, imo Christum: qui vero scandalizat, et in peccatum illicit, totidem ei abstrahit, laceratque togam nuptialem utriusque. Hoc est quod de sponsa hac canit Psaltes, *Psalm.* XLIV, 10: « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate » tot gentium, ordinum, ætatum, morum, virtutum. Unde subdit, vers. 14: « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi. »

19. QUIA DESERTA TUA. — « Deserta » et « solitudines, » vocat regiones et cætus Gentilium: hi enim ex voluntate et decreto Dei ad Ecclesiam (quam vult Deus esse universalem totumque mundum complecti) pertinebant, esto ipsi per Gentilismum ab ea se averterent, viverentque quasi in desertis et solitudinibus, uti vivunt bar-

hari et efferi Indi. « Terra » vero « ruinæ, » sive ruinosa pars Sionis et Ecclesiæ, sunt Judæi, qui veniente Christo ab Ecclesia exciderunt, factique sunt apostatæ, *q. d.* Deus tantam gentium multitudinem ad te, o Ecclesia! adducet, ut et ruinæ Judæorum sarciantur, et solitudines Gentium fidelibus filiis tuis impleantur, imo videantur esse nimis angustæ, præ affluentium civium turba. Est hyperbole.

ET LONGE FUGABUNTUR, QUI ABSORBERANT TE, — qui te absorbere cogitabant, nitebantur et incipiebant. Significatur enim actus inchoatus et destinatus, non perfectus et reipsa completus. Vide *Canon. XXIX.*

20. ADHUC DICENT IN AURIBUS TUIS FILII STERILITATIS TUE: ANGUSTUS EST MIHI LOCUS. — Forerius pro *sterilitatis* vertit, *orbitatis*, et intelligit Apostolos: Christo enim mortuo, Ecclesia erat quasi vidua, et Apostoli orbi. Hi ergo, crescente numero fidelium, dixerunt: Angusta est nobis Judæa; quocirca divisi et dispersi sunt per omnes gentes, per easque dilatarunt Ecclesiam. *Secundo*, proprie, « filii sterilitatis » Ecclesiæ, ab Isaia vocantur Gentiles: in his enim, utpote idololatris, ante Christum, sterilis erat Ecclesia; sed post, et per Christum, facta est adeo fecunda et ampla, ut dicat: « Angustus est mihi locus. » Hoc est quod ait, cap. LIV, 1: « Lauda, sterilis, quæ non parit, » *q. d.* Ecclesia propagabitur latissime et longissime toto orbe, usque ad Garamantas et Indos. *Tertio*, valde apposite, « filii sterilitatis » Sionis, sunt Apostoli, et pauci credentes ex Judæis initio Ecclesiæ. Nam ad hosce paucos redacta Ecclesia, videbatur esse sterilis, et interire, præsertim eo tempore, quo excisa a Romanis fuit Judæa: tunc enim Ecclesia, quæ ex ea et in ea erat nata, pariter videbatur excindi. Unde tunc novum et mirum fuit videre, mox eam per totum orbem propagari, barbarasque nationes certatim ad eam convolare. Audi S. Hieronymum *ad Lætam*: « Regum, ait, purpuras, et ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat. Jam et Ægyptius Serapis Christianus factus est. Marnas Gazæ luget inclusus, et eversionem templi jugiter pertremisit. De India, Perside, Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium; Scythiæ frigora fervent calore fidei; Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria. »

22. EXALTABO SIGNUM MEUM, — *q. d.* Erigam manu et potentia mea, « signum, » id est vexillum crucis Christi, atque ad illud, et ad meæ Ecclesiæ castra convocabo omnes Gentes. Loquitur Deus quasi dux belli sacri. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Haymo. Sane fuit mirabile, et signum virtutis divinæ, quod scilicet non armis, non sapientia, non opibus, non viribus, sed sola cruce, eam tantum erigendo et ostentando, ad se traxerit mundum, quod reges et monarchæ se

suaque regna Christo crucifixo subjecerint. Hæc fuit virtus crucis Christi.

AFFERENT FILIOS TUOS IN ULNIS, ET FILIAS TUAS SUPER HUMEROS, — *q. d.* ait Cyrillus, Apostoli, aliique filii propagatores, non imponent fidelibus grave jugum legis Mosaicæ, sed eos quasi infantes lacte suavissimo Evangelii nutrient, atque ulnis et humeris, id est omni materna cura et benevolentia, ad Ecclesiam adducent. Idem facient parentes et præceptores fidelium. Hinc reges et reginæ te, o Ecclesia! colent et nutrient.

23. ERUNT REGES NUTRITI TUI. — Hebraice *אומנים* *omenim*, id est educatores, economi, curatores. *q. d.* Reges alent te, o Ecclesia! bonisque suis ditabunt, sicut pater et mater alunt et educant suos infantes et filios. Aliqui hæc accipiunt de Cyro et Dario, qui Judæos aluerunt. Verum ex dictis patet hæc ad Christianos pertinere.

ET REGINÆ NUTRICES TUE. — Hebraice *מניקות* *menicot*, id est lactatrices. Hinc Symmachus vertit: *Principes femine eorum lac præbebunt*. Hoc est quod ait cap. LX, 16: « Mamilla regum lactaberis, » *q. d.* Reges et reginæ liberaliter et regie nutrient tuos fideles, Pastores, Prælatos, o Ecclesia! *Secundo*, *q. d.* Reginæ suis filiis, futuris regibus, cum lacte instillabunt amorem et obedientiam erga Christum et Ecclesiam, itaque novos reges nutrient, quasi novos Ecclesiæ filios. Aut, *q. d.* Filii regum, qui a regibus nutriuntur et educantur, quasi hæredes et successores futuri, suscipient Evangelium. Ita Vatablus. Tales fuerunt Constantinus, Theodosius, Carolus, Ludovicus, Helena, Pulcheria, Cunegundis, et nuper reges Hispaniæ et Lusitaniæ in novo orbe Ecclesiæ subjugando.

VULTU IN TERRAM DEMISSO ADORABUNT TE. — Alludit ad Cyrum et reges Persarum, cum quibus nemo loqui poterat, nisi prostratus in terram, vestigia pedum regionum exoscularetur, teste Xenophonte, lib. VIII, et Plutarcho in *Alcibiade*, *q. d.* Reges eundem honorem tribuent Ecclesiæ, ejusque Prælati, quem ipsi olim a suis subditis solent accipere, nimirum honorabunt et venerabuntur Prælatos, quasi suos dominos, imo reges.

ET PULVEREM PEDUM TUORUM LINGENT. — In verbo *lingent*, est hyperbole et auxesis, significans summam demissionem et venerationem. *Lingent* ergo, id est *osculabuntur*, tum ut supplices, tum ut a te victi. Sic *Psalm. LXXI, 9*, dicitur: « Coram illo proident Æthiopes; et inimici ejus terram lingent. » Ita videmus reges osculari pedes Ecclesiæ, in Pontifice, qui Ecclesiæ est caput. Ne ergo fremant ad hoc osculum hæretici, cum Isaias idipsum hic prædixerit, de eoque tam regibus quam Ecclesiæ sit congratulatus. Sicut enim qui viceregem valde colit et honorat, regem ipsum valde colit et honorat: sic qui Pontificem colit, Christum colit, quia pontificatum, quasi sui vicariatum summumque in Ecclesia magistratum instituit. Ex adverso, qui Pontificem spernit, Christum Christique ordina-

Osculum
pedum
Pontificiorum
ab Isaiâ
prædictum.

tionem spernit; ipse enim dixit: « Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. » Prædicat gloriam Ecclesiæ quam habitura erat sub Constantino, et deinceps. Nam ante eum fuit in continua persecutione. Unde mirum non est hunc honorem non habuisse, nec admisisse S. Petrum, S. Paulum aliosque Apostolos, uti peperam objectat Calvinus. Rursum « pulverem pedum, » id est terram et pavementum in quo pedes tuos fixeris, quodque calcaris, reges et reginæ osculabuntur. Quod ad litteram Prælati, imo monachis, tum alii, tum S. Hedwigis Ducissa (olim vocabantur Duces, qui nunc reges) Poloniæ, matertera S. Elisabethæ, fecisse legitur. Et hic olim reverentiæ fuit ritus, ut patet de Abrahamo, *Genes. xxiii, 7*; et etiamnum hic ritus est Japonum et Sinarum, ut principem salutaturi, et veneraturi, fronte humum feriant. Ut ut est, hac phrasi vel catachresi vult dicere Propheta: Reges et principes tibi, o Ecclesia! se et sua sceptrata ac diademata submittent, tibi eximium honorem deferent, atque tantum non pro Deo colent.

Audi Leonem Castrium hic: « In vetustissimo, ait, codice Ordinis S. Benedicti reperi, olim reges Hispaniæ, cum adirent Episcoporum Synodum, procumbere solitos toto corpore ad terram, ante ipsos Episcopos terram osculari; neque prius attollere se humo, quam e suis illi sedibus surgerent, et reges eorum pedibus circumfusos brachiis attollerent, et in sella regia pro dignitate collocarent. »

De Francis, habes Clotharium regem, qui ad pedes S. Lupi Senonensis Episcopi supplex accidit.

De Longobardis, ab Aribone quarto Episcopo Frisingensi scriptum est, regem Longobardorum e regia sella descendisse, et ad pedes Corbiniani Episcopi se advoluisse.

Hinc S. Augustinus, serm. 18 *De Verbis Apostoli*: « Ad Ecclesiam, ait, curris, Episcopum videre desideras, ad ejus pedes volutaris. » Et S. Ambrosius, lib. *De Dignit. sacerdotum*, cap. 11: « Regum, ait, colla et principum submittuntur genibus sacerdotum, et exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum se credunt communiri. »

Hinc Suidas sic inducit Leontium alloquentem Eusebiam Constantii Imperatoris uxorem, rogantem ut se viseret: « Si me, inquit, vis ad te venire, servato mihi reverentiam Episcopis convenientem, ut ingrediar quidem ego, tu autem mox e celso tuo solio descendens, cum pudore mihi occurras; deinde sedeam quidem ego, tu autem stes reverenter, nec sedeas, donec signo jubeam. Si his parere vis, visam te; sin minus, scito te non obtenturam, ut nos honorem Episcopis debitum prodamus, et in divinum sacerdotum jus simus injurii. » Hæc ille ad hæreticam Imperatricem.

S. Hieronymus testatur olim fuisse moris, ut plebs Episcopo occurreret, et ad pedes osculandos se prosterneret, idque nominatim Epiphania fac-

tum tradit. Narrat Theodoretus Gainam Arianum, Gothorum ducem, qui contra Arcadium seditio- nes concitare est ausus, longo itinere processisse obviam S. Joanni Chrysostomo, licet inimico, ac suis filiis jussisse ut ejus genua oscularentur. Quid, quod Paulinus scribit Theodosium Imperatorem post partam victoriam, pedibus S. Ambrosii pro- volutum, gratias ei egisse, quod ei victoriam de Eugenio tyranno relata ferret acceptam. Eum- dem ad pedes Amphiloohii Episcopi procubuisse, veniamque precatum, refert Nicephorus, lib. XI, cap. ix. Fortunatus tradit Valentinianum Impera- torem, conjugemque ipsius, eosdem, imo majores honores S. Martino exhibuisse. Sic enim scribit:

Hinc sede exiliit rapiens se Cæsar, et ardens
Martini genua amplectens, pedibusque volutans.

Et mox:

Nec regina pedes cessat lacrymosa rigare
Sternens membra solo, suspendens gaudia voto.

Eadem habet Severus Sulpitius, lib. III.

Justinus Imperator, veniente Joanne Pontifice Constantinopolim, cum tota urbe illi obviam processit, et ad pedes ejus procubuit, detrahensque sibi insignia augustalia, procidensque suppliciter petiit ut illis rursum ipsum adornaret. Justinianus, Imperator Niceæ, ad Constantini Pontificis pedes procubuit, eosque est osculatus. Idem fecit Carolus Magnus Romæ, anno Christi 774, et ejus pater Pipinus, Stephano II Pontifici, venienti in Franciam, anno Christi 754. Idem fecit Ludovicus Pius Caroli filius Sergio II Pontifici, anno Christi 844. Plura vide apud Thomam Bozium, tom. II *De Signis Ecclesiæ*, signo 68.

24. NUMQUID TOLLETUR A FORTI PRÆDA? — Est proverbium, simile illi: « Quis Herculi clavam aut Jovi fulmen eripiat? » *q. d.* Quis potest a forti gigante, aut leone spolia auferre? prædam ex faucibus ejus extorquere? Sane qui id facit, fortior eo et giganteo robore sit oportet, quasi alter David, I *Reg. xvii, 37*. Nimirum hoc designavit Christus noster, qui proinde ait, *Matth. xii, 28*: « Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet? » Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Origenes, hom. 7 in cap. xii *Num.*, qui et addit: « Si naturam spectes, dæmon gigas est, nos locustæ; si sequamur Jesum, qui eum enervavit, quasi nihil erit in conspectu nostro. » Idem et verbis et factis docuit S. Antonius, uti legere est in Vita ejus apud S. Athanasium, qui proinde immania dæmonum monstra et terculamenta, virtute crucis, invocationis et gratiæ Christi irrisit, et quasi telas araneorum dissipavit, suisque et nobis ridenda et dissipanda proposuit.

25. A ROBUSTO. — Hebraice est צדיק *tsadik* id est *a justo*; sed videtur legisse Interpres אריץ *arits*,

Exempla
princi-
pum co-
ram E-
piscopis
se pros-
ternen-
tium.

Id est *robustus*, quod litteris Hebraicis affine est *tsaddic*; *arits* enim est in sequenti versu, ubi huic interrogationi iisdem verbis, assertive respondet. Et sensus hoc poscere videtur: agitur enim de præda, quæ robusto, non justo extorquetur. Si tamen legas *tsaddic*, id est *justum*, intellige justam captivitatem hominum sub potestate diaboli. Ita Forerius. Aut potius tunc ex Hebræo sic veritas: *Num captivitas justi liberabitur?* hoc est, ut Septuaginta: *Numquid si captivum quis duxerit* (justum scilicet) *inique salvabitur?* Ita legunt Biblia Septuaginta Romana, quasi dicas: Omnino per Christum robustum gigantem liberabitur et salvabitur. Talis enim iniqua captivitas fit a potenti tyranno, puta diabolo, ut vertit Noster. Porro homo, et humanum genus dicitur justus, et justum, quia homo in justitia a Deo est creatus, et quia respectu diaboli, erat justus, id est innocens, atque injuste ab eo captivus tenebatur.

EOS VERO QUI JUDICAVERUNT TE (condemnaverunt, plagis et morte affecerunt tuos fideles et filios; est metalepsis) EGO JUDICABO, — ego pariter condemnabo, puniam et plectam morte præsentem et æterna.

26. CIBABO HOSTES TUOS CARNIBUS SUIS, — ut mutua se cæde conficiant, et fraterno sanguine mædeant gladii, manus et vestes. Tui enim fratris caro et sanguis, tua est caro et sanguis; ita ergo fiet, « ut nequaquam, ait S. Hieronymus, aliorum nece, sed sua morte saturentur. » Est catachresis. Sic cap. ix, 20, dixit Isaias: « Unusquisque carnem brachii sui (id est cognati sui) vorabit. » Alludit ad Madianitas, qui percussi clangore tubarum, et complosione lagenarum Gedeonis et sociorum, mutuis vulneribus se conciderunt, *Judic. vii, 23*. Idem fecere Moabitæ coram Josaphat rege, II *Paralip. xx, 23*. Rursum, vere et proprie Judæi hostes Christi, obsessi a Tito et Vespasiano, carnibus propriis filiorum se saturarunt, testibus Josepho et Hegesippo.

Tertio, Sanchez putat hic describi gestum summi doloris et angoris; tunc enim homines mordent labra, lacerant pectus, et quasi insani sanguine suo ora et dentes commaculant, *Apocal. cap. xvi, 10*.

Hæc est ergo justa vindicta et pœna tyrannorum, persecutorum Ecclesiam, ut, sicut fidelium carnes et sanguinem sitierunt, ac quasi biberunt ac vorarunt, ita et suas carnes vorent, suoque sanguine se pascant. Audi exempla illustra.

Nero Imperator, religionis Christianæ persecutor, ex sententia in eum per senatum lata, ut nudus per publicum duceretur, furca collo ejus inserta, virgisque ad mortem cæderetur, quod universum senatum vexasset; desperatione melioris status omnino deficiens, a Prætorianis etiam militibus desertus, vili indutus veste, fugam arripuit, et cum tribus vel quatuor libertis, in prædium unius ex his Phaontis nomine, inter viam

Salariam et Nomentanam, quarto ab Urbe lapide confugit: ubi in spelunca delitescens, cum equites se quærentes adventare cognovit, sibi ipsi, licet pavidus, intulit manus: quem ægre morientem unus ex libertis Epaphroditus confecit, IV Idus junii, ea die qua olim Octaviam conjugem interfecerat, agens suæ ætatis annum 32. Ita Baronius, tom. I *Annalium*, anno Domini 70, ex Suetonio in *Nerone*.

Nerone
obitus
infamia.

Galerium Maximianum Imperatorem castigatio et pœna cœlitus invecta occupavit, et ex ipsa carne exorta pervasit ad animum. Ex improvise enim in illis corporis partibus, quas natura ob verecundiam contexit atque abdidit, nascitur apostema; deinde in interioribus corporis recessibus, ulcus purulentum et fistulosum. Atque istorum insanibilis morsus intima depascebatur viscera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundarunt, unde fœtor lethalis et pestifer efflabatur. Vide Eusebium, lib. VIII *Histor. cap. xviii*.

Galerius Maximinus, cum manus adversus Deum et Christianos sustolleret, divino, in toto corpore suo, afflictus fuit flagello. Confestim siquidem dolore et anxietate summa correptus, in lectoolvebatur, et inedia tabescebat. Incensio autem intra viscera exorta habitum et formam omnem corrumpibat, extrinsecus etiam specimen ejus deformabat, ita ut brevi nihil esset in eo reliqui, quam os aridum simulacro persimile, quod horrorem timoremque spectantibus incuteret, et ut corpus ejus tanquam animæ sepulcrum, aut culeus quidam altius eam in se defossum continens, esse videretur. Et cum cerebrum omne exustum esset, oculorum orbis loco suo moti exciderunt, eumque excæcaverunt. Ipse porro doloribus maximis cruciatus, Deoque confessus, mortem sibi accelerari oravit; postremoque omnium, condignas se pœnas pro flagitiis, ac contumeliis, quibus proterve et petulanter Christum esset persecutus, dare testatus, exsecrandam tandem illam egit animam. Ita Eusebius, lib. IX *Histor. Eccles. cap. x*, et Baronius, tom. III *Annal.*, anno 314.

Anno Domini 484; cum Hunericus, Wandalarum rex, de prostrata fide Catholica amens, pararet sibi triumphum, divinam cogitur experiri vindictam. Nam putrefactum et ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis ejus videbantur esse sepultæ. Tunc etiam, ut ait Gregorius Turonensis, sol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars vel tertia eluceret, idque in vindictam pro tantis sceleribus et effusione sanguinis innocentis. Hunericus vero post hæc, arreptus a dæmone, qui diu de Sanctorum sanguine pasus fuerat, propriis se morsibus laniabat, in quo etiam cruciatus, vitam indignam justa morte finivit. Ita Victor, lib. III, *De Persecut. Wandal.*, in fine et Gregorius Turonensis, lib. II, *De Gestis Franc. cap. iii*, anno 484.

Hunericus

Persecutores
Ecclesia
acriter a
Deo puni-
nti.

Nerone
fuga.

Sarace-
norum
elades.

Saraceni Constantinopolim vicinasque regiones infestantes, atrocemque passim Christianis cladem inferentes, fame, frigore, bello, pestilentia, sine numero perierunt. Tanta sane fames eos vexavit, ut nec ab excrementis, tum jumentorum, tum hominum, nec carnibus cadaverum abstinerent. Quibus fames et pestilentia pepercit, eos ferrum absorpsit, immissa in eos divinitus igneae grandinis tempestate, ex qua ereptae sunt decem naues, quarum quinque a Romanis captae, quinque in Syriam delatae sunt, ut divinae vindictae essent testimonio. Ita Sigebertus in *Chronic.*, anno Christi 719, et Paulus Diaconus, cap. XXI.

Hunga-
rorum.

Hungari, cum Bremensem Ecclesiam devastan-

tes, multis magnisque contumeliis servos Christi afficerent; subito impetu tempestas in civitatem irruens flammam in templi fastigium ejaculata est, quarum vehementia scandulae, lateres et tegulae, ingenti crepitu dissultantes, ea vi hostes obruere, ut partim prostrati subito interirent, partim vero a civibus excepti, cruenta morte occumberent. Ita Albertus Crantzius, lib. III *Metropol.* cap. II, anno Domini 913.

Denique notus est funestus Diocletiani, Aureliani, Domitiani, Decii, Maxentii, Licinii, Juliani Apostatae, et aliorum Ecclesiam persequentium interitus. Horum ergo clades et eventa, clarius quam ulli Interpretes, explicant hanc de iis Isaiae prophetiam.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Loquitur Christus, docetque Synagogam, id est, Judaeos sibi incredulos, a Deo repudiandam et reprobendam esse, quia ipsa prior Deum et Christum repudiavit. Nam sibi non defuisse potentiam, nec sapientiam, et linguam eruditam, nec patientiam, nec labores ad eos salvandos demonstrat. Unde, vers. 6, ait: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; sed in omnibus, ait, Deum se adjuvisse, omniaque vertisse in gloriam. Quocirca, vers. 10, sui exemplo hortatur fideles, ut in omni tribulatione in Deum sperent, eumque invocent. Desperantes enim et incredulos, quales fuerunt Judaei, asseverat succedere sibi ignem, quo arsurei sunt in aeternum (1).

1. Haec dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. 2. Quia veni, et non erat vir: vocavi, et non erat qui audiret. Numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: putrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. 3. Induam caelos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. 5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. 6. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. 7. Dominus Deus auxiliator

(1) Ad Judaeorum qui in Christum erant credituri, querelam respondit Christus per Prophetam in praecedenti capite; jam cum incredulis Judaeis res est. Quasi enim non contenti fuerint responsione Domini qui orbitatem compensandam Gentium multitudine promittebat, adhuc de Deo conquerantur, dicebantque Deum, qui sibi respondisset progeniem Judaeorum, eam quasi immeritam abjecisse et alteram duxisse. Ab ista Synagogae objectione contra fas se desertam conquerentis se vindicat Deus.

PRIMO, respondendo hanc derelictionem adscribendam esse, primo, tum voluntariae defectioni Judaeorum, tum refractariae ad divinam vocationem obstinationi, 1, 2; secundo, non imbecillitati potentiae divinae, cujus infinitam virtutem ad opera stupenda valentissimam declarat, 2, 3; tertio, non defectui magistri, cum ipse Christus a Deo

venit magister ad erudiendum, sicut ad succurrendum instructissimus, 4, 5; quarto, non ipsius Christi ignaviae vel reluctationi Dei voluntati, cum verbera, alapas et opprobria patientissime pertulit, 6, 7.

Secundo, cum poterat adhuc quispiam objicere, damnatum vidimus, crucifixum ac mortuum, secundum legem maledictum; non eripuit eum Deus de manibus nostris, quid ergo ab eo expectare quis poterit, aut quid ejus adventus ad redemptionem nostri faciebat? His et ejusmodi cogitationibus respondet Christus Dominus demonstrando, primo, suam innocentiam accusatorum silentio, Dei auxilio, et hostium exsilio demonstrata, 8, 9; secundo, justorum spem Dei praesidio erectam, 10; tertio, impiorum superbam malignitatem igni aeterno reservatam, vers. 11.

meus, ideo non sum confusus : ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. 8. Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me. 9. Ecce Dominus Deus auxiliator meus : quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. 10. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. 11. Ecce vos omnes ascendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis : de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

1. QUIS EST HIC LIBER REPUDIÏ? — Hebraice est : *Ubi est liber repudiÏ?* q. d. Proferatur (servabatur enim tum a repudiata, tum a publico scriba), et examinetur et videatur; an ego prior a vobis, an vos a me repudium feceritis. Ita Forerius et Vatablus. Jam S. Thomas, Hugo et Sanchez hæc usque ad vers. 4, ad litteram intelligunt de Judæis in Babylone captivis, quasi ipsi querantur se dimissos et abjectos a Deo. Quibus Deus respondet, non se ipsos dimisisse, sed ipsos prius se deseruisse, et ad idola vitiaque defluxisse; sibi tamen esse manum et potentiam, qua possit eos redimere et liberare. Verum S. Cyrillus, Procopius, Eusebius, lib. II *Demonstr.* cap. xxxiv, Ambrosius, lib. VIII *in Luc.* cap. I (ubi ait inter alia : « Audisti repudium, crede conjugium »), Adamus, Forerius, et passim alii (adeo ut Origenes in xxvi *Matth.*, ad illa verba : « Prophetiza nobis, Christe, » asserat hunc esse consensum totius Ecclesiæ), hæc accipiunt de Judæis, qui post Christum fuerunt, illique credere noluerunt. Hæc ergo spectant ad querelam Sionis, sive Judæorum, cap. præced. vers. 14, dicentium : « Dereliquit me Dominus ; » sed hoc discrimine, quod ibi sit vox Judæorum Christo credentium, conquerentium de sua paucitate; hic vero potius sit vox Judæorum incredulorum, et persistentium in Judaismo, q. d. O Judæi increduli! querimini vos tempore Christi a Deo derelictos, repudiatos, excisos et dispersos, carere templo, sacrificiis et publico Dei cultu, datosque prædæ Romanis aliisque Gentibus. Dicitis : Synagoga nostra fuit sponsa, quam Deus sibi in Sina per Mosen despondit, *Exod.* xix, 6; cur ergo eam jam prorsus abjecit? cur dedit ei libellum repudiÏ? Respondet Deus : Ego Synagogam matrem vestram, cui dotales tabulas legis quasi maritus dederam, ait S. Augustinus, repuli et repudiavi, quia ipsa prius divortium fecit a me. Repudiavi enim eam, non ex odio aut fastidio meo, ut aliam mihi copularem, sed ob scelera ejus, præsertim, quia Christum meum repulit et occidit : neque tam ego, quam ipsa semet diabolo, quasi creditori, vendidit et tradidit, quia cum « veni » in mundum, « non erat vir, » id est quisquam, q. d. Vix ullus Judæorum erat, qui me vellet audire. Ita Patres citati. De libello repudiÏ dixi in *Deuter.* cap. xxiv, vers. 1.

AUT QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI VENDIDI VOS? — Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. viii, legit, *cui ven-*

didi vos feneratori? Idem dicit alia metaphora filiorum venditorum in servos. Nota : Apud Judæos licebat patri in necessitate constituto, ut se aleret, vendere filios in servos, ita tamen ut non Gentili, sed Hebræo aut proselyto ad tempus tantum eos venderet : in jubilæo enim, imo in anno septimo libertatis, exhibant liberi, ut patet *Exod.* xxi, 1 et 7; *Levit.* xxv, ubi, vers. 39 et 47, permittitur ut in necessitate quis etiam seipsum vendat, non tantum Judæo, sed etiam alienigenæ inter Judæos commoranti; sed tantum usque ad jubilæum. Idem, imo amplius, fecere Gentiles. Romulus enim legem sanxit, qua parenti dedit jus libere vendendi filios. Eadem lex fuit apud Athenienses, quam Solon sustulit, teste Plutarcho in *Solone*. Viguit hæc lex, et hic mos etiam tempore Christianorum. Unde S. Ambrosius, lib. *De Tobia*, cap. viii, graviter de eo queritur. Quocirca Constantinus, leg. 2 *De Patrib. qui filios distraxerunt*, lib. IV, tit. XLIII, hanc legem restrixit, sanxitque ut filius non in perpetuum venderetur, sed ita ut dato pretio redimi posset.

Patr
licebat
vendere
filios in
necessi-
tate.

Huc ergo alludit Deus, dicitque : « Quis est creditor meus? q. d. Ego non habeo creditores, quorum nummis egeam, ut propterea oporteat me vos iis in servos vendere. Vos ergo, o Judæi! peccato et diabolo in servos venditi et emancipati estis, non tam a me, quam a vobis ipsis. Sponte enim peccando, sponte hoc jugum subiistis. Nam, ut dicitur *Joan.* cap. viii, 34 : « Qui facit peccatum, servus est peccati. » Porro *vendidi* significat non simplex peccatum, sed peccati consuetudinem, cui homines carnales (v. g. Judæi, Judaismo; ambitiosi, suæ ambitioni; voluptuarii, suis cupediis; concubinarii, suis concubinis) ita se addixerunt et affixerunt, ut non possint ab ea avelli. Sic Achab dicitur « venundatus ut faceret malum, » III *Reg.* xxi, 25. O duram servitutem! o miseram necessitatem! Qui enim seipsum tradunt peccato, hos et Deus alienat a se, venditque, id est tradit et mancipat, diabolo, esto nullum ab eo pretium recipiat. Nam, ut dicitur *Psal.* XLIII, 13 : « Vendidisti populum tuum sine pretio. »

2. QUIA CUM VENI (in orbem, docens et prædicans), NON ERAT VIR — qui me exciperet, qui mihi auscultaret. Vide hic quam periculosum et perniciosum sit Deum vocantem spernere, ejusque vocationem cassam et irritam facere. Hac enim de causa Deus repudiavit et reprobavit Judæos.

Moraliter adverte, *in vir*. Nam, ut notat S. Chrysostomus, hom. 23 in cap. III *Genes.* tom. I, sacra Scriptura illos, qui Dei imaginem puram retinent, ut virtute et religione præfulgeant, homines vocat; reliquos, quasi indignos hominis vocabulo, belluas vocat et serpentes.

NUMQUID ABBREVIATA ET PARVULA FACTA EST MANUS LEA, UT NON POSSIM REDIMERE? — *q. d.* Repudii, sive incredulitatis et reprobationis Judæorum, æque ac miseræ conditionis et servitutis, ac denique excidii per Titum causa, non est Dei aut Christi infirmitas et impotentia, uti vos Judæi aestimatis, ideoque Christum quasi humilem, pauperem et abjectum contemnitis. Posset enim, si vellet, totum mare, omniaque flumina desiccare et vertere in aridum desertum; ut pisces omnes suo elemento destituti putrescant, corrumpantur, et spiritum vitalem exhalent, uti fecit Pharaoni in Ægypto sub Mose, *Exod.* VII, 21. Potest et cælos astraque immutare et obscurare, uti fecit in Passione Christi, et faciet in fine mundi, *Matth.* XXIV, 29. Manus enim et potentia ejus non est accisa, contracta aut imminuta, sed eadem semper fortis, vegeta et omnipotens, perdurat. Ita S. Hieronymus.

Rursum causa derelictionis et desolationis Judæorum non est Christi insipientia, vel imprudentia, quia « Dominus dedit illi linguam eruditam. »

Tertio, etiam causa non est Christi mollities, quasi subterfugerit labores et dolores, pro iis subeundos. Nam ipse dedit « corpus suum percussentibus, et genas vellentibus, » etc. Causa vera ergo est durities et obstinata malitia Judæorum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Origenes in *Matth.* cap. XXVI.

ECCE, IN INCREPATIONE MEA DESERTUM FACIAM MARE. — *Increpationem* vocat, jussum Dei minacem atque terribilem. Videbatur enim Deus quasi iratus mari Rubro, cum illud præter naturam divisit, alveumque ejus siccavit, ac jussit ut cederet daretque locum transeunti populo suo. Sic ait Psaltes, *Psal.* CV, 9: « Increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est. »

FACIAM. — Id est facere possum quoties et quando lubet, uti feci in mari Rubro. Hæc enim futura sunt modi potentialis, quo gaudent Hebræi, ac *δυνάμεις* accipienda sunt, ut significant non tam actum, quam potentiam et facultatem ad actum.

PONAM FLUMINA IN SICCU. — « Ponam, » id est ponere possum, quoties voluero, uti posui Jordanem, cum eum divisi et siccavi, ut transirent Hebræi duce Josue.

COMPUTRESCENT PISCES SINE AQUA, — si videlicet mare aut flumina desiccem, uti putruerunt, et præ siti mortui sunt in mari Rubro et Jordane, cum ea siccavi: aut potius uti putruerunt in Nilo, cum ejus aquas verti in sanguinem, *Exodi* VII, 18. Tunc enim, ut ibidem dicitur, pisces et putruerunt, et mortui sunt siti, æque ac homines. Hæc

enim sedatur et exstinguitur haustu aquæ, non sanguinis. Hoc est quod ait Psaltes, *Psal.* CIV, vers. 29: « Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. » Ita S. Hieronymus, S. Thomas et Hugo.

3. INDUAM COELOS TENEBRIS, ET SACCUM (QUASI SAC- Vers. 3.
cum) PONAM OPERIMENTUM EORUM, — *q. d.* Operiam et obvelabo cælos, ut non appareant, ac si sacco essent obvoluti, uti feci in Ægypto, cum ei per Mosen induxi tenebras palpabiles, *Exodi* X, 22. Id fecit Deus in Passione Christi. Ita Tertullianus, *lib. IV Contra Marcion.* XLII.

Symbolice, significat Christi Evangelium et crucem obscurasse omnem gloriam Judaismi, æque ac Gentilismi, cujus typus et quasi matrix fuit Ægyptus, uti per sanguineum et putentem Nilum significat omnes mundi delicias, opes et pompas, per Christi doctrinam instar sordium eviluisse, ut fideles cum Paulo ea arbitrentur ut stercora.

4. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM. — He- Vers. 4.
bræi hæc referunt ad Isaiam, qui cap. VI, a pollutis labiis purgatus per Seraphim, eloquens evasit et audax ad prædicandum. Verum hoc merito refellit S. Hieronymus. Communis enim sententia Patrum est, hic esse sermonem de Christo, idque convincunt sequentia. Pro *eruditam* hebraice est *למודים* *limmudim*, id est *eruditorum*, qualem habent eruditi, qui multa viderunt, audierunt, legerunt, studuerunt et meditati sunt, multos etiam erudierunt. Alludit ad Mosen, eique se præfert. Nam Moses se excusans ne a Deo mitteretur ad Pharaonem, eo quod esset impeditæ linguæ, ab eo audivit: « Quis fecit os hominis? Nonne ego? » et Aaron « erit os tuum, » *Exodi* IV, 10, 11 et 16. Christus enim non eguit interprete ut Moses, quia habuit linguam eruditam, nec se excusavit a legatione ad homines, ut fecit Moses. Rectori enim et doctori populi necessaria est lingua erudita, potens et efficax ad persuadendum. Hanc habuit Christus, adeo ut ipsi Judæi de ea dicerent: « Nunquam sic locutus est homo. » Et Apostoli: « Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes. » Rursum erat docens non ut Scribæ et Pharisæi, sed « quasi potestatem habens, » *Marc.* I, 22.

Hinc Plato asserit animam pasci verbo Dei, et scientiam Dei esse verum alimentum animorum. Nimirum: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. » Ingens Dei donum est lingua sapiens et erudita, pro quo quotidie orandum est cum Psalte, *Psal.* L: « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. » Quod explicans ibidem S. Gregorius: « Illius, ait, labia Deus aperit, qui non solum quid loquitur, sed etiam quando, et ubi, et cui loquatur, attendit. Sapientia namque Dei dicit: Dominus dedit mihi linguam eruditam. » Unde subdit: « Proferamus ergo sermones examinatos libra justitiæ, ut sit gravitas in sensu, modus in verbis, pondus in sermone. Nec prius loquendo os aperiamus, quam expediat; sed examinemus

Lingua
erudita
ingens
donum
Dei, ora
tione
compa-
randum

verba nostra, si tacendum hoc, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis hujus, postremo si a virtute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens, nihil inhonestum, nihil invidum sonus erumpat. » Verum dixit Diogenes apud Laertium, lib. VI, afflictis et desperatis quærendum esse, non βροχον, sed λογον, non laqueum, sed rationem et orationem consolatoriam sapientis: hic enim animo ægrotanti, medicus est; illa, medicina. Unde Demetrius Phalereus cum apud Thebanos exsul, inglorius et abjectus viveret, et intellexisset Cratetem Philosophum sui visendi gratia adventasse, eum ad se vocavit; quem ut de fortiter et moderate ferendo exsilio disputantem audivit: Male sit, inquit, omnibus negotiis et occupationibus, per quas hactenus talem virum non licuit cognoscere, significans multum ægritudinis ex Philosophi disputatione sibi exemptum esse. Ita Laertius, lib. V, cap. v.

UT SCIAM SUSTENTARE EUM, QUI LASSUS EST VERBO, — ut peccatores miseros et languidos, sub peccati et dæmonis jugo fessos, anhelantes et gementes, in spem erigam, consoler, sustentem, ut recreem et sanem omnes oppressos a diabolo.

ERIGIT MANE, MANE ERIGIT MIHI AUREM. — Docet hic unde habeat linguam eruditam, scilicet ex eo quod Deus erexerit, id est excitarit, ejus aurem, eamque aperuerit ad audiendum Dei doctrinam et jussa, idque « mane, » id est cito et tempestive, puta a primo conceptionis instanti, ut patet *Hebr.* x, 5. Alludit ad ludi magistros, qui summo mane scholas aperiunt, et discipulos docent. Geminat autem « mane, mane, » q. d. Singulis diebus, sive quotidie summo mane. Hæc enim geminatio tum continuationem, tum festinationem et diligentiam significat vigilantissimi magistri. Simile est *Ezech.* XLVI, 14 et 15, in Hebræo. Matutina enim doctrina et studium, est optimum. Nam « aurora Musis amica: » tum enim ex somno et refectione nocturna cerebrum sensusque vigent.

Porro, *erigere aurem*, symbolum est magistri: hic enim indicto silentio et attentione discipulis, subinde etiam vellicando aures excitat eos, ut auscultent et excipiant sua dogmata; hoc est quod ait Poeta: « Cum velleret aurem Cynthius. » Erigere ergo aurem, est excitare auditorem ad audiendum, ut ille aures suas arrigat, et excipiat vocem magistri.

5. DOMINUS DEUS APERUIT MIHI AUREM, EGO AUTEM NON CONTRADICO; RETRORSUM NON ABII. — Alludit ad Mosen, qui Deo vocanti contradixit, cum tertio et quarto conatus fuit excutere onus liberationis populi ex Ægypto, timens Pharaonem, populi durtiem, et difficultates rei perficiendæ, *Exodi* iv. Verum Christus missus a Patre ad redemptionem hominum, statim acquievit, et obtulit se, etiam ad mortem crucis, q. d. Cum Deus initio conceptionis meæ, mihi homini, imo infanti, aures infantiles aperuit, hoc est mihi revelavit, et in aures mentis meæ immisit suam voluntatem et jus-

sionem de œconomia incarnationis meæ, mihi que ostenderet omnia et singula dura et difficilia, quæ tota vita volebat me agere et pati, usque ad mortem crucis; ego non contradixi, sed alacer omnia acceptavi, dixique: « Ego venio: In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei, » *Hebr.* x, 7, et *Psalm.* XXXIX, 9. Neque tantum dixi, sed reipsa præstiti: nam nulli difficultati cessi, nunquam retrorsum abii, sed constans in hoc opere perrexi ad ultimum usque spiritum, quo omnibus perfectis, dixi: « Consummatum est. » Significat hic Christus mandatum sibi a Patre impositum patiendi et moriendi, itaque redimendi homines. Hoc enim Patrem imposuisse Christo, patet *Joan.* x, 18, et cap. XII, 49, et cap. XIV, 31, et ex loco jam citato, *Hebr.* x.

Christus a Patre accepit mandatum moriendi.

Pulchre S. Bernardus, serm. 28 *in Cant.*: « Quam beatus, inquit, qui ait: Dominus Deus aperuit mihi aurem, et ego non contradico, retrorsum non abii! Ubi et voluntariæ habes obedientiæ formam, et longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est: et qui retro non abit, perseverat. Utrumque necessarium: quoniam hilarum datorem diligit Deus, et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Utinam et mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meum sermo veritatis! » etc.

6. CORPUS MEUM. — Forerius vertit: *Dorsum meum.* Unde Septuaginta, et ex iis S. Cyprianus et Ambrosius, lib. *De Incarnat. Domin. sacram.* cap. v, vertunt: *Dorsum meum dedi in flagella, et maxillas meas in palmis, vel alapas.* Hebræum enim דב גפ et dorsum et corpus significat. Judæi hæc accipiunt de Isaia, quasi hæc passus sit ipse a populo et principibus, quorum vitia carpebat. Ita et S. Thomas. Sed ex hoc et similibus liquet hos Commentarios non esse ipsius, falsoque S. Thomæ inscribi. Omnes enim Patres quos citat Leo Castrius, ad litteram hæc accipiunt de Christo: de quo hæc verba ita clara sunt, ut explicatione non egeant, sed meditatione.

Ver. 1

Nota tamen *dedi, q. d.* Mihi invito et coacto per vim plagas non intulerunt Judæi, sed ego corpus meum sponte iis percutiendum objeci, obtuli, imo dedi. Exstat hic Romæ, in templo S. Prædix, columna, ad quam alligatus fuit Christus, dum flagellaretur. Vidi ego eam sæpius; et nunquam sine ingenti animi sensu. Est ea brevis et humilis: quocirca nonnullis videtur Christus incurvus ad eam ejusque annulum alligatus fuisse; ita ut repandum dorsum, quasi incudem, objiceret feriendum quaquaversum sævientibus tortoribus, eorumque flagellis. Aut potius, manibus a tergo revinctis, ita annulo columnæ Christus erectus fuit alligatus, ut tortores tam pectus, quam dorsum libere ferire possent. Integram enim eam esse, non partem columnæ (uti aliqui putarunt) docet vetus inscriptio et titulus illi sursum affixus, idque probat fusius Jacobus Bosius, lib. I *De Trium-*

Columna ad quam flagellatus Christus, ubi et qualis?

phanti cruce, cap. xiii. Hæc fuit patientia, hæc fortitudo, hic amor amoris nostri: nimirum, fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatus. Intuere, o Christiane! flagella Christi, et tua qualiacumque censebis esse mollia, ime nulla.

« Perpende, ait S. Augustinus, serm. 114 *De Tempore*, qui talem pro nobis dedit pecuniam (scilicet sanguinem suum, et vitam, imo totum Deum), qualem a nobis sit exacturus usuram. Corpus meum, ait, dedi percutientibus, etc. Agnosce, homo, quantum valeas, et quantum debeas, et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. »

ET GENAS MEAS VELLENTIBUS, — volentibus vellere pilos genarum et barbæ, inquit Vatablus. De hac Christi vellicatione et depilatione nil habent Evangelistæ: sed hinc id eum passum esse constat. Est enim Isaias quoque Evangelista. Omni enim genere pœnarum et contumeliarum afflictus fuit Christus. Habet enim vulsio barbæ insignem dolorem, æque ac contumeliam, uti et consputatio faciei. Barba enim decor est viri, et insigne virilitatis. Hinc, cum Ammonitæ legatis David dimidiam barbam rasissent, David hoc ut summam contumeliam accepit, eisque bellum indixit, *II Reg. cap. x.* Quocirca Alexander Magnus curabat suos milites radere barbam, ne, si ab hoste caperentur, hanc vellicationis vel detonsionis barbæ ignominiam subirent, uti narrat Plutarchus in *Theseo*. Septuaginta vertunt: *Dedi maxillas meas ad alapas.*

FACIEM MEAM NON AVERTI AB INCREPANTIBUS, — a conviciantibus, iridentibus, subsannantibus: « Ave, rex Judæorum; salva te ipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. Vah qui destruis templum Dei. Alios salvos fecit; seipsum non potest salvum facere, » etc.

ET CONSPUENTIBUS IN ME. — Septuaginta, et ex iis S. Ambrosius et alii legunt: « Vultum meum non averti a confusione sputorum. » Hoc est quod ait Jeremias, *Thren. III, 30*: « Saturabitur opprobriis. » Hæc cogita, hæc rumina, Christiane, cum irrisiones, opprobria, calumnias pateris: « perfer et obdurare, » nondum Christi sannas et opprobria tulisti; verba tantum, et non verbera, excepisti, necdum dedisti corpus tuum percutientibus, et genas tuas vellentibus! uti pro te dedit tuus Christus. Christus se totum pro te prædæ dedit Deo Patri, imo tortoribus et hostibus; ut tu vicissim te prædæ des Deo, totum te illi offeras, totum te in ejus manus resignes, ut ille de te tuisque omnibus statuatur et faciat quod libet: des illi corpus prædæ, morbis; doloribus, tormentis: animum

des prædæ obedientiæ, amoribus, jubilis et laudibus divinis.

Ita S. Laurentius, Vincentius aliique Martyres, totos sese prædæ dederunt Deo, et propter Deum carnificibus, ad ignes, equuleos, furcas et bestias. Ita S. Eusebius Vercellensis Episcopus et Martyr, anno Domini 371, incarceratus, et multa acerba passus ab Arianis, scribens ad suam Ecclesiam Vercellensem, inter alia, quibus eam animat ad constantiam in fide: « Multa, ait, mihi dicebant hæretici, jactantes suas vires et potentiam. Sed ego ostendi eis illam esse nullam, et quod nihil poterant contra me, qui sponte corpus meum dabam illis in prædam, tanquam carnificibus: atque aliquot diebus, quibus me excruciarunt, ostendi quali quantoque animo reciperem eorum injurias, cum profundo et continuo silentio, cum ipsi crudeliores essent Paganis et Gentilibus, qui persecuti sunt Christianos. » Ita S. Agatha ad tyrannum: « Si lubet, ait, in me stringere ferrum, en collum meum: si flagella, ecce dorsum: si ignem, en tibi totum corpus: ure, seca, stringe, liga, distende, lacera, conscinde, excrucia, macata: quanto in me crudelius sævies, tanto majus mihi beneficium conferes, tanto majorem mihi sponsus meus Christus coronam adornabit. »

Hæc eadem de Christo clare et diserte prædixit Sibylla, ad Judæorum confusionem, et ad Gentilium instructionem, ut crederent in Christum passum et crucifixum. Ejus carmina citat S. Augustinus, orat. *Contra Judæos, Paganos et Arianos*, cap. xvi et xvii, tom. VI. Suntque hæc:

In manus iniquas, et infidelium postea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus incestis,
Et oribus immundis expuent salivas venenosas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorsum,
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat,
Et coronam portabit spineam.
In cibum autem fel, et ad sitim acetum dederunt:
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim stulta Deum tuum non cognovisti
Ludentem mortalibus mentibus; sed et spinis
Coronasti corona, horridumque fel miscuisti.
Templi vero velum scindetur, et die
Media nox tenebrosa nimis tribus horis.
Et mortis factum finiet trium dierum somno suscepto,
Et nunc a mortuis regressus in lucem venit.
Primus resurrectionis initium revocatus ostendit.

Sibylla
singula
Christi
tormenta præ-
dixit,

7. DOMINUS DEUS AUXILIATOR MEUS, — q. d. In hisce summis opprobriis et plagis, Deus fuit mihi a dextris, me animavit et roboravit, tantamque dedit patientiam et constantiam, ut omnia pro nihilo duxerim, tantoque animo pertulerim, ut stare immobilis, ac si saxum percuterent, quin imo certarem cum ipsorum sævitia et furore, eumque longe vincerem et superarem: cum enim ipsi Judæi, meique carnifices furibundi, plaustra pœnarum et conviciorum in me evomerent; ego omnia ita excepi quasi non dolores, sed gaudia; non convicia, sed laudes essent, uti revera erant.

Deus enim omnia hæc in meam laudem et gloriam convertit.

IDEO NON SUM CONFUSUS, — non sum pudefactus, sciens ex Dei voluntate, honore et amore, me hæc pati. Verti potest cum Forerio : *Ideo non sum ignominia affectus*, id est non putavi me ignominia affectum, sed proposito gaudio lætus omnia sustinui. Hinc vides, si Deus anxietur et corroboret; contumeliam non esse contumeliam, dolorem non afferre dolorem : sed athletam Christi invicto animo omnia perferre, in iisque cum Paulo gaudere et gloriari.

IDEO POSUI FACIEM MEAM UT PETRAM DURISSIMAM. — Forerius vertit, ut *chalybem* : hebraice enim est *חלמיש* *challamis*. Unde, ait, Latinum *chalybs* deductum est, non autem a populis, qui *Chalybes* dicuntur, habitantque prope fluvium Thermooontem, qui ferri et chalybis (chalybs enim est medulla, sive nucleus ferri, uti docet Plinius, sive ferrum durissimum, uti vocat Aristoteles) usum invenisse perhibentur. Verum Septuaginta, Noster, Vatablus, Pagninus et alii, *challamis* hic et alibi vertunt *petram*, saxum, silicem. Quocirca Vatablus vertit, *idcirco faciem meam instar silicis obduro*. Christus ergo in passione stetit immotus, invictus et inconcussus, quasi chalybs, quasi silix, quasi rupes, ad quam allisi fluctus dissiliunt et in spumam abeunt; quasi adamas, qui ferro et malleis non frangitur, sed ipsosmet se tundentes diffringit. Hinc facie interrita, et quasi adamantina, respondit Judæis, Pilato, Annæ et Caiaphæ. Tales decet nos esse pro Christo et fide : adeoque in omnibus calumniis, doloribus, angustiis, persecutionibus et adversis, nihil melius quam obfirmare faciem ut petram, eaque omnia Dei ope, spe et amore fortiter excipere. Sic enim minus ea sentiemus; imo illa quasi repercussa, a nostra virtute et constantia, resilient.

Ita Christo duce Martyres in tormentis stabant quasi adamantes : non enim consternabantur, sed erigebantur, magisque spiritu quam carne viventes, firmitate animi corporis infirmitatem superabant. Nam, ut ait Cyprianus, lib. IV, epistola 5 *De S. Celerino Martyre* : « Posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Jacuit inter pœnas, pœnis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior judicantibus iudicatus. Et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens, et obtritus, et victus est. » Ita S. Romanus Martyr graviter tortus, cum tortores plagas inflictas, ferro per eosdem in carne sulcos ducto, renovarent, ipse eos quasi ignavos irrisit. Sic enim ait apud Prudentium, *hymno* 10 :

O non virile robur, o molles manus !
Unam labantis dissipare tamdiu
Vos non potesse fabricam corpusculi !
Vix jam cohæret, nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadaver dentibus carpunt canes

Languetis imbelli fame, ac fatiscitis.
Gula est ferina, sed socors edacitas.

Ita S. Ignatius : « Utinam, ait, fruar bestiis, Ignatii, quæ mihi sunt præparatæ ! Ignis, crux, bestię, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. » Cumque jam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, ut rugientes audivit leones : « Frumentum, ait, Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. »

Ita S. Laurentius in craticula coctus, judicem compellans apud Prudentium, *hymno* 2, ait :

Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Si crudum, ait assum suavius.

Ita invictus Vincentius, *hymno* 5, judicem in tormentis compellat :

Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima,
Mors, Christianis ludus est.

Nec vero dixit fortius, quam reipsa præstitit. Cum enim equulei extensione corporis compago membratim solveretur :

Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas i crepans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.

Et rursum :

Est alter homo intrinsecus
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus, integer,
Exsors dolorum tristium.
Hoc quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum ac fictile
Quocumque frangendum modo.

Tales in aciem Imperator cœlestis milites producebat, columnis fortiores, qui lassescentes tortores urgebant, eo quod moram hanc sibi esse ad Christum festinantibus crederent.

Talis fuit et nuper Noster Ogilbeus Martyr in Scotia, meus olim Lovanii catechumenus, qui, ut patet ex ejus martyrio, ad stuporem Calvinistarum, in tormentis invictus, in responsionibus acer, omnibus eum lacescentibus os obturavit. Quid nos ad hæc ? heroes laudamus, imitari gestimus ; sed usque ad aras, usque ad verba et verbera exclusive ! Quam bene dixit Joannes & Kempis, frater nostri Thomæ Theodidacti, ut habet ejus Vita : « Volumus esse humiles sine despectione, patientes sine tribulatione, obedientes sine coercionem, pauperes sine defectu, virtuosos sine labore, pœnitentes sine dolore, laudari sine virtute, amari

Christus in passione adamas.

Martyres adamantes.

Exemplum.

S. Romanus.

Laurentii.

Vincentii.

Mors Christianis ludus est.

sine bonitate, honorari sine sanctitate : sed Christus Deus ita non fecit et docuit, qui regnum cœlorum vim sibi facientibus repromisit, et injuriam patientibus gloriam et honorem retribuet, nullumque malum relinquet inultum. »

Vers. 8.

S. JUXTA EST QUI JUSTIFICAT ME. — Est occupatio : occurrit enim Christus tacitæ objectioni. Diceret enim quis : Tu quidem apud Deum laudem et præmium habes tuæ patientiæ et constantiæ ; sed tamen apud homines laboras infamia, quod nimirum publico Pilati et Judæorum judicio damnatus sis ad crucem, quasi seditiosus. Hæc infamia Gentes multas a te tuaque fide avertet. Jactabunt enim Judæi : Vidimus eum damnatum, inter latrones cruci appensum, ac secundum legem maledictum. Deus non eripuit eum ab hoc judicio et morte tam infami, quomodo ergo ille poterit esse noster mundique redemptor ? Hisce respondet Christus : Quid mihi objicitis injustum judicium hominum impiorum et hostium meorum ? Huic enim ego oppono justissimum Dei judicium. En Deus meam causam justificat, me justum et innocentem toti mundo ostendit. Nam tertio die me a morte suscitavit, mox gloriose in cœlum subvehit, Apostolos toto orbe mittit, qui per miracula, donaque gratiarum et virtutum omnium, nomen meum ubique celebrent, illudque cunctis Gentibus amabile et admirabile reddant. Nihil ergo infamiæ, nulla labes ex cruce et morte, nomini meo adhæsit ; imo hæc omnia Deus mihi in gloriam et venerationem convertit. Hoc est quod Christus dixit, *Joan. xvi, 10*, de Spiritu Sancto venturo, quod argueret « mundum de justitia, » id est convinceret falsam esse mundi justitiam ; Judæorum quidem, quia eam quærebant in cæremoniis legis ; Gentium, quia eam ponebant in operibus naturaliter et moraliter bonis : Christum vero ideo ab eis injustum habitum, convinceret esse justum, justitiæque omnis fontem et parentem, uti explicat S. Cyrillus. Christi enim justitia vel ex eo solo toti mundo fuit conspicua, quod mox a morte ad Patrem iverit, et in cœlum conscenderit, jam non videndus in terris. Quem enim Deus et cœlum cum tanta gloria et applausu suscepit, quis injustum et impium audeat appellare ? Hoc est, quod causam dans ibidem subdit Christus : « Quia ad Patrem vado. » Huc allusit S. Paulus, *Roman. viii, 33* : « Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet ? » Sicut enim Deus Christum, ita et Christianos a Christo electos justificat et absolvit. Vide ibi dicta.

QUIS EST ADVERSARIUS MEUS ? — Hebraice, *quis est dominus litis meæ ?* id est quis est actor qui mihi litem intentet, qui me accuset, litigando oppugnet, criminis alicujus reum peragere contendat ? Accedat et videat quam insaniat.

Vers. 9.

9. ECCE OMNES QUASI VESTIMENTUM CONTERENTUR, TINEA COMEDET EOS. — Pro *tinea* Symmachus vertit, *rubiginem* ; Aquila, *vermem*, *q. d.* Quid miseri

homunciones, mox morituri, et a vermibus comedendi, audent de Christo Domini ferre sententiam, aut cum eo, quasi impio et reo, judicio contendere, quem Deus vivificavit, exaltavit, et redemptorem universorum constituit ? Omnes enim mox consumentur ; imo sibi ipsis per sua scelera, atque per hoc maxime, quod Christum Domini lacesant, vel condemnent, sui exitii et supplicii a Deo inferendi erunt causa, eruntque sicut vestimentum, quod ex se parit tineam, a qua corroditur et consumitur. Ita enim et Judæi, Christi cæde, accersiverunt sibi flagellum et excidium Titi. De iis enim explicat hæc S. Hieronymus, Cyrillus et alii. Huc pertinet quod subdit Propheta, cap. *LI, vers. 7* : « Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tineam. » Ex corpore enim hominis tam misero, et quatuor elementis, qualitatibus et humoribus inter se assidue pugnantibus composito, prodeunt multæ putredines putidique humores, quasi tineæ, quæ ipsummet corroduunt et interimunt. Mortem ergo gerimus in visceribus nostris, eamque nobis ipsi creamus et parimus, quia eam nobiscum ubique circumferimus. Homini ergo recte tribuas illud ænigma Plauti de turdo : « Ipsa sibi avis mortem creat. » Ex ejus enim stercore viscus nascitur, cui sese implicans capitur.

Homo in se circumfert mortem.

Vide hic quis sit fructus peccati, quod tanquam tineam, imo vipera parentem, puta peccantem, arrodit et necat. Rursum in tineam, quæ sensim et occulte proserpit, et vestem erodit, significatur scelera Judæorum lente et occulte eos ad exitium egisse. Nam, ut ait S. Gregorius, *XI Moral. xxv* : « Tinea damnum facit, et sonitum non facit : ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. » Notent hoc Religiosi, qui parva peccata venialia negligunt, abeuntque in eorum consuetudinem, eaque quasi in naturam vertunt. Hæc enim quasi tineam consument spiritum, et robur virtutis eorum.

Peccatum est tinea.

10. QUIS EX VOBIS TIMENS DOMINUM ? — *Primo*, aliqui hæc de peccatore pœnitente accipiunt, quasi dicas : Quisquis hactenus in tenebris erroris, infidelitatis et peccati ambulavit, jamque timens Dei iram, audit vocem servi sui, id est Isaïæ, ait S. Thomas, vel potius Christi, ut alii explicant ; hic speret in Domino, ille illuminabit et a peccatis expiabit eum. Ita Haymo, Lyranus, Procopius et S. Hieronymus, qui putat hæc esse verba Christi ad suos crucifixoies, quasi eos excitet ad pœnitentiam et spem veniæ.

Vers. 10.

Secundo, aptius Cyrillus, Forerius, Hugo, Sanchez et alii accipiunt hæc de justo ; hic enim est « timens Dominum, » et « audiens vocem servi sui, » id est ejus, puta Christi, *q. d.* Quisquis est Christianus fidelis et justus, qui cum Christo ambulavit in tenebris carceris, dolorum, ignominiarum et afflictionum, hic speret in Domino. Si

enim hoc fecerit Deus, qui Christum in plagis, sputis et opprobriis confortavit, eripuit et glorificavit, eum pariter confundi et pudescere non sinet; sed corroborabit, liberabit, et gloriosum efficiet. Est conclusio totius orationis Christi, qua adhortatur Judæos, et quosvis fideles, ut in mediis malis et tempestatibus, non in hominibus, sed in Deo confidant, ab eoque certam opem expectent.

Vers. 10. 10. QUI AMBULAVIT IN TENEBRIS, — *q. d.* ait Forerius: Etiam si in medio umbræ mortis ambuletis, etiam si universa tenebris misceri videatis, etiam si nullam lucem affulgere conspiciatis, sed omnia obscura, ob temporum et hominum malitiam, uti fiet, quando habito illo servo Dei (Christo) pro seductore et comprehenso tanquam latrone, et in crucem acto quasi perduelle, ad mentium tenebras denotandas, sol in medio die obscurabitur: ne tamen fidem et spem deseratis, sed cum Abrahamo patre vestro, contra spem in spem credite, Deoque innitimini, scientes quod ipse possit tam Christum quam Isaacum, tamque Christianos quam Christum, a morte suscitare. Sciebat enim Propheta multos in Passione Christi passuros scandalum, fidemque in Christum et spem in Deum abjecturos: quare ad eos jam conversus, non sine irrisione, ait:

Vers. 11. 11. ECCE VOS OMNES (plerique et pene omnes vos, o Judæi! qui Christum vel spreveritis, illustratis et occidistis, vel visa ejus cruce et morte, fidem et spem ejus abjecistis) ACCENDENTES IGNEM. — Quod prius, vers. 9, dixit: «Tinea comedit eos,» hic alia efficaciore metaphora dicit, vocans eos accensores ignis, focarios, furnarios (qui furnos et fornaces succendunt) et carbonarios. Hi enim sunt impiorum tituli. Ipsi enim sibi ignem æternum, ejusque fomenta parant, jam hic semiadusti, tetri et horridi, velut carbonarii, inquit Forerius, *q. d.* Vos, o Judæi! vestro igne cupiditatis et scelerum quibus affixi, nolulistis Christum iis repugnantem agnoscere, accenditis ignem iræ Dei, et accersitis vobis ignem corporalem, quem Titus accendet, totamque Jerusalem comburet; atque æternum, quem manus mea vobis inferet. Ideoque in doloribus æternis, et æterna mei oblivione, dormietis. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

ACCINCTI FLAMMIS. — Hebraice, מאצרי זיקות, *meatsere zicoth*, quod primo Vatablus vertit, *cincti*, vel *circumdati scintillis*, *q. d.* Ubique spargitis scintillas ignis concupiscentiæ et scelerum, quæ quasi in paleam incidentes, ingens vobis æternumque incendium creabunt. Scintilla ergo gehennæ est libido, ira, ambitio, etc.

Audi S. Hieronymum: «O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ parva colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia.» Rursum in fine hujus capituli: «Hoc capitulo, ait, discimus pro qualitate peccati, ignem sibi unumquemque succendere. Et quomodo in eodem manentes

loco, et si dici potest lectulo, alii sani sunt, alii febrium succenduntur ardoribus, ex diversitate humorum atque pituitæ supplicia diversa sentientes; sic et ignis qui a peccatoribus succenditur, materiam in peccatis habet et iniquitate, de qua scriptum est: Ardebit sicut ignis iniquitas, et sicut gramen siccum vorabitur incendio.»

Ita Venerabilis Beda, lib. III *Hist.* cap. XIX, refert S. Fursem in spiritu raptum, vidisse in aere quatuor ignes, qui totum mundum succendebant; cumque rogaret Angelum ductorem suum, quinam illi essent? ab eo audivit: «Unus est mendacii, cum hoc quod in baptismo abrenuntiare Satanæ, et omnibus operibus ejus promiserunt, minime implent. Alter cupiditatis, cum mundi divitias amori coelestium præponunt. Tertius dissensionis, cum animos proximorum etiam in supervacuis rebus offendere non formidant. Quartus impietatis, cum infirmiores spoliare, et eis fraudem facere pro nihilo ducunt. Ignis vero crescens in majus effectus est unus, et illi (Furseo) appropinquabat, timensque ignem minacem, sancto Angelo ait: Ignis mihi appropinquat. Cui respondit Angelus: Quod non accendisti, non ardebit in te. Licet enim terribilis et grandis sit ignis iste, tamen secundum merita operum singulos examinat, quia uniuscujusque cupiditas in isto igne ardebit. Sicut enim corpus ardet per illicitam voluptatem, ita et anima ardebit per debitam pœnam.»

Secundo, Forerius vertit, *constricti et colligati laqueis*, scilicet flammarum, sive vinculis igneis. Quid enim aliud facit homo dum peccat, quam ut ignem æternum in seipso accendat, ac se laqueis igneis constringat, illis scilicet, quibus dæmones et damnati in inferno colligati detinentur, constringuntur et comburuntur? uti docet S. Judas in *epist. sua*, vers. 6: «Angelos, ait, qui non servaverunt suum principatum, etc., vinculis æternis sub caligine reservavit.» Addit Forerius: «Aut certe laqueos vocat, fasciculos laqueatos.» Sic enim fascies et strues lignorum laqueo sive vinculo constringuntur, *q. d.* Vos, o Judæi impii! vestris sceleribus, non facitis aliud, quam parare et colligare vobis fascies sive strues lignorum, quibus ipsimet in gehenna comburamini: «Peccata enim sunt folles et fomenta gehennæ.» Sic Apostolus ait peccata levia esse ligna, fœnum, stipulas ignis purgatorii, I *Cor.* III, 12. Unde per sarcasum subdit: Ergo «ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis,» *q. d.* Volutamini in incendio ignis inexstinguibilis, quod vobis creastis et adornastis. Clarius ex Hebræo verti potest: *Ite in focum ignis vestri, et fasciculorum quos succendistis!* Huc alludet Christus dicturus reprobis: «Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo,» etc.

DE MANU MEA (*q. d.* Ego Christus justus iudex et vindex, quem vos indigne tractastis, vos ad hunc

Peccatores sibi succendunt gehennam.

ignem damno, manu mea invicta et æterna, quæ proinde ignem hunc vobis in æternum alet et fovebit. Illic) IN DOLORIBUS DORMIETIS. — Hebraice תשכבון *tiscabun*, id est cubabitis, *q. d.* Cubatum ibitis ad ignes, ad dolores et cruciatus, hi erunt lecti vestri, hæc strata, hæc cervicalia. Sicut de strato Balsaris occisi dixit, cap. XIV, 11 : « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Hoc enim corporis, illa animæ sunt cervicalia.

Hæc sors impiorum, qui linguam Christi eru-

ditam audire, illique auscultare, noluerunt : « Pluet enim super peccatores laqueos ; ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. »

Aliter Sanchez legit per interrogationem : « De manu mea factum est hoc vobis? » *q. d.* Minime. Nam, uti ostendi, vos ipsi ignem hunc vobis succendistis, non ego. Verum Biblia omnia Græca, Latina et Hebræa; hæc legunt assertive sine interrogatione ; ergo prior explicatio amplectenda est.

CAPUT QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplo Saræ et Abrahamæ promittit Sioni, id est, Ecclesiæ Christianæ ex Judæis inchoatæ, copiosam prolem, lætitiâ et salutem æternam. Quocirca, vers. 7, arguit timidos, monetque ne timeant persecutores : se enim esse eorum protectorem, esseque omnipotentem, ideoque per Christum se plantaturum novos cælos et novam terram. Tertio, vers. 17, Jerusalem vastatam tum a Chaldæis, tum a Romanis consolatur, promittens ei restorationem et hostium cladem.

1. Audite me qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum : attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos : quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. 3. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus : et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. 4. Attendite ad me, popule meus, et tribus mea, me audite : quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. 5. Prope est justus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos judicabunt : me insulæ expectabunt, et brachium meum sustinebunt. 6. Levate in cælum oculos vestros, et videte sub terra deorsum : quia cæli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. 7. Audite me qui scitis justum, populus meus lex mea in corde eorum : nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. 8. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum. 9. Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini : consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? 10. Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? 11. Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiâ tenebunt, fugiet dolor et gemitus. 12. Ego, ego ipse consolabor vos : quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? 13. Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, et fundavit terram : et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum : ubi nunc est furor tribulantis? 14. Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus. 15. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare et intumescunt fluctus ejus : Dominus exercituum nomen meum. 16. Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus

meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram: et dicas ad Sion: Populus meus es tu. 17. Elevare, elevare, consurge, Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus: usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. 18. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: et non est qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis, quos enutrivit. 19. Duo sunt quæ occurrerunt tibi: quis contristabitur super te? vastitas, et contritio, et fames, et gladius; quis consolabitur te? 20. Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. 21. Idcirco audi hoc, paupercula, et ebria non a vino. 22. Hæc dicit dominator tuus Dominus, et Deus tuus, qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adjicies ut bibas illum ultra. 23. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus: et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus (1).

Vers. 1. 1. AUDITE ME. — A Judæis incredulis redit ad Judæos Christo credentes, de quibus egit cap. XLIX, ut ibi dixi initio, et cap. præced. vers. 10, dicens: « Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? » Hi enim pauci lugebant gentis suæ incredulitatem. Hos pergit hic consolari Deus, et in spem meliorum erigit.

ATTENDITE AD PETRAM UNDE EXCISI ESTIS, ET AD CAVERNAM LACI, DE QUA PRÆCISI ESTIS (id est, ut explicans subdit): 2. ATTENDITE AD ABRAHAM PATREM VESTRUM, ET AD SARAM, QUÆ PEPERIT VOS. — Petram

ergo vocat Abraham, tum ob fidei firmitatem, tum quia Hebræi familias vocant domos: inde **בְּנֵי** *banim*, id est filios, vocant quasi **בְּנֵי אֲבָנִים** *abanim*, id est lapides, qui ex patre, quasi petra excisi sunt. Renes enim, qui sunt origo seminis et virtutis generativæ, formam et duritiem habent lapidum, quin et subinde lapides, sive calculos generant. Sic Rachel et Lia dicuntur ædificasse domum, id est stirpem et familiam, Israel, *Ruth* IV, 11. Aliqui putant alludi hic ad fontem aquæ, e petra a Mose percussa elicatum, *Num.* XX; sicut

enim aqua ex fonte, ita filii ex parente promanant. Verum obstat **et excisi et præcisi**. Aqua enim e fonte et petra elicitur, non autem excinditur, aut præscinditur.

Aptius S. Cyrillus: « Sicut, ait, difficillimum est ex petra solida et immani lapides excindere, et puteum profundum exhaurire: eodem modo perdifficile est, imo impossibile, ex sene viro et sterili muliere (quales erant Abraham et Sara) nasci filium. Verum hoc effectum est supra opinionem Dei nutu et jussu. » Secundo, sicut ex lapidina innumeri excinduntur lapides, ita ex Abrahamo et Sara innumeri prognati sunt Judæi, et mystice ex Christo et Ecclesia innumeri Christiani. Unde forte huc respexit Christus, dicens Judæis, *Matth.* III, 9: « Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ. » Sic Ovidius, I *Metamorph.*, finxit post diluvium Deucalionem jecisse post tergum lapides, indeque homines, durum genus, enatos.

Septuaginta vertunt, *inspicite in solidam petram, quam excidistis, et in foveam laci, quam fodistis,*

(1) Judæorum populum superiori capite in duas partes diviserat, ut recte notat Forerius, in eos videlicet qui Deum timentes, servum ejus Jesum auscultabant, et eos qui exteriori facie rem judicantes in servum Dei injurii, sibi ignem æternum succendebant. Nunc eos tantum alloquitur qui Christo aures accommodarunt, quibus superiori capite, vers. 10, patientiam et fidem suaserat. Hos hic vocat sectatores justitiæ et inquisitores Domini, qui hoc veluti ex officio faciunt, et in hoc tantum intenti sunt ut quod justum est agant et a Domini voluntate non recedant. Ad reliquias ergo illas sanctas convertit sermonem. Isti enim homines, cum viderent populi Judaici impietatem et ob impietatem quæ illum absorpsit, calamitatem, non poterant non mœsti esse.

Non negamus aliquos, licet paucissimos, versus de liberatione Judæorum per Cyrum, in sensu proximiori et incompleto intelligi posse, sed pro certo simul tenendum cum plerisque catholicis interpretibus, majorem hujus capitis partem multo augustiorem esse tum in verbis, tum in factis prædictis ut Cyro, et Judæorum e Babylone reditui convenire possint, et consequenter non nisi ad tempora Christi referendam, in quo perfecte adimpletam esse vidimus.

PRIMO igitur, Propheta Judæorum fidelium mœstitiam

consolatur animumque erigit: primo, contra pusillanimitatem, spem meliorem dando, tum ex dato concessæ Abrahamo et Saræ sterilibus ac effectis fecunditatis exemplo, 1, 2; tum ex facta solatii, gaudium et lætitiæ afferentis, promissione, 3; secundo, contra desidiæ, injecta æmulatione Gentium, quæ Evangelium prædicatum audient, 4, et auditum amplectentur, 5; tertio, contra diffidentiam, facta contestatione de mundo potius interituro, quam veritate Dei mutatura, 6; quarto, contra opprobria et sannas, firmata fide, tum de proxima abolitione omnis oppositi, tum e contra de perpetuitate Evangelii, 7, 8.

SECUNDO, cum vates totius populi nomine, Deum orat ut quamprimum liberet suum populum, 9; illumque provocat ad exempla divinæ potentiae, alias jam edita, 10; promittendo pro salute data grates et laudes, 11; respondet Deus exspectandum tempus Deo placitum, et in hanc rem populum suum adducit, et primo, objurgat ortam ex timore vis humanæ et oblivione potentiae divinæ sollicitudinem, 12, 13; secundo, spondet proximam ex Christi adventu liberationem, institutionem et salutem, 14, 16; tertio, erigit ad spem e calamitatibus, quibus Synagoga deserta hactenus a Deo vindice exercebatur, 17-21; quarto, decernit translationem pœnarum a fidelibus in horum persecutores, 22, 23.

q. d. *Aspicite, o Judæi!* in Christum, quem clavis transfixistis in manibus et pedibus, et lancea in latere cordis, inquit Procopius; S. Hieronymus et Haymo. Hoc est quod ex *Zachar. XII, 10*, ait S. Joannes, cap. XIX, vers. 37, de Christo crucifixo et transosso: «Videbunt in quem transfixerunt,» et Zacharias, III, 9, loquens de Jesu Pontifice sordidis vestibus induto: «Lapis, quem dedi coram Jesu, etc. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, et auferam iniquitatem terræ illius in die una.»

ET AD CAVERNAM LACI. — Hæc est Sara mater Judæorum, ex qua, quasi ex fossa, vel fovea effossi et excisi sunt Judæi, totque eorum millia. Hebræum מַכְבֵּת *maccebet*, id est fovea, alludit ad נִקְבָּה *nekeba*, id est femina. Est honesta periphrasis actus conjugalis, qua utuntur parentes, dum parvulis suis nescientibus et mirantibus quomodo in hunc mundum prodierint, respondent et persuadent se ipsos, uti et fraterculos eorum, dum nascuntur, ex caulibus, vel ex fossis effodisse et effodere.

Notant Arias et Delrio, *adagio* 788, alludi ad architecturam; in hac enim præcipua materia sunt lapides, et intritum sive cæmentum. Lapidem ex lapidina petuntur, puta ex Abrahamo, cæmentum ex caverna, vel, ut Septuaginta vertunt, fovea, sive fossa excavata, puta ex Sara. Hæc enim est mater, ille pater. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *cernite montem ex quo excisi estis, cernite lacum (vel puteum) ex quo cavati estis*. Aliter paulo sumitur hæc phrasis a Latinis; viles enim et terræ filii, aut duri et barbari, dicuntur e petra, caverna aut saxo prognati. Sic Homerus, *Odyss. XVIII: Dic, ait, tuum genus, unde es? non enim e quercu es antiqua, nec e petra; quod alii dicunt: «Neque lutea, neque terræ progenies.»* Et Christus: «Potens est Deus de lapidibus (vilibus et duris Gentilibus) istis suscitare filios Abrahamæ,» q. d. De pulvere suscitabit egenos, et de stercore eriget pauperes.

QUIA UNUM VOCAVI EUM, ET BENEDIXI, — q. d. Sicut Deus Abrahamo, cum solus esset et sterilis instar lapidis et pumicis, utpote emortuo corpore, et virtute generandi, præsertim ex Sara anu, pariter et sterili, dedit filium Isaac, per eumque illum ita benedixit et multiplicavit, ut fieret Abraham, id est pater multarum gentium, haberetque posteros numerosos instar stellarum cæli et arenæ maris: ita quoque Deus Ecclesiam e paucis Judæis ad Christum conversis constantem, Gentium omnium supplemento ita benedicet et multiplicabit, ut totum orbem complectantur. Nolite ergo timere, o pusillus grex, o pauci fideles, Judæi et Apostoli! ego vos faciam Abrahama. Hæc esse sensum patet ex vers. 4. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Cujus ergo rei typus fuere Sara et Abraham, qui senes et steriles genuerunt Isaac, id est risum et gaudium, utpote filium ex quo oriturus erat Christus, qui Evangelium quasi lætissimum nuntium toti mundo erat allaturus, suamque fidelium sobolem toto orbe propagaturus.

3. CONSOLABITUR ERGO DOMINUS SION, — tum terrenam, reducendo ejus cives e captivitate Babylo-nica, atque multiplicando eos in Judæa, uti explicant Hebræi, S. Thomas et Hugo; tum potius spiritalem, scilicet Ecclesiam ortam ex Judæis in Sion: tempore enim Christi in iis solis consistebat Ecclesia. Sionis ergo ruinas, quibus scilicet major Judæorum pars a fide corruit, cum Christum repulit, sarcivit Deus per vocationem Gentium, itaque eam mæstam consolatus est. Pro ruinas ejus hebraice חַרְבוֹתֶיהָ *charboteha*, quod Septuaginta proprie vertunt, τὰ ἔρημα αὐτῆς; id est *deserta ejus; Vatablus, desolationes ejus; Forerius, siccitates ejus.* «Nam sicut, inquit, grassantibus hostibus, succenduntur arbores, et remanent stipites nonnulli, et trunci aridi, atque grassante igne et collabentibus tectis, supersunt exusti aliquot parietes: ita omnia devastante impietate, et ob impietatem milite Romano omnia in Jerusalem diripiente et proterente, remanserunt pii nonnulli Judæi, quasi nobilis illius ædificii parietes exusti, vel stipites semiusti. Has siccitates, has reliquias consolatur Dominus, quia ex paucis illis quasi ex seminario quodam, videbunt infinitam multitudinem fidelium prodire, et in immensum augeri veluti segetem Domini.»

ET PONET DESERTUM EJUS QUASI DELICIAS. — Hebraice כְּעֵדֶן *keeden*, id est *quasi eden; Septuaginta, sicut paradisum; hic enim erat in regione Eden, Genes. II, 8, in Hebræo. Erat enim Eden sive paradisus, locus deliciarum amœnissimus. Unde mox vocatur «hortus Domini,» quem scilicet Dominus excoluerat et adornarat, quasi suum hortum, opponiturque inculto et sterili deserto. Sic orbis deliciæ fuerunt Apostoli, ipsaque primitiva Ecclesia, antea inculta et deserta.*

Porro «desertum» Sionis, vel vocat ruinas Judæorum desertas, de quibus jam dixi; vel, ut Procopius et Haymo, desertas a Deo et derelictas hucusque Gentes. Sed eodem sensu recidit. Constat enim hoc desertum commutatum esse in paradisum per Gentium conversionem.

GAUDIUM ET LÆTITIA INVENIETUR IN EA, — in Gentium solitudine jam conversa ad Christum, in qua ante non erant nisi tenebræ, ærumnæ et mæstitia; jam non invenietur nisi gaudium, lætitia, «gratiarum actio, et vox laudis,» q. d. Gentes, quæ antea pejerabant, jurgabantur, blasphembant, diris se aliosque devovebant, jam per Christum accipientes mentem igneam et linguas igneas; non aliud resonabunt quam hymnos et laudes Dei. Videbunt enim Apostolos jugiter jubilantes et laudantes Deum ob tot tantaque beneficia, quæ per Christum orbi præstitit, præsertim mittendo et dando fidelibus Spiritum Sanctum, totque et tanta ejus charismata; unde et fideles idipsum agnoscent, sibi que congratulabuntur, et Deo gratias agent, quod in tam illustrem sortem sanctorum eos vocarit et adoptarit, dicentque jugiter: «Benedicam Dominum in omni tempore, semper

laus ejus in ore meo. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur, » qui nos de tenebris et umbra mortis ad lucem et vitam, de potestate diaboli ad societatem Filii tui, de inferno ad cœlestia regna vocasti et transtulisti : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, » etc., *Ephes. I, 3.*

Hæc deberet esse jugis vox et jubilus Christianorum, essetque reipsa omnium, si penitus bona per Christum accepta et accipienda considerarent et appenderent, eisque condigne, ut par est, viverent. Jam paucorum est, qui perfectioni mundique contemptui studentes, vitam angelicam in terris æmulantur; horum enim vita et vox, non est aliud quam assidua Dei laus. Nam, ut S. Bernardus expertus ait, *serm. 11 in Cantic.* : « Nihil ita proprie quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, dicente Scriptura : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Et S. Ephrem, *tract. De Beatitudinibus*, inter eas hanc præcipuam ponit : « Beatus, inquit, qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spiritali officio nunquam est segnus, sed assidue glorificat Dominum. »

Vers. 4.

4. ATTENDITE AD ME, POPULE MEUS, — iterum iterumque videte unde hæc lætitia et gaudium tam numerosæ et lætæ sobolis vobis sint obventura.

LEX A ME EXIET. — « Lex, » scilicet non prisca Mosis, sed nova Christi et Evangelica, puta Evangelii prædicatio exhibit in totum orbem. Nam « in omnem terram exivit sonus eorum, » scilicet cœlorum spiritalium, puta Apostolorum. Hoc est quod dixit cap. II, 3 : « De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Sequitur de eadem :

ET JUDICIUM MEUM IN LUCEM POPULORUM REQUIESCET. — Lex Evangelica vocatur *judicium*. *Primo*, quia nos docet Dei judicium, quid scilicet Deo placeat, quid displiceat, quid probet, quid damnet. Ex eo enim discimus humilitatem, paupertatem, mundi contemptum ei placere, fastum, avaritiam, delicias, etc., ei displicere, ac consequenter judicium Dei contrarium esse judicio mundi. *Secundo*, quia docet Dei judicium, id est justitiam, et id quod cuique ex Dei ordinatione debemus tribuere, scilicet Deo cultum, proximis charitatem, nobis continentiam. Rursum, lex hæc afferet hominibus Dei judicium, id est justificationem, ut juste, pie et sancte vivant. Hic sensus est valde appositus; subdit enim : « Prope est justus meus. » *Tertio*, lex Christi vocatur *judicium*, quia qui illam recipit, cœlo; qui rejicit, inferno per illam ipsam adjudicatur. Hoc est quod ait

Christus : « Qui non credit, jam judicatus est; » et : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, » etc. *Quarto*, quia per eam, quasi per iudicium et sententiam definitivam Deus damnavit mala mundi opera. Hoc est enim quod ait Christus : « Ego in iudicium veni in mundum; » et : « Hoc est iudicium; quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, » *Joan. III, 19.* Dicitur porro hoc iudicium ab Isaia *lux*, vel datum « in lucem populorum, » quia per Evangelii prædicationem quasi lucem, clare ostendit Deus omnibus hominibus perversitatem operum mundi, et ex adverso quanti quæque virtus vel opus apud Deum sit pretii et meriti. Omne enim quod manifestatur, in lumine manifestatur, ait S. Paulus. *Quinto*, quia per Evangelium Christus iudicabit, et fidelibus dicet in fine mundi : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum; » infidelibus vero et inobedientibus : « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

Quinta.

REQUIESCET. — Non obiter transibit, sed « requiescet, » in Gentibus, quasi in sua sede et loco, firmiter et longo tempore. Forerius vertit contrarie, *concitabo*. Est enim Hebræum *פָּרַח* *raga*, contrariæ significationis, duoque contraria significat, scilicet, requiescere et concitare, quasi dicas : Judicium meum in lucem populorum concitabo, id est faciam ut momento appareat, et instar fulguris resplendeat, ac pervadat totum orbem.

5. PROPE EST JUSTUS MEUS, EGRESSUS EST (id est brevi egredietur) SALVATOR MEUS. — Sunt verba Patris de Filio, quem se brevi missurum promittit, ut sit, inquit, salvator meus, per quem scilicet ego orbem salvem, mihi que subjiciam.

Vers. 5.

Hebræa et Septuaginta habent : *Prope est justitia mea, egressa est salus mea*, quæ verba non minus Filio; quam Patri conveniunt. Ecce hoc est iudicium, quod se in lucem populorum daturum promisit, scilicet, justitia, id est justificatio et salus eorum. Hi sunt gaudii, lætitiæ et consolationis, vers. 3, promissæ fontes.

BRACHIA MEA POPULOS JUDICABUNT. — *Primo*, S. Thomas et Hugo per *brachium* Dei accipit Cyrum, qui Dei robore Babylonem evertit, et Judæos liberavit. Verum hæc spectant ad Christum, non ad Cyrum. Quocirca S. Augustinus, lib. *De Essentia Divinitatis*, per *brachia* Dei, scilicet Patris, accipit Filium et Spiritum Sanctum; hi enim a Patre quasi brachia ab humero procedunt. *Secundo*, Haymo, Vatablus et Lyranus per *brachia* Dei accipiunt Apostolos; hi enim a Christo quasi brachium processerunt, ab eoque robur subigendi orbem acceperunt, ut alludat ad robur et brachia militum. *Tertio* et genuine, *brachia* Dei sunt vires et potentia, quam Deus per Christum Christique crucem exeruit, dum per prædicationem Apostolorum ei omnes gentes subjecit. Crux enim Christi fuit Dei virtus, ut ait Apostolus. Ita S. Hieronymus, Adamus, Forerius. Quocirca alludit ad brachia Christi in cruce extensa; hæc

Brachium Dei triplex. Primum.

Secundum.

Vita cœlestis est, assidue laudare Deum.

Lex evangelica vocatur iudicium, cur? Resp. prima.

Secunda.

enim sunt robor et quasi cornua, quibus ventilavit hostes, orbemque domuit, de quibus dicitur *Habac.* III, 4 : « Cornua in manibus ejus. »

Porro *judicare*, Hebræis idem est, quod gubernare et dominari, ut alibi dixi. Idem ergo hic dicit, quod cap. XL, 10 : « Et brachium ejus dominabitur. » Rursum, « judicabunt, » id est vindicabunt, populos a jugo et tyrannide diaboli, eosque in libertatem asserent. Sic enim Gedeon, Samson aliique dicuntur judices, id est vindices Israel. Ita Sanchez.

ME INSULÆ (insulani, id est gentes remotæ) EX SPECTABUNT. — Hebræum *קָוָה* *kava*, habet emphasis; significat enim dirigere, et extendere instar lineæ; inde enim *קָוָה* *kaf*, significat lineam, q. d. Insulani extendent animam suam, suasque spes, vota et desideria, eaque instar lineæ dirigent ad Christum. Spes enim quasi extendit animam ad rem speratam, ut eam sperans per spem quasi teneat et apprehendat. Hinc ait Psaltes, *Psal.* XXIV, 1 : « Ad te, Domine, levavi animam meam. » Significatur ingens fore Gentium desiderium Christi et Christianismi, ubi de eo, ejusque sanctitate et miraculis inaudierint. Hoc est quod prædixit Jacob, *Genes.* XLIX, 10 : « Ipse erit expectatio Gentium. »

Secundo, Forerius Hebræum *kava*, sic explicat, q. d. Insulani, jam Christiani effecti, dirigent et collineabunt cogitationes, locutiones et actiones omnes ad Christum, utpote a quo uno pendeant, et cui soli placere student. Prior sensus Hebræo magis genuinus est.

Tertio, aliqui sic exponunt, *expectabunt*, id est avidissime excipient, perinde ac si diu me expectassent; ut sit metalepsis : quæ enim avide excipimus, ea prius diu expectare solemus.

ET BRACHIUM MEUM SUSTINEBUNT, — scilicet, expectantes, id est, ut Septuaginta, Vatablus et alii vertunt, *et in brachium meum sperabunt*. *Brachium* vocat vim, robur et efficaciam Evangelii, sive Christianismi, quæ mentes et corda immutat et sanctificat, ut vitia occidat, virtutes in eis plantet et vivificet.

Secundo, Forerius vertit, *et ad brachium meum expectabunt*, q. d. Gentes Christi imperio obediant, a Christi ore pendeant, pendulique excipient, et prompte exsequentur ejus jussa, dicentes : « Domine, quid me vis facere ? » Signum da mihi voluntatis tuæ, parebo, iboque per saxa, per ignes.

6. QUIA COELI SICUT FUMUS LIQUESCENT. — Chaldaice, *transibunt*. Hoc est, ut Christus ait, *Lucæ* XXI, 33 : « Cælum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt, » q. d. Salus et justitia, quam per Christum me daturum promisi, vers. 5, firmior et diuturnior erit cælo et terra; erit enim æterna, stabitque in perpetuum : cæli autem et terra transibunt, si non substantia, certe qualitate, forma et innovatione sui. Vide dicta cap. XXXIV, 4. Ita S. Hieronymus. Salus ergo et

justitia mundi, temporalis est; salus vero et justitia Dei, æterna est. Hæc ergo ambienda est cum Apostolis et Martyribus, illa negligenda. Quid enim proderit tibi quod omnes homines cras morituri te salvent et justificent, si Deus æternitatis dominus te condemnet? Damnarunt tyranni Apostolos et Martyres, occiderunt illos ad breve tempus; resurgent illi, et damnabunt suos tortores et tyrannos in æternum.

Septuaginta vertunt, *quoniam cælum sicut fumus firmatum est*. Hoc est, ut explicat S. Hieronymus : « Quod omnis cælorum firmitas et robur et fortitudo vento inanissimo et fumo qui in auras solvitur, coæquetur juxta Ecclesiasten : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Tales sunt et opes, deliciae, honores, pompæ omniaque quæ cæli ambitu continentur. Quam ergo vani et stulti sunt, qui hæc ambiunt, et cum æternis commutant! Symmachus vertit, *οὐρανοὶ ἀδιόστεροι*, id est, *cæli instar salis liquescent* et evanescent; Aquila, *οὐρανὸς μειωθήσεται*, id est, *cælum comminuetur in nihilum*, non quod proprie sit periturum, et redigendum in nihilum, sed quod commutandum sit in melius, ait S. Hieronymus, sive quod hæc ejus species et forma sit annihilanda, dandaque ei nova longe augustior et splendidior.

7. AUDITE ME (loquitur Christus ad suos primos fideles et Apostolos), QUI SCITIS JUSTUM (hebraice, *justitiam*, sive id quod justum et sanctum coram Deo esse, vos docui). LEX MEA IN CORDE EORUM, — id est in quorum corde lex et doctrina mea est; ut vertunt Vatablus et Forerius. Est hebraismus : ponitur enim pronomen demonstrativum *eorum*, pro relativo *quorum*.

NOLITE TIMERE OPPROBRIUM HOMINUM, — Scribarum et Phariseorum, tyrannorum aliorumque infidelium, qui vos ob fidem meam persequuntur, subsannabunt, flagellabunt et occident. Unde Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion*. cap. XIV, putat Christum huc alludere, idemque dicere, cum ait : « Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cælo, » *Luc.* VI, 22. Hæc enim Christi verba hisce Isaia quasi antistropha respondent. Porro Tertullianus hunc Isaia locum sic ex Septuaginta legit et vertit : « Ne timueritis ignominiam ab omnibus, et nullificatione eorum ne minuamini » animo, id est ne vincamini, ut legunt alii. Hoc est enim Græcum *ἡττάσθε*. Porro nullificationem vel nullificamen, vocat vilipensionem, qua quis nihili fit et nullus aestimatur : « Quæ ignominia? quæ nullificatio? quæ futura erat propter Filium hominis, » ait Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion*. cap. XIV.

8. SICUT ENIM VESTIMENTUM, — supple, ex se generat vermem et tineam, quæ illud corrodat et absumat : ita homines mortales ex se generant

sibi morbos et mortem, qua intereant: « Mortalia enim omnia mortalitate damnata sunt, » ut ait Seneca, ac praesertim peccatores et persecutores Ecclesiae ex se gignunt scelera, quae in se provocent iram et excidium Dei. Vide dicta cap. L, 9. Alludit ad caelos, vers. 6, *q. d.* Si caeli, qui instar aeris fusi et fundati sunt, liquescent et tabescent, quanto magis homo, qui non est nisi putredo et ærumna?

9. **CONSURGE, CONSURGE** (Vatablus vertit, *excitare, excitare*, quasi a somno quietis, lenitatis et patientiae), **INDUERE FORTITUDINEM, BRACHIUM DOMINI.** — Forerius vult hæc esse verba Dei ad seipsum, seu ad virtutem suam, nempe Christum, qui et virtus Dei, et brachium Domini vocatur in Scriptura.

Planus Sanchez censet esse Isaiae, aut populi expectantis et anhelantis ad Christi adventum, ut Deus per eum potenti brachio debellet daemones, peccatum et mortem, ab iisque fideles suos liberet, utque per Apostolos fortiter sibi subigat hostes, tyrannos totumque orbem. Septuaginta addunt: *Jerusalem*; vertunt enim, *consurge, consurge, Jerusalem*. Verum hæc vox non est in Hebræo, Chaldæo aut Latinis, in quibus « *consurge, consurge, induere,* » et verba omnia sequentia referunt et respiciunt « *brachium Domini.* »

Porro *induere fortitudinem*, est parare et accingere se ad prælium, ut in eo fortiter confligat, et proterat hostes, *Psal. xcii, 1*: « *Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se;* » et *Psal. xlv, vers. 4*: « *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* »

Alludit ad Cyrum, qui fuit quasi brachium Domini in debellandis Babyloniis: imo S. Thomas et Hugo putant hunc esse sensum litteralem; sed hoc parum est verisimile.

CONSURGE SICUT IN DIEBUS ANTIQUIS, IN GENERATIONIBUS SÆCULORUM. — *Dies antiquos, sive generationes sæculorum*, vocat tempora prisca, puta Ægyptia sub Mose, inter quæ et præsens multa fluxerunt sæcula.

NUMQUID NON TU, — scilicet o « *brachium Domini!* » Hoc enim respicere pronomen *tu* patet ex pronomine feminino *את* *at*; nam *זרוע* *ze-roa*, id est *brachium*, pariter est feminini generis.

PERCUSSISTI SUPERBUM, VULNERASTI DRACONEM, — scilicet Pharaonem in mari Rubro, cum Hebræi sicco pede transierunt illud, ut sequitur. Vocatur enim ipse *draco* marinus sive fluvialis, puta balæna, vel potius crocodilus, quia dominabatur Ægypto, quæ hinc mari, inde rivis Nili cingitur, ideoque putabat se invictum et insuperabilem. Hoc est enim quod ait de Pharaone sui temporis, qui Ephree fuit cognominatus, *Ezech. cap. xxix, 3*: « *Ecce ego ad te, Pharaon, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* » Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii. Mystice, *draco* est Satan, ut dixi cap. xxvii, 1. Ita Rupertus.

10. **AQUAM ABYSSI VEHEMENTIS.** — *Abyssum* vocat

mare Rubrum, ob profunditatem; *vehementem*, ob æstus et fluctus. Est enim sinus sive brachium maris, ubi mare arctatum vehementius fluctuat et sævit.

11. **ET NUNC QUI REDEMPTI SUNT.** — Intelligitur more Hebræo particula comparativa *sicut, q. d.* Sicut Deus, duce Mose, liberavit Hebræos de manu Pharaonis, eo submerso, eosque cum gaudio, júbilo et tripudio, deduxit usque in Judæam in Sion: ita nunc per Christum a diaboli captivitate et tyrannide, redimet eos, puta veros Israelitas, ut in Sion, id est Ecclesiam, veniant, gaudeantque et jubilent, hic inchoate, perfecte vero in cælo. Hoc est enim quod sequitur:

LÆTITIA SEMPITERNA SUPER CAPITA EORUM. — Ita enim, ut jam dixi, explicatur *Apocal. vii, 16*. Est metaphora « *sumpta*, inquit Forerius, a mulieribus, quæ ingentia onera imposita capitibus deferunt: quo forte et alludit Paulus, cum gloriæ pondus dixit. » Melius Sanchez sumptam putat a coronis, quas victores in triûmphis aut festum agentes, in festo vel nuptiis, capiti imponunt. Porro per coronas significatur dies hosce fore tum triumphi, tum geniales et festivos. Beati enim in cælo coronabuntur non lauro, non olea, non thyrso; sed immarcescibili gloriæ corona, ut ait S. Petrus, *epist. I, cap. v, vers. 4*.

Rursum, *caput* ponitur pro toto homine; est enim pars præcipua, in qua vigent sensus, estque sedes gaudii et lætitiæ, æque ac doloris et mœstitiæ.

Tertio, *super capita* significat hanc lætitiã non fore humanam et terrestrem; sed sublimem, transcendentem et supernaturalem, scilicet cœlestem et divinam, ex gratia et consolatione Dei, in hac vita; atque in futura ex lumine gloriæ, visione et fruitione Dei manantem. Simili modo, cap. xi, 2, et cap. lxi, 1, Spiritus Domini, omniaque ejus dona, dicuntur requiescisse super Christum. Tò enim *super* significat hæc dona esse supernaturalia, et e cælo iam homines descendere, ita tamen, ut ipsis indantur eisque insint. Denique *super* significat ambitum, copiam et magnitudinem gaudii. Sicut enim corona cingit et ambit totum caput, ita ambit et hæc lætitiã. Hoc est quod ait Psaltes, *Psal. xxix, 12*: « *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiã.* » Significatur ergo tanta fore lætitiã, ut homo eam capere non possit; sed ea undique circumfundatur, innatet et inebrietur. Hoc est quod ait Christus: « *Intra in gaudium Domini tu,* » *q. d.* Tantum erit gaudium, ut illud non tam in te, quam tu in illud sis intraturus: sicut invitatus ad nuptias ingreditur in aulam nuptiarum deliciis, musicis, tapetibus omnique re delectabili ita instructam et refertam, ut videatur in mera intrare gaudia.

GAUDIUM ET LÆTITIAM TENEBUNT. — Loquitur de gaudio hic inchoando, sed consummando in cælis, ut patet *Apocal. vii, 16*. Legimus in historiis

aliquos in hac vita præ gaudii magnitudine fuisse exanimatos : quanta ergo erunt gaudia Beatorum, quibus undique circumfluent et inebriantur? Sane gaudium eis finderet cor, gaudio creparent, ni Deus eos supra naturam contineret, et in vita conservaret. Ita Diagoras tres filios adolescentem habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem; eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiæ die. Porro, cum tres hi filii victores patrem amplecterentur, et coronas suas in caput ejus imponebant, cumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret; ipse seipsum, suamque lætitiã non capiens, protinus in eodem loco et stadio, inspectante populo, in oculis atque in manibus filiorum animam efflavit.

Similiter legimus, qua tempestate apud Cannas exercitus populi Romani cæsus est, anum matrem, nuntio de morte filii allato, extremo luctu atque mærore affectam esse; sed is nuntius falsus fuit, atque is adolescens non diu post ex ea pugna in urbem rediit. Anus repente, filio viso, quasi ruina incidentis inopinati gaudii, oppressa exanimataque est. Ita A. Gellius, lib. III, cap. xv.

FUGIET DOLOR ET GEMITUS. — Pulchre Poeta :

Nascimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madescit,
Et vitam rursum liquimus in lacrymis.
Mors multas hominum lacrymas absterget, at omnes
Omnibus electis ipse Deus lacrymas.

Huc alludit S. Joannes, *Apocal.* XXI, 4 : « Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. » Quia, ut dixit vers. 11 : « Lætitia sempiterna erit super capita eorum. » Nimirum Christus hic suorum capiti imponit suam coronam spineam, in cælo imponet auream et gemmeam, ut reipsa ostendit et præstitit B. Catharinæ Senensi.

Hoc gaudium hic inchoant justi, estque comes virtutis eorum, quam deducit ad gaudia cœlestia et æterna. Vidit hoc per umbram Seneca, scribens ad Lucilium : « Nolo, ait, tibi unquam deesse lætitiã, volo illam tibi domi nasci : nascetur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt : leves sunt, nisi tu forte judicas illum gaudere, qui ridet : animus debet esse alacer, et fidens, et super omnia erectus. »

12. EGO, EGO IPSE CONSOLABOR VOS. — Cogita qualis, quanta et quam firma sit consolatio, quæ a tanto consolatore proficiscitur, quasi munus tanto principe dignum. Quocirca : « Quis tu, ut timeres ab homine mortali? » Hebraice *אנשׁ מן הַמֵּתִים*, id est homine misero, ærumnoso, damnato ad mortem. Increpat tepidos et timidos Christianos, qui in fide nutaturi, aut ab ea defecturi erant metu Judæorum, Imperatorum, aut aliorum persecutorum vel irrisorum. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Unde Hebræum est genus femininum, *מי את ותיראי* *mi at vaitirei*, q. d. Quid tu, o femina,

times? Timere enim in tanto Dei adjutorio et consolatione, præsertim hostem fœneum, et instar fœni interiturum, est meticulosæ et femineæ indolis; dicere enim debueras : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? »

13. ET OBLITUS ES DOMINI FACTORIS TUI (Dat causam timoris, q. d. Ideo times, ut femina, persecutores, quia immemor es Dei, potentissimi tutoris tui, qui cœlos et terram creavit, firmavit et firmat. Hinc enim videns faciem furibundam persecutoris et tribulantis, formidasti; sed vide quam brevis sit furor, quam cito dispereat). UBI NUNC EST FUROR TRIBULANTIS? — q. d. Uti furor Pharaonis persequentis Hebræos absorptus est a mari : ita et furor persequentium te, Deo vindice, mox absorbebitur et evanescet.

14. CITO VENIET GRADIENS AD APERIENDUM. — Hebraei, S. Thomas et Nugo hæc accipiunt de liberatione Judæorum e captivitate Babylonica. Verum alii passim accipiunt de ope et auxilio Christi, suos in persecutione liberantis, protegentis, foventis et alentis, q. d. Cito veniet brachium Domini, id est Christus potens bellator, gradiens et conculcans adversarios tuos, ut carceres aperiat, indeque te jam ad mortem damnatum educat, uti fecit S. Petro, *Actor.* XII, 11.

Rursum, « non interficiet, » id est, non permittet tyrannos interficere fideles usque ad internecionem, quin potius per paucorum martyria, plures faciet succrescere. Unde hebraice est *לא ימות* *lo iamut*, id est non morietur, scilicet fidelis. Noster legit *לא ימית* *lo iamit*, id est non occidet, non interficiet.

NEC DEFICIET PANIS. — In fame etiam extrema aderit Deus, curabitque suis annonam, tum corporalem, tum magis spiritualem. Hoc est quod Paulus expertus aiebat : « Aporiamur, sed non destituimur, » II *Corinth.* IV, 8. Ita sæpe fidelibus fecit, et facit Deus, iisque in acie novaculæ mire succurrit; ut, cum videantur esse in imo et æterno carcere conclusi, subito libertatem eis afferat; cum videantur esse in limine mortis, ducique ad crucem, salvet eos, vitæque restituat; cum videantur fame morituri, abunde eis victum submittat, uti *Daniel.* cap. XIV, in lacu leonum submitit cibum per Habacuc raptum ab Angelo.

Quinimo Forerius hæc sic accipit, quasi dicatur, quod Deus persecutorum animos ita immutabit, ut ipsimet Christianos, quos carcere concluderant, solvant et liberos dimittant; quos ad mortem damnaverant, absolvant; quos fame cruciabant, nutriant et pascant. Sic enim vertit ipse : *Festnavit qui volutabat* (exagitabat fidelem) *ad aperiendum, et non morietur* (fidelis) *ad foveam, et non defecit panis ejus.*

Pro gradiens hebraice est *צועה* *tsoe*, quod Pagninus et R. Abraham vertunt, *ligatus*; Valabius, *discurrens*; Forerius, *volutans*; R. David, *captivus*; Symmachus vero, *infernus*. Sic enim ipse vertit : *Cito infernus aperietur, et non morietur in corrup-*

tionem, q. d. Christus moriens aperiet limbum patrum, et vinctos, tam in limbo quam in purgatorio, educet, atque in morte caro ejus non corrumpetur. Hoc est enim quod dicitur, *Psalm. xv, 10* : « Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » Ita S. Hieronymus.

Vers. 15. 15. EGO AUTEM SUM, DOMINUS — *q. d.* Quid timeas, cum me habeas defensorem? qui, cum volo, conturbo mare, multo magis homines, hostesque tuos conturbare possum, uti conturbavi Madianitas tempore Gedeonis, *Judic. vii*; quique sum Dominus exercituum, qui scilicet, cum lubet, in aciem educo cœlos, stellas, elementa, fulmina, tonitrua, grandines, procellas atque innumeras Angelorum legiones.

Vers. 16. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO. — S. Thomas et Hugo putant esse verba Dei ad Isaiam, vel, ut Chaldæus, ad Prophetas.

Secundo, Cyrillus, Procopius et Sanchez censent hæc verba locutum esse ad Apostolos virosque Apostolicos.

Tertio et planissime, S. Hieronymus, Forerius, Adamus et alii passim censent esse verba Dei Patris ad Christum Filium : iisdem enim verbis Pater compellavit Filium, cap. XLIX, 2. Et Christus est, qui fundavit Ecclesiam, ut sequitur.

Porro sub Christo intelligit Christi fideles et Apostolos; hos enim timidos et metuentes persecutiones Judæorum ac tyrannorum, uti dixi vers. 7 et 12, pergunt corroborare et confirmare, dicens se iis adfore daturumque, tum sapientiam et eloquentiam, qua prudenter et constanter persecutoribus respondeant; tum vires et fortitudinem, qua eorum impetus et plagas excipiant et sustineant. Itaque Deus a fidelibus, quasi a subditis, hic convertit se et sermonem reflectit ad caput, puta ad Christum, in eoque fideles alloquitur et consolatur; sicut rex a militibus convertit se ad capitaneum, eumque et in eo milites alloquitur et animat ad prælium, *q. d.* Nolite timere, o fideles, o Apostoli, minas et terrores hostium; ecce ego dedi vobis caput et ducem Christum. Ego in tuo, o Christe! ore posui verba mea, ut tu vicissim ea ponas in ore tuorum Apostolorum et fidelium. Rursum, in umbra manus meæ ego protexi te, ut tu vicissim sub umbra manus tuæ protegas eos. Poterant enim Apostoli cum Mose, *Exodi iv*, obtendere duo Evangelii obstacula, scilicet, *primo*, ruditatem et infantiam suam; hoc elidit, dicens : « Posui verba mea in ore tuo; » *secundo*, robur et furorem persecutorum; hoc elidit, dicens : « In umbra manus meæ protexi te. »

Hoc est quod ait Christus, *Matth. x, 19* : « Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Hisce ergo verbis Christus, Apostoli eorumque assecræ instituuntur et quasi consecrantur præcones Dei, Deusque os eorum sibi vindicat, ut per illud, quasi per or-

ganum suum, loquatur. Ita refert S. Gregorius, lib. I *Dialog.* cap. iv, iisdem hisce verbis S. Equitium Abbatem ab angelo jussu Dei institutum esse prædicatorem. Cum enim Felix, vir nobilis, ab eo quæreret : « Qui sacrum Ordinem non habes, atque a Romano Pontifice, sub quo degis, prædicationis licentiam non accepisti, prædicare quomodo præsumis? » Compulsus Equitius, respondit : « Ea quæ mihi loqueris, ego quoque mecum ipse pertracto; sed quadam nocte speciosus mihi per visionem juvenis adstitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est phlebotomum posuit, dicens : Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum : atque ex illo die, etiam cum voluero, de Deo tacere non possum. » Subdit S. Gregorius : « Tantis quippe illum fervor ad colligendas Deo animas accendebat, ut sic monasteriis præesset, quatenus per ecclesias, per castra, per vicus, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, et corda audientium ad amorem patriæ cœlestis excitaret. » Da, Domine, Ecclesiæ tuæ plures Equitios.

UT PLANTES CŒLOS, ET FUNDES TERRAM, — ut scilicet cres et fundes novum orbem spiritalem, scilicet Ecclesiam regnumque Dei, in quo fideles agent vitam cœlestem, atque instar terræ solidi et fundati erunt in fide, spe et charitate. Ita S. Hieronymus, Haymo, Forerius, Dionysius, Adamus et alii. Aliqui non male, per cœlos accipiunt Apostolos : sicut enim cœli lumen, ita Apostoli lucem Evangelii orbi attulerunt. Per terram, scilicet novam, plebeios, qui in Ecclesia terrestri, hanc lucem constanter accipientes, suæ gravitatis obliti, feruntur in cœlum, dicuntque cum Paulo : « Nostra conversatio in cœlis est. » Quocirca aliqui subaudientes *v. beth*, id est *in*, vertunt, ut *plantes cœlos, eosque fundes in terra*. Per vitam enim cœlestem quam agunt Sancti, tam Angeli et cœlites ad homines descendunt, quam homines pii ad cœlites ascendunt. Unde S. Joannes, *Apocal. xxi, 1*, vidit Ecclesiam et fideles, quasi Jerusalem novam descendentem de cœlo.

Moraliter, Sancti sunt cœlum, *primo*, quia sursum habent cor et mentem.

Secundo, quia cœlati sunt gratia Dei, omnique virtute, præsertim patientia in tribulationibus.

Tertio, quia sunt templum et thronus Dei; unde S. Augustinus in *Psalm. cxxii* : « Habitat, inquit, in cœlo Deus, et cœlum Dei sunt omnes animæ justæ et sanctæ : nam et Apostoli quamvis in terra essent carne, cœlum erant; quia in illis Deus sedens per totum mundum ambulabat, et habitabat in eis Christus per fidem, sicut dicit Apostolus : Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. »

Quarto, quia instar cœli pluunt, tonant, fulgurant. Audi S. Augustinum in *Psalm. ci*, serm. 2 : « Per cœlum, ait, non importune intelligimus Sanctos Dei, in quibus manens Deus intonuit

Equitius ab angelo consecratus prædicator.

Morale, Sancti sunt cœlum ob octo analogias.

præceptis, coruscavit miraculis, imbrificavit terram sapientia veritatis : cæli enim enarraverunt gloriam Dei. » Idem, serm. 3 *De Apostolis* : « Cæli sunt Sancti narrantes gloriam Dei, a terra suspensi, Deum portantes, in præceptis tonantes, sapientia coruscantes. »

Quinto, quia, ut ait S. Augustinus, lib. II *Contra Julian.* : « Cum corpus e terra et spiritum possideamus e cælo, ipsi terra et cælum sumus; et in utroque, id est in corpore et spiritu, ut voluntas Dei fiat, oramus. » Unde scribens in *Psal.* xvi : « Tu, ait, si vis, cælum eris : purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, et non frustra responderis sursum te habere cor, cælum eris : carnem portas, et corde jam cælum es. »

Sexto, cælum Varroni lib. V *De Lingua Latina*, dicitur, quod stellis sit cælatum, aut quod sit *κελευν*, id est cavum; aut, ut Isidorus, quod superna celet et abscondat; aut, ut Rupertus in *Genes.* lib. I, cap. xxix, a cernendo, quod omnibus sit conspicuum et ubique cernatur; sicut Plato in *Cratylō*, cælum græcè dici *εὐρανὸν* censet ἀπὸ τοῦ ἑρᾶν τα ἄνω, id est ab aspiciendo ea quæ sursum sunt; aut, ut Aristoteles (vel quisquis est auctor), lib. *De Mundo*, ab ἕρος, quod sit terminus eorum quæ sursum sunt. Unde utrumque conjungens Philo, lib. *De Mundi opificio* : « Cælum, inquit, dicitur *εὐρανός*; sive quia omnium ἕρος, id est terminus; sive quia primum *ἑρατῶν*, id est visibillum, factum sit. » Ita Sanctus est cavus, id est totus teres atque rotundus : est omnibus conspicuus per modestiam, sed absconditus per devotionem et contemplationem. Idem est terminus et finis omnium : Deus enim mundum creavit propter Sanctos et Electos. Unde S. Gregorius, lib. XXX *Moral.* xii : « Cælum, ait, Ecclesia vocatur electorum, quæ ad interna sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. » Idem, homilia 14 in *Ezech.* : « Cælum est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit : Cælum mihi sedes est, » *Psal.* cii. Idem, homil. 30 in *Evangel.* : « Ornamenta, inquit, cælorum sunt virtutes prædicantium. Hinc scriptum est : Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum; quia mundi hujus potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos Sancti Spiritus fortitudo solidasset, » etc.

Septimo, in cælo est sol, luna, astra; ita in anima justi sol est intellectus, luna fides, astra virtutes, ait S. Bernardus, serm. 27 in *Cantic.*, qui totus est de hac re : « Sicut stellæ, inquit, in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminent in adversis : ergo virtus est sidus, et homo virtutum, cælum. » Merito ergo sponsa Christi dicit : « Formosa sum sicut pelles Salomonis, » id est sicut cælum : Deus enim extendit « cælum sicut pellem, »

Psal. ciii. Habet ergo Ecclesia « cælos suos, homines spirituales vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis, » etc.

Octavo, quia justus per cælestes mores inchoat cælestem beatitudinem, sicque incipit esse cælum. Audi S. Chrysostomum, homil. 16 in epist. ad *Hebr.* : « Faciamus, ait, animam nostram cælum. *Primo*, clarum et festivum est cælum, neque enim in hieme nigrum efficitur : non enim ipsum est quod immutat faciem, sed nubes concurrentes illud obtegunt; » ita justus serenus est et imperturbabilis. *Secundo*, « cælum solem habet; habemus et nos solem justitiæ. Video autem quia et meliores fieri cælo nobis licet; quonam modo? quando Dominum solis habemus. *Tertio*, « cælum ubique mundum est et sine macula, non in hieme, non in nocte mutatur; proinde et nos neque in tribulationibus, neque in versutiis diaboli hoc patiamur, sed maneamus immaculati et mundi. *Quarto*, cælum altum est, et multum distans a terra; hoc etiam nos faciamus, separemus nos a terra, et in excelsum illud levemur. *Quinto*, cælum superius est, et ab imbribus et a pluviis (nam nubes transcendit Olympus) et a nullo consumitur; hoc et nos poterimus, si voluerimus. *Sexto*, cælum quidem putatur pati, sed ipsum nihil patitur; sic igitur et nos etiamsi putamur pati, tamen non patimur, si in altitudine sederimus cum Paulo et Sanctis, qui altiores cælo, ad ipsum pervenerunt Dominum. Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? » etc.

ET DICAS (tu, o Christe) AD SION (ad Ecclesiam):
POPULUS MEUS ES TU. — Omnes enim fideles sunt populus Christi, indeque vocantur Christiani.

17. CONSURGE, JERUSALEM. — *Primo*, Hebræi, *Ver.* 17. S. Thomas, Hugs et Sanchez hæc accipiunt de Jerusalem, id est Hierosolymitis captivis in Babylone, censeantque eis hic libertatem et reditum in patriam, ac Hierosolymæ templique reedificationem promitti; ideoque excitari Jerusalem ad alacritatem et lætitiā, ac moneri, ut priora scelera, ob quæ hostibus tradita est, deinceps caveat. Videtur enim ad Judæos sui ævi more suo reverti Prophetā : hisce enim omnia ad finem usque capitis proprie conveniunt; sub hisce tamen intelligit Christianos quasi antitypos.

Unde *secundo*, S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Dionysius, Forerius, Adamus, Vatablus, et passim alii per *Jerusalem* intelligunt primitivam Ecclesiam, in Jerusalem ortam et collectam : de illa enim egit ab initio capitis hucusque, ejusque mœrorem ex paucitate fidelium conceptum, consolatur et abstergit, promissione tum protectionis suæ, tum instaurationis et numerosæ prolis. Verum, quia in urbe Jerusalem alii erant credentes Christo, alii et plures increduli; hinc *primo*, ejus

et incredulorum stragem per Romanos describit; deinde vers. 22, transit ad credentes, atque veram Jerusalem, id est Ecclesiam consolatur, ut clare patet cap. seq., vers. 2 et 7. Nam, cum Judæi pene deleti sunt per Titum, cumque plane abolita eorum respublica et Synagoga, tunc subito cœpit florere Ecclesia ex Judæis collecta, tunc caput erexit. Hoc est quod ait: « Elevare, elevare, consurge. » Hæc enim fuit restauratio Hierosolymæ et Sionis, non corporalis, sed spiritalis: transit enim a Jerusalem non credente et excisa, ad credentem Christo et succrescentem, sive a Judaica ad Christianam. Sicut enim idem est populus, v. g. Romanus, olim Gentilis, nunc Christianus; sic eadem est Jerusalem olim Judaica, nunc Christiana, præsertim, quia hæc e Judæis primitus cœpit et collecta est. Vide *Can. VII.* Adde hæc etiam ad consolationem Jerusalem, id est Judæorum adhuc judaizantium, pertinere: quia illi suo tempore inserendi sunt Ecclesiæ, uti multi inserti sunt, et quotannis inseruntur; imo omnes et singuli quolibet die inseri possunt, si velint, itaque hac consolatione eis promissa frui.

Denique, alii per vastationem Jerusalem intelligunt persecutiones, quas a tyrannis passa est primitiva Ecclesia. Verum hoc videtur violentum. Hæc enim non possunt dici calix furoris, et plenus indignatione Domini, vastitas, contritio, etc., quæ sequuntur, cum fuerint potius ejus gloria et triumphus.

QUÆ BIBISTI DE MANU DOMINI (propinatum et acceptum) CALICEM IRÆ EJUS. — *Calix* significat sortem cujusque tristem vel lætam, cuique a Deo pro meritis, vel pro voluntate Dei admensam et attributam. Est metaphora a convivii, in quibus olim præfectus convivii, qui Modimperator dicebatur, suum cuique calicem miscebat et attemperabat (1). *Calix* ergo iræ est mensura pœnæ, vel vindictæ a Deo irato Hierosolymæ, pro ejus demeritis decreta et attributa. Vide dicta *Jerem. xxv, 15.*

USQUE AD FUNDUM CALICIS SOPORIS. — Hebraice est תרעלה *tarela*, quod Noster vertit, *soporis*, id est, ut R. Salomon, *stuporis*, id est stuporem seu soporem lethiferum inducentis; Chaldæus, *maledictionis*; Septuaginta, *furoris*; Symmachus et Theodotion, *lacerationis*; R. David, *veneni mortiferi*; R. Jona, *confusionis et contritionis*; R. Emmanuel, *fletus et contritionis*; Arias Montanus, *turbationis et nauseæ*; sed optime Forerius, *Vatablus*

(1) Alii putant hic alludere Prophetam ad opinionem apud Hebræos, et præsertim apud Orientales vulgatam, esse quemdam angelum mortis quem putabant accusatorem hominum apud Deum, a quo mortem eorum postularet, et demum ægrotis appareat, et guttam veneni instillet, qua degustata moriantur. Hinc juxta Jahn (*Archæolog. Bibl. part. I, cap. xiii*) descendunt phrases: *Mortem gustare, calicem mortis bibere*, quæ Syris quoque et Arabibus et Persis usitatae sunt. Cf. Calmetum, *Dissert. ad Isai. xxxvii, 36.*

et alii, *tremoris*; רעל *raal* enim significat tremere; dicitur autem *calix tremoris*, qui tremorem et concussionem membrorum, indeque stuporem lethiferum inducit, quales sunt venenatæ et frigida potiones. Non ergo loquitur de calice vini conditi et aromatici, qui reis supplicio afficiendis datur, ut sensus sopiret, ne cruciatus sentirent, aut certe ut minus eos sentirent: hic enim in se reis erat consolationi magis quam dolori.

Symbolice tamen et tropologice hunc calicem soporis calici et haustui somnifero, quem Germani *Slafstrung* vocant, recte adaptat Joannes Fridericus Matenesius in *Syntagmate* quod contra eum scripsit: calix enim somniferus hunc sopiferum inducit et provocat.

POTASTI USQUE AD FÆCES. — Ergo totum dolium ebibisti, nec tam ex calice, quam ex dolio potasti, illudque epotasti: significatur ingens et extrema vindicta, clades et calamitas Hierosolymæ, quæ fuit tum in captivitate Babylonica, tum magis in Romana.

18. NON EST QUI SUSTENTET. — Solent parentes senes a filiis sustentari, eisque inniti, uti factum est a P. Cornelio, qui inde Scipio est appellatus, quod pater incedens ei quasi scipioni inniteretur; unde ipse Scipionis nomen familiæ dedit et ad posterum transmisit. Hierosolymæ vero contrarium accidit: nam filii ejus seditiosi se invicem confecerunt, et gravius urbem, quam hostes, afflixerunt in obsidione Titi, teste Josepho.

19. DUO SUNT QUÆ OCCURRERUNT TIBI. — Nominat quatuor flagella, subdit enim: « Vastitas, et contritio, et fames, et gladius. » Quomodo ergo ait esse duo? Respondet Sanchez *primo*, esse duo, quia unum, puta fames, Judæis contigit in obsidione; alterum post obsidionem, excisa urbe, scilicet vastitas, et contritio et gladius. *Secundo*, respondet esse duo, quia unum fuit civitatis flagellum, scilicet, vastitas et contritio; alterum civium, scilicet fames et gladius. Sic et Forerius: Vastitas, inquit, et contritio, sunt unum idemque flagellum; alterum vero, est fames et gladius, hæc enim pro uno computantur. *Tertio*, Vatablus: Duo, inquit, posteriora duobus prioribus continentur. Ergo primum flagellum est vastitas, sive fames; alterum est contritio, sive gladius. Secundus sensus videtur maxime appositus contextui.

QUIS CONTRISTABITUR SUPER TE? — *q. d.* Tanta est tua afflictio, ut et tu, et videntes te stupeant, et præ stupore nec illi te possint consolari, nec tu ab eis consolationem ullam accipere: vehemens enim dolor stuporem sensibus et menti inducit, ut nihil, quantumvis lætum et delectabile, sentiant aut capiant.

CONSOLABITUR. — Hebraice jam est אנהם *anachem*, id est *consolabor*; sed videtur legendum ינחם *ienachem*, id est *consolabitur*: ita enim vertunt quoque Septuaginta.

20. FILII TUI PROJECTI SUNT. — Strati jacent in plateis et compitis, aut gladio confossi, aut potius

præ fame, macie, tæpe animam agentes : hoc est enim Hebræum אֵלֶּיךָ *alaph*. Idipsum est quod ait Jeremias *Thren.* IV, 5 : « Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercore : » præsertim quia hostes Chaldæi, æque ac Romani, domos combusserant, vel occuparant, ut cives cogèrentur in plateis dormire.

SICUT ORYX ILLAQUEATUS. — « Oryx » est animal unicornè et bisulcum, ait Aristoteles, lib. II *Hist. animal.* cap. I, et lib. III *De Part. animal.* cap. II; alii volunt esse urum, sive bovem sylvestrem. Ita Gesnerus et Forerius. Verum Procopius vult esse avem; sed hoc parum est probabile. Melius Plinius, lib. II, XL, orygem ait esse Ægypti feram, qui bisulcam habet unguam, et in exortu Caniculæ contra stat intuendo, eamque sterantando quasi adorat. Idem, lib. VIII, cap. LIII : « Sunt et oryges, ait, soli a quibusdam dicti, contrario pilo vestiti, et ad caput verso.» Et Oppianus, *Cy-neget.* lib. II, ait feram esse lactei coloris, habentem cornua ære, ferro et silice duriora, similia mucronibus, eaque venenata esse (1); his confisam, belluam audacem esse et sævam, non metuere venatores, nec canes, imo nec tauros, apros, pardos, leones, ursos; sed, cum eos videt irruentes, immotam stare, et capite inclinato invadentis alvum cornibus obliquatis perforare. Hinc Callixenes Rhodius apud Athenæum, ut rem miram et inauditam narrat, quod Ptolemæus Philadelphus in pompa Alexandrina oryges subjugales dederit. Ita Delrio *adagio* 789. Quocirca Martialis, lib. XIII, orygem ita depingit :

Matutarum non ultima præda ferarum
Sævus orix : constat quod mihi morte canum.

Sensus est, *q. d.* Sicut oryx ferum animal, cum canibus et venatoribus pugnans, fessum tandemque victum, capitur et illaqueatur, sicque illaqueatum et irretitum, moxque occidendum, omnibus in platea spectandum proponitur; ita et cives Hierosolymæ fessi, fracti, ærumnis confecti, et ab hoste undique cincti, ac quasi illaqueati jacuerunt in plateis mox morituri, aut jugulandi, fueruntque hostibus et transeuntibus ludibrium. Alludit ad Titum, qui Hierosolymam, viasque omnes, ita subito obsedit et einxit, cum omnes Judæi eo ad Pascha confluxissent, ut instar miraculi fuerit, tam cito tantam urbem vallo et muro potuisse concludi : tunc enim Judæi fuerunt quasi oryx ab eo illaqueati. Ita Josephus, lib. VI *Belli*, cap. penult. Hæcque fuit causa, cur multi fame et fœtore luridi, ob tantam hominum multitudinem, exanimis jacuerint in plateis.

Septuaginta pro *sicut oryx illaqueatus* vertunt,

(1) אֵלֶּיךָ *oryx* notat animal quoddam sylvestre e genere caprearum montanarum, quæ nomine Arabico *gazelle* vocantur : pluribus ostendit Bochartus *Hezoz.* part. I, lib. III, cap. xxviii; qui et ibidem demonstravit ejusmodi animalia in Oriente etiamnum retibus capi.

(Rosenmuller.)

sicut beta semicocta, id est semitosta, flaccescens et marcescens. Sic et Syrus et Arabicus, *sicut beta deficiens præ siccitate*, foliis aridis se erigere et consistere non valentibus : quæ est imago hominis deficientis et morientis. Unde Virgilius morientem Euryalum flori et papaveri flaccescenti ita comparat, lib. IX *Æneid.* :

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

Id maxime verum in beta, quæ etiamsi vigeat et floreat, languida est, fatua et insipida. Unde vulgo dicebatur olim *λαχανίζειν*, id est *betizare*, ut vertit Augustus Cæsar, teste Suetonio, pro languere, aut esse insulsum vel insipidum; unde Catullus :

Languidior tenera cui pendens sicula beta;

et Martialis :

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia beta,
O quam sæpe petet vina piperque cocus!

Hinc Diogenes Cynicus, teste Laertio, cum adolescentem quidam eum canem vocarent, seque cauturos dicerent ne ab illo morderentur, eos bono animo esse jussit, canem enim non vesci betis, mollitiem eorum notans. Tales fuere Judæi in obsidione, scilicet molles, languidi, insulsi et stolidi, utpote in sese invicem grassantes, teste Josepho, qui et lib. V *Belli*, cap. XLII, depingit eos quasi solutos viribus, siccos, fame hiantes, et exhalantes animam.

Mystice, tales beta sunt, homines molles et enerves, qui, quasi feminae, cedunt tentationibus. Quocirca S. Cyrillus et Basilius in *Ascet.* cap. IV, vetat Religiosos jejuniis et pœnitentiis extenuare et exhaurire vires corporis, ne fiant similes æstu siccatis et torridis oleribus, ut non possint sufficere laboribus communibus, nec difficultatibus ac tentationibus resistere.

Chaldæus pro *sicut oryx illaqueatus* vertit, *sicut laguncula confracta* : Judæi enim vastati fuerunt quasi fragmenta lagenæ contritæ, ut ait Isaias cap. xxx, vers. 14.

PLENI INDIGNATIONE DOMINI. — Indignationem sive increpationem, metonymice vocat supplicia et cruciatus, ex Dei indignatione manantes et depluentes in peccatores.

21. EBRIA NON A VINO, — sed ab ira et indignatione Dei, puta a vindicta, suppliciis, doloribus et angoribus a Deo vindice tibi immissis, nimirum ab epoto calice furoris Domini, de quo sequitur; unde S. Hieronymus ait significari ebriam animi perturbationibus : nam iste hominem inopem consilii, et quasi mentis impotem faciunt, eumque rotant et circumagunt instar ebrii, ut æstuet, lancinetur, et curis malisque circumquaque exagitetur. Dissimili et adverso sensu Demosthenes *orat.* 1, impropere Philippo, quod rerum gestarum gloria et felicitate factus sit quasi ebrius

et insanus; et de Cleopatra dixit Poeta : « Fortu-
naque dulci ebria. »

22. QUI PUGNABIT PRO POPULO SUO, — qui eum
ab hostibus sæpe vindicavit, ab iisque et e capti-
vitate liberare solet : futurum enim significat præ-
teritum et præsens more prophetico.

ECCE TULI DE MANU TUA CALICEM SOPORIS, etc. —
Septuaginta pro *soporis* vertunt, *ruinæ*; Symma-
chus et Theodotion, *lacerationis et commotionis*;
S. Cyrillus, *insanabili calamitate et infelicitate into-*
lerabili.

NON ADJICIES UT BIBAS ILLUM ULTRA. — Hoc verum
fuit in captivitate Babylonica : quia nunquam am-
plius a Babyloniis vastati sunt Judæi, nec ab aliis
per longum tempus, puta per aliquot sæcula. Tò
enim *non ultra* sæpe non æternitatem, sed longi-
tudinem significat, puta tempus immemoriale,
quod ultra vitam et memoriam hominis porrigit-
tur. Verius fuit id ipsum in vastitate Romana, et
in Sione spiritali, id est Ecclesia : hæc enim nun-
quam in totum vastabitur aut excindetur.

23. ET PONAM ILLUM IN MANU EORUM, QUI TE HUMILI-
LIAVERUNT. — Scilicet, dabo illum epotandum hos-
tibus tuis, puta tum Chaldæis, hi enim pariter vas-
tabuntur a Cyro; tum Romanis, nam mox ab ex-
cidio Hierosolymæ auctores illius, Flavii omnes,
misere perierunt. Flavius enim Vespasianus pater
statim eodem anno mortuus est; Titus intra bien-
nium sævissima morte interemptus, poenas luit;
Domitianus, a suis cæsus, ita odio fuit, ut de eo
canat Poeta :

Regeret cum Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni.

Ita ex S. Hieronymo et Procopio Leo Castrius.

Rursum, hostes Jerusalem, id est Ecclesiæ fue-
runt Nero, Decius, Diocletianus, Aurelianus, Li-
cinius, etc., qui quam misere perierint, norunt
omnes.

ET DIXERUNT ANIMÆ TUÆ (id est tibi) : INCURVARE.
— Solent enim victi a victoribus calcari, iisque
subinde dorsum incurvare, ut illi quasi scabello
insideant, vel insistant adscensuri equum. Sic Au-

relianus incurvatus fuit Saporis regi Persarum; Ba-
jazetes Turcarum rex, Tamberlano. Ad hunc mo-
rem allusit Psaltes, *Psalm. cix, vers. 1* : « Donec
ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. »

Mystice, hæc humiliatio, et corporis incurvatio,
per catachresin significat animæ totiusque homi-
nis per vitia et peccata depressionem sub potes-
tate diaboli, cujus est mancipium. Ita S. Cyrillus,
Forerius, Arias et Hieronymus qui et addit : « Tale
quid et in Evangelio legimus quod decem et octo
annis Satanæ incurvaverat mulierem, quam Do-
minus ad statum pristinum erexit. » Et de eadem
S. Gregorius, *hom. 31 in Evangelium* : « Recta, ait,
stat anima, cum superna desiderat, et nequaquam
flectitur ad ima. Sed maligni spiritus cum hanc
in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam tran-
sire non possunt : transire namque eorum est im-
munda illa desideria spargere. Dicunt ergo : In-
curvare, ut transeamus : quia si ipsa se ad ima
appetenda non dejicit, contra hanc illorum per-
versitas nullatenus convalescit, et transire per eam
nequeunt, quam contra se rigidam in superna in-
tentione pertimescunt. Nos ergo viam malignis in
nobis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus,
cum ad temporalia appetenda curvamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, et dorsa men-
tium ascendentibus adversariis præbere. » O cur-
væ in terram mentes, et cœlestium inanes! o vi-
les animæ! Audite Gentilem Senecam, *epist. 42* :
« Quemadmodum, inquit, radii solis contingunt
quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur; sic
animus magnus et sacer, et in hoc demissus ut
propius divina nossemus, conversetur quidem
nobiscum, sed hæreat origini suæ. » Et *epist. 8* :
« Cogita in te præter animum nihil esse mirabile,
cui magno nihil magnum est. » Parvus ergo est,
qui ad hæc infima se inflectit. Et *epist. 65* : « Quem
in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in ho-
mine animus, » id est stet erectus, imperet regat-
que, et affectus, cupidines, humana omnia domita
habeat ac subjecta. Aliam hujus loci tropologiam,
de iis qui invident necessitatibus fratrum, vide
apud S. Bernardum, *serm. 1 ad Patres in Capitulo*.

Dæmon
ait ani-
mæ, in-
curvare.

Animo
magno
nihil est
mag-
num.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Judæis libertatem e captivitate Babylonica, tum quia ipsi populus ejus erant, et iniique ac indignè tractabantur a Chaldæis; tum ne nomen Dei, quasi suos derelinquentis, blasphemetur. Sub ea vero intelligit et promittit libertatem a jugo peccati et dæmonis, quam toti mundo affert Christus. Unde secundo, relictis Judæis, ad Christum et Apostolos transit et avolat, vers. 7, dicens: Ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis pacem, etc.; dicitque Christum fore brachium, et salutare Dei, quod videbunt, quoque fruuntur omnes Gentes. Hinc tertio, vers. 11, jubet Apostolis, ut a Judæa exeant, eantque prædicatum per omnes Gentes, apud quas tam gloriosum fore Christi nomen prædicat, quam fuit ipse apud Judæos, præsertim in passione et cruce, inglorius; inde enim eum sibi gloriam in toto orbe comparaturum (1).

1. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas Sancti: quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et im-mundus. 2. Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion. 3. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venimdati estis, et sine argento redimemini. 4. Quia hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. 5. Et numquid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablati sunt populus meus gratis? Dominatores ejus iniique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur. 6. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! 8. Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. 9. Gaudete, et laudate simul, deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium: et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini. 12. Quoniam non in tumultu exhibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israel. 13. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. 14. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. 15. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierunt, contemplati sunt.*

Vers. 1. **1. CONSURGE, CONSURGE.** — Ex præcedentibus patet hæc pertinere, *primo*, ad liberationem Judæorum e captivitate Babylonica: hanc enim ejus-

que vastitatem et ærumnas descripsit cap. præced., vers. 17 et sequent. Cum illis ergo hæc conjugenda et continuanda sunt. Unde Judæis pro-

(1) Jam felicia consecraria liberationis filiorum Dei et Ecclesiæ Christi a peccato et ab iis quæ peccata consequuntur, de qua in cap. præced. prosequitur Propheta, ita ut sensus proximior qui in aliquibus ad libertatem a captivitate Babylonica referri absolute potest, sensim deficiat, ut jam non nisi de Christo litteraliter accipienda sit prophetia in hoc capite et sequenti comprehensa.

Primo igitur, declarat Propheta æstimandum esse redemptionis beneficium, utpote, *primo*, gloriosum et ex omni parte plenum et absolutum, 1, 2; *secundo*, gratuitum, et nullo hominum merito conciliatum, 3; *tertio*,

solvendæ tyrannidi dæmonis per regem Ægypti figurati, et vindicandæ Deo gloriæ destinatum, 4, 5; *quarto*, Christi præsentia et prophetiarum eventu confirmatum, 6.

Secundo, prædicat Apostolos et prædicatores Christi, adventum, pacem, salutem et Dei regnum annuntiaturos, 7; lætam rerum conversionem, gaudium et solatium allaturus, 8, 9; paratam erga omnes gentes beneficentiam Dei probaturos, 10.

Tertio, ad eos quibus revelata fuerat vis sanctitatis Dei, id est Filii Dei, qui erant dispersi per totum orbem, sermonem dirigit, ad quos tamen loquitur, inquit Fore-

mittit, quod per Jerusalem deinceps non transibit incircumcensus, qui eam vastet et subjuget. Loquitur ergo de tempore quo durabat lex circumcisionis; hoc autem fuit tempore captivitatis Babylonice, non Romanæ: tunc enim a Deo sublata est circumcisio, eique subrogatus Christi baptismus. Ita S. Thomas, Hugo, Sanchez et alii.

Secundo, sub hoc Jerusalem typo, altius spectat, antitypum scilicet Sionis, id est Ecclesie per Christum instaurationem et institutionem, in Judæa et Jerusalem: sensim enim ad Ecclesiam et Christum assurgit, et redit, ut clare patebit vers. 7. Vide dicta cap. præced. vers. 17.

Nota: Per *resurgere* monet Deus Jerusalem: *primo*, ut jacens humi in sordibus et mœstitia, se erigat, animos resumat, seque exhiberet; *secundo*, ut in hac sui liberatione torporem et desidiam excutiat, Deoque edocenti, tum ex Babylone, tum ex jugo peccati ac dæmonis cooperetur, eumque præeuntem sequatur: Dei enim donâ non obveniunt dormientibus et torpentibus, sed vigilantibus, seque ad Dei vocationem excitantibus et col laborantibus.

CIVITAS SANCTI. — Jerusalem enim erat urbs Deo Deique cultui dicata, Deusque in ea habebat suum templum quasi palatium, in quæ residere, urbemque et populum suum regere videbatur.

Verius « civitas Sancti » est Ecclesia Christi, in qua Deus habitat et præsidet, tum spiritualiter per gratiam, tum corporaliter in Eucharistia. Adde, in Ecclesia sunt sancta Sacramenta, sanctum Evangelium, sancti Doctores, Pastores et fideles, qui sancte serviunt sancto Deo.

QUIA NON ADJICIET ULTRA, UT PERTRANSEAT PER TE INCIRCUMCENSUS. — Ex hoc loco inferunt Pelicanus et Calvinus, peccatores non esse in Ecclesia, sed solum justos et sanctos; sed perperam, nam repugnat vox *ultra*. Sensus enim est, *q. d.* Hactenus transivit per te, Jerusalem, immundus; sed deinceps non transibit; jam autem secundum Calvinum, Pelicanum aliosque hæreticos, Ecclesia semper etiam ante Christi adventum, constitit solis justis et sanctis, nunquamque in ea fuerunt peccatores: est enim ipsa, inquit, fuitque sem-

rius, quasi loqueretur cum Judæis in Babylone detentis. Vel certe cum prævidisset Propheta Jerusalem ipsam impietate et omni genere scelerum contaminandam, ipsos Israelitas qui veram Sion efficiebant, paucos illos qui redituri erant alloquitur ut desererent impiam Jerusalem, et recederent a contaminationibus ejus, et spectatim si qui sacerdotes fuerint, 11.

QUARTO, rationem dat hujus præcepti, scilicet, liberatio hæc non est similis liberationi ex Ægypto, sed animarum est et spiritualis; in qua debet haberi ratio peccatorum et sanctificationis spiritus. Deus enim ipse erit dux eorum, et dispersos suos congregabit et ut pastor ad se colliget, 12.

QUINTO, hanc eandem rem magis explicat, et qua ratione futurum erat ut colligerentur filios Dei qui erant dispersi, nempe per Christum, qui formam servi haberet, exponit, cujus, *primo*, vita per doctrinam et operationem erit gloriosa, 13; *secundo*, passio et mors ignominiosa, 14; *quarto*, redemptio ad omnium stuporem copiosa, 15.

per sponsa Dei. Ergo secundum ipsos falsa est hæc Prophetæ sententia, quæ asserit quod antea per Ecclesiam transierint immundi, sed deinceps non sint tractaturi. Dico itaque sensum esse *primo*, *q. d.* O Jerusalem, Babylonii aliæque gentes incircumcise et immundæ te calcarunt, tibi que dominatæ sunt, « et dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus, » cap. præced. vers. 23, hoc est, te ut mancipium tractarunt et pessumdederunt; sed id non facient ultra, id est per multa annorum curricula. Licet enim postmodum Antiochus et Titus vastarent Jerusalem, id tamen fuit alio quasi ævo et sæculo. Sic enim *ultra* sæpe capitur strictè, respicitque sæculum præsens, sive ætatem eorum, qui tum vivunt: post horum enim mortem sequitur nova ætas et generatio, quæ est quasi alterius rationis et ordinis, ut in computum non veniat.

Secundo, sub Jerusalem intelligit Ecclesiam, *q. d.* Te, o Jerusalem, o Synagoga, vastarunt Chaldæi et incircumcisi; at cum transieris, et transformata fueris in Ecclesiam Christi, nemo incircumcensus, id est infidelis et immundus, amplius te vastabit aut evertet; sed durabit integritas tua, et pulchritudo, ac redemptio et libertas tibi parata per Christum in æternum; nullæque hostium, etiam inferorum portæ tibi unquam prævalebunt; sed rex tuus, defensor et protector erit Christus, Sanctus sanctorum, qui te in fide et moribus mundam et sanctam conservabit; esto in te sint aliqui fideles immundi et peccatores, a capite enim et potiori parte sumitur rei denominatio. Sic ergo Ecclesia dicitur sancta, non quod omnes in ea sint sancti, sed quod Christus ejus caput, multique in ea sint sancti: hi enim sunt præcipua et digniora ejus membra.

Addit S. Hieronymus per *incircumcensum et immundum*, non intelligi peccatores, sed infideles: tales enim erant Chaldæi, vastatores Hierosolymæ; hi autem non sunt in Ecclesia, nec ad eam pertinent. Quocirca S. Hieronymus putat idem dici hic ab Isaia, quod dicitur a Paulo, II *Corinth.* vi, 15: « Quæ conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cum infidei? »

Denique S. Cyrillus et Procopius, per *incircumcensum et immundum* accipiunt dæmonem, *q. d.* Dæmon, cui hætenus venditi fuistis, ut sequitur, ac servistis, per Christum a vobis expelletur: sed hic sensus arctior et alienior videtur.

2. EXCUTERE DE PULVERE. — In quò captiva et victa jacuisti, scilicet cum hostis tibi humi stratæ diceret: « Incurvare, ut transeamus; » jubetur ergo jam liberata, *primo*, se excutere de pulvere; *secundo*, consurgere; *tertio*, sedere in pristino solio regali; *quarto*, solvere vincula et jugum Chaldæorum, ut quasi libera et regina dominetur. Ex adverso hæc omnia transcribuntur in hostem ejus, scilicet Babylonem, vastandam per Cyrum, cap. XLVII, vers. 1, cui dicitur: « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra: non

est solum filiæ Chaldæorum. » Hæc Ecclesiæ et animæ quæ jugum peccati et dæmonis excussit, carnem et mundum calcavit, Christo et cœlitibus se conjunxit, statum et dignitatem repræsentant, eaque facile est illi adaptare.

Vers. 8

3. GRATIS VENUNDATI ESTIS, ET SINE ARGENTO REDIMEMINI. — «Gratis,» id est sine pretio traditi estis Chaldæis; quia bello ab eis capti rursus gratis et sine pretio redimemini a Cyro: nec enim Cyrus a Judæis pecuniam accepit, sed potius dedit ad fabricam templi, I *Esdrae* cap. vi. Unde S. Augustinus, lib. *Quæst. in lib. Judic.* Quæst. XVII, tom. IV: «Venditi, inquit, sine pretio, id est donati estis.» Pari modo Gentilitas et anima quævis, dum peccavit, gratis, id est sine pretio se vendidit, id est ultro se tradidit diabolo, et gratis, id est sine pretio quod Deo aut Christo offerat, a Christo redimitur. Licet enim diabolus animæ peccanti pro pretio et mercede offerat voluptates, honores et lucra, uti sagis subinde dat pecunias; tamen hæc terrena, brevia, fucata, exilia, et comparatione animæ nihil sunt, ac nullius pretii: itaque nihil ei dignum rependit, nisi pœnas et tormenta æterna. Anima enim vel una, quia ad imaginem Dei creata, tam nobilis est creatura, ut omne aurum et argentum, omnes cœli et elementa, totusque mundus ejus pretium æquare non possit; quinimo pretium pro ea condignum aliud inveniri non potuit, quam sanguis et vita Filii Dei. Pone ergo in bilance, hinc animam, inde Christum, et æquabis animæ pondus et pretium. Hoc excitet in nobis zelum animarum: esto enim subeamus omnes labores et dolores pro una animula convertenda, illa tanti est, ut omnis labor et dolor præ illa nihili sit æstimandus: pro illa enim omnes suos labores et dolores exantlavit, totam humanitatem et divinitatem suam impendit et quasi expendit Christus. Caro ergo pretio stetit Christo anima quælibet, cum ipsi animæ sine pretio et gratis obveniat hæc redemptio et salus: quia «non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi,» inquit S. Petrus, *epist. I, cap. 1, vers. 18.* Ita S. Hieronymus.

Secundo, Deus peccatorem venundat, id est mancipat diabolo, quia diabolus per se nihil juris habet in homine etiam peccatore; sed Deus eum quasi vilissimum mancipium et quasi reum læsæ divinæ Majestatis, diabolo quasi tortori, puniendum et torquendum addicit.

4. IN ÆGYPTUM DESCENDIT POPULUS MEUS (cum Jacob patriarcha, *Genes. XLVI*), ET ASSUR ABSQUE ULLA CAUSA CALUMNIATUS EST EUM. — Per *Assur* Adamus intelligit Salmanasar, qui decem tribus in Assyriam abduxit, sub hæc tempora Isaïæ. Unde Septuaginta vertunt: *Et violente abducti sunt in Assyrios*; aut certe Sennacherib, qui populatus est Judæam, tempore Ezechïæ. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Vatablus, Arias et Leo Castrius.

Secundo, alii per *Assur* accipiunt Nabuchodonosorem qui, licet Chaldæus esset, dicitur tamen *Assur*, quia Assyriis æque ac aliis gentibus dominabatur; itaque censent ipsi hic significari captivitatem Babylonicam, et præcedentibus verbis *Ægyptiam*: per aposiopesin enim subterici oppressionem Judæorum sub Pharaone in *Ægypto*, quasi omnibus notam. Ita Sanchez, Vatablus et alii multi.

Tertio et planius, *Assur* vocatur Pharaos, ob potentiam et crudelitatem: Assyrii enim in Scriptura, quia Judæos sæpe divexarunt et afflixerunt, hinc tyrannidis sunt typus; sic Pharaos vocatur *Assur*, *Ezech. xxxi, 3.* Vide dicta cap. viii, vers. 4. *Assur* enim hic pertinet ad *Ægyptum*; hæc enim sententia priorem de *Ægypto* explet, quæ alioqui imperfecta est, hiulca et pendula. Ita Forerius. Addit Cajetanus in *Exodi 1*, Pharaonem qui afflixit Hebræos in *Ægypto* non fuisse *Ægyptium*, ille enim novisset Joseph ejusque beneficia *Ægypto* præstita, sed Assyrium: passim enim Scriptura hic et alibi inculcat captivitatem *Ægyptiam*, utpote gravissimam et longissimam, et quia ejus liberatio fuit portentosa per tot plagas a Mose inflictas perque transitum maris Rubri, merso Pharaone; denique quia hæc captivitas et liberatio viva fuit imago captivitatis humanæ sub peccato, ejusque liberationis per Christum: *Assur* enim tyrannus denotat diabolum, ejusque ministros infideles et hæreticos, omnesque persecutores, uti docent S. Hieronymus, Augustinus, Gregorius et ex iis Beda et Rupertus (1).

CALUMNIATUS EST. — Hebraice פֶּשַׁע אֲסַח, id est, per vim et calumniam affixit et oppressit.

5. ET NUMQUID MIHI EST HIC, DICIT DOMINUS, — *g. d.* Olim populus meus male acceptus fuit ab *Ægyptiis*, et a Pharaone crudeli; sed ego eum inde vindicavi et eduxi, et nunc pari tyrannide premitur a Chaldæis et Nabuchodonosore; quid ergo moror, quin eum libero? Rursus antitype, multo magis premitur totum humanum genus, quasi oryx illaqueatus, gemitque sub jugo peccati et diaboli: quid moror? Num patiar hominum genus mihi dilectum, gratis venundatum, servire hosti meo? Non feram: quocirca nomen meum magnum, quod in *Ægypto* Mosi et Hebræis patefeci, rursus patefaciam, ostendamque quod

(1) Aliam hanc interpretationem quæ non quadam verisimilitudine caret, dat Calmetus: *Ægyptiorum* quos tam dure multavi propter afflictionem populi mei, longe minor fuit culpa quam Chaldæorum: nam *Ægyptii* aliquam rationem habere videbantur Jacob filios in servitutem redigendi: advenæ siquidem erant; in *Ægyptum*, ut famem effugerent, descenderant; nullum jus habebant sibi vindicandæ regionis quæ nec ad illos pertinebat, nec illis erat promissa; et insuper ita multiplicati erant, ut præ numero multam suspicionem *Ægyptiis* moverent. *Assur* vero, Salmanasar, Sennacherib, Nabuchodonosor, quam habebat æquitatem ut populi mei regionem invaderent, bellum immane contra illum gererent, captivum abducerent? etc....

sim *Jehova*, id est Deus et redemptor Israelis, hoc est populi mei fidelis per Christum, quem vindicem ei submittam.

DOMINATORES. — Chaldæi, et deinde Romani; item Scribæ, Pharisei, Pontifices Judæorum, tempore Christi: hi populum oppræsserunt, opes eorum prætextu religionis emungentes, ac pro lege Dei docentes suas Pharisæicas traditiones et superstitiones, iisque populum a Christo averterunt, quin et impulerunt, ut contra eum clamaret: «Crucifige, crucifige.» Ita S. Hieronymus. Pro *iniquæ agunt* hebraice est *הלילי* *helilu*, id est *ululant* quasi lupi famelici, prædæ populi inhiantes; vel ululare faciunt, scilicet populum, quem ita opprimant. Ita Vatablus et Forerius.

NOMEN MEUM BLASPHEMATUR, — tum a Gentibus, ut addunt Septuaginta, et ex iis S. Paulus, *Rom. II, 24*, puta a Chaldæis: hi enim Judæis objectant infirmitatem Dei sui, quod non potuerit, aut possit, eos de manu Nabuchodonosoris liberare; tum etiam a Judæis, qui murmurant contra Deum, quod eos permiserit capi, et permittat in captivitate detineri; ideoque nonnulli ex iis a Deo vero ad Baal et idola Chaldæorum, quasi potentiora desciscunt, uti prædixit Jeremias cap. *xvi*, vers. *13*. Ostendit Deus se non tantum cura populi sui, sed et nominis sui tangi: itaque ut illud ab infamia et blasphemia vindicet, missurum se illico Cyrum, qui populum suum Babylone liberet.

Rursum, sub Tito Romani blasphemabant Deum Judæorum; ipsi etiam Scribæ et Judæi blasphemabant Deum et Christum ejus, erantque causa cur populus blasphemaret, uti jam dixi. Quid ergo? Veniam, inquit Dominus, et blasphemiam hanc retundam, liberando populum meum, Judæos scilicet, qui Christo credere volent: hosce enim Christiana et vera libertate donabo, propagabo et exaltabo, efficiam enim ut eorum fides, Ecclesia et Christianismus per omnes gentes divulgetur, honoretur et celebretur, sicque efficiam ut blasphemiam in laudes et gloriam convertantur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, et Eusebius, lib. *VI Demonstr. cap. xxiv*.

Moraliter, pari modo nomen Dei blasphematur ab hæreticis, Turcis et Paganis, cum vident Christianos, præsertim Ecclesiasticos, impure et scelerate vivere: dicunt enim: Deus eorum, vel non est tam sanctus, tam purus, tam libidinis osor, ut ipsi jactant, quomodo enim servi, cultores et imitatores ejus essent tam impuri, incesti, scelerati? vel certe non est omnipotens, nec scelerum vindex, quomodo enim hæc tam indigna a suis toleraret, et non fulmine potius vindicaret? Væ eis, per quos hoc scandalum venit, ut nomen sanctum Dei blasphemetur!

6. SCIET POPULUS MEUS NOMEN MEUM IN DIE ILLA: QUIA EGO IPSE QUI LOQUEBAR, ECCE ADSUM. — «In die illa,» scilicet *primo*, a Jeremia prædicta et præstituta, cap. *xxv*, *12*; qua scilicet post 70 annos liberabo eum a Babylone; *secundo* et potius, qua

post 70 hebdomades a Daniele, cap. *ix*, *24*, prædicatas, ego ipse carnem assumam, et homines omnes redimam a peccato, morte et inferno: tunc enim ego ipse, quem hic per Prophetas loquentem et salutem promittentem auditis, personaliter veniam sicutque homo, ac dicam: «Ecce adsum,» non per legatos et Prophetas meos, non tantum per opem et auxilium, sed per substantiam et realem præsentiam, «adsum,» inquam, in persona, ut vos eruam de potestate tenebrarum, fortius quam Moses suos eripuit ex Ægypto: ad eum enim alludit. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr. i*, *1*: «Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.»

Quæres, quid est: «Sciet nomen meum?» Respondeo *primo*, nomen Dei est *Jehova*, *q. d.* Sciet populus meus me esse *Jehova*, id est Deum et Dominum fortissimum ac omnipotentem. Rursum, *Jehova*, id est, contritionem et debellatorem Ægyptiorum et Chaldæorum, æque ac dæmonum, tyrannorum omniumque hostium meorum et Christi mei: alludit enim ad Mosen, qui nomen *Jehova* prætulit suæ legationi, per illudque plagas omnes Ægypto inflixit, ac Pharaonem debellavit et occidit. Vide dicta *Exodi III, 14*, et cap. *vi*, vers. *3*.

Porro Judæi hunc locum sic explicant: dicunt ultimum qui pronuntiavit nomen Dei tetragrammaton *Jehova*, fuisse Simeonem justum, unde jam exolevisse et nesciri ejus pronuntiationem; sed cum venerit Messias, ille docebit quomodo pronuntiandum sit. Ita fabellam refert Galatinus, lib. *II*, cap. *xii*.

Secundo, nomen Dei est Dei virtus, sanctitas, fidelitas, fama et gloria: hisce enim toti orbi ostensis, Deus elisit omnes sui nominis blasphemias.

Tertio, nomen Dei, puta Filii Dei, est «Jesus Christus,» *q. d.* Ecce adero, videbunt me homines carne vestitum, scientque nomen meum; eoque me compellabunt, colent et invocabunt, dicentes: «Jesu Christe, salva nos.» Tò *scient*, non nudam scientiam, sed amorem, cultum et venerationem significat; sic ait Paulus, *II Timoth. II, 19*: «Cognovit Dominus qui sunt ejus:» *cognovit*, id est amat, curat, fovet. Sic ex adverso Christus dicit reprobis: «Nescio vos:» et Pharaon alique impii dixerunt: «Nescio Dominum,» id est non curo, non colo, non timeo Deum vestrum, *Exodi cap. v*, *2*.

7. QUAM PULCHRI SUPER MONTES PEDES ANNUNTIANTIS ET PRÆDICANTIS PACEM! — Arabicus Antiochenus vertit, *quam pulcher est qui annuntiat pacem!* Alexandrinus, *quam decori, vel clari sunt pedes eorum, qui annuntiant bonum et salutem!* puta pedes Apostolorum, annuntiantium et prædicantium, ut explicat S. Paulus, *Roman. x*, *15*; vel, ut S. Hieronymus (quod in idem redit) Christi per suos Apostolos loquentis, annuntiantis et prædicantis «pacem,» scilicet cum Deo hucusque hominibus irato, per Christum confectam. Rursum,

« pacem: » id est omnia fausta et prospera, omne bonum. Unde explicans subdit: « Annuntiantis bonum, prædicantis salutem. » Leo Castrius ex Procopio et Eusebio vertit ex Hebræo, *prædicantis Jesum*: hic enim est Deus et rex Sionis, ut sequitur: quanquam Hebræum *ישועה* *iesuah*, proprie salutem, non Salvatorem aut Jesum significat, nisi eo schemate, quo sæpe abstracta ponuntur pro concretis. Accedit Origenes in cap. x ad Roman. vers. 15, qui per *bonum* accipit Jesum: « annuntiantis, inquit, Jesum; » et addit: « Nec miretur quisquam, si nomine bonorum numero multitudinis exposuerimus: Annuntiantis Jesum: facile enim intelliges quomodo multa bona sit Jesus; vita bonum est, Jesus est vita; resurrectio bonum est, Jesus est resurrectio; lux mundi bonum est, Jesus est lux vera, veritas, via, sapientia, potentia, thesaurus denique omnium bonorum, Jesus est. »

Aliqui, ut S. Thomas et Hugo, hæc pergunt exponere de nuntio lætissimo libertatis et exitus ex Babylone, Judæis, vel in Babylone, vel Hierosolymæ degentibus allato; verum esto eo alludat, illudque quasi perstringat, tamen proprie et perse loquitur de Christi Evangelio, deque Apostolis illud, ejusque gratiam, salutem et pacem toti mundo prædicantibus, ut patet ex sequentibus, quæ augustiora sunt, quam ut Judæis conveniant. Itemque ex Apostolo, Roman. x, 15, qui hæc de Apostolis explicat. Apostoli ergo hæc tria evangelizarunt, scilicet pacem, bonum et salutem animæ et corporis æternam. Porro « super montes » hoc lætum Evangelii nuntium prædicandum dicit, tum ut significet illud prædicandum quaquaversum omnibus Gentibus, turmatim accurrentibus, tunc enim necesse est ut concionator in locum editum, v. g. montem, conscendat, ut ab omnibus turbis audiatur, uti fecit Christus, Matth. v, 1, et post eum Apostoli et viri Apostolici etiam hodie: tum ut significet Apostolos per rupes et montes, perque omnia ardua perrecturos alacriter et animose, ut Evangelium ubique prædicent. Alludit ad Sion, quæ in monte erat sita, et in vicinis montibus speculas (unde et Sion hebraice idem est quod specula) et speculatores habebat, ait Forerius, qui ea quæ viderent, celeri cursu per montana currentes ei nuntiarent. Convenit autem mysterio: nam super montana Judææ divulgabantur omnia illa, quæ in conceptione et ortu Joannis Baptistæ, Christi præcursoris acciderant, Luc. 1, 56.

Mystice, non sunt speciosi pedes, nec ora eorum Evangelistarum, qui non sunt « super montes, » sed humilia et jacentia sectantur; hoc est quod Apostolis dixit Christus: « Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita, » etc. Hæc enim omnium circumquaque ferit oculos, ut glorificent Patrem, qui tam speciosos et fulgidos Apostolos orbi dedit in salutem. Pro speciosi Septuaginta vertunt, *ἄρα*, quod *tempus, pulchritudinem, curam et sollicitudinem* si-

gnificat, ait S. Hieronymus, licet in uno codice sit *ἄρα*, uti est et Roman. cap. x, vers. 15: quocirca Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem*, cap. II, ex Septuaginta legit: *Quam tempestivi pedes evangelizantium pacem*. S. Cyrillus: *Quam verni* (id est instar veris post hiemem, hilares, floridi et amœni) *pedes evangelizantium pacem!* Alii: *Quam desiderabiles pedes annuntiantium pacem!* Vide dicta Roman. x, 15. Audiant hæc et gaudeant Hollandiæ, Angliæ, Japoniæ, Chinæ, Indiarum Apostoli; hic Isaiæ lituus jugiter eis insonet, et ad omnia dura alacriter superanda, eis classicum canat.

PEDES. — Quia Paulus et Apostoli, modestiæ et paupertatis studio, pedibus fere et baculo innixi (vidi hic in templo S. Pauli, baculum S. Pauli cui innixus Romam est ingressus; solet is exponi et ostendi in festo et in altari Conversionis ejusdem) peragrabant orbem, implentes illud Christi, *Lucæ ix, 3*: « Nihil tuleritis in via. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite. » Hinc et jussit eos, « calceatos sandaliis, » incedere, *Marc. vi, 9*. Unde et de eis canit Psalter: « Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua. » Atque hinc, ait Forerius, manavit ritus lavandi pedes Apostolorum et Sanctorum peregre venientium, in primitiva Ecclesia, cujus meminit S. Paulus, I *Timoth. v, 10*, qui etiamnum in nonnullis Religionibus servatur.

ANNUNTIANTIS. — Hebraice est *בשר* *basar*, quod alludit ad *בשר* *basar*, id est *caro*, quia Evangelium mollia et suavia nuntiat, nimirum, quod « Verbum caro factum » sit; unde et Evangelium S. Matthæi hebraice inscribitur *בשרי מתי* *bisrat Mathai*, id est Evangelium S. Matthæi, scilicet lætum et suave ejus nuntium de Verbo incarnato.

DICENTIS SION (Sioni, puta Ecclesiæ): REGNABIT DEUS TUUS, — non dæmon, non peccatum, non mors, non infernus, non Chaldæi, uti hactenus, non etiam rex aut monarcha, non Moses; non Josue, non Samuel, non David, non Angelus, non Cherubim, non Seraphim; sed ipsemet « Deus tuus, » puta Messias, qui est sapientia, justitia et sanctificatio tua: hoc est « magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne; justificatum est in spiritu, » etc., I *Tim. III, 16*.

8. VOX SPECULATORUM, — scilicet, audietur, eritque illa, quam jam retuli, scilicet: « Regnabit Deus tuus; » et illa, quæ sequitur: « Gaudete et laudate simul, deserta Jerusalem. » Sic de Joanne Baptista dictum est cap. XL, vers. 3: « Vox clamantis in deserto. » Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Tui speculatores et Prophetæ, o Sion, puta Apostoli, voce non timida, non mussitante, non gracili et submissa, sed audaci, ardenti, sonora et stentorea, qualis dari solet e montibus (1),

(1) Respicit Isaias ad consuetudinem collocandi speculatores in turribus, aut speculis montium, qui viderent adventantes, signoque aut voce de eorum adventu monebant, aut novæ lunæ ortum inquirerent et annuntiarent.

evangelizabunt Christum, simulque in jubulum præ gaudio erumpent, laudabuntque Deum, tam læti nuntii auctorem, quia ipsi non narrabunt audita et incerta, sed visa et certa: nam « oculo ad oculum » (Theodotion vertit, *oculum in oculis videbunt*) Christum ipsum videbunt, cum eo familiariter versabuntur, agent et colloquentur. Videbunt eum natum, prædicantem, patientem, crucifixum, resuscitatum et ascendentem in cælos: hoc est quod ait S. Joannes, *epist.* I, cap. I, vers. 1, se annuntiare verbum, quod vidit oculis, quodque manibus suis contrectavit. Talis fuit vox et ardor Apostolorum prædicantium in Pentecoste; talis est et hodie virorum Apostolicorum, qui non verba, sed spiritum ignesque vomunt; hi torpentes excitant peccatores et convertunt, frigidus accendunt, suntque quasi faces omnia inflammantes.

10. PARAVIT DOMINUS BRACHIUM SANCTUM, — nimirum, ut canit Simeon, quem primum hac Christi consolatione et amplexu « consolatus » est Dominus, *Luc.* II, 34: « Salutare tuum, » o Domine! « quod parasti ante faciem omnium populorum, » puta Christum, qui est brachium et fortitudo Domini, ut dixi cap. præced., vers. 5, et dicam cap. seq., vers. 4: nam Simeon suum canticum: « Nunc dimittis servum tuum, » etc., ex hoc Isaïæ loco sumpsit et composuit, ut patet verba utrobique eadem intuenti.

Pro *paravit* hebraice est *חָשַׁף* *chasaph*, id est *nudavit*, hoc est *paravit*, per catachresin: solemus enim nudare brachium, cum opus aliquod difficile et impeditum ordimur, et ad id nos paramus, ut simus expediti. Rursum, *nudavit*, id est *revelavit* suum brachium, puta Christum, qui, ut canit Simeon, erat « lumen ad revelationem Gentium: » eum ergo toto orbi nudavit, id est nudum purumque ostendit Pater, tum in præsepio, tum in cruce.

11. RECEDITE, RECEDITE, EXITE INDE. — Hebræi, S. Thomas et Hugo censent hic juberi Judæis, ut, data venia a Cyro, festinent egredi Babylone, utque Levitæ sacra vasa secum asportaturi, caveant ne immundum aliquid juxta legem tangerent, quod polluantur, aut, si tetigerint, ut emundent se et purificent, antequam vasa sacra contingant. Verum, etsi eo alludat, tamen hic non figit suam aciem, mentis, inquam, aciem, suaque sensa Propheta: a versu enim 6 et deinceps non agit de Babylone, sed de Jerusalem et Ecclesia. Sensus ergo est, *q. d.* Ego dixi, quod « videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. » Quocirca, o Apostoli, ut per vos hoc impleatur, utque id ipsum evangelizetis omnibus gentibus, « recedite et exite » de infideli, polluta et blasphema Jerusalem, mox a Romanis vastanda. Ite et prædicate per totum orbem, « qui fertis vasa Domini, » id est *primo*, qui quasi mystagogi sacram Scripturam et S. Sacramenta tractatis et ministratis: quare et vos ipsi estote puri et sancti, ut sancte sancta tractetis. Ita

S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Procopius, Adamus et Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* cap. xxii. Quocirca apte hunc locum citat Apostolus, II *Corinth.* VI, 17, ex eoque probat jubetque ut fideles nimia infidelium commercia, uti sunt conubia, vitent.

Secundo, S. Cyrillus, Forerius et Dionysius per « vasa Domini » accipiunt ipsos fideles eorumque corpora; *q. d.* Hæc olim ventris et veneris erant cloacæ; nunc autem sunt vasa Dei, imo templa Spiritus Sancti; ergo ab omni sordē sunt emundanda. Unde jubet Apostolus, I *Thess.* IV, 4: « Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii; » et rursum, I *Corinth.* VI, 19: « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno... Glorificate et portate Deum in corpore vestro. » Mundos ergo nos esse jubet, tanquam hujus templi Levitas, et ministros divini cultus, quem intra nos exhibere debemus. Hic sensus pius est, sed mysticus.

Talis est et S. Gregorii, II part. *Pastor.* cap. II, qui per « vasa Domini, » accipit animas: « Vasa, inquit, Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas, in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsonis portant. »

Hæc, inquam, mystica sunt: nam ad litteram Propheta cum in spiritu prævidisset Jerusalem ipsam infidelitate, impietate, omnique scelere contaminandam, ipsos Israelitas qui veram Sion efficiebant, puta paucos Apostolos et Christo credentes, alloquitur, ut ea egrediantur caveantque a fermento, id est a doctrina Scribarum et Pharisæorum, atque ab impietate Hierosolymæ: noluit tamen eam nominare, ne suos populares et cives offenderet. Quocirca a pari recte ex hoc loco docet S. Clemens, lib. VI *Constit. Apost.* cap. IV, fugiendos esse hæreticos et schismaticos, ne impietatis eorum participes efficiamur.

POLLUTUM NOLITE TANGERE. — Alludit ad legem veterem, ex qua, qui tangebant immunda, ut cadavera, menstruatam, carnem a feris laniatam, etc., censebatur immundus debebatque purificari; quæ omnia immunditiem peccati significabant, quam hic intelligit Propheta. Unde ait: « Mundamini » et « recedite. » Ubi Leo Castrius ex Cyrillo et Origene, homil. 11 in cap. XX *Levit.*, notat, *sanctus* græce dici *ἅγιος*, *q. d.* Extra terram, extra mundum: *ἅγιος* enim dicitur quasi *ἄγαιος*, id est sine terra, α enim est privativum, γῆ vel γαῖα, est terra: Sanctus enim est, qui supra terram ambulat, qui mundo est superior, qui conversationem habet in cælis: quanquam alii rectius censeant, *ἅγιος* dici quasi *ἄλιος*, id est colendus et reverendus.

Tales sane decet esse sacerdotes et viros Apo-

stolicos, ut libere et efficaciter homines carnales et peccatores docere, corripere et emendare possint. Unde S. Augustinus, serm. 18 *De Verbis Domini*, hunc Isaïæ locum pertractans, docet nos ab impiis et impietate debere recedere: *primo*, per dissensum, cavendo ne eis consentiamus; *secundo*, per correptionem, arguendo eorum scelera. Quam mundi debeant esse sacerdotes, pluribus ostendi *Levit.* cap. VIII, et cap. XXI, in fine.

Vers. 12. 12. QUONIAM NON IN TUMULTU EXIBITIS. — Alludit ad Hebræos Ægypto exeuntes, qui urgentibus Ægyptiis ob cædem primogenitorum, trepide, præpropere et tumultuarie, quasi fugientes exierunt, ita ut non haberent tempus fermentandi massam farinæ, ex qua cocturi erant panes. Atque ex adverso alludit ad Hebræos Babylone exeuntes: illi enim favente, imo jubente Cyro, placide, sensim et commode se ad egressum compararunt, habueruntque otium purificandi se et Levitas, si qui immundum quid tetigissent, uti præcessit, hoc enim respicit *quoniam*. Imo S. Thomas et Hugo putant hunc esse sensum litteralem, sed verius est ad eum tantum alludi. Sensus enim litteralis est de Apostolis, *q. d.* Dixi, o Apostoli, exite ex impia Jerusalem, ite ad Gentes, sed prius mundamini, quia habebitis otium vos mundandi, et sancte vos aptandi ad tam sanctum munus prædicationis: nam non exhibitis tumultuarie, quasi victi aut fugientes et timidi, uti Judæi ex Ægypto, sed quasi victores, alacres et impavidi, utpote, qui Judæorum minas et plagas superaveritis et riseritis, ut patet *Act.* cap. IV, cap. V et seqq. Rationem subdit, quia Deus erit dux vester, « præcedet vos Dominus, » vosque proteget et diriget.

Vers. 13. 13. ECCE INTELLIGET SERVUS MEUS. — Hic clare agit de Christo. Unde S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* xxix; Justinus, *Contra Tryphonem*; Origenes, lib. I *Contra Celsum*, hic inchoant cap. LIII. *Primo*, sunt verba Patris de Filio Christo. « Servus » ergo « meus, » id est Christus, « intelliget, » hebraice יִשְׁכִּיל *iaskil*, id est prudenter et strenue ager, atque negotium redemptionis humanæ peraget et perficiet. Alludit ad David, qui missus a Saule contra hostes Israelis, in omnibus prudenter se gerebat, I *Reg.* xviii, 5: David enim fuit typus et parens Christi. Ita Cyrillus, Forerius, Pagninus et Vatablus.

Secundo, Sanchez: Christus, ait, « intelliget » voluntatem et jussa Patris, id est ei obediet, eaque observabit. Sic dicitur *Psalm.* cxviii, 95: « Testimonia tua intellexi, » id est observavi; et *Psalm.* xl, 1: « Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem: » « intelligit, » id est studet et incumbit levandæ miseræ egeni et pauperis: cognitio enim et intellectio mandatorum Dei, in iis qui sunt dociles et obsequentes, qualis erat Christus, ejusque asseclæ, est practica, efficax et operatrix.

EXALTABITUR — Christus per suam cœlestem

doctrinam, efficaces conciones, divina miracula, omnemque gratiam quam omnibus ostendet; adeo ut plebs eum quasi Messiam sit acceptura, eumque in Jerusalem cum ramis palmarum, quasi regem triumphantem introductura, et quasi inauguratura. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Chrysostomus, in *Demonstrat. quod Christus sit Deus*.

14. SICUT OBSTUPUERUNT SUPER TE MULTI, SIC INGLORIUS ERIT INTER VIROS) id est, præ aliis viris, hoc enim est hebraice מִן מִן *min*, comparativum) ASPECTUS EJUS. — Est enallage personæ, transit enim a secunda ad tertiam, scilicet a *te*, ad *ejus*. Vide *Can.* XVI. Sic vertunt et Septuaginta, *q. d.* Christus, dum vivet, erit stupori sive admirationi, erit et despectui; Christus erit gloriosus, erit et inglorius. Nam sicut plebs initio admirata fuit Christi miracula, doctrinam et vitam; ita mox videns eum inglorium, puta captum, damnatum, lividum, cruentum, consputum, defiguratum et crucifixum, despexit; et eodem ore, quo paulo ante clamaverat: « Hosanna filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini, » mox clamabit: « Crucifige, crucifige eum: » tam est mobile vulgus! Ita S. Cyrillus et Chrysostomus jam citatus. Hunc esse sensum patet ex cap. sequenti, vers. 1: sensim enim ad Christi passionem transfert se Propheta. Unde pro *inglorius* hebraice est מִשְׁחִית *maschit*, id est excisus, perditus, corruptus. Forerius et Hebræi jam pro *maschit* legunt, מִשְׁחָה *mischat*, id est unctio; unde contrarie vertunt, *sicut obstupuerunt*, vel *sibilarunt* (hoc enim significat hebraice שָׂמָה *scamam*, quod passim in malam partem capitur) *super te multi* (videntes te crucifixum); *sic unctio aspectus ejus præ viris*, et *forma ejus præ filiis hominum: unctio*, id est gratia, venustas, lætitia, *q. d.* Per crucem visus est Christus deformis, et quasi prodigium et portentum, omnium ludibrio et sibilis expositus. At factus est per eam speciosus præ filiis hominum, usque adeo ut nullam aliam formam pulchriorem, majori cum voluptate aspiciant et contemplantur Christiani, etiam reges et principes, quam formam Christi crucifixi: hic sensus valde respondet Hebræo moderno, eique aptari posset nostra versio Latina, si pro *inglorius* legeretur *in gloria*. Verum *inglorius* legunt passim Latina Biblia et Septuaginta.

Vatablus vero sic vertit: *Sicut multi admirandi obstupuerunt de eo quod aspectus ejus fuerit deformior quam ullius viri, et forma illius plusquam filiorum hominum*, ut non videretur esse humana, sed ovis aut bovis jugulati; *sic stillare faciet gentes multas*, id est, sic pariter dabit gentibus occasionem loquendi de se, quod pro earum salute tanta pati voluerit: *quin et reges coram eo os suum compriment*. Hic sensus quoque congruit Hebræo et præcedentibus ac sequentibus: opponit enim opprobrio Christi laudem ejus et gloriam, puta, sibilo multorum opponit silentium et venerationem regum. Et juxta hunc sensum accipi posset

nostra versio Latina, hoc modo : « Sicut obstupuerunt, » id est obstupescunt, « super te multi, » quod « sic » (id est tam) « inglorius erit inter viros aspectus ejus, » etc., sic « asperget gentes multas, » etc. Primus tamen sensus est planissimus et facillimus, juxta versionem tam nostram quam Septuaginta.

15. ISTE ASPERGET GENTES MULTAS. — *Asperget*, scilicet, tum sanguine suo ad eas redimendum tum aqua baptismi ad abluendum earum peccata. Alludit ad Mosaicas lustrationes et asperisiones aquæ expiaticis, ex cinere vitulæ rufæ confectæ. Vide *Hebr. cap. ix, vers. 13*. Ita S. Hieronymus.

SUPER IPSUM CONTINEBUNT REGES OS SUUM, — *q. d.* Reges victi sapientia, sanctitate et miraculis Christi et Apostolorum, non audebunt contra Christum hiscere, aut de eo male loqui; sed silebunt, dabuntque manus Christo, illumque silen-

tes et reverentes venerabuntur : silentium enim observantiam significat, ut cum juvenes coram senibus, discipuli coram magistris, pueri coram parentibus præ reverentia silent. Ita S. Hieronymus : sicut enim aperire os symbolum est audaciæ, procacitatis et inverecundiæ; sic claudere os est signum pudoris, subjectionis, pœnitentiæ, observantiæ, et interdum admirationis, ait Forelius.

QUIA QUIBUS NON EST NARRATUM DE EO (hoc est Gentes, Ethnici et Pagani) VIDERUNT, — divinam sapientiam, gratiam et gloriam Christi et Evangelii. Ita S. Hieronymus et Augustinus, lib. I *De Consensu Evangelist. cap. xxxi*; imo Apostolus, *Rom. cap. xv, 21*. Non ergo nos conturbent crucis Christi et Christianorum deformitas, abjectio et ignominia : habent enim hæc suum decorem et gratiam, propter illam quæ postea adveniet, felicitatem et gloriam sempiternam.

CAPUT QUINQUAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cæpit agere, in fine capitis præcedentis, de Christi passione et ignominia, æque ac gloria inde consecuta : nunc idipsum plene et fuse pertractat, adeo clare et plane, ut non Prophetam, sed Evangelistam agere, neque futura prædicere, sed facta et visa narrare videatur. Quocirca hoc caput inscribi posset, Passio Jesu Christi secundum Isaiam. Tam luculenter enim ejus dolores, condemnationem, verbera, mortem, sepulturam, locum, causam, fructum, socios denique latrones hic describit, ut Judæi nihil habeant hic quod objiciant aut respondeant, nisi sua somnia (scilicet hoc capite describi afflictionem et despectum populi Judaici, quem jam patitur a Christianis et Turcis) : quæ ipsis Prophetæ verbis, mendacii et falsitatis statim convincuntur, uti eos convincunt S. Irenæus, lib. IV, cap. lvi; Justinus Contra Tryphon.; Tertullianus Contra Judæos, cap. ix; Eusebius, lib. III Demonstr. cap. ii; Cyprianus, lib. II Contra Judæos, cap. xiii; Chrysostomus, orat. 3 Contra Judæos; et alii; quin et Chaldæus hæc de Christo, non de populo, accipit : sic enim vertit sub finem capitis : Ecce prosperabit servus meus Messias, exaltabitur, et elevabitur, et confortabitur nimis. Sic et R. Moyses Gerundensis in cap. xxix Genes. Quocirca S. Augustinus, lib. I De Consensu Evangel. cap. xxxi, putat hæc de Christi passione et resurrectione vaticinia explicatione non egere : nimirum egent potius pia meditatione, vivaci sensu et lacrymis. Quas utinam nobis omnibus hæc lecturis suggerat ipse, qui hic in theatrum prodit patiens Christus, tam dolor, quam amor noster! Primo ergo, Christi cruciatus, livores, despectus et probra æque ac constantiam, patientiam, mansuetudinem et charitatem, viva hypotyposi ob oculos subjicit, eorumque causam, scilicet peccata nostra, quæ ipse in se, ex immenso amore et compassione, luenda et expianda suscepit. Deinde, vers. 9, ostendit mercedem et gloriam ei a Patre repensam, scilicet omnium gentium et hominum, etiam impiorum et potentium, subjectionem; atque in eos plenum dominium et imperium, per fidem et gratiam in hac vita; per gloriam vero in futura (1).

1. Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi : non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : 3. Despectum, et novissimum

(1) Miranda sane vel potius deploranda Rationalistarum interpretum audacia et cæcitas, cum in clarissima hujus vaticinii luce fucum facientes, contra universalem SS. Pa-

trum totiusque Ecclesiæ traditionem, cum Judæis excæcatis a Christo patiente avertere satagunt, ut vel ad Prophetas permulta a suis coætaneis passos, vel ad populum

virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. 4. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. 6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. 7. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. 8. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. 9. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. 10. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. 11. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. 12. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

Vers. 1. 1. **QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO?** — *Primo*, hæc accipi possunt ut verba admirantis, *q. d.* Quis credit tam stupendam Christi metamorphosin? quis

credet tantam ejus fore gloriam, quantam cap. præced. in fine prædixi, si audiat ea, quæ hoc cap. de ejus tormentis et probris describo?

Hebræum gravissimis miseriis oppressum transferant. Sed magis miranda Rosenmuller inconsiderantia, qui postquam istas duas sententias retulit, agnovitque Christianos interpretes e contra magno consensu hoc oraculo Messiae fata describi statuere, imo Evangelistas et Apostolos nonnulla hujus vaticinii dicta ad Jesu Christi passionem retulisse, atamen de populo Hebræo collective sumpto hanc prophetiam explicandam esse asserere non dubitat.

Prophetæ per prosopopeiam velut personam moralem exhibent patientem, afflictam, morti traditam, ut in hoc capite.

Quam infirmæ, quam futes sint hæ difficultates, sic breviter cum P. Perrone demonstramus: Ad *primam*, dicimus hæc non esse nisi biblicorum ac judaizantium Protestantium recentiorum commenta, qui, cum omnem impenderint operam, ut in alium detorquerent sensum oracula illa quæ apertis verbis et crebro futuram Christi passionem prænuntiant, et contra ipsius Christi Domini effata ac testimonia non verentur affirmare, altum esse in Scripturis silentium de Messia passuro et morituro! Oportet profecto eos omnem exuisse pudorem ad talia effutienda pro Judæorum causa adversus Christum Jesum. Quod si interdum sive in Psalmis, sive in Prophetarum libris, Messias proponitur sub imagine potentissimi regis, aut alia hujusmodi de ipso prædicantur, non aliud evincitur, nisi Orientalium more per ejusmodi emblemata et symbola, quæ in sensus incurrunt et indoli illius populi maxime erant accommodata, spiritualem Messiae gloriam ejusque regni obumbrasse veteres vates. Hunc vero sensum facta ipsa postulant, prout animadvertimus; et adversarii biblici admittere debent, nisi forte velint Christianismo nuntium remittere, cum non alia ratione anti-qua illa oracula adimpleta sint.

Quatuor sunt potissimum rationes, quibus freti Rationalistæ hoc vaticinium Christo abjudicandum esse censent. *Primo*, inquit Rosenmuller, cum in tot veteris Testamenti locis Messias tam variis modis describatur, tamen ne unicum quidem vestigium deprehenditur, unde colligi jure possit existimasse veteres Hebræos, Messiam quem expectabant, talia esse perpessurum, quæ ministrum divinum hac pericopa descriptum perpessum esse legimus. Ubicumque, vel in Psalmis vel in Prophetarum libris, de Messia agitur, semper nobis proponitur imago potentissimi regis, felicissimi herois, gloriosissimi reipublicæ statore, coloribus ab imperii Davidici aut Salomonei flore, regumque Orientalium pompa sumptis depicta, varieque et mirifice ornata. Si jampridem de Messia passuro et morituro constiterit inter Prophetas, qui tandem factum est, ut omnes altum de eo silentium servarent, et cum toties ejus gloriam cecinissent, vix in uno loco pricris humilitatis ejus ac miseriæ mentionem facerent? *Secundo*, ponamus autem apparere, in quibusdam oraculis antiquis, et in hoc uno certe nostro vaticinio, Messiam patientem et moriturum clare et perspicue, tum vero haud intelligitur, cur ætate Jesu, Judæi et Apostoli ejus rei tam parum meminerint, ut apud eos, spei Messiae cum gloria et potentia regnantis unice deditos, ejus humilitas et miseria haberet maximam offensionem. *Tertio*, post Salvatoris demum obitum et resurrectionem, Evangelistæ et Apostoli nonnulla hujus vaticinii dicta ad Jesum retulerunt (*Matth.* viii, 17; *Marc.* xv, 28; *Joan.* xii, 38; coll. *Rom.* x, 16; *Act.* viii, 32); quæ tamen proprie non spectant nisi ad integrum populum Judaicum, quem passim

Ad *secundam*, respondemus *primo*, contra facta nullam prorsus vim conjecturas nostras aut ignorantiam habere; *secundo*, ex nativa hominum indole facile intelligi, quomodo in præposteram ejusmodi sententiam Judæi prolabi potuerunt. Oraculorum cortici inhærere pronum erat populo carnali, qui non nisi temporalia commoda et gloriam inhæbat, et oculos avertere ab iisdem quæ iisdem adversantur, prout et nos nobismetipsis sæpe blandimur, cum gravibus præsertim ac præsentibus malis urgemur. Exemplum hujus agendi rationis in seipsis Apostoli exhibuere, qui, quoties Jesum Christum de regno suo disserterem audiebant, patulas toties aures præbebant; at, cum ipsis loqueretur de adversitatibus aut de sua passione, nihil horum intelligebant, et absconditum erat ab eis hoc

Secundo, ut sint condolentis, q. d. Quam pauci, praesertim Judaei, credituri sunt hisce meis oraculis meisque asseclis Apostolis, cum ipsi haec ipsa in mundo praedicabunt, scilicet, quod solus Jesus Christus crucifixus sit eorum Messias, orbisque redemptor et salvator! Ita enim explicat hunc locum S. Joannes, cap. XII, 38, et S. Paulus, Rom. x, 16. Item S. Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Origenes aliique passim.

Nota: *Auditus* metonymice ponitur pro re et

verbum (*Matth. xvi, 22; xvii, 22; Luc. xviii, 34, etc.*).

Ad *tertiam*, certe Apostoli hoc de Christo passuro vaticinium ad Christum retulerunt post ejus mortem, sed juxta nativum ipsorum dictorum sensum, quem a Christo et Spiritu Sancto edocti acceperant, et non per accommodationem, ut contendunt neoterici biblici: Apostolis enim Christus « aperuit sensum ut intelligerent Scripturas, » ut legitur *Luc. xxiv, 45*, et Spiritum Sanctum ipsis misit, qui doceret eos omnem veritatem. Si vero cum Judaeis res sit, reponimus et ipsorum majores de Messia Prophetarum oracula intellexisse, quae ipsius passionem et mortem praenuntiabant, ut ex dictis patet.

Ad *quartam*, negamus hoc luculentissimum vaticinium spectare ex aliqua vel minima parte populum Judaicum: nam Messianae hujus loci expositioni favet *primo*, traditio vetustiorum Judaeorum, cujus quidem traditionis auctoritas eo pluris facienda est, quod Messiana explicatio opponeretur populi conceptui, ex quo facile explicatur ortus tardioris non Messianae expositionis. *Secundo*, citatio hujus prophetiae in novo Testamento, quae non solum confirmat Messianam hujus loci expositionem tunc temporis viguisse, sed praeterea certo eam unam ostendit esse rectam; haec enim fulcitur verbis S. Lucae, *xxii, 37*, ubi Christus dicit vaticinia, quae ipsum respiciebant, complenda esse, et ad finem properare: « Etenim ea quae sunt de me, finem habent; » et quidem postquam illud attulerat, *Isaiae LIII, 12*: « Et cum iniquis reputatus est, » quod proxime adimplendum erat (a); Christus igitur hoc vaticinium iis annumerat, quae de sua passione agebant, ideoque tam certe hoc est Messianum, quam certum est Dominum nostrum veritatem scire potuisse ac dicere voluisse. Nec improbabiler asserueris Christum, cum dicit, « secundum Scripturas » se pati ac mori debere, praesertim hunc locum innuere: nam et adversarii concedunt, de patiente ac poenas luente Messia doctrinam, si alicubi in veteri Testamento habetur, hoc loco contineri. *Tertio*, Philippus, *Act. viii, 33-35*, cum interrogaret eunuchus de sensu hujus prophetiae, de Christo eam explicat, ac totam instructionem suam super illud exstruit. *Quarto*, Apostolus Petrus verbatim loca praecipua hujus vaticinii de morte expiatoria Christi affert (*Petr. ii, 21-25*, et *I Petr. i, 19*: quod et alibi alii scriptores novi Testamenti passim praestant *Marc. ix, 11; Rom. iv, 23; I Cor. xv, 3; II Cor. v, 21; I Joan. iii, 5*, in quibus omnibus locis aperta fit allusio ad cap. *LIII Isaiae*. Adeo enim hoc ipsis et lectoribus suis notum erat, ut illud vel innuisse ipsis satis fuerit): inserviebat enim hic textus themati apostolicae relationis de morte Christi (b). *Quinto*, id postulant

(a) Ut autem pateat, inquit P. Perrone in Annot. ad hunc locum, quo devenerint biblici Rationalistae circa scriptorum sacrorum inspirationem, juvat animadvertere, quod Gesenius opponat, Marcum haec verba Prophetam, tanquam de Christo dicta, non ponere in ore Christi, sed afferre quasi ex se in alia occasione, *xv, 28*. Quasi tempore Marcus non potuerit etiam ex se illa afferre, quae prius Christus ipse attulit.

(b) Quod sibi tandem Gesenius ipse non sibi constans alibi fatetur scribens: « Plurimi Hebraei lectores, ideis de sacrificiis et substitutionibus assueti, necessario ita hunc locum (cap. *LIII Isaiae*) intel-

sermone, puta prophetia, vel praedicatione audita, sive quam Isaias et Apostoli audierunt et acceperunt a Deo, quamque vicissim ab iis audierunt Judaei et Gentes. Porro loquitur Isaias in persona tum sua, tum Apostolorum: respicit enim ad illud cap. praeced., vers. 7: « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem! » etc.

ET BRACHIUM DOMINI CUI REVELATUM EST? — « Brachium Domini, » aiunt S. Augustinus, serm. *Con-*

characteres subjecti ejusdem vaticinii, qui nemini nisi Messiae personae convenire possunt, cujusmodi ex. gr. est expiatoria ipsius mors et redemptio, quam Propheta tanquam effectum et fructum passionis Messiae exhibet, et quidem passionis hujus circumstantias describens sub forma sacrificii. Subjectum prophetiae vice nostra infirmitates suas suscipit *libere* (vers. 10), aliena peccata *innocens* perfert (vers. 4-6, 9); passione sua evadit *efficiens* seu *meritoria causa* justitiae populi (vers. 11); *tacitus* item ac *patiens* ejusmodi dolores tolerat, nec in amaritudinem contra auctores dolorum suorum exurgit (vers. 7). Quae quidem notae tales sunt, ut neque caeteri Prophetarum, multo minus Judaicae integræ nationi, prout adversarii autumant, ullo modo convenire possint; ut omittam violentum omnino esse continuam allegoriam adeo protrahi, lectoribus non admonitis, et cujus nullum exemplum suppediat hebraica litteratura; quæque potius excluditur, eo quod huic subjecto tribuantur omnia quae singulari individuo competunt, vocatur enim *vir*, eidemque adscribitur anima, et mors ac sepulchrum. (*Prælect. Theolog. J. Perrone S. Script., tract. De Incarnat. part. I, cap. III.*)

De hoc vaticinio conf. Hengstenberg, *Christologia veteris Testamenti*, part. I, sect. II, pag. 364 et seqq., Berol. 1829, ubi ipsum egregie defendit adversus omnes antimessianos interpretes recentiores. Vide etiam Jahn, *Appendix hermeneut. fasc. 2, pag. 40 et seqq.*

Addit praeterea Rosenmuller post Schusterum, si de Christo hoc oraculum agere statuatur, interpretationem ipsam reddi difficilem: ita enim in priori ejus parte *verbis propriis* ac sensu literali fata Christi enarrata arbitrabimur; alteram autem partem *improprie* et *allegorice* de fati et effectu non *Christi rediivi*, sed ejus doctrinae interpretemur necesse est... nam omnis interpretatio quae singulari alicui personae hanc pericopam accommodare studeat, plane est seponenda. Quae quidem assertio ita fundamento et probatione caret, ut alia refutatione non indigeat, nisi illa quae ex analysi sequente et optime sibi in Christo coherente constat.

Nam *primo*, postquam fidem narrationi rerum, vix credendarum ac plane stupendarum, praemunivit Propheta, describit Christum in sua passione *primo* deformatum, contemptum et ignominia foedatum, 2, 3; *secundo*, nostri causa flagellatum, vulneratum et attritum, 4, 5; *tertio*, spontanea sui pro nostris peccatis oblatione, ad mortem ductum, 6, 7; *quarto*, iniquo judicio damnatum, pro nobis mortuum et inter impios immerito reputatum, 8, 9.

Secundo, sequitur expositio fructuum tum redeuntium ad Christum, tum dimanantium in Ecclesiam (cap. *LIV*).

Porro fructus ad Christum ex sua passione et morte redeuntés sunt, *primo*, pro data sui victima, posteritas numerosa, diuturna et fortunata, 10; *secundo*, pro exhausto labore, lucrum animarum abundans, 11; *tertio*, pro tolerata inter preces pro transgressoribus morte, occupatio haereditaria gentium et expoliatio daemonum, vers. 12.

ligebant, nec dubium est, apostolicum conceptum de morte expiatoria Christi praesertim huic loco inniti.

fra Arianos, Cyrillus et Tertullianus, lib. I Contra Praxeam, cap. XIII, est Christus Dei Filius, qui a Patre, quasi brachium a corpore illi consubstantiale procedit; vel (quod in idem redit) est potentia quam Deus in Christo ostendit, et fortitudo quam Christo ejusque passioni, doloribus et morti communicavit. Ita S. Hieronymus, q. d. Christi dolores, probra et crux, hominibus signa esse videbuntur summæ infirmitatis; at Deus ostendat ea esse suum brachium, et suam fortitudinem, qua totum mundum Christo Christique cruci subjiciet. Quis hoc credet? quis credet hominem crucifixum esse Deum omnipotentem, esse Messiam? quis credet hominem crucifixum, virtute crucis dominaturum orbi, adorandum a regibus et monarchis, orbeque universo? Huc alludit S. Paulus, I Cor. I, 23, et alibi, ubi Christum ejusque crucem vocat Dei virtutem, id est fortitudinem et sapientiam: « Prædicamus, ait, Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. »

Vers. 2.

2. ET ASCENDET (id est germinabit, pullulabit, succrescet) SICUT VIRGULTUM CORAM EO.— « Et » est causale, significans quia: dat enim causam cur hæc videantur tam admiranda, et cur tam pauci credituri sint Christo, quia videlicet videbunt eum humilem, abjectum et afflictum. Pro *virgultum* hebraice est *פני* *ionec*, id est lactens, scilicet puer, vel infans sugens ubera; unde Septuaginta pro *virgultum* vertunt *infans*. Verum *ionec* transfertur metaphorice ad plantas et virgulta; tumque significat surculum tenerum, qui velut lactens attrahit sugitque succum radicis vel arboris. Sicut ergo homines potentes, opulenti et splendidi comparantur altis cedris et quereubus, uti patet de Nabuchodonosore, *Daniel. IV, 17*, et de Joakim, *Jerem. XXII, 15 et 23*; ita Christus pauper et abjectus comparatur tenero virgulto, sive surculo. Unde Sanchez per *virgultum* accipit myricam, hæc enim humilis est, nec habet speciem, nasciturque in desertis: quocirca symbolum est hominis pauperis et abjecti, ut patet *Jerem. XVII, 6*: « Erit quasi myricæ in deserto. » Verum Hebræum *ionec*, quod Noster vertit *virgultum*, est nomen generale, tamque surculo aliarum arborum et plantarum, quam myricæ competit, significatque primo, Christi pueritiam et infantiam; secundo, tenuitatem, infirmitatem et abjectionem. Unde Theodotion, apud Eusebium, III *Demonstr. cap. II*, vertit: *Ascendet ut puer lactens coram eo*. Sic vertit et Aquila; Septuaginta quoque vertunt: *Nuntiavimus coram illo ut puer*; vel, ut Tertullianus, lib. III *Contra Marcion. cap. XVII*, legit *ut parvulus, q. d. Nos Apostoli prædicavimus Deum puerum pro homine factum*. Sic enim incipit et intonat S. Joannes: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, etc. Et Verbum caro factum est. » Noster tamen cum Symmacho, melius Hebræum

Christus virgultum, cur?

ionec vertit, *virgultum*: Christum enim comparat Propheta plantæ pullulanti et succrescenti, sequitur enim: « Et sicut radix de terra sitiens. »

Sensus ergo est, q. d. Nascetur Christus parvulus, et pullulabit quasi virgultum e sola arbore, id est e sola virgine matre (sine viri semine, inquit Origenes, hom. 17 in *Gen.*), sed sitiens, sive arida, id est paupercula, misella, squalida; et ita per 30 annos crescet, vivetque humilis et ignobilis, quasi fabri filius, nihili habens speciosum, nihil illustre aut magnificentum. Unde idipsum explicat subdens: « Non est species ei, neque decor. » Incipit a nativitate Christi abjecta et mirabili, a qua transit ad ejus passionem, magis abjectam et admirabilem. Notant aliqui: Sicut virgultum abscissum magis crescit, ita Christus abscissus in morte, per resurrectionem repullulans, multo magis excrevit.

CORAM EO.— *Primo*, nempe Israele, coram ipsis Judæis, inquit Forerius. *Secundo*, Sanchez, *coram eo*, id est *coram se*: Hebræum enim *לפני* *lephanaf* verti potest, *quoad conspectum*, vel *quoad faciem suam, q. d. Christus erit specie tenuis quasi virgultum, sive habebit speciem virgulti: aut, coram eo, inquit, sive coram se, id est in sua opinione et existimatione, Christus erit humilis, æstimabitque se esse quasi virgultum. Tertio*, simplicius et planius, *coram eo, scilicet Domino*, præcessit enim *brachium Domini; pronomen ergo eo, respicit ad Domini: unde Septuaginta vertunt, in conspectu ejus*. Porro per hoc significat, virgultum hoc cum semine et patre careat, succrevisse virtute Domini, sive Domino inoperante; puta Christum ex Virgine conceptum et natum esse de Spiritu Sancto. Ita Hugo et Dionysius.

ET SICUT RADIX DE TERRA SITIENTI.— *Primo*, « radix, » id est surculus e radice pullulans metonymice: hebraice est, *de terra siccitatis*, id est sicca; talis enim sitit humorem. Hæc ergo radix, æque ut ejus surculus prognatus est e terra arida et squalida, ac proinde tam ipsa, quam surculus ejus fuit aridus et squalidus: nimirum, radix hæc est B. Virgo paupercula et abjecta, ac fabro desponsata, ex qua nascens Christus pauper et abjectus a Judæis despectus fuit.

Secundo, S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus et Augustinus supra citatus: Uterus, inquiunt, virginis dicitur terra sitiens, quia nullo humano semine humectatus et foedatus est; unde Aquila vertit, *de terra invia: quod Eusebius, lib. III Demonstr. cap. II, exponit, de B. Virgine*.

NON EST SPECIES EI, NEQUE DECOR.— Arabicus vertit: *Non est illi aspectus, neque decus, vel claritas, decentia, forma*. Sensus est, sicut virgultum nascens in loco arido squallet, non habet speciem, nec decorem; ita et Christus nascens, vivens et conversans in hoc mundo, nihil nobile, opulentum, lautum, splendidum coram mundo ostendit, sed vitam egit ignobilem, tenuem et laboriosam in opere fabrilis. Hoc est quod ipse ait: « Pau-

per sum ego, et in laboribus a juventute mea. » Ita S. Chrysostomus in illud *Psalm.* XLIV : « Speciosus forma præ filiis hominum, » tom. I. *Secundo*, in passione non erat ei species, neque decor, quia flagellis, livore et vulneribus fuit deformatus. Unde tunc non fuit ipsi illa ejus species, qua æqualis est Patri, quamque ostendit in transfiguratione, inquit Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* cap. VII et XVII. Sic et S. Augustinus, *hom.* in hoc Isaïæ dictum, quæ est 36 inter homil. tomo X et lib. I *De Consensu Evangel.* cap. XXXI, et Origenes in cap. X *ad Romanos.* Vide Hectorem Pintum hoc loco pie hæc meditantem et expendentem. Audi et S. Bernardum, *serm.* 28 *in Cant.* : « Speciosus forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species neque decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula et sine ruga. »

ET VIDIMUS EUM, ET NON ERAT ASPECTUS. — Hoc est, non erat aspectabilis, non habebat aliquid dignum aspectu, quod aspicientium oculos ad se traheret aut converteret : sed erat « despectus, » ut sequitur. Vide *Canon.* XXXVIII. Unde Septuaginta vertunt, *non habebat speciem, neque decorem.* Porro hoc verum fuit in Christo, tum per omnem vitam, tum maxime in passione, cum facies ejus sputis, colaphis, vibicibus, sudore et sanguine e capite spinea corona transfixo manante, fuit foedata et deformata.

ET DESIDERAVIMUS EUM, — nos scilicet Prophetæ et Apostoli : quia licet deformatum videremus, sciebamus tamen eum fore mundi salvatorem.

Secundo, Leo Castrius, Salmeron, et ex iis Sanchez apposite repetunt negationem *non*, quæ præcessit ; hoc enim Hebræis est familiare, *q. d.* Non desideravimus eum aspicere et intueri, quia « non erat ei aspectus, » *q. d.* Non erat ei aspectus desiderabilis, qui homines in sui desiderium et intuitum concitaret. Unde Symmachus et Vatablus vertunt : *Non ei forma, non dignitas ut videamus eum, neque aspectus ut cuperemus eum.* Quocirca Forerius nostrum, « et desideravimus eum, » sic quoque exponit, *q. d.* Ut desiderarem, seu expeteremus eum. Cum enim Judæi essent avari, deformis eis erat Christi paupertas ; cum essent gloriæ cupidi, et honoris ambitiosissimi, deformis eis erat Christi vilitas et humilitas.

Symbolice, S. Augustinus in *Psalm.* XLIV, in expositione tituli : « Christus crucifixus Judæis, ait, videtur esse scandalum, Gentibus stultitia ; nobis autem credentibus ubique sponsus pulcher occurrit ; pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in intellectu. » Eadem et plura habet, *serm.* 13 *De Tempore.*

3. DESPECTUM, ET NOVISSIMUM VIRORUM. — Repete « vidimus. » Septuaginta vertunt : *Species ejus inhonorata et deficiens, præ filiis hominum, vel præ*

omnibus hominibus, ut legit S. Augustinus, lib. XVIII De Civit. cap. XXIX. Pro *despectum* hebraice est נבזה *nibze*, id est *spretum*, hoc est aspernabilem, miserum, contemptibilem. Pro *novissimum virorum* hebraice est חדל איש *chadal ischim*, id est cessatio vel abstinentia virorum. Quod *primo*, Vatablus et Forerius exponunt rejectaneum, id est contemptissimum virorum, a quo scilicet alloquendo, utpote vili et paupere, alii viri cessant et abstinent : cujus consortium, quasi ignominiosum refugiunt, quem a suis cœtibus, quasi hominum facem, rejiciunt. Huc allusit S. Paulus, I *Corinth.* IV, 13 : « Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, » id est rejectamentum, puta quisquiliæ, fæces et sordes, quas homines e suis domibus everrunt et rejiciunt. Sic enim Christi et Apostolorum familiaritate uti dedignabantur Pharisæi, et mundi sapientes ac nobiles, ut nominis et dignitatis suæ jacturam facere putarentur, si eos adiissent. Quocirca Nicodemus ad Christum nocte accessit, et nemo ex principibus in eum credebatur ; et maledictam turbam dicebant quæ illi adhærebat, et esse discipulum ejus maledictum seu maledictionem dicebant, imo eum excommunicabant, et synagoga sua expellebant, uti fecerunt cæco illi a Christo illuminato, *Joan.* IX, 22 et 34.

Secundo, idem Forerius atque Sanchez : Christus, inquiunt, vocatur cessatio, desitio, vel cessator virorum, id est ultimus finis, terminus, seu novissimus virorum, ultra quem non amplius est vir, qui in genere virorum est *minimum quod sit*, adeo ut ibi sit virorum cessatio atque desitio, ita virorum status ultra procedere non possit, sed in eo desinat ; alioqui viri non viri futuri sint, sed vermiculi, aut opprobrium hominum, et abjectio plebis, id est non tam viri, quam virorum quoddam inane simulacrum. Unde Septuaginta vertunt, *deficiens citra filios hominum*, uti legit Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. XIV ; Arabicus, *vilis ex hominibus*. Talis vir fuit Christus ab initio nativitatis usque ad mortem. Natus enim est parvulus, et quasi puer rusticanus : positus est in præsepio inter bovem et asinum, quia non erat ei locus in diversorio. Talis fuit usque ad annum trigesimum cum Joseph fabrilem artem exercens. Talis fuit tribus reliquis vitæ annis prædicans, et pedibus Judæam et Galilæam oberrans. « Vulpes enim, ait ipse, *Matth.* VIII, 20, foveas habent, et volucres cœli nidus : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Verum talis maxime fuit in passione et cruce, ubi inter latrones, quasi furcifer et latro pependit, quasi indignus virorum cœtu, indignus vita, indignus qui terram pedibus tangeret et calcaret, ideoque pendulus hæsit inter cœlum et terram.

Sed cur Christus voluit fieri cessatio, sive « novissimus virorum ? » Quia Adam, æque ac Lucifer, voluit fieri primus non virorum, sed Angelorum ; imo deorum : voluit enim æquari Deo

Christus
virorum
cessatio,
cur?
Primo.

Secundo.

vero. Hoc enim Deus Adæ improperat, *Genes.* III, 22 : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. » Hinc innata est posteris ejus superbia et ambitio, et ita innata ut hoc vitium sit primum in homine vivens, et ultimum moriens, quod de corde animalis et hominis tradunt Physici. Ut ergo hoc vitium ita ingenitum nobis sanaret Christus, efficacissimo hoc usus est remedio, scilicet exemplo suo, ut, cum esset in forma Dei, semetipsum exinaniret, et formam servi acciperet, fieretque homo, imo hominum novissimus. Quæ enim tanta homuncionis erit superbia, quam tanta Filii Dei, et Regis regum, et Domini dominantium exinanitio et humiliatio non sternat? Quis conqueratur se despici, qui, si se suamque conscientiam sincere intueatur, vere multis nominibus est despicibilis, ubi Christum Domini despectum, et ita despectum videt? Quis ita est despectus, ut sit, sicut ipse fuit, *chadal iscim*, et desitio virorum? Quis jam ambiat honores et laudes, ubi Christum opprobria, et sui contemptus ambivisse conspicit? Erubescere, terra : Deus se humiliat ; et tu, o vermicule, te exaltas ? Vis ergo vulnus lethale tibi ab Adamo inflictum sanare, vis ambitionem tuam curare ? sequere Christum, ambi non summa, sed ima, desidera

ex animo esse ultimus et novissimus. Hic latent magnæ opes, magni thesauri hominibus absconditi, quia novissimus locus est centrum humilis, in quo ipse summa animi quiete et tranquillitate fruatur, nullum casum aut descensum metuit ; cum enim se ponat in imo, ulterius descendere aut cadere nequit : ex adverso « tangunt feriuntque summos fulmina montes, » eosque ad ima prosternunt. Hic etiam locus est nobilissimus et præclarissimus. Is enim locus præclarissimus est, qui est juxta regem, aut Imperatorem. Atqui locus Regis nostri Christi fuit novissimus, ut ait hic Isaias. Erras ergo, o Christiane ! si præclarissimum locum putes, et consecreris summum, non novissimum. Audi Christum suadentem : « Cum invitatus fueris, etc., recumbe in novissimo loco. »

Præclare S. Cyrillus in cap. I S. Joan. : « Quasi quidam, inquit, creaturarum locus confingitur ipsum nihil. Nam omnes ex nihilo in hunc mundum venerunt. » Si hic est locus omnium creaturarum, ergo et hominis. Quisquis igitur agitaris spiritu arrogantiae, quisquis ambis esse primus, ob oculos pone Christum factum *chadal iscim*. Quisquis contemneris, despiceris, gradu et loco tuo dejiceris, gaude et exulta, quia locum Christi occupas, qui pro te, utque tibi daret exemplum, fieri voluit *chadal iscim*. Vere humilis cum Christo ambit locum ultimum, optatque omnibus postponi ; exhorret vero primum, metuitque vel uni præferri. Hæc est sapientia sanctorum. Vide S. Bernardum, serm. 37 in Cant., in fine. Ita Christus cuidam S. Virgini hanc regulam dedit : « Valde desiderabis subjici omnibus, et reformidabis præferri uni, etiam minimo. Tuum

refrigerium et solatium in nullo alio sit, quam in humilitate, et tui contemptu. » Esto Ordinis Minimorum, et minimorum minima.

Denique, in hæc Isaïæ verba commentans S. Bernardus de Passione Domini, merito exclamat : « O novissimum et altissimum, o humilem et sublimem, o opprobrium hominum, et gloriam Angelorum ! Nemo illo sublimior, nemo humilior. » Ubi et addit : « Mirabilis passio tua, Domine Jesu, quæ passiones omnium nostrum propulsavit. In hac passione, fratres, tria specialiter convenit intueri : opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientiæ recordatio omnem arcet voluptatem, humilitatis consideratio superbiam vitæ prorsus extundit, charitas omnino vitium curiositatis exsufflat. »

VIRUM DOLORUM, — id est *doloribus confectum*, inquit Vatablus ; *secundo*, Forerius : *Vir*, inquit, *dolorum*, id est doloribus expositus, qui quo eos arceret, non habebat ; *tertio*, Septuaginta vertunt : *Homo in plaga existens* ; *quarto*, sapidius et plenius, *vir dolorum*, id est undique doloribus obsitus, transfixus et plenus, ut ex doloribus conflatus, et non nisi dolor, imo pelagus dolorum esse videretur.

Primo enim Christi anima plena fuit dolore : In anima, primo. « Tristis, inquit, est anima mea usque ad mortem, » et hæc tristitia sanguineas illi lacrymas sanguineum sudorem expressit. Cogitabat enim omnia omnium hominum, qui sunt, fuerunt et erunt peccata, etiam summe horrenda, et de omnibus intime dolebat, ac si ipse ea patrasset, ut hoc dolore ea expiaret Patrique satisfaceret.

Secundo, a primo instanti suæ conceptionis usque ad ultimum vitæ suæ halitum, jugiter cogitabat omnes labores et dolores, quos in vita et in morte maximos erat obiturus ; eosque ita vive sibi repræsentabat, ac si eos jam præsentem haberet et sentiret.

Tertio, cogitabat omnes hominum ærumnas et miseras, omnes Martyrum cruciatus, omnes Sanctorum poenitentias et mortificationes, omnia virginum certamina ; hæcque ipse sentiebat, hocque suo sensu et dolore eis a Patre fortitudinem ad eos superandos, impetravit.

Quarto, cogitabat quam multi hosce ejus dolores spernerent, quam multis inutilis foret omnis hic ejus labor, quam multi hominum milliones damnandi forent, quam pauci salvandi. Hic animas zelanti ingens erat dolor, ingensque tormentum.

Denique omnes animæ Christi potentiae, intellectus, voluntas, memoria plenæ erant doloribus, æque ac singuli sensus interni et externi.

Secundo, in corpore singula Christi membra suos habebant dolores acutissimos, ut patet singula consideranti. Nam, ut ait S. Thomas, III part. *Quæst.* XLVI, art. 5 : « Christus secundum tactum fuit flagellatus, et clavis confixus (idque

Christus vir dolorum, cur?

In anima, primo.

Secundo

ma, primo.

Christus vir dolorum, cur?

locis nervosis et maxime sensibilibus, puta manibus et pedibus, ubi acutissimus est dolor, praesertim in cruce, ubi ex pondere corporis, vulnera sensim lenteque dilatantur, itaque prorogantur); secundum gustum, felle et aceto potatus; secundum olfactum, in loco foetido cadaverum mortuorum, qui dicitur Calvariae, appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium et iridentium; secundum visum, videns matrem et discipulum quem diligebat, flentes.» Porro in Christo tactus aliique sensus erant vivacissimi et perfectissimi: ideoque praeter aliis hominibus dolores omnes vivacissime sentiebat.

Secundo, « passus est Christus in capite pungentium spinarum coronam, in manibus et pedibus fixationem clavorum, in facie alapas et sputa, et in toto corpore flagella. »

Tertio, « passus est in omnibus, in quibus homo pati potest. Passus est enim Christus in suis amicis, eum deserentibus; in fama, per blasphemias contra eum prolatas; in honore et gloria, per irisiones et contumelias ei allatas; in rebus, per hoc, quod etiam vestibus spoliatus est; in anima, per tristitiam, taedium et timorem; in corpore, per vulnera et flagella. » Atque haec omnia pure et mere passus est, sine ullo consolationis aut laetitiae temperamento.

Quarto, passus est ab omni genere hominum, a Judaeis et Gentibus, a plebe et principibus, a laicis et sacerdotibus, a Pontificibus et Pilato. A Juda proditus, ab Apostolis negatus et derelictus. Mater, adstans cruci, ejus dolores duplicavit; cum enim se invicem assidue aspicerent, totidem gladiis et ictibus, quot oculorum jactibus, invicem corda mutua transfigebant et vulnerabant.

Quinto, solus Christus in Scriptura dicitur, *vir dolorum*; fuit Abel afflictus a Caino, Isaac ab Ismaele, Jacob ab Esau, Joseph a propriis fratribus, David a Saule, Elias a Jezabele, multique alii gravibus doloribus fuerunt pressi; sed inter omnes solus Christus *vir dolorum* appellatur, tum quia omne genus dolorum sensit, tum quia illi suos dolores ferebant, Christus vero et suos et omnium hominum.

Sexto, tres sunt radices vitiorum et malorum omnium, quas describit S. Joannes, *epist.* I, cap. II, 16: « Omne, inquit, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. » Has tres radices tribus contrariis expugnavit et extirpavit Christus. Nam, ad proterendam superbiam vitae, factus est portentum contemptus et humilitatis; factus est enim « novissimus virorum, » ut ait Isaias; *secundo*, ad comprimendam concupiscentiam oculorum, factus est portentum paupertatis et nuditatis; *tertio*, ad edomandam concupiscentiam carnis, puta gulam et libidinem, factus est portentum dolorum. In his tribus perfecta patientia,

perfecta virtus, perfecta mundi et vitiorum victoria, perfecta sanctitas, perfectus Dei amor consistit; quia sine dolore, non vivitur in amore. « Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. »

Vere Sidonius Apollinaris, lib. IX, *epist.* 4: « Quantumlibet, inquit, nobis anxietatum paternas vitae praesentis propinet afflictio, parva toleramus, si recordamur quid biberit ad patibulum qui invitat ad caelum; » et ex eo Helinandus, *Chron.* XLIV: « Memoria passionis (Christi) omnem tribulationem dulcescere facit. » Sicut ergo lignum a Mose injectum in aquas Mara, eas ex amaris dulces effecit, *Exodi* XV; ita omnis nostra tribulatio dulcescet, si crux Christi mentem subeat, omneque fel in mel convertetur. Ejus enim consideratione fides illuminatur, spes roboratur, patientia excitatur, charitas inflammatur. Hinc S. Gregorius in quadam epistola: Nihil, ait, adeo grave est, quod non aequanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur. Parva enim toleramus, si recordemur quam dura verba, duriora verbera, durissima supplicia pro nobis ille passus sit, qui in capite tulit coronam, in oculis velamen, in auribus convicia, in ore fel et acetum, in facie sputa et alapas, in genis vellicationem, in humeris crucem, in corde mœrorem, in visceribus concussionem, in corpore flagella, in membris extensionem, in manibus et pedibus perfossionem. Denique, a capite ad pedum plantas usque innumera sustinuit vulnera et dolores. Fuit ergo Christus vir dolorum, imo rex et princeps dolorum; tum quia plures et acerbiores tulit, quam ullus mortalium tulerit; tum quia omnibus quasi rex dominatus est, omnesque sua patientia et charitate divina superavit, imo longe transcendit. Regnas ergo, o Christe! in regia Calvariae, in throno crucis, in purpura tui sanguinis, cum sceptro clavorum, cum corona spinea, ipsumque regni titulum praefers: « Rex Judaeorum, » id est, rex civium injustissimorum, id est rex hostium immanissimorum: circumfluunt loca assecularum accusatores, loco satellitum latrones, loco cohortum carnifices. Isthic, isthic, tanquam in tuo regno, in omni regia pompa regioque apparatu triumphas: habes pro bellariis fel, pro odoribus foetorem, pro festis ignibus tenebras, pro symphonia blasphemias, pro choreis terrae motum, pro peristromatis sparsive floribus ossa cadaverum, pro bulla pendente e monili plagam luculentam pectoris. Tale regnum, talem regem decebat esse dolorum. Utinam intelligamus quales nos deceat esse sub tali rege, in tali regno!

ET SCIENTEM INFIRMITATEM.— « Scientem, » id est sentientem et experientem, tum in vita, tum maxime in morte. Nam in vita defatigabatur, inquit Forerius, itinera pedibus conficiebat, inedia et siti laborabat, flebat saepius, ridebat nunquam, et, cum intus zelo Dei aestuaret, videretque nomen

Dei vilipendi, jus et fas pessumdari, hypocrisim dominari, suspiria trahebat, dolebat, gemebat. Rursum *infirmi- tatem* vocat dolores, adversitates, persecutiones, irisiones, opprobria, cruciatus, omnesque afflictiones et ærumnas tum vitæ, tum passionis Christi; has enim significat hebræum חולי *choli*, id est infirmitas, ut dixi II *Corinth.* XII, 9 et 10; *tertio*, Septuaginta vertunt, *sciens ferre infirmitatem*. Christus enim tanta non tantum tulit, sed et constanter tulit, scivit quomodo ea essent ferenda, scilicet prudenter, humiliter et fortiter: et simili modo nos ea ferre docuit et docet in dies. Ipse ergo fuit portentum constan- tiæ et fortitudinis.

ET QUASI ABSCONDITUS VULTUS EJUS. — Quia in hu- mano corpore divina Christi potentia et splendor celabantur, ait S. Hieronymus. *Secundo*, Pagninus vertit, *erit ut is a quo quis absconderet faciem suam, q. d.* Erit quasi leprosus, vel ita horridus, ut oc- currentes ab eo faciem avertant. Sic et Leo He- bræum vertit: *Et abscondebamus faciem ab eo, q. d.* Pudebat nos illius, vel horrebamus eum aspicere. *Tertio*, proprie « absconditus vultus » Christi signi- ficat ejus sortem et statum ita miserum, ut quasi pudibundus vultum suum absconderet, quia scilicet talis erat, ut præ pudore et verecundia, qui- libet vir honestus in eo constitutus vultum suum obtegeret. Quocirca hebraice est, *abscondens fa- ciem a se*, quasi quem sui et suæ sortis pudeat; unde a seipso quasi faciem avertit, seque abscon- dit. Hinc Septuaginta vertunt, *aversa*, vel, ut Pro- copius legit, *confusa facies ejus*. Forerius putat alludi ad leprosos, qui jubebantur os suum ve- lare et faciem abscondere, ne cui horrorem injice- rent, *Levit.* xv, 45. *Quarto*, addit Sanchez *abscon- ditum vultum* significare Christum a Judæis quasi reum mortis proclamatum et damnatum fuisse. Hisce enim reis, morti adjudicatis, facies velari solebat.

Vers. 4.

4. VERE LANGUORES NOSTROS IPSE TULIT, ET DOLO- RES NOSTROS IPSE PORTAVIT. — Septuaginta vertunt: *Ipse peccata nostra portat, et pro nobis dolet*. Septua- ginta secutus S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 24: « Peccata, ait, nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; » ubi Cyrillus Alexandrinus, lib. IV in *Joan.* cap. XII, legit: *Delicta nostra ipse cor- pore suo in lignum tulit*; S. Athanasius, orat. 4 *Con- tra Arianos*: « Efferens peccata nostra in crucem cum corpore suo; » Syrus: *Bajulavit omnia peccata nostra, eaque sustulit in corpore suo ad crucem*, ut pro iis patiendo et satisfaciendo ea aboleret, et quasi cruci affigeret, ut ait Paulus, *Coloss.* II, 14. Chaldaeus hic vertit: *Deprecabitur pro peccatis nos- tris, et delicta nostra propter eum dimittentur*. Porro S. Matthæus, cap. VIII, vers. 17, cum narrasset va- rios morbos et morbosos, ac energumenos a Chri- sto sanatos, subdit: « Ut adimpleretur quod dic- tum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nos- tras portavit. » Quæres, quomodo hæc S. Mat-

thæus accommodet morbis corporis, et quomodo eos portaverit Christus? *Primo*, Forerius sic expo- nit: *Tulit*, id est abstulit; *portavit*, id est expor- tavit, ejecit; non autem in se suscepit. Sic enim dicitur: « Ecce Agnus Dei, qui tollit, id est aufert, peccata mundi: » nec enim Christus formaliter pec- cata mundi in se suaque anima suscepit. Verum Hebræum סבל *sabal*, proprie significat portare et gestare onus: et certum est Isaiam loqui de do- loribus a Christo susceptis: ideo enim vocavit eum « virum dolorum, » et mox « leprosum ac percussum a Deo. »

Secundo, S. Thomas et Lyranus per *dolores et lan- guores* accipiunt famem, sitim, lassitudinem. Sed quid hæc ad morbos aliorum curandos?

Tertio, Jansenius et Maldonatus putant S. Mat- thæum loqui in sensu accommodatio: ipsum enim verba Isaiæ dicta de morbis animæ, accom- modare morbis corporis. Verum obstat *ut adim- pleretur*: aliud enim est adimplere, aliud accom- modare. Unde cum dicitur: « Ut adimpleretur quod dictum est, » locus ille accommodatio explicari non debet, uti recte docet Gabriel Vasquez, I part. disp. 18, cap. v, tomo I.

Dico *primo*: S. Matthæus non vult dicere Chris- tum morbos aliorum in se suscepisse; nec enim Christus ægrotavit, aut morbum habuit, sed cor- pus semper sanum et integrum. Probatur *primo*, quia morbi non decebant corpus divinum et a Spiritu Sancto perfectissime efformatum, fuissent- que impedimento ejus laboribus, itineribus, præ- dicationi, operique legislationis et redemptionis nostræ, ad quod in mundum missus fuit a Patre. *Secundo*, quia Christus tantum suscepit passiones humanas, toti naturæ hominum communes, non huic vel illi homini proprias, uti sunt febris, cal- culus aliique morbi. *Tertio*, quia morbi oriuntur ex imperfecta corporis formatione, puta ex com- plexione et temperie quatuor humorum incon- grua et male temperata, aut ex intemperantia vic- tus, laborum, studiorum, etc., aut denique ex inscientia et imprudentia, qua cibos, aerem alia- que valetudini noxia, vel non scimus, vel non advertimus, vel non cavemus. Atqui nihil horum fuit in Christo; uti nec fuit in Adamo in statu in- nocentiæ. Denique in Christo, in quo nulla erat concupiscentia, nullum decuit esse morbum; hic enim est illius effectus, pœna et frenum a Deo destinatum. Ita S. Thomas, III part. *Quæst.* XLV. Suarez et alii.

Dico *secundo*: Probabile est Isaiam hic duplicem habere sensum litteralem. *Primus* est, de morbis animæ, id est peccatis, eorumque pœnis, quas in se suscepit et in cruce exsolvit Christus: et hoc maxime intendit Isaias, ut patet ex sequenti et ex verbo, *portavit*. Alter est priori subordinatus de morbis corporis, ut docet Cajetanus in cap. *Matth.* VIII. Hi enim typi et effectus sunt morbo- rum animæ, quos S. Matthæus ait Christum por- tasse, non eos in se suscipiendo, sed per compas-

Christus
nullos
habuit
morbos.Christus
portavit
nostras
ægrotati-
ones,
quomo-
do?

sionem, qua motus fuit ad eos auferendos, et ad morbos sanitati restituendos : quomodo Apostolus, *Galat. cap. vi, 2*, ait : « Alter alterius onera portate. » Ita Leo Castrius.

Christus potuit curare morbos nostros, quia eos in se luendos suscepit.

Dico *tertio* : Verius est per languores et dolores quos Christus tulit, Isaiam intelligere peccata, ut vertunt Septuaginta, et eorum proles, quæ sunt morbi, dolores, omnesque corporis et animæ ærumnæ et pœnæ. Hæc est enim peccati progenies et soboles, quam Christus portavit et abolevit. Christus enim tot cruciatus tamque acerbam mortem pertulit, ut omnes hasce infirmitates et ærumnas, ipsamque mortem, vel hic, vel in resurrectione aboleret. Sicut ergo ipse peccata nostra in cruce portavit et expiavit : sic consequenter et morbos, adeoque inde habuit potestatem eos curandi, quia eos in se luendos suscepit. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius in *Matth. viii*, et Origenes in *cap. viii et xv ad Rom.* Hoc est quod ait Hilarius citatus a S. Thoma in *Catena, Matth. viii* : « Christus passione corporis sui secundum Prophetarum dicta, infirmitates humanæ naturæ imbecillitatis absorbit. » Huc alludit S. Petrus, *epistola I, cap. ii, vers. 24* : « Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. » Sequitur enim de more Septuaginta, qui hic vertunt : *Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet.*

Ubi nota : Languores et dolores vocat *nostros*, quia peccatorum culpa nobis inerat, eratque nostra ; pœna vero erat nostra, id est nobis debita. Reatus ergo, sive obligatio ad pœnam erat pariter nostra, nobisque inhærebat. Erasmus enim rei dolorum et tormentorum præsentium et æternorum. Sed hæc omnia in se transtulit Christus. Hinc censent Sanchez aliique viri docti et pii, nostros morbos et languores (cum sint pœnæ peccati originalis, et sæpe ob peccata actualia cuique a Deo infligantur) aliquid addidisse doloris et cruciatus Christo patienti, ipsumque, ut eos curaret et tolleret, peculiare aliquas pœnas, vel pœnarum augmentum aliquod subiisse et tolerasse. Omnes ergo dolores, quos tolerarunt, vel tolerant electi, transierunt per illam sacram humanitatem, indeque facti sunt nobis dulces et amabiles (uti aiebat quædam sancta virgo gravi morbo afflicta. « Christus enim, ut pie doctæque ait S. Petrus Chrysologus, *serm. 150*, venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes ; humana querere, præstare divina ; accipere injurias, reddere dignitates ; ferre tædia, referre sanitates ; quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit ; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. »

Denique Rupertus, Vasquez, Maldonatus, et ex his Sanchez dicunt hunc Isaïæ locum directe spectare ad peccata, indirecte ad morbos ; eo quod Christus morbos corporis curaret, hoc fine, ut per eos gradum faceret ad curationem morborum animæ. Dum enim morbidi videbant se a Christo

tam benefice et miraculose curari, credebant in eum, ab eoque excitati dolebant et compungebantur de peccatis suis, itaque eorum veniam et gratiam ab eo impetrabant, uti contigit S. Magdalænæ. Unde multi docent omnes eos, quos Christus corporaliter sanavit, etiam spiritualiter ab eo sanatos et justificatos esse. Verum hic sensus non explicat quomodo Christus morbos corporis tulit et portavit. Itaque tertius sensus, qui solide idipsum explicat, capessendus, hicque illi annexendus est.

ET NOS PUTAVIMUS EUM QUASI LEPROSUM.— « Nos, » scilicet Judæi (in eorum enim persona loquitur), non consideravimus Christum nostros languores portare, sed putavimus eum ob sua peccata ita affligi et deformari, ut videretur esse leprosus ; verum lepram, non suam, sed nostram ipse portabat. Rursum, « putavimus eum quasi leprosum, » id est immundum, et ob sua scelera a Deo percussum. Lepra enim apud Judæos sæpe erat pœna peccati, eamque infligebat Deus superbis, murmurantibus et rebellibus, ut Mariæ sorori Mosis, Ozïæ regi, et aliis, uti ostendi *Levit. xiii*, in initio.

Nota Christum comparari leproso, ob octo analogias. *Primo*, quia, sicut leprosus toto corpore lepra maculatus, sui horrorem intuentibus incutit : ita Christus toto corpore flagellis et vulneribus lividus, horrorem simul et commiserationem aspicientibus commovebat ; ut merito Pilatus eum Judæis proponens dixerit : « Ecce homo. »

Secundo, leprosus habebat vestes dissutas : ita milites sciderunt vestes, quin et carnem Christi.

Tertio, leprosus habebat caput nudum : ita Christus nudo fuit capite, sed spinea corona coronato.

Quarto, leprosus habebat os veste contactum : unde Christo ait Isaïas : « Quasi absconditus vultus ejus ; » rursum : « Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. »

Quinto, leprosus se contaminatum et sordidum clamare debebat : Christus totus cruentus quid clamat ? nisi : « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus, » *Thren. i, 12*.

Sexto, leprosi caro erat vilissima et abjectissima ; Christus ait : « Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. » Similis fuit Christus S. Jobo, qui, sedens in sterquilinio, non fuit agnitus ab amicis, quia non erat ei aspectus, eratque despectus et novissimus virorum.

Septimo, lepra solebant puniri superbi : et Christus nostræ superbie quasi lepræ speciem gessit, eamque curavit, sua hac abjectione. Ejus enim livore curata est plaga superbie nostræ.

Octavo, leprosi urbe pellebantur ; nemo eos aditu, congressu, sermone dignabatur, omnes illos aspernabantur, et quasi pestem fugiebant : ita Christus quasi leprosus extra portam eiectus

Christus comparatur leproso. *Primo.*

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Septimo.

Octavo.

Morbis nostri peculiarem pœnam addiderunt Christo.

et crucifixus est, *Hebr.* XIII, 12; et *Psal.* xxxvii, 12: « Amici, inquit, mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt (hebraice est, *ex adverso plagæ meæ*; S. Hieronymus vertit, *quasi contra lepram meam steterunt*) : et qui juxta me erant, de longe steterunt. » Primam analogiam maxime spectat hic Isaias : vocat enim eum leprosum, quia percussus a Deo.

ET PERCUSSUM (Theodotion vertit, *flagellatum*) A DEO ET HUMILIATUM. — Syrus vertit, *percussus Dei*, id est a Deo; ex Hebræo verti potest, *percussus Deum*, et *humiliatum*, vel *afflictum*. Hoc enim plane significat *בוכה אלוהים ומענה מוכה* *mucke elohim umeunne*. Christus ergo fuit percussus Deus, et humiliatus. Quocirca per hæc Hebræa verba, plures Judæos a Judaismo ad Christianismum esse conversos docet Andreas Payva in *Defens. Trid. fidei*, lib. IV, post initium. Rogati enim quomodo manus dedissent Christo sibi in viso, respondebant se his Isaiæ verbis tam claris convinci, nec posse, etiamsi vellent, ea eludere. Idem mihi narravit hic Romæ insignis quidam Hebræus.

Vers. 5.

5. IPSE AUTEM VULNERATUS EST PROPTER INIQUITATES NOSTRAS, ATTRITUS EST PROPTER SCELERA NOSTRA. — Nimirum non Christi, sed nostræ iniquitates Christum vulnerarunt et attriverunt, eum lacrymari, suspirare et gemere fecerunt. Tua, o gulose, gula Christum felle et aceto potavit. Tua, o superbe, ambitio Christum inter latrones suspendit. Tuus, o comptule, vestium luxus Christum spinea corona coronavit. Tua, o luxuriose, libido Christum clavis transfixit, flagellis concidit, et toto corpore cruentavit. Tua, o maledice, maledicta et blasphemiae, Christi faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, sputis onerarunt! Vis ergo, o peccator, videre vivam imaginem animæ tuæ peccantis? Inspice Christum flagellatum, consputum, coronatum et crucifixum : inspice toto corpore cruentatum et lividum, ut totum corpus non videatur esse nisi una plaga, livor et vulnus : inspice defiguratum quasi leprosum. Hæc est forma, hæc species animæ tuæ, quam Christus in se suscepit et expressit. Ora eum, ut suis plagis plagas animæ tuæ, suis vulneribus tua vulnera curet. Rursum vide et admirare abyssum amoris Christi, qui se pro te in hac informi forma, in hisce pœnis et cruciatibus coram Deo substituit, qui propter te hæc omnia pati voluit, qui se hostiam pro tuis peccatis Deo obtulit, hostiam, inquam, ita concisam et laniatam; quot in corpore ejus cernis vibices, livores et stigmata, tot notas, tot characteres immensi amoris intueris. « Cernis utin toto corpore scriptus, » imo sculptus, « amor, » O amor, amor, amor noster, Jesu bone! quantum amasti nos, quanto dolore, imo amore parturivisti nos! Mensura enim doloris est amor, at non mensura amoris est dolor. Longe enim major fuit amor, quam dolor tuus : amoris tui mare absorbit omnes dolorum rivos. Da, Domine Jesu, ut dolorem tuum, ut amorem tuum non nostrum

sentiamus : vulnera cor nostrum dolore tuo, inebria cor nostrum amore tuo, ut cum S. Paulo dicamus : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo : qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me; » et cum sponsa . « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; » et cum S. Ignatio : « Amor meus crucifixus est; » et cum S. Francisco : « Da, Domine Jesu, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. » Da, Domine, ut a te nunquam separemur, ut mundo et carni plane moriamur, tibi vivamus, tuis vulneribus immoremur, tuo amori innateamus in tempore et in æternitate. Et cum sancta illa virgine Itala, quæ Christum crucifixum fixe intuens, æstrans et ebria amore exclamabat : « O Deus, o amor, o ebrietas amoris! da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente usque ad Occidentem, a cælo ad infernum, ut te amorem omnibus inelamem. » O amor, quam parum cognosceris, quam parum amaris! O animæ, amate amorem vestrum, qui vos ita amavit!

DISCIPLINA PACIS NOSTRÆ SUPER EUM. — Pro disciplina hebraice est *מוסר musur*, id est castigatio. Hac enim indigent pueri, qui instar bestiarum lascivunt, et sensibus vagantur, ut eos constringant, utque disciplinam a doctore suscipiant et ediscant. Hinc enim correptio, flagellatio, verberatio, quin et ipsum flagellum per metonymiam et metalepsin, vocatur disciplina, quia scilicet disciplinam parit et inducit. Sic Hebræum *מלמד malmad*, id est stimulus, a *למד lamad*, id est didicit, derivatur. Vituli enim et boves, æque ac pueri, rudesque homines, non discunt subire jugum et disciplinam, nisi stimulis adacti. Hinc *Proverb.* cap. xxiii, 13, dicitur : « Noli subtrahere a puero disciplinam, » id est castigationem; et cap. xxii, 15 : « Virga disciplinæ fugabit eam, » scilicet stultitiam pueri. Huc allusit *Eccles.* cap. xii, 11, cum ait : « Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. » Vide nostrum Gretserum, lib. *De Disciplina*. Sensus ergo est, *q. d.* Christus castigatus, flagellis et plagis divexatus et excruciatu est, ut nos reconciliaret Deo, utque pacem cum eo haberemus, ut nimirum « peccatis mortui, justitiæ viveremus, » inquit S. Petrus alludens ad hunc locum, *epist.* I, cap. ii, 24. Ita Procopius. Rursum per pacem Hebræi intelligunt omnem prosperitatem omneque bonum : hoc enim suis malis et afflictionibus peperit nobis Christus.

Disciplina, id est castigatio.

Perperam ergo hinc infert Calvinus, pœnitenti, cui Deus per Christum remisit peccata, nullam esse luendam pœnam temporariam, eo quod hanc luerit Christus, dicente Isaias : « Disciplina pacis nostræ super eum. » Perperam, inquam. Nam

Peccata nostra vulnerarunt Christum.

« disciplina pacis » hic non pœnam temporariam, sed culpam et pœnam æternam significat. Hæc enim bellum et odium Dei parit, quod amolitus est sua morte Christus, pacem faciens et reconcilians nos Deo.

Tertio, Sanchez Hebræum **סלום** *scalom*, ver- tens *retributionem*, sic explicat : Disciplina retri- butionis nostræ super eum, id est supplicium, quod nos retribuere et rependere debebamus pro peccatis nostris, hoc super eum imposuit Deus, *q. d.* Quidquid pœnarum Deus a nobis pro pec- catis exigere debuit aut potuit in omnem æterni- tatem, id ab innocenti Filio Pater exegit. Porro imperite et blasphemæ hinc colligit Calvinus, Christum sensisse dolores et desperationes in- ferni, ex eo quod illi peccatis nostris debeban- tur : suscepit enim illos in se non formaliter, sed satisfactorie, quia pro iis condigne satisfacit ob dignitatem personæ suæ patientis.

LIVORE EJUS SANATI SUMUS. — Vatablus vertit : *Et in livore ejus nobis medicatum est.* Hoc est pretiosum pharmacum, quod non ex herbarum succis, non ex adipe bestiarum, non ex alieno corpore et sanguine, sed ex proprio confecit Christus. Hoc pharmacum in SS. Sacramentis a se institutis recondidit; inde enim Sacramenta ha- bent vim justificandi, sanandique animæ mor- bos, scilicet, ex livore, sanguine et vulneribus Christi.

6. OMNES NOS QUASI OVES ERRAVIMUS, — quasi oves non habentes nec sequentes pastorem, sed suam gulam et concupiscentiam. « Erravimus, » per voluptatum labyrinthos, expositi luporum rabiei, qui nos laniarent, et nos in cavernam ge- hennæ transportarent. Huc allusit Christus, dum se comparat pastori qui ovem errantem requisi- vit, et humeris impositam in caulam reduxit, *Luc. cap. xv, 4;* et S. Petrus, *epist. I, cap. II, 25,* cum aiunt : « Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episco- pum animarum vestrarum. »

ET POSUIT DOMINUS IN EO INIQUITATEM OMNIUM NOSTRUM. — Pro *posuit* Vatablus vertit, *conjecit;* Forerius, *incurrere vel irruere fecit.* Hebræum enim **הפגה** *hifga*, significat *primo*, occurrere, in- cidere : *secundo*, irruere in aliquem, eumque oc- cidere, uti Gedeon irruit in principes Madian, *Ju- dic. VIII, 21* : « Utroque autem modo, inquit Fo- rerijs, peccata nostra in Christum incurrerunt; irruerunt enim, ut eum perderent; inciderunt, ut ab eo perderentur. Hic mecum, Christiane lector, considera peccata tua ac mea partem illius exer- citus fuisse, qui in Christum irruit, » eumque trucidavit.

Septuaginta vertunt : *Dominus tradidit eum ini- quitatibus nostris*, ut scilicet illæ a nobis in Christum translatae, in ipsum quasi recumberent, ipsumque quasi reum judicii puniendum et cru- ciandum offerrent. Christo innocentissimo et summo iniquitatis hosti, maxima fuit crux tradi-

iniquitati, longeque major, quam tradi Caiphæ, Pilato, flagellis, clavis et cruci.

7. OBLATUS EST QUIA IPSE VOLUIT. — Hebraice est, *accessit*, scilicet quasi hostia pro peccato ad mac- tationem in altari crucis, id est *oblatus est* (ut recte vertit Noster), *quia ipse respondit*, scilicet Deo vocanti, illud quod inquit Psaltes, et ex eo Paulus, *Hebr. x, 5* : « Hostiam et oblationem no- luisti : corpus autem aptasti mihi, etc. Tunc dixi : Ecce venio, » en adsum hostia tibi grata, quam possis. Quocirca Symmachus hic vertit, *admotus est et paruit.* Unde liquet tam Symmachum, quam nostrum Interpretem, pro **נגס** *niggas*, id est *accessit*, legisse in *Pual*, **נגס** *nuggas*, id est accedere factus est, adductus, admotus, oblatus est.

Jam pro *nuggas* per *schin*, legunt **נגס** *niggas* per *sin*, quod significat exactus, arctatus, afflictus fuit, quasi fidejussor aut debitor : Christus enim pro debito nostro fidejussit; unde debitum nos- trum ab eo exegit Pater. Ita Cyrillus et Sanchez. Forerius vertit, *adactus*, vel potius *abactus* fuit instar ovis, et ipse ope destitutus est; Vatablus *multatus est et afflictus*; Pagninus, *oppressus est et afflictus.*

QUIA IPSE VOLUIT, — non coactus armis et vi Judæorum eum capientium, non invitus et reluc- tans; sed sponte acceptans voluntatem et jus- sum Patris, eique se liberaliter offerens. Hoc est quod ait Paulus, *Galat. II, 20* : « Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, » et Christus ipse, *Joan. cap. x, 18* : « Nemo tollit eam (animam meam) a me; sed ego pono eam a meipso. »

Hinc patet Christi mortem vere et proprie fuisse sacrificium : secus est de morte Martyrum. Christus enim proprie se in cruce immolavit Pa- tri pro redemptione hominum, ut iis reconciliaret Deum, qui est finis proximus sacrificii. Quocirca et ritu mystico oblatus est. Non enim casu, sed electione ipsius et Patris factum est, ut in die festo Paschæ, et in altari crucis, et manibus ex- tensis, et extra portam Hierosolymæ pateretur. Unde Christus, *Joan. cap. xvii, 19*, ait : « Pro eis ego sanctifico, » id est sacrifico, « meipsum. » Ita S. Leo, *epist. 83*, S. Augustinus, libro I *Contra advers. Legis et Proph.* cap. xviii. Vide Bellarmi- num, lib. I *De Missa*, cap. III.

Pie et vere S. Bernardus, serm. 3 *De Purificat. B. Mariæ* : « Oblatus est, inquit, non quia me- ruit, non quia Judæus prævaluit; sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo tibi, Domine, quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ re- tribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pre- tiosiore quam habuit, nimirum, qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod pos- sumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit : tu quis es, qui teipsum offerre cuncte-

Christi mors vere fuit sacrificium, non martirum.

Moral. ex S. Bernar- do.

ris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico: utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur; in te vero exsultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. »

SICUT OVIS AD OCCISIONEM DUCETUR, ET QUASI AGNUS CORAM TONDENTE SE OBMUTESCET. — In acri illa tonsione, qua non lana et vestis, sed pellis, caro, sanguis et vita, flagellis, clavis et plagis illi detondebuntur et abradentur, non gemet, non queretur, non obstrepet, non resistet, sed mitissima patientia tacitus omnia sustinebit. Symbolice S. Ambrosius, *epist.* 25, post medium: « Bene, inquit, coram tondente, qui superflua, non propria, in illa deposuit cruce; qui corpus exuit, non divinitatem amisit. » Huc allusit S. Joannes Baptista, *Joan.* 1, 36: « Ecce Agnus Dei, » scilicet ab Isaia hic prædictus, et in agno paschali figuratus. Ita Theophylactus ibi. Ubi nota: Symbolice, Agni nomen, puta Jesus, græce per anagramma idem est quod ovis, ut patet ex hoc ejus anagrammatismo: Ἰησοῦς; Jesus, οὐ ᾗ οἶς, id est *tu es ovis*. Ita Guillelmus Blancus Albiensis, lib. *De Anagrammatismis*. Utrobique enim eadem prorsus sunt litteræ, sed ordine commutato.

Magis miranda fuit in passione agnina, imo divina Christi mansuetudo, patientia et silentium, quam ipsa ejus passio et crux; præsertim conjuncta cum tam heroica constantia, libertate et fortitudine, « qui, ut ait S. Petrus, *epist.* 1, cap. 11, 23, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste. » Nimirum hic perfectum virtutis dedit speculum. Hic ovis nostra sibi similes parturivit: ab ea enim suam fortitudinem, æque ac patientiam hauserunt et suxerunt omnes patientes, omnes constantes, omnes mites, omnes Martyres. Quocirca S. Franciscus videns, vel nominari audiens agnum, tenero affectu commovebatur, solvebatur in lacrymas, agnos, qui ducebantur ad lanienam, redimebat: intuebatur enim in iis hunc agnum Dei, a quo ipse suam agninam simplicitatem, innocentiam et lenitatem hausisse se profitebatur. Redemptio ergo agni nostri, *primo*, clementissima est; *secundo*, universalis; *tertio*, æterna. Clementissima est, quia agni, non leonis; est universalis, quia mundi; est æterna, quia totius temporis: omnes populos, omnes urbes, omnes homines, omnium ætatum, cujuscumque sexus et conditionis sint, complectitur. Olim tempore Noe, Deus abstulit orbis peccata ut leo (diluvio enim omnes obruit): at per Christum ea abstulit ut agnus. Aquarum diluvium homines necavit, non peccata: sanguinis agni diluvium, peccatis interitum, hominibus vitam attulit.

Ubi notanda est mitissimi agni mira, et plus quam leonina fortitudo ac victoria. Agnus enim hic domuit orbem non ferro, sed ligno; non gladio, sed cruce; non feriendo, sed patiendo; non trucidando, sed moriendo. Hic ergo agnus est leo de tribu Juda; *primo*, quia prostravit peccatum, diabolus, infernum, mundum et carnem; *secundo*, quia tum in hac vita, tum maxime in judicio, sanctis et electis comis erit et suavis ut agnus, reprobis vero terribilis ut leo; ut ipsi percussi dicant montibus et petris: « Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, » *Apocal.* vi, 16; *tertio*, quia agnus hic leones et lupos transmutat, facitque agnos. Unde S. Augustinus, *serm.* 1 *De Conversione S. Pauli*: « Occisus, inquit, agnus (Christus) a lupis, et facit (Paulum) agnum de lupis. » Idem, *tract.* 7 *in S. Joannem*: « Venit, inquit, agnus. Qualis agnus est? quem lupi timent. Qualis agnus est? qui leonem occisus occidit. Dictus est enim diabolus, leo circumiens et rugiens, quærens quem devoret: sanguine agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum. » Et in *Psalms.* cxxxix: « Rex, ait, noster mansuetudine vicit diabolus. Sæviebat ille, iste sufferebat. Victus est qui sæviebat, vicit qui sufferebat. In ista mansuetudine Ecclesia vincit inimicos. » Vicit agnus mansuetudine, vicere Martyres mansuetudine, vicerunt et vincunt Christiani mansuetudine. Amat enim agnus noster agnellos, amat agnas, amat agnetes, amat innocentes, amat virgines, amat Martyres, mites et patientes. « Ecce, inquit suis charissimis, ego mitto vos sicut agnos inter lupos, » *Luc.* x, 3.

Accipe agnos, et agni asseclas, imo proles, in tolerandis contumeliis et injuriis.

S. Spiridion Episcopus Trimithuntis in Cypro, vocatus a Constantio Imperatore venit vili habitu, virgam manu tenens, vas fictile gestans ex collo. Ergo in regia quidam ei, quasi vili homini, colaphum impegit. Tulit id non modo patienter vir sanctus, sed et alteram maxillam prompto patiendi animo percussori exhibuit. Quæ res insolentem illum ita confudit, ut repente ei supplex fieret, et veniam peteret; quam libens concessit, et hominem paterne instruxit, ut ab inferenda injuria se contineret. Honorifice ergo ad Imperatorem deductus est. Ita habet ejus Vita.

« S. Stephanus Abbas, » inquit S. Gregorius, *S. Stephanus* homil. 35 *in Evang.*, « tantæ erat patientiæ, ut cum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores aestimabat. »

Idem S. Gregorius, libro I *Dialog.* capite 1; celebrat patientiam Libertini; qui ab Abbate injuste scabello contusus, ut vultum gereret tumens et lividum, sua patientia Abbatem cho-

Agnus
hic est
leo.

Agni
assecla
mites et
patientes.
Exempla.

S. Stephanus
pro contumeliis
gratias
agit.

Christus
quasi
agnus
tonsus.

lericum ad magnam mansuetudinem traduxit.

S. Joannes Chrysostomus, hom. 20, ad *Populum*, celebrat factum et dictum Constantini Imperatoris qui imagine sua lapidata, multis eum instigantibus ut vindictam sumeret de contumelia, ac dicentibus, quod omnem ipsius faciem in imagine convulnerassent, manu faciem palpans, et leniter ridens, dixit : « Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video ; sed sanum quidem caput, sana vero et facies tota. »

Cassianus, *Collat.* XIX, cap. 1, celebrat patientiam cujusdam juvenis monachi, qui publice ab Abbate palma graviter percussus, nullum murmuris aut doloris dedit signum, imo oris modestiam, tranquillitatem et colorem nullatenus mutavit.

Caupo quidam injuria affecerat juvenem, cognatum S. Joannis Eleemosynarii : juvenis querulus rem detulit ad S. Joannem, qui ut eum mitigaret : « Itane, inquit, ausus fuit te vel verbo violare ? Faciam in eo rem, quam tota Alexandria mirabitur. » Moxque vocato ad se vectigalium magistro, jubet ut cauponem illum ab omni vectigali eximat. Hoc tota Alexandria mirata est. Et caupo deinceps Episcopum et juvenem officiose coluit. Ita Leontius in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*.

S. Martinus ignotus a militibus flagris ac fustibus exceptus, mutus et mire patiens, terga præbebat cædentibus. Illi magis furentes quasi verbera contemneret, virum Dei ita cruentaverunt ; et toto corpore laniant, ut exanimis in terram procumberet. Cumque abire vellent, jumenta nullis flagris loco movere potuerunt. Redeuntes ergo ad cor, et intelligentes fuisse S. Martinum quem percusserant, ad eum revertuntur, supplicesque veniam petunt : quam ille clementer indulisit, fecitque ut jumenta loco moverentur. Ita Sulpitius in *Vita ejus*, lib. I, cap. iv.

Sophronius, in *Prato spiritali*, cap. cccviii, narrat duos Religiosos a rustico contumelia appetitos dixisse : « Indulge nobis, quia peccavimus : » qua humilitate motus rusticus eos secutus, monachus effectus est.

S. Lidwina, magnæ sanctitatis in Hollandia virgo, injuriis, sputis, maledictis appetita, benedictiones et beneficia regerebat, dicens : « Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere compellunt. » Eadem Sancta vidit in mentis excessu coronam pretiosissimam, necdum tamen in orbem plane absolutam. Rediens ad se, petiit pati pro Christo, ut coronam absolveret. Mox in Ducis Philippi apud Hollandos inauguratione, milites ejus Sanctam adierunt, vexaruntque mire, quin et virgineum ejus corpus ac morbidum indignis modis sine pudore contrectarunt, vulnera vulneribus cumularunt, et addiderunt convicia, vocantes eam bestiam, prostibulum, voracem, etc. Angelus deinde ad eam venit instar so-

lis splendidus, aitque ad eam : « Salve, charissima soror. Ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti. Propter inverecundos tactus virorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigiis Salvatoris. Ludibria et vulnera corpori tuo imposita, fuere gemmæ, quas in illa corona et adesse vidisti et deesse. » Ita habet ejus Vita.

S. Dominicus cum Albigensibus, non tam disputatione, quam vitæ sanctitate et injuriarum ab eis illatarum miti tolerantia, certandum censuit, eaque multos eorum convertit.

S. Elisabeth, mortuo Thuringiæ principe marito suo, ab ejus propinquis domo ejecta cum liberis, inops, vaga, ærumnis obruta, et ab iis, in quos beneficia contulerat, contempta ; ita omnia forti animo lætoque sustinuit, ut, cum a patre rege in Pannoniam accerseretur, redire nollet, ne patientiam et humilitatem, quam in miseriis invenerat, inter regales delicias amitteret, virtutem hanc thesauris omnibus habens pretiosior.

Vis agnos in martyrio et Christi Martyris assecclas ?

Anno Domini 44, cum S. Jacobus frater S. Joannis a quodam protractus esset in judicium coram Herode, libere testimonium Christo perhibuit ; quod cernens ille qui eum protraxerat, se Christianum esse professus est. Igitur ambobus una ad supplicium ductis, hic a S. Jacobo veniam postulavit. Cui Jacobus : « Pax tibi ; » illumque osculatus est, et sic uterque securi percussus, quasi agnus martyrio consummatus est. Ita Eusebius, lib. II *Histor.* cap. viii, et ex eo Baronius.

S. Ignatius Trajani persecutione ad bestias damnatus, cum Romam vincetus mitteretur, et jam Smyrnam pervenisset, ad Romanos, qui fidem receperant, scribens, ait : « De Syria usque Romam pugno cum bestiis in mari et in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt, quibus cum benefeceris, pejores fiunt : iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco justificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ, quas et oro mihi veloces esse ad interitum, et ad supplicia, et allici ad comedendum me, ne, sicut aliorum, non audeant corpus meum attingere ! Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram, ut devorer. » Causam subdit : « Ignoscite mihi, filioli ; quid mihi pro sit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de iis, quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestię, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis dissectio, et omnia tormenta diaboli in me veniant ; tantum Christo fruar. » Cumque jam ductus esset in amphitheatrum, et rugientes audiret leones, ait : « Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. » Profecto, non fuisset illi tam fervens

S. Elisabethæ rumnas præfert delicias.

Agri sunt Martyres. Exerpla.

Coronam S. Lidwinae perdidit passio.

pro Christo patiendi affectus, si quidquam dulcius esse potuisset, quam frui Christo patiente æque ac resurgente.

S. Edmundus, Angliæ rex et Martyr, captus a Duce Northmanniæ, ligatus, flagellatus, illusus, telis et sagittis confixus, ita ut in corpore novo vulnere non esset locus, tandem capite truncatus pro Christi fide: hæc omnia fortiter æque ac leniter sustinuit, laureamque martyrii obtinuit anno Domini 870. Ita Baronius.

Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, ab Henrico VIII capite damnatus ob fidei constantiam, ductus ad martyrii locum, hymnum *Te Deum laudamus*, totum sublatis in cœlum oculis cantavit: itaque cervices securi submitbens, Martyr in cœlum evolavit, anno Domini 1534.

Idem Henricus, anno Domini 1537, cum Guardianum Franciscanorum Cantuariensium eadem de causa cum Fratribus plecti jussisset, ni Pontificem abjurarent; omnes fortiter recusarunt, dicentes se potius quamlibet mortem subitaros; quam id facturos. Itaque Guardianus in scalis sæpius repetens illud Psaltis, *Psalm. LIII, vers. 8*: «Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est,» e scalis dejectus, moxque semivivus in quatuor partes dissectus, gloriosum agonem obiit. Reliqui eadem alacritate ducem suum secuti sunt. Ita habet *Histor. Anglic.*

Thomas Bozius, lib. XI *De Signis Eccles.* cap. I, num. 6, narrat constantiam 32 Martyrum, qui Engolismæ, anno Domini 1552, ab hæreticis capti inhumaniter miris tormentis excarnificati sunt, ac subdit: Sub eadem tempora Delphis Bataviæ urbe Cornelius Musius captus est, et jussu Guillelmi principis Auriaci, sic varie est excruciat. Altissimæ scalæ manibus vinctis est appensus, ad pedes intolerabile pondus alligatum, ut compages omnes laxarentur: inde ardentibus tædis ambustæ axillæ: mox resupinus constringitur, aqua fervens ori infunditur, eaque totus venter oppletur, qui sic fustibus deinde tunditur, ut ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret: postea capite deorsum verso, ex duobus pedum majoribus digitis appenditur: inde truncatis manuum pedumque digitis per nivem sanguine proprio cruentatam, in urbem Lugdunum Batavorum raptatur, atque ita demum post tot supplicia laqueo suspenditur. Quæ omnia Martyr silens miti et placido, æque ac generoso animo toleravit. Supersunt adhuc multi, qui hæc ejus tormenta oculis spectarunt, in Hollandia, sanctumque virum miris laudibus celebrant.

Vers. 3. 8. DE ANGSTIA ET DE JUDICIO SUBLATUS EST. — Ita et Symmachus vertit. *Primo*, Forerius Hebraice *רצוץ otser*, id est angustia, inquit, coarctatio, compressio, fuit ipsa turba populi se comprimentis: iudicium vero, fuit ipse iudicium concessus, sive ipsi iudices, *q. d.* Christus ab omnibus ordinibus, puta et a turba et a iudicibus fuit

damnatus et occisus. Ipsi enim iudices, puta Pontifices, dixerunt: «Reus est mortis,» ipsique suaserunt turbæ, ut coram Pilato clamarent: «Crucifige eum.» Pro *sublatus est* Forerius vertit, *pertractus est*, scilicet ad supplicium. *Secundo*, Sanchez, *sublatus est*, inquit, id est exaltatum in crucem, *iudicium* Christi, ut vertunt Septuaginta, id est Christus iudicatus: sæpe enim ponuntur abstracta pro concretis. *Tertio* et genuine, est hendyadis: «De angustia et de iudicio,» id est de angustia iudicii, vel de iudicio angusto, *q. d.* Christus de iudicio Pilati et Pontificum pleno angustiae, oppressionis et humilitatis, ablatum est ad supplicium crucis. Ita ex Origene Leo Castrinus. Septuaginta quos sequitur S. Lucas, *Actor. VIII, 32*, vertunt: «In humilitate iudicium ejus sublatus est.» Videntur legisse *מִשְׁפָּט mispat*, id est iudicium, non *מִמְשָׁפָּט mimispaspat*, id est de iudicio. Aut potius, quia auferri aliquem de iudicio, idem est quod auferri et everti ejus iudicium. Sensus est, ait S. Hieronymus, Christus iudex omnium, iudicii sui non reperit veritatem: nam «in humilitate,» id est propter Christi humilitatem, abjectionem et silentium, quo quasi agnus obmutuit, superbi Pontifices et Pilatus tumultuarie et iniquissime innocentem condemnaverunt. Sic ergo iudicium ejus sublatus est, quia non est peracta iudice Christi causæ cognitio, sine causæ cognitione damnatus est et protractus ad crucem. Ita S. Hieronymus, Procopius, Tertullianus, lib. *Contra Judæos*; Chrysostomus, orat. 3 *Contra Judæos*. Unde Vatablus vertit, *absque dilatione et citra iudicium raptus est*, scilicet ad crucem. Aliter *sublatus est*, accipiunt iterum S. Hieronymus et Rupertus, *q. d.* Christus ab angustiis iniqui iudicii, passionis et crucis sublatus est, et victor ascendit ad Patrem.

GENERATIONEM EJUS QUIS ENARRABIT? — *Primo*, Forerius et Vatablus per *generationem* accipiunt sæculum, puta homines et Judæos sæculi istius. *דור dor* enim Hebræis ætatem seu sæculum significat; itaque vocatur a successione et volubilitate, quod ætas ætati, et sæculum sæculo succedat, ut circulum videantur conficere. Dicitur autem tam de tempore, quam de hominibus illius temporis, et omnibus rebus quæ illo spatio fiunt et eveniunt, *q. d.* Quis explicet pravitatem Judæorum, Pilati, et militum illius sæculi, qui Christum ita illudent, flagellabunt, crucifigent? Hic sensus satis congruit præcedentibus; explicat enim iudicium, de quo dixit: «De angustia et de iudicio sublatus est.» Rursum Latinum *generatio*, æque ac Græcum *γενεά* et Hebræum *dor*, sæpe metonymice significat homines illius *evi* aut sæculi.

Secundo, Lyranus, Carthusianus et alii; per *generationem* accipiunt proles et progeniem Christi, puta Christianos qui per omnia sæcula propagantur. Hebraice enim *dor* proprie est series, vel temporis, vel hominum et posterorum, puta

Generatio Christi quæ druplex. Prima.

certa successio, seu revolutio tum temporum, tum hominum successive nascentium, seque et posteritatem ordine certo propagantium. Unde *dor* vocatur sphaera, sive globus et pila a revolutione. Et a *dor* aliqui deducunt verbum *duro*: est enim *dor* duratio successiva. Huic expositioni favet id quod sequitur: « Quia abscissus est de terra viventium; » et inferius: « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, » *q. d.* Judæi conati sunt succidere Christum, ejusque nomen et stirpem, at frustra: Deus enim illi dabit generationem et progeniem numerosam per omnia sæcula, videbitque ipse semen suum longævum, imo æternum. Rursum Christus habuit *dor*, ætatem vitamque brevem, et in ipso ætatis flore sublatus est: at moriens reliquit illustrem sobolem, quæ ipsius nomen et stirpem per totum orbem, perque omnia sæcula propagabit. A Christo enim cœpit nova ætas, novum et aureum sæculum. Unde ipse ab Isaia, cap. ix, vocatur « Pater futuri sæculi. »

Tertio, communiter Patres accipiunt hunc locum de generatione Christi, vel humana, ut S. Athanasius, lib. *De Incarnat. Verbi*; Justinus, *Quæst. LXVII ad Orthodoxos*; Tertullianus, *Contra Judæos*, cap. xiii; vel divina, ut S. Basilius, lib. I *Contra Eunomium*; Justinus, *Contra Tryphonem*; Chrysostomus, lib. I *De Incomprehensibili Dei natura*, et alii plures; vel de utraque, ut S. Augustinus, *hom. 36 inter 50*, Hieronymus, Procopius, Cyrillus et alii. Licet enim Hebræum *dor* proprie non significet generationem, id est actum generandi, aut nativitatem; significat tamen ætatem alicujus, et seriem generationis, qua quis ex patre aut matre suo tempore nascitur, eisque succedit. Propheta ergo contemplanus probra et dolores Christi, simulque contemplanus ejus personam et dignitatem, rapitur, et admirandus exclamat: « Generationem ejus quis enarrabit? » Quomodo cruciatis eum, o Judæi? quomodo tam dira patietur Christus, cujus ætas ac series ortus et vitæ est ineffabilis? Si enim eum ut Deum spectes, ejus ætas est æternitas: ab æterno enim genuit et produxit eum Pater: Patri ergo est coæternus. Sin spectes eum ut hominem, ætas ejus, qua propagatus fuit, quaque ex matre in mundum prodiit, fuit nova et admirabilis: natus enim et conceptus est in fine sæculorum ex Virgine, inoperante Spiritu Sancto. Rursum, natus univert Verbo hypostatice humanam naturam: quæ unio est insolubilis et æterna. « Quod enim Deus conjunxit, homo non separet. » Quomodo ergo « de angustia et de judicio sublatus est? » Quomodo « abscissus est de terra viventium? » Hic sensus uti communis Patrum, ita sublimior et divinius est. Quocirca Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, cap. xiii, et alibi legit, *nativitatem ejus quis enarrabit?*

Denique Rupertus per *generationem* accipit sæculum futurum, quo Christus resurgens vivit vivetque gloriosus in cœlo per omnem æternita-

tem. Hic sensus potius anagogicus est, quam literalis.

QUIA ABSCESSUS EST (instar arboris succisæ, imo eradicatæ, cui eum comparavit, vers. 2) DE TERRA VIVENTIUM. — Tò *quia*, si primum et magis secundum sensum jam datum spectes, est causale, *q. d.* Ideo Christus dabit generationem, id est sobolem numerosam et inexplicabilem, quia abscissus est de terra. Sicut enim granum mortuum fructificat, et se multiplicat, et sicut arbor succisa in plures surculos repullulat: ita Christus moriens plures Christianos ex se prosemavit. Sin tertium sensum Patrum sequaris, tò *quia* non est causale, sed exegeticum et emphaticum, significans *qui tamen*, *q. d.* Christi generatio divina et humana est æterna et ineffabilis, qui tamen succisus est: licet Christus sit æternus, tamen abscissus est de vita et terra.

« Sublata est, inquit S. Hieronymus, vita Christi de terra, ut nequaquam in terra, sed in cœlo viveret. » Sic et S. Augustinus, Origenes, et ex iis Leo Castrius, tò *abscissus est*, referunt ad resurrectionem et ascensionem Christi in cœlum. Hoc anagogicum potius est quam litterale, ut dixi.

PROPTER SCELUS POPULI MEI PERCUSSI (Judæis percutiendum objeci) EUM. — Sunt verba Patris de Christo Filio. Septuaginta vertunt: *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*. Iniquitates ergo nostræ fuerunt lictores et carnifices Christi. Nota: Septuaginta legerunt נגַע לַמּוֹת *nugga lamut*, id est *percussus* (vel נגַד *nuggad*, id est *ductus*) *est ad mortem*. Noster melius legit, נגַע לַמּוֹ *nega lamo*, id est *percussio est ei*, hoc est *percussi eum*. Pro *eum* hebraice est לַמּוֹ *lamo*, id est *eos*: quod Judæi sic intelligunt, *q. d.* Propter scelera Christianorum percussi Judæos. Putant enim Judæi se exsilium omniaque hæc tam dura et diuturna pati, ob peccata Christianorum, præsertim ob eorum odia quibus Judæos subigunt et affligunt. Unde ipsi totum hoc caput de afflictionibus, non Christi, sed Judæorum interpretantur. Judæis favet Calvinus. De quo vide nostrum Lessium in Antichristo. Merito ergo Hunnius scripsit librum hoc titulo: *Calvinus judaizans*. Verum omnia præcedentia sunt singularia, non pluralia, certamque personam, scilicet Christum, significant, non Judæos. Vide Galatinum, lib. VIII, cap. xv.

Respondeo ergo *lamo* poni pro לוֹ *lo*, id est *eum*: sic enim accipitur cap. XLIV, 15, *Psalm. xxviii*, 8, et alibi. Ita et hic accipi debere patet, tum ex Septuaginta, Chaldæo, Vatablo et aliis, qui æque ut Noster vertunt, *eum*. Unde aliqui suspicantur Judæos hunc locum corrupisse, ut pro *lo*, scripserint לַמּוֹ *lamo*. Verum etiamsi *lamo* vertamus, *eos* (non *ei*), ut vertunt S. Hieronymus, in *Comment.*, Symmachus, Theodotion et Forerius, nil hic est pro Judæis, sed contra potius. Nam sensus est, ut recte Forerius et S. Hieronymus: *Propter scelus populi mei*, id est Judæorum, quo ausi sunt manus injicere in Messiam, quem eis redempto-

rem misi, percussi eos, vel, ut hebraice est, *plaga est eis*: omnes enim plagæ Judæorum manant ex eo, quod ipsi Christum suum et nostrum occiderunt.

Vers. 9.

9. ET DABIT IMPIOS PRO SEPULTURA, ET DIVITEM PRO MORTE SUA. — *Primo*, Procopius et S. Augustinus, *homil.* 86 inter 50, tom. X, sic explicant, *q. d.* Impios, scilicet milites, dabit Pilatus ad sepulturam Christi, scilicet, pro custodia sepulcri ejus. Rursum Caiphas dabit divites, scilicet Judæos, qui suis pecuniis corrumpant milites hosce custodes, « pro morte sua, » ne scilicet fateantur eum a morte surrexisse, sed mortuum furto a discipulis esse sublatum mentiantur. Hæc enim omnia spectant passionem Christi, narrantque ea quæ Christus passus est, tam post mortem quam ante.

Secundo, Vatablus, Forerius et Pagninus ex Hebræo sic vertunt: *Dedit cum impiis sepulcrum ejus, et cum divite in mortibus ejus*, sicque explicant, *q. d.* Moriatur Christus in monte Calvariæ, ubi de impiis tantum solet sumi supplicium; at mortuus deferetur a divite Joseph in sepulcrum ejus, in quod recondetur. Verum, sic potius dicendum fuisset: *Dedit cum impiis mortem ejus, et cum divite sepulcrum ejus*: jam autem e converso sepulcrum jungit cum impiis, mortem cum divite.

Tertio, perperam vertit Marloratus: *Et exposuit impiis sepulcrum ejus, et diviti mortem ejus*, sicque exponit, *q. d.* Christum inter scelestas et sanguinarias Judæorum manus obrutus fuit, et quasi sepultus. Hæc enim manus Christum obruentes metaphorice vocantur sepulcrum. Ita ipse, ut gloriam sepulturæ Christi et Christianorum elidat. Sed frustra: patet enim de sepulcro et sepultura proprie dicta hic agi, itaque exponunt Patres et Interpretes Orthodoxi omnes.

Pro genuino sensu, nota hic esse rhythmum Hebræum, in quo posterius hemistichium idem aut pene idem dicit quod prius: ergo, « dabit impios pro sepultura, » idem est quod, « dabit divitem pro morte sua. » *Divitem* enim idem est quod *divites*, ut vertunt Septuaginta. Jam *dabit*, vel ipse Christus patiens, vel potius Deus Pater. Hic enim sicut *percussit eum*, id est percuti a Judæis permisit: sic pariter dabit et condignam hanc suæ patientiæ mercedem, puta vindictam de suis hostibus Judæis aliisque impiis, *q. d.* Deus Pater dabit hoc præmium Christo, ut regnum hostile peccati, impietatis et impiorum evertat, occidat ac secum sepeliat, eo quod ipse ab eis injuste occisus et sepultus sit. *Dabit* autem dissimiliter, ideoque dupliciter. Nam *primo*, impios manentes impios et rebelles, eo quod nolent credere et obedire Christo, dabit pro sepultura, etc., quia faciet Deus Pater ut impii et divites, quales fuerunt Judæi qui Christum occiderunt, hujus necis et mortis dent meritas pœnas, tum in excidio per Titum, tum in gehenna. Ita Eusebius, lib. III *Demonstr.* cap. II, S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Chrysostomus, Euthymius, et ex eis Leo Castrus. Hic

sensus congruit ei, quod præcessit: *Propter scelus populi mei plaga erit eis*, uti dixi esse in Hebræo.

Secundo, Deus Pater impios volentes credere et obedire Christo, dabit et subjiciet Christo, ut in eis occidat impietatem, et suscitetur justitiam ac pietatem, itaque occidet impios, transformando eos in pios. Hæc enim est summa, nobilissima et divina Christi vindicta, hocque Christus morte et sepultura sua meruit: illius enim scopus et fructus omnis fuit, ut auferatur peccatum. Rursum, divites ab opum et honorum fastu avocabit, facietque humiles et obsequentes Christo, idque *pro morte sua*, vel *ejus*, hoc est, ob meritum mortis ejus. Ita S. Hieronymus, Haymo, Dionysius, Adamus, Forerius et alii. Hunc sensum indicant Hebræa; habent enim: *Dabit impios sepulcrum ejus, q. d.* Faciet Deus Pater, ut impius et impietas cum Christo sepeliantur, omnisque improbitas in barathrum et infernum retrudatur, ut deinceps hic in terra regnet ipse, ejusque justitia et sanctitas, ut scilicet nos, oranesque Gentes peccatis et veteri vitæ mortui in novam, sanctam et Christianam vitam resurgamus. Hoc est, quod ait Paulus, *Rom. VI, 4*: « Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. » Vide ibi dicta.

ET DIVITEM PRO MORTE SUA. — *Divitem*, id est *divites*. Ita Septuaginta, et ex eis Cyrillus, Procopius, Chrysostomus, Augustinus, Tertullianus et alii. Porro S. Hieronymus per *impios* accipit Gentes infideles, ideoque *impias*: per *divites*, scilicet in fide et lege, Judæos, *q. d.* Deus utrumque populum Judæorum et Gentium Christo dabit, quasi unam ejus Ecclesiam, idque pro merito mortis suæ. Verum simpliciter quis hic possunt accipi impii, æque ac divites, puta tam ex Gentibus quam ex Judæis.

Sed cur Hebræa et Noster habent *divitem*, non *divites*? Respondeo, quia inter divites notat unum singularem, scilicet Josephum ab Arimathia, qui Christum in morte conditum aromatibus honorifice in suo sepulcro sepelivit. « Dives enim ille ab Arimathia Joseph sepelivit pauperem Christum, in quo divitias requirebat, » ait S. Augustinus, *homil.* 36 inter 50. Josephum hic notari docent cum S. Augustino Vatablus, Forerius et alii passim. Unde Pagninus vertit: *Dedit cum impiis sepulturam ejus, et cum divite inter mortuos suos*; alii: *Posuit apud impios sepulcrum ejus, et cum divite in morte sua, q. d.* Dives Joseph Christum in morte sua inter suos mortuos, id est in suo monumento, sepelivit. Hinc et Arabicus vertit: *Particeps factus est dives in sepelitione ejus, vel in linteamina sepulturæ ejus*: linteum enim solent involvi corpora sepelienda.

Forerius vero pro *במותי bemotaf*, id est *pro morte sua*, legens *במתו bamato*, id est *excelsum ejus*,

Propheta
tia de
Christi
sepul-
cro glo-
rioso.

scilicet sepulcrum, vertit: *Et dedit cum improbis cruciatus ejus, et cum divite sepulcrum ipsius: bama enim significat excelsum, sive altare, sive sepulcrum: tale autem fuit Josephi in quo sepelivit Christum, scilicet novum, in petra excisum, in monte Calvariæ excelsa, instar sacelli splendidum, amplum et magnificum: capiebat enim et Christum sepultum, et duos Angelos instar virorum, et mulieres. Prædicit ergo hic Propheta, post dolores, dives et gloriosum fore Christi sepulcrum.*

Quocirca idem Forerius, sequendo lectionem communem *bemotaf*, minus recte per *divitem* accipit Christum, vertitque, *dabit divitem in cruciatus ipsius, q. d. Deus Christum pauperem et afflictum, per suos ipsius cruciatus et mortem efficiet omnium ditissimum, bonisque omnibus, gaudiis et deliciis affluentem.*

Ita pariter Christus suis asseclis et Martyribus nobilia curavit et curat sepulcra. Ita S. Agathæ Angeli hoc in sepulcro posuerunt epitaphium in marmore incisum: « Mentem sanctam, spontaneam, Deo honorem, et patriæ liberationem, » *q. d. Agatha habuit mentem sanctam, spontanee per martyrium sese offerens Deo, dedit honorem Deo, ac Catanam liberat ab incendiis ex Ætna eructantibus, quoties ejus velum illis obtenditur, æque ac morte sua persecutionem Decii Imperatoris et Quintiani Præsidis stilit et sedavit. Plura recensui cap. xi, 10.*

PRO MORTE SUA. — Hebraice est *במותי bemotaf*, id est *in*, vel *pro mortibus ejus*, quod Judæi pro se rapiunt, *q. d. In mortibus et cædibus injustis populi ejus, puta Israelis et Judæorum. Sed respondeo esse enallagen, pro mortibus, id est pro morte ejus. Ita enim vertunt Septuaginta, ἀντὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, id est pro morte ejus. Sic et Chaldæus, et alii: unde forte legendum in Hebræo במותו bemoto, expuncta littera iod: hoc enim ad verbum est, in morte sua. Ut ut legas, patet mortem hic significari Christi, non mortes. Omnia enim præcedentia loquuntur de eodem in singulari, non in plurali.*

EO QUOD INIQUITATEM NON FECERIT, NEQUE DOLUS FUERIT IN ORE EJUS, — *q. d. Quia neque facto, neque verbo peccavit, quia fuit innocens. Hic dat causam, cur Deus tantam mercedem et vindictam Christo patienti concesserit, nimirum ejus innocentiam, sive quod tanta passus sit, cum esset plane insons et innoxius. Huc allusit S. Petrus, *epist. I, cap. II, 22, et S. Joannes, *epist. I, cap. III, 5.***

10. Et (repete, eo quod) DOMINUS VOLUIT CONTERERE EUM IN INFIRMITATE, — infirmo, affligendo et cruciando eum. Pro *conterere* hebraice est *דכאו dackeo*, id est exprimere, contundere.

Septuaginta contrarie vertunt, scilicet: *Dominus mundavit eum a plaga*, id est, ut Tertullianus legit, *eximere a morte*, suscitando eum: vel *mundare*, id est, mundum eum et innocentem ostendere, dum scilicet propter Christi necem ita puniret Judæos per Titum, inquiunt Cyrillus, Pro-

copius et Leo Castrius. Videntur Septuaginta *o dackeo* legisse *דכאו dackeo*.

SI POSUERIT PRO PECCATO ANIMAM SUAM, — id est seipsum, vel vitam suam. Hebraice est, *si posuerit אשא ascam*, id est *peccatum, animam suam. Peccatum, id est hostiam pro peccato, piaculum. Hostia enim, quæ pro peccato peccatoris efferebatur, suscipiebat in se ejus peccatum, fiebatque quasi peccatum: uti patet de hirco emissario qui efferebatur in die expiationis, *Levit. XVI, 21.**

Hunc hebraismum imitatus est Apostolus, cum ait: « Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum (id est peccati piaculum) fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, » *II Cor. V, 21.*

VIDEBIT SEMEN LONGÆVUM, — hoc est filios spirituales, puta Christianos plurimos per totum orbem: idque « longævum, » quia durabunt usque ad finem mundi, imo per omnem æternitatem. Huc allusit Christus dicens: « Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum (semen) affert, » *Joan. XII, 25. In Christo ergo moriente pro nobis, nosque ad vitam sua morte suscitante, verum est illud ænigma phœnicis (quod alii tribuunt pellicano, quem dicunt suo sanguine pullos mortuos vivificare):*

Parit dum perit:

Et:

Perit dum parit:

Vide hic obedientiæ et mortificationis, licet mortem afferentis, fecunditatem. Si obedias Deo ejusque vicariis, si Christi mortificationem in corpore et anima circumferas, ex hoc semine tolles messem vitæ æternæ: nec deerit proles in proximis, quos Deo paries, quæ te lætificet. Hoc est quod ait Christus: « Qui perdidit animam suam, in vitam æternam custodiet eam. » Ita Procopius, Eusebius, lib. III *Demonstr. cap. II. Unde S. Augustinus, lib. I De Consensu Evang. cap. XXXI, ex Septuaginta sic legit: Si dederitis vos ob delicta vestra animam vestram, videbitis semen longissimæ vitæ. Alludit ad Abrahamum qui, immolans Isaac, ex eo meruit semen numerosum et longævum. Unde et eum in parabolam accepit: Isaac enim morti destinatus, et ab ea per Angelum liberatus, itaque quasi resurgens, fuit quasi phœnix, moriendo seipsum resuscitans, hieroglyphicum resurrectionis et æternitatis, uti dixi *Hebr. XI, 19.**

VOLUNTAS DOMINI (hebraice *צפחתי chephets*, id est beneplacitum, benevolentia, consilium Domini circa hominum redemptionem et salutem, quam Septuaginta, et ex eis S. Paulus vocat *εὐδοκίαν*) IN MANU EJUS (id est per eum, puta Christum) DIRIGETUR, — hebraice *צלהו vitslach*, id est prosperabitur, feliciter cadet. Domini enim voluntas cassa esse nequit: quare per Christum curabit efficaciter omnium Gentium salutem, quam ita sitit et ardet, ut pro ea Filium unigenitum dederit in mortem, et mortem crucis. Hoc est « semen lon-

Christus
merit
executio-
nem om-
nis præ-
destina-
tionis
Dei.

grævum, » quod nominavit. Rursum, « voluntas Domini in manu ejus dirigetur, id est quidquid circa homines in vitam æternam supernaturaliter perducendos fieri constituit Deus, meritis Christi executioni mandabitur, » inquit Ludovicus Molina, I part., *Quæst.* XXIII, art. 4 et 5, disp. 2. Unde S. Hieronymus : « Voluntas, inquit, Domini in manu ejus dirigetur, ut quidquid Pater voluit, illius virtutibus impleatur; » et paulo inferius subdit : « Quia laboravit, videbit Ecclesias in toto orbe consurgere, et earum saturabitur fide; » et infra : « Vult ei Dominus ostendere lucem, ut omnes per se videat illuminatos. »

11. PRO EO QUOD LABORAVIT (clare vertit Vatablus, *ex labore*, sudore et dolore *animæ suæ*), VIDEBIT (id est percipiet fructum, quo) ET SATURABITUR, — *q. d.* Jucundissime videbit et intuebitur Christus fructum ex suo labore perceptum, videlicet tot animarum salutem et messem, eoque saturabitur. Hunc enim unum esuriit et sitiit vivens et moriens. Unde in cruce exclamavit : « Sitio. »

IN SCIENTIA SUA JUSTIFICABIT IPSE JUSTUS SERVUS MEUS MULTOS. — *Scientia* hæc dupliciter accipi potest : *primo*, active, *q. d.* Christus per suam scientiam, id est per suam doctrinam, prædicationem et Evangelium multos justificabit, id est docebit, et ostendet viam ad justitiam. *Secundo*, passive, *q. d.* Christus per sui cognitionem et fidem, non nudam, sed charitate formatam et bonis operibus instructam, justificabit multos. Ita Vatablus et Sanchez. Huc allusit S. Paulus, *Roman.* III, 26, dicens : « Ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. »

Hiscæ ergo verbis et præcedentibus, continetur pactum, seu promissio Dei ad Christum, qua pollicetur se acceptaturum ejus opera, labores, passionem et mortem, pro redemptione hominum. Unde patet Christo ex justitia debitam fuisse nostram gratiam et gloriam. Ita Franciscus Suarez, III part., *Quæst.* I, art. 2, disp. 4, sect. v.

S. Clemens, lib. III *Constit. Apost.* cap. XIX, aliter legit, nimirum : *Justificavit justum bene servientem multis.* Unde docet, ad exemplum Christi, de quo hoc dictum est, debere diaconos ministrare et servire omnibus infirmis; et diaconissas infirmis feminis, etiam cum periculo mortis.

ET INIQUITATES (pœnas iniquitatibus debitas) EORUM IPSE PORTABIT, — sicut bajulus onus et pondus alterius suis humeris bajulat. Hoc enim est סבל *sabal*. *Tb* et est causale; significat enim causam et modum justificandi Christi, scilicet quod ex parte sua portaverit ipse iniquitates nostras, merueritque nobis justitiam; ex parte vero nostra requirat fidem, qua credamus eum hoc fecisse, nosque per ejus passionem et merita justificari. Hæc est scientia sanctorum, quæ eos justificat.

Tropologice S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. XXV, ex hoc loco docet Episcopum instar Christi debere subditorum peccata sua facere, eaque portando expiare : « Vos, inquit, Episcopi (et pas-

tores), estis vestris laicis Prophetæ, principes, duces, reges, mediatores Dei et fidelium ejus, receptacula verbi Dei, et præcones ejus, cognitores Scripturarum, et Deisoni, ac testificatores voluntatis ejus, qui delicta omnium portatis, et de omnibus rationem reddituri estis, etc. Imitatores enim Christi Domini, ut, sicut ille nostra omnium peccata in ligno crucis tulit crucifixus absque ulla culpa et macula pro iis qui supplicio digni erant, sic etiam vos populi delicta vobis attribuere, et vestra ducere debeatis. Dictum est enim de Salvatore nostro apud Isaiam : Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet. Et rursus : Ipse peccata multorum tulit, et propter iniquitates multorum traditus est. »

12. ET FORTIUM DIVIDET SPOLIA. — *Primo*, « fortium, » id est dæmonum, qui sunt potestates et principes tenebrarum harum. « Spolia, » scilicet Gentes infideles et impias, Christus inter Apostolos dividet, ab eisque conversas per Ecclesias, Episcopatus et dioceses distribuet. Ita Leo Castrius.

Secundo, « fortium, » id est potentium regum, principum et Gentium, « spolia dividet, » id est eos sibi suæque fidei et obedientiæ subiget. Est catichresis a duce belli, qui parta victoria solet hostium spolia inter milites pro meritis distribuere.

Tertio, S. Cyrillus, lib. VI *Theauri*, cap. v : Christus, inquit, dividet præmia fortibus, id est Sanctis, qui fortiter pro eo, ejusque regno propagando certarunt.

Denique S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evangel.* cap. XXXI, per spolia accipit opes, quas diabolo et delubris idolorum eripuit Christus, ac fabricis ecclesiarum attribuit. Ita videmus hic Romæ Pantheon columnas, marmora et quidquid in orbe erat augustum et splendidum, a Constantino et aliis, templis SS. Petri et Pauli, et aliorum donata esse et attributa. Sane templa Romæ quæ quamplurima sunt, omnia pene sunt marmorea, itaque nitent et fulgent, ut cœli speciem referant et repræsentent.

ET CUM SCELERATIS REPUTATUS EST, — quia pendit medius inter duos latrones, quasi eorum dux et coryphæus. Ita explicat S. Marcus, cap. xv, 28. Ob hanc infamem ignominiam, Deus rependit illi hanc gloriam, ut fortium regum et principum spolia dividat. *Reputatus*, hebraice מנה *minna*, id est annumeratus est.

MULTORUM, — id est omnium. Omnes enim sunt multi.

ET PRO TRANSGRESSORIBUS ROGAVIT, — tum alias, tum clamans in cruce : « Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. » Pro *rogavit* hebraice est, יאפגיא *iaphgia*, id est occurrit iræ Dei, intercessit. Ita Forerius et Vatablus.

Hæc clausula obsignat totum hoc passionis Christi mysterium insigni et admirabili ejus charitate, qua sui suorumque dolorum, quasi oblitus, pro suis carnificibus et crucifixoribus oravit, atque orando, centurioni et aliis veniam, fidem, gra-

tiam, et salutem impetravit. Docuit hic Christus nos in bono vincere malum, diligere inimicos, certare beneficiis cum maleficiis; itaque ea superare et obruere, ut ex inimicis faciamus amicos Dei et nostros. Quæ charitatis vindicta, mundo paradoxa, gloriosa est et divina.

Gentilium
dogma,
ulciscen-
das esse
injurias.

Damnabit ergo hic Christus Philosophos, qui injuriarum ultionem permittunt aut suadent. Aristoteles enim, lib. IV *Ethic.* cap. III, docet: « Arbitrium alterius sequi, » ac consequenter perferre injuriam, esse servile, atque magnanimum non tolerare contumeliam ab hoste illatam, sed eam maledicto ulcisci. Severi vox est apud Herodotum, lib. III: « Uti si auctor sis injuriæ, injustus videri: ita si non ulciscaris injurias acceptas, ignavus. » Magis impium et antichristianum dogma est Mahometis in *Alcorano*: « Adeo non malefacit is qui odit inimicum, ut qui eum interficit, is ob id ipsum donandus sit paradisi deliciis. » Vespasianus, apud Suetonium in Vita ejus, cap. IX, ait: « Non oportere maledici senatoribus, remaledici civile fasque esse. » Et Cicero, lib. I *Officiorum*, ait: « Virum bonum esse, qui prosit quibus possit, nemini noceat, nisi lacessitus injuria. » Quod dictum Ciceronis merito reprehendit Lactantius, lib. VI, cap. XVIII, et Plutarchus, lib. *De Utilitate ab inimicis capienda*, ubi docet etiam adversarios et inimicos diligendos esse. Plato, dialogo I *De Republica*, refutat eos qui dicunt vindictam esse licitam. Et dialogo *Crito* ait: « Quoniam mala facere, non est aliud quam injuriam inferre, non oportet alicui mala facere, etiamsi innumerabilia ab ipso perpressus sis. » Xenophon, lib. II *Cyri pædiæ*: « Natura, ait, canibus, lupis, apris dentes, equis calces, tauris cornua, alia aliis concessit. Homini autem nulla arma præter rationem dedit, qua se defendat, et repellat injurias. » Aris-

tippo nescio quid offensionis cum Æschine inciderat; unde ei quidam ingessit: « Ubi nunc est amicitia vestra? » Cui ille: « Dormit, inquit, sed ego suscitabo eam; » adiitque Æschinem, eique dixit: « Adeone tibi videor infelix et insanabilis, ut ne moneri quidem merear abs te? » Cui Æschines: « Non mirum, ait, si cum in omnibus me præcellas ingenio, hic quoque prior videris, quid esset factu opus. » Testis est Epictetus, *Enchirid.* cap. XLVIII, vel, ut alii habent, cap. XLIV. Verum hi nihili sunt, si cum Paulis, Stephanis, Ignatiis aliisque Christianis athleticis conferantur.

Denique hinc infert S. Bernardus, serm. *Feræ 4 Hebdomadæ pænosæ*: « Proinde memor ero, quamdiu fuero, laborum illorum, quos pertulit (Christus) in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clamorum horumque similium, quæ per eum, et super eum abundantius transierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo: sed si accesserit etiam imitatio ut sequar vestigia ejus, alioquin etiam exquiretur a me sanguis justus qui effusus est super terram. » Et S. Augustinus, lib. *De Virgin.*: « Inspice, inquit, vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. » Eadem pene ad verbum habet S. Bernardus, serm. 31 *De Passione Domini*, super illud: « Ego sum vitis vera, » eaque transcripsit ex S. Augustino, uti ibidem notatur in margine.

CAPUT QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eccitat Ecclesiam primitivam pusillam ad laudem et jubitum, promittens ei, antea sterili, numerosam et gloriosam prolem, eo quod Deus ejus derelictæ et repudiatæ miserebitur, eamque rursus sibi conjugio copulabit. Unde, vers. 8, novum et perenne fœdus cum ea init, illudque juramento firmat, quo promittit ei opes solidas, consolationem, splendorem et gloriam, asseritque quod fundabit eam in sapphiris aliisque gemmis, quodque omnes ejus filii erunt docti a Domino, et plena pace fruuntur. Tertio, vers. 14, ait quod fundabit eam in justitia, atque ab omni calumniâ et fraude, æque ac vi et hoste eam tutabitur.

1. Lauda, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus. 2. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. 3. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis: et semen tuum Gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit. 4. Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et oppro-

brii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. 5. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus : et redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. 6. Quia ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam, dixit Deus tuus. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. 8. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui : dixit redemptor tuus Dominus. 9. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram : sic juravi ut non irascar tibi, et non increpem te. 10. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet a te, et fœdus pacis meæ non movebitur : dixit miserator tuus Dominus. 11. Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, 12. et ponam jaspidem propugnacula tua : et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles : 13. Universos filios tuos doctos a Domino ; et multitudinem pacis filiis tuis. 14. Et in justitia fundaberis : recede procul a calumnia, quia non timebis ; et a pavore, quia non appropinquabit tibi. 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi. 16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum, et ego creavi interfectorem ad disperdendum. 17. Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur : et omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Hæc est hæreditas servorum Domini, et justitia eorum apud me, dicit Dominus (1).

1. LAUDA, STERILIS, QUÆ NON PARIS. — S. Thomas et Hugo accipiunt de Jerusalem terrena, id est de Judæis in Babylone captivis : illis enim promitti reditum, rerum copiam et copiosam prolem. Judæi post Christum hæc eadem ex hoc loco sibi promittunt in adventu sui Messiae. *Secundo*, Chilistæ et Millenarii, quorum parens fuit Papias discipulus S. Joannis, hæc accipiunt de mille annis felicitatis, quibus ipsi putant Sanctos post diem judicii regnuros cum Christo hic in terra, omnibusque ejus deliciis fruituros, uti testatur S. Hieronymus. *Tertio*, Forerius censet hic agi de Jerusalem cœlesti ex Apostolo, *Galat. iv, 26*, ubi ait quod Jerusalem cœlestis sit mater nostra, quam S. Joannes, *Apoc. xxi, 2*, vocat civitatem novam de cœlo descendentem, in qua omnia sunt cœlestia, muri, domus, cives, ritus, leges, mores, sicut rex ipse cœlestis est, qui de cœlo descendit et regnum cœli in terra fundavit, et ex terra et cœlo unum regnum effecit. Hoc anagogice verum est, non litteraliter, nisi quatenus Ecclesia militans a Joanne, *Apoc. xxi*, et aliis vocatur Jerusalem cœlestis ob causam a Forerio jam dictam.

Quocirca dico, ad litteram Isaiam hic alloqui Ecclesiam Christi, tum ex Judæis, tum potius ex Gentibus congregandam. Hæc enim initio exigua erat, et quasi sterilis respectu Synagogæ. Rursum

(1) Sunt etiam fructus passionis et mortis Christi in Ecclesiam dimanantes, ut diximus in analysi cap. *LIII*; quæ quidem,

Primo, excitatur ad lætitiã, et amplificandum cœtum pro gentibus recipiendis, 1-3;

Secundo, reducitur a statu pristinae tenuitatis et orbitatis ad sortem ampliorem, Deo repudiatam revocante, vers. 4-6;

Gentilitas ante Christum sterilis erat, et deserta a Deo, fide, gratia, filiis, fidelibus et sanctis; sed per Christum, hisce omnibus fecundata est magis quam Synagoga, quæ jam diu habuerat virum, scilicet Deum. Ita hunc locum explicat Apostolus, *Galat. iv, 27*. Vide ibi dicta.

Nota : Propheta hic explicat semen illud longævum natum ex grano mortificato, id est ex Christo crucifixo, de quo egit cap. præced. vers. 10. Ita S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evangel.* cap. *xiii*.

Pulchre S. Ambrosius, libro *De Virginitibus* : « Sancta, ait, Ecclesia immaculata coitu, fecunda partu, virgo est castitate, mater est prole. Nutrit vos virgo non corporis lacte, sed lacte Apostolorum. Virgo est Sacramentis, et virtutibus; mater est populis, cujus fecunditatem Scriptura testatur, quoniam plures filii desertæ, quam ejus quæ habet virum. Nostra virum non habet, sponsum habet. Habet sponsum sanæ doctrinæ; Verbo, sine ullo flexu pudoris, quasi sponso innubit æterno.

HINNI, QUÆ NON PARIEBAS, — *q. d.* Gaude ad similitudinem hinnientis equæ, cum equo ac suæ proli et equulo adhinnit, præsertim parta aliqua victoria. Ita S. Hieronymus. Est catachresis. Hinnitus enim equæ hilaritatem, profusam lætitiã, jubilum et triumphum Ecclesiæ significat.

Tertio, confirmatur juramento de repudiatione non amplius iteranda, 7-10;

Quarto, præmonetur de stabilitate et ornatu per charismatum abundantiam, de pace conscientie et integritate famæ per scientie et justitiæ dona, de incremento et copia per gentium conversionem accessuris, 11-15;

Quinto, instruitur de conatu hostium, manu et lingua adversantium incassum cesso, 16, 17.

MULTI FILII DESERTÆ, — *q. d.* Ecclesia plures dabit filios Deo quam Synagoga. Alludit ad Saram et Agar; Sara enim Ecclesiæ, Agar Synagogæ fuit typus. Dicitur Sara *deserta*, quia cum videret ex se non esse spem prolis, pro se ancillam suam Agar viro substituit; unde ipsa copula viri abstinent, ut patet *Genes. xv, 3*, ab eo videbatur *deserta*.

DILATA LOCUM TENTORII TUI. — Notat S. Hieronymus in voce tentorii ac tabernaculi, alludi ad tabernaculum Mosis factum in Sina. Hoc enim quasi mobile Dei templum, erat typus Ecclesiæ et templorum Christi. *Secundo*, fideles habitantes in Ecclesia terrestri, non habere hic firmam domum, sed quasi hospites et viatores degere in ea, quasi in tabernaculo; ac tendere ad domum æternam paratam in cœlis. Ecclesia ergo hic tota habitat in tabernaculis, quasi advena, et transiens in cœlum, quasi domum et sedem suam.

NE PARCAS (labori aut sumptui, sed omni studio et sumptu) LONGOS FAC FUNICULOS TUOS (ut tam numerosam sobolem tibi obventuram tabernaculo tuo excipias, *q. d.* Tot succrescent tibi filii fideles, ut locum et templa ad eos congregandos dilatare et ampliare, ac plura ædificare debeas). **CLAVOS TUOS CONSOLIDA** — Quia usque ad finem mundi, imo in æternum duratura es. Hi enim imperativi, *fac, consolida*, significant futurum, Deum scilicet dilataturum per omnes gentes et provincias, et solidaturum Ecclesiam in perpetuum, cum Synagogam sola Judæa concluderit, et post modicum tempus abstulerit et abrogarit. Hoc est enim quod de ea ait Jeremias, *Thren. II, 6*: « Dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. »

3. AD DEXTERAM ENIM ET AD LÆVAM (ad Orientem et ad Occidentem, id est quaquaversum per omnes mundi plagas) **PENETRABIS**. — Hebraice *תִּפְרוֹסִי* *tiphrotsi*, id est irrumpes, perrumpes, vi, zelo et multitudine tuorum filiorum instar militum, qui in quasvis hostium regiones, etiam munitissimas irrumpunt, aut instar seminis, vel arboris et radicis, v. g. palmæ, quæ quaquaversum sese potenter diffundit et radicat, ideoque tantumdem pariter sursum exerescit et diffundit, atque firma et immota consistit.

ET SEMEN TUUM (filii tui, puta Apostoli et viri Apostolici, aliique fideles) GENTES HÆREDITABIT. — Gentes subiget et possidebit, firmiter et secure instar hæreditatis. Alludit ad illud quod Deus Abrahamæ promisit, *Genes. xxii, 17*: « Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. » Hoc enim semen carnale Abrahamæ fuit typus hujus seminis spiritualis Christi et Ecclesiæ.

ET CIVITATES DESERTAS, — a Deo, fide, lege, gratia et salute, quales olim fuerunt omnes extra Judæam, et nunc sunt in India, Japonia, Mexico, etc., quas quotidie fide Christi magis magisque illustrari, et fidelibus augeri audimus et gaudemus.

INHABITABIT. — Tum quia viri Apostolici ibi do-

mos, templa et aras figent; tum quia incolæ ab eis convertentur, fientque Christiani, et semen, id est filii, Ecclesiæ, *q. d.* Prædicatione filiorum tuorum, o Ecclesia! filios, id est Gentes fideles, habebis in urbibus desertis, hoc est infidelibus. Ita Vatablus.

4. QUIA CONFUSIONIS ADOLESCENTIÆ TUE OBLIVISCE- Vers. 4.
RIS, ET OPPROBRII VIDUITATIS TUE NON RECORDABERIS. — Ecclesia constat Judæis et Gentibus. Judæorum *adolescencia* fuit tempore Mosis, sub quo cœpit et crevit Synagoga. *Confusio* fuit adoratio vituli aurei, aliaque eorum scelera tum in Ægypto, tum in deserto. *Viduitas* fuit in captivitate Babylonica, de qua dicitur *Threnor. I, 1*: « Facta est quasi vidua domina Gentium. » Gentium vero *adolescencia* fuit secunda ætas mundi, scilicet quæ fuit paulo post Noe, imo sub Noe (unde et ejus meminit vers. 9), tempore Abrahamæ (Noe enim vidit Abraham), et deinceps. In Noe enim pactum iniit Deus cum omnibus Gentibus, *Genes. ix, 9*; sed paulo post Gentes a Deo defluerunt ad idola, et ex omnibus unum Abraham cum sua familia elegit sibi Deus in populum. Nam Noe mortuus est, cum Abraham esset quinquaginta annorum, cumque mundus idololatria et impietate esset plenus. Unde Deus ex ea ad sui cultum evocavit Abrahamum, cum ipse 75 esset annorum. Quocirca pro *adolescencia* hebraice est *עלמים* *alumim*, id est *absconsionum*, quia *עלמה* *alma*, est adolescentula innupta et virgo, a viro domi abscondita. Sic et Gentilitas infidelis quasi innupta, a Deo se abscondebat, et latebras quærebat, in quibus suas superstitiones, sordes et scelera tegetet et absconderet. Totum ergo Gentilitatis tempus ante Christum vocatur *adolescencia*, sive *virginitas* et *absconsio*, quia ipsa respectu Dei Ecclesiæ sponsi, erat quasi puella vaga et innupta (sic enim *adolescentes* vocamus eos qui non sunt conjugati, etiamsi sint grandævi), et quia ipsa in tenebris infidelitatis et pudendorum criminum se abdebat et abscondebat.

Secundo, hoc idem est tempus *viduitatis* Gentium. Populus enim Gentium statim in *adolescencia*, id est statim post ortum sui in Noe, factus est *viduus*, id est sine Deo, et defluxit ad idola et vitia. Si ergo spectes eum, uti in Noe parente suo copulatus fuerat Deo, factus est *viduus*: sin species eum, ut a fide Noe descivit, utque quasi alius cœpit esse gentilismi populus, fuit ipse quasi *adolescentulus* *innuptus* et *virgo*. Ab ortu ergo gentilismi Gentilitas sive populus Gentium, fuit *virgo*. Porro hoc tempus vocat *opprobrium viduitatis*, tum quia in illo, ob scelera, a Deo desertus, et instar *viduæ derelictus* fuit Gentium populus; unde vers. 6, vocat eum « uxorem abjectam, » i. e. repudiatam, tum quia filiorum spiritualium, i. e. fidelium, erat sterilis. Sterilitas enim apud Judæos et Gentes erat probrum: *Opprobrium* ergo *viduitatis* est opprobrium sterilitatis. Significat itaque Propheta, quod Christus Gentilitatem ita derelictam,

Adolescentia et viduitas Gentium quæ et quando?

ecclesia habitat hic in tabernaculis quasi hospes.

et ab adolescentia a Deo abjectam, ac repudiatam, ad se vocarit, sibi que quasi sponsam copularit, ac generosa sobole fecundam effecerit. Ita ut ipsa jam felix, læta et gloriosa, prioris sterilitatis et opprobrii prorsus obliviscatur. Ita Forerius, Sanchez et alii.

5. QUIA DOMINABITUR TUI QUI FECIT TE, DOMINUS EXERCITUM NOMEN EJUS. — « Dominabitur, » id est maritabit te, te quasi uxorem matrimonio sibi copulabit, ille ipse, qui est Dominus exercituum et Dominus universæ terræ, quam proinde tibi æque ac sibi subjiciet; te, inquam, quæ eras innupta, vidua et derelicta. Agitur enim hic de matrimonio Dei et Christi cum Ecclesia, et hoc significat Hebræum *בַּעַל* *baal*, scilicet tam maritum quam dominum; maritus enim est quasi dominus uxoris suæ. Unde Vatablus et Forerius vertunt: *Quia maritus tuus erit qui fecit te, Jehova sabaoth nomen ejus.* Ita Sara Abraham maritum vocat dominum, Gen. XVIII, 12. Sic S. Natalia, uxor S. Adriani Martyris, eum dominum vocabat, ut patet ex ejus Vita. Nam lex naturæ est, quam feminæ sancit Deus, Genes. III, 16: « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. » Unde S. Augustinus asserit et citatur in cap. *Caput*, in fine XXXIII, *Quæst. V.* « Feminas viris suis servire communi lege naturæ. » Et Apostolus, I Cor. XI, 3: « Omnis, ait, viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus. » Et Aristoteles, lib. II *Œcon.* cap. I: « Existimare, ait, debet mulier vere composita, mores viri esse legem vitæ suæ impositam sibi a Deo. » Et Pittacus unus ex septem sapientibus Græciæ: *γυναῖκος ἀρχη*, id est « dominare uxori. » Quin et maritum cum propinquis, apud priscos Romanos, fuisse judicem uxoris, cum illa famæ aut capitis rea ageretur, docet illa lex Romuli apud Suetonium in *Tiberio*, cap. XV: « Adulterii convictam vir et cognati, uti volunt, necant. » Quocirca S. Ignatius ad Antiochenses: « Mulieres, ait, honorificent viros suos, et non audeant eos proprio nomine vocare, » sed communi, dicendo, « domine mi, » uti Bethsabee David maritum, dominum vocat, et se ancillam ejus, III Reg. I, 17.

6. QUIA UT MULIEREM DERELICTAM. — Tò quia dat causam, cur vers. præced. dixerit: « Redemptor tuus sanctus Israel, » id est Israelis, q. d. Deus redimet te, quia tu eras ut mulier derelicta et repudiata, ideoque mœrens, et afflicta et miserabilis; ab hoc opprobrio et ærumna Deus redimet et liberabit te, assumendo te in connubium et tori sociam; quia ipse tam misericors est, quam tu misera, imo est ipsa misericordia. Hoc est quod ait S. Leo, serm. 2 *De Nativ.*: « Deus omnipotens et clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinavit Christum in carne venturum, qui natus ex Virgine, violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret, » etc.

UXOREM AB ADOLESCENTIA ABJECTAM, — id est repudiatam: hinc eam vocavit paulo ante adolescentulam innuptam et viduam, quia repudiata est quasi innupta et vidua; licet enim habuerit maritum, tamen ab eo statim rejecta, eum habere desinit, quod perinde est, ac si nunquam habuisset. Unde vocatur virgo, æque ac vidua. Virgo, quia vix copulata marito; vidua, quia mox ab eo fuit repudiata. Hoc est quod ait Paulus *Ephes. II, 12*: « Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. »

7. AD PUNCTUM IN MODICO DERELIQUI TE, ET IN MISERATIONIBUS MAGNIS CONGREGABO TE. — Nota hic *punctum* vocari tempus bis mille annorum, quod fuit ab Abrahamo usque ad Christum, quo Gentilitas a Deo fuit derelicta et repudiata; quia respectu æternitatis, qua deinceps Deo conjuncta est, factaque æterna ejus uxor, prius tempus est instar puncti, inquit S. Hieronymus. Frustra ergo Judæi Christo objiciunt *ad punctum*. Nam pariter ipsi cum hæc referunt ad suum Messiam, quem ipsi jam a 1600 annis frustra expectant, nobis objicientibus *ad punctum*, respondent 1600 annos esse punctum, respectu æternitatis. Itaque hic ipsi sibi cornicum oculos configunt.

Tropologice S. Ambrosius, q. d. Ad punctum in hac vita te tentationibus quasi dereliqui, ut æterna corona te afficerem. Unde huc alluisse videtur S. Petrus, *epist. I, cap. I, vers. 6*, cum ait: « In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus; » et S. Paulus, II Cor. IV, 17: « Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. » Hæ sunt enim miserationes Domini, ut ait hic Isaias, tantæ et tam magnæ, ut obruant omne præteritum ærumnarum tempus, ut illud videatur fuisse instar puncti et momenti. Unde mox aliis verbis idem explicans et inculcans, subdit:

8. IN MOMENTO INDIGNATIONIS ABSCONDI FACIEM MEAM PARUMPER A TE, ET IN MISERICORDIA SEMPITERNA MISERTUS SUM TUI. — Nota: *Absconso*, vel aversio faciei Dei, in Scriptura significat et reipsa adducit omne malum, sicut illuminatio vel ostensio vultus ejus, omne bonum. Sicut enim sole absente, vel ob nebulas se abscondente, omnia occupant tenebræ (nam « sol mundi est oculus, per quem videt omnia tellus »); at eo redeunte et se ostendente, omnia apparent lucida, læta et vivida: ita multo magis se res habet in Deo, qui increatus est et immensus orbis sol. Hujus solis deliquium inducunt nebulæ, id est peccata nostra, quæ chaos magnum et nubilum inter nos et Deum efficiunt. Ipse enim ex se est lux, perennes emittens radios, quibus « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; » nos ergo nebula peccatorum nobis illum obtegimus et arcemus, quam ut depelleret, descendit ad nos Christus: ergo factus

Deus est
orbis sol.
que
abscon-
dunt ne-
bulæ pec-
cati.

Maritus
est baal,
id est
dominus,
uxoris,
cur?

homo eam depulit, fecitque ut in luce degamus. Quocirca « sicut in die honeste ambulemus, » inquit Forerius.

Pro *miseriordia* hebraice est **חסד** *chesed*, id est pietas, puta affectus ille tener, benignus et beneficus, quo parentes naturaliter amant proles, quasi viscera sua. Huc allusit S. Paulus *ad Titum*, III, 4: « Cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. » Misericordiam hanc vocat *sempiternam*, quia affectum hunc non mutabit aut revocabit Deus, ut Ecclesiam repudiet, aut illi aliam substituatur, uti fecit Synagogæ: sed in æternum Ecclesiam quasi sponsam habebit, amabit et proteget. Unde sequitur:

9. SICUT IN DIEBUS NOE ISTUD MIHI EST, — *q. d.* Istud meum juramentum et pactum, quod per Christum sanciam cum Gentibus et cum Ecclesia, erit firmum et æternum, sicut pactum initum cum Noe de inhibendo deinceps diluvio, firmum fuit et æternum. Legit Noster **במי ביום** *bime*, id est *in diebus*; jam legunt **כימי** *kime*, id est *quia aquæ*. Unde vertunt, *aquæ Noe hoc mihi erit, q. d.* Videor mihi esse in diebus aquarum Noe, aut ira mea erit instar diluvii, quod accidit tempore Noe, inquit Vatablus. Sicut enim ira Dei peccata mundi sub Noe diluvio obruit, ita et Gentiles omnes perdidit et damnavit per Christum. Rursum, sicut Deus juravit Noe se non amplius perditurum homines diluvio: ita juravit Christo se non amplius perditurum Ecclesiam ex Gentibus collectam. Noe et diluvii meminit, *primo*, quia in Noe cœpit renovatio tam generis humani, quam Ecclesiæ quam tunc Deus sibi despondit: sed mox ea ad idola et vitia apostatante, eam repudiavit usque ad Christum, quando repudiatam sibi reconciliavit, et novo conjugio astrinxit. Quod ergo cœpit Deus facere Ecclesiæ tempore Noe, hoc restauravit et perfecit tempore Christi.

Secundo, quia Noe, reparator generis humani, typus fuit Christi redemptoris; aqua diluvii, baptismatis; arca, Ecclesiæ; iris, crucis Christi. Hæc enim Deum iratum placat. Ita S. Justinus, *Contra Tryphon*; imo S. Petrus, *epist. I, cap. III, vers. 20 et 21*. Vide dicta *Genes. IX, 13*.

UT NON IRASCAR TIBI, ET NON INCREPEM TE, — ut scilicet iratus non perdam te, sicut perdidit orbem diluvio, et Judæos excidio. Per iram et increpationem ergo intelligit excidium, aut repudium: alioqui enim Deus irascitur Ecclesiæ, cum eam punit, non ut perdat, sed ut purificet, *q. d.* Faciam ut, sicut aquæ Noe non ultra operuerunt, nec operient terram; sic nec scelerum inundatio (hanc enim significabat diluvium) eamdem obruat, neque mundus iterum ad idola et vitia pristina relabatur; sed ea exsiccet et auferat Christus: quo fiet ut amplius non irascar tibi, o Ecclesia! nec increpem te, scilicet per diluvium aut excidium te perdendo: jactaberis quidem, uti arca Noe,

aquis, id est persecutionibus, sed iis non obrueris.

10. MONTES ENIM COMMOTEBUNTUR, — *q. d.* Citius montes e loco suo transferentur, quam ego desinam tui misereri: aut, esto montes commoveantur, ego tamen non commovebor, non mutabo sententiam, misericordiam, quam tibi promisi tum hic, tum *Jerem. XXXI, 31*, non revocabo. Ita S. Hieronymus.

11. PAUPERCUA, TEMPESTATE CONVULSA. — Hebraice **סוּרָא** *soara*, horribiliter agitata, jactata et prostrata. Est enim *Hophal*, quod significat passionem validam et efficacem, respondentem actioni et jactationi efficaci *Hiphil*. Talis erat Ecclesia ante Christum deserta a Deo; per Christum vero ex paupercula facta est dives et splendida, ex convulsa solida, ex consolationis inope, ea abundans. Hoc enim est quod subdit:

ECCE EGO STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TUOS. — Chaldæus, Vatablus, Forerius et alii vertunt, *sternam in stibio lapides tuos*, id est instar stibii, puta, instar mulieris ornatae, quæ oculos depingit stibio, lapides tuos sculpam, iisque ornabo te, ait S. Hieronymus. Hebraice enim **פּוּחַ** *puch* idem est, quod Latinum *fucus*, puta stibium. Stibium enim est fossile subnigrum instar marmoris, teste Dioscoride, lib. V, cap. LIX, *q. d.* Sternam pavimentum tuum marmore colorato et fulgido, instar stibii, vel, ut vult Forerius, ipsomet stibio. *Secundo*, melius Septuaginta *puch* transferunt, *carbunculum*; hic enim est coloris stibii, ut *puch* idem sit quod affine ei *nophach*. Hinc ipsi vertunt: *Ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum*. Unde et Rabbinii vertunt: *Quiescere faciam in carbunculo lapides tuos*, id est substernam lapides ædificii tui carbunculos et sapphiros, *q. d.* Fundamentum tuum erit e carbunculis et sapphiris splendidum et pretiosum. Possumus enim utrosque hosce lapides, et utrumque verbum, scilicet, « sternam et fundabo, » ad fundamenta referre. Jam Forerius per fundamenta accipit pavimenta: nam fundamentum etiam dicitur, quod est in superficie terræ; tumque juxta Septuaginta, qui vertunt, *præparabo*, vel *sternam, carbunculum lapides tuos*, sensus erit, *q. d.* Lapides, quibus sternam pavimentum tuum, erunt carbunculi. Solent enim reges et principes pavimenta cubiculorum vel domorum pretioso lapide, ut marmore, insternere: quin et Plinius, lib. XXXVII, narrat Neronis cubacula unionibus fuisse instrata: sed hæc nimis et insolitæ fuerunt Neronis lautitiæ. Unde et Martialis, similem subannans, ait:

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx:

Simili modo Romæ pavimenta templorum, ut S. Petri, S. Pauli, S. Cæcilie, et aliorum plurimorum, pretioso et fulgido marmore, alabastro, Pario, etc., strata conspiciamus. Significat ergo Propheta Ecclesiam hæc regum ornamenta, puta sapphiros, jaspides, etc., sibi vindicaturam; sed ita ut ea quæ ipsi in annulis et digitis quasi pretiosa

Vers. 9.

Vers. 10.

Vers. 11.

Noe ty-
pus
Christi.

gestant, ipsa quasi vilia et exigua sibi substernat et pedibus calcet. Hic sensus congruit Latino, *sternam*.

Verum planius ex Hebræo מרביץ *marbits*, id est quiescere vel jacere faciam, fundamentum accipias proprie : nam in eo jacent et quiescunt alii lapides. Fundamentum ergo accipe, quod supra terram exstat, in quo ponuntur aliquot ordines lapidum sectorum atque politorum ad elegantiam. Nota : Hic et alibi describitur fabrica Ecclesiæ, quasi regię, sive basilicę pulcherrimę et pretiosissimę, adeo ut fundamenta ejus sint e carbunculis atque sapphiris; propugnacula, ex jaspide; portę, ex lapide sculpto, ac reliqua proportionally sint e lapidibus pulchris et pretiosis. Quę omnia symbolice significant, pulcherrima, pretiosissima et solidissima fore charismata Spiritus Sancti, virtutes et sacramenta, quę ei communicabit, quibusque eam instituet et ædificabit Christus. Rursum significat Apostolos, virosque Apostolicos, Sanctosque illustres, qui Ecclesiam vel fundarunt, vel propugnarunt, vel propagarunt; evexerunt et ornarunt. Hi enim carbunculi fuerunt per charitatem; sapphiri, ob cęlestem vitam; jaspides, ob fortitudinem fidei, etc. Hęc enim sunt opes Ecclesię, spirituales scilicet potius quam temporales, quibus omnes regum opes excedit. Unde huc alludens S. Paulus, *Ephes. II, 19*, ait : « Estis cives sanctorum, et domestici Dei : superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. » Apostolis enim quasi carbunculis, sapphiris, etc., alii fideles et justı, quasi lapides, licet minus pretiosi tamen, inædificati sunt. Et Christus : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Hinc et Zacharias, *cap. IX, vers. 16*, juxta Septuaginta ait : *Lapides sancti voluntur super terram*. Quinimo S. Joannes, *Apoc. XXI, 19*, fundamenta civitatis sanctę, id est Ecclesię, asserit esse duodecim lapides pretiosos, eosque duodecim Apostolos denotare asseverat. Ita Cyrillus, Procopius et S. Hieronymus.

Audi S. Hieronymum : « Carbunculus qui paratur, sive per ordinem sternitur, videtur mihi ignitus sermo doctrinę : qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium. Hic est, quem unus de Seraphim tulit forcipe comprehensum, ad Isaię labia purganda, etc. Porro sapphirus, qui ponitur in fundamentis, cęli habet similitudinem et superioris aeris : qui talis est, ut possit Aristophanicum dicere cum Socrate : ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, id est scando aerem, solemque despicio. Sive cum Paulo Apostolo : Nostra autem conversatio in cęlis est. Ezechielis quoque Scriptura commemorat, quod locus in quo thronus Dei sit, sapphiri habeat similitudinem, et gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercęlestis. Sed et propugnacula urbis Dominicę, hoc est murorum mœnia, jaspide roborantur : qui possunt omnem

altitudinem elevantem se contra scientiam Dei destruere atque convincere, et mendacium subjicere veritati. Qui ergo in disputando fortissimus est, et sanctorum Scripturarum testimoniis roboratus, iste propugnaculum Ecclesię est. »

Sic sapphirus est qui mente in cęlis versatur, quique aureis punctis, id est radiis charitatis, coluget, et qui scalpi non potest, id est infractus et invictus est. Vide ea quę dixi de sapphiro, *Exod. cap. XXIV, 10*, et *Exod. XXVIII, 18*.

Sapphirus, quorum mens est in cęlis.

Denique S. Cyrillus per carbunculum accipit Christum, quia, inquit, « qui in Christum crediderit, non pudebit, » quod sic probat et explicat : Fideles cum sanguine Christi valde rubeant, quantumcumque opprobriis et injuriis appetantur, non possunt amplius rubore suffundi, ut confusionem prę se ferant; quia jam per Christi imitationem omnem confusionis ruborem induerunt : sicut is qui maxime natura est rubicundus, non potest amplius rubore suffundi. Hoc pium est, sed mysticum.

12. ET PONAM JASPIDEM (Symmachus solus vertit; *carchedonium*, ait S. Hieronymus) PROPUGNACULA TUA. — Forerius vertit : *Et ponam gagatem fenestras tuas*; Vatablus : *Fenestras tuas e crystallo faciam*. Verum Septuaginta vertunt, uti et Noster. Hebræum enim שמשותף *scimschotatich*, id est solaria, a שמש *scemes*, id est sol, deducitur, neque tam fenestras, quod solis radios admittunt, quam propugnacula significat orbicularia, excelsa et radiis solis collucentia, quę eminus radiantia conspiciuntur, ut videantur esse soles quidam terrestres : unde solaria vocantur. « Jaspidium, inquit S. Hieronymus multa sunt genera; alius enim est smaragdi habens similitudinem, qui reperitur in fontibus Thermooontis fluminis, et vocatur Grammatias, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, et tinctus quasi floribus; hunc in Phrygię monte Ida, et in profundissimis specubus ejus nasci referunt, etc. Est et alius jaspis nivi et spumę marinorum fluctuum similis, et clementer quasi mixto cruore subrutilans. Hoc diximus, ut universas gratias spirituales in Ecclesię propugnaculis cognoscamus; quas qui habuerit vanos timores fugat, et potest cum sponsa dicere : Fratruelis meus candidus et rubicundus. »

Symbolice S. Hieronymus : « Quatuor, ait, ordines lapidum Rationali intexti erant, *Exodi cap. XXVIII, 17*. Ordo primus habuit sardium, topazium, smaragdum : ordo secundus carbunculum, sapphirum, jaspidem. In quo notandum est, quod ordo secundus lapidum etiam hic ponitur; necdum enim perfecta retinemus, nec ad prima pervenimus.

ET PORTAS TUAS IN LAPIDES SCULPTOS. — Est hypallage, *q. d.* Ponam lapides sculptos in portis tuis : sive faciam portas tuas e lapidibus sculptis. Recte vertit, « sculptos, » hoc enim est Hebræum עֲדָכַח *eadach*, per *daleth*; unde Symmachus et

Theodotion vertunt γλυφῆς, id est *sculpturæ*; Aquila, τρυπανίσμου, « quod verbum foratarum cælatarumque gemmarum sensum sonat, » ait S. Hieronymus, in quibus imagines aut emblemata incisa sunt. Ita vita sacerdotis polita et sculpta esse debet, ut in ea quasi expressa videatur vita Christi et Apostolorum. Sacerdos enim est porta Ecclesiæ.

Verum Septuaginta, Forerius et alii pro *redach* legunt קרקא *ecrach*, per *rech*, vertuntque *crystallum*; a radice enim קרח *carach*, id est *decalvavit*, deducitur, diciturque קרח *kerach*, id est *gelu*, eo quod decalvet et quasi lugere faciat folia arborum, et gramina terræ. Inde *kerach* significat *crystallum*, quæ pellucet ut gelu, imo fit ex gelu, sive humore concreto et conglaciato, si credimus Plinio, lib. XXXVII, cap. n, Senecæ et aliis, quin et S. Hieronymo, qui ait: « Vehementissimis Alpium frigoribus, et inaccessis soli speluncis concrecere aquæ dicuntur in crystallum, et tactu quidem lapidem, visu aquam esse. Per quæ ostenditur eos, qui in foribus Ecclesiæ sunt, nulla debere sorde maculari, sed fidei esse purissimæ, et dicere cum Propheta: A mandatis tuis intellexi. Et illud audire: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Crystallus ergo significat quam virtutibus splendere et candidare debeat sacerdos, qui quasi porta alios in Ecclesiam inducit et intromittit. Rursum, quam debeat esse humilis æque ac constans, naturamque gratia superans. Crystallus enim ex aqua in lapidem concrecit et durescit. Ita et sacerdos a natura molli et fluida in robur Spiritus per gratiam durescat oportet.

ET OMNES TERMINOS TUOS (Septuaginta vertunt, *muros tuos*) IN LAPIDES DESIDERABILES. — Hebraice, *desiderii*, id est speciosos et pretiosos, ideoque desiderabiles. Est hypallage, q. d. Ponam lapides desiderabiles in omnibus terminis tuis, q. d. Undique construem te ex lapidibus pretiosis: nullus in te erit lapis, qui non sit desiderabilis; quocumque te vertes, pretiosa quæque calcabis, et omnium divitiarum abundantia perfrueris. Ita S. Hieronymus. Hi lapides significant omnes fideles et justos, eorumque virtutes et gratias; simulque innuunt, in terminis urbium et provinciarum Christianarum erigendas e lapide cruces, imagines, altaria, sacella, aliaque Christianæ fidei insignia in titulos, abolitis omnibus idolorum signis et titulis.

Quocirca moraliter S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* XIX: « Stravit, inquit, Deus in Ecclesia per ordinem lapides; quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in sapphiris, qui scilicet lapides, coloris aerii in se similitudinem tenent; quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia appetentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, jaspidem propugnacula ejus posuit; quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt,

qui internis desideriis viventes, nulla teporis reproba ariditate marcescunt. » Subdit deinde de portis: « Portas vero ejus posuit in lapides sculptos. Hi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo etiam quod magnis operibus pollent, et id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt, non puri, sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimitur quod egerunt. Ubi omnem quoque Sanctorum numerum generali collectione concludens, subdidit: Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, scilicet, ut subjungit, universos filios tuos doctos a Domino. »

13. UNIVERSOS FILIOS TUOS DOCTOS A DOMINO. — Vers. 13. Repete « ponam. » Doctores Ecclesiæ, quasi carbunculos, sapphiros, jaspides et lapides sculpturæ, posuit in fundamento, propugnaculis et portis Ecclesiæ; nunc discipulos eorum, qui eis quasi lapides desiderabiles inædificandi sunt, describit, aitque doctos fore, non tantum ab ipsis exterius, sed et interius a Domino; ut sapientia mens, pace voluntas eorum impleatur, itaque per omnia bonis cœlestibus dilentur. Ita explicat Christus, *Joan.* VI, 44. Nam cum dixisset: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, » id probat, subdens vers. 45: « Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei, » hebraice לְמוֹדֵי יְהוָה *limmude iehovah*, græce διδάκται τοῦ Θεοῦ, id est *docti a Deo*. Sic sæpe Interpres verbalia in *bilis*, accipit pro participio passivo: ut incredibilis, pro incredulus; desperabilis, pro desperatus; persuasibilis, pro persuasus vel persuadens. Erunt autem docti a Deo, quia Deus interius in mente lumen supernaturale intellectui, et pius impulsus voluntati aspirans et immittens, eos docebit et persuadebit ea quæ per vocem externam Christus, ejusque discipuli eis proponunt. Opponit Christianos Judæis. Hi enim exterius magis quam interius, puta per Prophetas, per Sacerdotes, per sacram Scripturam a Deo docebantur in veteri Testamento. Hoc discrimen tradit Jeremias, cap. XXXI, 33, cum de novo Testamento ait: « Dabo legem meam in mentibus eorum, et in corde illorum scribam eam. » Ita S. Hieronymus. Hinc Spiritus Sanctus in Pentecoste datus est Apostolis, eisquæ specie linguarum ignearum insedit, quasi per eorum os loqueretur, atque eorum mentes et linguas faceret ignitas, quæ flammam divini amoris in auditores ejacularentur. Tales Theodacti præ cæteris fuerunt S. Antonius, Hilarion, Paulus, Franciscus, Dominicus et alii, ut dixi *Hebr.* VIII, in fine.

ET MULTITUDINEM PACIS FILIIS TUIS. — Repete « ponam. » Ex Christi doctrina sequitur pax tum conscientiæ cum Deo, tum concordiæ cum proximis, tum pax, id est prosperitas, et bonorum omnium affluentia.

Crystal-
lus græ-
ce a gelu,
hebraice
a calvitie
nomen
habet.

Crystalli
sunt puri
et duri,
tropol-
gice.

14. **ET IN JUSTITIA FUNDABERIS.** — Hoc est *firmaberis*, ut vertit Vatablus, *q. d.* Non est, o Ecclesia! o sponsa mea! quod timeas ne qua seditio, quæ fraudes, quæ vis et persecutio, quis hostis, hanc pacem, doctrinam, gemmas et opes tibi eripiat: nam ipsa tua justitia te firmabit, tua sanctitas te tutabitur: nec enim sinet Deus te pessumdari, qui justitiæ et sanctitatis est vindex et propugnator. Notent hoc respublica et magistratus, regna, reges et principes, si velint tutum et stabile habere regnum aut rempublicam, fundent eam in justitia et sanctitate. *Justitia* enim hic generaliter capitur, et tam cæteras virtutes quam justitiam particularem complectitur. Ita Haymo.

Secundo, Adamus: « Justitia, ait, fundaberis, » *q. d.* Faciet Deus ut in te omnia juste atque ordinate fiant: tum enim cuique justitia, id est ordo cuique debitus, tribuitur.

Tertio, S. Hieronymus per *justitiam* accipit ἀποστολοληψίαν, sive æquabilitatem erga omnes: « Ut nequaquam, ait, unius gentis, sed totius mundi Deus sit; qui vocat ad fidem suam servos et liberos, Græcos et barbaros, divites et pauperes, nobiles et ignobiles, viros et mulieres, parvulos et senes: et omnia quæ in mundo videntur esse contraria. » Hæc enim justitia est in Deo, licet ea non obligetur; unde non fuit injustus, nec personarum acceptor, cum ante Christum Judæos elegit, Gentes dereliquit. Verum primus sensus est diviniore et genuinus.

RECEDE PROCUL A CALUMNIA. — Est prophetia, non imperium. Promittit enim Ecclesiæ, quia in justitia fundata est, omnem securitatem, *q. d.* Tunc recedes et procul aberis a calumnia et pavore. Jam per *calumniam*, primo, aliqui intelligunt calumniatorem pristinum diabolum. *Secundo*, S. Hieronymus, peccatum omnemque speciem mali. « Omnis enim, ait ipse, iniquitas et rapina de calumnia nascitur. » *Tertio* et optime, per *calumniam* accipe quamvis fraudem et cavillationem; per *pavorem* quamvis violentiam, vires et arma, quæ pavorem incutere possunt. Ita S. Thomas, Vatablus, Adamus, et Forerius, qui ait: Duo sunt quæ Ecclesiæ metum possunt injicere: aut fraudes aut vis, hæretici aut tyranni, occulte vel aperte oppugnantes: ab utroque Ecclesiam suam tutam reddit Christus per justitiam, qua eam justificavit. Si enim Deus justificet, quis condemnet? si Deus tueatur, quis expugnabit? Justitia ergo seu justificatione tuta eris, firma eris: neque universa diaboli machinamenta, aut te dejicere, aut opes tuas diripere poterunt. Hoc itaque versu crediderim Deum obviasse objectioni, quæ ex tantarum divitiarum promissione oriri poterat. Nam ut tuta est paupertas, ita ex adverso divitiis fraudes et vis parantur. Considera hic, o Christiane! quanti æstimare debeas hanc justificationem: nam quod Ecclesiæ suæ promittit, suis quoque promisisse Christum credendum est, nempe quod justificati pacem habeamus. Si ergo

justitiam retinemus, ut diabolus fremat, ut mundus decipere conetur, ut caro concupiscat; premere possunt, opprimere non possunt, pacem nihilominus retinebimus: ne ergo deseramus justitiam.

S. Hieronymus tamen τὸ *recede* proprie accipit ut imperativum, *q. d.* Fundata es in justitia: si ergo hoc tuum firmamentum servare vis, recede a calumnia et fraude, sicque pariter recedes ab omni pavore. Justitia enim faciet te securam.

QUIA NON TIMEBIS. — Τὸ *quia* non est causalè, nec causam significat, sed consecutionem et effectum, idemque est quod *unde* vel *quocirca*, uti et sæpe alibi. Hoc enim est Hebræum כִּי *ki*, *q. d.* Recedes longe a calumnia, unde eam non timebis; et a pavore, unde ille non appropinquabit tibi.

15 et 16. **ECCE ACCOLA VENIET** (Duo poterat timeere Ecclesia, ut dixi, scilicet calumniam et vim: calumniam a Gentibus subsannantibus, quod adoraret Christum crucifixum (hoc enim eis stultum videbatur); vim ab armis fabrorum et militum. Prius hic excludit, *q. d.* Accolæ, id est Gentiles olim alieni a Deo, et hostes tui, o Ecclesia! tibi Deo operante adjungentur et subjicientur. Unde pro sannis et cavillis pristinis, dabunt tibi laudes et præconia. Posterius excludit cum ait): **ECCE EGO CREAVI FABRUM SUFFLANTEM** (qui scilicet follibus suscitatur ignem, quo candefaciat ferrum) **ET PROFERENTEM VAS** (id est instrumentum, v. g. malleum) **IN (ad) OPUS SUUM** (ut scilicet malleus ferrum ignitum tundens, ex eo cudat gladium, lanceam aut hastam. Pari modo) **EGO CREAVI INTERFECTOREM** (id est tyrannum, hostem et militem, natum et destinatum) **AD DISPERDENDUM,** — *q. d.* Non est quod timeas arma hostilia, armorumque fabros, aut ipsos hostes armis instructos, et paratos ad te trucidandum et disperdendum: quia tam ipsi quam eorum exercitus, arma, fabri viresque omnes in mea manu sunt. Ego ea creavi et dedi, efficiamque ne tibi obsint, sed subsint, aut volentes, convertendo se ad te: aut nolentes, subjugando eos tibi. Cum ergo ego jubeam te esse securam, non est quod metuas: faciam enim ut ipsi vel armis suis contra te uti nequeant, aut ut iis utantur ad tui non oppugnationem, sed propugnationem et tutelam.

Huic sensui consentiunt Septuaginta; vertunt enim: *Ecce proselyti accedent tibi per me, et erunt coloni tui, et ad te confugient.*

Mystice S. Hieronymus, Haymo et Adamus per *fabrum* accipiunt diabolum, malorum omnium fabrum et artificem, qui carbonem sufflat in igne, dum tyrannos, hæreticos aliosque hostes suscitatur et inflamat, ut persequantur Christianos. Hic eos educit tanquam instrumenta sua, ut per eos opus suum faciat. Hic etiam est interfectores eorum qui increduli sunt futuri. Verum omnes qui contra te, o Ecclesia! ab hoc fabro sufflante sunt fabricati, non dirigentur, sed et præsentis pœnas sentient et æternas.

Vers. 15
et 16.

Diabolus
est faber
persecu-
tionis et
tentatio-
nis.

Pro *fabrum ad disperdendum*, Septuaginta verunt contrarie, non ut *faber*, non in *perditionem*: quod S. Hieronymus et Cyrillus sic explicant, *q. d.* Ego te reformo et refingo, o Ecclesia! at non ut *faber ferrarius*, qui vasa sua in melius quidem refingit et recudit, sed ita, ut, cum iis satis usus fuerit, ea abiciat et perdi sinat: non enim ad eorum commodum, sed ad suum iis utitur. Verum ego reformo te reformatione quadam spiritali jugiter duratura et æterna, non ad meum, sed ad tuum commodum, de qua Dominus dixit Nicodemo: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, » *Joan.* III, 5. Verum primus sensus est genuinus; uti et prior nostri Interpretis lectio et versio.

Denique Forerius ex Hebræo sic vertit: *Ecce congregando congregabit se* (globus hostilis), *deficiet ut non sit; quicumque congregabitur tecum* (contra te), *juxta te cadet*: sic fere et Vatablus, *q. d.* Quicumque colligent arma et milites contra te, hi ad pedes tuos cadent, occumbent aut succumbent; nam hostes tui, hostes mei sunt: qui te tangit, tangit pupillam oculi mei: qui te oppugnat, me oppugnat, ut huc alluserit Chrysostomus, dicens: « Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit, » *Matth.* XII, 30. Qui enim contra Deum pugnat, vires non colligit, sed dissolvit et dispergit. Si sic veritas, hæc pertinent ad vers. sequentem: sed huic versioni plane dissonat Nostra et Septuaginta; quæ sane magis consentit Hebræo: גור *gur* enim significat peregrinari et esse advenam; non autem, congregare militem.

Vers. 17. 17. NON DIRIGETUR, — non habebit successum, non proficiet, non pertinet ad effectum, ad

quem ab hoste dirigitur, ut scilicet Ecclesiam proterat aut pessumdet.

ET OMNEM LINGUAM (calumniatricem, de qua vers. 14) RESISTENTEM TIBI IN JUDICIO, JUDICABIS, — *q. d.* Vim et tyrannos avertet et propulsabit Deus; calumniam et calumniatores, hæreticos et similes, tu ipsa, o Ecclesia! in tribunali tuo judicabis et condemnabis: calumnias etiam et blasphemias Gentilium et Paganorum, justo bello, per Christianos principes « judicabis, » id est vindicabis et compesces.

Hinc patet Ecclesiam esse judicem controversiarum fidei, ad eamque judicium de hæresi et hæreticis pertinere.

HÆC EST HÆREDITAS SERVORUM DOMINI. — Epiphonemate claudit ante dicta, *q. d.* Hæc est sors quasi hæreditaria, quæ Ecclesiæ et servis Domini ab eo obveniet: scilicet, ut sint locupletes gemmis et bonis cœlestibus, justitia, sanctitate et pace plena fruantur; hanc inturbare et hasce eorum opes diripere nemo possit; sed ipsi omnes inimicos superent, eosque condemnent aut convertant.

ET JUSTITIA EORUM APUD ME. — « Justitia, » primo, accipi possunt iusta opera, *q. d.* Justa eorum opera apud me servantur, semper mihi observantur; unde ego iis mercedem præsentem, jam dictam, et æternam in cœlis retribuam. Ita Vatablus. Secundo, « justitia, » id est justitiæ merces et præmium, *q. d.* Ego justitiæ præmium, scilicet sortem jam dictam, eis rependam. Tertio, « justitia, » id est justificatio et laus. Interdum enim « justitia, » pro ipso justitiæ præconio ponitur, inquit Forerius. Hæc enim congrue opponitur et rependitur calumniæ, *q. d.* Pro calumnia, quam passa es, accipies præconia et justitiæ tuæ elogium.

CAPUT QUINQUAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Supra præced. enarravit opes, pacem, splendorem et felicem sortem filiorum novi Testamenti : nunc ad eadem singulos invitatur, ut fidem Christi capessendo, iisfruantur, relictis vanis suis rebus et spebus. Secundo, vers. 3, promittens eis fœdus novum, monet ut Christum duces et præceptores sequantur. Tertio, vers. 10, firmas fore hasce suas pollicitationes, exemplo nivis et imbris asseverat. Ac proinde, vers. 12, quanta futura sit fidelium lætitia, felicitas et gloria enarrat. Forerius, in fine capituli, putat hoc caput pertinere ad Judæos : illos enim invitari ad Christum, et quia nolunt venire, substitui eis Gentes. Judæi enim siti adventus Christi laborare videbantur, et appendebant argentum suum non in saturitate, quia justitiam quærebant in victimis et inanibus cæremoniis legis, quæ animam non satiant. Hortatur ergo ut eam quærant in Christo; quocirca, vers. 3, promittit eis novum Christi fœdus. Verum quia prævidebat eos spreuros Christum, minatur, vers. 4, se Christum et fœdus hoc translaturum ad Gentes. Quocirca, vers. 6, hortatur Judæos, ut mature resipiscant, dum tempus habent. Et ne objiciant verba et promissa Dei, eis de Messia facta, non posse esse vacua et irrita : respondet, vers. 10, ea in Gentibus complenda, quibus proinde, vers. 12, omnia læta et felicia promittit. Verum nil est, quod cogat verba Prophetæ generalia ad Judæos restringere : tam ergo Gentes, quam Judæos ad Christum invitatur (1).

1. Omnes sitientes, venite ad aquas : et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite : venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. 2. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. 3. Inclinate aurem vestram, et venite ad me : audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. 4. Ecce testem populis dedi eum, duces ac præceptores Gentibus. 5. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis : et Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te. 6. Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est. 7. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum. 8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ : neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. 9. Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. 10. Et quomodo descendit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : 11. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud. 12. Quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini : montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. 13. Pro salivunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus : et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

Vers. 1. 1. OMNES SITIENTES. — Hebraice est : *O vos omnes qui sititis venite ad aquas.* Hoc est, ut Chal-dæus, omnes discere, et sitim cupiditatis extin-

guere cupientes, omnes veritatis et sapientiæ salutiferæ avidi, venite ad aquas doctrinæ et gratiæ Christi, ex iis haurite et bibite sapientiam et spi-

(1) Hic incipit veluti tertia sectio secundæ partis vaticiniorum Isaïæ, pertinens ad Ecclesiæ christianæ constitutionem. Enimvero, ut bene notat Cornelius, cuius felicitatem Christianorum descripsisset, jam Deum inducit invitantem homines ut tantis bonis per Christum allatis frui velint; quæ quidem invitatio,

Primo, gratuito beneficium offert, 1, 2; *Secundo*, antiquum cum Davide pactum, interventu Christi in testem gentibus dati ad illas protensum exhibet, 3-5; *Tertio*, promptitudinem et pœnitentiam ut conditiones tanti beneficii obtinendi postulat, 6, 7;

ritum Evangelicum, itaque sitim animi vestri, sitim veritatis, sitim sapientiæ cœlestis et salutiferæ sedate. Huc allusit Christus, *Joan. vii, 37* : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. » Et *Matth. xi, vers. 28* : « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. » Et ad Samaritanam, *Joan. iv, 13*, hac de re disserens.

Vere Nazianzenus, orat. in *S. Baptisma*, quæ est 40 : « Sitit, ait, sitiri Dominus, et si tanto bono, sine labore et facillime, scilicet accedendo tantum ad fontem, potiri possumus, cujus dementiæ est, tantum bonum differre? » Quocirca sitim eam, hic ad aquas invitans, suscitatur et exacuit, ut innotam nobis ex concupiscentia sitim vanæ scientiæ, sitim honorum, sitim auri et argenti, sitim vini et epularum; siti veræ sapientiæ, siti honorum, opum et epularum spiritalium et cœlestium extinguat (Unde Septuaginta vertunt, *væ*; alii, *heu qui sititis*, scilicet vanitates). Hæ enim, non illæ animam satiare et explere possunt. Ita sitiebat David, *Psal. xli, 3* : « Sitivit anima mea ad Deum fontem (hebraice, *fortem*) vivum. » Christus enim est fons vivus, qui nunquam siccatur, sed juges et copiosas scaturit aquas, salientes in vitam æternam. Et S. Joannes, *Apocal. xii, 17* : « Et spiritus et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni. Et qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. » Unde ipse jam senex, optansque dissolvi, et Christo frui, vers. 20, respondens huic invitationi, ait : « Etiam venio cito : Amen. Veni, Domine Jesu, » *q. d.* Veni, mi Jesu; veni, amor mi, gaudium meum, deliciæ meæ.

ET COMEDITE. — Hinc patet Deum non tantum aquam ab bibendum, sed etiam cibum ad comedendum offerre. Nimirum doctrina et gratia Christi tam est cibus quam potus animæ : uti et sancta ejus Sacramenta, præsertim Eucharistia. Unde ipse misit servos qui vocarent invitatos ad cœnam opipare instructam, *Matth. xxii, 4*.

EMITE ABSQUE ARGENTO. — Pro *emite* hebraice est *שכרו* *scibru*, id est frangite, id est cibum et panem frangendum comparate, et emite : quia enim comesturi solebant frangere et dividere panem, hinc panem vocarunt *שכר* *sceber*, id est fracturam, vel cibum frangendum. Inde *scabar*, id est frangere, per metalepsim significat fracturam, id est panem, comparare et emere. « Emite » ergo « absque argento, » id est comparate et accipite gratis. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Acute quoque et pie S. Bernardus, serm. 2 *De Resurrectione Domini* : « Hæc, ait, nummo propriæ voluntatis emenda sunt, ut communis fiat quæ propria fuit. Porro communis voluntas charitas est. » Huc alludit Christus, *Apoc. iii, 18* : « Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum. »

Quarto, misericordiam longe humana indulgentiorem spondet, 8, 9;

Quinto, efficaciam verbi divini fructiferam asserit, probatque, eventum felicem et lætiores sortis conversionem prænantians, 10-12.

Quodnam est hoc aurum? et quomodo emitur? Respondeo primo : Aurum hoc est pura et ignita Dei charitas, quæ fortiter persecutiones et adversa, etiam martyria, tolerat. Hæc emitur, id est comparatur, non alio pretio quam oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus. » Hoc aurum, inquit ibidem Rupertus, eme pretio piæ confessionis, et jugi memoria propriæ fragilitatis, semper memorando, quid ex te sis, quid a Deo acceperis. Ut locuples fias, id est addatur tibi gratia, et vestimentis albis induaris, non ex operibus tuis, sed ex eadem gratia largitionis. »

Addit Ambrosius, lib. *De Joseph patriarch. cap. vii*, hoc aurum emi argento, non nostro (peccator enim nullo opere aut merito mereri potest primam gratiam), sed Christi, scilicet pretio sanguinis Christi. « Emite, inquit, sine argento : neque enim pretium quæsivit a nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium solvit. »

Tertio, Nazianzenus, orat. in *S. Baptisma*, respondet Deum ob ingentem suam bonitatem, qua nostram salutem optat, nostrum desiderium gratiæ et salutis æstimare pro pretio : « O miram, inquit Nazianzenus, beneficentiæ celeritatem ! o facilem contrahendi rationem ! hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco æstimat; sitit sitiri; bibere cupientibus potum præbet; cum a Deo beneficium petitur, beneficio affici se putat; prompta, munifica atque proluxa natura est; jucundius dat quam alii accipiunt. » Unde infert Nazianzenus, acuendam et augendam esse hanc sitim : ut plus gratiarum a Deo hauriamus et capiamus : « Hoc unum caveamus, inquit, ne jejuni ac minuti animi notam subeamus, parva, Deique liberalitate parum digna postulantes. Beatus ille, a quo, ut ab illa Samaritana, potum Christus poscit, fontemque dat aquæ in vitam æternam salientis. » Et Clemens Alexandrinus in *Exhort. ad Gentes* : « Omnes sitientes, venite ad aquas : Adhortatur, inquit, ad lavacrum, ad salutem, ad illuminationem, prope clamans, et dicens : Do tibi, o fili ! terram, mare, cœlum; solummodo, o fili ! patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur. »

Quarto, Abbas Joachim in *Apoc. iii* : « Dat Deus, ait, gratiam pro gratia, *Joan. i, 16*; negotiemur ergo cum minori Dei gratia, ut majorem emamus et comparemus. » Et Thomas Anglicus : « Emptio, ait, est dispositio liberi arbitrii. » Verbum ergo emendi significat, quod magna debet homo facere, et multa conferre, ut idoneus sit a Deo accipere ista dona. Sic ergo emptio hæc acuit industriam arbitrii nostri. Sic *Prov. xxiii*, dicitur : « Veritatem eme, » id est magno labore et studio, etiam cum jactura rerum temporalium, compara sapientiam : quidvis age, quidvis patere, ut eam assequaris. Ita Pererius. Et Dionysius Carthusianus : « Eme, inquit, pretio non condigno, sed congruo. Actus enim fidei, spei, pœnitentiæ, alii-

Aurum
Dei que
pretio
emitur?
Resp.
primo.

Secundo

Tertio

Quarto

que sunt, quibus magno labore emitur, id est comparatur, hæc gratia. »

VINUM ET LAC. — Quas ante aquas et cibum vocavit, hic vocat « vinum et lac. » Per aquas ergo omnem potum intellexit, ex potu autem cibum colligendum reliquit: unde nominat hic « lac » quod tam esui quam potui servit. Per *vinum* ergo et *lac* quemlibet cibum et potum intellige. Nam vinum sapidum est, calidum et robustum; lac suave et pingue. Unde his duobus Scripturis significat quasvis epulas et delicias. Sicut ergo vinum et lac, primo, colore et sapore grata sunt gustui; secundo, suavem somnum inducunt; tertio, aliarum rerum sensum auferunt: sic Spiritus Sancti doctrina et dona efficacissima et dulcissima sunt, mentem sopiunt et tranquilliant, atque a vanis desideriis et anxietatibus abducunt, eamque satiant, ut non sitiatur in æternum, inquit Forerius. Unde Chaldæus vertit: *Venite et audite absque pretio, absque pecunia* (quæ solet magistris dari a discipulis) *doctrinam meliorem vino et lacte*. Porro « vinum » significat cibum et potum spirituales, puta sapientiam et gratiam proficientium et perfectorum (unde vinum vocatur « lac senum »); « lac » vero parvulorum et incipientium: hisce enim conveniunt simplicitas, candor et innocentia. Hinc ex hoc loco Isaïæ olim recens baptizatis dabantur vinum et lac, uti docet Nazianzenus superius. « Qui mos, ait S. Hieronymus, in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur. » Sicut in primitiva Ecclesia, iisdem dabantur mel et lac, ex eo quod dixit Isaïas de parvulo Christo, cap. VII, 15: « Butyrum et mel comedet. » Vide ibi dicta. Præclare S. Dionysius Areopagita, epist. ad Titum, docet divinam sapientiam cuique pro captu alimenta præbere, et « idcirco divina et spiritualia eloquia, et rori, et aquæ, et lacti, et vino, ac melli merito assimilari; quoniam vivificandi et fecundandi, veluti in aqua; et ad incrementum perducendi, ut in lacte; et recreandi confortandique, ut in vino; et purgandi simul atque conservandi, velut in melle, vim obtineant. »

Fuse de hoc lacte et vino tractat Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.* cap. VI, ubi, primo, dicit: « Verbum (id est Christus, qui est Verbum Patris) multis modis allegorice dicitur et cibus, et eare, et nutrimentum, et panis, et sanguis, et lac, et vinum. »

Secundo: « Utilis; inquit, est mixtura lactis et vini; lac enim a vino serescit et finditur, et quidquid est ejus adulterinum, id tanquam per aqueductum educitur; sic fides serescere faciens carnales concupiscentias, hominem ad æternitatem contrahit, divinis immortalibus efficiens. »

Tertio, vinum est quasi calor et anima lactis coaguli. Sic « Ecclesia constat corpore, scilicet fide, anima vero spe, uti Christus constat carne et sanguine (sanguinem enim veteres putarunt esse substantiam animæ). Revera enim sanguis

fidei est spes, in qua continetur, sicut fides anima. Cum autem spes exspiraverit, perinde ac si sanguis effluerit, vitalis fidei facultas dissolvitur. » Sic ergo lac est fides, vinum est spes, quæ est quasi anima fidei.

Septuaginta pro חלב *chalab*, id est lac, legentes aliis punctis חלב *cheleb*, id est adipem, vertunt: *Emite vinum et adipem*; quod S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et Leo Castrius recte referunt ad sacramentum Eucharistiæ. Hebræi enim adipem vel pinguedinem vocant id quod in qualibet re lectissimum est et optimum. Tale autem in lege nova est Eucharistia, quæ est « frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » ut ait Zacharias, cap. IX, 17. De qua in sensu mystico ait Psaltes, *Psalm. LXXX, 17*: « Cibavit eos ex adipe frumenti. »

2. QUARE APPENDITIS ARGENTUM NON IN PANIBUS (hoc est, ut sequitur), ET LABOREM VESTRUM NON IN SATURITATE? — id est non in cibo et pane saturante. Est metonymia; panis enim saturans vocatur *saturitas*, quia eam inducit. Sic cap. LVI, 12, *ebrietas* vocatur vinum inebrians. Sub « panibus » quemlibet cibum ex phrasi Hebræa intellige: inter omnes enim cibos, panis uti maxime communis est, ita et maxime alit et saturat, cum alii cibi sæpe tantum irritent aut obtundant. Per *argentum* ergo intelligit laborem, industriam, conatus, studia, etc. Sensus itaque est, *q. d.* Cur, o mortales! vana hujus mundi bona, ut opes, honores, delicias, vanam sapientiam et eloquentiam, tanto studio et pretio sectamini, quæ non possunt mentem saturare? Solus Deus, Deique gratia, doctrina, ac præsertim Eucharistia, est panis, qui potest mentem reficere et satiare: cur hunc negligitis, et quisquillas tam care emitis? Unde ingemiscens ad hanc hominum dementiam ait, vers. 1: *Heu, omnes sitientes, venite*, uti est in Hebræo.

Idem dixit Plato, lib. VI *De Republ.*, qui illud videtur ex hoc Isaïæ loco didicisse et accepisse. Fuit enim ipse Moses Atticus: « Qui bene, inquit, natus est, et qui vere amator est disciplinarum, non hærebit in his bonis, quæ vulgus admiratur, quæ vere non satiant; sed perget porro ire, non delassabitur, sed mixtus vero enti, id est complexus animo verum ens, hoc est Deum, vere vivet, vere nutrietur, vere saturabitur. » Et, lib. XI, docet hæc bona quæ homines, quasi pecudes, appetunt, et ob quæ decertant, non magis satiare, quam epulantur qui somniant se epulari laute: experrecti enim famelicos se sentiunt, æque ac ante. Audivi miram historiam a Governatore civitatis Trajectensis in Belgio: Narrabat ille se cum primariis Nobilibus invitatum fuisse ab alio ad prandium: Ivi, inquit, cum aliis; splendidum inveni castrum, triclinium illustre, mensam opiparam, epulis et deliciis omnibus instructam. Bibebant et comedebant omnes hilariter. Ast ubi discesserunt, mox inani ventre famere ceperunt, et stomachus latrare, atque si nihil comedissent.

Lac est fides, vinum est spes, quæ est anima fidei.

Vers. 2.

Epulæ et bona hujus mundi non satiant, cur?

Epulæ celestes vocantur vinum et lac, cur?

Vinum et lac olim dabantur in baptismo.

Nimirum opera magi cujusdam, hæc omnia ope dæmonis adornata et peracta fuerant, erantque meræ præstigiæ. Videbantur enim sibi comedere, quæ vere non comedebant, nec videbant. Talia sunt omnia mundi bona, speciem habent, non veritatem; oblectationem, non saturitatem: ludibrium sunt oculorum, non pabulum animi. Ratio est, quia mens a Deo creata est ad imaginem Dei; unde infiniti boni, puta Dei, est capax; ergo nullo finito, tenui et umbratico, qualia sunt omnia terrena, expleri et satiari potest: sed dum unum hausit, mox æque famelica aliud quærit, oreque semper aperto et hiante, instar voracissimi canis, aliis et aliis inhiat, nec unquam suam ingluviem insatiabilem exsaturare potest. Videmus hoc in vinosis et ebriosis, qui quo plus bibunt, eo plus sitiunt, plusque bibere appetunt, dicuntque semper illud *Proverbiorum*, cap. xxiii, vers. 35: « Quando evigilabo, et rursus vina reperiam? »

Solus ergo Deus est quies et saties animæ nostræ: ideoque hebraice vocatur *saddai*, de quo plura dixi *Genes.* xvii, 1, et *Exodi* vi, 3.

AUDITE AUDIENTES, — id est diligenter audite et auscultate, non ut odiosi auditores, sed ut factoris verbi et sermonis auditi.

DELECTABITUR IN CRASSITUDINE. — Vatablus, in *pinguedine*, id est cibo illo pingui, qui est sapi-dior, magisque nutrit macro, quale est lac, in quo est pinguedo butyri et casei; item pinguis caro, pinguis panis, etc. Talis est doctrina et gratia Evangelica, quæ mentem saginat et impinguat.

3. FERIAM VOBIS PACTUM SEMPITERNUM (novum testamentum, de quo vers. 6, nimirum) MISERICORDIAS DAVID FIDELES, — id est stabiles et firmas. Pactum ergo hoc sunt misericordiæ Davidi promissæ a Deo de Christo, in quo regnum ejus perpetuandum est; quique suos assecclas ditabit et beabit, dando eis affatim vinum dulcissimum, et lac pinguisimum, q. d. Fœdus, quod vobiscum feriam, totum est lacteum et melleum; totum est charitas et misericordia. Unde Septuaginta et ex iis S. Paulus, *Actor.* xiii, 24, vertunt: « Dabo vobis sancta, » scilicet pacta, « David fidelia, » q. d. Præstabo fideliter et certissime pactum, puta promissam Davidi misericordiam, et bona danda per Christum. Porro hæc misericordia et hæc bona recensentur tum alibi, tum *Psalm.* lxxxviii, qui incipit: « Misericordias Domini in æternum cantabo; » unde psalmus ille ab Hebræis vocatur *Misericordiæ David.* Ita S. Hieronymus, S. Thomas, Hugo et Forerius.

Dices: Quomodo S. Paulus, *Actor.* xiii, 34, hæc *revert* et ex hisce probat resurrectionem Christi? Respondeo: Id recte facit, ex eo quod fœdus hoc et misericordiæ Davidi de Christo promissæ, sint de vita beata et æterna, danda iis qui crediderint et obedierint Christo tanquam mortis victori, qui resurgens ex mortuis, factus est primitiæ, dominus et rex resurgentium. Unde, *Psalm.* lxxxviii,

vers. 38, promittitur Christo thronus æternus; in quo includitur et præsupponitur Christi et Christianorum resurrectio ad vitam et regnum æternum. Eadem clare est promissa Davidi, typum Christi gerenti, *Psalm.* xv, 10, ubi dicitur: « Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. » Ali-ter respondet et explicat Leo Castrius: « Dabo, inquit, sancta David fidelia, id est dabo sanctum David, seu sanctum corpus Domini ex genere David prognatum, fidele, hoc est incorruptibile, quod non debeat reverti in corruptionem. » Unde Enriquez, lib. IX *De Missa*, cap. ix, num. 5, littera H, in glossa, per *sancta*, id est *sanctum*, intelligit S. Corpus Christi in Eucharistia, quod de semine David sumptum est « fidele, » id est incorruptum et firmum. Verum hæc « sancta » ad litteram esse pacta patet ex dictis. Unde Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* cap. xx, pro *sancta* legit, *religiosa* (utrumque enim significat Græcum *θεια*), scilicet fœdera et pacta, quæ sancte et religiose servanda sunt, præsertim ea quæ a Deo sancta, id est sancita sunt.

4. ECCE TESTEM POPULIS DEDI EUM. — « Ecce » hic designat facialem, qui pactum hoc inter Deum et homines conficiat, et ad quem pertinent misericordiæ Davidis: ait enim, « eum, » scilicet Christum: in hunc enim oculi Prophetæ jugiter intenti ferebantur et figebantur. Christum ergo vocat « testem, » scilicet divini pacti et promissionis, æque ac fidei et fidelitatis. Christus enim, veniens in mundum, testatus est mundo ea, quæ vidit et audivit in cælo, de Deo et SS. Trinitate, ac præsertim Dei erga homines benevolentiam, dilectionem et misericordiam, qua placuit ei homines lapsos per Christum redimere, cum eisque novum hoc fœdus de gloria et beatitudine eis danda inire. Unde S. Hieronymus: « Ille, ait, testis est omnium, quæ Pater mundo sponndit et præstitit. » Christus enim explevit ea quæ Pater mundo promisit. Unde Christus ipse, *Matth.* cap. xxiv, 14: « Prædicabitur, ait, hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus. » Unde ipse alios testes, scilicet Apostolos, subdelegavit, qui hoc ejus testimonium explerent et perficerent. Hoc est quod ait S. Augustinus: « Christus fuit testis divinæ erga homines charitatis. » Rursum, ut aiunt S. Ambrosius, Cyrillus, Isychius, et ex iis Leo Castrius: « Testis fuit prophetias omnes et promissa Dei esse completa. » Ipse enim opus redemptionis nostræ peregit et complevit.

Secundo, Christus fuit testis divinæ voluntatis. *Secundo*. Docuit enim nos quid Deus a nobis fieri velit, ut ei placeamus, utque ab eo salutem in pacto novo promissam adipiscamur.

Tertio, testis fuit veritatis, veræque et sanæ ac salutiferæ doctrinæ. Unde ipse ad Pilatum ait, *Joan.* cap. xviii, 37: « Ego in hoc natus sum, ... ut testimonium perhibeam veritati. » Hinc mox

Vers. 4.
Facialis
pacti in-
ter Deum
et homi-
nes est
Christus.
Primo.

Vers. 3.

Sancta
David fi-
delia,
quæ?

Secundo.

Tertio.

subdit Isaias eum datum « ducem ac præceptor-
rem Gentibus. »

Quarto.

Quarto, testis fuit futurorum in æternitate. Testatus est enim apud omnes fore iudicium uni-
versale, fore resurrectionem, fore retributionem,
operum tam malorum quam honorum, fore piis
gaudia æterna, impiis flammam gehennæ et ignis
inextinguibilis. Ita Theodoretus. Hinc eorundem
non tantum testis est, sed et dux viæ ad beatam
æternitatem, ac præcipiens modos et rationes,
quibus eodem contendamus et perveniamus :
nimirum, puram et sanctam vitam, opera fidei,
spei, charitatis, pœnitentiæ, eleemosynæ, etc.
Unde Joel, cap. II, 23, vocat eum « doctorem
justitiæ. »

Quinto.

Quinto, Joannes, *Alba Electorum*, cap. C, « tes-
tem, » inquit, id est principem. Unde explicans
subdit, *ducem*. Hebræis enim subinde testis vo-
catur *judex*; iudex autem vocatur *princeps*. Sic,
Apoc. III, 14, Christus vocatur « testis fidelis, » id
est iudex stabilis, princeps æternus. Sic Malachias,
cap. III, 5 : « Testem velocem » vocat iudicem
acerrimum. Et *Psal. LXXXVIII*, vers. 38 : « Testis
in cœlo fidelis, » id est princeps sempiternus in
cœlo, sicut cœlum stabile est et æternum. Est ca-
tachresis. Deus enim et Christus est iudex non
mortalis, qui sæpe a falsis testibus decipitur, sed
certus et infallibilis, utpote qui omnia videat, si-
mulque sit testis et iudex. Ergo recte vocatur
testis fidelis. Sed cur Hebræi testem vocant iudi-
cem? Respondeo, per metonymiam, quia testes
sunt causa iudicii, cur hic scilicet damnetur, ille
absolvatur. Iudex enim debet iudicare secundum
allegata et probata, puta secundum testes; lex
enim Dei sancit : « In ore duorum aut trium tes-
tium stabit omne verbum, » *Deut. XIX, 15*. Itaque
testari contra aliquem, vel pro aliquo, reipsa et
in effectu est eum damnare, vel absolvere. Ita-
que testis est quasi iudex : cogit enim suo testi-
monio iudicem ad iudicandum secundum suum
testimonium.

Vers. 5

5. ECCE GENTEM, QUAM NESCIEBAS, VOCABIS. — Est
enallage personæ : transit enim a tertia ad se-
cundam. Per apostrophen ergo compellans Chri-
stum, ait : Tu, o Christe ! « gentem quam nescie-
bas, » id est quam a te alienam non agnoscebas
pro tua, non amabas, non probabas, ad te voca-
bis, et ipsa vocata « ad te curret propter Domi-
num Deum tuum, » id est propter dotes et gra-
tias : quibus te decorabit Deus, qui scilicet Deus
est humanitatis tuæ, non deitatis. Sic Christus ait
virginibus fatuis : « Nescio vos, » id est non
amo, non approbo vos. Porro dotes hæ Dei, qui-
bus Christus traxit ad se Gentes, fuerunt sapien-
tia, integritas, sanctitas, miracula, efficacia præ-
dicationis, resurrectionis gloria, missio Spiritus
Sancti, Apostolorum zelus et virtus. Hæc enim
ostendebant Christum esse Deum : unde cum ea
videbant Gentes, ad Christum turmatim accurre-
bant : ut etiamnum faciunt; cum digne, ut par

est, a præconibus Evangelii eis decus et gloria
Christi, ac sanctitas Evangelii proponitur.

Huc allusit Christus, *Joan. XVII, 1* : « Pater, ve-
nit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus cla-
rificet te. » Hoc enim idem est cum eo quod ait
hic Isaias : « Quia glorificavit te. »

6. QUÆRITE DOMINUM, DUM INVENIRI POTEST. — Vers. 6.
Fœdus cum Deo proposuit, vers. 3; hæc condi-
tiones fœderis proponit, quarum prima est :
« Quærite Dominum, dum inveniri potest. »

Primo, S. Hieronymus refert hæc ad Judæos,
qui erant tempore Isaiæ, *q. d.* Vos, o Judæi, qui
non estis Christum auditori, ejusque fœdus ac-
cepturi! audite me aliosque Prophetas, suadentes
vobis pœnitentiam sanctamque conversationem
in hac vita, ut per eam inveniatis Deum, dum
tempus habetis pœnitentiæ et salutis.

Deus
prope est
Primo.

Secundo, Forerius hæc refert ad Judæos, qui
fuerunt tempore Christi et Apostolorum, usque
ad eorum excidium per Titum. Tolo enim hoc
tempore prope eos erat Christus, Deus et salus,
q. d. Prope est Christus : nam inter vos vivit et
conversatur; ergo eum audite et acceptate, ne,
cum transierit, frustra requiratis eum.

Secundo.

Tertio et genuine, loquitur Propheta omnibus
hominibus, tam Gentibus quam Judæis. Omni-
bus enim a Deo propositus est Christus et salus.
Tempus ergo, quo hæc inveniri possunt, et prope
sunt, est tempus legis novæ, quod proinde Apo-
stolus, *II Cor. VI, 2*, vocat « tempus acceptabile, et
diem salutis, » de quo et Christus ait : « Regnum
Dei intra vos est. » Hoc etiam jussit Apostolos
prædicare, dicendo : « Pœnitentiam agite, appro-
pinquavit enim regnum Dei. » Quocirca recte
Ecclesia usurpat hæc Isaiæ verba tempore Qua-
dragesimæ, iisque quotidie monet fideles, ut
quærant Dominum, cujus passio, redemptio et
resurrectio instat, et prope est.

Tertio.

Quarto, Chaldæus, tempus quo Deus prope est,
et inveniri potest, accipit tempus hujus vitæ. Us-
que ad mortem enim pœnitere, Deoque reconci-
liari possumus. Totum enim hoc tempus est mi-
sericordiæ; quod sequetur, erit justitiæ et iudicii.
« Neque enim tunc erit invocandi tempus, quando
nemini proximus erit Deus; sed aliis quidem
præsens, aliis vero nimis valde remotus, » ait
S. Bernardus, serm. 3 *De Quadragesima*.

Quarto.

Mystice Theodoretus : « Dum prope est, » in-
quit, hoc est, dum veniam peccatorum a Deo
adepti, ad ejus amicitiam per gratiam acceditis.
Sic enim justis prope est Deus, non peccatoribus :
quasi justos hic hortetur Propheta, ut penitius et
constantius Deum Deique cultum perquirant et
ineant. Verum sequentia et præcedentia indicant
Prophetam magis loqui Gentibus impiis et infi-
delibus : eas enim ad fidem et Christum vocat.

Quinto.

Peccatores ergo et pœnitentes hic excitantur et
invitantur, ut quærant Deum. Ita sponsa, perditio
sponso, eum requirens et ad eum anhelans, ait
Cant. III, 2 : « Surgam, et circuibo civitatem; per

vicos et plateas quæram quem diligit anima mea, » etc.

Ia Magdalena quæsiuit Christum et invenit in domo Simonis, ubi lacrymis pedes Christi lavans, capillis tergens, ore osculans, meruit audire : « Remittuntur tibi peccata tua. »

Apposite S. Bernardus, serm. 75 in *Cantic.*, citans hæc Isaiaë verba : *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* « Attendite, ait, tres esse causas, quæ quærentes frustrari solent, cum aut videlicet non in tempore quærent, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet. » Erit enim « absque dubio cum inveniri non poterit, cum scilicet ultores Angeli arcebunt impios, ne videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt et fatuæ virgines : minime prorsus jam ad eas exit, clausa janua. Sibi proinde dictum putent illæ : Quæretis me, et non invenietis, *Joan. vii* : Cæterum nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt, tempus plane et quærendi et invocandi. *Primo*, ergo tu, et in medio gehennæ expectato salutem, quæ jam facta est in medio terræ. »

Secundo, quære eo modo quo sponsa sponsum in *Cantic.* dicens : « Quæsiui quem diligit anima mea : illa non tepide, aut negligenter, seu perfunctorie quærit; nam corde ardenti et omnino infatigabiliter quærit, plane ut decet. »

Tertio, vide ne quæras ubi non decet : « In lectulo meo, ait sponsa, quæsiui quem diligit anima mea : in lectulo, inquam, vel immortalitatis ejus, vel sublimitatis. Quæ sursum sunt sapias oportet, neque deorsum; sed sursum quæras Christum necesse est, ubi sedet in dextera Patris. »

7. DERELINQUAT IMPIUS VIAM SUAM. — Hic dat modum, quo quærendus et inveniendus est Dominus, ut amicitiam et fœdus cum eo ineamus : si videlicet pristinam vitiorum viam et vitam relinquentes, pœnitentiæ et virtutibus studeamus. Ita fecerunt in die Pentecostes tria millia hominum, qui ad concionem S. Petri in Christum, quem paulo ante crucifixerant, credentes et pœnitentes, in gratiam et Ecclesiam ab eo recepti sunt. Ita dereliquit filius prodigus regionem longinquam et siliquas porcorum, reversusque ad patrem : « Pater, ait, peccavi in cœlum et coram te. » Quocirca pater mox in ejus amplexus et oscula ruit, atque pro veste lacera et attrita, decora nobilisque stola eum induit, annulo ornavit et sibi adstrinxit, epuloque excepit. Unde patet *de derelinquat*, non significare nudam peccati derelictionem, sive resipiscentiam (quam solam hæretici volunt esse pœnitentiam), sed et dolorem ac detestationem, cum proposito emendationis et satisfactionis.

QUONIAM MULTUS EST AD IGNOSCENDUM. — Prædicare S. Fulgentius, epist. 7 ad *Venantiam*, cap. iv : « In hoc multo, ait, nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, et omnipotentia misericors est. Tanta est autem et benignitas omnipotentis,

et omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod nolit aut non possit relaxare converso, et cap. iii : « Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare. Si misericors est Deus noster, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, a qua non omnis malitia vincitur; nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis invenitur. Scriptum vero tenetur in libris sacris : Sapientiam autem non vicit malitia; » et *Psalm. cii* : « Benedic, anima mea, Domino, etc., qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. »

8. NON ENIM COGITATIONES MEÆ, COGITATIONES VESTRÆ. — Hæc plane et apte cohærent cum proxime præcedentibus : « Quoniam multus est ad ignoscendum, » *q. d.* Ne diffidatis de venia et amicitia Dei, ne terreamini multitudine, enormitate, iteratione et assiduitate scelerum vestrorum : major enim his omnibus est Dei misericordia, quam hic pœnitentibus offert et promittit. Deus enim offensus, non est ut homo, qui in offendentem spirat minas et vindictam; sed toto cœlo ab eo distat, spiratque veniam et gratiam, ideoque cum offensa nostra certat sua clementia et indulgentia. Ita S. Cyrillus, S. Thomas et Adamus.

Secundo, Sanchez hæc refert ad superiora : « Derelinquat impius viam suam, » putatque Deum hic opponere vias suas viis hominum, *q. d.* Viæ vestræ pristinæ a meis toto cœlo distant; quare, si ab iis ad me redire vultis, magna vobis spatia superanda sunt, magna facienda est morum mutatio, humanæ cogitationes deponendæ sunt, et assumendæ divinæ : e terris in cœlum mente et conversatione contendere et transcendere debetis.

Tertio, Forerius censet hæc ad ulteriora posse referri, scilicet ad fœdus, vers. 3, *q. d.* Ne miremini, quod inter homines appareat Deus homo, ut novum fœdus sanciat, quo nobis bene sit, et in deliciis, ac summa felicitate vitam agamus (agentis autem si Deum in Christo quæsieritis, ad ipsum a vita pristina reversi. Hæc enim fœdus Deique benevolentiam non avertet, sed potius conciliabit et acuet, si vos ejus pœniteat), quoniam meæ cogitationes vestris plane dissimiles sunt, tantoque sublimiores, quantum cœlum terra sublimius est : quocirca novum mirumque hoc fœdus adinveni, hac una via duxi hominum rebus afflictis succurrere, meamque immensam et mundo paradoxam in eos clementiam ostendere. Hoc ergo divinum meum consilium nolite scrutari, sed illud admiramini, eique gratias agite. Sic Forerius et S. Hieronymus.

Primus sensus planior; hic plenior et sublimior est. Simili modo ait Psaltes, *Psalm. cii*, 11 : « Secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se, » *q. d.* Ea est proportio misericordiæ Dei ad homines, quæ cœli est ad terram : hoc est, circuli immensi ad unum punctum et centrum, *q. d.* In immensum nos nos-

neque merita, nostras cogitationes, æque ac miserias superat et ambit, firmat semper et roborat altissima Dei misericordia.

Vers. 10. et 11. Verbum Dei triplex.

10, 11. QUOMODO DESCENDIT IMBER, ET NIX DE CÆLO, etc., SIC ERIT VERBUM MEUM. — S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo et Forerius, « verbum » hoc tripliciter exponunt, quæ tamen fere in unum idemque redeunt. Per *verbum* enim *primo*, accipiunt Christum, qui quasi imber et nix veniens e cælo, terram cordis nostri frugiferam fecit bonorum operum; *secundo*, accipiunt Evangelium, per quod Christus hos fructus operatur; *tertio* et planissime, promissionem hanc Dei, *q. d.* Verbum hocce meum, quo tam magna promisi de fœdere novo, deque Messia et gratia, bonisque per sum dandis orbi, puta credentibus in eum et pœnitentibus, firmissimum erit et efficacissimum; efficiet enim, ut homines spe veniæ, amicitiae Dei, et salutis excitati, faciant dignos pœnitentiæ et virtutum fructus, quibus reipsa Deo reconciliabuntur, fœderabuntur, fientque æterni Dei amici, imo hæredes et filii. Sic enim verbum hoc Dei irrigat et fecundat animam, æque ac imber et nix terram.

10. ILLUC ULTRA NON REVERTITUR, — scilicet vacuum, *q. d.* Non erit inane et sterile, sed copiosum afferet proventum. Hoc enim Hebræis est reverti et non reverti; alioqui hæc particula non conveniret rei per similitudinem significatæ. Constat enim Christum in cælum reversum esse, suosque electos, quasi messem Domini, eodem, quasi in horreum Domini, transferre. Nam, « qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos. » Neque etiam conveniret ipsi parabolæ; nam imber ubi terram rigavit et fecundavit, resolutus in vaporem et exhalationem, rursus in cælum ascendit et redit. Pulchre S. Bernardus, serm. 71 in Cant.: « Non revertetur, inquit, verbum Dei ad me vacuum, vel jejenum, sed quasi prospere in omnibus agens, saturabitur bonis actibus eorum, qui in dilectione acquiescent illi. Denique usu loquendi sermo impletus tunc dicitur, cum fuerit mancipatus affectui; quod videlicet tamdiu inanis et macer, ac quodammodo famelicus sit, donec opere compleatur. Sed audi ipsum, quo se dicat cibo ali: Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. »

12. QUIA IN LÆTITIA EGREDIEMINI, ET IN PACE DEDUCEMINI. — Tò *quia* dat causam cur verbum hoc pacti, promissionis et benevolentiae divinæ, non revertetur vacuum, quia scilicet faciet ut infideles et impii, qui laqueis diaboli et peccati irretiti, captivi tenebantur, inde liberentur, lætique exeant ad Christum et Ecclesiam, indeque pacifice ad beatitudinem cœlestem deducantur. Vide Canon. XVII.

MONTES ET COLLES CANTABUNT CORAM VOBIS LAUDEM, — *q. d.* Tanta erit lætitia et gratulatio Gentium, ab idolorum et dæmonis cultu venientium ad Christum et Ecclesiam, ut montes et colles exsilire, jubilarè iisque applaudere videantur. Est hyperbolica prosopopœia. Similis, imo ma-

ior est, Baruch cap. v, toto capite. Vide ibi dicta.

Adde per *montes et colles*, montium et collium incolas aut speculatores posse intelligi. Alludit ad lætitiã redeuntium e Babylone, et ad speculatores, quos Judæi in montibus et arboribus collocabant, uti recte advertit Sanchez. Hi enim visa re læta, v. g. suorum e captivitate reditu, plausum dabant, eoque cives et incolas omnes ad plausum excitabant.

13. PRO SALIUNCA ASCENDET ABIES. — Saliunca est herba statim e terra exsiliens; inde saliunca dicitur a saliendo, de qua Plinius, lib. XXI, cap. vii: « Saliunca, inquit, foliosa quidem est, sed brevis, et quæ necti non possit. Radici numerosæ cohæret, herba verius quam flos, densa veluti manu pressa, breviterque cespes sui generis. Pannonia hanc gignit et Norici Alpiumque aprica. » Addit Plinius eandem tamen esse nobilissimi odoris et suavitatis tantæ, ut Romani in ea, æque ac in ærifodina, census et vectigal publicum constituerint. Idem, cap. xx, tradit ejus radicem in vino decoc-tam sistere vomitus, et stomachum corroborare. Humilis ergo est saliunca, vilis et abjecta, sed odorata. Unde Virgilius, *ecloga* v:

Puniceis hamillis quantum saliunca rosetis,
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Vide Ruelium, lib. II, cap. vii. Unde Septuaginta pro *saliunca* vertunt, *stebam*, id est vilissimum stipitem, ait S. Hieronymus. Aquila et Theodotion vertunt, *conyzam*, quæ Hesychio est cunilago, herba coronaria, per syncopem *κωζα*, de qua Plinius, lib. XXI, cap. ix, et Dioscorus, lib. IV, cap. cxxxvi. Cohibet motus venereos, ait Scholiastes Theocriti, *idyll.* 7, myrtus ex adverso salaciam juvat et fecunditatem; unde olim Veneri erat sacra. Ex quo Delrio, *adagio* 794, hunc elicit sensum, *q. d.* Qui antea virtutibus erant steriles, nunc iis erunt fecundi. Verum nostræ versionis sensus est, *q. d.* Gentes et animæ Paganorum quæ, quasi terra arida, spinosa et sterilis, producebant tantum spinas, saliuncas et urticas, id est opera vana, vilia, injuriosa et scelerata; jam imbre verbi Dei, et prædicatione Evangelii irrigata et fecundata, producent abietes, myrtos, etc., id est opera honesta, justa, frugifera et sancta, hoc est, ut verbo dicam, pro vitiis nascentur virtutes, pro superbia humilitas, pro gula sobrietas, pro libidine castitas, pro rapinis justitia, pro crudelitate misericordia, etc., aiunt Procopius et S. Hieronymus. Unde Chaldæus vertit: *Pro impiis consurgent justi, et pro peccatoribus consurgent timentes Deum*, ut pro Saulo Paulus, pro peccatrice Magdalena pœnitens, pro publicano Matthæus Apostolus, etc. Simili metaphora usus est Isaias, cap. xli, 19: « Dabo, inquit, in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, » etc. Ita Cyrillus, Theodoretus et alii,

Audi S. Gregorium, XVIII *Moral.* xii: « Pro saliunca ascendit abies, dum in Sanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitationis, altitudo su-

perne contemplationis exoritur. Urtica vero igne omnino naturæ est; myrtus autem temperativæ fertur esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus, cum justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammæ carnis desideriis cœlestibus extinguunt. » Idem, lib. XXXIII, cap. IV, per *urticas* cogitationum prurigines, per *spinas* vitiorum punctiones intelligit.

Vatablus vertit, *pro spina, vel rubo spinoso, ascendet abies*; sicque explicat: Qui prius spinosi erant, aliosque lædebant, desinent aliis facere injuriam. Hinc et Forerius vertit: *Pro fruticeto succrescet fraxinus, et pro senticeto succrescet myrtus*.

ET ERIT DOMINUS NOMINATUS IN SIGNUM ÆTERNUM. — Hebraice: *Et erit Domino in nomen in signum perpetuum, q. d.* Hæc mira Gentium conversio et sanctificatio per Christum facta, erit ei in nomen, et in monumentum gloriæ et victoriæ æternum. Pro victoria enim parta solent signa seu monumenta statui. Quod enim a Christo omnes fideles ab eo subacti et conversi, nominentur Christiani, ac corde et ore, imo et nomine suo profiteantur se esse subditos Christo, idque in æternum profitebuntur: hoc erit æternum gloriæ Christi monumentum. Sicut enim nomen et titulum gentium devictarum assumebant Imperatores, in perpetuum victoriæ trophæum; vocabantur enim Parthici, Asiatici, Adiabeni, Sarmatici, Illyrici, etc.: ita pariter perenne Christi trophæum est, quod omnium gentium sit dominator, adeo ut omnes gentes quasi Christo subditæ, Christi nomen præferant, et ab eo vocentur Christiani. Ipsum ergo Christi nomen est signum, id est trophæum.

S. Hieronymus tamen nonnihil inter « nomen » et « signum » distinguit: « Erit, inquit, Dominus in nomen et in signum æternum, ut ex ipsius appellentur nomine Christiani, et crucis ejus inurantur cauterio; » et mox: « De quo ipse qui signum est: Cum videritis, ait, signum Filii hominis, quod non deficiet nec ullo fine mutabitur; sed de præsentis conversatione transiet in futurum. » Crux enim Christi in cœlis quasi æternum Christi trophæum, statuatur et rutilabit. Significare videtur S. Hieronymus corpora beatorum signanda esse stigmatibus crucis, quod non delebit æternitas; perinde ac crucis, et quinque vulnerum stigmata, manebunt in æternum in ipso corpore Christi, ut sint perenne monumentum illius, et nostræ redemptionis; nisi dicas crucem, id est passionis cujusque stigmata et cicatrices gloriosas in Beatorum corporibus mansuras. Sic enim in Martyrum corporibus mansura in cœlo vulnerum signa fulgentia quasi victoriarum trophæa, docent S. Augustinus, lib. XXII *De Civitate*, cap. XX; S. Ambrosius, *serm.* 57; Paludanus in IV, dist. XLIX, *Quæst.* VIII, art. 4; Joannes Major et alii ibid.

Tertio addit Sanchez « signum » hoc posse accipi lapidem, vel titulum inscriptum nomine vel insignibus heri, quem ipse in agro, vel in hæreditate defigebat, cum ejus possessionem adibat, ut cunctis pateret illam esse ipsius, et ad ipsum pertinere: sic enim Christus ubique in ecclesiis defigit titulum crucis, qui significat eas ad Christum crucifixum pertinere.

Quarto, alii quibus favere videtur Adamus, per signum accipiunt characterem baptismi; hic enim nos consignat Christo, estque indelebilis. Verum primus sensus maxime est genuinus.

CAPUT QUINQUAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Deus omnes, ut juste vivendo comparent se ad salutem et justitiam a Christo afferenda: ipsum enim neminem, etiamsi advenam et eunuchum, si juste vivat, a se et salute sua repulsurum. Quinimo, vers. 4, eunuchis, qui custodierint sabbata ejus, et elegerint quæ placita sunt ei, promittit se daturum locum in domo sua, et nomen melius a filiis et filiabus, idque sempiternum. Denique, vers. 8, invitans Israellem ad Christum et Ecclesiam, Judæis denuntiat excidium per Romanos, eo quod pastores eorum fuerint canes muti, ebriosi, impudentes, avari (1).

1. Hæc dicit Dominus: Custodite judicium, et facite justitiam: quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. 2. Beatus vir, qui facit hoc, et filius hominis, qui ap-

(1) Rursum et fusius, hortatur homines ut se dignos reddant tantis quæ proxime antea promisit beneficiis:

Primo, præcipiens Judæis legum naturalium, cæremonialium et moralium observantiam, 1, 2;

Secundo, tribuens etiam eunuchis has leges observatis locum in templo et hæreditatem nobiliorem, 3-5;

Tertio, disponens alienigenis ad fidem accessuris Ecclesiæ communionem, 6-8.

Attamen cum pauci sint præsertim inter Judæos qui tantorum beneficiorum participes esse velint, *primo*, minatur populo Israelitano vastitatem, 9.

Secundo, exprobrat hujus pœnæ causas, scilicet speculatorum et pastorum vitia, scilicet cæcitatem et ignorantiam, torporem et ignaviam in officio, otium et desidiam, ingluviem, quæstum et avaritiam, et in malo perseverantiam et obstinationem, 10-12.

Secundum.

Stigmata in corpore Christi et Beatorum mansura in æternum.

Tertium.

Quartum.

Signum Christi quadruplex. Primum

prehendet istud : custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. 3. Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens : Separatione dividet me Dominus a populo suo : Et non dicat Eunuchus : Ecce ego lignum aridum. 4. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum. 5. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo ei, quod non peribit. 6. Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, et diligant nomen ejus, ut sint ei in servos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, et tenentem fœdus meum. 7. Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, et victimæ eorum, placebunt mihi super altari meo : quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. 8. Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel : Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus. 9. Omnes bestię agri, venite ad devorandum, universæ bestię saltus. 10. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. 11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem : ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. 12. Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate : et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius.

Vers. 1. 1. CUSTODITE JUDICIUM. — Hactenus egit de gratia et felicitate novi Testamenti, sub Messia : nunc Propheta, instar Joannis Baptistæ, eum præcurrit, omnesque tum victuros admonet, ut ad ejus jam vicini adventum et salutem se comparent, custodiendo judicium, hoc est faciendo justitiam, sive id quod æquum et justum est in omni re. Unde hinc suam concionem sumpsit S. Joannes Baptista dicens : « Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. Jam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur, » *Matth.* cap. III, 10. « Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, » *Lucæ* cap. III, vers. 14.

QUIA JUXTA EST SALUS MEA. — « Salus, » id est Salvator, *q. d.* En adest Christus, qui vos salvet. Unde *secundo*, salus vestra per Christum instat; eam enim vobis dabit veniens Salvator Christus.

ET JUSTITIA MEA. — « Justitia, » id est justificator Christus; *secundo*, « justitia, » id est fidelitas, *q. d.* Jam præstabo fideliter ea, quæ de Christo promisi; *tertio*, « justitia, » id est justificatio, *q. d.* Jam per Christum a peccatis vos liberabo, justificabo, gratia et gloria donabo. Omnia hæc eodem tendunt : nam promissio Dei de Christo, non erat alia, quam nostra per eum justificatio et salus.

Vers. 2. 2. BEATUS VIR QUI FACIT HOC, — qui facit judicium et justitiam, ut præcessit. Pro *vir* hebraice est *אִישׁ* *enos*, id est ærumnosus et desperatæ vitæ, *q. d.* O *enos* ! o fili Adæ ! esto sis hæres mortalitatis, laboris et ærumnarum Adæ ; tamen felix eris et beatus, si feceris judicium, illudque apprehenderis, id est firmiter tenueris, et constanter retinueris. Hoc enim est hebræum *חַסֵּד* *chassac*. Sic enim oportet nos Christum, Christique

justitiam tenere; ne prætereat; et retinere, ne eam quantacumque persecutione aut tentatione deseramus. Ita Forerius.

CUSTODIENS SABBATUM NE POLLUAT ILLUD. — Sub sabbato per synecdochen accipe observationem totius legis, præsertim primæ tabulæ, quæ religionem et cultum Dei spectat. Hunc enim significat sabbatum, quod totum otio a laboribus, et cultui Dei dicatum erat. Sic leges secundæ tabulæ, quæ præscribunt justitiam proximo debitam, designat, cum subdit :

CUSTODIENS MANUS SUAS NE FACIAT OMNE (id est ullum) MALUM, — *q. d.* Qui leges primæ et secundæ tabulæ servarit, hic beatus erit, dignusque Evangelio, quem scilicet Christus in fidelem amicum, imo filium adoptet. Meminit sabbati, quia summa apud Judæos erat religio sabbati, summa sanctitas; unde per illud significat summam sanctitatem qua Deum fideles colere debent, actibus tum internis, tum externis, puta victimis, festis, hymnis, adoratione, laudibus, ritibus, etc.; *secundo*, quia sabbatum significat diem Dominicum atque festa Christianorum, quibus cessando ab opere servili, et multo magis ab inhonesto et turpi, atque vacando pietati et orationi, Deum colere debemus. Simili modo ait Zacharias, cap. XIV, 16 : « Ascendent (Gentes ad Christum conversæ) ab anno in annum (singulis annis, id est jugiter), ut adorent Regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem Tabernaculorum. » Mysticam scilicet agentes tanquam peregrini et viatores in hoc mundo, atque mentem habentes fixam in patria et civitate cœlesti. Ponitur typus, sive figura, pro re figurata. Vide *Canon*. XXI. Pari modo sabbatum hic mystice significat quietem spiritalem a vitiis et peccatis, ut patet ex sequentibus. Ita Theodoretus.

Vers. 3. 3. ET NON DICAT FILIUS ADVENÆ, — *q. d.* Moses arcebat Gentiles a sua Synagoga et republica, *Deut.* xxiii, 3 et 8, et cap. vii, 1 et sequent.; et Christus neminem arcebit a sua Ecclesia. Ergo non dicat Gentilis ex Gentili natus: Ego non sum ex semine Abrahamæ, cui promissus est Christus, ac proinde ad me Christus non pertinet: nam in Christo et Ecclesia « non est distinctio Judæi et Græci, » *Roman.* x, 12; sed fidelis et infidelis. Christus enim non habebit rationem generis et sanguinis, sed religionis, sanctitatis et virtutum, omnemque eum qui per fidem, spem et charitatem Domino adhæret, eique se in baptismo adstringit, pro suo recipiet, et in jura et privilegia Ecclesiæ suæ admittet. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

Levitæ dicti quasi adstricti Deo. Nota: Pro *adhæret* hebraice est *נלוה* *nilva*, id est copulat, adstringit, obstringit se « Domino. » A *nilva* enim dictus est Levi et Levitæ, *q. d.* Adstricti et obstricti Domino. Sic omnes Christiani, quasi Levitæ, in baptismo obstrinxerunt se Christo, ejusque religioni et cultui.

Eunuchi infames in lege veteri. ET NON DICAT EUNUCHUS, — *q. d.* Moses arcebat eunuchos suorum cœtu et templo, ministeriis et officiis publicis; sic enim sancivit, *Deut.* xxiii, 1: « Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro, Ecclesiam Domini. » Unde eunuchi, æque ac steriles in lege veteri, erant quasi infames et probrum apud Judæos, neque referebantur in censum aut familias, quia inepti propagando Israelis semini. At Christus eunuchos, et quoslibet, quantumvis viles, mancos, debiles et miseros, ad Ecclesiam admittit, imo, ut ipse ait, *Luc.* cap. vii, 22: « Pauperes evangelizantur. » Rursum, in eunuchis, notat populum Gentilem, qui erat eunuchus, id est sterilis pietatis, religionis et honorum operum, *q. d.* Ne dicat Gentilis: Ego hactenus fui sterilis, ac proinde ineptus et indignus sum Ecclesia Christi; quia, si credat in Christum, Christus eum faciet fecundum gratiis et virtutibus. Hoc est quod dixit cap. liv, 1: « Lauda, sterilis, quæ non parit, etc., quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. » Rursum, « non dicat eunuchus, » id est cælebs et virgo: « Ego sum lignum aridum, » id est sum sterilis et illiberis. Unde sequitur:

Vers. 4 et 5. 4 et 5. QUIA HÆC DICIT DOMINUS EUNUCHIS: QUI CUSTODIERINT SABBATA MEA (qui Deum sancte coluerint, eruntque veri cultores Dei, ut dixi vers. 2), DABO EIS IN DOMO MEA, ET IN MURIS MEIS LOCUM.— Ad litteram loquitur de eunuchis naturalibus et castratis, ut dixi; sed sub his symbolice intelligit eunuchos spontaneos et spiritales (ad eos enim eum assurgere, mox patebit), « qui seipsum » proposito aut voto cælibatus « castraverunt propter regnum cælorum, » uti huc alludens, ait Christus, *Matth.* xix, vers. 12. Talibus enim hic promittit Deus in Ecclesia et in cælo nomen gloriosius et diuturnius, quam possent habere a

filiis suis. Ita explicant S. Hieronymus, Cyprianus, Augustinus, lib. *De S. Virgin.* cap. xxiv, et lib. *XIV Contra Faustum*, cap. ultimo; S. Basilius, lib. *De Vera virgin.*; Ambrosius, *Exhort. ad virg.*; Gregorius, III part. *Pastor.* cap. xxix; Rupertus et alii. Idque fuse probat hic Forerius. *Primo*, ex verbo *נלוה* *nilva*, quod licet omnibus Christianis ex parte, tamen plene soli cælibi et Religioso statui competit; Religiosi enim et Clerici sunt quasi Levitæ, adstricti obsequio Dei et templi, totique ejus cultui se manciparunt. Unde hi sunt « lignum aridum, » id est sine generatione et prole.

Secundo, ex *quod qui custodierint sabbata mea.* Cælebs enim, ut monachi et monachæ, præ omnibus Christianis, perpetuum Deo sabbatum celebrant, dum noctes et dies psalmodiæ, orationi, meditationi et lectioni S. Scripturæ impendunt, uti Essæos eorum parentes fecisse narrant Philo, Eusebius et S. Hieronymus.

Tertio, ex verbo *elegerint.* Qui enim magis eligunt ea, quæ Deo placent, quam Religiosi, qui non tantum præcepta, sed et consilia Dei, amplectuntur, qui cum Maria optimam partem elegerunt? Unde *quod elegerint*, significat cælibatum consilii esse, non præcepti; quocirca ei, mercedis loco, datur nomen æternum.

Quarto, ex eo quod sequitur: « Et tenuerint fœdus meum. » Quinam enim sunt in Ecclesia Dei, qui ne violent vel in minimis fœdus Dei, arctiori disciplina se communiunt, nisi verimonia, qui ad hoc, novum et spontaneum fœdus cum Deo ineunt, cum per vota professionis ei se obstringunt, et quasi spiritale connubium cum eo ineunt? Hic enim est eorum status, hæc professio, hoc sanctum eorum institutum, de quo loquitur Propheta. Si quis ex ipsis hoc violet, et turpiter vivat, hominis hoc, non instituti est vitium, qui per hoc eo graviolem damnationem sibi accersit, quo sanctiorem statum commaculat, eique ignominiam et probrum apud laicos inurit.

Nominat Propheta præ aliis Christi asseclis hosce spiritales eunuchos, quia horum virtus, cælibatus et virginitas excelsa est et heroica, superatque omnes naturæ vires; vincit enim plane libidinem, ad quam vehementissime natura corrupta hominem stimulat et rapit. Unde hanc virtutem præ aliis in Christianis admirabantur Gentiles, etiam tempore Apostolorum. Hoc est enim quod ait S. Petrus, *epist.* I, cap. iv, 4: « In quo admirantur non concurrentibus vobis in eadem luxuriæ confusionem. » Nam, ut docet S. Basilius, lib. *De Vera virginitate*, sub initium: « Sicut ferrum trahit magnes, sic masculum sua trahit Agnes. » Quocirca ibidem ante finem docet virginem mystice debere sabbatum custodire, ut ait hic Isaias: « Sabbatum, inquit, non in opere, sed in operis cessatione intelligitur. Vult itaque sabbatizare virginem, uti ne virginitatem

Probatur primo.

Secundo.

Tertio.

Virgo sabbatizet, quæ rationem

operando custodiat, sed absque motu operis integritatem inviolabilem servet. Quasi Dei simulacrum, inquit, ex anima et corpore virgo in terra formata est. Mystice ergo sabbatizet, non pedem, non manum, non oculum, non aliud quodlibet membrum, sed ne animum quidem ad corrumpendam naturalem pulchritudinem moveat; sed persistat, ut præclara divinæ Majestatis effigies solida, atque ad omnem imaginem, ad omnem tactum semper ac jugiter in petra stans; ne quis sive per oculos, sive per aures, sive per alium quemlibet sensum surrepens, aut animæ in diras moveat figuras Dei, aut confusis primitivis formis, suas ipsi pessime ac licenter insculpat; » et rursus inferius : « Si virginitatem tecum et apud te permanere inviolabilem cupis, perpetuum sabbatum celebra, hoc est, mane quod nata es. Ne manum moveas ad tangendum virum, neque plices explicita, neque soluta colligas, neque inviolata membra alterius generis membris jungendo corrumpas; sed permane quod es in cubiculo cordis, nihilque amplius inquiras. Apud teipsam sabbatiza, nihil operans quo in te solvatur quod in te per naturam est. »

5. DABO EIS IN DOMO MEA, ET IN MURIS MEIS LOCUM — honoratum et primum, ut etiam a regibus et principibus honorentur. Item, in cælo inter Angelos dabo virginibus locum illustrem, uti ait S. Basilius mox citandus. Unde pro *locum* hebraice est *7* *iad*, id est *manum*, id est separatam et selectam partem, sortem, gradum et locum. Ita Vatablus et Forerius.

Secundo, Sanchez : *Dabo eis manum*, id est, inquit, auxiliabor eis, defendam et roborabo eos, ut contra carnis, mundi et dæmonis insultus, pro castitate fortiter stent, eamque inviolatam servant. Hæc enim opis promissio est instar præmii, quod mire animat cælibes in suo proposito, dum cogitant se peculiariter Deo curæ et cordi esse, ab eoque jugiter adjuvari et protegi, imo muris Dei cingi. Sane claustra monasteriorum, quid sunt nisi muri Dei ?

Tertio, idem Sanchez : *Dabo eis manum*, id est, inquit, fœdus et connubium spiritale cum eis inibo. Hoc enim iniri solet, dum fœderantes, uti sponsus et sponsa, invicem sibi dant accipiuntque manum. Qui enim, ut uni Deo vacent, ejusque voluntati se totos impendant, omnes mundi voluptates et amores abdicaverunt, vicissim totum Dei amorem sibi conciliant, ab eoque in thalami purissimi consuetudinem et delicias inducuntur.

ET NOMEN MELIUS A (id est præ, hoc enim est Hebræum *7* *min*, comparativum) FILIIS ET FILIABUS : NOMEN SEMPTERNUM DABO EIS, QUOD NON PERIBIT. — Petrus Martyr putat hæc promitti naturalibus eunuchis : nec enim spiritales eunuchos potiores esse conjugatis, ut potius nomen mereantur et obtineant. Ipse enim cum suis docet virginitatem non esse præstantiorem matrimonio.

Hic sensus hæreticus est, et eunuchis frigidior, ideoque a Patribus, vers. 4 citatis, rejectus et reprobatus. Suo ergo more Propheta assurgit a naturalibus eunuchis ad spiritales, id est cælibes, continentes et virgines. Hisce ergo, si sancte vixerint, si fœdus et vota servarint, si sabbatum, id est cultum Domini, custodierint, promittit Deus se daturum nomen melius, quam habere possent a filiis et filiabus, si eos generassent.

Quæres, quodnam sit hoc « nomen ? » Respondeo, *primo*, « nomen, » id est memoria, fama et gloria; hanc enim filii parentibus conciliant. Unde in Scriptura filii vocantur parentum « nomen, gloria, corona, vita et lucerna; » filii enim splendere faciunt parentum memoriam : hinc a parentibus per filios quæritur, ac sæpe acquiritur nominis æternitas.

Secundo, « nomen, » id est proles, et soboles illustrior et diuturnior. Sic ait Thecuitis Davidi, *II Reg. xiv, 7* : « Quærunst extinguere scintillam meam (filium meum) quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, » id est posteritas, quæ viri nomen et memoriam conservet. Sic nomen Dei est Christus Dei Filius : nomen Julii, est filius Julii. Unde Martialis, lib. VI, de filio Domitiani sic canit :

Nascere, Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deum soboles : nascere, magne puer.

Vide Nostrum Martinum de Roa, lib. III *Singular.* cap. xiv. Præclare Tertullianus librum *De Pudicitia* ita inchoat : « Pudicitia flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis, quanquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua; tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compreserit. » Verum nimius pudicitiae amor et honor Tertullianum in errorem adegit, ut censeret mœchos et fornicatores, licet pœnitentes, ab Ecclesia non esse recipiendos : hoc enim toto libro persuadere conatur. Et S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum*, magistrum suum Tertullianum secutus : « Flos, inquit, est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta in dolens, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas. » Et S. Ambrosius, lib. *De Instit. virg.* cap. xv : « Christi, ait, lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida et immaculata virginitas. » Et cap. xii : « Aula regalis est virgo quæ non est subdita viro, sed Deo soli. » Et lib. *De Virginit.* : « Hæc (virginitas) e cælo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit in cælo, quæ sponsum sibi invenit in cælo. Hæc nubes, æra, Angelos sideraque transgrediens,

Nomen melius virgini promittit Deus, quod? Resp. primo.

Secundo, nomen, id est proles.

Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, et toto hausit pectore. » Et lib. III, *epist.* 15 : « Quid loquar quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit a Christo eligi ut esset etiam corporale Dei templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo divinitatis ? »

Quæres *secundo*, quomodo utrumque hoc nomen obtineant cælibes et virgines ? Respondeo, primum obtinent, quia a virtute virginitatis et religionis majus consequuntur nomen quam a filiorum copia et præstantia : virtus enim perennat æternatque nomen magis quam soboles, præsertim cum sæpe sit degener, quæ facit ut execrabilis et probrosa sit tota progenies, ait S. Basiliius ; adeoque nulla est familia durans per aliquot sæcula, quæ non plures habeat proles in inferno quam in cælo. Sensit hoc etiam gentilis Epaminondas, primus et ultimus Thebanorum princeps. Mansit enim ipse cælebs, ut totus reipublicæ ejusque propugnationi et propagationi vacaret : cumque ei multi suaderent matrimonium, ut sobolem et nomen propagaret, respondit : « Pro semine relinquo Leucricam victoriam, » quæ erit immortalis. Unde merito Agesilaus rex Lacedæmonum, eum licet hostem suum magnifice in acie procedentem videns, exclamavit : « O magnificum virum ! » Testis est Plutarchus in ejus Vita. Adde : filii, et familiæ omnes ex conditione mortali, processu temporis deficient, omnino sine nomine genus relinquentes, ait S. Basiliius. Cælibes vero et virgines, ut idem ait, « Angelorum naturam, et dignitatem perpetuæ successionis accipiunt, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes. » Multo ergo majus et diuturnius nomen obtinent in Ecclesia, id est in cælo et in terra, cælibes, S. Basiliius, Hieronymus, Augustinus ; Gregorius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, eorumque asseclæ. Item S. Catharina, S. Agnes, S. Cæcilia (cujus corpus hic Romæ incorruptum post 1300 annos servatur, ideoque templum ejus marmore et octoginta lampadibus argenteis, semper ardentibus coruscat), S. Agatha, S. Dorothea, S. Febronia, S. Flavia Domitilla, S. Clara, et innumeræ aliæ virgines, quarum nomen et memoria, templis, monasteriis, discipulis et posteris, festis, imaginibus, historiis, laudibus, hymnis, litaniis, aliisque modis celebratur. Et merito ; nam, ut ait Sapiens, cap. vers. IV, 1 : « O quam pulchra est casta generatio cum claritate ! immortalis est enim memoria illius ; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines, et in perpetuum coronata triumphat. » Rursum virginitas est virtus angelica, et virgines sunt angeli terrestres, et homines cælestes, uti docent S. Augustinus, S. Nazianzenus, qui « virginitatem » vocat « angelicæ gloriæ æmulam, » S. Bernardus et alii. Vide dicta I Cor. VII, 25 et seq. « Virginalis integritas, » ait S. Augustinus, *De Virginit.* cap. XIII, « angelica portio est, et in carne corrupti-

bili incorruptionis perpetuæ meditatio. » Quocirca noster Viegas, in *Apoc.* XIV, *Comment.* II, sect. II, num. 4, hunc locum sic exponit : « Dabo nomen melius a filiis, » id est præ Angelis. Nam « filii » hic omnes electi appellantur ; ac procul dubio etiam virgines filii sunt, nec debuerunt opponi filiis. Itaque cum promittitur virginibus melior locus et nomen a filiis, videntur Angelis anteferrî. Et merito : quia in Angelis virginitas, quæ sit virtus, reperiri nequit ; ea ergo Angelis præstant virgines. Hac de causa angelus a Joanne se adorari non permisit, *Apoc.* XIX, 20, dicens : « Ne feceris, conservus enim tuus sum, » *q. d.* Pares virginitate sumus : ego enim natura, tu virtute es virgo ; æquali ergo parique conditione in cælesti curia Deo principi nostro servimus. Ita Viegas pie et mystice magis, quam genuine et litteraliter : nam per *filios* non intelligi hic Angelos patet, quia subdit, « et filiabus : » constat autem inter Angelos non esse sexum, nec filias aut feminas.

Rursum majus nomen obtinent virgines : quia virginitas præ aliis virtutibus totum hominem condecorat et illustrat. Audi S. Bernardum, sermone 85 *in Cantic.* : « Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio ; cujus veritas in mente fulget, et mens in veritate se videt. Sed qualem ? Pudicam, verecundam, pavidam, circumspectam, nihil penitus admittentem quod evacuet gloriam conscientie attestantis, in nullo consciam sibi quod erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem, quasi confusam et repercussam a lumine Dei. Hoc plane, hoc illud decorum est quod super omnia bona animæ divinos oblectat aspectus. » Subdit deinde : « Hunc animæ splendorem suis radiis erumpentem mentis simulacrum corpus excipit, et diffundit per membra et sensus : quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incensus, risus (si tamen risus), mixtus cum gravitate, et plenus honesti ; cum scilicet omnium artuum sensuumque motus, gestus et usus apparuerit serius, purus, modestus, totius expers insolentia atque lascivie ; tum levitatis, tum ignaviae alienus, æquitati autem accommodus, pietatis officiosus. » Deinde concludit : « Beata mens, quæ hoc se induit castimonie decus, et quemdam veluti cælestis innocentie candidatum, per quem sibi vindicet gloriosam conformitatem, non mundi, sed Verbi, de quo legitur, quod sit candor vite æternæ, splendor et figura substantie Dei. » Et S. Basiliius, lib. *De Vera Virginit.* : « Sacra, ait, virgo talem se et habitu, et incensu, et toto corporis motu exhibebit : ut qui illi forte obvii fuerint, quasi vivum Dei simulacrum aspicientes, faciem ad reverentiam, atque ad admirationem sanctitatis inclinent, honestæque virtutis admoniti, mentem pudicam et sobriam referant. Venerentur, inquam, aspectum virginis, atque, ut dixi, tanquam divinæ imagini,

Virginis mores quales esse debeant ? ex S. Bernardo.

Virgo sit simulacrum Dei, Deum semper imitans.

Virginitatis gloria, est æterna.

Virginitas angelorum est æmula.

reverenter de via cedant. » Et inferius : « Domini sponsa cum ejus neque obtutus, neque aures, neque præsentiam queat effugere, omnia in ejus oculis gerit. Quapropter scire oportet virginem, quod sive sola aliquid loquatur, in sponsi auribus loquitur ; sive sola quippiam agat, hoc ille diligenter intuetur ; sive cogitet quippiam, hoc in ipso cordis motu citius ille cognitum et exploratum habet, etc. Quasi igitur præsentate sponso, et inspectante omnia et audiente, virgo se habebit in omnibus. Seipsam ergo primum, conscientiamque suam reverebitur, etiamsi valde sit sola ; deinde astantem sibi custodem Angelum : sciat se esse animatum Christi vas. Talibus pro humano nomine, Angelorum immortale nomen dabo, ut cæli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, et locum inter Angelos insignissimum, nomenque indelebile pro eximie virtutis splendore. » Hæc et plura sparsim eo libro S. Basilii.

Quocirca S. Augustinus, lib. *De Virginit.*, censet per nomen hic significari gloriam propriam, qua virgines ab aliis Sanctis secernuntur, uti per nomen homines distinguuntur. Hinc et *Apoc. xiv, 4*, de iis dicitur : « Hi sunt, qui sequuntur Agnum quocumque ierit : Virgines enim sunt. » Et vers. 3 : « Et cantabant quasi canticum novum ; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. » Hoc ergo canticum, uti et nomine, ab aliis secernuntur. Nomen ergo hoc significat gloriam et gaudium, virginibus proprium, quod erit, ait S. Augustinus, « gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. » Nomen ergo hoc est aureola virginum.

Secundo, « nomen, » id est proles cælibatus et virginitatis sunt filii ac filie ; non carnis, sed spiritus, illique multi et varii.

Ratio a priori est, quod virgines sint sponsæ Deo, et Christo nuptæ, uti docui II *Cor. xi, 2*. Hæ autem nuptiæ, et hoc conjugium cum Deo sterile et infecundum esse nequit : proles ergo hujus conjugii spirituales sunt, non corporales : scilicet, primo, opera pietatis, devotionis et virtutum, intelligentia S. Scripturæ, ait S. Bernardus loco citato, libri scripti vel editi, etc. Pie rursum S. Bernardus ad sororem virginem *De Modo bene vivendi*, cap. xxii : « Tu vero, inquit, amabilis mihi in Christo soror, non dicas : Ecce ego lignum aridum ; non dicas : Ecce ego arbor infructuosa : quia, si Christum sponsum tuum diligas, et times sicut debes, septem filios habes. Primus filius est verecundia, secundus patientia, tertius sobrietas, quartus temperantia, quintus charitas, sextus humilitas, septimus castitas. Ecce per gratiam Spiritus Sancti, sine dolore ex incorrupto utero septem filios Christo peperisti, ut impleatur in te quod scriptum est : Quia sterilis peperit septem. Hos filios, quos Jesu Christo sponso tuo genuisti,

debes nutrire, fovere, lactare, reficere, confortare et castigare. » *Secundo*, opera eleemosynæ aliæ que officia charitatis, quibus se dedere potest virgo non conjugata, cujus spes absorbit familia. *Tertio*, exempla sancta, quibus plures ad Christi obsequium adducunt, itaque eos Deo pariunt, inquit S. Hieronymus.

Ita S. Cæcilia Valerianum maritum, Tiburtium fratrem, et alios, non tantum ad Christi fidem, sed et ad virginitatem et martyrium secum induxit. Unde de ea canit Ecclesia : « Domine Jesu Christe ; seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. » Et : « Cæcilia famula tua, Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit. »

Ita S. Constantia filia Constantini Magni, suis precibus, monitis et exemplis, duas Gallicani filias ad fidem, castitatem et sanctimoniam induxit : ipsumque Gallicanum sponsum suum per SS. Joannem et Paulum eunuchos suos ad Christum, ad castitatem et paupertatem, et mundi contemptum, pro eoque subeundum martyrium, convertit, uti habet Vita SS. Joannis et Pauli 26 junii.

Ita SS. Julianus et Basilissa conjuges et virgines, innumeros, ille viros, hæc feminas, Christo genuerunt, uti habet eorum Vita admirabilis 9 januarii.

Simile legimus de aliis. Quin et hodie cernimus, singularum animarum zelum indi a Deo virginibus piis et devotis, easque multos Christo lucrifacere, ut pro prolibus terrenis, quas contempserunt, spirituales Deo offerant, ne steriles sint, sed sterilitatem carnalem spiritali fecunditate compensent. Quocirca S. Marcellina soror S. Ambrosii, cum a Liberio Pontifice Romæ in basilica S. Petri, ipso Natali Christi, virginitatis velum acciperet, ab eo audivit : « Bonas nuptias elegisti, o virgo ! » Audi S. Ambrosium hæc ei scribentem et enarrantem, lib. III *de Virginit.*, in initio : « Is (Liberius) cum in Salvatoris Natali ad Apostolum Petrum, virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quo Virgo posteritatem acquisivit ?) atque astantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua societate : Bonas, inquit, filia, nuptias desiderasti. Vides quantus ad Natalem sponsi tui populus convenit et nemo impastus recedit ? Hic est qui, rogatus ad nuptias, aquam in vina convertit. In te quoque sincerum sacramentum conferet virginitatis, » etc. Ita accidit. Nam Marcellina suas hic Romæ ædes in monasterium convertit, quod exstat inter Capitolium et Forum piscarium, perenni virginum propagine sanctum et celebre.

Quarto, S. Augustinus affirmat ipsa gaudia virginum esse filios castitatis. Nam caret illa filiis corporeis, sed pro filiis gaudia parit, pro filia gignit animi hilaritatem. Audi ipsum lib. VIII *Confess.* cap. xi : « Ipsa continentia, inquit, nequaquam sterilis ; sed fecunda mater filiorum, gaudiorum, de marito te, Domine. »

Virginitatis nomen, est aureola.

Item proles, quæ et unde ?

Secundo.

Tertio.

Exempla.

S. Liberii ad S. Marcelinam concio.

Quarto.

Quinto, B. Virgo, mater et soror virginum, genuit prolem nobilissimam et fecundissimam, scilicet Christum Dei Filium, qui innumeros Deo et cœlo genuit filios. Hinc S. Ambrosius, lib. III, *epist.* 25 : « Virgo, ait, genuit mundi salutem, Virgo peperit vitam universorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit. Virgo portavit, quem mundus iste capere aut sustinere non potest. » Et lib. *De Institut. virgin.* cap. XIV : « In virginis, ait, utero simul acervus tritici et lili floribus gratia germinabat : quoniam et granum tritici germinabat, et lili. Sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum : Et convalles abundabunt frumento ; quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit, » *Joan.* XII, 24. Hic ergo verum est istud :

Nec genitrice tua fecundior ulla parentum est,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Denique proles corporeæ virginum sunt, non propriæ, sed aliorum, puta conjugatorum in illa provincia : facit enim Deus ut ubi multæ virgines se Deo dicant, ibi nuptæ sint fertiliores. Hancque quasi virginitatis compensationem dat tum ipsis virginibus, tum reipublicæ. Docet id contra Gentiles, qui cœlibatu Christianorum putabant exhauriri hominum sobole Romanum Imperium. S. Ambrosius, lib. III *De Virg.* quasi certa experientia acceptum : « Si quis, inquit, putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucae virgines, ibi etiam pauciores homines : ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis et Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu, non inutilis virginitas existimatur, præsertim cum per Virginem salus venerit orbem fecundatura Romanum. » Ita Deus Annæ pro Samuele sibi oblato, quinque alias proles reposit. Notent hoc parentes, cumque filios aut filias habent, quæ se Deo et castitati dicare volunt, non repugnent, sed gaudeant, iisque et sibi congratulentur, sperentque certo Deum sibi alias proles repositurum, et in bonis ac familia benedicturum.

Ad hunc Isaïæ locum alludit Sapiens, cap. III, 13, cum ait : « Felix est sterilis et incoquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum (id est mercedem, vel proles, ita Petrus Nannius) in respectione (græce visitatione, puta in die iudicii) animarum sanctarum ; et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem : dabitur enim illi fidei donum (id est fidelitatis præmium) electum, et sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus. »

Disce hic quanti nominis et dignitatis, quanti pretii, meriti et præmii apud Deum, Angelos et

Sanctos sit castitas et virginitas. Sciverunt hoc Apostoli, virique Apostolici, qui pro castitate martyrium obierunt, quorum primicerius fuit S. Joannes Baptista, qui ob increpationem incensus Herodis cum Herodiade, martyrio laureatus est. *Secundus*, S. Matthæus, qui quod Iphigeniam regiam filiam Deo per votum consecratam, in sancto proposito confirmaret, ac regi Hyrtaco eam ambienti publice obsisteret, ad altare sacrificans occisus, seipsum una cum Agno immaculato Deo in sacrificium obtulit : quocirca merito a S. Hippolyto, lib. *De 12 Apostolis*, nuncupatur « victima et sacrificium virginitatis. » *Tertius*, fuit S. Paulus, qui cum pellices Neronis ad fidem converteret, et ab ejus pellicatu averteret, non dubitavit ejus iras et gladium suæ cervici accersere. *Quartus*, fuit S. Joannes virgo, et virginitatis æque ac fidei in Asia præco, ut patet *Apocal.* II, 20, et cap. XIV, 1, qui proinde a spurco Domitiano in ferventis olei dolium injectus, martyrii laudem miraculo cumulavit, dum ex eo illæsus et vegetior egressus est. *Quintus*, fuit S. Clemens Pontifex, qui Flaviam Domitillam, Domitiani Imperatoris neptem, Aureliano desponsam, non dubitavit dato ei velo virginem Deo consecrare, seque et Christianos omnes furori Domitiani objicere. Quis politice prudens non dixisset hoc imprudens esse factum et consilium ? At in Deo prudens sciebat quanto Deus virgines haberet in pretio, quanto et pro ea Martyres. Sciebat se suosque Deo esse curæ, sciebat fortis et herois esse non cedere minis et morti, præsertim quæ pro tam pretiosa virginitatis gemma intentantur. Satius enim est vitam, quam virginitatem suam vel alienam perdere. *Sextus*, fuit S. Caius Pontifex, affinis Diocletiano Imperatori, qui quod Susannam neptem, a Diocletiano desponsam Maximiano imperii consorti, in virginitatis proposito confirmaret, eamque ad martyrium pro ea obeundum animaret, cum ipsa a Maximiano cæsus, virginitatis lauream martyrii purpura cumulavit. Jam quale nomen in cœlo et terra obtinent, ac per omnem æternitatem obtinebunt heroinæ, S. Cæcilia, S. Agnes, S. Lucia, S. Dorothea, S. Agatha aliæque innumeræ, quæ virginitatem vitæ cariorem habuerunt, ac pro ea se hostias Deo immolarunt ?

6. ET FILIOS ADVENÆ, — Gentiles. Repetit et confirmat quod dixit vers. 3.

SABBATUM, — hoc est Dei cultum, ut dixi vers. 2. TENENTEM FOEDUS, — observantem condiciones fœderis, puta leges et mandata mea.

7. IN MONTEM SANCTUM, — in Sion, hoc est in Ecclesiam. Vide dicta cap. II, vers. 2 et 3.

LÆTIFICABO EOS IN DOMO ORATIONIS MEÆ. — Judæi lætantes ibant ad templum, quasi ad domum Domini, ibique exsultantes orabant, canebant, psallebant omnibus instrumentis musicis, atque ex victimis Deo oblati epulabantur coram Domino. Hinc David ait, *Psalm.* CXXI : « Lætatus sum in his

Ubi multæ virgines, ibi fecundiores sunt conjuges.

quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. » Major est lætitia Christianorum in suis templis : ibi enim est domus orationis, et domus Dei, in qua realiter et corporaliter Deus habitat in Eucharistia, ut coram audiat et exaudiat orantes, eosque consoletur et lætificet; non solum Judæos, sed cunctas Gentes et populos. Ibi ergo devoti cum Deo familiariter agentes, longas et jucundas trahunt moras. Hoc ergo significat hic Deus, scilicet lætitiā et delicias Christianorum fore in domo orationis, in qua colloquuntur cum Deo, ideoque domum suam, domum fore orationis asseverat.

Nota : Ecclesia est « domus orationis, » quia in ea non alia tractare oportet, quam causam et negotia animæ cum Deo, puta a Deo petere peccatorum veniam, vitiorum victoriam, virtutum robur et incrementa, constantiam in tentationibus, in gratia et virtutibus progressum ac perseverantiam, felicem mortem, salutem et beatitudinem.

Secundo. *Secundo*, non male Sanchez, « orationis, » inquit, id est *oratorii*, sive templi. Sed eodem rediversus : nam oratorium ad orationem dirigitur, ab eaque nominatur. Hinc enim et Græcis et Latinis ecclesia vocatur *proseucha* : quia in ea fit *προσευχη*, id est oratio.

Moraliter, vide hic quæ reverentia templis exhibenda sit, quamque ab ea colloquia vana, ambulationes, mercimonia, turpes aspectus et cogitationes arcenda sint. Vere S. Chrysostomus, hom. 36 in I ad Cor. : « Ecclesia, ait, non est tonstrina, aut unguentaria taberna, aut officina forensis; sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regia Dei, cælum ipsum. Hic nihil nisi sancta sonare decet. » Acrius vero hom. 40 ad Populum : « Quod fulmen non torquetur, non tantum in istos, verum et in nos, nonne mirandum? sunt enim ista fulmine digna. Adest rex, exercitum recenset; tu sub illius oculis stas ridens, et risum despicias? » Quinimo Christus ipse, *Matth. XXI, 13*, ejiciens vendentes et ementes e templo : « Scriptum est, inquit, Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. » Vide dicta *Levit. IX*, in fine cap.

HOLOCAUSTA EORUM. — « Holocausta, » proprie dicta, Christianorum sunt sacrificia Eucharistiæ. Hæc enim non soli Judæi, uti in lege veteri, sed et Gentes offerunt Deo. Ex Gentibus enim constituti sunt Pontifices et sacerdotes. « Holocausta » vero metaphorica et mystica sunt laudes, orationes, hymni et quævis opera virtutum. Hi enim sunt vituli laborum, et sacrificia laudis, quæ omnes fideles offerunt Deo. Ita S. Hieronymus.

8. QUI CONGREGAT DISPERSOS ISRAEL. (Forerius per *Israel* proprie accipit Judæos. De iis enim agit in sequent. *q. d.* Ne putetis, o Judæi! cum voco advenas, id est Gentiles, ad Ecclesiam, vos ab ea exclusos : nam Ecclesia tam erit vestra, quam Gentium; quocirca sicut Gentes, sic et vos toto

orbe dispersos ad eam colligam. Unde subdit) : ADHUC CONGREGABO AD EUM (scilicet *Israelem*) CONGREGATOS EJUS, — id est populum et filios ejus. Hi enim sunt filii synagogæ, id est congregationis, ideoque vocantur *congregati ejus*. Jam « congregatos ejus, » id est congregandos ejus, sive qui in Dei præscientia et prædestinatione ad eam electi, vocati et congregati sunt. Hoc est quod ait Lucas, *Act. cap. XIII, 48* : « Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. » Sanchez vero per *Israel* mystice accipit quosvis fideles. Favet S. Hieronymus, qui ait S. Joannem huc alludere, cum ait *cap. XI, 51* : « Quod Jesus mortuus erat pro gente (sua), et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi (per Gentes), congregaret in unum; » et S. Petrum, cum *epist. I, cap. I, vers. 1*, scribit : « Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, » etc. Gentes enim vocantur *dispersio*, id est dispersæ, tum quia in fabrica turris Babel collectæ, a Deo dispersæ sunt per omnes orbis regiones; tum quia opponuntur Judæis, qui erant synagoga et congregatio Dei collecta in Judæa et templo Hierosolymitano; cum ex adverso Gentes, quasi oves derelictæ et dispersæ errarent et vagarentur per varia idola, religiones et superstitiones. Hinc aiunt Judæi de Christo, *Joan. cap. VII, 35* : « Numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes? »

OMNES BESTIÆ AGRI, VENITE AD DEVORANDUM. — Multi, per *bestias agri*, intelligunt hostes et vastatores Judæorum, tum Assyrios, tum Chaldæos, tum Romanos, quasi dicat : Ego Israelitas dispersos, per Christum congregabo : sed prius ob eorum scelera vastabo et puniam eos, per Romanos aliosque hostes. Ita S. Hieronymus, Forerius et Hugo. *Secundo*, Septuaginta vertunt : *Omnes bestię, venite et comedite*. Unde S. Cyrillus putat Gentes, quæ antea feræ erant et barbæræ, jam conversas, hic invitari ad Eucharistiam.

Verum dico hæc ad tempora Christi pertinere. Cum enim dixisset ab eo dispersos *Israel* fore congregandos, prævideretque in spiritu, quod Scribæ et Pharisei Christum essent persecuturi et occisuri, ab eoque *Israelem* alienaturi, ideoque suam gentem et rempublicam vastante Tito et Romanis perdituri, ac effecturi ut Christus, repulsis Judæis, pro eis vocaret Gentes; intimo dolore et indignatione tactus, subito, ex abrupto erumpit, et evocat bestias, id est Romanos, gentesque alias eis subjectas aut confœderatas, et Scribas et Judæos puniendos et evertendos. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Adamus, Forerius et alii passim.

10. SPECULATORES EJUS CÆCI OMNĒS. — « Quia non videbant opere, quod professione cernebant, » ait S. Gregorius, *XXV Moral. cap. x*. Hic dat causam, cur « bestię, » id est Romani evocandi sint a Deo ad Judææ excidium, quia nimirum speculatores ejus, id est doctores Israelis, de quo præcessit

Ecclesia est domus orationis, cur? Primo.

Secundo.

Ecclesia est cælum.

vers. 8, puta Scribæ et Pharisæi, cæci erant. Erant enim suæ ambitioni, lucris et cupidinibus addicti et excæcati. Unde e Scripturis tempus Messiae ac Christum ipsum, et salutem ab eo allatam, agnoscere noluerunt. Hinc et impendentia populo mala et excidium prævidere et prædicere non potuerunt; quocirca Christus huc alludens, *Matth.* cap. xv, 14, vocat eos « cæcos et duces cæcorum; » cum tamen ipsi se oculatissimos et lynceos reputarent. Nota « omnes, » id est multi, plerique. Non enim omnes Synagogæ pastores simul errare poterant; sic enim tota Ecclesia tunc errasset, ideoque defecisset. Vide Canonem, quem dat S. Augustinus, lib. *De Unitate Eccl.* cap. xii. Adde aliam esse rationem Synagogæ veteris, aliam Ecclesiae Christi; huic enim promisit Christus, quod non deficiet fides ejus, *Luc.* cap. xxii, vers. 32, et I *Timoth.* iii, 15.

CANES MUTI. — Canis ad hoc tantum utilis est ut latret, et latratu indicet arceatque fures: quod si mutus sit et taciturnus, aut natura aut morbo, aut offa a fure in ejus os injecta, inutilis est, imo noxius, tum quia natura est vorax, tum quia in ejus vigilantia et latratu conquiescit herus; alioqui contra fures ipse per se vel alios vigilaturus. Ita Scribæ et Pharisæi erant canes muti, quia devorabant substantiam sui gregis et populi, lac absumebant, lanam auferebant, carnes comedebant, cætera inutiles, imo noxii reipublicæ, quia in Christum salutis auctorem insurgentibus. Unde secundo, Epiphanius, lib. iii *Contra Antidicomarianos*, « canes muti, » ait, id est rabidi: canes enim rabidi non latrant, sed silenter mordent quosvis, etiam dominos suos. Hosce enim in rabie non agnoscunt, sed in eos, æque ac in alienos irruunt et grassantur. Tales erant Scribæ et Judæi, qui quasi rabidi, in Dominum et Salvatorem suum Christum, ac Christianos, irruerunt. Huic proverbio similia sunt illa veterum: « Bovem habet in lingua; » id est pecunia corruptus silet. Erat enim nummus, puta didrachmon, bovis imagine insignitus, qui proinde « bos » vocabatur. Aliud huic simile est: « Multæ sub tegulis cubant noctuæ, » hoc est pecuniæ sub tegulis latent, iisque oblectæ sunt. Hoc servus ille usurpavit, cum domini furtum indicaret. Athenienses enim nummum, quem tetradrachmon vocabant, noctua et Minervæ capite signare solebant.

NON VALENTES LATRARE, — quia os habebant oppilatum, aut offa auri aut munerum, ut ait vers. 11, aut eodem scelere, quod increpare debent. Quomodo enim latrabit in avaros, luxuriosos, superbos, etc., doctor aut prædicator qui avarus, luxuriosus, superbus est? Huic enim os et fauces præcludit sua ipsius avaritia, luxuria, superbia, uti recte docet S. Gregorius in lib. I *Regum*, cap. iv. Narrat Plutarchus in *Vita Demosthenis*, eum auro fuisse corruptum ab Harpalo. Postridie, inquit, collo lana et fasciis diligenter obligato in concionem progressus, cum excitare-

tur ad dicendum, nutu ostendit præclusam sibi vocem esse. Ibi homines faceti cavillantes dixerunt, non angina, sed argentangina oratorem nocte correptum. Ita multi hodie laborant argentangina, quos exilio mulctare et curare oporteret, uti mulctatus fuit Demosthenes.

Porro prædicatores congrue comparantur canibus, ob multas utrinque analogias passim cognitatas. Quocirca S. Bernardi mater, cum eum utero gereret, visa est in somnis sibi videre se utero gestare catellum album, habentem dorsum rubeum, et latrantem; unde de eo consulens virum sanctum, ab illo audivit, hoc viso portendi, filium quem utero gerebat, fore egregium prædicatorem, qui sua lingua medicinali sanaret plagas multarum animarum, et allatrando hæreticis aliisque impiis tutaretur Ecclesiam Dei. Ita habet *Vita S. Bernardi*.

VIDENTES (id est prophetantes et annuntiantes populo) **VANA,** — id est falsa, dicentes: « Pax, pax, cum non sit pax. » Rursum « vana, » id est futilia, curiosa, quæ aures populi scalpunt, mentem, cor et vitia non tangunt, nec sanant. Sic enim canes, videntes noctu lunam moveri, putantes esse animal vivum, v. g. furem qui accedat, latrant, sed latratu vano et inani: ita et hi in lunam latrabant.

DORMIENTES. — Ignavi canes dormituriunt; unde si quid vident et audiunt (auditu enim polleant), modice caput attollunt, et respiciunt; sed mox rursus illud in somnum reclinant, et se perinde habent acsi nihil vidissent. Tales erant Scribæ et Pharisæi; nam et si legebant, quod in Bethlehém nasceretur Christus, quod Magi eum requirerent, in adventu eorum paululum caput attollentes Scripturas evolverunt; sed mox rursus se somno suo dederunt. Item fecerunt in rebus aliis, quæ ad salutem populi spectabant. Ita Forerius: « Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ovile dormit ovium. Somnolentia enim pastorum luporum est gaudium, » ait S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, tom. iii, initio. Ex adverso Ægyptii bonum principem et rectorem significant per canem vigilantem. Audi Horum, lib. I, *hierogl.* 38: « Magistratum aut judicem indicant pingendo canem, et juxta eum regiam vestem. » Sicut enim canis est oculis acutissimis et vigilantissimis, ita debet esse et magistratus.

11. CANES IMPUDENTISSIMI NESCIERUNT SATURITATEM. — Vocavit hosce canes mutos: jam vocat impudentissimos, tum quia instar canum effrontes erant, procaces et impudentes; tum quia, ut sequitur, insatiabilis et inexplebilis erat eorum cupido et ingluvies, ac consequenter et avaritia et rapacitas, ut patet versu 12. Hinc consequenter impudens et inexplicabile erat eorum odium in Christum, hæc eorum vitia arguentem, ait Theodoretus.

Nota est canis impudentia, et impudens voracitas, qua ita se cibo infarcit, ut stomachum one-

ratum vomitu levare debeat, ac mox fœde quod vomuit resorbeat : tales erant et inter hosce pastores, qui vomebant, ut rursus se ingurgitarent, uti dixit cap. xxviii, vers. 8.

vocatus e
Cynicus,
id est
caninus,
cur?

Ita Diogenes ob libertatem carpendi, et ob impudentiam, qua instar canis publice utebatur venire, vocatus est Cynicus, id est caninus, et canis. Aristippus philosophus et Socratis discipulus, cum vidisset Diogenem olera lavantem, accessit : « Si Diogenes, inquit, sciret uti regibus, non vesceretur crudis oleribus. » Contra Diogenes : « Si Aristippus didicisset esse contentus oleribus, non esset canis regius, » hoc est, non adlaretur Dionysio regi, ut cibum ex aula ejus caperet. Ita Laertius, lib. II, cap. viii. Idem rogatus : « Quid esset optimum? » Respondit : « Libertas. » Quæsit ab eo Alexander Magnus : « Num se metueret? » Tum ille : « Quid es? Bonum, an malum? » respondit Alexander : « Bonum. » « Quis igitur, inquit Diogenes, timet bonum? » Convicit regem non esse timendum, nisi se malum esse profiteretur. Ita Laertius, lib. VI, cap. II. Rursum Alexander rogavit : « Num quid a se cuperet aut peteret? » Respondit : « Nihil, nisi ut solis lucem, quam natura mihi dedit, umbra tua non adimas. » Idem : « Ad salutem opus esse dicebat, aut fidis amicis, aut acribus inimicis, eo quod illi monent, hi redarguunt et reprehendunt. » Idem oratores, qui in summo pretio apud Athenienses habebantur, vocabat « turbæ ministros, » quod ad gratiam loqui cogentur, ac serviliter adulari stolidæ multitudini. Idem rogatus cur vulgo vocaretur canis : « Quoniam dantibus, inquit, blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo. » Idem rogatus : « Cujus esset? » ait : Κοσμοπολίτης, sum, id est « civis mundi, » qui ubique est domi suæ, unde a nullo exsilium timet. Idem habitans in dolio, cum Alexander diceret, « velle se ei subvenire, quod diceret eum pluribus egere? Uter, inquit, nostrum pluribus eget? Ego, qui ultra peram et pallium nihil desidero, an tu, qui non contentus patrio regno, tot periculis temet objicis, ut latius imperes; adeo ut vix totus orbis tuæ cupiditati videatur satis futurus? » Idem cuidam dicenti : « Multi te derident, o Diogenes! Et illos, inquit, fortassis asini. » Altero subjiciente : « Sed illi non curant asinos : Nihilo magis, inquit, ego ipsos. » Asinis irrisorem tribuit, quod subinde nudatis dentibus, irrisorem speciem præbeant. idem rogatus : « Qualis esset canis? » sunt enim bonum varia genera; sunt enim venatorii, sunt aucupatorii, sunt custodes ovium et ædium, sunt qui habentur in deliciis, respondit lepide : « Esuriens, sum Melitæus; satur, molossus; » quod cibi appetens blandiretur, saturatus morderet. Hæc et plura Laertius in *Diogene*. Vides ergo in Diogene, quasi in speculo, qui sint canes, nunc libere latrantes, nunc adulantes, nunc impudentes.

Egregie vero S. Ambrosius ad Ruffinum aulæ magistrum, qui Theodosio persuadere nitebatur.

se facilem cædis Thessalonice patratæ veniam, et ingressum in ecclesiam impetratum : « Videaris mihi, inquit, Ruffine, canum impudentiam imitari. Nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ita perfricisti os, ut nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insanivisse. » Instante Ruffino, ac obnixè veniam precante, dicenteque Imperatorem brevi subsecuturum, S. Ambrosius divino zelo accensus : « Ego, inquit, Ruffine, prædico me illum ab introitu sacri vestibuli prohibendum : quod si imperium mutarit in tyrannidem, cædem lubens equidem excipiam. » Dixit et fecit, fregitque Imperatoris animos sua constantia.

IPSI PASTORES IGNORAVERUNT INTELLIGENTIAM. — Forerius per pastores recte accipit principes et magistratus civiles; ad hos enim ab Ecclesiasticis divertere Prophetam, eorumque avaritiam et crapulam taxare : inde enim nascebatur eorum insipientia, contraria sapientiæ politicæ, quæ ad regimen maxime est necessaria; unde eam a Deo petiit et impetravit Salomon, III Reg. III, 11. Alii tamen per pastores accipiunt Scribas et Sacerdotes, contra quos hactenus egit.

OMNES IN VIAM SUAM (quocumque eos trahebat sua avaritia, gula, ejusque comes libido, a quibus sinebant se regi, quasi pecora, ut sequitur) DECLINAVERUNT.

12. VENITE, SUMAMUS VINUM. — Est mimesis, de qua Canon. XVII. Est enim vox pastorum, id est Scribarum. Illi enim asoti ad symposia, et comotationem se invicem hic adhortantur, dicuntque : « Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate, » id est vino aut sicera inebriante, uti dixi vers. 2, cap. xxxv. Nota : Vigilæ pastorum nil ita contrarium est atque saturitas et ebrietas; hæc enim somnum, torporem, hebetudinem, tam corpori quam animo adducit : unde et heri, qui canes alunt ad vigiliam, cavent ne saturentur; tum enim torpidi indormiunt; sed ut citra saturitatem comedant.

ET ERIT SICUT HODIE, SIC ET CRAS, ET MULTO AMPLIUS. — Notatur pastorum obstinatio et progressus in ebrietate, aliisque vitiis jam dictis. Hæc ergo sunt septem speculatorum et pastorum vitia, quæ hic taxat Propheta : *primum*, cæcitas et ignorantia; *secundum*, ignavia muta; *tertium*, otium et desidia; *quartum*, ingluvies; *quintum*, proprius sensus contemptis legibus, et dominium cupiditatis; *sextum*, inexplibilis avaritia; *septimum*, obstinatio.

Videant Episcopi, Pastores ac Sacerdotes, æque ac principes ac magistratus, ne in Clero Christi, aut republica hæc locum habeant aut capiant. Si enim hæc eos occupent, quid de grege eorum sperandum? Quocirca ebrietas aut libido in plebeio, simplex est peccatum; in sacerdote et magistratu multiplex, quia multos offendit, et secum in eandem foveam ac ruinam trahit. Graviter ergo Pastores Ecclesiæ monet S. Petrus, *epist.* I, cap. v,

Septem
pastorum
et princi-
pum pec-
cata.

Diogenes
cosmop-
lita.

vers. 2 : « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti

gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. » Verum hac de re plura dicenda sunt *Ezechiel. cap. xxxiv.*

CAPUT QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguit Judæos præsentés et futuros, qui justos, præsertim Christum, spreverunt, vexarunt, illuserunt. Secundo, vers. 5, arguit eorum idololatriam, quod insano animi impetu et studio, ad idola passim fabricanda et colenda raperentur instar meretricis, quæ ad amasios insanit. Unde iis minatur, vers. 12, vindictam et excidium Babylonicum. Tertio, vers. 14, pœnitentibus, et ad Deum redeuntibus historice promittit reditum ex Babylone, per Cyrum, atque sub hoc quasi typo, promittit credentibus et pœnitentibus libertatem a peccati et diaboli servitute, simulque pacem, et bonorum copiam. Nam impiis non est pax, dicit Dominus (1).

1. Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus. 2. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua. 3. Vos autem accedite huc, filii auguratrici; semen adulteri, et fornicariæ. 4. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax? 5. qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras? 6. In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua : et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium, numquid super his non indignabor? 7. Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum, et illuc ascendisti ut immolares hostias. 8. Et post ostium, et retro postem posuisti memoriale tuum : quia juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum : dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis fœdus : dilexisti stratum eorum manu aperta. 9. Et ornasti te regi unguento, et multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, et humiliata es usque ad inferos. 10. In multitudine viæ tuæ laborasti : non dixisti : Quiescam : vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. 11. Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens, et quasi non vicens, et mei oblita es. 12. Ego annuntiabo justitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. 13. Cum clamaveris, liberent te congregati tui, et omnes eos auferet ventus, tollet aura : Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. 14. Ego dicam : Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei. 15. Quia hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. 16. Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar : quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. 17. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum : abscondi a te faciem meam, et indignatus sum : et abiit vagus in via cordis sui. 18. Vias ejus vidi, et sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus. 19. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. 20. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. 21. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

Vers. 1.

1. JUSTUS PERIT, ET NON EST QUI RECOGITET. —

Dixit cap. præced. vers. 9, excidium Judææ im-

(1) Pergit in hoc capite Isaias exponere œconomiae diviniæ rationes circa Synagogam, et,

PRIMO, causis excidii et ruinæ supra dictis, cap. LVI 9-12, sequentes addit : primo, objicit stuporem et insa-

minere, eo quod « omnes in viam suam declina-
verunt, » et quod speculatores ejus sint canes
muti, ebriosi et dormientes. Hic aliam excidii dat
causam, non activam, sed removementem prohi-
bens scilicet justorum mortem et subtractionem.

Justi
quasi
columna
republicam
sustentant.

Justi enim sunt columna reipublicæ, eamque sua
justitia, quasi columna sustentant, tum quia po-
pulum et principes verbo et exemplo ad virtu-
tem excitant, suntque eis, quod est fermentum
pani; tum quia suis meritis et precibus Dei iram
cohibent, ne sæviat in populi peccata, eumque
disperdat. Hoc est enim quod Deus ait *Jerem.*
cap. v, 1 : « Circuite vias Jerusalem, et aspici-
te, et considerate, et quærite in plateis ejus, an in-
veniatis virum facientem judicium, et quærentem
fidem : et propitius ero ei. » Unde et Abrahæ pro-
misit conservationem Pentapolis, si in ea decem
justos invenisset. Sensus ergo est, *q. d.* Isti spe-
culatores et canes muti, dum ad pocula sedent,
et audiunt aliquem justum aut misericordem, id
est pium in Deum et patriam (hoc enim est He-
bræum *חסיד chasid*), virum esse mortuum; nihil
commoventur, nec cogitant de ejus virtute, aut
se pariter morituros, nec de jactura reipublicæ
quæ tale sui fulcrum et basin perdit.

Nota : Hæc generalia Prophetæ verba, proprie
et primario, ad quosvis justos spectare, sive qui
fuerunt tempore Isaïæ, sive qui postea, ut patet
vers. 5 et sequent., ibique docet S. Hierony-
mus. Vide *Canon.* IV, et dicta cap. I, vers. 7. Ita
Chaldæus, S. Thomas, Adamus, Forerius et alii.
Unde Hebræi hæc referunt ad Prophetas et justos,
quos plurimos occidit Manasses, *IV Reg.* cap. XXI,
16; alii, ad ipsum Isaïam, Jeremiam, et illius ævi
Prophetas. Hi enim fere soli tunc erant justi, ut
colligitur *Jerem.* cap. v, 1.

Secundo tamen, per justum maxime intelligit
Christum. Hic enim est Justus justorum, cujus
cædes per Scribas procurata, fuit causa excidii
Judææ per Romanos, de quo egit cap. præced.,
vers. 9. Per viros misericordiæ, accipit Aposto-
los eorumque successores et Martyres, quos Deus
singulari misericordia indulsit et concessit orbi;
ut quasi soles eum illuminarent, purgarent, per-
ficerent, eique Dei misericordiam et gratiam im-
petrarent. Hi enim per crucem, lapidationem,

niam hominum qui pios de vita decedere sensimque im-
minui cernerent, nec ad id animum adverterent, nec inde
colligerent, secutura esse tristia et calamitosa tempora,
quibus illi eripiantur, 1, 2; *secundo*, exprobrat pessimam
malorum parentum imitationem, 3, 4, scilicet idolola-
triam ubique inductam, varie exercitam, et intempe-
rante promotam, 5-10; *tertio*, male ominatur timorem
propriæ conscientiæ, vanitatem existimatæ justitiæ, et
defectum sperati auxilii, 11-13.

SECUNDO, penitentibus et conversis, *primo*, spondet
reditum facilem et gratiam, 14, 15; *secundo*, exponit
consilii sui, circa vindictam et clementiam variantis, ra-
tiones, 16-18; *tertio*, prænuntiat tranquillitatem et pacem,
ab impiorum sorte quæ perturbatio et inquietas, plane
diversam, 19-21.

aliosque modos, a Judæis sunt interempti, quæ
fuit pernicies ipsorummet Judæorum. Ita S. Hie-
ronymus, S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus,
Haymo, Hugo, Lyranus hic. Item Tertullianus,
Justinus, Cyprianus, Rupertus et alii apud Leo-
nem Castrium.

Aliter hæc explicat S. Gregorius, libro V *Mo-
ral.* cap. XXVIII, quasi dent causam, cur canes
muti dent se otio, vino et somno, quia videlicet
vident justos, sobrios et laboriosos viros a po-
tentioribus et voluptuariis rideri, vexari, imo oc-
cidi, *q. d.* Cum videamus ebriosos et impios pros-
perari, sobrios et pios affligi, demus nos potius
ebrietati quam sobrietati, impietati quam pietati
et justitiæ.

A FACIE ENIM MALITIÆ COLLECTUS EST JUSTUS. —
« Malitiæ, » id est scelerum. Unde huc alludens
Sapiens, cap. IV, vers. 11, ait : « Raptus est ne
malitia mutaret intellectum ejus, » etc.; alludit
ad raptum Henoch. *Secundo*, « malitiæ, » id est
cladis et calamitatis, *q. d.* Auferet Deus justos ex
hac vita, ne videant mala et clades suæ gentis et
sæculi. Sic Deus abstulit Josiam, ne videret regni
excidium et captivitatem Babylonicam, *IV Regum*,
cap. XXII, 20. Sic abstulit S. Augustinum, Wan-
dalis Hipponem obsidentibus. Sic felices illos
qui Trojæ occubuerunt, canit Virgilius, *I Æneid.*:

O terque, quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit opetere!

Hinc S. Gregorius, libro III *Dialog.* cap. XXXVII,
quærenti Petro cur boni, qui aliis poterant
esse ædificationi, e vita hac citius subtrahan-
tur? respondet : « Malitia remanentium mere-
tur, ut hi qui prodesse poterunt, festine sub-
trahantur; et cum mundi finis appropinquat,
electi tolluntur, ne deteriora videant. Hinc enim
Propheta ait : Justus perit, et nemo est qui reco-
gitet in corde suo; et viri misericordiæ colligun-
tur, quia non est qui intelligat. » Ita dum Alfon-
sus cognomento Catholicus, Galliciæ rex, Ecclesiæ
columen, et gloriosus Saracenorum triumphis,
migravit ad Dominum anno Christi 727, in ejus
obitu auditæ sunt in aere voces laudantium Do-
minum et dicentium : « Ecce quomodo tollitur
justus ablatum a facie iniquitatis, et erit in pace
memoria ejus, » uti refert Tudensis, et ex eo Ba-
ronius, anno Christi 757, in fine.

Si de Christo hæc accipias, Christus sublatus
est a facie malitiæ (græce ἀδικίας, id est iniquitatis
et injustitiæ), id est a malitia Scribarum et Ponti-
ficum. Ita Cyrillus. Aliter Hieronymus : « A facie
malitiæ, » id est, ait, ut tolleret hominum mali-
tiam et peccata. Et Haymo : « A facie malitiæ, »
ait, id est, ne quid deinceps in eum possit homi-
num vis et malitia.

2. VENIAT PAX. — Bene precatur, simulque præ-
dicat justos morientes in directione, id est recti-
tudine, futuros in æterna pace et quiete, tum

limbi ante Christum, tum coelestis thalami post Christum. Sic enim et nos defunctis bene precamur, dicentes: « Requiescant in pace. » Septuaginta vertunt: *Erit in pace sepultura ejus* (scilicet Christi; hanc enim nemo Judæorum, Christi licet hostium, mira Dei providentia, impedivit), *ablata est de medio*, scilicet per Christi resurrectionem, cum Christus e sepulcro redivivus surrexit. Ita Patres citati vers. 1.

Vide hic quibus mors sit pax et tranquillitas, scilicet justis, qui eam perpetuo meditantur, et quare pii viri mortem exspectant, nimirum, ne videant mala sæculi, et ut in pace quiescant.

3. VOS AUTEM ACCEDITE HUC, FILII AUGURATRICIS. — A justo qui perit, reflectit sermonem ad impios Judæos, qui fuerunt a tempore Isaïæ usque ad Christum. « Filii » ergo « auguratricis » sunt incolæ Hierosolymæ, divinationibus et auguriis dediti. Hebræum עֹנֵן *onen*, ab עֵינַי *ain*, id est oculus, descendens, idem est quod oculavit, id est oculis observavit, vel stellas, vel aves, vel exta, etc., ut ex illis superstitione conjectet futura, vel occulta. Hisce enim dediti fuere Judæi, quos proinde cap. II, vers. 6, vocavit עֹנֵינִים *onenim*, id est oculatores, hoc est observatores.

Quocirca eosdem vocat, « semen adulteri et fornicariæ, » id est posteri et filii Synagogæ idololatræ et superstitionibus addictæ. Notum est superstitionem et idololatriam in Scripturis vocari fornicationem et adulterium, qua urbs, vel anima, a Deo sponso suo, ad idola, quasi ad adulteros, desciscit. Licet enim Judæi tempore Christi non coluerint idola, erant tamen filii, id est posteri, eorum qui idola coluerunt.

4. SUPER QUEM LUSISTIS, SUPER QUEM DILATASTIS OS, ET EJECISTIS LINGUAM? — Hæc ad quemlibet justum, de quo vers. 1, a Judæis subsannatum, sed maxime ad Christum pertinent, uti docent Patres citati vers. 1, qui hæc referunt ad irrisiones, ludibria, alapas, convicia, blasphemias et conspuationes Christi; dilatare enim eos, est conviciari, imo conviciorum plaustra evomere. *Secundo* et planius, *et dilatastis os, et ejecistis linguam*, significat gestum petulantem insolentis turbæ, quo hiante ore, et lingua in modum canis exerta, contumeliose irrisit et subsannavit Christum; quod licet diserte non expriment Evangelistæ, hinc tamen eos id fecisse liquet. Idque facile suadent petulantia et malignitas Judæorum in Christo, ex qua et sputa, et sannas, et quidquid malignitas eis suggerebat, in Christum evomuerunt. Ita Sanchez.

Forerius hæc refert ad Judæos idola colentes, qui in sacrificiis eorum epulantes et incalescentes mero, laudabant idola, et Deum verum conviciabantur. Idem tamen addit: « Possumus hæc non de Deo accipere, sed de justis, de quibus paulo ante loquebatur, et sanctis Prophetis, quos deridebant, et ludibrio habebant impii. Quem enim Prophetarum non occiderunt, aut persecuti sunt?

uti est in Evangelio. Forte et in funere eorum festa agebant, et insaniam eorum decantabant, et quod ab eorum increpationibus liberi essent, sibi mutuo congratulabantur. Cui expositioni, quæ sequuntur non parum favent. »

SEMEN MENDAX. — Hoc est, adulterinum vel degener, *q. d.* Vos estis Abrahæ filii non veri et sinceri, sed spurii et degeneres, quia ab ejus fide et pietate degeneratis ad idola et scelera. Alludit ad semina, quæ vel vitio suo, vel vitio terræ a sua specie et natura, in aliam viliores degenerant. Sic enim de tritico degenerante scribit Columella, lib. II, cap. IX: « Omne triticum in loco uliginoso post tertiam sationem convertitur in siliginem. » Cujus rei experientiam in agro paterno apud Belgas vidi.

5. QUI CONSOLAMINI (consolationem quæritis et capitis) IN DNI. — Hebraice est נְחָמִים *nechamim*, quod a radice נָחַם *nacham* significat, *qui consolamini*; a radice vero חָמַם *chamam* significat, *qui incalescitis*, ut vertunt Vatablus et Pagninus, *q. d.* Vos videmini furiis et cestro agi ad colenda idola, adeo ut et naturalis amoris obliti parvulos vestros iis immoletis. Alludit ad vesanos amores et æstus meretricis, de qua dicit Jerem. cap. II, 20: « In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris, meretrix. »

SUBTER EMINENTES PETRAS. — Hæc enim excavatæ et obscuræ animum quadam religionis suspitione percutiunt, ait Seneca libro V, cap. XLII, quasi ex spelunca vel antro prodiret numen. Unde ibi erigebant aram; simul ut ibi a pluvia et ventis essent tuti, atque semoti a strepitu tranquillius sacra peragerent.

6. IN PARTIBUS TORRENTIS PARS TUA, — *q. d.* « Pars, » id est sors, tua, divitiæ et deliciæ tuæ sunt, colere non Deum, qui antea erat pars hæreditatis tuæ; sed idola, in torrentibus, id est in vallibus, per quas ex montibus torrentes decurrunt; oriuntur enim torrentes ex montibus. Unde in hac eorum origine, quasi quid divinum esset, constituebant aras, uti docet Seneca loco citato. In hac ergo aliave simili parte torrentis sacrificabant. *Secundo*, non male Vatablus et Forerius vertunt: *In levibus, glabris, vel politis* (hoc enim significat etiam Hebræum חֲלָקֵי *chalake*) *lapidibus torrentis pars tua, q. d.* Cum vides pulchrum aliquem et ex perenni alluvione aquæ lævigatum, aut aliunde politum lapidem positum in torrentibus, illum adoras, et ab eo portionem hæreditatis æternæ exspectas; vel illi tam fidis, illum tam amas, quam portionem hæreditariam (1).

(1) Quæ fuerit veterum circa lapides et rupes supersticiosa religio non ignoratur. In quibusdam regionibus informes lapides colebantur, quibus cælo delapsis singulares vires divinæ inesse credebantur. Arnobius loquitur de lapidibus quos ante conversionem sicut alii colebat. Clemens Alexandrinus, ut idololatriæ hominem deditum designaret, eum vocabat *lapidum politorum adoratorem*. (*Stromat. lib. VII.*)

Vers. 7. 7. CUBILE, — id est altare. Persistit in metaphora adulterii. Ita enim sæpe vocatur idololatria.

Vers. 8. 8. ET POST OSTIUM, ET RETRO POSTEM (*q. d.* Non tantum in montibus, sed et post ostium), POSUISTI MEMORIALE TUUM, — id est idolum dei tui, ut illud quasi tutelæ simulacrum, tam intrans domum, quam exiens, adorares, felicemque et faustum ingressum et egressum, id est omnes actiones ab eo prosperari posceres. Ad hoc enim veteres ponebant in ædibus suis deos, quos Romani Lares vocabant, eisque suffitum adolebant, scilicet, ut hi tam ædes quam incolas defenderent et fortunarent. Ita S. Hieronymus: « Nullus, inquit, fuit locus, qui non idololatriæ sordibus inquinatus sit, in tantum ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares: et tam publice quam privatim animarum suarum sanguinem funderent. Hoc errore, et pessima consuetudine vetustatis, multarum provinciarum urbes laborant, ipsaque Roma orbis domina, in singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, ut tam intrantes quam exeuntes domos suas inelyti semper commoneantur erroris. » Vide Alexandrum ab Alexandria, lib. V *Genial.* cap. xxiv.

Sancti tutelares fidelium, ut colendi.

Hæc fuit Gentilium idololatria; pie vero Christiani permulti, vel ante ædes vel in ipsis ædibus et officinis collocant imagines B. Virginis aliorumque Sanctorum, quasi patronorum et tutelarium: atque vespere, ante illas cereos vel lampades accendunt, tum ut eos venerentur, tum ut jugem eorum memoriam et imitationem refricent, tum ut eos invocent, et benedictionem tam temporalem quam spiritalem impetrent. Nec enim decet ab impia superstitione Gentilium vinci piam religionem fidelium, qui proinde sibi et aliis jugem Dei et Sanctorum memoriam ac præsentiam, per cruces, imagines; altaria, etc., exhibere et repræsentare debent.

QUIA JUXTA ME DISCOOPERUISTI (lectum), ET (in eo) SUSCEPISTI ADULTERUM, — *q. d.* Non tantum foris, sed et in mea domo, id est templo, quasi in eodem cubili et lecto, ascivisti in mei injuriam adulterum, id est idolum et dæmonem.

Notat Achaz regem, qui in templo Dei posuit et coluit deos Damasci, IV *Regum*, cap. xvi, 10. Idem fecit Manasses, IV *Regum*, cap. xxi, vers. 4. Unde et Ezechiel, cap. viii, 14, queritur Judæos Adonidis simulacrum in templo posuisse. Et *Jerem.* cap. xxxii, 34: « Posuerunt, ait, idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum. » Addit Sanchez notari immolationem et concremationem filiorum in Topheth, quæ erat juxta Jerusalem et templum.

DILATASTI CUBILE TUUM. — Notat Achaz, qui altare solito majus, instar altaris Damasceni, Baal erexit. Rursum arguit, quod quam plurimas, passim in lucis, vallibus et torrentibus, aras idolis

construerent. « Dilatasti » ergo, id est multiplicasti.

DILEXISTI STRATUM EORUM (adulterorum, scilicet idolorum) MANU APERTA, — id est opere, studio ac gestibus meretriciis, non occultis, sed manifestis et publicis. Meretrices enim gestu manuum illecebroso alliciunt amasios. Alii, « aperta manu, » inquit, id est liberaliter dans et largiens eis multa munera, puta victimas, ornamenta, oblationes, etc. *Tertio*, Forerius, « aperta manu, » id est profuso opere et monumento, fabricando scilicet eis templa, aras, titulos aliaque monumenta publica.

9. ORNASTI TE REGI UNGUENTO. — Biblia Plantina pro regi habent *regio*, id est optimo et præstantissimo: sed legendum est, « regi. » Ita enim habent Hebræa et Latina Romana. Per *regem* S. Hieronymus, Rupertus, Sanchez et alii accipiunt idolum Moloch: hoc enim hebraice, regem significat, cui Judæos idololatrias se ornasse et unxisse, ut eum ita colerent magnificentius, instar sponsæ, imo meretricis (ad eam enim passim hic alludit), indicat et arguit hic Isaias. Aliter Forerius, qui per *regem* accipit regem Assyriorum, cui, inquit, Judæi occurrerunt cum unguento et multiplicibus pigmentis, quasi meretrix, quæ adultero vult placere. Rursum per hæc intelligit balsamum, aliasque pretiosas merces et munera, quas eidem obtulerunt, ut eum sibi conciliarent. Huic sensui nonnihil favet, id quod subdit: « Misisti legatos tuos procul. »

MISISTI LEGATOS TUOS PROCUL, — *q. d.* Non contenta patriis et vicinorum idolis, etiam legatos misisti ad remotos Assyrios, Chaldæos et Ægyptios, indeque tibi amasios, id est idola, accersivisti. Idem fuse tractat Ezechiel, cap. xxiii.

ET HUMILIATA ES USQUE AD INFEROS, — *q. d.* Quæ olim cultrix Dei eras sublimis et gloriosa, jam cultrix dæmonum, depressa es in lupanar et bathrum libidinum, id est idololatriæ. Hebræi enim dicunt feminam humiliari, cum cognoscitur et violatur; hæc enim est summa ejus humiliatio, id est ignominia et vilitas. Vide dicta *Jerem.* II, 16.

Ita Monachus ille, uti refert S. Joannes Abbas apud Palladium in *Lausiaca*, XLIV, superbe fidens suæ sanctitati et meritis, tentatus et victus a dæmone apparente ei in specie mulieris, et illicente eum ad libidinem, dum cum ea congredi vellet, spectrum evanuit, atque audita est vox dæmonum irradientium in aere, ac dicentium: « Qui se exaltat, humiliabitur. Tu vero usque ad cælos es quidem exaltatus, humiliatus vero es usque ad abyssos. » Quare desperans Monachus in mundum reversus est.

10. IN MULTITUDINE VIÆ TUE LABORASTI: NON DIXISTI: QUIESCAM. — *Viam* vocat, vitæ institutum, mores, religionem, studium scilicet multiplicandi idola, quasi dicat: In accersendis undequaque omnium Gentium idolis, iisque multis fabricandis, erigendis, ornandis, colendis laborasti et fatigasti te.

nec tamen vis quiescere, sed quasi eorum amore insana, magis in dies in iisdem laboras et frustra fatigas te. Pro *quiescam* Vatablus et Forerius vertunt, *desperatum est, aut, deficit me animus* (hoc enim significat Hebræum, וַאֲנִי noas), ideoque fessa quiescam, ut recte vertit Noster.

Nota : Mira fuit Gentium, quas Judæi imitati sunt, in idolis et diis multiplicandis vesania. Eo superstitionis devenit cæca Gentilitas, ut cuilibet herbæ, radici et rei suum assignaverit deum. Ita Pemona ab eis consecrata est dea pomorum, Mellona mellis, Flora florum, Cardea cardinum, Hippona equorum, Bubona boum, Segesta segetum, Seia seminum, Agonius rerum agendarum, Ajus sermonis, Priapus hortorum, Hymenæus nuptiarum, Fidius fidei, Angerona silentii, Meditrina medicamentorum, Limentinus liminum, Myagrus muscarum, Portunus portuum, Eanus peregrinantium, Janus januarum, Momus reprehensionis, Consus consiliorum, Vitumnus vitæ, Rubigus rubiginis, Æolus ventorum, Sentinus sensus, Vallonia vallium, Vitula lætitiæ, Hebe juventutis, Mania larium (tres enim in ostio posuerunt deos tutelares, ut patet ex dictis), Libitina sepulcrorum, Pitho eloquentiæ, Carmenta fatorum, Volupta voluptatis, Rumilia puerorum lactentium, Pecunia æris, Collina collium, Tutilina defensionis, Numeria numerorum, Edulica eduliorum. Quin et morbis ac vitiis : sic Æsculapius erat deus ægrorum, Libentina libidinum, Mena menstruorum, Vacuna vacantium et otiosorum.

Denique divinitatem ipsis non tantum virtutibus, sed et vitiis morbisque assignarunt, ut pudicitiae, concordiae, menti, clementiæ, fidei; pariter et pesti, feбри, morti, senectuti, paupertati, fortunæ, risui. Quo delabitur, in quod barathrum ruit homo deserens Deum et desertus a Deo?

VITAM MANUS TUE INVENISTI. — *Primo*, Leo Cas-trius, « vitam, » inquit, id est desiderium, « manuum, » id est affectuum tuorum (hi enim sunt quasi manus animi), *q. d.* Invenisti quod desiderabas et optabas, scilicet amasium tuum idolum. *Secundo*, *q. d.* « Vitam, » id est opes multas, quibus vivas et vitam splendidam agas, « manuum » labore acquisivisti; propterea neglexisti Deum, nec eum rogasti. Divitiæ enim divites inflant, ut iis confisi, Deum negligant. Ita S. Hieronymus, et Forerius qui et addit : In nomine *vitam* est ironia. « Vitam » enim vocat pestem, ipsamque mortem, quam tamen ipsi vitam reputabant. Ita hodie multi laborant et sudant, ut status et opes, quibus laute vivant, consequantur, et putant iis se vitam parare, cum laqueum animæ et sæpe corporis sibi parent. *Tertio*, et optime, « vitam manus » vocat idola manu facta; tum quia ab illis opes et necessaria, imo lautitias vitæ sperabant, tum quia illorum erant amasii. Hos enim meretrices solent vocare suum cor, suam animam, suam vitam. Unde sequitur : « propterea » Deum « non rogasti. » Est ironia, uti jam dixi.

NON ROGASTI. — Forerius vertit, *non doxuisti; Vatablus, non languisti*. Hebræum enim חָלַל *chala* significat infirmari, indeque orare per metalepsin. Infirmitas enim docet hominem orare.

11. PRO QUO SOLLICITA TIMUISTI. — Nota hæc per interrogationem esse legenda, *q. d.* Ecquid timuisti? quorsum timuisti idola, ne amitteres necessaria vitæ? ut mentireris, id est falleres fidem conjugalem et pactum meum initum, tum generatim, *Exodi xxiv*, tum particulatim in circumcissione cujusque. Me enim, meamque iram et vindictam magis timere debueras. Licet enim adhuc taceam, tamen brevi ut parturiens loquar, et publice coram toto mundo annuntiabo justitiam, id est injustitiam tuam, tradendo te hostibus, ut omnes videant, te ob scelera iis tradi, et per eos a Deo puniri. Est enim ironia et antiphrasis. Ita S. Hieronymus.

Aliter Sanchez, *q. d.* « Pro quo sollicita timuisti? » quidnam eorum, quibus divinum in te furorem inflammabas, tibi terrori fuit? *q. d.* Nihil. Peccasti enim imperterrita et impudens, fallendo fidem et pactum, eo quod videres me tacere et silere. Ergo mea clementia facta es audacior et procacior; cum potius ex ea, ad me redamandum et requirendum, allici et invitari debueris.

12. OPERA TUA NON PRODERUNT TIBI. — « Opera tua, » scilicet ficta et hypocritica, quibus injustitiam tuam celare et velare conaris : vel « opera, » id est idola. Ita Vatablus, Forerius. Unde sequitur :

13. CUM CLAMAVERIS (afflicta ab hostibus, præsertim Chaldæis, in Babylone captiva), LIBERENT TE CONGREGATI TUI. — Dii scilicet tui, quos tibi congregasti coluistique, ac Gentes idololatræ tibi fœderatæ, et in auxilium tuum congregatæ. Hoc est quod eis prædixit Moses, *Deuter. xxxii, 37 et 38* : « Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, et opitulentur vobis. » Est sarcasmus.

Et (id est *sed*, ut vertit Vatablus; hoc enim quoque significat Hebræum וָוַו *vau*), OMNES EOS AU-FERET VENTUS, — *q. d.* Dii et Gentes, licet congregati et plurimi, usque adeo leves et imbelles sunt, ut non secus atque palææ et stipulæ a vento aut aura leniter aspirante jactandæ et dispellendæ sint. Deus enim instar venti levissime et facillime illos et te una cum eis, disperdet. Sic ait Euripides, *Troad.* : « Argivorum probra, et Phrygum præconia Ventis ferenda trado, » et Propertius :

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.

13. QUI AUTEM FIDUCIAM HABET MEI, HÆREDITABIT TERRAM, — *q. d.* Longe aliter accidet his, qui se suamque salutem et vitam mihi crediderunt. Illi enim terram sibi promissam, montemque Sion tum terrestrem, tum cœlestem possidebunt. Significat Judæos, non idolis, sed Deo credentes, et in eum sperantes, e Babylone in Jerusalem redituros : sed sub iis intelligit justos, sperantes in

Deum, possessuros tum Ecclesiam, tum terram viventium in caelis. Ita S. Hieronymus, S. Cyrillus, S. Thomas, Haymo, Forerius et alii.

Quocirca Theodoretus non male per *terram* hanc accipit Judæam, et totum orbem per quem Christi Ecclesia est sparsa; ita ut fidelis Ecclesiae civis, per eam quasi hæreditet et possideat totum orbem; hocque hic promitti. «Fideli ergo totus mundus divitiarum est.»

Fidelitotus mundus divitiarum est.

Vers. 14.

14. ET DICAM : VIAM FACITE. — Hebraice סִלְּוּ סִלְּוּ *sollu, sollu*, id est *sternite, sternite*, vel, *elevate, elevate*, id est aggesta terra munite et aptate viam, uti muniuntur et aptantur viæ in locis palustribus. Ita Vatablus et Forerius.

DECLINATE DE SEMITA, — id est de semita repurgate, everrite sordes, saxa, ligna, etc. Hebraice est פָּנּוּ דֶרֶךְ *pannu derech*, id est *date faciem*, id est planam et pulchram superficiem, viæ; vel *angulate viam*, id est ad angulum et libellam æquate viam. Sensus est, q. d. Complano, facilemque et expeditam faciam viam per Cyrum Judæis fidelibus Babylone redeuntibus. Multo magis dicam Apostolis: Complano viam credentibus et contendentibus in Ecclesiam, ac postea per eandem pergentibus in Sancta sanctorum in caelis. Ita S. Nazianzenus, orat. *ad adventum* 150 *Episcoporum*, et S. Hieronymus ac Cyrillus, qui aiunt idem hic dici cum illo, quod prædixit cap. XL, 3: «Parate viam Domini.»

Vers. 15.

15. EXCELSUS, ET SUBLIMIS HABITANS ÆTERNITATEM, etc. — Est hypotyposis et viva descriptio divinæ Majestatis. Hanc enim opponit vilibus, mutis, impotentibus, saxeis et ligneis idolis. Ubi nota miram amplitudinem Dei et magnificentiam, qua summe distantia et extrema combinat: nimirum, jungit summum et imum, puta cælum et humilem. Sicut enim habitat in cælo, sic et in humili. Rursum jungit æternitatem et contritionem, sive contritum et contusum. Sicut enim habitat in æternitate; ita et in contrito, quasi in tabernaculo et templo suo: nempe Deus ita humiles et contritos elevat usque in cælum, usque ad æternitatem.

Deus jungit summum et imum, cælum et humilem.

Pulchre S. Augustinus in *Psalms*. cxii, ad illud: *In altis habitat, et humilia respicit Deus*, ait: «Sic exaltat humiles, ut non faciat superbos. Itaque et in altis habitat, quos exaltat, facitque sibi eos cælum, hoc est, sedem suam; et eos tamen non superbos, sed semper subditos; intuendo etiam in ipso cælo humilia respicit, in quibus excelsis habitat; Spiritus enim per Isaiam ita loquitur (citat hunc locum juxta Septuaginta): Hæc dicit Altissimus in excelsis habitans, in æternum nomen ejus: Dominus altissimus in sanctis requiem habens. Exposuit quod dixerat, in excelsis habitans. Hoc enim plenius elocutus, in sanctis, inquit, requiem habens. Sed qui sunt sancti, nisi humiles, qui pueri laudant Dominum? Itaque adjungit: Et pusillanimis dans magnanimitatem, et dans vitam, qui in humilitate cordis sunt. In quibus sanctis requiem habet, his pusillanimis dat magnani-

mitatem. Dans utique magnanimitatem excelsos facit, in quibus requiem habens in excelsis habitat; sed quia pusillanimis dat magnanimitatem, eadem excelsa in quibus habitat, humilia respicit.» Et inferius: «Humilia respicit Deus in cælo et in terra; quia meminerunt utique quid fuerint per suam malitiam,» scilicet terra et terreni; «quid facti sint per Domini gratiam,» scilicet cælum et cælestes.

HABITANS ÆTERNITATEM, — q. d. Habitans cælum empyreum incorruptibile et æternum. *Secundo*, «habitans æternitatem,» id est in æternitate, in regione æterna, cujus mensura est non tempus hominum, non ævum Angelorum, sed «æternitas SS. Trinitatis.» *Tertio*, proprie «habitans æternitatem,» id est habitans in seipso, quia est suæ «æternitas,» habitans in sua deitate, quæ est ipsa: met «æternitas,» æque ac «immensitas.» Sicut enim hæc deitatis extensionem, ita illa ejusdem durationem, quasi mensurat. Nec illa loco aut tempore alio creato mensurari potest. Hinc *Deuter.* xxxiii, 26 et 27, Deus vocatur «ascensor cæli; habitaculum ejus sursum,» hebraice, *habitaculum ejus antiquitas*, hoc est *æternitas*. Vide ibi dicta. Deus ergo ex altissima æternitatis specula, omnia tempora, præsentia, præterita et futura infra se labentia, circulantia, fixus et immotus consistens, contempletur.

Qui ergo anhelas ad Deum, ascende a terra in cælum, a carne ad spiritum, ab hominibus ad Angelos, a tempore ad æternitatem. «Deus enim est, cujus natura est majestas, cujus locus est immensitas, cujus tempus est æternitas, cujus vita est sanctitas, cujus vis est omnipotentia, opus misericordia, ira justitia, thronus sublimitas, sedes humilitas.» Pro *habitans æternitatem*, id est æternus, Syrus vertit subinde, *gigas sæculorum*. Ubi nota: Syri passim in Officio divino eleganter et significanter Deum vocant *Gigantem sæculorum*. *Primo* enim *gigas* significat Dei magnitudinem, majestatem et immensitatem, qua res omnes superat cæloque et toto orbe eminent uti gigas in cætu populi. *Secundo*, significatur Dei fortitudo, potentia et dominium, quo in sæculis omnibus dominatur ut gigas Pygmæis. *Tertio*, significatur Dei æternitas, quæ se per omnia sæcula quasi gigas extendit, illa implet, illisque æquatur, imò illa transcendit et complectitur, uti gigas complexitur pusionem. Sicut ergo Deus a Paulo, I *Timoth.* cap. i, vers. 17, vocatur «Rex sæculorum;» a Mose, *Deut.* xxxiii, 26: «Ascensor cæli; habitaculum ejus æternitas: et subter brachia sempiterna,» hebraice, *sub brachiis ejus sæculum*: ita a Syro vocatur *Gigas sæculorum*. Sic a Daniele, imò a Nabuchodonosore, *Daniel.* iii, 10, Deo datur hoc elogium: «Regnum ejus regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem.» Et ab Isaia, cap. xli, 4: «Vocans generationes ab exordio. Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.» Et a S. Joanne «et ω , *Apoc.* i, 8.

Pulchra Dei descriptio.

Argumentum Prophetæ est tale : Dei tanta est sublimitas, amplitudo et magnificentia, ut, cum sit excelsus, humilia respiciat; cum sit in cælo, consideret ea quæ sunt in terra; adeoque cum cælum inhabitet, cohabit et quoque humilibus et abjectis; rursum cum sit æternus et impassibilis, contritos tamen et contusos curæ et cordi habeat, ut eis medeatur : ergo decet eum non in perpetuum litigare, sed in Babylone et captivitate humiliatos, contritos et confractos reducere, curare et sanare. Qui ergo calamitatibus fracti estis, sperate, quod Deum, quem iratum experti estis, benignum rursum et clementem mox experiemini. Nam mortalia et temporalia curat æternus, fracturas peccatorum sanctus, humiles et abjectos excelsus et sublimis. Atque hac in re vult nos eum imitari, eique cooperari. Ita Forerius.

UT VIVIFICET, — ut recreet, erigat, restauret, itaque quasi vivificet. Humiles enim et contriti, vel ex afflictione quam patiuntur, vel ex demissione et compunctione, videntur mortificati et quasi mortui voluptatibus hujus vitæ et rebus hujus mundi. Unde Deus eos erigens, consolans et lætificans, eos rursum vivificat. Ita Sanchez. Huc alludit S. Paulus : « Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus, » II Cor. cap. VII, 6.

16. USQUE AD FINEM. — Deus noster in finem diligit, quia in finem amoris et terminum, ultra quem amor progredi non potest, pertingit. Hoc est, quod de Christo ituro ad mortem ait S. Joannes, cap. XIII, 1 : « Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem (tum vitæ, tum amoris) dilexit eos. » At non in finem irascitur; neque enim iratus fundum iræ exhaurit, ut tantum puniat, quantum vel ira suggerit, vel peccata nostra merentur. Hinc cum Deus diutius in ira persisteret, orat Psaltes : « Ut quid, Domine, irasceris in finem ? »

QUIA SPIRITUS A FACIE MEA EGREDIETUR, ET FLATUS EGO FACIAM. — Primo, Hieronymus Prado sic explicat, q. d. Effundam furorem meum in impios cum flatu et salivis, quasi iram despumando.

Secundo, Hugo, q. d. Efflabo et exspirabo meam iram : itaque non irascar in finem; sed irasci desinam, ac Judæos Babylone reducam. Sic enim irati crebra respiratione et anhelitu efflant et exspirant suam choleram.

Tertio, idem Hugo, q. d. Impii quasi adverso vento acti sunt in syrtes et scopulos, puta in Babylonem; sed ego secundum eis ventum adspirabo, ut inde in portum salutis in patriam navigent.

Quarto et magis genuine, « spiritus et flatus, » id est animas ego facio et creo, q. d. Ideo eas quas creavi amo, misereor, eorumque delictis, si humiliantur et conterantur, ignosco. Non ergo iis, quæ a me habent ut vivant et spirent, irascar in perpetuum. Ita Theodoretus, Chaldæus, Cyrillus, S. Hieronymus et Augustinus, epist. 146, Adamus, Forerius et alii. Alludit ad Gen. cap. II, 2 : « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. »

Quinto, alii per flatum accipiunt animam; per spiritum, Spiritum Sanctum, ejusque gratiam et vim animæ a Deo afflatam. Ita Haymo et Tertullianus, lib. De Anima, cap. XI, et S. Augustinus, lib. VII De Genes. ad litt. cap. XIV. Unde Symmachus, Aquila et Theodotion vertunt : *Spiritus qui omnia obtegit et circumdat*, scilicet, qui vegetator et vivificator est omnium. Hinc et Plato dixit Deum esse spiritum et animam mundi, q. d. Uti ego creavi animas, ita eis dabo Spiritum Sanctum : cur ergo eis irascar in finem? Sane non irascar; sed iram vertam in clementiam et misericordiam. Hic sensus potius mysticus est quam litteralis.

Verum nota : Pro *egredietur* hebraice est *הִטָּוֹף* *iaatoph*; cujus radix *הָטָוּ* *ataph*, cum dicitur de anima, vita vel spiritu hominis, significat illa occultari, obtegi et obrui, ut cessent, nec amplius conspiciantur, uti fit in ingentibus animi et spiritus afflictionibus, angustiis et lipothymiis, cum deficiunt, et deliquium patiuntur. Sensus ergo est, q. d. Ego sum qui humilium et contritorum spiritus, id est animas et halitus vitales deficere et quasi egredi facio : ego etiam sum qui rursum easdem facio, id est reficio, recreo et vivifico; « ego sum qui mortifico, et vivifico : qui deduco ad inferos, et reduco. » Quare non irascar in finem : sed cum animas per captivitatem, similemve ærumnam humiliavero et contrivero, rursum earum misertus, eas erigam, consolabor et lætificabo. Ita Forerius. Unde et Leo Hebræus vertit : *Quia spiritus ante faciem meam deficiet, et flatus ego feci.*

Quare minus recte (multa enim supplere coguntur) Symmachus et Aquila vertunt active : *Spiritus meus qui a facie mea egreditur operit, obtegit, occupat omnia*, q. d. Ego sum qui spiritu meo vivifico omnia. Minus recte et Vatablus sic vertit et explicat : *Spiritus a conspectu meo induet corpus, et animas ego creavi*, id est ego creo spiritus et animas, quas postea in corpus immitto, eoque quasi veste induo.

Nota « egredietur, » id est egredi solet. Futurum enim Hebræis significat consuetudinem. Loquitur de gravi tribulatione, mœstitia, angustiis, in quibus quasi anima obrui et egredi videtur; quam Deus per lætitiā et consolationem quasi restituit et vivificat, uti dixi. Quocirca tristibus et anxiiis hic versus recte accommodatur : hi enim habent spiritum obtectum, obnubilatum, et quasi egredientem e suo statu et loco. Loquitur enim Propheta, non de prima creatione, sed de recreatione, consolatione et lætificatione animarum, tum in Babylone, tum sub peccato et dæmone captivarum et graviter afflictarum. Unde subdit : « Sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus. »

Denique *הִטָּוֹף* valde apte verti potest sic : *Spiritus a facie mea obtegetur, vel involvetur*, id est *involutus exhibit*, uti halitus exit ab ore convolutus tempore frigoris. Simili enim modo Deus

quæ expirat spiritum et animam hominis, dum eam creat et in corpus immittit. Unde explicans, subdit : « Et flatus ego faciam. » Hoc enim posterius hemistichium more Hebræo, explicat prius. Huic sensui favet nostrum « egredietur, » et communiter Interpretes, uti dixi expositione quarta.

Vers. 17.

17. PROPTER INIQUITATEM AVARITIÆ EJUS IRATUS SUM. — Hæc est avaritia, de qua Scribas culpavit cap. præced., 11, fuitque hæc mater et origo omnium vitiorum. Nam, ut ait Apostolus, « radix omnium malorum est cupiditas, » græce φιλαργυρία, id est amor argenti. Quare pronomen *ejus* refert *ἰς* *Israelis*, quasi substantivum notum ex circumstantiis, juxta Canon. XVII. Vere S. Gregorius, XV *Moral.* cap. XII : « Avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur. »

Secundo, S. Hieronymus per *avaritiam* accipit peccandi libidinem insatiabilem; Hebræum enim *בְּטָא* *betsa* quamvis cupiditatem significat. Et sic *avaritiam* pro libidine accepit Apostolus, *Ephes.* IV, 19 : « Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. »

Mystice, avaritia spiritalis est, cum in docendo, concionando, et juvandis proximis quis parvus est, torpidus et frigidus, cum gratia Dei parce utitur, cum dona Dei sibi data parce et ægre aliis communicat : huic irascitur Deus, et sæpe dona data aufert, et sinit eum vagari et sequi suas concupiscentias.

ABSCONDI A TE FACIEM MEAM. — Hebraice est, *percussi eum abscondendo*, id est percussi eum abscondite et latenter, inquit Forerius. Putabant enim Judæi a Chaldæis percuti; sed Deus erat qui latenter per eos percutiebat peccatores. Secundo, melius Noster in *abscondi* solitum accusativum subintellexit, scilicet, *faciem meam*. Sequitur enim : « Et indignatus sum. » Indignabundi enim faciem avertunt ab eo cui indignantur, itaque eam ab illo abscondunt.

ET ABIIT VAGUS IN VIA CORDIS SUI. — Hæc gravis est pœna, cum quis a Deo derelictus sinitur vagari, et impune sequi suas concupiscentias, juxta illud *Psal.* LXXX, 13 : « Dimisi eos secundum (id est in) desideria cordis eorum, ibunt in adventionibus suis. » Alludit ad Cain, qui post fratricidium dixit : « Ero vagus et profugus in terra, » *Genes.* IV, 14. Pro *vagus* hebraice est *conversus*, vel *reversus*. Unde Septuaginta vertunt, *mœrens*; quod S. Chrysostomus ad Theodorum lapsum, et alii exponunt, *pœnitens* : quasi hæc fuerit causa ejus quod sequitur : « Et sanavi eum, et reduxi, » *q. d.* Populus mœrens abiit captivus in Babylonem : unde hac calamitate ad se reversus pœnituit; quocirca e captivitate eum liberavi, et in patriam reduxi. Ita S. Thomas, Forerius, Hugo et alii. Verum nostra versio priorum sensum requirit. Nam vagari in via cordis est sequi concupiscentias; non autem duci in Babylonem.

18. VIAS EJUS VIDI, ET SANAVI EUM, — *q. d.* Vidi eum vagum et errantem, ac abeuntem in ruinam; misertus ergo ejus sum tandem, eumque per flagella, piisque inspirationes excitavi, ut suum errorem periculumque agnosceret, ac ad me rediret; itaque redeuntem sanavi. Loquitur de Judæis in Babylone captivis, ibique pœnitentibus, quos proinde Deus et anima et corpore sanavit, ac reduxit in patriam. Sed sub his intelligit infideles et peccatores, vagantes per idola ac vitia, tandemque pœnitentes, quos Deus sanat, et reducit ad Ecclesiam pristinumque gratiæ et gloriæ gradum.

ET REDDIDI CONSOLATIONES IPSI (populo meo vago jam dicto), ET LUGENTIBUS EJUS. — *Et significat id est, q. d.* Consolatus sum populum, id est lugentes, id est afflictos et pœnitentes, in populo. Loquitur de reductione e Babylone, et antitype, e peccato. Nam typum cum antitypo sæpe conjungunt Prophetæ. Ita Forerius et S. Hieronymus. Vide Canon. V. Huc alludit Christus, *Matth.* V, 5 : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » Chaldæus vertit : *Dedi consolationes ipsi et his qui lugebant super eos*, puta amicis et vicinis lugentibus Judæorum casum et ærumnas.

19. CREAVI FRUCTUM LABIORUM PACEM. — *Primo*, per *fructum labiorum*, Hugo et Adamus accipiunt mercedem orationis, quæ labiis proferri solet, ut sit metonymia, quasi dicat : *Dedi Judæis in Babylone et quibusvis peccatoribus afflictis, lugentibus ac pœnitentibus, meque invocantibus, pro fructu et mercede orationis suæ pacem*. Nihil enim mentem in omni tribulatione, ac præsertim in contritione ac pœnitentia, ita serenat ac pacatam reddit, ac oratio. Pro *fructum* enim hebraice est *נִיב* *nib*, id est *proventum*. Porro pax, Judæis data per Cyrum, typus fuit pacis, id est libertatis, quietis et affluentis honorum spiritualium datæ per Christum. Hic sensus maxime planus, ideoque genuinus videtur. Denique, « *creavi*, » id est *creabo*. Pax enim hæc utraque tam nova, tam mira, tam magna et divina fuit, ut vere dici potuerit a Deo creata. Sic enim in Scriptura creari dicitur res misera, afflicta et quasi emortua, cum renovatur, restauratur, novumque vigorem et vitam accipit. Sic orat Psaltes, ut Deus plantas, resque omnes hieme algidas et quasi emortuas in vere revirescere et reviviscere faciat, dicens *Psal.* CIII, 30 : « *Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ.* » Sic David ob peccatum adulterii spiritaliter mortuus, jam pœnitens orat, *Psal.* L, 12 : « *Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum innova in visceribus meis.* » Sic cap. LXIII, 17, ait Deus, quod in resurrectione creabit cœlos novos et terram novam. Sic in Pentecoste oramus Spiritum Sanctum :

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita;
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Secundo, Vatablus et Forerius per *fructum labiorum* accipiunt communem sermonem et loquendi materiam, p. d. Innovaturus sum sermonem populi hujus : qui enim ante habebat in ore bellum et irationem, posthac loquetur de pace, quæ continget ipsi, tanta et tam grata, ut in labiis ejus non sonet nisi pax, laus et gratiarum actio. Unde et Sanchez sic exponit : Ego creavi, id est creabo et adducam pacem futuram populo in Babylone captivo, æque ac humano generi redempto per Christum, quæ sit perpetua laudationis et gratiarum actionis materia.

Tertio, alii, q. d. Creavi pacem, quæ est fructus labiorum meorum, id est promissionis meæ, quam scilicet ego Deus labiis meis, aut prophetarum meorum, iis promisi. Ita S. Hieronymus, Haymo et S. Thomas.

Denique, quia Hebræum שפא sapha, non tantum labium, sed et littus et ripam (quæ sunt quasi labium maris et fluminis) significat; hinc quidam vertit : *Creavi sicut fructum riparum pacem*, q. d. Creavi pacem tam uberem et copiosam, quam copiosus et uber est fructus crescens in ripa fluminis; impii vero semper tumultuantur et æstuant quasi mare, ut sequitur.

PACEM EI, QUI LONGE EST (id est Gentili, qui hactenus remotus fuit a fide, Deo, et salute), ET QUI PROPE, — id est Judæo, qui antea habuit fidem, Deum, et spem salutis. Ita explicat Apostolus, Ephes. II, 17. Unde patet hæc a vers. 18 et deinceps, magis de Christo et Christianis, quam de Cyro et Judæis, esse accipiendâ : Christus enim plenam pacem hanc tam Gentibus quam Judæis attulit. Alludit tamen ad pacem (eamque præsupponit et perstringit) a Cyro allatam Judæis, tam eis qui longe erant, puta in Babylone captivi, quam eis qui prope, id est qui in Judæa, vel in vicina Idumæa aut Moabide degebant. Ita S. Thomas et Hugo. Historice ergo loquitur de Cyro et Judæis, ut patebit ex toto cap. sequenti; symbolice et præcipue, de Christo et fidelibus. Vide Canon. V et sequent.

Vers. 20. 20. IMPII AUTEM QUASI MARE FERVENS, QUOD QUIESCERE NON POTEST. — Pro *fervens* hebraice est נגרש נigras, id est *impulsum*, ventis scilicet et fluctibus agitatum et jactatum. Unde Vatablus vertit : *Impii autem Euripi instar fremunt*; mare enim cum in arcto stringitur, uti fit in Euripo, in fluctus intumescit. Insuper Euripus septies per diem fluit et refluit, ideoque in perpetua est agitatione et motu, magno naturæ secreto, quod penetrare nequivit Aristoteles; unde de eo dicitur : « Euripus habet Aristotelem, non Aristoteles Euripum. » Sensus est, q. d. Pacem jam dictam habebunt Judæi Babylone a Cyro liberati, æque ac homines a Christo redempti; sed pii tantum, nam impii, cum perpetuo æstu cupiditatum, et afflatu dæmonum agitentur, quiescere nequeunt; sed instar Euripi et maris fluctuantis perpetuo

jactantur : imo, ut ex Hebræo verti potest, *numquam non stercus et lutum ejiciunt*.

ET REDUNDANT FLUCTUS EJUS IN CONCULCATIONEM ET LUTUM. — « Conculcationem » vocat res viles, sordidas et putidas conculcatione dignas, uti sunt spumæ, cadavera aliaque maris ejectamenta, q. d. Sicut fluctus maris ejicit in littus quisquillas et res putidas ac conculcandas, rursus spumas, quæ terra mixtæ faciunt lutum; ita æstus cupiditatum e corde impii ejiciunt et despuant putida peccata. E contrario, sicut mare allisum ad conchas et gemmas, eas expurgat et expolit; ita æstus et agitatio ac persecutio piorum eos purificant et clarificant. Alii sic explicant, q. d. Sicut fluctus maris a terra resorpti lutum faciunt, quod conculcatur; sic impii a Deo et hominibus conculcabuntur in die judicii, uti Judæi jam ab omnibus conculcantur. Ita S. Hieronymus.

Nota : Hebræum רפס rephes significat conculcationem, perturbationem, cœnum, lutum, stercus, etc., a radice רפס raphas, id est conculcare, et conculcando perturbare. Significanter vertit Vatablus : *Impii autem instar Euripi fremunt, qui nescit quiescere, cum aquæ ejus limo et luto turbantur*, id est, ait : *Cujus aquæ propellunt ad littora cœnum et lutum*. Rursus Procopius : *Impii, animi fluctuationem patiuntur, maris instar seipso ulscentes, quod quos fluctus ad littora trudit, assidue parit quidem, sed eorumdem in se reflexionem rursus pati cogitur*.

21. NON EST PAX IMPIIS, DICT DOMINUS DEUS. — Vers. 21. Est epiphonema. Septuaginta vertunt : *Non est gaudium impiis*. Nota hic sanctitatis fructum esse pacem animi, et gaudium in Spiritu Sancto; impietatis vero fructum esse animi perturbationem, ac consequenter voluptates illicitas plus fellis quam mellis habere, et tandem desinere in sordes et poenas, tum præsentis, tum æternas. Ita videmus gulam mille afferre curas, desinere in febres, colicas, catarrhos; libidinem in vomicas, luem veneream, carcinomata; superbos assidue jactari invidiis, odiis, angoribus, ac tandem descendere ad probra et ignominias.

« Quid prodest, ait Seneca, *epist.* 57, totius regionis silentium, si affectus fremunt? Omnia noctis erant, placida composta quiete : falsum est. Nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. » Et Horatius, lib. II, *ode* XVI :

Non enim gazæ, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Et inferius :

Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Melius et plenius S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.* VIII, ostendit impiorum de peccatis gaudia esse

falsa, et perturbationibus plena. Præclare S. Gregorius, XXXIII *Moral.* II: « Ludus est dæmonum, cum vagas et instabiles animas de vitio rotant in vitium. » Idem in *Psalm.* VII *Pœnitent.*: « Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, et in-

numerabiles afflictionum molestias, nulla major afflictio, quam conscientia delictorum. Superest itaque ut in tribulatione positus peccator, ad Deum recurrat, in quo solo vera est consolatio. »

CAPUT QUINQUAGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

fecerat Propheta, cap. præced. in fine, Judæos pœnitentes, justos et pios, Babylone redituros, et habituros in Judæa pacem, non vero impios: nam non est pax impiis. Nunc docet justorum justitiam et pietatem, non tam esse sitam in jejunio corporali et celebratione festorum, ac cæremoniis externis; uti falso putabant Judæi (qui murmurabant contra Deum, quod cum hæc facerent, nihilominus tot calamitatibus premerentur), quam in interna pietate, abstinentia a vitiis, misericordia et charitate. Quare hæc spectant Judæos ante Christum, ut patet ex Zachar. VII, qui multa ex hoc cap. citat; a pari tamen, imo a majori, ad Christianos pertinent: illorum enim justitia major debet esse et purior quam Scribarum et Phariseorum, ut docet Christus. Occasio hujus sermonis et prophetiæ de jejunio fuit, quod Judæi, vastata urbe per Chaldæos, ad repropitiandum Numen, instituerint jejunium quarti, quinti, septimi et decimi mensis, ut patet Zachar. VIII. Unde mirabantur et murmurabant, quod Deus eos non exaudiret, nec Babylonicam captivitatem solveret, pacemque promissam redderet: quibus respondet Zacharias idem quod hic Isaias. Idem fecerunt Judæi in vastitate sub Tito, et faciunt etiamnum. Omnem enim sanctimoniam, vimque propitiandi Numinis, ut mittat eis Messiam, ponunt in jejunio. Hinc et Pharisæus ille arrogans sibi sanctitatem dicebat: Jejuno bis in sabbato, Luc. XVIII, vers. 12.

Jubetur ergo clamare Propheta tubali voce, jejunium Judæorum, mixtum et contaminatum immisericordia et injustitia, scilicet litibus, contentionibus et pugnis, non placere Deo. Deinde, vers. 6, docet quodnam sit verum jejunium, Deo gratum, scilicet jejunare ab iniquitate, cibare pauperes, nudos vestire, etc. Horum enim causa jejunium institutum est. Denique, vers. 8, si id fecerint, promittit eis justitiam, sanitatem, illuminationem, etc., vers. 12, quod in eis ædificabuntur deserta sæculorum, et vers. 14. Tunc, ait, delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. Porro, vers. 8, et deinceps assurgit ad Christianos: illi enim potius quam Judæi ista, quæ dixi, præstiterunt: quocirca et promissa tam ampla, jam dicta, a Deo præ illis acceperunt (1).

1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. 2. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit: rogant me judicia justitiæ: appropinquare Deo volunt. 3. Quare jejunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et

(1) Isaias œconomiae divinæ rationes circa Synagogam, quas, cap. LV, LVI, LVII, prosecutus est, hoc capite et sequenti absolvit, judicium Dei prædicando et minitendo, quæ possunt aptissime ad ea tempora referri quæ Christi Domini adventum præcesserunt, quibus cum præter idolatriam omni genere scelerum contaminati essent ante Deum, exteriori et carnali justitia tantum contenti, putabant male secum Deum agere, quod non Messiam mitteret, ut eos a tantis calamitatibus, quibus post reditum e Babylone premebantur, liberaret.

Primo igitur, magnas voces edere Propheta jubetur, et actio generatim proponitur ab eodem contra Judæos divinatorum consiliorum rationem tenere, et in omnibus suis actionibus divinam voluntatem collimare simulates, 1, 2.

Secundo, exceptionem factam a Judæis ad jejunia sua

provocantibus, refutat Isaias, perstringendo horum defectus jejuniorum, scilicet cum propria voluntate, duritia in repetendo debito, et animo ad contentionem et dissidia intento conjunctorum, 3, 4, et in sola carnis maceratione absque interiori pœnitentia consistentium, vers. 5.

Tertio, designat condiciones justas jejuniorum, scilicet opera justitiæ, charitatis et misericordiæ, 6, 7, pro quibus spondet liberationem a malis præsentibus, securitatem a futuris, nec non conversionem fortunæ adversæ in florentissimam, 8-12.

Quarto, ne videretur in superioribus ita opera misericordiæ exigere, ut his contentus cultum parum curaret, addit aliam conditionem ad Deum pertinentem, præcipitque observantiam sabbati et legis, et addicit bona olina promissa cum hæreditatis promissione, 13, 14.

omnes debitores vestros repetitis. 4. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. 5. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium, et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi: dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui contracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe. 7. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. 8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. 9. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest. 10. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. 11. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. 12. Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis: et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. 13. Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam, in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem: 14. tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui; os enim Domini locutum est.

Vers. 1. 1. CLAMA. — Hebraice est: *Clama in gutture*. HOC est, ut Septuaginta: *Clama in fortitudine, ne parcas gutturi et voci tuæ*.

QUASI TUBA EXALTA VOCEM, — *q. d.* Clama contenta, sonora, forti et quasi tubali voce. Aliter Sanchez, *q. d.* Cane tuba instar præconis, ut populum convoces; deinde voce sonora hæc mea edicta eis propone (ita enim facit præco principis), scilicet « annuntia populo meo scelera eorum. » Notent hoc concionatores, se non esse tibus ad voluptatem et plausum modulantes; sed tubas, ut classicum canant ad arma, ad bellum contra peccata et concupiscentias jugiter ineundum. Audiant S. Augustinum, serm. 106 *De Tempore*: « Quasi tuba exalta vocem tuam. Clamare ergo jubemur, et vehementer clamare. Ne parcas, inquit, id est peccatoris iniquitati, ne tacendo peareas, et dum verecundiæ ejus consulis, non consulas sanitati; ne vulnera illius, quæ clamando resecare poteras, reticendo in pejus enutrias. Scitis quia tuba non tam oblectationis esse soleat, quam terroris: non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem. » Vide sequentia. Simili modo insonat *Osee*, v, 8: « Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama; » et *Joel*, II, 1: « Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini; » et vers. 15: « Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, » etc. Rursum, *Osee* VIII, 1: « In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini: pro eo quod transgressi sunt fœdus meum. »

2. ME ETENIM DE DIE IN DIEM QUÆRUNT, ET SCIRE VIAS MEAS VOLUNT, — *Primo, q. d.* Simulant se quærere Deum, Deique voluntatem, ad eam se collimare, ac satagere quomodo eam implere, eique magis placere possint. *Secundo, q. d.* Inquirunt mea consilia et decreta, eorumque rationes; ut de adventu Messie, cur differatur? quare permittat Deus populum suum in Babylone detineri et indigna pati, etc.? Ita Forerius. Unde *tertio*, apte Cyrillus et Sanchez, *q. d.* Vocant me in jus: allegant enim suam justitiam, measque vias, id est consilia, accusant infidelitatis et iniquitatis, quod promissam eis pacem et bona non præstem; quærunt enim dicuntque quotidie: « Quare jejunavimus, et non aspexisti? » Tales hypocritæ etiam hodie sunt, qui exterius sanctitatem simulantes, semper quæruntur male secum agi: cum enim terrenis bonis animo affixi sunt, inique ferunt ea sibi tanquam justis, non affatim, vel a Deo, vel a reipublicæ rectoribus distribui: at vere justis et pii, de amissione æternorum tantum solliciti, sic sua componunt, ut, cum se indignos aere quem respiratione attrahunt, arbitrentur, æternitatem et veram felicitatem semper meditentur, et super hac re omnes rationes suas subducant. Vera enim justitia, cum facit omnia quæ a Deo præcepta sunt, dicit: « Servi inutiles sumus. Non intres in iudicium cum servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ab occultis meis munda me, Domine, » etc., inquit Forerius.

ET JUDICIUM DEI SUI NON DERELIQUERIT. — « Iudicium » vocat justum, quod Deus lege

Concinator sit tuba, non tibia.

sua præscripsit et sanxit. Tales sunt hodie, qui cum impure et impie vivant, tamen ita pie loquuntur et inquirunt de animæ unione cum Deo, de perfecto amore, de vitæ contemplativæ sublimitate, de apice perfectionis, ut tantum non angeli videantur.

ROGANT ME JUDICIA JUSTITIE, — *q. d.* Volumus scire quam judicia Dei sint justa, det ipse nobis eorum rationem, seque justificet; videntur enim nobis esse injusta: nam sinit nos, qui ejus cultores et justi sumus, ab infidelibus et impiis opprimi. Ita isti stolidi et arrogantes.

APPROPINQUARE DEO VOLUNT, — non ut ad eum per sanctitatem et munditiam accedant; sed ut cum eo disputent, ejusque judicia examinent, et quasi in tribunali contendant, eumque cælo deturbent, et gubernatione orbis amoveant.

3. HUMILIAVIMUS ANIMAS NOSTRAS, — id est jejunavimus, uti præcessit. Hebræi enim jejunium vocant humiliationem, vel afflictionem animæ. *Primo*, quia finis et fructus jejunii est, ut caro humiliata subdatur spiritui. *Secundo*, quia jejunium lasciviam carnis humiliat, punit et domat. Sic David ait, *Psal.* xxxiv, 13: « Humiliabam in jejunio animam meam; » *Levit.* xvi, 29: « Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras, » hoc est jejunabitis. *Tertio*, quia jejunio addebant cilicium, quod affligit; et cinere qui humiliat, se aspergebant, uti nos facimus initio Quadragesimæ, in die Cinerum. Id enim fecit Judith, cap. viii, vers. 6. Unde et subdit Isaias, vers. 5: « Et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium? »

ET NESCIISTI, — *q. d.* Videris ea non aspicere, non curare, imo ignorare, quia ea, uti par est, non remuneras. Vides hic Judæos in externo jejunio suam sanctitatem collocasse. Unde et Christus carpit Scribas, *Matth.* xxiii, qui externam pietatem in jejunio et sacrificiis præferebant, interiorem vero charitatem et misericordiam negligebant. Tales sunt et hodie inter Christianos.

ECCE IN DIE JEJUNII VESTRI INVENITUR VOLUNTAS VESTRA. — Hebraice צָפֵן *chephets* significat, *id quod libet*, quæ in Scriptura vocatur *libido, concupiscentia, voluntas carnis, voluntas propria*, etc. *q. d.* Jejunitis a cibo, et carnem maceratis; sed interim indulgetis libidini animi, v. g. avaritiæ, fastui, iracundiæ, impudicitæ, aliisque vitiis carnis, ad quæ reseccanda jejunium institutum est. Nam, ut alia taceam, debitores vestros pauperes rigide et inhumane compellitis solvere id quod debent, etiam cum non sunt solvendo. Quorum proinde clamor ascendit ad me. Unde Glossa hic: *Qui repetit, ait, non habentem, Deo facit violentiam. Secundo*, tempore jejunii vacatis jurgiis, contentionibus, pugnis et verberibus. Ita et hodie nonnullos, dum jejunant, magis cholericos et impatientes experimur. Jejunium enim acuit in cholericis bilem, sed ipsi eam edomare debent; at mundani, qui nesciunt quid sit mortificatio passio-

num et vitiorum, putantque se beatos, si suos affectus sequi, si id quod lubet exsequi, si quod optant assequi possint, suis cupidinibus indulgent, easque instar pecorum expleant. Quocirca jure Plato in *Critone* damnat illam vulgi precautionem: « Deus det tibi quæ velis: Imo nunquam det, inquit, sed faciat, ut velis quod ipse vult. Hæc enim est pura religio, si sic te religes Deo. » Quare merito exclamat hic S. Bernardus serm. 71 in *Cant.*: « Grande malum propria voluntas, quæ fit ut bona tua (jejunia) tibi bona non sint. Oportet proinde extra lilia fiant qui hujusmodi sunt, quia nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is qui pascitur inter lilia. »

Moraliter, nota hic describi quale debeat esse jejunium Christianorum in Quadragesima et aliag. Jejunium tam a vitiis quam a cibis sit oportet. Scilicet, primo, ut mens tam a vitiis quam a cibo jejundet, inquit S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius. Nam jejunii finis est, ut corpus humilietur et subdatur animæ, anima rationi, ratio virtuti et spiritui, spiritus Deo; quem finem ni assequaris, frustra jejuniorum media adhibes, sicut frustra æger assumit pharmaca, si a noxiis non absteineat, inquit S. Chrysostomus in *Gen.* 1, hom. 8, et S. Leo, serm. 4 de *Quadr.*: « Non in sola, ait, abstinence cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obrectationibus lingua cohibeatur. » Et S. Bernardus, serm. 3 De *Jejunio Quadragesimæ*: « Si sola, ait, gula peccavit, sola jejundet, et sufficit; si vero peccaverunt et membra cætera, cur non jejudent et ipsa? Jejundet ergo oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia, etc. Jejundet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus. Jejundet lingua a detractatione et murmuratione, etc. Jejundet manus ab otiosis signis, etc. Sed et multo magis anima ipsa jejundet a vitiis et a propria voluntate sua. Etenim sine jejunio hoc, cætera a Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur. » Jejunium ergo corporis condiendum est jejunio animæ, et abstinence a peccatis. Hoc est quod Dominus ait *Joel*, i, 14: « Sanctificate jejunium. » Nam, ut ait S. Gregorius homil. 16 in *Evangel.*: « Jejunium sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinence carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur jurgia. Incassum enim caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrenatur, cum per Prophetam Dominus dicat: Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. » Et S. Hieronymus, ad *Celantiam*: « Quid, ait, prodest tenuari abstinence corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebitur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, et ira atque odio inebriari? »

DEBITORES VESTROS REPETITIS. — Objicit eis fictam pœnitentiam. Vera enim pœnitentia (quam falso per jejunium et cilicium profitebantur) sensum purgat, et noxias affectiones, eo saltem tem-

pore quo viget, sedat, atque visibilium contemp- tum et oblivionem inducit : quamdiu enim salu- bris ille dolor mentem obtinet, fastidio sunt quæ charissima esse solebant : filiorum aspectus tunc injucundus est ; ornatus et pretiosæ vestes sor- dent ; deliciasque et fercula ut stercorea reputa- mus, et tantum ad delictorum remissionem, et divinam gratiam suspiramus, inquit Forerius. Et S. Gregorius, homil. 16 in Evangel. : « Qui, in- quit, a debitore suo hoc quod dedit repetit, ali- quid justum facit ; sed dignum est ut quisquis se pœnitentia macerat, etiam hoc, quod sibi juste competit, interdicit : sic nobis afflictis et pœni- tentibus a Deo dimittimur quod injuste egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis juste com- petit, relaxemus. »

Vers. 4.

4. ECCE AD LITES ET CONTENTIONES JEJUNATIS, — Primo, q. d. Jejunatis, non ut carnem mortificetis, sed ut habeatis et caput serenius, et tempus ampli- us, ad ingeniosius et plenius tractandas vestras lites, et contendendum in judicio ac tribunali, at- que ad exigendum vestra debita. Hæc enim rejici- tis in tempus jejunii ; utpote otiosum, æque a ne- gotiis ac vacuum a gula. Dies enim jejunii fere si- mul erat dies precum, idque usque ad vesperam, et ortum Hesperii, ut colligitur *Judith* cap. vi, 16, et docet S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.*, et eousque etiamnum Judæi jejunant. Atque inde videtur orta consuetudo christianorum nonnul- lorum, ut pridie nativitatæ Christi et quibusdam aliis diebus, jejunent ad vesperam, donec videant Hesperum et stellas. Nisi malis dicere, id inde or- tum, quod olim in Ecclesia jejunabatur passim usque ad vesperam, nec prandebatur, sed cœnabatur, peractis Vesperis, et precibus omnibus (unde nunc, quia in jejuniis prandetur, Vesperæ præmittuntur et leguntur ante prandium) ; qui mos servatus fuit usque ad tempora S. Thomæ, uti ipse testatur. Porro vesperam metiebantur ab apparitione Hesperii et stellarum ; unde pueri fa- mentes crebro aspiciant in cœlum, ut, si stel- las viderent, possent jejunium solvere, et famem satiare. Sic multi mercatores in vesperum usque jejunant, ut diem totum impendant mercimoniis et lucris. Ita S. Thomas, Hugo et Sanchez. Hic sensus genuinus est.

Secundo, q. d. Litigatis et contenditis uter ves- trum plus jejunet. Captatis enim ex jejuniis non Dei, sed vestram, ideoque vanam gloriam. Ita Forerius.

PERCUTITIS PUGNO IMPIE — debitores vestros, vel eos, cum quibus litigatis et contenditis. Jejunium enim, quia siccit, choleram acuit. Verti potest, *percutitis pugno impio*, vel, ut Pagninus, *duro* ; Leo Hebræus vertit, *percutitis pugno damnatum*, scilicet ob usuram, aliudve debitum in judicio. Unde Septuaginta vertunt, *percutitis pugno humilem*. Hæc percussio tum dolorem, tum potius ignominiam inurebat percusso.

UT AUDIATUR IN EXCELSO CLAMOR, — qui alte a

jejunantibus, simulque plangentibus tollebatur, ait S. Hieronymus ; quia hi tollebant eum, non ex cordis dolore et contritione, sed ex ostentatione et vana gloria.

Secundo, « ut audiatur clamor, » id est preces vestræ, q. d. Ut Deus in cœlo exaudiat vestras vo- ces et orationes. Ita S. Thomas, Hugo et Sanchez.

Tertio et genuine, q. d. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem ; nempe, ut clamor vester, dum litigatis et contenditis, in excelso audiatur : aut potius, « clamor vester, » active, quo scilicet vos cogitis clamare pauperes et miseros, quos ad persolvendum cogitis et percutitis. Scriptura enim nomine *clamor* significat violentias, rapinas, fraudes, et ea omnia quæ, læsa charitate, faciunt gemere et clamare injuriam passos et af- flictos. Hic clamor cœlos et aures Dei penetrat. Ita Forerius et Adamus.

Vers. 5.

5. NUMQUID CONTORQUERE QUASI CIRCULUM CAPUT SUUM, — id est, ut Vatablus vertit : *Ut homo retor- queat caput suum quasi humum*. Et, ut Forerius : *Ut incurvet* (hoc enim est Hebræum *אפחאפח* *capaph*) *caput suum quasi juncum*. Jejunantes enim partim ex debilitate, partim ex pœnitentia, demittebant caput, et curvi incedebant, itaque sese instar viminis et junci flectebant in circulum, id est in curvitatem et gyrum : uti fecit Achab III Reg. XXI, 27, et David *Psalm. XXXVII*, 7. Hi autem, ut suum jejunium, pœnitentiam et humilitatem ostentarent, plane curvabant caput pene ad tibias ; ut viderentur illud contorquere in circulum, uti vertit Noster. Adde, jejunium ex inedia et debilitate, subinde vertiginem capiti inducit, præsertim languidis, q. d. Hi simulant vertiginem, et contorquent ca- put, ut ostentent suum jejunium.

Arias contendit pro *circulum* legendum esse *cir- cum* vel *scirpum* (cujus variæ sunt species : una asphodelus dicta, quæ Hispanis dicitur *gamon*, quod per metathesin videtur esse idem cum Hebræo *אגמון* *agmon*), puta juncum : hunc enim significat Hebræum *agmon*. Verum omnes codices legunt *circulum*, itaque vertunt Septuaginta et ipse Arias, itaque vertunt *Job* XLI, 21. Licet enim *agmon* proprie significet juncum, significat tamen et *circulum* : juncus enim facile flectitur in circu- lum, ex eoque fiunt circuli. Denique, si lubet, *circulum* hic junceum accipe. Unde Syrus vertit, *ut incurvet collum suum sicut tortile* ; Arabicus, *sicut id quod inclinatur*.

ET SACCUM (id est cilicium), ET CINEREM STER- NERE ? — Hisce enim quasi symbolis pœnitentiæ ornabant jejunium, ut dixi vers. 3.

6. NONNE HOC EST MAGIS JEJUNIUM, QUOD ELEGI ? (Hic jejunii sibi placiti condiciones assignat. Prima est) : DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS (id est dis- solve obligationes et pacta usuraria, aliaque ini- qua et impia, quibus alios, præsertim pauperes, violenter oppressisti et exhaustisti) : SOLVE FASCICULOS DEPRIMENTES, — id est relaxa, condona, conscinde, vel combure fasciculos syngropharum, violen-

Judæi je- junio ad- debant cilicium et cinerem.

Vers. 6. Condi- tiones quas in jejunio erigit Deus. Prima, ut injus- ta pac- ta et im-

Jeju- nabant olim ad vespe- ram.

tarum cautionum; puta chirographa obligationum de solvendis usuris aliisque iniquis contractibus, quibus proximum et fratrem tuum, quasi jugo deprimis et opprimis. Ita Septuaginta qui vertunt: *Dissolve obligationes violentarum cautionum, dimitte contractos in remissione, et omnem scripturam iniquam conscinde.* Et S. Cyprianus, ad *Quirin.* cap. 1, qui sic vertit: *Solve omnem nodum iniquitatis, resolve suffocationes impotentium commerciorum.* Pro *deprimentes* hebraice est מוֹתָהוֹ *mota*, id est *nutationis*, id est fasciculos et onera fratribus imposita, adeo gravia, ut illos inter eundem nutare et vacillare cogant. Ita Vatablus.

Secundo, Forerius « fasciculos, » inquit, metaphorice vocat *fenora*, quæ dum debitores non sunt solvendo, in dies augescunt, et in fasces exerescunt, quos non possunt ferre; vel certe servitia et operas, quas illis injungebant interim dum non solverent.

Tropologice S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. LIII, hæc recte refert ad remissionem injuriarum: « Si, inquit, christianus esse vis, sequere legem Domini, dissolve omne vinculum iniquitatis: in te enim posuit Dominus potestatem remittendi peccata in te commissa, etc. At tu injuriæ memor es, et inimicitiam retines, et in judicium venis, et iracundiam observas, et precibus tuis obsistis. »

DIMITTE EOS QUI CONFRACI SUNT. — Id est, ut Forerius vertit, *qui conquassati sunt*; Vatablus, *qui oppressi sunt* tum paupertate, et ære alieno, ut foro cedere cogantur, quos etiamnum Hispani *fractos* vocant: tum duritie et servitute, aut carcere creditorum: hos enim vult liberos dimitti, adeoque si non sunt solvendo, debitum eis condonari. Ita Plato docet evidentissimum « signum viri optimi esse, si quis sit lenis in suos, et eos, in quos habet imperium. » Nam si in alienos, qui te referre possunt, sis lenis, mirandum non est.

ET OMNE ONUS DISRUMPE. — Debitum jam dictum, vocat « onus, » tum quia in se onus est gravans debitorem; tum quia jugum, servitutem, carcerem aliaque onera creditoris, ei inducit. Unde Septuaginta et Symmachus vertunt, *et scripturam* (chirographum aut sygrapham) *iniquam conscinde.*

Mystice S. Ambrosius, Chrysostomus, Justinus, Basilius, Hilarion, et ex iis Leo Castrius, *q. d.* Dissolve chirographa (id est quælibet peccata), quibus te dæmoni obligasti. Audi S. Hilarionem in *Ps. CXXIV*: « Solve omne vinculum, et omnem nodum iniquitatis. Nam si a præceptis Dei declinaveris, et his obligationibus peccatorum te colligaveris, abduceris in pœnas æternas cum operantibus iniquitatem. » Et S. Basilius in *Asceticis*, cap. IV: « Solve, ait, animi infirmitates, et peccatorum insolubilia vincula, quæ fecisti cum patre peccati diabolo. »

cunda conditio, quam Deus in jejunio, ut sibi placeat, requirit; scilicet, ut condiciatur pietate et eleemosyna, inquit S. Gregorius hom. 16 in *Evangel.*, et quod subtrahitur ventri, detur pauperi; ut scilicet esurienti detur panis, peregrino hospitium, nudo vestis. Hoc ergo, ait S. Gregorius, « quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Sibi enim quisque jejunit, si ea, quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. » Urget S. Augustinus, *serm. 62 de Tempore*, *et frange*, indeque probat, quod nemo licet pauper ab eleemosyna se excusare possit: « Non dixit, inquit, ut integrum panem daret, cum forte pauper ille alium non haberet; sed: Frange, inquit, hoc est dicere: Etiamsi tanta paupertas tibi est, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, et pauperi tribue. » Vide eundem, *serm. 50 et serm. 172*, ubi ait: « Imple miserationis officia, et sanctificasti jejunia. Sagina pauperum viscera, et anima tua muneribus sanctitatis pinguescet. Vesti nudum, et tua peccata contacta sunt. Peregrinum hospitio tuo contende suscipere; ut et te Deus in cœlorum regna suscipiat. » Vide et exempla, quæ recensui *Ezech. XVIII, 7 (1)*.

ET CARNEM TUAM NE DESPEXERIS — Id est, ut Septuaginta vertunt, *et domesticos seminis tui ne despexeris*. Nota hebraismus: *caro* enim vocatur propinquus, consanguineus, tum proprie, qui affinis est; tum communiter, qui homo est; præsertim ejusdem gentis et fidei, v. g. Israelita. Hisce enim omnibus, si egeant, jubet eleemosynam præstari. Et hi omnes in Adamo nobis propinqui et cognati sunt.

Sanchez subaudit *voculam, sicut, q. d.* Sicut carnem tuam non despicias, sic etiam illos (esurientes, vagos et nudos) ne despexeris. Tertiam interpretationem addit Forerius, quam mox indicabo. Sed prima est maxime genuina. Stimulat enim eos ad eleemosynam, dicendo eam dari carni propriæ, hoc est, consanguineis et contribulibus, ut eorum non tantum corpori, sed et animæ consulant, ne videlicet obinopiam cogantur infidelibus vel impiis se mancipare, a quibus ad infidelitatem et impietatem traducantur. Ita legimus in *Vita S. Sylvestri*, qui prudentia æque ac sanctitate eximius fuit Pontifex, quod studiose pauperum, præsertim virginum, pupillorum et orphanorum inopiæ subveniret: « Ne, inquebat, cogantur pe-

(1) Vers. 7. « Frange esurienti panem tuum. » Panes in illis partibus erant tales qui facile frangerentur, utpote tenues placentæ, uti sunt etiamnum in Oriente, juxta viatorum relationes; eo factum, ut *frangere* dicatur pro communicare, seu distribuere. Forma panum, ait Jahn, *Archæolog. Bibl. part. I, cap. IX*, erat rotunda diametro 9 vel 10 pollicum; et azymus quidem non erat cultro crassior; fermentatus autem crassitiem digiti auricularis non superabat: quare panis haudquaquam cultro scindebatur, sed manu frangebatur.

Secunda, ut condiciatur pietate et eleemosyna.

tere ab alienis, qui dum levant corpora, jugulant animas. »

fers. 8.

8. TUNC ERUMPET QUASI MANE (Hebraice כִּשְׁחָר *cassachar*, id est sicut aurora) LUMEN TUUM. — Assignat hic Deus misericordiae et eleemosynae praemia. Primum est lumen, per quod recte Forerius et Sanchez accipiunt prosperitatem et felicitatem. Hujus enim symbolum est lux; sicut nox et tenebrae, adversitatis et calamitatis, q. d. Tunc incipies e mediis calamitatum tenebris, v. g. e captivitate Babylonica in lucem libertatis, laetitiae et felicitatis emergere. Sicut enim immisericordia et inhumanitas diem terris aufert, tempestates concitat, et totam mundi machinam conturbat, vobisque, o Judaei, tenebras captivitatis et carceris induxit; ita ex adverso, misericordia diem, lucem et pacem orbi affert, vobisque reditum ex exilio, hilaritatem, et bona omnia restituet. Addit Sanchez eleemosynam in hora mortis, quae caliginosa est, moesta et anxia, afferre spem salutis, esseque quasi « stellam matutinam, » *Apocal. II, 28*, id est luciferum, qui solis adventum praestit et annuntiat: ita enim et eleemosyna moribundum excitat, eique instantis gloriae beatificae lumen ostentat, et praelibandum offert.

Eleemosyna in morte est quasi stella matutina.

Nota: Pro *erumpet* hebraice est יִבְבָּא *iibbaca*, id est *findetur*, vel *scindetur*: uti sol in aurora radiis suis findens nubes, in lucem quasi fissam et sparsam erumpit. Urget hoc S. Chrysostomus, homil. 55 in cap. XVI *Matth.*, indeque docet misericordiam a Deo misericordiae esse paratissimam. « Non dixit, inquit: Apparebit tibi lux, sed, scindetur, ut velocitatem et copiam dantis exprimeret; ut intelligamus valde cupidum esse nostrae salutis, quodque muneribus plenus, ex largiendi festinatione quasi prorumpat, cum nihil sit quod inestimabile Dei desiderium possit prohibere. Quibus omnibus infinitam honorum copiam nobis paratam esse ostendit. Matutinum lumen, subitum et repentinum significat, antequam cogites te beans, ut quod matutino tempore, antequam exspectes, te excipiunt bona. »

ET SANITAS TUA CITIUS ORIETUR. — *Primo*, pro *sanitas* Forerius vertit, *curatio*, q. d. In Babylone captivus es, o Israel, ibique penuria, squalore, moerore, aliisque ærumnis conficeris, ægrotas et consumeris. Accipe remedium et pharmacum praestantissimum, misericordiam: hæc te omnesque tuos dolores et infirmitates curabit. Tua enim misericordia, Dei in te misericordiam, quæ te sanet, provocabit. Unde Septuaginta pro *sanitas*, vertunt ἰαματα, id est *medicamenta* vel *emplastra*. S. Hieronymus Hebræum ארוכה *arucha* in *Comment.*, hic et alibi vertit, *cicatricem*; Vatablus, *diuturnitatem*. Eleemosyna ergo est emplastrum efficacissimum, quod omnibus plagis et morbis, tam corporis quam animi cicatricem et sanitatem inducit, affertque misericordiae longævitatem, ut sit diuturnæ vitæ. Sic de sapientia dicitur, *Sapient. cap. VI, 26*: « Multitudo sapientium sanitas est orbis terra-

rum. » Et de sobrietate, *Eccli. XXXI, 37*: « Sanitas est animæ et corpori sobrius potus. »

Secundo, « lumen » et « sanitas » spiritaliter hic accipi possunt, q. d. « Tunc erumpet, » id est tunc e caelo infundetur tibi gratia, per quam justificaberis atque illuminaberis in intellectu, ut scias quid bonum, quid malum; quæ via ad salutem ducat; « et sanitas orietur » in voluntate, sanaberis enim a pravis affectibus et cupiditatibus. Simili enim tropo de timore Dei dicitur, *Proverb. III, 8*, quod timor hic « sanitas erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. » Hoc est, si timeas Deum, totum corpus tuum sanum erit. Corporis enim sanitas maxime pendet ex sanitate, tum terneriorum partium, scilicet vitalium; ut cordis, hepatis, splenis, quæ sunt juxta umbilicum, et ipsius etiam umbilici, qui superiora membra cum inferioribus connectit, et per quem foetus in utero a matre alimentum sugit, et alitur; tum etiam duriorum, scilicet ossium, quæ sunt quasi bases et columnæ nostræ domus et microcosmi. Ossium autem sanitas, medullæ pinguedine fovetur et irrigatur; eaque deficiente ossa arescunt; unde sequitur tabes et corruptio hominis. Est metaphora, significans totam animam, omnesque ejus partes nobiles et ignobiles, debiles et fortes, v. g. appetitum qui est quasi umbilicus, et rationem quæ est quasi ossa, per timorem Dei sanas fore. Ita Jansenius et Cajetanus, *ibid.*

Anagogice S. Chrysostomus, homil. 4 in *epist. ad Philippenses*: « Oleum hoc, inquit, eleemosynæ magnam in futuro tibi lucem et claritatem largietur; » ac consequenter sanitatem æternam et immortalitatem.

Denique Chrysostomus, homil. 53 in *XVI Matth.*, S. Augustinus, serm. 172 *De Tempore*; S. Cyprianus, serm. *De Eleemosyn.*; Tertullianus, lib. *De Resurrectione carnis*, cap. XXVII, pro ἰαματα, id est *sanitates*, vel *medicamenta*, legunt, ἰατρα; id est *vestimenta*, per quæ intelligunt corpora. Hæc enim sunt quasi vestimenta animæ, q. d. Corpora hic per jejunium attrita et exhausta, Deus in resurrectione reformabit et renovabit; sicuti veteri vestimento detricto, novum surrogatur et induitur. Audi Tertullianum: Vestem « non subsericam, nec pallium, sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrectionis de mortis occasu prædicavit. » Hic sensus apposite respondet ei quod præcessit: « Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. » Hoc sensu, q. d. Si nudum vestias, Deus quoque nudam carnem tuam, in resurrectione, vestiet stola gloriae. Verum ex Hebræo et Latino liquet in Septuaginta, legendum esse ἰαματα, non ἰατρα, quanquam Hebræum *arucha*, quod proprie significat *longitudinem*, pro longa veste accipi posset.

ET ANTEBIT FACIEM TUAM JUSTITIA TUA. — *Primo*, « Justitia, » id est misericordia. Sic enim capitur « justitia, » *Dan. IV, 24*, in Hebræo, *Psalm. CXI, 9*, *Actor. X, 35*, et alibi, q. d. Si sis in tenebris pec-

Eleemosyna omnium morborum est emplastrum.

Eleemo-
syna cœ-
lum pan-
dit.

cati aut captivitatis, vel calamitatis, præsertim mortis, eleemosyna, quasi fax viam tibi præibit, et inde te educet; in morte vero apud judicem Christum tutabitur, et in cœlum perducet, omnes obices removens, et omnia plana reddens. Hoc est quod ait Tobias cap. iv, vers. 14 : « Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. » Unde sequitur :

ET GLORIA DOMINI COLLIGET TE. — « Gloria, » id est gloriosa liberatio e periculo, vel captivitate, v. g. Babylonica. Rursum, ipse Dominus gloriosa sua gloria cœlesti te colliget, proteget, suscipiet, et ut Septuaginta, *circumdabit*, ac beabit, dicens : « Intra in gaudium Domini tui. » Ita Vatablus, Sanchez et alii. Alludit ad Mosen, qui, cum Judæi rebelles vellent eum lapidare, fugit ad tabernaculum, ibique gloria Domini per nubem appa-
rente protectus est. Audi S. Chrysostomum, homil. 32 in epist. ad Hebr. : « Eleemosyna, inquit, vincula peccatorum dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, et veluti regina intrante, nullus janitorum, nullus custodum qui portis assistunt, audet dicere : Quæ tu es? vel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt : sic etiam misericordia; regina namque est, vere regina similes faciens homines Deo. » Sicut ergo immisericordes et crudeles omnium injuriæ expositi sunt, ut singulis gressibus timere debeant ruinam, quia præcedit eos iniquitas sua et odium, quo Deus eos persequitur; ita e contrario misericordes nullam timent injuriam aut vim, quia præcedit eos sua eleemosyna, et Dei gratia. Vide quæ dixi de eleemosyna, Deuter. xiv et xv.

Secundo, Forerius « anteibit, » etc. q. d. In omnibus rebus, quæ occurrerint, utpote prospere succedentibus, apparebit quod justus sis. Obtinuerat enim passim opinio, quod adversa non nisi sceleratis contingerent, prospera non nisi justis. Sed prior sensus illustrior, æque ac germanior est.

9. TUNC INVOCABIS, ET DOMINUS EXAUDIET, etc. — non verbis, sed facto propitium et beneficium se tibi exhibens, cum antea ob tuam immisericordiam nollet te aspicere, uti querebaris, vers. 3. Ex hoc loco S. Cyprianus, tractat. De Orat. Domin., docet Deum non audire orationes, nisi conjunctas piis operationibus : « Adesse, inquit, se promittit Dominus, et audire ac protegere se eos dicit, qui injustitiæ nodos de corde solventes, et eleemosynas circa domesticos Dei, secundum ejus præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipsi quoque a Deo merentur audiri. » Et paulo ante : « Orantes non infructuosus, nec nudis precibus ad Deum veniant : inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, et in ignem mittatur; uticæ et sermo non habens fructum,

promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fecundus. Et ideo Scriptura divina instruit dicens, Tob. xii : Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna. Nam qui in die judicii præmium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. » Id deinde probat exemplo Cornelii Centurionis, cui ait Angelus, Actor. x : « Cornelii, orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Sic et Raphael, Tobie oranti, et semper operanti testis fuit dicens : Quando orabas tu et Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere, et derelinquere prandium tuum, etc., misit me Deus curare te, et Saram nurum tuam. »

SI ABSTULERIS DE MEDIO TUI CATENAM. — *Catena* hæc est *onus*, et *fasciculi deprimentes* (puta usuræ, et iniqui contractus, servitutes et onera divitum, quibus ipsi alios pauperes quasi vinciebant et opprimebant), de quibus vers. 6. Nam omnibus hisce locis in Hebræo est eadem vox מוֹטָה *motâ*. Ita S. Cyrillus, Vatablus, Forerius et alii. Vide *Jeremie* cap. xxvii et xxviii.

Mystice, S. Hieronymus per *catenam* intelligit peccata. Hæc enim sunt quasi vincula ferrea, quæ vincunt animam, vincuntque tradunt et mancipant dæmoni.

ET DESIERIS EXTENDERE DIGITUM. — *Primo*, Pagninus addit, *ad rem alienam, q. d.* Si desieris furari, et rapere aliena. Ita Cyrillus et Procopius.

Secundo, Vatablus, Forerius et S. Thomas, q. d. Si desieris porrecto digito et protenso minari proximo, et probris afficere; si desieris contendere et rixari. Addunt S. Thomas et Forerius, extendere digitum, esse gestum, quasi volentis eruere oculos; quod est arrogantis, irati, ulciscantis et impotentis animi.

Tertio, S. Hieronymus, Haymo et S. Thomas in extensione digiti, putant significari irrisionem et subsannationem. Itaque vetari hic ne proximo detrahas, et singulos quasi digito notes. Unde Chaldaeus vertit : *Si desieris annuere digito*. Ita etiamnum plebei suos irrident, dum duos digitos in aliquem extendendo, quasi cornua ei affigunt, significantque eum esse cornutum, aut uxorem ejus alios habere amasios. Ita et Diogenes Cynicus, teste Laertio, protendens digitum medium in Demosthenem, insimulavit eum turpitudinis. Olim enim medius digitus infamis fuit, eoque ostendi grave erat probum : illo enim significabant hominem esse mollem et effeminatum : inde digitus hic vocatus est impudicus, de quo Martialis, lib. II : « Ostendit digitum, sed impudicum, » puta medium. Ex adverso ostendi digito secundo, qui dicitur index, laudabile erat et honorificum. Ita Delrio, *adagio* 801, ex Cicerone, Persio et aliis. Sic de procaci et illice femina dicitur : « Digito loquitur. » Democritus vero apud Juvenalem,

Satyr. 10, digito indicabat restem et furcam : cum

Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.

Quarto, Septuaginta vertunt, si abstuleris a te, χειρονομίαν, id est extensionem manus in eligendo magistratu, q. d. Si in eligendo magistratu, non extendas manum ad munera, non sinas te donis corrumpi. Rursum, si non sis levis, nec leviter attollas digitum, ut eligas indignos, quia cognati, amici aut benefici sunt. Nazianzenus, orat. ult. De Cura pauperum, χειρονομίαν exponit δοκιμασίαν, sive ἀμφιβολίαν, id est probationem, sive ambiguitatem; qua Leo Castrius censet notari avaritiam dantium eleemosynam, quod digito quasi supputent quantum dederint, aut indicent se alias eis dedisse, vel alios nunc eis impertitos esse eleemosynam. Melius Nicetas in Nazianzeno probationem interpretatur explorationem, qua divites nimis curiose inquirunt, an pauper vere sit pauper, et eleemosyna dignus. Planus videtur, si χειρονομία ad verbum interpretemur, manus vel digiti extensionem. Hanc enim significat vox Hebræa, Chaldæus et Noster, a quibus Septuaginta noluisse dissentire est verisimilius, ut recte advertit Delrio loco jam citato. Tertius ergo sensus et secundus maxime genuini videntur.

ET LOQUI QUOD NON PRODEST. — Hebraice פִּתְיוֹן *aven*, id est iniquitatem, puta lites, rixas, oppressiones pauperum, sannas et convicia. Unde Septuaginta vertunt, *murmura*.

Vers. 10. 10. CUM EFFUDERIS ESURIENTI ANIMAM TUAM. — Hoc est viscera misericordiæ, puta intimos affectus compassionis, condolendo, miserendo, et miseræ ejus copiose et largiter succurrendo. Hoc enim notat רָב *effuderis*. Septuaginta vertunt : Si dederis esurienti panem ex anima tua, id est ex sincero totoque affectu animæ tuæ : Deus enim magis animum dantis, quam datum ipsum respicit. « Deus, inquit S. Gregorius, XXII Moral. XII, non pensat datum, sed affectum. »

ET ANIMAM AFFLICTAM (fame, nuditate, mœrore) REPLEVERIS — cibo, veste, consolatione et lætitia.

ORIETUR IN TENEBRIS LUX TUA, ET TENEBRÆ TUÆ ERUNT SICUT MERIDIES, — q. d. In mediis calamitatibus orietur tibi libertas, lætitia et prosperitas tanta, quanta est lux in meridie. Rursum « in tenebris, » id est in agone et in horrore mortis, erit tibi consolatio, et spes salutis ac lucis, et gloriæ æternæ : Deus enim omnes animæ timores et angores, omnia nubila serenabit et discutiet. Vide dicta vers. 8. Sic Job XI, 17, dicitur : « Quasi meridianus fulgor consurget tibi, » hoc est, « cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer : » ubi Leo Hebræus vertit : Totum tempus vitæ perflabit serenius quam meridies. Est enim lux meridiei clarissima et jucundissima, nullamque gignit umbram, q. d. Pari modo tibi, o Job, vita, quæ superstes, erit plena felicitatis, nulla adversarum re-

rum umbra, nullo infelicitatis timore convellenda aut fuscanda.

11. ET REQUIEM TIBI DABIT DOMINUS SEMPER. — Vers. 11. Potest quoque sic verti : Erit Deus perpetuo requies tua, in quo uno semper requiescas. Rursum sic Deus perpetuo deducet te in via recta felicitatis et salutis, sicut deduxit filios Israel, duce columna, per desertum in Chanaan. Ita Forerius et Vatablus. Loquitur de requie, tum terrena, v. g. quam habituri erant Judæi e Babylone redeuntes in Judæa; nam de euntibus in Babylonem dicitur Threnor. v, 5 : « Cervicibus nostris minabamur, lassissimis non dabatur requies, » tum cœlestis et æterna.

ET IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM. — Illustrat et inculcat id quod dixit paulo ante : « Orietur in tenebris lux tua. » Vide ibi dicta, quibus adde : sicut peccatum implet tenebris animam immisericordem, sic Dei gratia implet animam misericordem, splendoribus sempiternis gratiæ, consolationis et lætitiæ in hac vita, ac gloriæ æternæ in futura.

Nota : Pro splendoribus hebraice est כְּצַח צְהוֹרִים *betsach sachot*, id est claritate claritatum, vel splendore splendorum, vel serenitate serenitatum, vel siccitate siccitatum, vel ardore ardorum, id est summo ardore, siccitate et splendore. His enim implet mentem misericordium et sanctorum SS. Trinitas, cum ad eas venit habitura. Est enim ipsa ignis consumens concupiscentiam, et quidquid in nobis aqueum est, terrenum et mortale.

Denique Chaldæus, Pagninus, Vatablus et Sanchez vertunt, implebit in siccitate siccitatum, id est in summa sterilitate et fame, « animam tuam. » Cum enim aliorum segetes sterilescunt, misericordium agrum a Deo fecundantur. Hoc enim promisit, Proverb. III, 9 : « De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. » Et cap. XXVIII, vers. 27 : « Qui dat pauperi, non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. »

ET OSSA TUA LIBERABIT. — Vatablus vertit, ossa tua saginabit, id est implebit medulla. Hac enim ossa, antea fame sicca et arida, irrigantur, vegetantur, saginantur, crescunt et roborantur. Unde Septuaginta vertunt, ossa tua pinguescent. Per ossa, synecdochice intelligit omnia membra : horum enim fulcrum et sustentamina sunt ossa. Hinc « ossa » symbolice significant robur et fortitudinem, q. d. Tua ossa, tua membra, tuum robur, in calamitate, v. g. Babylonica, captiva, contrita et emaciata Deus liberabit, roborabit et impinguabit.

Mystice, idem faciet ossibus, id est soliditati ac potentiis animæ : has enim ab omni peccati et vitiorum tabe liberabit, et gratia et consolatione sua pinguefaciet. Ita Procopius, Cyrillus et Castrius. Hi enim per ossa accipiunt animæ potentias.

Symbolice, « ossa » animi sunt virtutes : hæ enim animum roborant et fulciunt, uti ossa corpus. Hæ fiunt quasi captivæ, cum per peccatum,

Eleemo-
syna di-
tat.

perditā Dēi grātia et charitate, amittunt suum quasi spiritum et vitam, ac statum supernaturalem, ut jam non Deo, sed dæmoni seruiant: hās liberat Deus, cum excusso per peccati remissionem et grātia dæmonis iugo, charitatem eis restituit, quā rursus Deo vivere, ei que in sanctitate et lætitia servire incipiunt. Ita Sanchez.

Anagogicē, ex Septuaginta qui vertunt: *Ossa tua sicut herba orientur et reflorescent, et hæreditabunt generationem generationum*; S. Cyrillus et Procopius hæc accipiunt de gloriosa resurrectione corporum misericordium et beatorum, ad beatam immortalitatem.

ET ERIS QUASI HORTUS IRRIGUUS, — *q. d.* Eris sicut paradus semper verans fructibus et frondibus; eo quod jugiter aquis, vel pluviis, vel fontanis irrigetur. Hoc est, abundabis fructibus et bonis, tum corporalibus, tum spiritualibus. Quo enim plura dederis pauperi, eo plura tibi erogabit Deus, ut semper habeas quod eroges, nec fons misericordiae tuæ siccetur. Id ipsum est, quod ait Apostolus, II Cor. ix, 6: « Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. » Et vers. 10: « Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. » Vide ibi dicta. Multo magis id fiet in anima: hanc enim Deus, quasi hortum suum irriguum, perpetuo aqua gratiæ suæ irrigabit. S. Ambrosius, lib. III, *epist.* 25, hæc refert ad laudem jejunii: hoc enim eleemosyna condiri jubet hic Propheta: « Ossa, inquit, tua pinguescent, et eris sicut hortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, virtutesque ejus spiritali adipe jejunii, et fructus tui multiplicantur ubertate mentis tuæ, ut sit in te sobria ebrietas, sicut illud est poculum, de quo ait Propheta: Et poculum tuum inebrians quam præclarum est! »

ET SICUT FONS AQUARUM, CUIUS NON DEFICIENT AQUÆ — Apte misericors comparatur fonti: sicut enim fons omnibus suam aquam largiter communicat, et quasi viscera sua effundit, nec tamen deficit, sed tantum semper recipit, quantum emittit; ita et eleemosynarius plus a Deo recipit, quam in pauperes eroget. Sicut enim aqua ad fontem, lac ad ubera; quæ suguntur; ita dona et bona Dei ad eleemosynarios confluunt, inquiunt S. Basilius et Clemens, III *Pædagogi* cap. vii. Pro non deficient hebraice est, non mentiuntur, id est non fallunt, non deficient, sed perennant. In æstu enim et siccitate, multi fontes exarescunt, falluntque heros sitientes et hiantes; sed fons misericordiae est fons fidelis, qui in omni aliorum egestate non deficit, sed facit eos bonis abundare, quibus suam et aliorum famem et sitim expleant.

Quocirca considera, *primo*, viriditatem; *secundo*, proceritatem; *tertio*, fertilitatem; *quarto*, varietatem; *quinto*, aquarum copiam; *sexto*, omnigenam arenitatem et pulchritudinem horti irrigui,

v. g. paradisi terrestris; eaque ad hominis misericordis corpus, opes et animum transfer, et videbis quam felix ejus sit sors.

Huc facit apologus de agro maxime frugifero, qui non septus, nec conclusus, tam herum quam quosvis alios abunde alebat et saturabat: at postquam is in manus heri avari qui sepe ei circumdata alios exclusit, devenit, non nisi hero sufficientes fructus protulit. Miratus est herus, consulensque oraculum, audivit: « Uni servit ager tibi nunc, cur tanta requiris? » Similiter, si quis aquas fontis muro includat, non emanant aquæ, sed furtim alio se proripiunt; ita et tibi, tuisque bonis continget, si avaræ ea serves, et in arca concludas. Opes ergo avarorum fallaces sunt et mendaces, misericordium vero fideles et constantes. Ita Forerius.

12. ET ÆDIFICABUNTUR IN TE (vel a te) DESERTA SÆCULORUM, — puta domus, vel urbes et provinciæ tuæ a multis sæculis desertæ, tum domibus, tum habitatoribus, itaque quasi emortuæ: nam incolæ et domus sunt quasi sanguis et vita civitatum et regionum.

FUNDAMENTA GENERATIONIS ET GENERATIONIS (id est multarum generationum et sæculorum) suscitabis, — *q. d.* Restaurabis et reædificabis urbes et domos, a multis sæculis dirutas, quarum tantum fundamenta in imo, terra obruta, remanserunt. Promittit hic Deus misericordibus amplam sobolem et familiam; ita ut necesse sit desertas urbes et domos reædificare, ut posteris ejus sit habitandi locus: sicut ex adverso deficiente sobole, et incolis, deficiunt et ruunt domus et urbes, *q. d.* Misericordes non tantum instar fontis habebunt perpetuitatem sobolis ac familiæ; sed etiam amplitudinem, ut quaquaversum se dilatent et multiplicentur.

Jam *primo*, Hebræi, testibus S. Hieronymo, S. Thoma, Vatablo et Forerio, hæc referunt ad Judæam et Hierosolymæ a 70 annis desolatæ restorationem per Zorobabel. Addit Sanchez, « fundamenta generationis et generationis » vocari Jerusalem, quia ipsa ante multas generationes fundata fuit, ætate Melchisedech. Hic sensus frigidior est; ad eum tamen alludit Propheta, eumque quasi historicum præsupponit. Verum sub eo, quasi typo, *secundo*, altius quid de Ecclesia Christi spectat; ad illam enim avolat, juxta *Can.* IV, præsertim quia a cap. XL ad finem libri, fere agit de Christo et Ecclesia, *q. d.* O fideles, o Ecclesia, si operibus misericordiae te dedas, pietas, fides et sanctitas priscorum patrum, jamdiu collapsa, in te restaurabuntur, quasi « fundamenta generationis et generationis; » id est, ut Septuaginta, *diutissime*, imo in æternum in cælis duratura: o Christe, o Apostoli, o Christiani, si fueritis viri misericordiae (uti scio vos fore) Ecclesiam veterem, id est Synagogam, collapsam restituetis, facietisque ut in ea redeant et reflorescant fides Abrahæ, spes Isaaci, charitas Jacobi, innocentia Abelis, castitas Josephi, man-

Docetur
id apolo-
60.

Vers. 12.

Opes con-
fluunt
ad elee-
mosyna-
rios, si-
nt lac
ad ubera.

suetudo Mosis, fortitudo Davidis, patientia Job, etc., quæ virtutes jam pridem abolitæ, et e mundo ablatae videbantur. Ita S. Hieronymus, Hugo et alii.

Huc pertinet expositio Procopii et S. Augustini in *Psalm.* cx et cxl, qui per *deserta sæculorum* accipiunt ruinam hominum in primo parente Adamo, cujus peccato omnia nostra bona facta sunt ruinosas, ac ceciderunt. Unde Procopius: « Animæ tuæ, inquit, ruinæ in Adamo factæ instaurabuntur, et disciplina cœlesti reficientur; ædificabis teipsum dogmatis cœlestibus; Christo tanquam muro te sepies, » ut scilicet fias templum Dei. Loquitur enim Isaias, tam de anima, quam de Ecclesia, quasi de urbe vel templo olim vastato, nunc restaurato et munito. Itaque licet proprie loquatur de Synagogæ et Ecclesiæ restauratione, tamen consequenter loquitur etiam de reparatione animæ cujusque: per hanc enim illa fit.

Multo magis loquitur de institutione, vel reformatione statuum et Ordinum, tum Ecclesiasticorum, tum Religiosorum: hi enim sunt fulcra et bases Ecclesiæ. Tales ergo Ecclesiæ et Religionis ædificatores fuerunt S. Basilius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Antonius, S. Dominicus, S. Franciscus; de quo proinde narrat S. Bonaventura cum Ordinis sui confirmationem ab Innocentio III Pontifice petiisset, illeque eum primo rejecisset; tandem tamen benigne eum excepisse, et Ordinem confirmasse, eo quod in somnis sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem basilicam sustinere visus fuisset. Ita S. Franciscus de Paula, institutor Ordinis Minimorum, parvam ecclesiam ædificaturus, jussus est in somnis illam multo grandiore ædificare, quod Ordinem suum late propagaturus, per eumque Ecclesiam restauraturus esset. Tales fuerunt singulis fere sæculis, vel institutores, vel reformatores Religionum, quos Deus pro sua provida misericordia tam Ecclesiæ, quam Religionibus ipsis excitavit, ut eas pristino nitori ac fervori restituerent.

Ubi nota Deum excitasse ad hoc tales viros, qui erant magnæ misericordiæ et charitatis. Tales enim requiruntur ad hoc opus, qui nimirum tangantur intima compassione ruentis disciplinæ, labentis Religionis, et pereuntium animarum. Hæc enim compassio parit in eis ingentem zelum reformationis, qui ad hoc opus, quasi dux præeat, omnesque contradictiones, obices et difficultates constanter superet. Hinc S. Petrus, antequam audiret a Christo: « Pasce oves meas, » ter ab eo rogatus fuit: « Simon Joannis, diligis me plus his? » *Joan.* cap. xxi, 15.

Denique noster Hieronymus Prado hæc accipit de corporali fabrica, *q. d.* Restitues ædificia Ecclesiæ, vel ab infidelibus, vel ab hæreticis diruta, vel negligentia aut avaritia incolarum, aliove casu, collapsa: quorum substructiones, id est fundamenta, tantum reliqua sunt, et a multis sæculis sola stant.

Uterius hoc extendit Thomas Bozius, tom. II *De Notis Ecclesiæ*, signo 88, ad urbes et ecclesias a Christianis ædificatas in locis antea desertis. Docet enim ibidem, terras antea inhabitabiles, per Christianismum factas esse habitabiles et populosas. Ita Germaniam, quæ jam Christiana tot tantisque habet urbes, ante Christum incultam, et multis locis desertam fuisse, ostendit ex Tacito, Strabone, Seneca et Herodiano. Idem docet de Britannia, scilicet eam ne centesimam quidem urbium et agrorum et fructuum eorum, quos jam habet, partem habuisse in Paganismo. Idem docet de Polonia, Prussia, Livonia, Lithuania, Dania, Norvegiâ, Suecia, Gothia, Hibernia, insulis Terceriis, Canariis, Indiis tam Occidentalibus quam Orientalibus. Vide eundem, signo 73, in fine, lib. XV, ubi inter alia sub finem hoc addit: « Quin Indiarum latissimis plagis datum est, ut liberentur a maximis tempestatibus, ac terræ motibus per Eucharistiam, in templis earum Christi cultu stabilito excitatis conservatam: quod Gonzalus Ovetensis, cap. x *Hist. gener.*, et Lopesius, lib. III, cap. vi, testantur. » Hujus mutationis causa est duplex: *Prior*, Dei favor et benedictio; *posterior*, quod fides christiana, non tantum spiritum, sed et rationem, politiam et naturam humanam expoliat, faciatque homines sagaces, industrios, laboriosos, æque ac sociales, civiles et humanos, ut civitates et republicas excitent, agros colant, artes mechanicas exercent, etc. Sicut ergo in Paradiso, ob Adæ fidem et innocentiam, Deus benedixit ei totique terræ; ita et eidem benedixit, ob secundi Adæ, puta Christi et Christianorum sanctionem. Hoc ipsum prædixit Sibylla apud Lactantium, lib. VII, dum ita canit:

Et tunc sane gaudium magnum Deus hominibus dabit:
Etenim tellus, et arbores, et innumera pecora terræ
Dabunt fructum verum hominibus,
Vini et mellis dulcissimi, et candidi lactis,
Et frumenti, quod est hominibus optimum omnium.

Et apud Virgilium, *ecloga ix*:

Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Anagogice, « fundamenta sæculorum, » sunt domus et sedes cœlestes, e quibus ceciderunt olim angeli, factique sunt dæmones. Has enim eorum ruinas, a tot sæculis desertas et vacuas replebunt et sarcient eleemosynarii virique sancti. Ita Sanchez.

ET VOCABERIS ÆDIFICATOR SEPIUM, AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM. — « Vocaberis, » id est eris, ut jure ita vocari possis. Historice alludit et significat muros Hierosolymæ (hæc enim vocatur sæpe vinea, cujus muri sunt sepes) a Chaldæis interruptos, ita ut semitæ per illos in urbem omnibus etiam bestiis et hominibus paterent, a Nehemia et aliis esse restauratos; ita ut semitis occlusis, urbs

Religio
facit gen
tem po
pulosam.

Restauratores
Religionis
qui?

Viri misericordis.

jam ab hoste foret tuta, degeretque in quiete. Unde Forerius et Vatablus vertunt: *Vocaberis obstructor rupturæ, vel sepiens fracturam, vel ruinæ instaurator, restituens semitas* (quæ ad muri rupturam ducebant) *quieti*. Qui enim resarcit ruinas, avertit semitas, quæ ad ruinas et rupturas ducebant; itaque tam semitas quam cives et incolas restituit quieti: facit enim ne quis, præsertim hostis, semitas eas calcet et cives invadat. Rursum, per *quietem* hanc, significat obstructions has semper duraturas, neque fore similes illis, quas vinitores faciunt in vinetis, et coloni in agris. Has enim viatores rursus diruunt, et per easdem semitas iter faciunt. Ita Forerius: «Avertens» ergo «semitas in quietem,» idem est quod oclusor et dissipator semitarum, per quas subibant bestię et hostes vastantes vineas et domos, ideoque auctor quietis. Possent quoque cum Sanchez hæc proprie accipi de vinetis Judææ, quorum sepes disjectæ a Chaldæis, restauratæ sunt a Judæis Babylone redeuntibus. Verum parabolice, sub vinetis Judææ et Jerusalem, intelligit vineta, id est Ecclesias Christi, *q. d.* Eris et vocaberis ædificator sepium, id est sepiens et muniens Ecclesiam, obstruensque aditus, per quos dæmon et vitia irrumpebant; itaque faciens ne unitas aut disciplina Ecclesiæ laxetur, atque antiquam fidei simplicitatem et integritatem, quasi murum restituens. Ita ex S. Ambrosio Castrius et Procopius, qui per *sepes* has doctrinam cœlestem et timorem Dei accipiunt. Hic enim compressa et oclusa inquieta superbia, gula, invidia, omnique concupiscentia, Ecclesiam ejusque fideles restituit quieti. Quocirca ædificator sepium debet esse Prælati et concionator, qui populi conscientias sepire debent spinis minarum mortis, judicii et gehennæ, ait Haymo. Peccator enim est quasi via communis, per quam ira, libido, crapula, omniaque vitia quasi bestię impune transeunt et grassantur, ait S. Cyrillus, quia caret hac sepe.

Tales ædificatores sepium fuerunt et sunt restauratores Religiosæ disciplinæ, et nominatim clausuræ. Hæc enim, ut docent Concilium Tridentinum ipsaque experientia, est seps et murus Religionis, adeo ut, si quis collapsam disciplinam in aliquo monasterio aut collegio restituere velit, ante omnia clausuram et silentium restituere debeat. His enim restitutis, facile reliqua restaurabuntur. Talis ædificator sepium fuit S. Romualdus, qui anno ætatis vigesimo Ordinem S. Benedicti amplexus, inde Anachoreta factus, Ordinem Camaldulensium instituit, in eoque pene centum annos transegit: mortuus est enim anno ætatis 120, a nativitate Christi 1027. Hisce annis mira sua asperitate, solitudine, oratione et sanctitate ac zelo, ut non tam homo terrenus, quam angelus cœlestis videretur; monasteria S. Benedicti in Italia et Gallia reformavit, plurima nova ædificavit, multa sui Ordinis fundavit, eremos Eremitis implevit; adeo ut Petrus Urseolus Venetiarum

Dux, plurimique alii nobilissimi viri, ad eum certatim accederent, et vitam monasticam aut eremiticam amplecterentur: ita ut totus mundus ejus virtutum radiis illustrari et renovari, aureumque sæculum agere videretur, uti B. Petrus Damianus Cardinalis, ejus assecla et familiaris, in ejus *Vita* enarrat.

Porro, quam hi Deo sint accepti, quamque eos amet et tuetur, miraculis sæpe declaravit. Unum perillustre refert S. Petrus Venerabilis, qui floruit anno Christi 1100, lib. I *Mirac.* cap. xxii: Moniales, ait, Marciniacenses, *causis* salutari conclusæ, et (ut sic dicam) vitali obrutæ sepultura, pro præsentis coarctatione sempiternam latitudinem, pro sepulcro beatam resurrectionem expectant. Unde potius mori, quam egredi, ante occumbere, quam limen designati ostii transgredi elegerunt. Quod tunc apparuit, quando in circumpositis villæ domibus, casu, quodam tempore ignis exarsit. Cum enim Hugo Archiepiscopus Lugdunensis eis suaderet, imo præciperet ex obedientia, ut exirent, neque sinerent se concremari; una ex eis maximæ nobilitatis et conversationis, Guisla nomine, quam et ipse multoties vidi, spiritu et fide succensa, respondit: «Nos, Pater, timor Dei et præceptum Abbatis nostri, ut ignem æternum evadere possemus, intra hos quos cernis limites, usque ad mortem permansuras includit. Unde nullo pacto fieri potest, ut aliqua necessitate præfixos nobis pœnitentiæ terminos, saltem pedis passu transgrediamur; nisi ab illo, qui in nomine Domini in hoc nos inclusit loco, solvamur. Noli ergo, domine, si placet, hoc injungere quod nobis agere non licet; sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni, ut a nobis fugiat, virtute Christi Domini nostri armatus injunge.» Ad quam mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subito et ipse fide repletus, foras exiit, et flammam intuens, ac lacrymis ora perfusus, ait: «In nomine Domini, et per meritum fidei hujus, quæ nunc locuta est, mulieris, recede, ignis pestifer, ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua ultra inferre præsumas.» His a Pontifice verbis prolatis (sicut mihi testificati sunt, qui viderunt), repente immensitas flammarum, invisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstante, ultra procedere non potuit.

S. Martinus, Episcopus Turonensis, ut habet Severus Sulpitius, Dialog. II *De Vita* ejus, cap. xiii, cum aliquando transiret juxta agellum cujusdam virginis, in quo jam plures annos pudica, et ab omnium virorum oculis remota degerat, audita illius fide et virtute, divertit ut tam illustris meriti puellam religioso officio honoraret. Verum illa fortissimi vincula propositi ne Martini quidem contemplatione laxavit. Ita vir beatus, accepta per aliquam feminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quæ se videndam salutandamque non dederat, lætus abscessit. O virginem gloriosam, quæ ne a tanto quidem viro passa est vi

Exempla
et mira-
cula.

Clausura et silentium sunt sepe monasterii.

deri! Episcopus autem repulsam illam, non ad contumeliam suam duxit, sed magnificans illius cum excusatione virtutem, inusitatam in his duntaxat regionibus laudabat exemplum. Hucusque Sulpitius.

Violentes, Aragoniæ regina, ut refert Petrus Rauzanus in *Vita S. Vincentii*, lib II, cap. IX, Joannis regis uxor, quadam feminea cupiditate permota, affectabat ingredi viri Dei cellulam, ut videlicet videre posset qualis esset locus in quo orabat, qualis lectulus ubi quiescebat. Cumque hoc a beato viro impetrare non posset (nefas namque ei videbatur, ut femine servorum Dei cellas ingrederentur); illa indignans, cellulæ ostium violenter aperiri jussit. Moxque ingrediens loca quæ videre cupiebat, vidit quidem, sed virum Dei, qui intus erat, nec ipsa, nec illi qui eam comitabantur, videre potuerunt. Illa igitur a Fratribus, quos in cella reperit, sciscitatur, ubinam beatus Vincentius esset. Respondent illi quod ante oculos haberet: ac dicunt se plurimum admirari, quod eum non videret, cum ipse in loco patulo esset, unde ab omnibus videri posset. Postquam hæc reginæ dixerunt, ad virum Dei Vincentium conversi: « Quid causæ est, inquit, Pater optime, quod reginæ ad te venienti non assurgis? nec eam alloqueris? At ille: Nescitis, inquit, filii mei, nunquam a nobis fuisse permissum, ut femine in cellas nostras introducerentur? et quamvis hæc regina sit, tamen eam ingredi non permisi, ne fiam personarum acceptor. Et quoniam violentiam hanc fecit, ut, me invito, ingredi ausa sit; ideo quamdiu hoc in loco commorabitur, divino miraculo fiet, quod ejus oculi tenebuntur, ut quamvis coram habeat, me nunquam tamen videre possit. » Hæc audiens regina, statim egreditur: Vincentius autem secutus est eam. Quem illa videns, ante eum mirum in modum humiliata est, ac pro commisso veniam petiit. Cui dixit B. Vincentius: « Nisi per muliebrem ignorantiam peccavisses, certe non impune tantam violentiam mihi fecisses; ultor enim est Deus injuriarum, quæ servis ejus inferuntur. Amodo igitur cave, ne quid ejusmodi committas in servos Dei. » Post multos vero inter se sermones regina discessit.

S. Fiacrius Hibernus, ut habet ejus *Vita* 24 augusti, vivens in monasterio a se exstructo, ob illustre miraculum a se perpetratum, a femina monasterium visitante magiæ accusatus, oravit: « Ne deinceps loci limina immunis intret femina. » Quare illo ex tempore, muliebre genus monasterii aditu, quod B. Virgini dicatum erat, vis quædam divina prohibuit, nullaque femina intulit pedem impune. Nam matrona quædam dives, quæ ancillam, experiendi causa ea quæ audierat, in monasterium sua manu compulerat, altero privata oculo est, incolumi serva, quæ vim alienam, heræque impulsu repellere nequivisset. Similis vindicta persecuta est feminam audenter ingredientem monasterium S. Carilephi, uti refertur in ejus *Vita*.

Hi ergo sunt ædificatores sapium et avertentes semitam in quietem; hi sunt qui Dei iram avertunt, ejusque favorem conciliant. Unde pro *ædificatore sapium*, Aquila vertit: παραφράκτισμα χολῆς, id est qui se opponit iræ Dei sævienti; Symmachus, murum opponens cædenti; « qualis fuit Moses, et Aaron, et Samuel, qui iræ Domini restiterunt, et quasi ædificato muro, indignationi ejus posuerunt terminum. Hic convertet semitas in quietem, ut nequaquam Dei ira desæviat; sed placatus sit eis Dominus, et omnes indignationis semitæ conquiescant, » ait S. Hieronymus.

13. SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TUUM. — « A Vers. 13. sabbato, » id est a sabbati transgressione. Vide *Canon*. XVII. « Pedem, » quia in sabbato longum iter, omneque opus servile, quod pedibus aut manibus fit, erat prohibitum.

Mystice, per *pedem*, significatur affectus et concupiscentia; his enim movetur anima, uti pedibus corpus.

Est synecdoche: nam in sabbato, quælibet festa, totam Dei religionem et cultum, puta legem primæ tabulæ intelligit; sicut vers. 10, legem secundæ tabulæ designavit per « misericordiam » ejusque opera, *q. d.* Ne putes custodiam secundæ tabulæ sufficere, Deumque velle misericordiam tantum, non sacrificium: ecce hic pariter sabbatum, legemque primæ tabulæ et Dei cultum tibi inculco et commendo. Simili modo, capite LVI, vers. 1 et 2, legem totam, tam secundæ, quam primæ tabulæ significavit per « justitiam » et « sabbatum. » Unde explicans subdit: Et « si averteris (hoc enim per zeugma hic repetendum est) facere voluntatem tuam in die sancto meo. » Sabbatum enim vocatur dies sanctus Dei, quia ejus cultui erat dicatus; sicut reliqui dies possunt vocari dies profani hominum, quia eorum profanis negotiis permissi et dati, *q. d.* Si in sabbato non tantum quieveris ab opere, sed etiam non sequaris tuam voluntatem et concupiscentias, indulgendo gulæ et genio, sed vacando orationi, concioni, lectioni, meditationi; si non profanes sabbatum, sequendo voluntatem, id est libitum passionum tuarum; sed uti ab opere, ita pariter a vitiis sabbatum, id est otium et quietem agas.

ET VOCaveris SABBATUM DELICATUM (id est delicate et tenere observandum, vel « delicatum, » id est delicias, tum tuas, tum Domini; quod scilicet capiet Deus magnam delectationem (hanc enim significat hebræum **אנף** *oneg*) ex religioso sui cultu in sabbato), ET SANCTUM DOMINI GLORIOSUM (quasi dicat: Si vocaveris, æstimaveris et colueris sabbatum, quasi diem sanctum, et gloriæ et glorificationi Domini dedicatum. Discamus hinc in sabbato, id est Dominico, non quærere nostram gloriam, pompose incedendo, et splendide nos vestiendo; sed Dei: hocque nobis sit gloriosum, quod gloria Dei per nos et alios tum celebretur, eamque promovere satagamus. Hoc autem, o fidelis, o Christiane, præstabis), DUM NON

Sabbatum delicatum quod?

FACIS VIAS TUAS (id est actus, mores et vitia consueti) ET NON INVENITUR VOLUNTAS TUA, — ut impleas tuam gulam et concupiscentiam; sed ut totus Deo Deique voluntati cognoscendæ, amandæ et adimplendæ vaces. Hac enim de causa vetuit Deus Judæis coquere cibos in sabbato, tum ne iis coquendis avocarentur a rebus divinis; tum, ut cibi pridie cocti minus essent suaves et magis insipidi, itaque gulam non irritarent, sed mens, cogitatio et anima tota ferretur in Deum Deique cultum. Cum enim voluptates carnis abdicamus, reddimus nos idoneos gustandis voluptatibus cœlestibus et divinis. Ita Forerius.

Rursum S. Cyrillus: « Submissi, inquit, tractabiles et sequaces mores, tenerum præstant in sabbato otium, et spiritualement sabbatismum. » Tenerum ergo, sive delicatum sabbatum vocat, quod a mente tenera, id est flexibili et obediēte, colitur. Hinc *Cant.* 1, 9, sponsæ dicitur: « Collum tuum (flexibile et obsequens est) sicut monilia, » quæ ex auro lentescente fiunt, sequunturque per omnia aurifabri ductum et flexum. Ita Theodoretus, et ex eo Sanchez. Addit S. Cyrillus: « Qui ergo a Deo approbari volunt, fortiter ac juveniliter suam voluntatem oppugnare debent, ut divinam sequantur et impleant. »

UT LOQUARIS SERMONEM, — scilicet, qui « non prodest, » ut dixit vers. 9, q. d. Si sabbato abstineris a confabulationibus vanis, ridiculis, nugosis, detractoriis, irrisoriis, petulantibus, obscenis et rixosis, ut vertunt Septuaginta. Ad hæc enim homines carnales invitat otium sabbati, hæc sæpe in sabbato, id est Dominico et Festis, etiam apud Christianos tractari videmus.

Vers. 14. 14. TUNC DELECTABERIS SUPER DOMINO. — Tria hic præmia sabbatum Deumque colentibus promittit: *primum*, quod magnam habebunt spiritus delectationem, et, ut Septuaginta, confidentiam in Deo. In Hebræo; pro *delectaberis* est eadem vox *oneg*, quæ fuit vers. 13, q. d. Si in sabbato abstraxeris te a deliciis carnis, Deus dabit tibi suas delicias longe majores, scilicet, pro carnis dabit spiritalis, pro temporalibus æternas, pro humanis divinas. Anima enim nostra delectatione carere nequit; sed si unam non habet, aliam quærit: quocirca Deus huic ejus affectui naturali indulgens, suam ei offert, si terrenam respuat. Id expertus David canebat: « Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum; » et: « Cor meam, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Gustato enim spiritu, desipit omnis caro. » Perinde ut filius regis inter rusticos rustice educatus, si rediens ad aulam, ejus delicias gustet, fastidit omnes delicias rusticanas.

ET SUSTOLLAM (Vatablus, *equitare te faciam, vel veham*) TE SUPER ALTI-TUDINES TERRÆ. — *Secundum* est hoc præmium. Per *altitudines* Sanchez accipit ubertatem terræ, Judæis promissam; terra enim, si excelsa sit, vinetis et fructibus abundat. Unde

Septuaginta vertunt: *Allevabit super bona terræ.* Verum augusta hæc Dei verba et promissa altius et augustius quid spectant: nimirum altitudines cœlorum, qui sunt terra et sedes, non morientium, sed viventium. Fateor tamen alludi ad illud, quod ait Moses ad Judæos: « Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum, » etc., *Deuter.* xxxii, 13. Verum sub his spiritalia et longe majora intelligit, et fidelibus, Christique cultoribus promittit Propheta, q. d. Si Deum Deique festa colueris, sustollet te Deus in altum, ut scilicet in Deo et cœlo mente fixus, magno animo hoc terræ punctum et terrena omnia contempnas, sive prospera, sive adversa; sive honores, sive contemptus; sive opes et delicias, sive pauperiem; atque post mortem anima, ac tandem corpore reipsa in cœlum transferet.

« Terræ » ergo « altitudines » sunt terra altissima et cœlestis, de qua ait S. Hieronymus: « Terra mitium, terraque viventium non est deorsum, sed sursum. » Audi S. Gregorium, xxxi *Moral.* cap. xix: « Electorum, ait, specimen est, quod per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse, quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant, itaque omne quod in mundo eminet, amore æternitatis calcant. Hinc est enim quod sequenti se animæ per Prophetam Dominus dicit: Sustollam te super altitudines terræ. Quasi quædam namque inferiora terræ sunt, damna, contumeliæ, egestas, abjectio, quæ ipsi quoque amatores sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum; quæ, quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quam abjecta sint cernitur quæ alta videbantur. » Deinde tales comparat aquilis, quæ in altis nidificant, qualis fuit S. Paulus, dicens: « Nostra conversatio in cœlis est. » Vide ibi dicta.

Sicut enim uniones licet in mari oriantur, plus tamen cognationis habent cum cœlo, cujus colorem, candorem, lucem et pulchritudinem suo modo repræsentant, ut videantur esse cœlestes; sic viri justi, qui excelsis animis in terra divina colunt studia et opera, magis a cœlo pendent quam a terra, magisque cœlestes sunt quam terrestres: quia cœli cives sunt, et terræ hospites ac peregrini. Hinc in cœlo, quasi in alto monte constituti, omnia quæ hic subter in terra sunt, quasi exilia despiciunt, atque cum beatificamentibus Deo Deique bonis fruētes, dedignantur terrena aspicere, aut de iis cogitare: perinde ac virgo rusticana, quæ speciem electa a rege in sponsam, ejusque mensa et consortio fruēns, dedignatur de suo olim rure et rusticis cogitare.

Altitudines terræ, quæ?

Sancti sunt margaritæ, cur?

Secundum, celsitudo nimis.

Celsitudo animi tranquillo facit et beatos. Quantum bonum sit hæc mentis altitudo, quantumque virtutis sit præmium, etiam Gentiles viderunt, sed eminus et per umbram. Seneca, *epist.* 27 : « Aliquod, ait, bonum mansurum circumspice; nullum autem est, nisi quod animus ex se sibi invenit; sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum : etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. » Nam, ut idem ait, *epist.* 58 : « Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam, » nimirum, ut ait alter :

Perpetuum nulla temeratus nube serenum.

« Nam illa pars mundi superior et ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret. Eodem modo sublimis animus quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, modestus, venerabilis et compositus. » Hinc, ut idem ait, *epist.* 120 : « Nunquam malis ingemuit, nunquam de fato suo questus est; et *epist.* 92 : « Quid est beata vita? Securitas et perpetua tranquillitas. » Hoc est quod docet S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. II : « Scriptura, ait, divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis, et fructu bonæ operationis; » et cap. III : « Innocentia et scientia beatum faciunt; » et cap. IV toto, beatitudinem doloribus et necessitatibus acquiri docet exemplo Mosis, Danielis, Pauli, aliorumque Sanctorum. Idem alibi : « Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ et securitas innocentiae. » Vide eundem, lib. I *De Vita beata*, cap. VII et seq. De hac celsitudine animi, passionum rerumque omnium victrice, ac vitæ beatæ genitrice, fuse disserit Cicero libris quinque *Tuscul. Quæst.*, et paradoxo II, V et VI, ac in fine *Tuscul.* II. Sic ait : « Si omnia fugiendæ turpitudinis, adipiscendæque honestatis causa faciemus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit. » Idem alibi : « Tum illud, ait, orietur (ex virtute) inestimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ et sublimitas, expulsisque terroribus, ex cognitione veri gaudium grande et immotum, comitasque et diffusio animi, quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono ortis. » Hinc collegerunt Stoici suum illud paradoxum : « Sapientem etiam inter tormenta beatum esse; quia invictus ex alto dolores suos spectat; » et, ut ait Cicero : « Totum fortunæ regnum despiciat. Ita Epicurus, » ait Seneca, *epist.* 92, moriturus dicebat : « Beatissimum hunc et ultimum diem ago, cum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc insatiabilis exulcerati dolor ventris. » Quocirca, ut idem ait alibi : « Licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet, placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit. » Adstipulatur S. Ambrosius, lib. I *De Jacob*, cap. VII : « Non frangitur, ait, sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis; sed etiam in ærumnis beatus manet; quia non

in delectatione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati. » Hinc illa sapientis apathia non naturæ, sed virtutis et mentis excelsæ. Esto enim naturæ dolores sentiat, mens tamen et virtus illos superans, et invictæ sustinens, quasi non sentit.

Ita S. Tiburtius Martyr, prunis candentibus inambulans exultabat, ac si super rosas ambularet. Ita S. Laurentius in craticula assatus, exultavit in spiritu, ut et Decio tyranno insultaret. Ita S. Vincentius inter tormenta continua, altius semper animo assurgens, Dacianum ad stuporem, et pene ad insaniam adegit. Ita Antonius, cum a Constantino Imperatore demississimas, quasi a filio pater, litteras accepisset, suis hoc magni facientibus, dixit : « Nihil magnum videri debet, quod reges sæculi ad Dei servos epistolas dent; quia etsi aliquid potentiæ amplius habere videantur, tamen eadem omnium est natura, eadem vivendi et moriendi conditio. Illud vero magnum est, quod Deus epistolas suas, id est legem suæ voluntatis indicem, ad nos miserit, nobisque per Filium locutus sit. »

S. Columbanus, veniens ad aulam Theodorici regis Franciæ; cum rex illi cœnam cultu regio et longo famulorum ordine deferri curaret, ipse vultu et voce aversatus est, dicens : « Munera impiorum reprobatur Altissimus, et indignum est ut ora servorum Dei ejus cibis polluantur, qui cum ipsis injustum bellum gerit. » Ita habet ejus *Vita*.

S. Gregorius, lib. I *Regist.* *epist.* 3, loquens de se, cum Religiosus esset, nec adhuc Pontifex : « Nil, inquit, in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me plene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem : Sustollam te super altitudines terræ, » etc.

Talis fuit celsitudo animi, indeque libertas increpandi Mosis in Pharaonem, Nathan in Davidem, Eliæ in Achab, Elisei in Joram, Isaïæ in Manassem, Jeremiæ in Sedeciam. Da nobis, Domine, hosce animos, sustolle nos super altitudines terræ, « ut inter mundanas vanitates et varietates, ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gaudia. » Nam, ut ait S. Cyprianus, lib. II, *epist.* 2 *ad Donatum* : « Una placida et fida tranquillitas, una solida, et firma, et perpetua securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollit a terris; et ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam conscientiam jacere gloriatur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est; » et mox : « Postquam auctorem suum, cælum intuens, anima cognovit, sole altior est, ac omni terrena potestate sublimior; id esse incipit, quod esse se credit. »

Exempla S. Tiburtii, S. Laurentii, S. Vincentii,

S. Antonii,

S. Columbani,

S. Gregorii,

Mosis, Eliæ, Elisei, Isaïæ, Jeremiæ.

Sæculo major est sanctus

Celsitudo animi tranquillo facit et beatos.

Regnum fortunæ despiciat.

Etiam in doloribus.

ET CIBABO TE HÆREDITATE JACOB PATRIS TUI. —

Tertium
Dei cul-
torum
præ-
mium,
hæredi-
tas Jacob
quæ?

Tertium est hoc sabbati Deique cultus præmium, *q. d.* Dabo tibi insignia illa bona, quæ promisi Abrahamæ, Isaac et Jacob, nimirum delicias et divitias gratiæ cœlestis et virtutum; ac deinde gloriæ et felicitatis æternæ in cœlo. Ecclesia enim militans inchoat, et tendit ad triumphantem. Alaudit ad terram Judæis promissam: ad hanc enim e Babylone ipsos sperantes et colentes se, reduxit Deus, *q. d.* Non hanc judaicam, sed longe altiorem, scilicet terram viventium, tibi dabo, ibique te cibabo iis epulis, quas « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascenderunt. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius. Jam ut hæc confirmet, et magis singulorum menti infigat, solitum Prophetarum sigillum subdit, dicens: « Os enim Domini (quod falli aut fallere nequit) locutum est. »

Præclare S. Bernardus, serm. 21 in *Cantic.*: « Eris, inquit, inter adversa et prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconcusam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, dum te cœperis renovare et reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. » Idem S. Bernardus subdit deinde hominem renovari ad hanc primævam Dei imaginem, « cum sibi indignum ducit huic labenti sæculo conformari, reformari magis satagens (juxta Pauli doctrinam) in novitate sui sensus in eam similitudinem in qua se conditum novit; ac per hoc etiam cogens, ut dignum est, sæculum istud, quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi: dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tanquam in propria et naturali forma, abjecta degeneri specie, recognoscentia dominum suum, cui ad servendum creata fuere. Unde arbitror illum sermonem, quem dixit de se Unigenitus (*Joan. XII*), videlicet, si exaltaretur a terra, omnia traheret ad seipsum; cunctis quoque ejus fratribus posse esse communem his utique, quos Pater præcivit

et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ego, si exaltatus fuero a terra (audacter dico), omnia traham ad meipsum. Nec enim temerarie usurpo mihi vocem, cujus in me induo similitudinem. » Ita ergo suos evehit Deus, ut quisque etiam rebus omnibus creatis tanquam parvulus quidam deus dominetur: si nimirum exaltatus fuerit a terra; hoc est terram et terrena omnia contemnendo, supergressus fuerit.

Vides hic, o Christiane, quanta Deus statuerit præmia misericordiæ et pietati! Si habet mundus quæ cum istis conferat, ametur; sin minus, quid hæremus? Certe, cum hæc verba examino, simulque oculos circumfero, videoque quam pauci sint qui delectentur in Domino, sublattice supra nubes in cœlo habitent; tunc plane intelligo paucissimos esse qui vere sint misericordes, et Numinis veri cultores; scio enim os Domini per Prophetam vera dicere et promittere. Hoc ergo lugendum et plangendum est, inquit Forerius.

Symbolice, cibatur nos Christus seipso in Eucharistia. Hæc enim est ejus hæreditas, Ecclesiæ testamento relicta, quæ, ut ait S. Bernardus, serm. 11 *De Cæna Domini*, est « Jesus dulcis, Jesus delectabilis, omni virtute præditus, omni speciositate redimitus; dulcis super mel et favum, speciosus forma super filios hominum; cujus dulcedine Angeli inebriantur, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Iste talis ac tantus dixit discipulis suis, et per eos cunctis fidelibus suis: Manete in me, et ego manebo in vobis. » Quocirca exclamat: « O quam magna sublimitas, o magnæ sublimitatis auctoritas, hominem habitare cum Angelis, terram et pulverem elevari in cœlos, hominem tolli de stercore jumentorum, et aggregari cœtibus Angelorum; imo creaturam manere in Creatore, facturam in factore, redemptum in redemptore, servum in domino, peccatorem in justo, factum ex limo in eo qui fecit omnia ex nihilo, transitorium in æterno, miserum in summe beato; imo in eo qui omnia beata beat, et cuncta sanctificat sancta, qui est veritas et vita, et gloria sempiterna, gaudium mundi, jucunditas cœli, dulcedo paradisi, beata æternitas, et æterna beatitudo, Christus scilicet Dominus Jesus! »

CAPUT QUINQUAGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad initium cap. præcedentis, pergitque respondere querelis Judæorum, cur e Babylone, suisque hostibus et calamitatibus non liberentur. Respondet enim causam non esse Dei impotentiam, quod non possit; vel surditatem, quod nolit eos audire, et liberare; sed ipsorum et peccata multa et gravia, quæ hoc flagellum exigunt, et Deo quasi invito extorquent. Quocirca multis peccata eorum enumerat, et exaggerat. Denique, vers. 16, Deus miserens sui populi omnino deserti et afflicti, armis se accingit, ut eum ab hostibus liberet omnesque gentes videant ejus gloriam, cum mittet redemptorem Christum iis qui redeunt ab iniquitate, qui sanciet inter eos et Deum novum fœdus sempiternum (1).

1. Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat: 2. sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret. 3. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. 4. Non est qui invocet justitiam, neque est qui judicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates: conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. 5. Ova aspidum ruperunt, et telas aranearum texerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum. 6. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. 7. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum. 8. Viam pacis nescierunt, et non est judicium in gressibus eorum: semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. 9. Propter hoc elongatum est judicium a nobis, et non apprehendet nos justitia: expectavimus lucem, et ecce tenebræ: splendorem et in tenebris ambulavimus. 10. Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus: impigimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. 11. Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantibus gememus: expectavimus judicium, et non est; salutem, et elongata est a nobis. 12. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus, 13. peccare et mentiri contra Dominum: et aversi sumus ne iremur post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam et transgressionem: concepimus, et locuti sumus de corde verba mendacii. 14. Et conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit: quia corrui in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. 15. Et facta est veritas in oblivionem: et qui recessit a malo, prædæ patuit: et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium; 16. et vidit quia non est vir: et aporiatum est, quia non est qui occurrat: et salvavit sibi brachium suum, et justitia ejus ipsa confirmavit eum. 17. Indutus

(1) In isto capite idem argumentum, ac in præcedenti, evolvit Propheta, scilicet:

PRIMO, renovatur accusatio, objectione criminum Deum ab indulgentiæ promptitudine ad actionem prosequendam incitantium, 1, 2. Sunt autem ista: primo, violentia, iniquitas, mendacium et injuria in contuberniis, 3; secundo, injustitia, neglectus veritatis, et consiliorum perversitas in judiciis, 4; tertio, malignitas intentionum, vanitas operationum, et malignitas eventuum in molitionibus, 5, 6; quarto, oppressio innocentium, perturbatio ordinis et corruptio studiorum in communitatibus, 7, 8.

SECUNDO, abdicatur defensio, primo, agnitione frustratorum, tum divini auxilii, tum humani consilii, tum sperati judicii, 9-11; secundo, confessione peccatorum contra Deum et proximum commissorum, 12-15; tertio, defectio patrocinii et instantia justitiæ, 16.

TERCIO, denuntiatur sententia, et inducitur ipse Deus processurus ad vindictam: primo, terribilem hostibus suis, 17, 18; secundo, venerabilem et secundam tum gentibus, 19, tum reliquiis Judæorum conversis, vers. 20; tertio, credibilem factam ex interposita Dei sanctione, vers. 21.

est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus : indutus est vestimentis ultionis, et operatus est quasi pallio zeli. 18. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis : insulis vicem reddet. 19. Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini; et qui ab ortu solis, gloriam ejus : cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit : 20. et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. 21. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.

1. ECCE NON EST ABBREVIATA MANUS DOMINI. — « Manus, » id est potentia. Vide dicta cap. xxx, 15. Ibi enim idem dixit Propheta. Hæc verba recte connectuntur fini cap. præcedentis hoc modo, *q. d.* Jam declaravi et ostendi, o Judæi, quod, si sitis pii et misericordes, colatisque sabbata mea, ædificabo deserta sæculorum, sustollam vos super altitudines terræ, et cibabo vos hæreditate Jacob patris vestri : ecce ex hisce meis promissis, similibusque beneficiis, quæ alias Abrahamæ, Davidi et patribus vestris præstiti, videtis facile me non esse in culpa et mora, quod ab hostibus et ærumnis vestris non liberemini, neque id fieri defectu potentiæ aut benevolentiae meæ, quod aures habeam graves, id est duras et quasi gravi aliquo et crasso humore obturatas et oclusas, ne preces vestras audiam; sed vos esse in culpa, qui peccatis vestris nubem et chaos magnum inter me et vos induxistis, quæ vestras preces inhibet et repellit, ne penetrent, et ad aures meas perveniant. Vide dicta *Threnor.* III, 44. Unde subdit :

2. SED INIQUITATES VESTRÆ DIVISERUNT INTER VOS ET DEUM VESTRUM. — Sicut firmamentum est interstitium dividens aquas superas ab inferis, *Gen.* cap. 1, 6; ita peccata vestra sunt interstitium firmiter dividens et separans vos a cœlo, Angelis et Deo; proinde peccata vestra « absconderunt » a vobis « faciem » et oculos « ejus » benevolos, ne vos benigne et gratiose respiciat; atque aures ejus patulas, ne preces vestras audiat.

Septuaginta vertunt : *Propter peccata vestra avertit faciem suam a vobis ut non misereatur.* Cujus rei duplicem dat causam S. Hieronymus. *Primo* : « Ostendit, inquit, quod fœtorem peccatorum, et iniquitatem eorum ferre non potest. » Sicut enim nares avertimus a putido et fœtente cadavere, aut a latrinis; ita Deus avertit se a peccato. *Secundo* : « Avertit, ait, faciem suam, ne turpitudinem eorum cerneret, et statim percutere cogereetur. » Avertit ergo non tam ex ira quam ex clementia et indulgentia, qua eorum conversionem parcendo expectavit.

3. MANUS ENIM VESTRÆ POLLUTÆ SUNT SANGUINE. — Descendit a genere ad speciem, et speciatim scelera eorum recenset ac redarguit. Primum est hoc homicidii, quod sanguine a se fuso manus et conscientiam polluerint.

ET DIGITI VESTRI INIQUITATE, — cædibus, rapinis omnique violentia.

FATUR, — et loquendo adornat et concinnat, ut vertit Vatablus; alios enim ad eandem iniquitatem excitat et impellit.

4. NON EST QUI INVOCET JUSTITIAM, — *q. d.* Non est qui justitiam in consilium advocet et adhibeat, ut vere judicet; sed adhibent in consilium suam avaritiam et cupiditatem; itaque judicia ob munera et favores pervertunt, insontes damnando, et sontibus causam adjudicando. Patet ex sequentibus.

Hebræa ad verbum habent : *Non est qui vocet in justitia*, quod recte Noster vertit : « Qui invocet justitiam. » Potest tamen, *secundo*, sic verti, *q. d.* Nemo alium juste in jus vocat. Unde sequitur in Hebræo : *Non est qui judicio litiget, aut disceptet vere*; aut potius : *Non est qui judicetur vere*, quia scilicet, ut Noster vertit, *non est judex qui judicet vere et sincere.* *Tertio*, Vatablus sic accipit : *Nemo est qui vocet in justitia*, id est nemo est qui clamet ad impios, eosque inique agentes juste arguat et judicet. Unde alii vertunt : *Non est qui clamet pro justitia.* Quod notent assessores judicium, æque ac pastores, qui, licet non proferrant injustas sententias, iniquis tamen judiciis non reclamant, nec patrocinium justitiæ suscipiunt. Horum enim silere est tacitum consentire.

SED CONFIDUNT IN NIHILO, — *q. d.* Non confidunt in justitia et veritate; sed spes suas ponunt in rebus vanis et nihili, puta in idolis suis saxeis et ligneis. Ita S. Thomas et Haymo, aut potius in externa forma et inani specie ac larva; tum justitiæ et pietatis, tum sapientiæ et astutiæ, tum potentiae et auctoritatis, quibus alios injuste opprimunt.

CONCEPERUNT LABOREM. — Nota per *laborem* sive *fatigationem*, et, ut *Psalm.* VII, vers. 15 et 17 (quo alludit hic Isaias), Noster vertit, « dolorem, » metonymice significari peccatum, quod plurimorum dolorum et laborum præsentium et futurorum est causa, et magna sollicitudine, anxietate, labore et dolore parturitur ac perpetratur. Peccator ergo, instar puerperæ, magna molestia et dolore utero mentis gestat, fovet et alit peccatum; quod postea simili dolore parturiat, ac insuper mox pariat sibi penas præsentis et æternas. Quam hoc verum sit, ad oculum est videre in iis qui honores, opes, epulas ambiunt. Ita Hugo. *Secundo* et magis proprie, peccatum homicidii et violentiæ in proximum (de hoc enim

Peccatum vocatur labor et dolor. cur?

Vers. 2.

Vers. 3.

egit vers. 3) vocatur hic labor et iniquitas, tum passive, quia peccantem labore et dolore afficit, uti jam dixi; tum active, quia proximum quem occidit aut injuria afficit, laborare, gemere et dolere facit. Ita S. Cyrillus, S. Thomas, Forerius et Sanchez. Unde sequitur :

Vers. 5. 5. OVA ASPIDUM (solus Aquila vertit, viperarum) RUPERUNT. — Est proverbium, q. d. « Ova aspidum, » id est suos malignos iræ, rapinæ et homicidii conceptus et machinationes, per suos filios (ova enim rumpuntur non a matre, sed a foetu ovis incluso, dum jam animatus est, et gestit in lucem prodire) vel assecras executi sunt (uti in republica alii sæpe sunt qui scelus machinantur, alii qui juvant et exequentur), ac reipsa patrarunt rapinas et cædes. Hæ enim sunt quasi aspides ex ovis prodeuntes, quæ et aliis, in quos destinatæ sunt, et ipsis etiam auctoribus ac parentibus perniciem creant. Ita S. Hieronymus, Haymo, Procopius, Hugo et alii. Qui enim ex ovo aspidem educit, ab eodem mordetur; nam rupto ovo, erumpit aspis, quæ in linguæ vulnere venenum infligit effractori ovi.

Aliqui putant hic agi et alludi ad partum viperæ, quæ multos parit foetus usque ad viginti, sed sensim eos enititur, scilicet « singulis diebus singulos; itaque cæteri tarditatis impatientes per-rumpunt latera, occisa parente, » ait Plinius, lib. X, cap. LXII. Unde S. Gregorius, lib. XV *Moral.* IX : « Vipera, inquit, quod vi pariat, nominatur. » Sic enim impii, dum aliis malum machinantur et pariunt, sibi ipsis noxam et perniciem accersunt. Licet enim Aldrovandus et alii viri docti negent viperam a foetu enecari; tamen Plinius id docet; estque is communis hominum sensus et sermo, cui se conformare solet sacra Scriptura. Pari modo viperam ova concipere ex iisque foetus in utero excludere, incertum est. Nam asserit Plinius, negat Aristoteles, lib. V *Histor. animalium*, cap. v. Scriptura ergo « ova » vocat membranam quamvis, qua certum est in utero foetum includi, eamque rumpi, cum ille paritur et egreditur. Verum non agitur hic de vipera, sed aspide (1).

(1) Nomen hebræum אִפְּיָא *aphea*, significare viperam, pluribus ostendit Bochartus, *Hieroz.* part. II, lib. III, cap. I. Cui sententiæ tamen obstare videtur hic ipse locus, quo τὸ *aphea* tribuuntur ova, cum vipera non ova, sed vivos excludat serpentes. Sed docet Bochartus, vipers, licet vivæ excludantur, utero tamen ovis concipi et geri ut reliquas animantes, sed ovum in utero rumpere.

(Rosenmuller.)

Aspis hic, ait Paxton, procul dubio viperam significat; ovum enim cujusdam animalis nunquam ullo artificio animal alterius speciei producit. Ubi ovum confotum est, junior vipera expeditur et irrepit parata ad nocendum. Nam si objici potest viperam non esse oviparam, sed viviparam, et consequenter ad aliud animal a Propheta intendi, in mentem revocandum est, quanquam catulos suos vivos pariat vipera, illos tamen ex ovis in ventre parentis perfecte formati erumpere. Hinc de hac re ait in semetipsa

Porro aspidem, instar aliorum serpentium, edere ova constat et liquet ex hoc Isaïæ loco; quinimo non tantum aves, pisces, serpentes, sed et conchas aliaque animalia testacea, in vere et autumno, edere ova docet Aldrovandus, lib. III de iisdem.

Tradit Ælianus, lib. I *De Natura animal.*, adversus viperarum omniumque serpentium morsus remedium inveniri, aspide una excepta, præcipue si de rana gustarit, ut ait idem lib. II. Solius ergo aspidis ictum, omni cura potentio-rem esse, nec ab ullo vinci (præterquam a muliere); utpote quæ vel aspectu contactuque solo necet, quorum alterum cum regulo, alterum cum acornito commune. Hinc Nicander : « Aspidis, ait, morsus immedicabilis » est. Hinc et proverbium :

Telum aspidis profecto mulier improba.

Porro, proverbium hoc : « Aspidis morsus » maxime convenit in hostem clancularium et tanto pestilentio-rem, quod clanculum, citraque dolorem infundat venenum hic serpens; neque post morsum appareat vulnus in corpore, tantum somnus lethalis obrepit : quanquam Plinius, lib. XXIX, cap. IV, et Dioscorides, lib. II, xxxiii, contra aspidis morsum valere cimices asserant.

Moraliter a simili, hoc proverbium usurpare licet, cum quis alteri machinatur malum, quod simul in machinantis caput retorquetur et recidit. Talis enim quasi ovis aspidum incubans, eaque vivificans ac rumpens, a foetu erumpente mordetur.

Simile exstat perelegans in *Emblemate* Alciati 154, de corvo et scorpio :

Raptabat, ait, volucris captum pede corvus in auras

Scorpion, audaci præmia parta gula.

Ast iste, infuso sensim per membra veneno,

Raptorem in Stygias compulit ultor aquas.

O risu res digna nimis! qui fata parabat

Ipse perit, propriis succubuitque dolis.

Similiter facit ichneumon, qui quadam physica antipathia, post necatam matrem, in ova grassatur, sed eorum contactu lethum incurrit. Sic cornix corripit scorpionem, arcuata illius cauda, vulnus lethale accipit, peritque. Unde proverbium : « Cornix scorpionem; » rursum : « Octipedem excitas, » nimirum scorpionem, cui pedes

ova, seu lactes. Conspicuo hoc naturali facto, sacri scriptoris narratio naturalis historię veritati concordat. Si quo modo viperæ ovum a corpore separaretur, res de qua loquitur Propheta locum profecto habere potest.

P. Labat captum viperini generis serpentem præsentem se incidi jussit. In ejus utero sex inventa sunt ova, quasi anseris ovorum amplitudine, et a tredecim ad quindecim catulos continentia, qui sex circiter uncias longi erant, et æque ac anseris pennæ calamus crassi. Vix e carcere excussi sunt, cum huc illuc reptare, et in minaci corporis habitu stare inceperunt, sese involventes et fustem mordentes quo eos interficiebat. (William Carpenter, *Swift* art. III.)

Aspidis
solus
morsus
insanabilis
lib.

Vipera
dicta
quod vi
pariat,
cur?

sunt octo. Tale quoque est : « Leonem stimulas, Crabrones irritas, Tuo laqueo captus es, Tuo gladio jugularis. » Sic luget Ovidius : « Heu patior telis vulnera facta meis! » Et Livius, lib. II *De Secundo bello Punico* : « Sentiebat Annibal suis se artibus peti. » Tradit Plutarchus Brasidam ducem educto e corpore telo, eodem confodisse eum qui miserat. Trebellius Pollio narrat Marium, unum e triginta tyrannis, interemptum a milite, qui adoriens eum dixerit : « Hic est gladius quem ipse fecisti. » Marius enim ante imperium faber ferrarius fuerat, et ejus militis opera in fabrilis officina usus.

Tropologice; S. Gregorius, lib. XV *Moral.* IX : « Ova, inquit, aspidum pravis hominibus rumpere, est malignorum spirituum consilia, quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire. » Et Procopius : « Ova aspidum, » inquit, vocat semina diaboli, qui aspis est et serpens venenatissimus et astutissimus, qui Evam omnesque ejus filios decept.

Allegorice, S. Hieronymus et Haymo hæc accipiunt de Judæis, qui quasi viperæ et aspides obturaverunt aures, ne Christi doctrinam et salutis monita audirent; quique quasi viperæ eundem Christum parentem suum occiderunt. Unde et S. Joannes Baptista vocat eos « genimina viperarum. » Recte quoque Arias hæc adaptat perversis iudicibus, qui litigantes suis praxibus fraudulentis in desperationem et ruinam adiungunt.

ET TELAS ARANEÆ TEXERUNT, — *q. d.* Sicut araneæ texunt telas, ut capiant muscas et culices : ita hi suis fraudibus, rapinis et cædibus putarunt sibi parare et texere opes plebeiorum et pauperum, quibus splendide epularentur et vestirentur; at non nisi futiles et inutiles telas aranearum texerunt. Telæ hæc ad vestitum pertinent, sicut ova ad epulum et cibum; ob cibum enim et vestes, omnis fit rapina. Sicut ergo in vestitu notat inanitatem et inopiam; ex telis enim aranearum vestis fieri nequit, ut dicitur vers. 6; ita in cibo notat perniciem : qui enim ova aspidum comedit, ut sequitur, venenum comedit et mortem; qui vero ova fovet et excludit, regulum producit, *q. d.* Putant hi violenti suis armis et fraudibus parare sibi vestes, at parant sibi telas aranearum, id est tenuitatem, nuditatem, sordes, obscuritatem et pauperiem : putant parare epulum, at parant necem et supplicium. Hæc enim omnia ex justo Dei vindicis iudicio ob hæc scelera inflixerunt eis Chaldæi, et postea Romani evertentes Judæam.

Unde S. Gregorius loco citato : « Telas, inquit, araneæ texere, est pro hujus mundi concupiscentia, temporalia quælibet operari; quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit. » Videmus araneam studiose continuo texere, laborare et se eviscerare; at quid textit? inanem et sordidam telam.

Ita carnales et mundani perpetuo laborant, sudant seque eviscerant; at quid faciunt? quid lucrantur? telam araneæ, rem caducam et futilem. O stulti mercatores et textores, qui parva, fluxa et vilia texitis, eaque cum magnis, pretiosis et æternis commutatis, datis cælum pro terra, animam pro corpore, vitam pro morte!

Aliter hæc explicat Forerius : Jejunia, ait, Judæorum, sabbata, preces, decimationes, alia denique quæ Judæi magna ambitione celebrabant, araneæ telæ erant : videbantur enim aliquid operis et dignitatis habere; sed cum fide et charitate carerent, inutilis erat totus eorum labor.

Symbolice, telas araneæ (quæ subtiles sunt et artificiosæ, sed fragiles et futiles, uti pulchre declarat S. Nazianzenus, orat. 2 *De Theolog.*) texunt primo, hæretici, quorum sophismatibus capiuntur muscæ, id est stolidi et rudes; sed vespæ, id est acres et docti, eas dirumpunt. Ita Nazianzenus, orat. in *Heronis laudem. Secundo*, astrologi, qui ex astris certo divinant de futuris rerum eventis. Ita S. Ambrosius, lib. IV *Hexaemeron*, IV. *Tertio*, iniqui iudices et legum executores, de quibus dicitur :

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Quocirca Thales dicebat leges esse similes telis aranearum, quæ parva animalia retinent, sed a magnis lacerantur. *Quarto*, notarii, scribæ, advocati injusti, qui tenues suis fraudibus irretiunt, spoliant; exhauriunt. *Quinto*, Judæi, eorumque vanæ traditiones, futiles historiæ, et figmenta Cabalistica. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et Delrio, *adagio* 803.

QUI COMEDERIT DE OVIS EORUM, MORIETUR, — *q. d.* Qui se eorum machinationibus impiis jungunt et sociant, hi ex iis non commodum, sed damnum et exitium haurient. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et alii. Nota hic quæ sint vis et perniciæ perversæ societatis, quam exitiale sit cum impiis conversari et sociari. Hi enim in mensis, symposiis, ludis, ova aspidum cum eis comedunt, et venenum libidinis, scurrilitatis, rixarum, aut etiam pravorum dogmatum hauriunt, quo animam necant, et non raro corpus. Hinc in eos simile est proverbium, cujus meminit Tertullianus, lib. III *Contra Marcion.* cap. VIII : « Aspis a vipera; » cum pessimus a pessimo sumit mali quippiam : « Desinat, inquit Tertullianus, nunc hæreticus a Judæo, aspis (quod aiunt) a vipera mutuari venenum. » Refertur autem inter Diogenis apophthegmata, qui conspiciatus duas feminas inter se clam conferentes sermonem, dixit :

Sumit venenum a vipera aspis mutuo.

Utriusque serpentis venenum inmedicabile, pariterque noxium; nisi quod viperæ morsus magis enecat cruciatibus; aspidis adeo nullum affert dolorem, ut nec voluptas desit, si Plinio credimus.

Aliter hæc « ova » explicat Forerius, scilicet ut

Aspis a
vipera,
quid?

Super-
bus, gu-
losus,
avarus,
etc.
texunt
araneæ
telam.

sint perversa dogmata cum lege Dei pugnantia, qualia Scribis et Judæis objicit Christus, scilicet, quod præceptum Dei de honorandis parentibus, de juramento, de sabbati violatione, et alia, suis pravis explicationibus perverterent; uti videre est *Matth. xxiii, 16*. Hæc enim qui hauriebant et sequebantur, occidebant animam; erant enim venena conscientiæ. Unde monet Christus, *Matth. xvi, 11*: « Cavete a fermento Phariseorum et Sadduceorum, » id est ab eorum corrupta doctrina, quæ bonos mores corrumpit et inficit; uti fermentum massam farinae; imo uti regulus, qui non tantum halitu, sed et aspectu intuentes necat. Unde sequitur:

ET QUOD CONFOTUM EST ERUMPET IN REGULUM, — *q. d.* Plane noxia sunt ova hæc impiorum. Si enim iis vescaris, veneno; si calces, a catulo erumpente necaberis. Pro *regulum* Aquila vertit, *viperam*; Symmachus, *aspidem*. Certum est, naturaliter ex ovis aspidum, non regulos, id est basiliscos, sed aspides nasci. Est ergo proverbium simile illi *cap. xiv, 29*: « De radice colubri egredietur regulus, » significans hosce iniquorum conceptus et machinationes in res pestilentissimas et perniciosissimas, qualis est regulus, erumpere, *q. d.* Iniquæ cogitationes et machinationes, si in opus erumpant, iniquissima producent facinora; quæ iniquitate et noxa longe superant ipsas cogitationes. Dat causam ejus quod dixit *vers. 5*: « Ova aspidum ruperunt. »

Septuaginta vertunt: *Qui de ovis eorum* (ova enim aspidum externa specie pulchra sunt) *comedere voluerit, frangens reperiet putridum, et in ipso regulum*. Quod juxta sensum jam datum explicandum est.

Sanchez putat huc alluisse Christum, cum *Luc. xi, 12*, dixit non daturum esse patrem filio ovum petenti, scorpionem, *q. d.* Non daturum ovum aspidis, in quo lateat regulus aut scorpis.

Moraliter S. Gregorius, *XV Moral. ix*: « Qui comederit, inquit, de ovis eorum, morietur; quia qui immundorum spirituum consilia recipit, vitam in se animæ occidit. Et quod confotum est, erumpet in regulum; quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus namque serpentum rex dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum fuerit, erumpet in regulum; quia is, qui in se enutrienda aspidis consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit. »

6. NEQUE OPERIENTUR OPERIBUS SUIS. — Pro suis verti potest, *earum*, scilicet telarum, *q. d.* Tanto opere et studio, quasi aranæ texunt telas, ut se iis contegant; et tamen iis operiri nequeunt, conspurcari possunt.

7. PEDES EORUM AD MALUM CURRUNT. — Ecce hic telas aranearum, et ova aspidum explicat, *q. d.* Cogitatio eorum jugiter intenta est ad malitiam, manus extenta est ad rapinam, pedes currunt ad

cædes, semitæ eorum perversæ sunt, *q. d.* Tota vita eorum corrupta est, omnes mores et actus depravati; non cogitant, non faciunt aliud quam mala, quibus aliis damna et perniciem, sibi que pariter afferant. Hunc locum citat S. Paulus, *Rom. iii, 15*. Vide ibi dicta.

VASTITAS ET CONTRITIO IN VIIS EORUM, — *q. d.* Quocumque vadunt, omnia vastant et conterunt; sunt instar pestis, quæ omnia perdit.

8. VIAM PACIS NESCIERUNT, — *q. d.* Pacem ubique perturbant, omnia miscent turbis et tumultibus. Est miosis. S. Clemens, *lib. II Constit. Apost. cap. xxi*, hæc recte adaptat Episcopis, qui injuste et celeriter excommunicant (hi enim fundunt sanguinem, id est animam suam et alienam occidunt), quique poenitentes recipere nolunt, cum Dominus Jesus, qui est via pacis, docuerit, dicens: « Remittite, et remittetur vobis. »

ET NON EST JUDICIUM (id est justitia, rectitudo, æquitas) IN GRESSIBUS EORUM, — *q. d.* Gressus eorum injusti, iniqui et distorti sunt.

SEMITÆ EORUM INCURVATÆ (id est depravatæ, et, ut Septuaginta, *perversæ*), SUNT, — non rectæ.

OMNIS QUI CALCAT IN EIS (qui eorum semitas, gressus et actus sequitur), IGNORAT PACEM, — quia cum tumultuosis tumultuatur, rapinas et cædes machinatur.

9. PROPTER HOC ELONGATUM EST JUDICIUM A NOBIS (id est, ut sequitur), ET NON APPREHENDET NOS JUSTITIA. — Sæpe enim in Scripturis judicium jungitur cum justitia; per eamque explicatur, ut *Psal. lxxi, 1*: « Deus, judicium tuum regi da: et justitiam tuam filio regis: judicare populum tuum in justitia; et pauperes tuos in judicio. » Sensus ergo est, *q. d.* Propter scelera nostra jam recensita, recessit a nobis vera justitia. Nam quam per jejunia, festa aliasque cæremonias quæsiimus, nobisque arrogavimus, externa tantum fuit, fucata et larvata; quia interna puritate, misericordia et pietate caruimus. Est generalis sententia, quæ tam Judæis tempore Isaïæ, quam posteris competit. Unde S. Hieronymus eam recte adaptat Judæis Christo incredulis eumque persequentibus; ab his enim idcirco ablata est fides, religio et justitia, eaque translata sunt ad Gentes Christæ credentes.

Secundo, Sanchez sic quoque exponit, ut per *judicium* accipiat vindictam de hostibus Judæorum, vocula vero *et sit rationalis*, significans quia, *q. d.* Propter hoc ab hostibus nostris vindicta sumpta non est; quia in nobis non est inventa justitia, quia scilicet nos judicia sine veritate exercuimus, et absque justitia insontes in jus vocavimus, ut dixit *vers. 4*. Hæc enim justa est pœna, ut justum judicium negligenti, justum judicium non fiat. Ita Forerius.

EXPECTAVIMUS LUCEM, ET ECCE TENEBRÆ. — « Lucem, » id est prosperitatem; « tenebræ, » id est calamitas. Nam *lux*, libertatis sortisque lætæ et felicitatis est symbolum; uti *tenebræ*, captivi-

tatis et infelicitatis, uti jam sæpius dixi. Jam ad Judæos tempore Christi hoc referendo, symbolice « lux » et splendor significant splendorem Evangelii, et justitiam Christi; quam enim paulo ante vocavit judicium et justitiam, hic vocat lucem et splendores, q. d. Nos Judæi expectabamus Messiam, qui nos illuminaret, et redimeret, et justificaret; sed ob infidelitatem et impietatem nostram, eo veniente, facti sumus cæci, et palpavimus ac imegimus in meridie, quia Christi fide, et justitia ac gratia ubique propagata et coruscante, nos soli quasi cæci eam non vidimus, et quasi palpantes incessimus (cæcus enim manum habet pro oculo; unde prius manu palpans vestigium explorat, quam in eo gressum figat), ut merito omnes rugire et gemere debeamus, omnesque hoc agnoscentes vere rugient et gement. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius et Theodoretus. Ad Christum enim hæc vel maxime spectare patet ex fine capitis, et ex jam dictis.

10. IN CALIGINOSIS QUASI MORTUI. — Leo Hebræus vertit: *In sepulcris versamur quasi cadavera*; significat summam cæcitatem et calamitatem, q. d. Sicut mortui degunt in terris et putidis sepulcris, ita nos nostris flagitiis et immunditiis dediti in eis hæremus, volutamur, in ea impingimus, ruimus; labimur, ut nunquam nobis lux gratiæ, lætitiæ et felicitatis illucescat, ac si plane essemus mortui, exsanguis et exanimis: imo si ad ejus splendorem cernendum educamur, eo perstringimur et excæcamur, uti Galenus tradit tyrannum quemdam homines excæcare solitum; cogebat enim eos in carceres, locaque obscura et caliginosa, ac post multum temporis educebat illos ad solem, qui subito fulgore solis obruti, statim exoculabantur.

Idem tropologice accidit philosophis, atheis, politicis, quin et iis qui omnia vitæ statusque sui subsidia in sua prudentia, labore, armis, robore collocant; qui si ad claram divinæ veritatis, voluntatis et providentiæ doctrinam revocentur, velut noctuæ tantam lucem non ferentes, ea magis excæcantur. Ita Arias, et ex eo Delrio, *adagio 804*.

11. RUGIEMUS QUASI URSI OMNES. — Chaldæus hæc explicat de hostibus Judæorum, qui quasi rugientes in eos sævierant. Verum sic dicendum fuisset: Rugient hostes, non, Rugiemus nos. Sensus est ergo, q. d. Sicut ursi amissis catulis, ex summo dolore horrende rugiunt, et sicut columbæ perpetuo quasi meditates gemunt: ita et nos Judæi deserti a Deo et Christo, et vastati tum a Chaldæis, tum a Romanis, horribiliter jugiterque gememus et lamentabimur. Ita Cyrillus. Nominat rugitum ursi potius quam leonis, quia ursi catulos informes pariunt, quos deinde lambendo formant, itaque quasi bis pariunt; quocirca summe eos amant, et si amittant summe dolent. Rursum rugitus significans furorem ursi, repræsentat indignationem Judæorum, simulque clamores conscientiæ, quæ eis attestatur et occlamat justè hæc

eos ob scelera, Christumque occisum pati (1).

Secundo, S. Hieronymus censet per *ursum* significari crudelitatem Judæorum in pauperes et humiles, v. g. Christianos; per *columbam*, eorundem pavorem et timiditatem erga hostes, sive Chaldæos, sive Romanos. Ait enim: « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditates gememus; ut et crudeles sint pariter et miseri: feri et immanes ad humiles atque subjectos, pavidi atque trepidantes ad eos qui fortiores sunt, quos quasi accipitres perhorrescunt. » Et tales hodie videmus Judæos. Unde Hispani cum quem pavidum volunt significare, dicunt: « Judæum gestat in pectore, » inquit Delrio, *adagio 805*.

Tertio, Procopius putat in urso notari Judæorum sævitiam, in columba simplicitatem, utramque cum imprudentia et stoliditate conjunctam.

EXPECTAVIMUS. — Repetit more gementis id quod dixit vers. 9, nisi quod ibi vocavit justitiam, hic vocet salutem; justitia enim est salus inchoata, sicut salus æterna est justitia consummata. Hoc est enim quod de Christi salvatoris adventu canens Zacharias ait: « Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. »

12. ET PECCATA NOSTRA RESPONDERUNT NOBIS. — Vers. 12. id est, ut Vatablus et Forerius, accusant nos apud Deum, ab eoque vindictam exigunt. Finguntur hic per prosopopœiam peccata quasi personæ assistere Deo, et quasi rogari quid peccatoribus fieri debeat, omniumque vocem unam esse, ut perdantur et pereant. Sic dicuntur peccata clamare in cælum, quasi non rogata accusent peccatores, et contra eos clament; quanto enim ea libentius amplectimur, tanto adversum nos acrius causam coram Deo agunt.

Secundo, simplicius et magis genuine, Judæis cogitantibus et conquerentibus de suis ærumnis et suppliciis, eorumque causam inquirentibus, responderunt peccata, eos dignos esse hac pœna. Hoc est quod dixit cap. III, 9: « Agnitio vultus eorum respondit eis. » Vide ibi dicta.

Tertio, pulchre Forerius et Sanchez: Peccata, inquit, quasi echo peccantibus respondent. Sicut enim echo vocem refert a saxis eandem, quam a clamante accepit: ita pœna peccati respondet ejusdem culpæ, quasi illius echo et reflexio sive repercussio meritissima; ut, sicut Judæi in alios fuerunt impii et crudeles, ita vicissim Chaldæos et Romanos in se impios et crudeles sentiant et experiantur. Rursum echo notat peccatorum frequentiam et divulgationem, ait Forerius.

QUIA SCELERA NOSTRA NOBISCUM, — apud nos, imo ante nos sunt, semper vultui nostro obversantur. Ita dicebat David pœnitens: « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper. »

(1) Bochartus, *Hieroz.* t. II, p. I, III, IX, observat habere ursum vocem aliquid gemebundum; unde Horatius, *Epod.* XVI, 51: « Ner-
ovile, »

Pœna quasi echo respondet culpæ.

Aliter Sanchez : « Scelera, » ait, id est scelerum pœnæ, nobiscum sunt, nos jugiter exagitant. Porro scelera hæc enumerat dum subdit : « Peccare et mentiri contra Dominum, » ut scilicet fidem Deo datam de illi soli, non idolis, non vitiis serviendo, falleremus, etc.

Vers. 14. 14. ET CONVERSUM EST RETRORSUM (Vatablus et Forerius vertunt, *retroactum est*) JUDICIUM (id est justitia a nobis abacta est. Unde sequitur) : QUIA CORRUIT IN PLATEA VERITAS, ET ÆQUITAS NON POTUIT INGRESSE, — quasi dicat : Palam et publice veritas et justitia eversa sunt : quia grassatur, inundat et dominatur passim vis, iniquitas et injustitia, tum magistratum, tum plebeiorum. Nullus ergo in cœtu nostro æquitati relictus est locus, nullus aditus, nullus ingressus. Hinc Filius Dei e cœlo descendit, ut justitiam exulantem reduceret. Notent hoc respubiicæ et regna, in quibus justitia et virtus cum religione profligata sunt, uti factum videmus et dolemus in Anglia, Scotia, Græcia, multisque aliis provinciis, ubi Christiani virique justii prædæ iniquorum patent : « Ut, nisi lupus sis, luporum prædam te esse oporteat. »

Mystice, platea, inquit S. Hieronymus, est lata et licentiosa carnalium vita, in hac corrui et pessumdatur veritas et probitas.

Vers. 15. 15. QUI RECESSIT A MALO, PRÆDÆ PATUIT. — Ubi enim vis et impietas dominantur, ibi innocentia opprimitur, et justii sceleratis sunt prædæ. Arabicum est adagium ab Aria ad verbum latine expressum :

Esse lupis escam, te nostra ætate necesse est ;
Sed patiare, nisi te juvet esse lupum.

Furem enim fur, lupum lupus cognoscit.

Vers. 16. 16. NON EST VIR (q. d. Non est quisquam qui scilicet faciat judicium, id est justum) : ET APORIATUS EST, — id est anxius et perplexus hæsit Deus : hoc enim est ἀπορίωμαι, ut dixi I Cor. cap. iv, 8. Hebraice אִישׁוֹמֵם *iistomem*, id est obstupuit, hoc est obstupescens et admirans, et quasi inops consilii in re desperata, anceps hæsit Deus ; quia non est qui iræ ejus orando occurrat. Ita S. Hieronymus et Chaldæus. Quocirca divino usus consilio remedium non a terra, sed a cœlo ; non ab hominis, sed a suo brachio ac clementia petiit.

Nota : Huc usque enumeravit Propheta scelera plurima et gravissima Judæorum (sub quibus et Gentium, utpote idololatrarum, graviora crimina intelligit), ostenditque ea fuisse incurabilia. Quocirca subdit Deum in rebus desperatis curationem hanc suscepisse, ac salutem eis per Christum attulisse. Hoc imitatus est Paulus in Epist. ad Roman. Nam, cap. i, Gentium, cap. ii, Judæorum, cap. iii, utrorumque scelera incurabilia exaggerat, indeque concludit, cap. iii, 23 et 24, utrisque opus fuisse redemptore Christo. Hoc est quod subdit Propheta :

ET SALVAVIT (remedium, opem et salutem attulit) SIBI BRACHIUM SUUM, — hoc est, Deo saluti

fuit brachium suum, et, ut Vatablus, salutem ei præstitit brachium ejus, q. d. Cum scelera Judæorum æque ac Gentium ad summum crevissent, essentque incurabilia, cum res mundi essent deploratæ, nec esset qui mederi aut opem ferre vellet aut posset ; tunc Deus totam hanc rem, tam suam quam mundi, brachio, id est potentia sua restituit, ipse suis viribus totam rem solus confecit. Ita Forerius, Vatablus et alii. Aliqui sic explicant, q. d. Christus sibi salutem attulit in cruce et morte, quando tertia die suo brachio et virtute ex ea se resuscitavit. Verum hoc non est litterale, nec genuinum. Septuaginta vertunt : *Ultus est brachio suo* ; alii : *Salvavit eum*, scilicet populum, *brachium ejus*, scilicet Dei.

Symbolice, hic disce in prælio æque spirituali ac corporali plurimum valere animositatem : « Dux, inquit Vegetius lib. II, ardorem animi vultu oculisque præferat. » Et Livius, lib. XXII : « Quo timoris minus sit, eo minus ferme esset periculi. » Et Sallustius in *Jugurtha* : « Semper in prælio his maximum periculum esse, qui maxime timent ; audaciam pro muro haberi. » Et Curtius : « Effugere mortem quisquis contempserit ; timidissimum quemque eam consequi. » Hinc Vegetius, lib. III, cap. xviii : « Semper, ait, studeere debes, ut prior instruas aciem. » Rursum : « Fortiores videntur, qui provocare non dubitant. Nam plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti. »

ET JUSTITIA EJUS (id est sanctitas, bonitas et misericordia Dei) CONFIRMAVIT EUM, — scilicet Deum, hoc est, eum sustinuit et sustentavit ac corroboravit, ne ab incepto desisteret, sed fortiter susceperet et constanter urgeret tam arduum salutis nostræ et redemptionis opus ; ut scilicet pro nobis inimicis, impiis, ingratis, blasphemis, in carnem et mortem crucis daret Filium suum unigenitum, ejusque morte hostes nostros et tyrannos a nobis depelleret, puta dæmonem, peccatum, mortem ; gehennam.

Secundo, « justitia » hic proprie capi potest, q. d. Quamvis homines omnino perversi sint, Dominus tamen liberabit eos, et in liberando utetur justitia, puta justo lytro et satisfactione, quam petet non ex ipsorum meritis, quæ nulla sunt, sed ex meritis Christi, quibus pro peccatis hominum ad ultimum terencium satisfecit, itaque juste nos sibi reconciliavit, et a diaboli captivitate redemit.

Ad litteram loquitur de redemptione generis humani per Christum, sed alludendo ad redemptionem Judæorum e Babylone per Cyrum. Hujus enim causa non fuerunt ipsorum vires et merita, sed Dei robur ac gratia. Quare qui hæc plane ad litteram accipiunt de Judæis et Cyro, mystice tantum de Christianis et Christo, Rabbiniis et Judæis plus æquo indulgent, neque dignitati, neque menti Prophetæ satisfaciunt. Melius equidem et probabilius S. Hieronymus exponit hæc

Ani-
sus be-
sit -
tus

de bello et armis Dei, quibus per Titum et Romanos debellavit et excidit Judæos ob scelera ante recensita. Verum cum ultio hæc Dei de more sit contra dæmonem et peccatum, ut ab iis homines liberet, sitque ipsa ejus in homines clementia: rursum, cum sequentia omnia lætitiæ, gratiam et fœdus sonent, prior sensus de redemptione hominum per Christum plane literalis et genuinus videtur.

Vers. 17. Panoplia Dei. 17. **INDUTUS EST LORICA.** — Nota prosopopœiam, qua Propheta Dei quasi militis a capite ad talos armati, arma et panopliam describit, qua eadem Apostolus armat fidelem quemque quasi Dei militem, pugnantem contra dæmonem, mundum et carnem, *Ephes. vi, 13.*

Lorica est justitia. Itaque primo, thorax sive lorica Dei est « justitia; » hæc enim totum Dei pectus et cor obarmavit et corroboravit, ut pro justitia, justoque suo dominio contra tyrannos dimicaret, puta contra dæmones, qui hominem injuste captum detinebant; ut eos injusta sua possessione depelleret, hominemque in pristinam libertatem, et jus ac dominium suum revocaret. Justitia hæc est misericordia, ait Haymo. Planius tamen justitiam hic proprie capias: eam enim Deus Christo communicavit, ut totum ejus pectus obarmaret et corroboraret, ut quasi adamas dorsum suum daret percutientibus et flagellantibus: itaque poenas peccatorum nostrorum in se suscipiens et sustinens, juste pro iis Deo satisfaceret tantum et amplius quantum illa merebantur.

Galea est salus. Secundo, galea Dei est « salus: » hæc caput et mentem Dei obarmavit, ut tota ejus intentio ferretur in hominum salutem; hæc est galea activa: passiva in Christo fuit ipsa divinitas, hæc enim Christi textit caput, ejusque salutem contra hostes tutata est, cum eum a morte gloriosum quasi mortis victorem suscitavit. Verum melius accipias de activa: hanc enim spectavit Deus et Christus, ab eaque Jesus, id est salvator, appellatus est. Ita S. Thomas, Hugo et Forerius.

Vestis est ultio. Tertio, vestis ejus fuit « ultio: » totus enim, totoque quasi corpore ferebatur in hostes, puta peccata, ut ea disperderet.

Pallium est zelus, isque triplex. Quarto, pallium ejus fuit « zelus: » hic enim cumulavit, obtexit et ornavit arma ejus jam dicta. Zelus hic fuit triplex, scilicet primus, honoris sui et gloriæ: dedecus enim fuisset Deo permittere creaturam suam sub potestate diaboli. Secundus, iræ in dæmonem et peccatum, hostes suos et nostros. Tertius amoris erga homines. Hic triplex zelus ingens et abundans Deum undique cinxit et decoravit instar pallii, quod corpus et vestes alias laxè ambit et circumdat. Hunc zelum cæteraque arma Deus communicavit Christo belli sui duci. Tota enim vita Christi zelum et vindictam spiravit: nam ex zelo gloriæ Dei, amoris nostri, et odii in hostes, eos imperio disturbavit, peccatum abolevit, mortem occidit, carnem perdomuit, ut ubique et in omnibus re-

gnaret ipse, ejusque fides, veritas, charitas, pax, justitia, Dei laus, gratiarum actio, et gaudium in Spiritu Sancto. Ita Forerius, Adamus et alii.

GALEA SALUTIS IN CAPITE EJUS. — Solebant veteres in galeis ingentes gestare cristas, præsertim e plumis aquilarum, gallorum aliarumque victricium avium, tum ut hostes terrefacerent, tum ut animos hac specie sibi invicem adderent, tum ut victoriam, bellique finem ac fructum quem spe et animo conceperant, in galea et cristis præferrent, ac manu strenue exequerentur. Quocirca galea Dei et Christi fuit salus; hanc enim præ se tulit et attulit per hocce suum bellum mundo. Porro galeæ hujus insigne et quasi crista fuit crux; per hanc enim salutem dedit. Unde et Constantinus pugnaturus contra Maxentium, in galea gestavit crucis signum. Nam, ut canit Prudentius, lib. I *Contra Symmachum* :

Crista Christi crux.

Ardebat summis crux addita cristis.

Hæc et plura de galea Sanchez.

INDUTUS EST VESTIMENTIS ULTIONIS. — S. Hieronymus, uti dixi, Cyrillus, Procopius et Haymo hæc referunt ad ultionem quam Deus in Judæos impios Christique occisores exercuit per Romanos. Verum ob causas quas assignavi vers. 16, melius et verius hæc accipiemus de ultione quam Deus per Christum peregit contra dæmonem et peccatum.

Figurate ergo hic Christus Dominus, veniens ad redimendos homines, inducitur quasi dux cataphractus, qui furore divino actus non tantum in dæmones, sed etiam in homines peccatores eis subditos irruit, atque obvios quosque deturbat, proterit, trucidat, interfectorumque sanguine sitim extinguit.

Ubi nota: Solent Prophetæ cum de hac Christi pugna et redemptione loquuntur, duplici nomine et fere copulato eam significare, hoc est ultione et salute, strage et redemptione, indignatione et pace, sanguine et vita, victoria et incolumitate. Alludit enim ad redemptionem Judæorum, quæ cum strage Chaldæorum peracta est, uti omnis victoria cum strage hostium peragi solet. Rursum in hac strage et salute iidem sunt hostes et amici, debellati et liberati, enecti et redempti; sed moribus, ingenio, affectu dissimiles: Christus enim infideles impiosque subegit et abolevit, mactando peccata et servando homines; nimirum ex impiis pios, ex infidelibus fideles, ex blasphemis Dei cultores, ex inimicis amicos faciendo: quæ illustris et divina victoria æque ac strages fuit. Vide *Can. XI.VI.* Unde sequitur:

OPERTUS EST QUASI PALLIO ZELI, — id est opertus est zelo quasi pallio. Unde Vatablus vertit: *Indignatione amictus est vice pallii.* Sic cap. VI, 1, 3, « Pallium laudis » vocatur ipsa laus fideles cingens et ornans quasi pallium: « Zelus ergo æque

ac charitas, est pallium Dei et divinæ Majestatis, » uti scite quidam sanctorum dixit.

Vers. 18. 18. INSULIS VICEM REDDET. — *Insulas* vocat gentes remotas in insulis et ultra insulas habitantes, uti alibi dixi : hisce vicem, id est talionem ultionis, reddidit, dum ipsarum impietatem et idololatriam destruxit, easque christianas et piâs effecit.

Aliter S. Hieronymus; ipse enim perstitit in sua expositione cladis Judæorum per Titum : unde per « insulas, » accipit Jerusalem, quæ Romanorum exercitu cingebatur et tundebatur, sicut insula mari et fluctibus. Verum ex dictis liquet priorem sensum esse litteralem et genuinum.

Vers. 19. 19. ET TIMEBUNT QUI AB OCCIDENTE, NOMEN DOMINI (q. d. Omnes gentes tam quæ ad Orientem, quam quæ ad Occidentem habitant, subactæ a Christo et Apostolis, Dei Christique fidem et gloriam timebunt, id est colent et reverebuntur, idque fiet tunc), CUM VENERIT QUASI FLUVIUS VIOLENTUS, QUEM SPIRITUS DOMINI COGIT, — q. d. Cum ad gentes debellandas venerit validus Domini exercitus, qui tanto impetu veniet, ut videatur esse quasi fluvius violentus, qui simul a vento rapitur et propellitur; hujus enim in præceps ruentis cursum nemo sistere aut impedire potest, quin exundans omnia obruat et pessumdet. Unde Septuaginta vertunt : *Quasi fluvius violentus in ira Domini, veniet cum furore. Pro violentus* hebraice est **צַר** *tsar*, id est angustus, ut vertit Aquila, et consequenter *violentus*. Fluvius enim si in angustias redigatur et exuberet, fit violentus, sternit agros, sata læta boumque labores. Significatur hoc impetu vis, copia et efficacia Evangelii, ac prædicationis Christi et Apostolorum, cui nulla sapientia, eloquentia, prudentia resistere potuit, ut videre fuit in prædicatione S. Pauli. Unde Theodotion vertit : *Quasi fluvius angustians vel oppugnans. Hoc adimpletum est in Pentecoste, inquit S. Hieronymus, et deinceps, cum factus est de cælo sonus quasi advenientis spiritus vehementis, quo impulsus et acti Apostoli in spiritu vehementi contriverunt naves Tharsis, id est omnes mundi machinas, totumque orbem celerrime pervaserunt, et Christo substraverunt. Qui ergo vult efficax et Apostolicus esse Evangelii præco, et efficaciter per illud peccatores convertere, necesse est ut instar Apostolorum vadat et concionetur in spiritu vehementi. Frigidæ enim conciones, quales multas hodie videmus, proh dolor ! corda frigida non feriunt, non accendunt.*

QUEM SPIRITUS DOMINI COGIT. — « Spiritus Domini » est ventus ingens et validus : hic enim colligit aquas, cogitque ut in præceps ruant. Simili modo et impetu exercitum Apostolorum Domini coegit et propulit zelus et spiritus Domini. Pro *cogit* hebraice est **נִסְסָה** *nosesa*, quod Leo Hebræus vertit, *impellit*, a radice **נָסַס** *nasas*, id est fugit, et in piel ac poel *noses*, id est fugere compulit, propulit et impulit. Vatablus vero *nosesa* vertit, *vexil-*

lum excitabit, **נִסְסָה** *nes* enim signum et vexillum significat, q. d. Hinc exercitui Dei præest spiritus Dei quasi vexillifer : hic illum ducit, cogitque ac facit ut potens sit et efficax, omniaque prosternat. Unde tertio, Aquila *nosesa* vertit : *Spiritus Domini signaculum ejus*; Theodotion : *Quasi fluvius oppugnans spiritus Domini signatus est*, « in Christo, inquit S. Hieronymus. Hic est enim de quo, Joan. vi, 27, dicitur : « Hunc enim Pater signavit Deus; » et *Isaiæ* cap. xi, 2 : « Requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Unde et nos dicimus : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; et in *Ezechiele*, cap. ix, vers. 4, virorum gementium frontes thau litteræ Hebraicæ quæ apud eos ultima est, impressione signantur. »

20. ET VENERIT SION REDEMPTOR (« Sion, » id est Sioni, puta Ecclesiæ. Unde explicans subdit) : ET (hoc est, id est) EIS QUI REDEUNT AB INIQUITATE IN JACOB. — Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius. Ecclesia enim vocatur « Sion, Jacob, Israel, » etc., quia in Sione apud Jacobitas sive Israelitas cœpit, illique primi fuerunt lapides, id est fideles et Apostoli, Ecclesiæ. Ita explicat S. Paulus, Rom. xi, 26. Quare commentarius S. Thomæ ascriptus, et Hugo, qui per redemptorem litteraliter accipiunt Cyrum et Nehemiam, qui fuit redux Judæorum e Babylone in Judæam, ut solum allegorice hic significetur Christus, valde extenuant, imo detorquent hoc Prophetæ oraculum, æque ac argumentationem Apostoli. Dico ergo ad litteram redemptorem esse Christum, non Cyrum; licet alludat ad Cyrum : Christus enim, non Cyrus, novum fœdus quod sequitur sanxit. Unde capite sequenti jubilans Propheta exultat, dicitque : « Surge, illuminare, Jerusalem, » etc.

Septuaginta et ex iis S. Paulus, Rom. xi, 25, paulo aliter sic vertunt : *Veniet ex Sion* (sic enim habent S. Hieronymus et Complutenses, licet Cyrillus, Procopius et Sixtina habeant : *Propter Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob*; quia nimirum Hebræum *lamed* non tantum est articulus dativi, sed etiam subinde capitur pro **מִן** *min*, id est *ex, de*; unde **לְצִיּוֹן** *letsion* vertunt : *Ex Sion*. Rursum, idem est dari Christum redemptorem Sioni, id est iis qui redeunt ab iniquitate, quod venire eum ut eripiat et avertat impietatem a Jacob : in hoc enim sita fuit Christi redemptio, sicut antitypa Cyri redemptio in eo sita fuit, quod Cyrus averteret captivitatem Babylonicam a Jacob, ipsique ex ea redirent in patriam. Ideo enim Deus et Christus in galea et vertice capitis salutem, non temporalem, sed spiritualem a peccato præfert. Unde clarius cum Forerio ex Hebræo verti potest : *Et venerit Sioni redemptor, et Jacobitis captivis peccati*. Hebræum enim **שָׁבִי** *scabe*, a radice **שָׁבָה** *scaba*, id est captivus fuit, significat captivos : sin autem dedueas **שׁוּב** *scub*, id est reversus est,

significat revertentes, ut vertit Noster. Quocirca recte ex hęc loco docet S. Paulus Judæos in fine mundi convertendos esse et salvandos, cum intraverit plenitudo gentium in Ecclesiam.

Porro quod addit Apostolus : « Cum abstulero peccata eorum, » non est hoc loco in Isaia, sed ab Apostolo additum est explicationis gratia; explicat enim et inculcat illud quod præcessit : « Qui avertat impietatem a Jacob, » ut doceat in eo sitam esse totam Christi salutem et redemptionem. Ita in illum Pauli locum Origenes, Anselmus, Toletus, Cajetanus, licet Sanchez probabilius censeat hæc verba petita esse ex *Isaia* IV, 4, ubi dicitur : « Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, » etc. Aut potius ex *Jerem.* cap. XXXI, 34, ubi loquens de eodem hoc fœdere ait Deus : « Quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. » Solet enim Paulus diversa Scripturæ loca connectere, eorumque sensum, non verba citare.

DICIT DOMINUS, — hebraice **נאמתי** *neum ie-hova*, q. d. Hoc est effatum, decretum et oraculum Domini. Hoc enim gravi pronuntiato, quasi sigillo, solent Prophetæ insignia Dei promissa, quale hoc est de Christo redemptore, obsignare. Unde Apostolus vertit : « Fidelis sermo et omni acceptione dignus. » Vide dicta I *Timoth.* I, 15.

Vers. 21. 21. HOC FŒDUS MEUM, — scilicet quod præcessit de mittendo redemptore, qui redimat Jacob ab iniquitate : fœdus enim hoc, sive testamentum novum, non est aliud quam liberalis Dei sanctio, et promissio de venia et gratia facta primario Judæis (his enim promissus erat Messias), deinde consequenter cæteris etiam Gentibus. *Secundo*, et congruentius, S. Hieronymus, Haymo, Forerius censent fœdus hoc esse id quod sequitur : « Spiritus meus, » etc., q. d. Novum hoc fœdus in eo situm erit quod Deus dabit Jacobæis, qui ab iniquitate redeunt, id est Ecclesiæ, Spiritum suum Sanctum, eumque nunquam ab ea auferet.

SPIRITUS MEUS, QUI EST IN TE. — S. Hieronymus putat hoc a Deo dici Isaia, q. d. Spiritus meus propheticus, qui in te est, o Isaia, nunquam deficiet, nec verba, id est oracula mea, recedent de ore tuo, et seminis tui, id est posterorum tuorum, scilicet Prophetarum et Apostolorum, usque in æternum.

Secundo, Procopius et Cyrillus censent hæc esse verba Patris ad Filium, Christum Dominum : super hunc enim fixe et jugiter requiescit Spiritus Domini.

Tertio et genuine, passim alii censent hæc esse verba Dei ad Ecclesiam : de hac enim sermo præcessit, et cum hac Deus novum fœdus hic init, dicens : « Fœdus cum eis, » etc., scilicet Jacobæis, qui redeunt ab iniquitate. Hi enim sunt Ecclesia, hoc est prima pars Ecclesiæ Christi. Porro mutat hic numerum, dicens, « in te, » pro « cum eis, » vel « vobiscum : » quia loquitur Jacobo, id est toti populo, de quo nunc singulariter et collective,

nunc pluraliter et distributive loqui solemus : « In te » ergo, o Jacob, o popule mi Christiane qui es Ecclesia mea, spiritus meus requiescet. Hebræum enim **לך** *lecha*, id est in te, est masculinum : unde proprie populum refert, qui Sionem, id est Ecclesiam, constituit.

Porro spiritus hic est Spiritus Sanctus, qui per fidem et charitatem diffusus est in tota Ecclesia, puta in cordibus fidelium. « Spiritus » ergo hic primo, est fidei et veritatis, qui assistit Sioni, id est Ecclesiæ ejusque capiti Romano Pontifici, ne in fidei definitionibus erret. Hunc enim Christus, ascendens in cœlum, Apostolis et Ecclesiæ usque in finem promisit : alioquin enim illa in fide aliquando errare posset, quod absit : tunc enim esset Ecclesia, non Dei, sed diaboli. *Secundo*, spiritus hic est charitatis et sanctitatis.

Sensus ergo est, q. d. Vetus fœdus et testamentum Mosaicum consistit in donatione legis, *Exod.* XX. At jam in novo Christi fœdere dabo Spiritum Sanctum, puta spiritum veritatis et charitatis, tibi, o Jacob, id est o Ecclesia, ut verba, id est præcepta mea, non recedant de ore ac corde tuo, ac seminis, id est posterorum tuorum, in æternum ; sed semper ea et ore recites ac doceas, atque corde conserves, et opere ac vita adimpleas per gratiam et opem ejusdem Spiritus. Novum ergo hoc fœdus et testamentum consistit in donatione spiritus, quo libere et hilariter legem et voluntatem Dei implemus. Hunc esse sensum patet ex *Jeremia*, per quem Spiritus Sanctus hoc fœdus ita explicat, cap. XXXI, vers. 33 : « Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, » utique per spiritum amoris et gratiæ, quem cordi eorum infundam ; cum legem Mosaicam scripserim in tabulis lapideis, non in corde Judæorum. Unde huc alludens Apostolus, II *Cor.* III, 6, docet novum Testamentum esse spiritus, vetus fuisse litteræ : qua de re docte scribit S. Augustinus, lib. *De Spiritu et littera*.

Ubi nota hunc spiritum hic Ecclesiæ, id est toti cœtui fidelium, promitti, non autem singulis in ea personis : sunt enim in Ecclesia etiam fideles impii et peccatores quasi membra arida.

Secundo, tamen spiritus hic promittitur singulis veris et vivis Ecclesiæ membris, hoc est justis : hi enim omnes vitali hoc spiritu animantur et vivunt. Unde quod ait, « in te, » potest de quolibet justo accipi, ut accipit Adamus. Nullum enim justum Deus gratia sua deserit, nisi prius ab eo deseratur, uti docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XI. Ergo spiritus hic gratiæ ex parte Dei est æternus, et cum justo manet in sempiternum, nisi ipse eum sponte excutiat. Pari modo spiritus veritatis, qui non singulis Ecclesiæ membris, id est justis, sed toti Ecclesiæ, ejusque capiti Romano Pontifici, ad definiendas res in fide controversas promittitur, ab ea et ab eo non recedet in æternum.

Novum
testa-
mentum
in quo
situm est

Aliter explicant Hebræi, *q. d.* Spiritus meus propheticus, id est, ut sequitur, verba, oracula et doctrina mea non recedent, id est non recedant, ab ore et corde tuo, *q. d.* Cura, o Jacob, ut semper geras in mente et memoria ea quæ jam dixi de tua e Babylone redemptione et redemptore. Censent enim *recedent*, non esse prædicentis, sed

imperantis. Verum hic sensus torquet vocem « spiritus, » et enervat oraculum de novo Testamento: quocirca ut frigidus et Judaicus non videtur admittendus; augusta enim Prophetæ verba augustius quid spectant, scilicet novi Testamenti in spiritu, non in lege, consistentis institutionem, ut patet ex dictis.

CAPUT SEXAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dixerat Propheta in fine cap. præcedentis, quod Deus per Christum redimeret Jacobæos, ac Sion sive Jerusalem, id est Ecclesiam credentium ex Judæis, et consequenter ex Gentibus, quoque cum ea novum et æternum fœdus sanciret, ita ut spiritum suum illi in perpetuum consignaret. Nunc ergo exsultans et jubilans ei congratulatur, ac graphice miram ejus felicitatem et gloriam depingit. Nam primo, ejus proles et propagationem per omnes gentes fuse enarrat. Deinde, vers. 10, prædicit reges, principes et populos ei ministraturos, etiam qui olim eam impugnaverant, suasque opes in illam illaturos: perituras vero gentes et regna, quæ illi servire noluerint. Unde tertio, vers. 15: Ponam te, inquit, in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem: et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. Pro ære afferam aurum, et pro ferro argentum, et pro lignis æs. Denique, vers. 18, assurgens ad Ecclesiam triumphantem: Non audietur, ait, ultra iniquitas in terra tua, occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio; non erit ibi amplius sol, sed erit ibi Dominus in lucem sempiternam. Populus autem tuus omnes justi, minimus erit in mille, etc (1).

1. Surge, illuminare, Jerusalem: quia venit lux tuum, et gloria Domini super te orta est. 2. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. 3. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. 4. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. 5. Tunc videbis, et affluēs, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. 6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabajoth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? 9. Me enim insulæ expectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe; argentum eorum, et aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, et sancto Israel, quia glorificavit te. 10. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim mea percussi te: et in reconciliatione mea misertus sum tui. 11. Et aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. 12. Gens enim

(1) Postquam Isaias œconomiae divinæ rationes circa Synagogam exposuit, cap. LV, LVI, LVII, LVIII, LIX, jam declarat studium divinum pro Ecclesia, et de ea simulque de Christo, apertiora prædicit, quam ut liberationi a captivitate Babylonica ullo modo convenire possint. Hujus igitur Ecclesiæ Christi describitur formatio, cap. LX, institutio a Christo, LXI, LXII, et amplificatio, LXIII.

PRIMO igitur, ad hanc formandam Ecclesiam excitantur Judæi, utpote primo, Evangelium primo audituri, 1; secundo, Christum ipsum visuri, 2; tertio, cæteros edocaturi, 3.

SECUNDO, confluunt vocatæ gentes, primo, ex omni parte orbis universi, 4, 5; secundo, ex continenti, 6, 7; tertio, ex insulis, 8, 9.

TERTIO, conferunt operam, primo, extranei et domestici, 10, 11; secundo, hostes et amici, 12-14.

QUARTO, excluduntur loco et removentur, primo, despectus et odium a gloria et patrocinio principum, 15, 16; secundo, conditio tenuis et adversa ab abundantia et quietate, 17, 18; tertio, alternans fortuna a stabili felicitate, 19, 20; quarto, exsilium et interitus a possessione hæreditatis et multitudine posteritatis, 21, 22.

et regnum, quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur. 13. Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus, et pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meae; et locum pedum meorum glorificabo. 14. Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel. 15. Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generationem et generationem : et 16. suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis : et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. 17. Pro aere afferam aurum, et pro ferro afferam argentum; et pro lignis aes, et pro lapidibus ferrum : et ponam visitationem tuam pacem, et praepositos tuos justitiam. 18. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. 19. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. 20. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur : quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. 21. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum haereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae ad glorificandum. 22. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam : ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud.

Vers. 1.

1. SURGE, ILLUMINARE, JERUSALEM. — Septuaginta : *Illuminare, illuminare, Jerusalem; Vatablus : Surge, lucida esto; alii : Surge, splendida esto. Vox Jerusalem non est in Hebraeo, sed addita videtur ex Septuaginta et ex cantu Ecclesiastico in festo Epiphaniae, idque recte et fideliter : intelligitur enim ipsa, ut patet ex fine cap. praeced.; ad eandem enim hic fit sermo, eidemque congratulatur, cui dixit cap. praeced., vers. 20 : « Et venerit Sion redemptor. »*

Jam Rabbini, quos sequitur Comment. S. Thomae et Hugo, haec ad litteram accipiunt de terrena Jerusalem, id est Judaeis e Babylone in Jerusalem reductis : tunc enim urbs refloruit, et quasi ad pristinam gloriam rediit. Allegorice vero sub hoc quasi typo et hieroglyphico censent representari gloriam Ecclesiae christianae.

Secundo, Chiliastae sive Millenarii haec retulerunt ad suos mille annos, quibus Sancti post judicium in terra cum Christo regnaturi sint in omnibus carnis deliciis, juxta *Apoc. xx, 6*, tumque omnia quae hic dicuntur, ad litteram in Jerusalem eventura.

Verum utramque sententiam merito ut Judaeam et erroneam refutat et damnat S. Hieronymus : « Judaei, inquit, et nostri semijudaei, qui auream atque gemmatam de caelo exspectant Jerusalem, haec in mille annorum regno futura contendunt, quando omnes gentes serviturae sunt Israel. » Et inferius : « Haec illi dicunt qui terrenas desiderant voluptates, et uxorum quaerunt pulchritudinem, ac numerum liberorum; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum : quorum qui sequitur errorem, sub nomine christiano Judaeorum se similem confitetur. » Et inferius : « Nos autem juxta priorem sensum ad Ecclesiam dici universa credamus, quae primum de

Judaico populo congregata est, et lumen quod super eam ortum fuerat, per Apostolos transmisit ad gentes, cui dicitur : Surge, illuminare, ut quae cecidit in incredulis, surgat in fidelibus; quae cecidit in synagogis, surgat in Ecclesiis; et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras. » Idem docent S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus, Tertullianus, Augustinus, Ambrosius, Clemens, et alii quos citat Leo Castrius, Forerius, Adamus, Vatablus, et passim alii : « Alloquitur, inquit Vatablus, primitivam Ecclesiam, et hortatur illam ad fidem in Christum : Da, inquit, operam ut consequaris fidem. » Quae enim sequuntur toto capite tam augusta sunt, ut non Hierosolymae et Judaeis, sed soli Ecclesiae Christianae conveniant.

Sensus ergo est, *q. d.* Age, o Ecclesia, o credentium Christo popule, qui hactenus sedisti in tenebris infidelitatis et ignorantiae Dei; qui cubasti et dormivisti in strato peccatorum omnium, qui jacuisti in carcere et captivitate diaboli et inferni, nunc agendum surge de hac tua sede, strato et carcere, ac solem justitiae orientem excipe, evigila e somno peccatorum, caput attolle, libertatem, lucem et laetitiam tibi a Christo oblatam obviis manibus amplectere. Alludit ad id quod dixit cap. ix, vers. 2 : « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. » Huc alludit S. Paulus, *Rom. xiii, 11*, cum ait : « Fratres, hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. » Et *Ephes. v, 14* : « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. » *Illuminare* ergo, hoc est, lucem fidei et gratiae

recipe quasi speculum, ut transformeris in eandem imaginem, fiasque quasi sol orbem illuminans. Hoc est enim quod ait Apostolus, II *Corinth.* cap. III, vers. ult. : « Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. » Vide ibi dicta. Porro *illuminare*, tam est invitantis ac hortantis Judæos, ut lucem Evangelii apud se orientem amplectantur, quam congratulantis, *q. d.* Age, fruire luce qua irradiaris tu sola in toto orbe; congratulare tibi, et Deo gratias age. Posset quoque illuminatio hæc pro resurrectione, sive resurrectione ad vitam accipi, *q. d.* O Jerusalem, quæ hactenus in alta morte errorum et peccatorum jacuisti, « surge et illuminare, » id est, ad vitam fidei et gratiæ postliminio redi. Alludit enim ad illud *Ephes.* v : « Exsurge a mortuis, » etc., uti jam dixi. Lumen enim sæpe vitam significat, eo quod viventibus gratissimum sit videre et frui lumine solis. Unde illud Euripidis in *Iphigenia in Aulide* : « Lucem tueri est hominibus dulcissimum. » Ex adverso desperans cupit « invisam abrumpere lucem, et tædet cœli convexa tueri. » Sic ait Sapientia, *Eccli.* xxiv, 45 : « Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo (id est ad vitam revocabo) omnes sperantes in Domino. » Et Apostolus, II *Timoth.* I, 10, de Christo ait : « Destruxit quidem mortem, illuminavit autem (id est in lucem produxit) vitam et incorruptionem per Evangelium. » Ita Ægyptii vitam lucernæ symbolo repræsentabant : quod nihil aliud existimarent esse vitam, quam ignem humore velut olei liquore nutritum. Porro per lucem significabant omne bonum. Unde et Varro, lib. II *De Lingua latina*, mane cœi dici putat, quod veteres manum vocabant bonum. Græci quoque, cum lumen inferebatur, solebant dicere, *φῶς ἀγαθόν*, uti et nos illata lucerna, fausta invicem precamur. Verum prior sensus uti planior, ita et germanior est. Unde sequitur :

QUIA VENIT LUMEN TUUM, ET GLORIA DOMINI SUPER TE ORTA EST. — Per *lumen* et *gloriam* accipit Christi præsentiam, doctrinam, gratiam et universam gloriam Evangelii, ut colligitur *Matth.* cap. IX, vers. 1. Unde non male Sanchez per *gloriam* accipit Dei misericordiam, et peccatorum condonationem. Sic enim accipitur « gloria, » *Rom.* III, 23 : « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria, » id est gratia et indulgentia, « Dei; » et *Numer.* XIV, cum Moses peteret a Deo dimitti populo peccatum murmurationis, respondit Deus, vers. 20 : « Dimisi juxta verbum tuum : vivo ego, et implebitur gloria Domini universa terra. » Sed hic sensus partialis est, non totalis, nec adæquatus. Alludit ad gloriam, quæ per columnam ignis per noctem, et nubis per diem incubabat veteri tabernaculo, et Sancto sanctorum in templo, hoc enim erat typus Ecclesiæ. Unde S. Hieronymus : « Venit, inquit, lumen tuum; quod omnes Prophetæ polli-

cebantur, quod jugiter exspectabas; et gloria Domini, quæ quondam fuit super tabernaculum et templum ejus, orta est super te, de qua dictum est : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. » Rursum alludit ad stellam quæ tres Magos duxit ad Christum quasi primitias gentium : unde per lumen hoc, splendorem et gloriam, intelligunt hanc stellam Magorum ducem, Prosper, III part. *Promiss.* cap. VI; Chrysostomus, hom. 1 *ex Variis in Matthæum*; Julianus Archiepiscopus Toletanus, lib. I *Contra Judæos*, post medium, et alii.

2. QUIA ECCE TENEBRÆ OPERIENT TERRAM, etc., SUPER TE AUTEM ORIETUR DOMINUS. — Per *tenebras* intelligit paganismum, idololatriam, aliosque errores æque ac vitia et scelera, quibus Ethnici et quicumque extra Ecclesiam sunt, obtenebrati sunt. Ita Patres citati vers. 1. Has enim tenebras ex Judæis primum, deinde ex Gentibus, discussit Christus quasi sol oriens ex alto. Alludit ad tenebras Ægyptiacas tempore Mosis et Pharaonis, quæ fuerunt maximæ et densissimæ, cum lux occuparet solas domos et loca Hebræorum, *Exodi* cap. X, 13. Sic S. Joannes, cap. I, 9, et alii Christum vocant lucem. Sic Orpheus Verbum, puta Filium Dei, vocavit *Φανίς*, quasi illustratorem angelorum et hominum, et per eum Deum omnia creasse, et omnia complere lumine intelligibili, asseveravit, teste Proclo, lib. IV *in Timæum* Platonis. Quomodo Deus prima, increata et fontalis sit lux, docet S. Dionysius lib. *De Divinis Nominibus*, part. I, cap. IV.

3. ET AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO. — Vatablus vertit : *Venient gentes ad lucem tuam*; ad Ecclesiam enim in Judæa et Jerusalem ortam, totque virtutibus et miraculis clarescentem, quasi ad pharum illustri face coruscantem, gentes in mari errorum, vitiorum et ærurnarum jactatæ et naufragæ contenderunt, ut ejus lumen, id est fidem et gratiam sequentes, pertingerent ad portum salutis. Utrumque ergo prædicat Propheta, scilicet *primo*, quod gentes venient ad lucem primitivæ Ecclesiæ; *secundo*, quod, postquam venerint, continuo ambulabunt in lumine ejus, donec ad salutem perveniant. Hac de causa S. Paulus monet fideles Philippenses, cap. II, 15 : « Ut sitis, ait, sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi.

ET REGES IN SPLENDORE ORTUS TUI. — Est hypallage, *q. d.* Ad ortum splendoris tui, seu ad splendorem qui tibi oriatur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Vatablus et alii. Splendor ergo ortus tui idem est quod lumen tuum. *Secundo*, apposite Sanchez : Ortus, inquit, est sol oriens. Sic enim subinde ortus et occasus sumitur pro sole oriente et occidente. Quo significatur in Ecclesia sola ortum esse solem veritatis, gratiæ et justitiæ; reliquas autem gentes, quæ extra eam

sunt; noctem habere perpetuam, neque ex ea emersuras, nisi ad solem accedant, qui una tantum in Ecclesia splendet et radiat.

4. LEVA (quasi ex specula: consistit enim in monte Sion, qui est specula, et hebraice speculam significat) IN CIRCUITU OCULOS TUOS, ET VIDE, — circumquaque ex quatuor orbis plagis gentes venientes ad te circumspecta. Loquitur de tempore quo Apostoli per orbem dispersi, earumque successores plurimas gentes ad Ecclesiam converterunt.

FILII TUI DE LONGE VENIENT, ET FILIÆ TUÆ DE LATERE (hebraice, *ad latus*) SURGENT. — Longe significat distantiam locorum, et orbis longitudinem, *latus*, latitudinem. Sic vulgo dicimus, omne latus mundi, quasi dicat. Longe lateque agminatim venient gentes tam feminæ quam viri, innumera multitudine, ad te, o Ecclesia, et tibi tuæque fidei se subdent. Ita Cyrillus. Tū enim *de longe venient* æque ad filias ac filios, perinde ac *de latere surgent* æque ad filios ac filias pertinet: tantum enim ad rhythmum et elegantiam varietatis causa filios de longe, filias de latere venturas prædicit; quia filia prope matres quasi ad latus educari solent; cum filii sæpe alibi, ut in aulis, scholis, vel bellis educantur. Unde Sanchez: « De latere, » inquit, id est de sinu matris Ecclesiæ sugent filia ejus ubera, itaque surgent et crescent: solent enim matres magis amare, et indulgentius ac diutius lactare filias quam filios; sive quia sexu sibi similes, sive quia filia ob sexum infirmiores sunt et debiliores. Sed sub filiabus hic filios quoque intelligit Propheta, ut dixi. Utrique enim in gentilismo ferino, imo diabolico lacte aliti, jam conversi ad ubera Ecclesiæ inhiabunt.

SURGENT. — Ita Romana, licet Complutenses, Forerius, Adamus et aliqui alii velint legendum *sugent*. Unde et S. Hieronymus in *Comment.*: « Sugent, ait, lac Apostolorum. » Sed eodem redit sensus: sugent enim instar parvulorum ut in virum perfectum in Christo crescant, et surgant in altum, fiantque proceri. Hebraice est תאמנא *teammena*, quod uno verbo Latino reddi nequit, sed pluribus; ita reddit Forerius: *Fideliter tanquam ad latera nutricum educabuntur, ut confirmentur viribus et crescant*. Radix enim אמן *aman* significat, primo, esse fidelem; secundo, nutrire et educare; tertio, confirmare et corroborare. Posset rursus punctis aliis active in futuro *piel* legi תאמנא *teammena*, id est erunt nutrices tuæ, fideliter nutrient et corroborabunt te: quod accipi potest de reginis aliisque piis mulieribus, quæ alias in pietate educarunt, quales fuerunt S. Maria Magdalena, Martha, Basilissa, Cæcilia, Catharina, Clara, et similes.

Septuaginta vertunt: *Filia tuæ super humeros portabuntur*, ut scilicet ad te veniant, tibi que deferantur quasi munus optatum. Solent enim filia, quia delicatiora, in ulnis aut humeris portari.

Mystice S. Hieronymus: *Filiae, ait, id est imbecilliores christiani, Apostolorum quasi humeris fulcientur, ut defertur a Abrahamæ, Isaaci et Jacob.*

5. TUNC VIDEBIS (cum voluptate pasces oculos et mentem, intuendo tot filios et filias), ET AFFLUES, — copia æque ac gaudio tam numerosæ sobolis undique affluentis instar aquarum et rivulorum, quæ undequaque ad flumen affluunt. Unde Forerius: « Læta, inquit, aspicias, et tanquam flavius, qui cum ripas transgreditur late diffunditur, amplificaberis. »

Pro *afflues* Vatablus vertit, *splendebis*, id est vultu splendido et hilari eris. Nam tristes et mœsti videntur esse vultu tetrico et atro; unde ab Hebræis obscuri vocantur. Hebræum enim נהר *nahar*, tam de lumine, ut patet *Psalm.* xxxiii, 6, quam de flumine dicitur, significatque prolabi seu procurrere copiose et affluenter cum celeritate ac lubentia seu pronitate: sicut enim aqua ex fonte, sic lumen a sole, aliove corpore luminoso quasi scaturit ac profluit.

QUANDO CONVERSA FUERIT AD TE MULTITUDO MARIS. — Puta multæ insulares et transmarinæ gentes, ut Græci, Afri, Hispani, Itali, Galli, etc. Quod enim Judæa mari quasi cingitur, et dividitur ab aliis gentibus, hinc omnes gentes ab eis vocabantur transmarinæ, *q. d.* Sicut mare exæstuans ruptis æggeribus terram inundat, et agros quaquaversum occupat; ita turmatim ad te venient multæ transmarinæ gentes, et magno impetu quasi irruent, tuncque gaudio afflues. Ita Forerius. Huc accedit et Sanchez, qui subaudiens more Hebræo voculam *sicut*, sic explicat: Quoniam gentes ad te venient tam multæ, sicut est multitudo maris, hoc est, ut totum mare ad te e suis finibus, relicto alveo ac littore, confluere videatur. Sic *Ezechiel.* xxvi, 3, dicitur: « Ecce ego super te, Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans; » et *Jerem.* xlvi, 8, Ægyptus quasi flumen ascendens dicit: « Ascendens operiam terram. »

Secundo, iidem per *multitudinem maris* accipiunt aurum, argentum et opes transmarinas, quas secum ad Christum et Ecclesiam tulerunt gentes; uti fecerunt tres Magi, de quibus dicitur *Psalm.* lxxi, vers. 10: « Reges Tharsis et insulæ munera offerent. » Tharsis enim significat mare. Unde huc alludit Isaias.

6. FORTITUDO GENTIUM VENERIT TIBI. — Puta gentes fortes et validæ, sive præclarissimi et præstantissimi quique gentium. Ita Vatablus. *Secundo*, « fortitudo gentium, » ait Sanchez, vocatur aut regum majestas, quæ supplex accedet ad Ecclesiam, aut eorum dona et opes, quas Ecclesiæ offerent. *Tertio*, Forerius per *fortitudinem* accipit vires, arma, ingenium, industriam, strenuitatem, artes, scientias gentium: hæc enim omnia devoluta sunt ad Ecclesiam. Et hæc omnia significat Hebræum חיל *chel*. Quam hæc vera et reipsa

completa sint, quamque mira et perpetua fuerit fidei et Ecclesiae propagatio, multiplicatio et incrementum, fuse ostendit Thomas Bozius, tom. I *De Notis Ecclesiae*, signo 8 et seq.

INUNDATIO CAMELORUM OPERIET TE. — « Inundatio, » id est abundantia tanta camelorum, ut videantur quasi aqua et fluctus maris (de quo praecessit) te obruere: licet Sanchez non male censeat inundationem hic non maris, sed pulveris accipi, quem turmae camelorum pedibus suis excitabunt. Sic enim Poetae vocant « undam pulveris, » et Virgilius « pulveream nubem. » Porro camelorum potius meminit quam equorum, tum quia camelis abundat Oriens; nam, ut ait Plinius, lib. X, cap. ix: « Cameli duodecim mensibus ferunt a trimatu, et pariunt vere, iterumque post annum implentur: » tum quia cameli in gibbo ingentia ferunt onera: adjuvantur enim proceritate collorum, inquit Cicero; tum denique, quia, ut ait Plinius, lib. XXVIII, cap. ix: « Lac camelinum post lac hominis dulcissimum est. » Hinc etiam camelus nomen habere videtur a lactatione. גמל *gamal* enim significat ablactare; unde dicitur גמל *gamal*, id est camelus, quod nomen in omnes linguas transiit. Cameli ergo gentium, gentesque suum lac et opes Ecclesiae afferent, et vicissim ab ea lacte spiritali lactabuntur.

DROMEDARII MADIAN ET EPHA. — Pro *dromedarii* hebraice est בכרי *bichre*, id est pulli camelorum. Unde Chaldaeus vertit ינקא *ianka*, id est lactantem, id est juvenem camelum, qui, potsquam ablactatus est, dicitur גמל *gamal*, sive camelus. Hi ergo pulli vocantur dromedarii, a velocitate cursus qua pollent: δρόμος enim significat cursum, unde et dromades dicuntur. Audi Livium, lib. VII *De Bello Macedon.*: « Ante hunc equitatum falcatae quadrigae, et cameli, quos appellant dromadas. » Rursum: « Dromades cameli inter dona erant, velocitatis eximiae. » Huc juvat quod sitim quatruido tolerant, teste Plinio, lib. VIII, cap. XVIII. Unde a Persio vocatur « sitiens camelus. » Haec enim sitis toleratio, et siccitas mire juvat cursum animalium. Notum est Bajazetem Turcarum Imperatorem praelio victum ac fugientem, ac pere elapsam, utpote equae velocissimae insidentem, a militibus Tamberlanis captum esse, eo quod equam sitientem adaquasset. Equa enim hausta aqua multum de cursu remisit, itaque ab insequentibus Tartaris comprehensa est cum suo hero.

MADIAN ET EPHA. — Regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum: ita dictae a Madian filio Abrahæ ex Cetura, et Epha filio Madian, totaque regio vocatur Saba. Unde fuit et regina Saba, quae hujus rei typo venit cum muneribus in Jerusalem audire sapientiam Salomonis, qui fuit typus Christi. Ita S. Hieronymus. Sensus ergo est, *q. d.* E variis regionibus Asiaticis, camelis adultis, et minoribus sive dromedariis, ad te munera deferentur, o Ecclesia.

Mystice S. Hieronymus, Theodoretus, Procopius, imo Christus ipse, *Matth.* cap. XIX, 24, cameli sunt divites, gibbosi et superbi: quia quasi cameli laborant ut coacervent opes; et magna humeris sustinent negotia et onera, ut eas conservent et augeant: hi tamen per Christi et Apostolorum, virorumque Apostolicorum praedicationem, se suaque consecraverunt Christo. « Talis, ait S. Hieronymus, fuit sanctae memoriae mater tua (o Eustochium) Paula, fraterque Pammachius, qui per foramen acus, id est arctam angustamque viam, quae ducit ad vitam, transierunt, latamque viam cum sarcinis relinquentes quae ducit ad Tartarum, quidquid habebant in Domini dona portarunt, implentes illud: Redemptio viri propriae divitiae; quae enim apud homines impossibilia, apud Deum possible sunt. »

OMNES DE SABA VENIENT, AURUM ET THUS (addit Cyrillus, et lapidem pretiosum) DEFERENTES. — « Omnes, » id est plurimi, quorum primi fuere tres Magi, qui duce stella ad Christum ex Arabia venerunt, uti ostendi *Matth.* cap. III, 1. Alludit ad *Psal.* LXXI, 10: « Reges Tharsis et insulae mu- Scaba est Arabia: Saba est Æthiopia Unde? nera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent. » Pro *Arabum* hebraice est idem nomen שבה *scaba* per *schin*, quod hic est in Hebraeo: pro *Saba* vero hebraice est שבה *saba* per *samech*, quod significat Æthiopiam. Porro Arabia haec sita est inter mare Rubrum et Sinum Persicum, abundantique auro, thure, cinnamomo, balsamo, myrrha, palma, calamo, unde et Felix sive Beata dicitur, teste Strabone lib. XVI. Thus vero huic Arabiae proprium est: nec enim alibi gignitur. Unde Virgilius, I *Georgic.*:

India mittit ebur, molles sua thura Sabaei.

Ubi Servius Sabæos dictos putat ἀνὰ τοῦ σέβου, id est venerari et colere; quod Deum per ipsorum thura veneramur. Verius est *Saba* Hebraeam vel Arabicam esse vocem, et significare conversionem, uti ait S. Hieronymus a שבה *scub* id est reversus, conversus est; vel captivitatem, a radice שבה *scaba*, id est captivus fuit. Utrumque optime convenit rei et historiae praesenti. *Saba* enim a captivitate peccati per Christum conversa fuit ad Deum, gratiam et salutem. Dicta est *Saba* per *schin*, a *Saba* filio Regma filii Chus: sicut Æthiopia dicta est *Saba* per *samech*, a *Saba* filio ejusdem Chus. Porro per *Saba* hic non solum *Saba* per *schin*, id est Arabia, sed etiam ei vicina et contermina *Saba* per *samech*, id est Æthiopia, sive Abyssia, ubi regnat Pretojoannes, accipi potest, uti accipiunt S. Cyrillus, Procopius et Josephus: litterae enim *schin* et *sin* solo puncto differunt.

Denique quam hoc oraculum verum fuerit, quamque in Arabia hac quae postea Homeritis est dicta, Christiana religio floruerit, patet ex eunuchō Candacis reginae (haec enim in Saba regnavit), qui conversus a Philippo, *Act.* VIII, 38, Christi fidem in Saba propagavit. Idem patet ex Home-

Cameli
natura
et ety-
moa.

Sitis to-
leratio
juvat
cursum.

ritarum historia, qui Dunaan tyranno Judæo usque ad mortem et martyrium resisterunt anno Christi 522. Rursum ex gestis Elesbaan, et Abrahamii Homeritarum regum, qui occiso Dunaan pristinum Ecclesiæ florem iisdem restituerunt, atque Justino et Justiano Imperatores contra infideles magno auxilio fuerunt, ut docet Baronius, tom. VI, anno jam dicto.

Vers. 7.

7. OMNE PECUS CEDAR. — Cedar et Nabaioth regiones sunt Arabiæ (unde incolæ dicti sunt Cedareni et Nabathæi, in tabernaculis habitantes, utpote pastores et pecuarii), ovibus et pecore abundantibus: ita dictæ a filiis Ismaelis ejusdem nominis. Ita S. Hieronymus qui et addit, per hasce aliasque gentes hic nominatas, quasvis alias intelligi, quantumvis agrestes, vagas aut barbaras, per synecdochen, juxta Canon. XI.

MINISTRABUNT TIBI, — offerentur tibi, servient tibi tuisque usibus, cedent in tuum ministerium. Tò enim ministrabunt magis passive quam active accipiendum est.

OFFERENTUR SUPER PLACABILI ALTARI MEO, — q. d. Cedareni et Nabathæi offerent tibi, o Ecclesia, suas opes, puta pecora et arietes, eaque non quasi victimas et sacrificia (hæc enim jam abolita sunt, iisque successit unum Eucharistiæ sacrificium), sed quasi oblationes imponent altaribus tuis. Sic enim etiamnum multis in pagis videmus rusticos ova, pullos, agnos, triticum aliasque oblationes altari imponere, vel ad altare offerre. Alludit ad vetus altare et victimas Judaicas: hæ enim in altari offerebantur, imo sacrificabantur.

Nota « placabili, » id est placente mihi, meque placante per suas victimas et oblationes. Unde Septuaginta vertunt: *Offerentur acceptabilia super altare meum*; Leo Hebræus: *Sacrificabunt super ara quæ mihi placet*; Forerius: *Ascendent juxta acceptionem altaris mei*, hoc est, inquit ipse, super altare mihi gratissimum: aut *juxta acceptionem altaris mei*, id est quantum altari meo placuerit, quantum scilicet capere voluerit, aut potuerit.

Mystice, S. Hieronymus et Procopius per oves accipiunt simplicem plebem Christi; per arietes, Prælatos et sacerdotes: hi enim sunt hostia viva Christi, qui pura et candida mente Deo in Ecclesiæ altari sese offerunt.

ET DOMUM MAJESTATIS MEÆ GLORIFICABO. — Olim domus majestatis et gloriæ Dei erat templum Salomonis, tum quia ex cedro, auro, argento magnificentissime erat exstructum; tum quia magnificis et plurimis victimis in eo colebatur Deus; tum quia in eo Salomon omnesque reges et principes totusque populus laudabat et adorabat Deum; tum quia Deus in eo apparebat nube tectus, præsertim sedens super Cherubim in Sancto sanctorum. Verum nunc domus gloriæ Dei est Ecclesia Christi, ejusque templa; tum quia pretiosa et magnifica sunt, ex marmore, auro et lapidibus pretiosis, uti videre est hic Romæ; tum quia victima nobilissima, puta Eucharistia, in eis offer-

tur; tum quia in iis omnes Reges, Imperatores, Pontifices et Principes, totusque mundus genuflectens Deum adorat; tum quia in eis habitat corporaliter Deus in Venerabili Sacramento; tum quia in illa Deus suam majestatem ostendit per tot gratias et miracula, quæ fidelibus in Ecclesia largitur et communicat.

8. QUI SUNT ISFI, QUI UT NUBES VOLANT, ET QUASI COLUMBÆ AD FENESTRAS SUAS? — Admirantis Prophetæ est vox, q. d. Quam densæ flante vento volant per aera nubes, et quam densæ columbæ ad nidos revolant, cum ingruit tempestas: tam densæ confluent ad te, o Ecclesia, gentes et populi, uti video et prævideo in spiritu. Ita S. Hieronymus. Per fenestras ergo intelligit columbaria, ut vertit Chaldæus; hæc enim plena sunt fenestris, instar oculorum, per quas prospicere gaudent columbæ, in eoque delectantur. Comparat fideles nubibus: quia nubes, utpote elevatae a terra, ab extremis ejus partibus, facile et statim quoquoersus deferuntur, et quasi volant: ita fideles ex ultimis orbis partibus venerunt ad Ecclesiam. *Secundo*, nubes ita densæ sunt, ut totum cælum operiant: ita densi et multi populi ad Ecclesiam confluerunt. *Tertio*, nubes propellit ventus adeo valide, ut nulla terrena vis earum cursum impedire, aut sistere possit. Ita fideles acti spiritu et amore Dei, omnes in terra obices et difficultates superant et transcendunt. *Quarto*, S. Ambrosius, lib. *De Fuga sæculi*, sub finem, notat fideles comparari nubibus, aquilis et columbis, quia eorum mens et conversatio sublimis est et cælestis. « Nam super mundum, ait, est justitia, castitas, bonitas, sapientia: discamus ergo in hoc mundo super mundum esse; et si corpus gerimus, volitet in nobis animus volucris. » *Quinto*, anagogice Tertullianus, lib. III *Contra Marc.* cap. ult.: Miratur, ait, Propheta quomodo rapiantur ut nubes obviam Christo in aera in resurrectione. Sic et Procopius.

Iidem fideles comparantur columbis, *primo*, ob similem candorem; *secundo*, ob gemitum; vide Cardinalem Bellarminum, *De Columbæ gemitu*; *tertio*, ob directum et fortem volatum. Nam columba:

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Sic fideles recti sunt et efficaces in opere, rectaque in Deum et cælum contendunt. *Quarto*, S. Ambrosius, lib. *De Isaac et anima*, cap. IV, per fenestras accipit Prophetas. Columbæ enim, id est sanctæ animæ, per Prophetas et sacram Scripturam quasi per ænigmata intuentur Deum.

Secundo, S. Gregorius, hom. 18 in *Ezech.*, S. Hieronymus, Rupertus et alii per nubes et columbas accipiunt Apostolos et prædicatores. Unde Septuaginta vertunt: *Sicut columbæ cum pullis suis*; quasi dicant: Sicut Apostoli, cum suis discipulis et fidelibus. Nam *primo*, sicut nubes a terra elevantur in cælum: ita et Apostoli quasi cæli, vita

Fideles vocantur nubes, cur?

Respondeo primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Fideles vocantur columbæ, cur?

Respondeo primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Prædicatores vocantur nubes, cur?

Primo.

Domus gloriæ Dei est templum, cur?

Secundo. magis quam voce, enarrant gloriam Dei. *Secundo*, sicut nubes sunt roridæ, dantque pluviam terræ, eaque ipsam irrigant et fecundant: ita et verbi Prædicatores pluviam verbi Dei mentibus impluunt, per eamque ipsas honorum operum fertiles efficiunt. *Tertio*, sicut nubes a sole calefit, liquescit et resolvitur, ut terram riget: ita et Apostoli a Deo et cælo hauriunt calorem et humorem spiritualem, quem in alios effundant. *Quarto*, sicut nubes cum pluvia sæpe miscent tonitrua et fulmina: ita et Prædicatores cum exhortatione miscere debent minas et terrores iræ et vindictæ Dei. Ita S. Augustinus in *Psal.* xcvi ad illud: « Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ. » Sed audi S. Gregorium: « Recte, ait, Prædicatores sancti nubes appellati sunt, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur: quia in terra viventes, extra terram fuit omne quod egerunt. Unde et per quamdam nubem dicitur: in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Priores enim patres conjugii utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Istos autem prophetiæ jam spiritu prævidens substantias deserere, nihil in terra querere, nihil possidere, non eos vel homines per terram ambulantes, sed nubes volantes nominat: volant enim qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetunt. Qui et ad fenestras suas quasi columbæ sunt, qui pro mansuetudinis suæ spiritu, in hoc mundo per oculos nil concupiscunt. » De hisce nubibus plura dicam *Ezech.* x, 3 et 4.

Columbæ sunt Indipetæ, cur?
Primo. Quocirca apposite Thomas Bozius, et ex eo Ulysses Aldrovandus, lib. *De Avibus*, in *Columba*, pag. 212, nubes has et columbas adaptant ad Apostolos et fideles degentes in Indiis. Nam, cum ait Propheta: « Qui sunt isti qui ut nubes volant? » etc., significat, inquit, velificationem eorum celerrimam in Indiam, quam venti vehementes impellant et volare faciant. Columba enim, expansis alis, habet speciem navis velificantis: vela enim sunt navi, quod alæ avi. *Secundo*, cum ait: « Quasi columbæ ad fenestras suas, » significat eorum qui volant et navigant partus: columbæ enim sunt fecundissimæ, et pariunt in fenestris foraminum. Sic qui eunt ad Indos, plurimos Christo pariunt euntes per antra, speluncas et fenestras, in quibus barbari habitant. *Tertio*, columbæ in præceptis volant: sic qui Antipodas petunt, in præceptis se dare videntur, et infera loca petere. Quod ait: « Adducam filios tuos de longe, » significat adventum Indorum ad Ecclesiam. Unde meminit argenti et auri, quod plurimum ab Indiis ad nos advehitur. Rursum nomine columbæ, inquit Aldrovandus alludit ad Christophorum Columbum, qui nobis iter ad illas oras primus aperuit.

Viri illustres indicio columba
Hinc viri Apostolici et illustres sæpe per columbam a Deo electi et designati sunt.
Tradunt Gentiles, heroes Argonautas, columba

quasi duce itineris usos, præcipiente Phineo, penetrasse Colchos, ibique rapuisse vellus aureum. Unde Ovidius, in *Ibim*:

Qualis et ipsa fuit quoque præcipiente columba,
Et data Palladiæ prævia duxque rati.

Et Propertius, lib. II:

Et quæ movisti duo littora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.

Similiter tradunt Semiramidem reginam, cum infans esset, a columbis nutritam. Sed missis fabulosis ad certa veniamus.

Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit in Christum, eumque quasi legatum Dei Patris auctoravit.

S. Rade Gundis Franciæ olim regina, in mari periclitantibus, post mortem invocata, apparuit in specie columbæ, terque navim circumvolans, maris tempestatem sedavit. Ita habet ejus *Vita*.

S. Joannis Chrysostomi capiti, cum consecraretur Episcopus, columba insedit, index Spiritus Sancti, notansque quantus Præsul futurus esset. Idem contigit S. Gregorio Agrigentino Episcopo: nam in ejus inauguratione columba ab altari advolans capiti ejus insedit.

Idem contigit S. Fabiano Pontifici: cum enim Antero Pontifice mortuo Episcopi de successore deliberarent, columba ad Fabianum advolans, ejusque capiti insidens, eum Dei nutu Pontificem designavit. Testis est Eusebius, lib. V *Histor.* cap. xxvi, Platina et alii.

S. Gregorio Magno libros suos dictanti, sæpe Spiritum Sanctum specie columbæ insidere se vidisse narrat Petrus Diaconus in ejus *Vita*.

S. Leonardus cuidam captivo in subterraneum specum conjecto, apparuit in figura columbæ, eumque inde eduxit; et cum atra nox homini viam qua iret, prorsus absconderet, columba ob oculos ejus volitans viam antecessit, atque ad locum optatum perduxit. Ita habet ejus *Vita*.

S. Remigio Clodoveum regem Franciæ baptizato, columbam attulisse ampullam sancto chrismate plenam, testatur auctor *Vitæ* ejus et *Francorum Annales*.

S. Marinæ (Latini Margaritam vocant) virgini et martyri apparuit columba, eamque in tormentis hisce verbis roboravit: « Ave, Marina, ratione prædita, Dei columba, quæ vicisti malignum, et bono adhæcisti; ave et lætare ex toto corde, superna filia Sion: quoniam venit dies, in qua pro tuis meritis ornata victoriæ coronis, ingressa apud sponsum et regem tuum habitabis. » Eadem columba coronam capiti Marinæ imposuit, dicens: « Pax tibi, ancilla Dei; nunc confide, celestem accipiens coronam a manu Altissimi. » Mox Marina spiritum Deo reddidit. Porro multa hominum millia id videntia ad Christum conversa, ac ab Olybrio præfecto martyrio coronata

designat
K. Argonauta

Semiramis,

Christus,

S. Rade Gundis,

S. Chrysostomus,

S. Fabianus,

S. Gregorius,

S. Leonardus,

S. Remigius,

S. Marina,

sunt, si credimus historię et *Vitę* ejus, quam ex Metaphraste edidit Surius, 20 julii.

S. Maria Oigniacensis vidit quandoque sacerdotem cum lacrymis devote sacrificantem, et columbam in ejus humerum descendentem, ex eoque humero fontem purissimum scaturientem. Testis est Cardinalis Jacobus de Vitriaco in ejus *Vita*.

S. Amatoris animam post mortem in cœlum detulisse columbam habet ejus historia.

Prudentius, hymno 3 *peri Stephan.*, narrat S. Eulaliam nobilem virginem et martyrem Emeritę in Hispania, sub Daciano pręsidente, et Diocletiano Imperatore duodennem conjectam in ignem, eo hausto expirasse animam, quę specie columbę in cœlum evolavit. Ita enim de ea canit :

Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exsuperatque aciem :
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, et bibit ore rogam.
Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi :
Spiritus hic erat Eulalia
Lacteolus, celer, innocuus.

S. Ephrem, serm. *De Passione Domini*, scribit, Christo moriente in cruce, ac clamante : « Consummatus est, » columbam e templo evolasse, significantem quod per Christi mortem innocentia, sanctitas, omnisque virtus et sapientia a Judęis ad Christianos advolaret.

9. ME ENIM INSULÆ EXSPECTANT (*q. d.* Dixi undequaque ad Ecclesiam advolaturus populos : quia insulani et transmarini, audita Christi et Ecclesię fama ac gloria, ad eam anhelabunt idque) A PRINCIPIO. — Id est qui ab æterno ad id a Deo præordinati sunt, inquit Adamus. *Secundo*, Vatablus vertit, *sicut a principio*, *q. d.* Sicut olim sub initio regni Judęici, naves Tharsis attulerunt aurum, argentum et opes Indię ad Salomonem : ita nunc easdem afferent ad Christum. Ita S. Thomas et Hugo. *Tertio*, S. Hieronymus « in principio, » scilicet temporis, *q. d.* Cum primum insulani audierint de Christo et Ecclesia, ad eum advolabunt. Rursum cum primum natus fuerit Christus et Ecclesia, accurrent ad eum naves Tharsis, id est Transmarinę gentes, puta Magi, qui fuerunt primitię Gentium : hi enim obtulerunt Christo aurum, quod sequitur. *Quarto*, Forerius vertit, *naves Tharsis cum primaria*, sive prætoria : hæc enim præit et ducit totam classem. Per primariam ergo, sive prætoriam, significat totas classes ad Ecclesiam venturas. Sic principium capitur pro principatu, *Psalm.* cix, 3 : « Tecum principium in die virtutis tuę. » Sic apis dicitur habere « initium, » id est primitias et principatum, « dulcoris, » *Eccli.* xi, 3. *Quinto*, simpliciter et plane, « in principio, » id est, ut Septuaginta vertunt, *imprimis*, sive præcipue et principaliter, *q. d.* Præ Judęis in primis magisque ardentem exspectabunt me naves

Tharsis, id est gentes transmarinę. *Sexto*, Sanchez, *q. d.* Qui habitant « in principio, » id est in Oriente, ubi solis ortus et dies capit principium, primi accurrent ad Ecclesiam, nimirum tres Magi qui ab Oriente venerunt Hierosolymam. Ex hisce tertius sensus et quintus magis videntur plani et genuini.

ARGENTUM EORUM. — Repete per zeugma « adducam. »

NOMINI DOMINI, ET SANCTO ISRAEL. — Id est ipsi Domino, qui est Sanctus Israelis, quem scilicet sancte colit Israel. Sic enim nomen et vox sæpe pro re vocata et nominata ponitur. Rursum dicit « nomini, » ut innuat tunc nomen et pretium habere aurum, argentum et gemmas, quando in usum glorificationis illius qui omnia condidit, impenduntur : tunc enim glorificatur, habetque nomen, cum in fabricas et ornatum ecclesiarum, subventionem pauperum, redemptionem captivorum, etc., erogantur. Unde sequitur : « Quia glorificavit te. » Videant ergo hæretici Deum velle ornari et glorificari Ecclesias, eaque in re glorificari. Ita Forerius.

10. ET ÆDIFICABUNT FILII PEREGRINORUM MUROS TUOS. — Alludit ad muros Hierosolymę, quos post reditum e Babylone peregrini, id est Cyrus, Darius Hystaspis et Artaxerxes, reædificari curarunt, *I Esdrę* cap. vi et vii. Sed sub his intelligit Gentiles, tum reges et principes, ut Constantinum, Theodosium, Carolum, qui Ecclesię templa et urbes, uti Romam, Constantinopolim, Mediolanum, vel ædificarunt vel auxerunt et roborarunt; tum Apostolos, Prælatos virosque Apostolicos, qui Ecclesiam et verbo et vita, ac morte et sanguine propagaverunt, ac tutati sunt, objicientes pro ea hosti seipsos, quasi murum validissimum, uti S. Athanasius se objecit Constantio totique mundo Ariano. Gentiles vocat *peregrinos* et *advenas*; quia tales olim erant respectu Hierosolymę et Judęorum, penes quos fuit Synagoga, et apud quos cœpit Ecclesia Christi.

IN INDIGNATIONE ENIM MEA PERCUSSI TE, — o Jerusalem! scilicet relinquendo te ante Christum impiam, sine Prophetis, tradendoque te impiis Scribis ac Pharisęis, ac tandem Tito ac Romanis ad excidium : at per Christum reconciliatus et miseratus sum tui, tuasque ruinas restauravi et supplevi per fortitudinem ac copiam Gentium, quas tibi adjunxi, et in Ecclesiam aggregavi, ut sequitur. Alludit ad punitionem captivitatis Babylonicę, ex eaque liberationem et reconciliationem. Ita S. Hieronymus.

Secundo, Forerius refert hæc ad Ecclesiam Gentium : hanc enim Deus ob fidelium, qui in ea sunt, scelera percussit per Imperatores infideles et hæreticos, uti etiamnum subinde percutit et punit : sed iis pœnitentibus miseratus et reconciliatus est, uti etiamnum miseretur.

11. APERIENTUR PORTÆ TUÆ JUGITER, etc. — Est catachresis, significans magnam Hierosolymę,

Id est Ecclesiae, fore pacem, securitatem, propagationem, capacitatem, ut totum mundum capere possit; et frequentem Gentium ad eam concursus, ut tam de die quam de nocte ad eam confluant. Alludit ad urbes quae metu hostium nocte portas claudunt; sed cum sine metu in plena pace degunt, tam de nocte quam de die portas apertas adventantibus relinquunt. Hoc anagogice verius erit in Jerusalem caelesti, uti huc alludens ait S. Johannes, *Apoc. xxi*, 25; quia, ut ipse ait, nulla erit ibi nox, sed unus perennisque dies beatæ æternitatis.

infesto inclusit, qui sanie eum perfusum, venenatisque morsibus confectum, horrenda morte affecerunt. Ita Albertus Crantz, lib. IV *Daniæ*, cap. X, anno 816.

Valens Imperator Arianus, unum e militiæ suæ ducibus, Trajanum nomine, virum Catholicum, in Gothos cum exercitu misit: quem, postquam ab hostibus superatus revertit, Valens conviciis lacere, eique molliem ignaviamque objicere cepit. At ille libera voce, ut generosum virum decebat: « Non ego, respondit, o Imperator! victus sum; sed tu ipse victoriam perdidisti, qui contra Deum aciem instruere non desinis, et ita ejus auxilium Barbaris concilias. » Ita *Histor. Tripartit.* lib. VIII, cap. XIII, et Theodoretus, lib. IV, cap. XXIII. Ferunt etiam Isacium monachum virum sanctum, eidem Valenti, contra Gothos cum copiis proficiscenti, obviam ivisse, et contenta ac libera voce dixisse: « Quo proficisceris, o Imperator, qui auxilio Dei contra quem bellum geris, prorsus destitutus es? idcirco ille Barbaros adversus te concitavit: quoniam tu multorum linguas ad blasphemias adversus eum loquendas exacuisti, et pios eum laudibus celebrantes ecclesiis exturbasti. Desine igitur tu bellum contra eum facere, et ipse bellum contra te motum sedabit, » etc. Ita Nicephorus Callistus, lib. XI *Historiæ Ecclesiast.* cap. L, Theodoretus, lib. IV, cap. XXXI, Metaphrastes in *Vita Isacii*.

Trajanus, Valentis Imperatoris contra Gothos dux, ab iis casus.

Vers. 12. 12. GENS ENIM ET REGNUM, QUOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT (interitu tum temporali in terra, tum æterno in gehenna, uti omnes qui erant extra arcam Noe perierunt regnante diluvio: extra enim Ecclesiam, quæ est arca Dei, non est salus), ET GENTES SOLITUDINE (id est usque ad solitudinem) VASTABUNTUR, — *q. d.* Omnia vastabuntur et desolabuntur. Vis exempla quæ huic promissioni fidem faciant, imo ejus sunt fructus et effectus? Accipe.

Vers. 12. Gentes Evangelio rebelles punit Deus.

Exemplum. Cum Miles (hoc erat Episcopo nomen) Persicæ cujusdam civitatis Episcopus esset, multaque sæpe passus, et verbera sustinisset et tractus, nec ulli istic persuadere posset ut Christianus fieret, moleste tulisse, civitatisque maledixisse fertur, et abiisse. Paulo post vero cum primores illic in regnum peccassent, missum esse exercitum cum trecentis elephantis, civitatemque illam subvertisse, et instar arvi aratro subegisse, ac seminauisse. Ita Sozomenus, *Historiæ Ecclesiast.* lib. II, cap. XIV.

Res præclare gestas S. Ansgarii, primi Nordalbinorum Archiepiscopi, scriptis mandavit S. Rembertus ejus successor: sed de eo illa tantum sunt nobis nota, quæ Adam suo *Chronico* intexuit, ubi post acceptum a Sede Apostolica per Nicolaum Antistitem privilegium, subjicit miranda ista de cæde Danorum, qui tunc restiterunt Evangelii prædicationi. Tanta cæde mactati utrinque sunt Dani, ut vulgus omne caderet: de stirpe autem regia nemo omnino remaneret, præter unum puerum, nomine Hericum. Iste mox ut Danorum regnum suscepit, ingenito furore super Christicolæ efferatus, sacerdotes Dei expulit, et ecclesias claudi præcepit. Ad quem sanctus Dei Confessor Ansgarius venire non trepidavit. Comitante gratia divina crudelem tyrannum sic placatum reddidit, ut Christianismum ipse susciperet, suisque omnibus ut Christiani fierent per edictum mandaret, et insuper in alio portu regni apud ripam exstrueret ecclesiam in Dania secundam, inquit Adam in *Chronico*, et ex eo Baronius, tom. X, ad annum Domini 838.

Regnerus rex Daniæ, abrogata Christianorum religione, idololatriæ in regno denuo instituendæ auctor fuit, quam ejus impietatem divina insecuta est vindicta. Nam Helles, quem regno ille ejeceerat, adjunctis sibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum et captum, carceri tetro, serpentibusque

Hoc sæculo, quam graviter puniti sint Indi Molucenses, dum a fide Christi ad Mahumetem deficiunt, nimirum procellis, fulminibus et tonitruis insolitis e cælo, atque turbinibus, ventis et cinere, qui totam regionem fertilissimam opplevit, et sterilem effecit instar Sodomæ, liquet ex Epistolis Indicis P. Beyræ e Societate nostra, qui oculatus fuit testis.

Simili modo universa regna quæ ad Ecclesiam non transierint, vel citius vel serius auferentur et abolebuntur. Imperet licet aliquot sæculis Turca, lateque dominetur, multosque sibi subjuget, ipse tandem ejusque imperium, nisi Ecclesiae se subdant, excidentur.

Pari modo Ecclesiae et regna Arianorum, Gothorum, Wandalorum, Nestorianorum, Eutychnorum, Iconoclastarum, Monothelitarum aliorumque hæreticorum subversa sunt, ut hodie sensim Lutheranismi et Calvinismi regnum subvertitur.

Ecclesiae vero Romanæ fides et regnum stant et propagantur per Indos Orientis et Occidentis: stant, inquam, a Christo adventu per annos 1600, stabuntque usque ad ejus reditum in fine mundi.

13. GLORIA LIBANI AD TE VENIET, ABIES ET BUXUS, etc. — Alludit ad fabricam templi Salomonis (hic enim fuit locus sanctificationis, fuitque Ecclesiae typus: Ecclesia enim est templum, aula et regia Dei): ad illum enim firam rex Tyri misit ligna cæsa ex Libano. Gloria enim Libani sunt cedri, abietes, pini aliæque arbores maxime odoratæ et solidæ,

Vers. 13.

ut cariem non sentiant. Per has autem intelligit omnia quæ ad decorem, splendorem et stabilitatem Ecclesiæ pertinent, sive ea interna sint, ut virtutes heroicæ, gratiæ et charismata Spiritus Sancti; sive externa, ut opes, nobilitas, ingenium, artes disciplinæ, ac præsertim viri docti philosophi et oratores, qui sua pietate, sapientia, eloquentia Ecclesiam ædificaverunt, qualis, ait S. Hieronymus, fuit S. Cyprianus. Nota: Templum, hoc est Ecclesia, dicitur sanctuarium, sive locus sanctificationis Dei, tum active, quem scilicet ipse præsentia sua sanctificat; tum passive, in quo scilicet ipse sanctificatur et colitur. Unde discamus qua sanctitate in templo et Ecclesia versari debeamus, utpote in loco quem calcant et sanctificant pedes Dei.

ET LOCUM PEDUM MEORUM. — Hoc est Ecclesiam in terris militantem, quæ est quasi scabellum pedum Dei, in cœlesti throno residentis. Alludit ad arcam, quæ cum propitiatorio erat quasi scabellum Dei, sedentis super alas Cherubim, *Exodi* cap. xxv, 22, et I *Paralip.* xxviii, 12.

14. ET VENIENT AD TE CURVI FILII EORUM QUI HUMILIAVERUNT TE. — « Curvi, » id est humiles atque venerabundi, inquit S. Prosper, part. III *Prædic. et promiss.* cap. xxxvi. *Secundo*, « curvi, » id est supplices et pœnitentes, petentes veniam pro suis erratis, et parentum, qui Ecclesiam olim impugnaverunt. Venient ergo curvi, quia indignos se putabunt qui Ecclesiæ atque ministris Dei famulentur, ponent altos suos spiritus, induentque Spiritum Christi humilem et mitem. Cum enim agnoscent e quantis malis sola miseratione eruti sint, in quibus poterant æque ut patres eorum consenescere, mori et damnari; non poterunt non se humiliare et submittere illis, qui tam felicis sortis suæ fuerint administri: eos ergo ut viros sanctos, imo cœlestes suspicient, atque Ecclesiam quasi sponsam Dei venerabuntur: in qua licet visuri sint aliquorum defectus et scandala, ipsam tamen vocabunt civitatem sanctam, Dei domicilium, multorum millium Angelorum frequentiam, habitaculum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum Sanctorumque omnium. Videant hic illi qui Ecclesiam et ministros Dei insectantur, quam a filiis Dei et a priscis fidelibus, suisque majoribus, quos hic depingit Isaias, sint degeneres: ac proinde hæreditatis Dei et promissionum Isaïæ exhæredes.

ET ADORABUNT VESTIGIA PEDUM TUORUM, — quasi ad pedes tuos supplices se inclinantes, imo terram quam calcaris, pedumque tuorum vestigia exosculantes. Patet hoc impleri in Romano Pontifice, qui est caput Ecclesiæ. Frustra ergo indignantur hæretici ad oscula pedum Papæ, cum ea prædixerit et promiserit Isaias. Ita reges Visigothorum, Francorum, Anglorum, Nortmannorum, Longobardorum, Germanorum et aliarum gentium, qui sæpius vexarunt Ecclesiam et Pontificem, Romam venerunt, ut ibi adorarent vestigia

pedum ejus qui se servum servorum Dei vocat, cumque sit caput, pedum sibi nomen assumpsit, humillimorum scilicet servum se professus. Vide dicta cap. xlix, vers. 13. Hæc fuit victoria crucis Christi, quæ totum mundum divina virtute Christo crucifixo ejusque Ecclesiæ subjugavit.

Quis credidisset Christi crucem idola contrituras, et crucifixi discipulos in tanta gloria futuros? S. Chrysostomus, hom. 4 *in verba Isaïæ*: « A quam multis, ait, oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa! quot tyranni! quot duces! quot Imperatores! Augustus, Tiberius, Claudius, Nero, etc., oppugnaverunt; nunc silentur, traditi oblivioni: illa vero oppugnata cœlum transcendit. Oppugnati sunt undecim discipuli, totus orbis oppugnabat: verum qui oppugnabant, sublatis sunt; oves devicere lupos. » S. Augustinus, *epist.* 42, Madaurenses idololatrias alloquens: « Videtis, ait, hujus sæculi potestates victas ac domitas, non a repugnantibus, sed a morientibus Christianis; et contra eadem simulacra, pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse, et imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare. » Audi et mira ex Prospero, *Promiss.* part. III, cap. xxxviii, Theodosii imperio per Jovium et Gaudentium comites omnia templa exspoliata scribuntur: cui Symmachus ille mirabili tunc eloquio et scientia præditus, sed paganus, præconio laudis in consistorio recitato, subtili arte qua valuit, ut aram Victoriæ in senatu restitui pateretur, persuadere conatus est. Quem statim a suis aspectibus pulsum, in centesimo lapide, rhedæ non stratæ impositum, ea die manere præcepit. Eutropius quoque præpotens, idemque anima et mente paganus, cum in contumeliam Ecclesiæ edictum, obreptitæ ab Arcadio Christiano Imperatore impetratum, sculperet, ut, si quis ad eam confugeret, etiam abstractus ab altari pœnas lueret ampliores, divino judicio suæ sententiæ prior ipse propinatus est: offensam quippe prædicti regis incurrens, ad ejus refugium, quam oderat, convolvit. Quem sancta mater pietatis gremio suum excepit inimicum, eique per venerabilem sacerdotem Joannem impetrans veniam, osori et superbo vitam contulit et salutem: ejus exemplo cunctos admonens inimicos, vanum eis esse contra stimulum calcitrare. Honorius etiam Theodosii minor filius, Christiana religione ac devotione præditus, templa omnia cum suis adjacentibus spatiis ecclesiis contulit, simulque eorum simulacra confringendi potestatem dedit. Quid memorem Valentinianum juniorem? ad quem cum propter recuperanda templorum jura, et sacerdotiorum profana privilegia cultusque sacrorum suos misisset Roma legatos, universis qui in consistorio aderant, Christianis pariter atque Gentilibus reddenda esse censentibus; solus ille velut Daniel excitato in se fidei spiritu, Christianos quidem perfidiæ arguebat, Gentibus vero regerebat, quod

pius eripuisset, hoc a se reddi non posse, cum in eo religio læderetur et frater. Postulet, inquit, parens Roma alia quæcumque desiderat, debeo affectum parenti, sed magis obsequium Deo parentis auctori.

ET VOCABUNT TE CIVITATEM DOMINI, SION SANCTI ISRAEL. — Nota: « Sion » hebraice significat *primo*, speculam. Sion ergo est Ecclesia, quia ejus *typus* erat Sion, urbs nova Davidis; et quia specularatur et ambit bona cœlestia et æterna. Ita S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.* xvi. Rursum, sicut Sion est mons altus et specularis: sic Ecclesia cum sit in terris, mente tamen habitat in cœlis, et cum Deo ejusque Sanctis et Angelis conversatur. *Secundo*, « Sion » hebraice significat titulum: talis autem est Ecclesia, quæ vexillum crucis gestat pro titulo triumphi. Ita Origenes in cap. xvi *Matth.* *Tertio*, « Sion » significare potest siccitatem: talis est Ecclesia, quæ coaluit ex arido populo Gentium, qui expers erat pluviae cœlestis, quique jam conversus consumptis carnalibus passionibus et vitiis per ignem Spiritus Sancti ætherea sapit, non quæ super terram: unde vocatur civitas non hominis, non regis, sed Dei. Ita Leo Castris.

15. PRO EO QUOD FUISTI (o Jerusalem! o Ecclesia!) DERELICTA (contempta, despecta, et a Gentibus mille persecutiones passa, ut vix essent) QUI PER TE TRANSIRENT, — id est qui ad te accedere, tibi aggregari auderent, timentes vel probra et sannas, vel pœnas et cædes Gentilium. Loquitur de tempore Synagogæ ante Christum, uti dixi vers. 10. Ita S. Hieronymus, Forerius et alii. Possunt tamen hæc quoque accipi de primitivæ Christi Ecclesiæ abjectione et afflictione, præsertim a Judæis ante dispersionem Apostolorum, *Actor. II, III, IV* et sequent. Ita Sanchez.

PONAM TE IN SUPERBIAM SÆCULORUM, — ponam te in magnificentiam omnibus sæculis, cui nihil simile visum fuerit ullo sæculo. Nomen enim magnificum Ecclesiæ fuit et est, quod Roma orbis caput ei sponte caput subdidit, quodque Romani Imperatores, ut Constantinus et alii, gloriosius sibi duxerint se esse filios et subditos Ecclesiæ, quam dominari toti orbi. Sic *superbia* pro magnificentia, reque eximia et magna sumitur, *Proverb. VIII, 18, Isaia LXI, 6*, et sæpe apud profanos. Nota congruam mercedem: contemptui enim Ecclesiæ rependitur *superbia* sæculorum, odio et derelictioni ejusdem rependitur gaudium generationum omnium, ut scilicet omnes generationes et sæcula gaudeant sic esse in Ecclesia, ejusque bonis frui, perinde ac si cœlo fruerebantur, uti inchoate fruuntur.

Pro *superbia* sæculorum hebraice est **נאון עולם** *geon olam*, quod Septuaginta vertunt, *exultationem æternam*; Vatablus, *claritatem perpetuam*; alii, *magnificentiam perpetuam*; alii, *gloriam sæculi*.

Vide hic quam Deus suos fideles et cultores atque Ecclesiæ filios extollat. Constantinus, qui primus publice ex Imperatoribus Ecclesiam defendit,

eo fere modo Maxentium vicit, quo Moses Pharaonem. Audi S. Augustinum: « Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum Deum verum colentem, tantis terrenis implevit Deus muneribus, quanta optare nullus auderet: universum orbem Romanum unus Augustus tenuit et defendit, in administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandævus ægritudine et senectute defunctus est, filios imperantes reliquit. » Ita ipse, lib. V *De Civitate Dei*, cap. xxv, et Eusebius, lib. IX *Hist.* cap. ix.

Theodosius Senior eo quod vere pius et Catholicus esset, adeo ei omnia prospere successerunt, ut in præliis hostium tela in auctores, Deo agente, retorquerentur: ipse in bona pace Deo animam reddidit. Ita D. Augustinus, lib. V *De Civitate Dei*, cap. xxvi.

De Honorio, etiam plane Catholico, et Romano Pontifici addictissimo, ut patet ex ejus epistolis ad Bonifacium Papam, scribit idem Augustinus *ibid.* cap. xxiii, ita Deum pro illo pugnasse, ut uno prælio multo amplius quam centum millia Gothorum prosternerentur, et rex ipse Radagaisus cum filiis caperetur et occideretur, ex Romanis ne uno quidem vulnerato, nedum extincto.

Socrates, lib. VII *Histor.* cap. xviii, scribit de Theodosio Juniore Theodosii Magni nepote, ejusque germana sorore Pulcheria admirabili pudicitia virgine, quod Orientis Imperium multos annos tenuerint, tanta felicitate, ut cum illorum pietate Dei liberalitas certare videretur. Frequenter enim a copioso hostium exercitu undique circumsessis, et tanta contentione oppressis, ut ad resistendum neque consilio locus, neque totius Imperii vires satis esse viderentur; Deus (cujus omnia sunt imperia, et quo defendente nitebantur) supra fidem adfuit, et exercitu ejus pugnante cum Barbaris, et ipso interim in urbe precibus apud Deum vacante, circiter centum millia Saracenorum ab Angelis acta in Euphratem miserrime perierunt, et ad miraculum infestæ hostium acies confusæ perturbatæque fuerunt ac profligatæ.

Justinianus Senior, quamdiu Catholicus fuit, feliciter imperavit, ita ut Italiam, Africam aliasque multas provincias Romano Imperio restituerit. At ubi hæreticus factus est, et edictum proponi voluit de sua hæresi recipienda, mox repentina morte sublatus est, et Ecclesiam magno metu liberavit. Ita Evagrius, lib. IV, cap. xvi et seq., et cap. ult.

Heraclius quoque, dum Catholicus esset, præclarissimam victoriam de Persis reportavit, et crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ omnino videbantur. At cum in hæresim incidit Monothelitarum, omnia illi infeliciter successerunt, et ipse novo atque inaudito morbi genere extinctus est. Ita Zonaras, tom. III *Annal. Byzantinorum*.

Tempore Urbani II, ad annum Domini 1098, Christiani in bello sacro a Papa indicto pro recu-

Theodosii Senioris.

Honorit,

Theodosii Junioris.

Justiniani,

Heraclii,

Godefridi Bulloni.

Sion, id est specula, titulus, siccitas.

Exempla Constantini,

peratione Hierosolymæ, cum essent Antiochiæ in summa desperatione, eo quod prope adesset infinitus exercitus Turcarum; et ipsi pauci essent, ac diuturna fame prope enecti, ita ut etiam viri fortissimi baculis innixi incederent, neque equos haberent nisi paucissimos, quin et præcipuus copiarum dux Godefridus Bullonius equo commodato uteretur, et multi principes in asinis equitare cogerentur; tandem Deus revelavit ubi esset lancea, qua Christi latus perforatum est in cruce, eaque prælata in bello miram victoriam dedit, ita ut occiderint centum millia Turcarum. Cecidit etiam ros divinitus in illos, qui animis et corporibus vires addidit; deinde apparuerunt pro illis tres viri sancti de cælo pugnantes. Ita Paulus Æmilius, lib. IV *Histor. Francor.*, Guilielmus Tyrius, lib. VI, sub fine, Dodechinus Mariani Scoti continuator, et alii.

16. SUGES LAC GENTIUM. — Id est, ut Chaldæus, *satiaberis divitiis populorum*. Lac enim significat quidquid pingue, dulce, bonum, sapidum est et gratum.

ET MAMILLA REGUM LACTABERIS. — Id est, ut Septuaginta, *divitias regum comedes*, regum deliciis, opibus, ære, auro, argento affluens, ut dicitur vers. 17. Reges enim et reginæ erunt nutrices et nutritiui, o Ecclesia! uti dixit cap. XLIX, 23. Ita Cyrillus et Procopius. Notat vox *mamilla*, reges et reginas fore quasi matres Ecclesiæ, et materno affectu liberaliter eam complexuras et alituras. *Secundo*, Sanchez: Lactaberis, ait, regum mamilla, id est cibus delicatis et dulcibus, quales regiam mensam atque delicias decent: aleris ut filia regis cibo regio: reges te quasi filiam suam regiis dapibus pascent.

Nominat identidem reges et principes: quia hi plurimum Ecclesiam promovere possunt et debent. Regis enim ad exemplum totus componitur orbis. Sciant ergo reges a se pendere fidem, pietatem et sanctitatem totius regni; atque in sua manu esse totum regnum sanctum efficere, Ecclesiæ subdere, et ad salutem æternam perducere. Hoc ergo facere ne negligant, si amant suam et suorum salutem. Hanc enim ab illis reposcet Deus in magno illo decretorio mundi die.

Porro, quam prisca reges omnesque orthodoxi Ecclesiam lactaverint, liquet ex omnium gentium historiis. Sic in ipsis Ecclesiæ incunabulis Christiani omnia sua ad pedes Apostolorum offerebant. In his necesse est ut copiosæ fuerint opes: nam quomodo alioqui potuissent ab his ali tot hominum millia, quæ quotidie ad Ecclesiam se aggregabant? Sic S. Cyprianus, epist. ad *Episcopos Numidiæ*, scribit, se ad illos mittere centum millia sestertium ad redimendos captivos. Sic S. Laurentius custodiebat thesauros Ecclesiæ, tantos, ut iis inhiaret Decius Imperator, et ad eos extorquendos Laurentium in craticula assaverit. Quis memoret quot a Carolo, Dagoberto aliisque regibus Francorum fuerint ædificatæ et dotatæ

ecclesiæ et monasteria? Sane ab iis pleræque Germaniæ ditiones monasteriis attributæ sunt. Indeque factum est, ut pleræque Germaniæ civitates prope monasteria conditæ sint. Ex epistolis S. Gregorii patet maxima illius ætate Ecclesiæ fuisse patrimonium in Africa, Campania, Neapoli, Dalmatia, Gallia, Sicilia aliisque provinciis. Mutius Justinopolitanus librum confecit, in quo omnia collegit quæ a principibus in Ecclesiam munera collata sunt. Reges Hispaniæ Alfonsus primus, Alfonsus Castus, Alfonsus Magnus, Ramirus et alii plurima ædificarunt ornaruntque templa, adeo ut Alfonsus Magnus thesaurum totum paternum in templa et pauperes erogavit, ædem S. Jacobi quadrato lapide construxerit, ac plurimis redditibus et ornamentis ditavit. In Hungaria Stephanus rex, Ladislaus et Ludovicus ita liberales fuere in Ecclesiam, ut scribat Bonfinius tertiam Hungariæ partem pertinere ad sacerdotes. In Polonia Casimirus Magnus duodecim templa ædificavit, ut ait Cromerus, monasteria sex, eaque dotavit. Idem fecit in Lithuania Ladislaus Jagello. Reges Angliæ totam Angliam Romanæ Ecclesiæ tributariam fecerunt. Sane Henricus VIII decem millia templorum et monasteriorum uno anno evertit. Æque liberales in Ecclesiam fuerunt Bohemi, Dani, Norwegi, Sueci; adeoque ut Lutherus sacrilegus hac esca usus sit ad pelliciendum ad se populi et principum animos, proponens nimirum eis Canonicorum et monachorum opes, in quas ipsi ex lutheranismo tuta conscientia involarent. Plura habet Thomas Bozius, *De Notis Ecclesiæ*, tom. III, signo 87.

ET SCIES QUIA EGO DOMINUS, etc., FORTIS JACOB, — qui scilicet Jacobum, id est Israelem, fortem effeci, ut luctans cum Angelo ei prævaleret, *Genes.* cap. xxxii, 28. Quo significabatur eum fratre suo Esau suisque hostibus fortiorem futurum. Sicut ergo Dominus vocatur « Sanctus Israel, » sic et « fortis Jacob, » ut patet cap. XLIX, 26, et cap. xxx, vers. 29.

17. PRO ÆRE AFFERAM AURUM, — faciam te locupletiolem longe quam fueras ante, adeo ut pro ære suggeram aurum. Porro hæc tum proprie accipienda sunt: exaggerat enim opes et splendorem externum Ecclesiæ, de quo dixit vers. 9 et 10; tum symbolice significant sacra et sacrificia, omnemque Dei cultum qui in Jerusalem apud Judæos umbraticus erat, tenuis et exilis instar æris, ligni, ferri, convertendum in multo augustiorem per Christum, ut scilicet adoremus Deum in spiritu et veritate, ut ei non agnos et hircos, sed ipsummet Christum immolemus; utque non externa pietatis opera, sed internos mentis affectus per amorem et religionem ei offeramus.

Alludit ad Salomonem, sub quo auri et argenti tanta fuit copia, quanta æris, ferri et lapidum, II *Paral.* I, 13. *q. d.* Christus reducet opes et tempora Salomonis.

Secundo, S. Cyrillus exponit, *q. d.* Doctrina et

fides Judaica, tenuis et carnalis, mutabitur in sapientiam Christianam, sublimem et spiritalem, puta pro lege dabo Evangelium.

Tertio, S. Hieronymus, *q. d.* « Bruti quondam et insensibiles (qui sunt quasi æs et ferrum) per augmenta virtutum in aurum argentumque mutabuntur, ut nequaquam utilitatis duntaxat speciem, sed pretium quoque habeant ac decorem. »

Tropologice et anagogice Galfridus, cujus verba recitat Delrio, *adagio* 807 : « Æs, inquit, est patientia, ferrum perseverantia animi, et labor improbus vincens omnia, sicut omnia ferrum domat. Hæc igitur in omni actione viriliter agit : illa in tribulationis percussione non deficit. Lignum est fragilis et carnalis affectus; lapis est animus obduratus; argentum et aurum, divitiæ salutares, quas promisit Deus diligentibus se. Non ergo daret Dominus pro ære argentum, et pro ferro aurum, nisi ante dedisset pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum; non redderet præmia pro virtutibus, nisi virtutes ante pro vitiis dedisset. »

Denique Adamus per æs et ferrum accipit virtutes naturales Gentilium, per argentum et aurum virtutes supernaturales Christianorum, *q. d.* Virtutes naturales Gentilium commutabit Deus in virtutes supernaturales Christianorum, quibus ipsi sibi Dei gratiam in hac vita, et gloriam cœlestem in futura conciliabunt.

ET PONAM VISITATIONEM TUAM PACEM, ET PRÆPOSITOS TUOS JUSTITIAM. — Pro *visitationem* hebraice est פקדון *pecudda*, id est præfectura, visitatio et paterna cura pastoris sive principis : hic enim quasi pastor sæpe visitare et curare debet gregem suum. Jam *visitatio*, id est præfectura, ponitur pro ipso præfecto et principe visitante. Unde Septuaginta vertunt : *Dabo principes tuos in pace*, id est pacifice regnantes, et *præpositos tuos in justitiam*, id est juste præsidentes et gubernantes.

Ubi recte advertunt S. Hieronymus et Leo Castrius ex S. Chrysostomo, Septuaginta nomen *Episcoporum* trecentis annis ante Christum expressisse. Idem fecerunt, *Psal.* cviii, 8 : « Et episcopatum ejus accipiet alter. » Sic et Vatablus vertit : *Præfectos tuos constituam pacem, et exactores tuos justitiam*, id est, inquit ipse, pro iis qui tibi solent præfici, ut a te pecuniam et operas exigant, præficiam tibi homines æquissimos et pacis studiosissimos, ut videantur esse ipsa pax et justitia, *q. d.* In Ecclesia nemo vim afferet proximo, unde sequitur : « Non audietur ultra iniquitas in terra. » Dat causas opum Ecclesiæ, nimirum pacem et justitiam; cum enim respublica est in pace, in eaque viget justitia, tunc tam ipsa quam cives singuli ditantur.

Forerius, per *præfectos* accipit Pontifices et pastores Ecclesiasticos olim sanctissimos; per *exactores*, magistratus civiles et politicos. « Hos, inquit, sua munia juste, illos integre peracturos pollicetur : adimpletam promissionem felicitatemque hanc durasse non paucos annos scio;

quid autem nostro hoc sæculo fiat, juvat magis deflere quam describere. »

18. NON AUDIETUR ULTRA INIQUITAS (injustitia, Vers. 18. avaritia, rapacitas, fraudes, iniqua judicia, etc.) IN TERRA TUA : VASTITAS ET CONTRITIO (id est vastatio et confractio hostium) IN TERMINIS TUIS, — *q. d.* Nulla externa vis, imo portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, etsi eam vexent et affligant : quia in ea non erit iniquitas, sed sanctitas, quam Deus contra hostes tutabitur. Dices : Nonne multi iniqui, avari et rapaces sunt in Ecclesia? Sunt utique, sed ut membra arida et mortua : Propheta autem loquitur de vivis verisque membris, qui veri sunt fideles Deique filii. Vide dicta cap. LII, 4.

Secundo, hæc usque ad finem capitis, non tam ad statum Ecclesiæ præsentem, quam futurum pertinent : ad illum enim assurgit et avolat. Inchoate ergo tantum et imperfecte conveniunt præsentem, plene vero et perfecte futuro. In cœlo enim nulla erit iniquitas, nulla contritio, nulla violentia; sed in omnibus summa æquitas, sanctitas et charitas. Eadem enim est Ecclesia militans et triumphans; hæc enim in illa inchoatur, illa in hac coronatur et consummatur. Unde Prophetæ ab una ad aliam saliant, et mox resiliunt. Vide *Canon*. IX.

ET OCCUPABIT SALUS MUROS TUOS, ET PORTAS TUAS LAUDATIO. — Dat causam cur in Jerusalem, id est Ecclesia, terrestri inchoate, et in cœlesti perfecte, non sit futura iniquitas, nec vastitas, nec contritio, quæ ab ea tantas opes, dignitatem et splendorem auferre possint : quia scilicet ipsa habet salutem pro muris, et laudes pro portis. Alludit ad urbem in pace degentem, in qua nulli in portis sunt custodes, nulli in muris milites, nulla arma, nulli tubarum aut equorum strepitus; sed in portis choros ducunt juvenes et puellæ. Hæc ergo notant integros fore semper Ecclesiæ muros et portas.

Porro salus hæc, æque ut pax, non tantum liberationem ab hoste, aliisque malis; sed etiam victoriam, felicitatem honorumque omnium copiam significat. Sic gloriam cœlestem vocamus æternam salutem. Unde Sanchez per salutem accipit triumphale canticum. Et Vatablus sic explicat, *q. d.* In muris tuis salus prædicabitur, non hostium adventus; et in portis tuis audietur laus Dei, non vox hostium te oppugnantium : eris in summa pace. Sic enim canticum quo Sancti victorias Christi in cœlo canunt, *Apoc.* xix, vers. 4, vocatur « salus; » ubi enim Latinus interpres habet, « laus et gloria et virtus Deo nostro, » pro *laus* græce est *σωτηρία*, id est, *salus*; et cap. vii, 10 : « Salus Deo nostro, qui sedet super thronum. » Quare apud Hebræos, ut recte ait ipse, vox triumphalis plausus erat, « Osanna! » ut, « Osanna filio David, » *q. d.* Io victor, io triumphe; vivat rex noster Messias, Davidis filius et hæres. Et Martyres salvare dicuntur : « Salvete;

Muri Ecclesiæ sunt salus, portæ laus Dei.

Salus pro victoria.

Episcopi nomen ante Christum prædictum.

flores Martyrum, » ait Prudentius de Martyribus innocentibus. Et ad B. Virginem assidue clamamus : « Salve, Regina ; » et ad Crucem : « Salve, Crux pretiosa. » Sensus ergo est, *q. d.* Sancti, præsertim in cælo, ab omni peccato et ærumna libertatem plenam, salutem, victoriam et felicitatem possidebunt, ideoque canent jugiter carmen salutis, epinicion Deo et Christo salutis auctori.

Septuaginta Hinc Septuaginta et ex iis S. Hieronymus, per salutem accipiunt Salvatorem Jesum Christum. Sic enim vertunt Septuaginta: *Vocabitur salutare muri tui, et portæ tuæ sculpturæ*, id est, ut explicat S. Hieronymus, Jesus Salvator erit murus tuus, o Ecclesia! et portæ tuæ erunt tum ejus divinitas, in qua sculptura, figura et character est Patris, *Hebr.* 1, 3; tum ejus clavi et passio, ait Leo Castrius. Græcum enim *ἄλμα*, id est sculptura vel cælatura, significat emblemata in portis aut domibus cælaturæ, in victoriæ similisve rei monumentum. Significat ergo Isaias, talia emblemata, et victoriæ monumenta fore in cælo, tum ipsas vulnerum cicatrices in corpore Christi; tum ipsam gloriam et triumphum Sanctorum, ipsasque cicatrices Martyrum; tum ipsum decorem, ornamenta et trophæa cælestis Jerusalem. Hoc est quod dixit cap. xxvi, 1 : « Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale. » Vide ibi dicta.

In hac vita muros nostros et portas sæpe occupant hostis, tribulatio, fames, infirmitas, morbus, ploratus, milleque similes ærumnæ : in cælo vero portas et muros occupabunt ipsa salus, lætitia, felicitas, laus et jubilatio, eaque certa et constans in æternum. Unde Apollonius Tyanæus ad Nervam Imperatorem qui ejus præsentiam et alloquium desiderabat, rescripsit : « Nos quidem, o rex! diu simul erimus, ubi neque nos aliis, neque alii nobis imperabunt; » significans utrumque cito moriturum (id quod et brevi contigit), tumque simul versaturum in campis Elysiis. Testis est Philostratus, lib. VIII *De Vita Apollonii*.

19. NON ERIT IBI AMPLIUS SOL, etc. — *q. d.* In Jerusalem, id est Ecclesia terrestri, inchoate, et in cælesti perfecte, non erunt solis et lunæ vices alternantes : sol enim et luna in terra eclipsantur, et quotidie finito die abeunt, et noctem ac tenebras post se relinquunt. Secus erit in Ecclesia : ibi enim erit perpetua lux, id est doctrina fidei, quæ nunquam deficiet aut variabitur : in cælo vero erit perenne lumen gloriæ et visionis beatificæ. Per hæc enim Deus erit ejus lux et sol. Ita S. Cyrillus, Procopius et Forerius.

Rursum in Ecclesia erit perpetua libertas, lætitia et felicitas, nullis calamitatis aut ærumnæ nebulis fuscata vel intercisa. Sicut enim sol et lux felicitatis, ita tenebræ et nox calamitatis sunt symbolum. Ita Hugo. Unde sequitur : « Et complebuntur dies luctus tui. »

Nota : Hæc proprie et plane conveniunt Jeru-

salem cælesti : unde de ea loquens, et ad hunc Isaiæ locum alludens S. Joannes, *Apoc.* xxi, 4 : « Absterget, inquit, Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt; » et inferius, vers. 23 : « Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam. » Ubi nota : « Claritas Dei, » vel est ipse Deus, qui est increata claritas, et sol cælestis Jerusalem : hic enim est sol divinitatis, ex quo lucerna humanitatis Christi lumen suum mutuatur, ut sequitur. Vel est lumen gloriæ, quod mentes Sanctorum illuminat ad videndum Deum. Vel potius jungendo utrumque, claritas Dei est ipse Deus clarissimus, qui suam claritatem, puta lumen gloriæ, Sanctis communicat. Unde sequitur : « Et lucerna ejus est agnus. Lucerna, » id est fax, sol, vel lux oculos corporeos Sanctorum illuminans et recreans; est splendidissima Christi humanitas, quæ instar solis fulgidissimi lumen per cælum empyreum diffundit : ut scilicet oculi Sanctorum per illud intuendo humanitatem gloriosam Christi aliosque Sanctos, omniaque quæ in cælo erunt, et suam claritatem, ac sensationem sensibilem, et lætitiâ maximam habeant.

20. NON OCCIDET ULTRA SOL TUUS, — puta sol divinitatis, felicitatis et visionis beatificæ, de quo jam dixi. Unde subdit : « Quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, » *q. d.* Dominus instar solis et lunæ jugiter, tam die quam nocte te illuminabit. *Secundo*, alludit ad materialem solem et lunam, qui post diem judicii stabiles in eodem loco consistent, nec amplius occident. Unde ex hoc loco Theologi probant, quod in die judicii et resurrectionis, et deinceps in æternum, cessabit cælorum motus, et consequenter tempus, quod motus cælorum est numerus et mensura : atque ita per quietem et vocationem a motu cæli acquirant statum quemdam similem Deo, qui nimirum mutationis est expers. Hoc enim verbaclare significant, dum ait : « Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur. » Ita docet D. Thomas et ex eo Gregorius de Valentia, III part., in fine libri.

Adnota : Sol tuus est, sed Dominus in lucem, respiciendo nimirum, ut supra dixit, in viis tuis, de veteri lege et de nova, viam soli ipsi præbendo in corde, quod cælum quasi refert, ut per illud ingrediens sol hic populi Christiani, tanquam per zodiacum illius cordis, nunquam evasurus incedat. *Cantic.* v, 14 : « Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris; » alii : *Sicut circulus medius in quo sunt similitudines siderum.* En ut zodiacum Deus depingit in corde Christiani. Septuaginta legunt, *tabula eburnea*; Nyssenus, homil. 14 in *Cantic.*, censet alludi ad tabulam in qua lex scripta erat. At qui hanc novam tabulam Dei lege insculptam in corde habet, tanquam sol per zodiacum Christi incedit in perpetuas æternitates.

Claritas
Dei in
cælo,
quæ?

Vers. 20.

Lex enim est velut zodiacus, per quem incedit sol, id est Christus, Christique servus, in cœlo, id est in corde justii.

Vers. 21. **21. POPULUS AUTEM TUUS OMNES JUSTI.** — In cœlo enim omnes erunt sancti. In Ecclesia multi sunt peccatores : omnes tamen vocantur sancti et justii; quia in baptismo sanctificati sunt, et quia vocati sunt ad sanctitatem, ejusque professionem faciunt. Hinc enim S. Paulus initio epistolarum omnes Christianos, Romanos, Corinthios, etc., vocat sanctos. Addit Forerius : In Ecclesia, ait, primitiva omnes, id est plurimi et plerique omnes, erant sancti.

IN PERPETUUM HÆREDITABUNT TERRAM, — *q. d.* Nemo eos expellere poterit ab Ecclesia, nisi ipsi sponte ad infidelium castra transfugiant. Ita Forerius. Esto enim vis corpori a tyrannis afferatur, animo tamen afferri nequit. *Secundo*, et melius et plenius, Beati in æternum hæreditabunt terram viventium in cœlis. Causam dat dum subdit :

GERMEN PLANTATIONIS MEÆ, — *q. d.* Sancti, præsertim Beati, hæreditabunt semper terram, sive paradisum cœlestem : quia ipsi sunt germen in eo a Deo plantatum in tempore, et prædestinatum ab æterno. Nemo autem evellere potest quod Deus plantavit, aut evertere quod ipse decrevit et prædestinavit. Unde Septuaginta vertunt, *custodiens plantationem*, scilicet suam hanc Sanctorum, est Deus.

Simili modo justii in terra erunt germen plantationis Dei, quia producent fructus bonorum operum : unde homines cognoscent illos a Deo plantatos, imo iis ipsi testabuntur se esse Dei plantationem, ut per eos Deus honoretur. Ita Vatablus. Huc allusit Apostolus, I Cor. III, 9, dicens : « Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

OPUS MANUS MEÆ AD GLORIFICANDUM. — Est appositio. Justii enim ut vocantur « germen plantationis Dei, » id est germina gloriæ cœlestis, æque ac gratiæ terrestri: ita vocantur et « opus manus » ejus, idque « ad glorificandum, » ut scilicet Deus eos glorificet et beet in cœlo; vel potius, ut Deus in eis glorificetur et celebretur. Ita S. Hieronymus.

Vers. 22. **22. MINIMUS ERIT IN MILLE, ET PARVULUS IN GENTEM FORTISSIMAM.** — Hoc est, ut Pagninus vertit, *parva familia (Ecclesiæ) erit in mille; et Vatablus, parvus*

sobolescet in mille, q. d. Surculus parvus Ecclesiæ plurimos alios germinabit et producet, sicut unum granum seminatum germinat et producit multa : hoc est, Ecclesia multis magnis strenuisque fidelibus augebitur. Ita S. Andreas millia Achæorum, S. Thomas millia Indorum, S. Joannes millia Asianorum, S. Bartholomæus millia Armeniorum, SS. Petrus et Paulus quasi totum orbem fidelium procrearunt. Ita S. Antonius, Basilius, Benedictus, Bernardus, ac præsertim S. Franciscus, millena millia Religiosorum progenuerunt. Hæc enim primario spectant ad Ecclesiam militantem : ad eam enim redit, puta ad id quod dixit vers. 15 : « Ponam te in superbiam sæculorum. » Duobus enim ipsa incommodis initio laborabat. *Prius* erat ejus paucitas; huic medetur, promittens ei sobolem multam. *Secundum*, ejus infirmitas, ut ab omnibus calcaretur; huic medetur, promittens ei sobolem fortissimam, ut sit hostibus terrori, quasi castrorum acies ordinata. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

Secundo, tamen, hæc apte etiam conveniunt Ecclesiæ triumphanti : « Beati enim, ait S. Hieronymus, plantati in domo Domini, in atriis ejus efflorescent. Tunc qui parvulus fuerit, erit in mille, audiens a Domino : Esto habens potestatem super quinque vel decem civitates, ita ut appelletur *χιλιάρχος*. Et qui cum Apostolo dixerat : Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, princeps erit magnæ gentis in cœlestibus, quando tempore constituto miserit Dominus angelos suos, et congregaverint ad eam omnes sanctos. » Sic S. Amanus apparuit S. Aldegundi gloriosus, atque stipatus magno agmine Sanctorum, quos ipse cum viveret converterat, qui in cœlis eum colebant et respiciebant ut patrem.

EGO DOMINUS IN TEMPORE EJUS (ei scilicet Ecclesiæ, a me constituto) SUBITO FACIAM ISTUD. — Hebraice *festinare faciam vel accelerabo illud*. Ita Vatablus, *q. d.* Brevi hæc Ecclesiæ præstabo, simulque faciam, cum cœperint, brevi tempore compleantur : nam post 700 annos cœpit Ecclesia Christi, et mox ut cœpit, paucorum annorum spatio totum orbem obtinuit, ipsaque ad ingentem gloriam, sobolem et fortitudinem pervenit. Hoc præstitit ei hæc promissio divina, quæ uti efficax est, ita est et celer in operando et præstando id quod promisit.

Minimus
in mille,
quomodo?

CAPUT SEXAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus asserit se unctum Spiritu Sancto, ut consoletur et liberet afflictos et lugentes in Sion. Deinde, vers. 6, asseverat quod Apostoli, similesve sacerdotes Domini fortitudinem Gentium possidebunt, eruntque semen cui benedixit Dominus. Denique, vers. 10, ipsa Sion, id est Ecclesia, de hoc salutis a Christo acceptæ, et desponsationis suæ beneficio gaudens et gratulans jubilat, Deoque gratias agit (1).

1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis aperitionem : 2. ut prædicarem annum placibilem Domino, et diem ultionis Deo nostro : ut consolarer omnes lugentes, 3. ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris : et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. 4. Et ædificabunt deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem. 5. Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra : et filii peregrinorum, agricolæ et vinitores vestri erunt. 6. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis : fortitudinem Gentium comedetis, et in gloria earum superbietis. 7. Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem suam : propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. 8. Quia ego Dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocausto : et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis. 9. Et scient in Gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum : omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. 10. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo : quia induit me vestimentis salutis : et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. 11. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat ; sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus.

1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME. — Descripsit cap. præced. Propheta miram Ecclesiæ Gentium ad Christum conversionem, desponsationem, confluentiam et lætitiã ; nunc ejus causam adfert, nimirum ejus sponsum Christum Dominum, qui hanc conversionem et desponsationem facturus est. Eum ergo hic loquentem inducit, ac rationem reddentem suæ legationis et missionis in mundum, nimirum quod inunctus et inauguratus sit rex

Sionis et Ecclesiæ, ad hoc, ut Sionidas omnes afflictos curet et recreet.

Quare, quod S. Thomas et aliqui alii censent loqui hic Isaiam, dicereque se esse missum ad Judæos, ut eis annuntiet liberationem e captivitate Babylonica ; Isaiam autem typum esse Christi, qui homines a peccato et inferno liberavit ; non videtur verum. Nam Christus hunc locum de se explicat, *Luc. iv, 18* ; legens enim in Synagoga coram

(1) In fine superioris capituli dixerat Deus : « Ego Dominus in tempore ejus faciam istud. » Cum autem felicitia illa per Christum Dominum essent ventura, et Ecclesiæ formatio et institutio ab ipso Christo oriunda erat, eum ipsum loquentem inducit, quasi jam operi accinctum :

PRIMO igitur, instituendæ Ecclesiæ magisterium suscipit Christus, primo, ad munus hoc plenitudine donorum instructus, 1 ; secundo, ad salutem impertiendam destinatus, 2, 3 ; tertio, ad Ecclesiam instaurandam missus, 4.

SECUNDO, ministerium obeunt Episcopi et pastores, primo, ex gentibus et alienigenis et etiam adversariis eligendi, 5 ; secundo, ex gentibus divinam missionem reverentibus, divitias et gloriam accipientes, 6 ; tertio, du-

plicem pro ignominia præterita honorem et partem possidentes, 7.

TERTIO, videtur illius distributionis quasi rationem reddere : scilicet non Pharisæis, non Pontificibus meliorem partem dedi, non eos honoratiores feci in regno meo ; quia ego Dominus sum recti æquique amantissimus ; neque enim mihi placent sacrificia ex furto, qualia sunt omnia quæ Pharisæi isti mihi offerunt, 8.

QUARTO, chorus Apostolorum et pastorum nomine spiritualis illius Jerusalem, quæ ex sanctis reliquiis et gentibus constabat, præ gaudio exultat, et se felicissimam reputat, primo, propter gloriosam cum Christo desponsationem, 10 ; secundo, propter abundantiam justitiæ et sanctitatis, 11.

Judæis et Rabbinis hunc Isaïæ locum, dixit: «Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris;» quia scilicet, ego Christus, ille sum, de quo loquitur Isaïas. «Super me» enim, id est super mea humanitate, requievit Spiritus Domini. Nam quia Deus sum, uti deitatem, ita spiritum communem et essentialem eumdem habeo cum Patre et Spiritu Sancto. Porro invisibiliter Spiritus Sanctus descendit et fuit super Christum a primo instanti conceptionis ejus, visibiliter vero in eum descendit in ejus baptismo; unde mox post baptismum, jejunium et tentationem, venit in synagogam, dixitque tunc impletum fuisse hoc Isaïæ de se oraculum. Deinde curavit infirmos, fecitque ea quæ hic ipsum facturum prædicit Isaïas. Unde Patres, S. Hieronymus, Irenæus, Athanasius, Augustinus, Beda, et ex iis Toletus in *Luc. iv, 18*, imo ipse S. Petrus, *Actor. x, 38*, asserunt hæc impleta esse in baptismo Christi, cum Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ super Christum, et audita est vox Patris: «Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.» Hoc enim signo visibili, æque ac voce, quasi exterius coram populo Christus declaratus est et consecratus doctor, Propheta, legislator et redemptor orbis, atque deputatus ad evangelizandum pauperibus; unde mox a baptismo, hujus Spiritus operatio et effectus in Christo sese ostendit. Nam, ut ait S. Lucas, cap. iv, vers. 1: «Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane; et agebatur a Spiritu in desertum.» Et finito jejunio 40 dierum ac tentationibus diaboli; vers. 14: «Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam. Et ipse docebat in synagogis. Et venit Nazareth in synagogam,» ubi hunc Isaïæ locum legit et explicuit, completumque esse dixit. Sensus ergo est, *q. d.* Spiritus Domini descendit super me, tum occulte in ortu meo, tum potius palam et publice in baptismo, cum jam incepturus essem munus a Patre mihi impositum, scilicet docendi et prædicandi, hincque Spiritus me impulit ad docendum, prædicandum, et consolandum, ac curandum afflictos et lugentes in Sion, ut sequitur.

EO QUOD UNXERIT DOMINUS ME. — Causam dat, cur Spiritus Sanctus super eum venerit, quia nimirum idem Spiritus jam ante ab ejus ortu eum ad hoc munus unxerat. Ita Theophylactus, Maldonatus, Jansenius, in *Lucæ* cap. iv. Nota: Hæc Christi unctio facta est in incarnatione, *primo*, per gratiam unionis hypostaticæ; *secundo*, per gratiarum creaturarum et infusarum plenitudinem, ex unione jam dicta manantem. Unde S. Petrus explicans hunc Isaïæ locum, Christique unctionem, *Actor. x, 38*, ait: «Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto, et virtute.» Christus enim accepit gratiam, non privati cujuscumque fidelis et sancti, sed gratiam capitis, id est gratiarum ple-

nitudinem, quam quasi redemptor et caput Ecclesiæ in omnia sua membra transfunderet. Quocirca alii Sancti dicuntur ungi gratia et donis Spiritus Sancti, Christus vero dicitur ungi ipso Spiritu Sancto, et plenitudine omnium gratiarum. Ita S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. xxvi. Atque hinc Christus hebraice *Messias*, græce *Christus*, latine *Unctus* dicitur; per hanc enim unctionem consecratus est rex, et redemptor mundi, caputque Ecclesiæ militantis et triumphantis.

Nota: Pro eo quod Septuaginta vertunt, *cujus causa*, S. Lucas vertit, *propter quod*, quod dupliciter accipi potest. *Primo*, ut significet causam finalem unctionis præteritæ, *q. d.* Spiritus Sanctus in baptismo descendit in me, meque impulit ad munus Messias de facto exsequendum; quia ad hoc jam ab initio unxit me et deputavit, uti jam explicui. *Secundo*, *propter quod*, accipi potest *pro ideo vel idcirco*, ut significet non causam, sed effectum descensus Spiritus Sancti, *q. d.* Spiritus Sanctus descendit in me; idcirco suis donis, quasi effectibus, unxit et replevit me. Pro quo advertet Spiritum Sanctum esse causam donorum, ac proinde iis esse priorem in genere causæ efficientis; quia ipse dona hæc causat et producit in anima Christi et Christianorum: in genere vero causæ materialis et finalis, iisdem quasi esse posteriorem. Nam materialiter, ut sic dicam, anima Christi, et cujusque Christiani, non aliter recipit Spiritum Sanctum, nisi per ejus dona; unde prius quodammodo recipit dona, ac per dona ipsum Spiritum Sanctum. Similiter in genere causæ finalis, Spiritus Sanctus datur animæ quasi ad hunc finem, ut dona sua ei communicet: unde hæc dona in genere causæ finalis quasi priora sunt Spiritu Sancto. Utrumque ergo vere dicitur, scilicet Spiritus Sanctus descendit in Christum, eo quod vel quia unxit eum; nam per unctionem, perque dona descendit et illapsus est in Christum. Vice versa Spiritus Sanctus descendit in Christum, ut ungeret eum, vel idcirco unxit eum sua gratia suisque donis; ipse enim est causa efficiens suorum donorum. Non est ergo hic tautologia, sed commoda reciprocatio. Recte enim ex donis Christo inhærentibus, colligitur eidem inesse Spiritus Sanctus donorum auctor; et vicissim ex Spiritu Sancto inhabitante Christum, recte colliguntur eidem inhærerere Spiritus Sancti dona et effectus.

Adde, hunc descensum Spiritus Sancti in Christum maxime intelligi visibilem, qui fuit in ejus baptismo, uti dixi; tuncque sensus est, *q. d.* Quia Christus fuit unctus gratia Spiritus Sancti invisibiliter in ejus incarnatione; hinc Spiritus Sanctus gratiæ auctor fuit semper cum illo; idque visibiliter ostendit in baptismo, descendens super eum corporaliter in specie columbæ; in Scriptura enim sæpe res aliqua dicitur fieri, cum talis esse, vel fuisse publice ostenditur et commonstratur.

Christus invisibiliter unctus in incarnatione: visibiliter in baptismo.

Inde vocatus messias.

Christus habuit gratiam cavitis.

Spiritus ergo Sanctus dicitur descendisse in Christum in baptismo, quia descensio hæc palam ostensa fuit per columbam, cum longe ante in eum occulte descendisset per gratiam tum unionis, tum habitalem.

AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS. — Nota : Hæc verba nectenda sunt præcedentibus, sicque hæc dispungenda sunt : « Eo quod unxerit me ad annuntiandum mansuetis, misit ut mederer contritis corde. » Ita nectunt et dispungunt Septuaginta, Forerius, Vatablus, Jansenius, Maldonatus et alii; significatur enim hic finis unctionis Christi, *q. d.* Unctus est Christus ad hoc, ut annuntiaret mansuetis, id est ut Septuaginta et S. Lucas, ut evangelizaret pauperibus. Ita Irenæus, lib. I, x; Hilarius, in *Psalm. LII*; Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion. XIV*; Ambrosius, Theophylactus et Beda in *Luce IV*. Hic ergo describit Propheta munia et officia Messiae, ad quæ ipse unctus est, et a quibus ipse vocatus est Christus, nimirum hæc sunt, evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, captivos liberare, etc.

Nota primo : « Annuntiare » hic idem est quod evangelizare, id est lætum nuntium adferre afflictis, de liberatione, gratia et salute : hoc enim est Hebræum *בשר בשר* *basar*, unde *בשרי מטי* *bisrat mathai* vocatur Evangelium Matthæi.

Secundo, Hebræi mansuetos vocant pauperes, quia pauperes cogit eos cervicem submittere, tolerare adversa, precari, ac per omnia eos cicurat et mansuefacit.

Quæres, qui sunt hi pauperes? Respondeo, primo, S. Ambrosius, Origenes et Theophylactus, in *Luce IV*, per pauperes accipiunt homines, præsertim Gentiles, qui ob peccata depauperati, id est gratia et salute destituti, erant; præsertim, qui se tales esse agnoscebant. His enim evangelizavit, id est hos consolatus est, Christus. Secundo, S. Hieronymus hic, Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion. cap. XIV*, Eusebius, lib. III. *Demonstr. I*, accipiunt pauperes spiritu; his enim Christus evangelizavit, dicens : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. »

Tertio et planissime, pauperes proprie hic intelliguntur inopes, et ii qui tenui sunt fortuna (hos enim significat Græcum *πτωχοί*), quales erant Apostoli, et plebis turba, quæ Christum sequebatur, ejusque dicta et monita avide excipiebat; cum divites et potentes, uti Scribæ et Pharisei, ea spernerent, imo iis se opponerent. Vide dicta I *Corinth. cap. I, 26*. Hoc est quod Christus, *Matth. XI, vers. 2*, discipulis S. Joannis Baptistæ rogantibus, num ipse esset Messias, respondit, dicens inter alia : « Pauperes evangelizantur, » *q. d.* Ex hoc quod pauperes turbas doceo, iisque evangelizo, quasi ex certo signo quod Messiae consignavit Isaias, colligite et scitote me esse Christum et Messiam. Causa, cur Christus pauperibus maxime evangelizaverit, fuit, quod ejus prædicatio fuerit et sit de contemptu opum et mundi, de

mortificatione, cruce, etc., quæ avide arripiunt pauperes, ut se in sua pauperie solentur et animent, hæc vero fugiunt et oderunt divites, qui opibus suis deliciantur et superbiunt. Ita videmus etiamnum pauperes præ divitibus capaciores esse virtutis et sanctitatis. Unde S. Jacobus ait, cap. II, 5 : « Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? » Vide hic quam dispar sit spiritus Dei a spiritu mundi : spiritus enim Dei quærit pauperes, spiritus mundi opulentos et splendidos; spiritus Christi in cruce, pauperie et tolerantia vitam et gloriam constituit, quam spiritus mundi opibus et deliciis consignat.

UT MEDERER CONTRITIS CORDE. — « Contritis, » id est peccatoribus ex scelerum conscientia compunctis et pœnitentibus. Ita Tertullianus et Beda loco citato, ac S. Basilius in *Psalm. XXXIII*, et Tolletus in *Luce IV. Secundo* et melius, *contriti* hic vocantur Judæi et Gentiles, qui onere tum peccatorum, tum legis Mosaicæ, tum infidelitatis et ignorantiae rerum divinarum pressi, ac pene oppressi, et, ut Tertullianus legit, *obtriti*, afflictissimo erant corde et animo. Ita Hilarius, Theophylactus et Jansenius locis citatis. Hosce enim hoc onere et afflictione Christus liberavit; cum illi suam afflictionem, licet sentientes, non agnoscerent, nec medicum requirerent.

Pro *mederer* hebraice est *לחבש* *lachabos*, id est obligarem vel alligarem. Ita Symmachus et Theodoretus. Unde Forerius vertit : *Ut inducerem super alligationes contritis corde*; Vatablus : *Ut obligarem vulnera corde contritorum*. Sumpta est metaphora a chirurgis qui fasciis suis fracta et contusa alligant membra. Christus ergo non tantum fuit medicus noster, sed et chirurgus, qui manu sua contritiones, fracturas et fœda vulnera nostra tractavit, pus et saniem expressit, expurgavit, oleum et vinum quasi Samaritanus infudit, cataplasma vit et obligavit, itaque sanavit et integritati restituit. Hoc enim est Messias sive Christus, id est unctus et ungens; imo pungens et ungens ut sanet, « cum, » ut ait Isaias cap. XXX, 26, « alligaverit Dominus vulnus populi sui. »

ET PRÆDICAREM CAPTIVIS (sub potestate dæmonis et peccati), INDULGENTIAM, — id est, ut S. Lucas, « remissionem » et libertatem. Hebræum enim *דורר* *deror*, proprie libertatem significat. Alludit ad libertatem e captivitate Babylonica, datam a Cyro; hæc enim typus fuit libertatis spiritualis a Christo datæ, imo S. Thomas et Hugo ad litteram hæc de Cyro accipiunt. Verum non recte. Nam primo, Christus, *Luce IV, 18*, ad litteram apud Judæos explicat hæc de seipso. Secundo, quia Cyrus non restituit cæcis visum, sed Christus : de quo mox; reliqua etiam augustiora sunt, quam ut Cyro conveniant.

ET CLAUSIS (hebraice est *אסורים* *asurim*, id est ligatis, vinctis, quales sunt clausi in carcere)

Christus evangelizavit pauperibus, quibus?

Christus est medicus et chirurgus.

APERTIONEM, — scilicet carceris. Septuaginta et ex his S. Lucas eodem sensu vertunt : « Et cæcis visum. » Nam qui cæco carcere includuntur, in tenebris quasi cæci degunt. Ita Chaldæus, Sanchez et alii. Melius cum Maldonato et Forerio dicas, Septuaginta, utpote linguæ Hebraicæ peritissimos, docte hebraismum explicare, dum pro *clausis apertionem*, vertunt, *cæcis visum*. Hebræi enim *clausos*, scilicet oculis (quomodo Poeta dixit : « Talpæ oculis capti »), vocant cæcos : unde *apertionem* vocant illuminationem et visus restitutionem; alioqui enim *τὸ clausis* non distingueretur a *τὸ captivis*, qui præcesserunt; cæcitas enim, sive ea intrinseca sit, puta in oculis; sive extrinseca, qualis est caligo et tenebræ, ligat quasi et claudit oculos. Ita enim de Ægyptiis in tenebris cæcutientibus et palpantibus ait Sapiens, cap. xvii, 2 : « Vinculis tenebrarum et longæ noctis compe-diti; » et vers. 17 : « Una enim catena tenebrarum erant omnes colligati. » Hinc et Hebræi פקחים *pickuchim*, id est apertos, scilicet oculis, vocant videntes et visu pollentes : quia scilicet ex adverso אסורים *asurim*, id est clausos, vocant cæcos. Unde et Vatablus hic, æque ac Septuaginta, vertit, *cæcis visum*. Forte etiam Septuaginta pro *asurim* legerunt יוּרִים *juverim*, id est cæcis.

Nota : S. Lucas paraphrastice et plenioris explanationis et exaggerationis causa addit : « Et dimittere contractos corde. » Hæc enim verba non sunt in Hebræo, nec apud Septuaginta, sed in præcedentibus subintelliguntur. Nam pro eo quod habemus : *Et mederer contritis corde*, ex Hebræo veritas : *Et mederer contractis* (hoc enim est לְנִשְׁבֵּרֵי *lenisbere*) corde. Contractos ergo corde S. Lucas vocat eos quos paulo ante vocavit contritos, scilicet eos qui carcere ac servitute diaboli ac peccati obstricti, et quasi obtriti erant, quos Christus missos et liberos fecit, tum spiritualiter, tum corporaliter, cum scilicet infirmos et dæmoniacos misere a dæmone agitados et quassatos ac contractos curavit ac liberavit.

Aliter Forerius. Censet enim hæc verba addita textui ex margine, uti in versione Septuaginta multa legimus ex margine textui assuta. Videtur enim hæc fuisse altera ejusdem membri versio.

2. UT PRÆDICAREM ANNUM PLACABILEM DOMINO. — Hebraice שְׁנַת רַצוֹן *scenat ratson*, id est annum divinæ benevolentiae, placationis, propensæ in homines voluntatis et liberalitatis, qualis erat annus jubilæi, in quo omnes servi fiebant liberi, omniaque debita et onera condonabantur. Notat ergo hic annum jubilæum; hic enim typus erat hujus anni Christiani, puta temporis Evangelici, cujus præco fuit Christus. Quocirca ex hoc Isaïæ loco quidam apud Irenæum, lib. I, cap. xxviii, putarunt Christum per unum annum tantum prædicasse, quem errorem ibidem refellit Irenæus. Totum ergo tempus prædicationis Christi, et deinceps totum tempus legis novæ, fidelibus Christo obedientibus, et ejus liberalitatem accep-

tantibus, fuit et est annus jubilæus, id est annus misericordiæ et remissionis, reconciliationis, pacis, salutis, liberalitatis, gaudii ac jubili; in quo post longam Dei in homines iram, restituimur in ejus gratiam, acceptationem (unde Lucas ex Septuaginta vertit, *annum acceptum*, scilicet Deo et hominibus gratissimum ac jucundissimum), benevolentiam, hæreditatem, gloriam, omniaque bona pristina quæ habuimus in paradiso et statu innocentiae. Vide ea quæ de jubilæo dixi *Levit.* cap. xxv. Huc alludit S. Paulus, II *Cor.* vi, 2 : « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. »

Discant hic a Christo principes et Prælati quam eos deceant comitas et miseratio. Vere Seneca in *Octav.* :

Pulchrum eminere est inter illustres viros
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac cælum via.

Et Cicero, orat. *pro Ligario* : « Nec ulla re propius homines ad Deum accedunt, quam salute hominibus danda. » Et Tacitus, lib. XI *Annal.* : « Princeps amorem apud populares, metum apud hostes quærat. » Et Homerus, *Odisea* β de vero principe : « Mitis erat patris instar. » Et Sallustias ad Cæsarem : « Qui benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida et læta fuere omnia, etiam hostes æquiores quam aliis cives. » Et ut Bias, qui talis est : « Timent subditi non illum, sed pro illo. »

ET DIEM ULTIONIS DEO NOSTRO. — Hic annus et tempus Evangelicum Christianis est annus jubilæus, hostibus vero Christi est annus et dies ultionis, quo scilicet Deus ultus est genus humanum de inimicis suis, puta dæmonibus, illos ab hominibus expellendo, eosque de suo imperio et tyrannide deturbando. Ita Cyrillus, Adamus, Forerius et alii. S. Hieronymus vero et Eusebius, lib. IX *Demonstr.* cap. xiii, hæc quoque referunt ad ultionem, quam Deus de Christi hostibus sumpsit per Titum et Romanos. Alludit ad annum libertatis Judæorum e Babylonica captivitate; idem enim annus fuit ultionis Chaldæorum, quo scilicet Babylon et regnum Chaldæorum eversa sunt a Cyro.

Porro hæc ultio cœpta est in hac vita tempore Christi, sed perficietur in die judicii; tunc enim Deus omnes dæmones et reprobos pedibus Christi subjiciet, eosque dejiciet in tartara. Unde ad diem judicii hæc referunt Cyrillus hic et Beda, ac Toletus in *Luce* iv.

Denique pro *diem ultionis* Septuaginta et Lucas vertunt, *diem retributionis*, quo scilicet inimicis retribuet id quod merentur, eorumque injuriæ et clades in ipsorummet caput retorquebit; *retributionis* ergo idem est quod *ultionis*. Quare non recte aliqui *τὸ retributionis* exponunt *compensationis*, qua scilicet Deus hominibus, pro malis quæ passi sunt, in compensationem dedit pacem, li-

bertatem, aliaque legis novæ dona et charismata.

Alludit in Hebræo eleganter נַחַם *nacham*, id est ultio, ad נָחַם *nakam*, id est consolatus est, de quo supra, q. d. Hic annus fidelibus erit *nechama*, id est consolatio; infidelibus vero erit *nekama*, id est ultio.

UT CONSOLARER OMNES LUGENTES. — Hoc præstitit Christus pertransiens benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, dicensque: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » *Matth. XI.*

3. UT PONEREM LUGENTIBUS SION. — Quid? multi codices legunt, *fortitudinem*: sed recte hanc vocem delent Romani, nec enim est in Hebræo, Græco, Chaldæo. Respondeo ergo, « ut ponerem, » scilicet « coronam pro cinere, » etc., ut sequitur; « ponerem » ergo, id est reponerem et rependerem lugentibus, justa et æqua mensura, pro luctu gaudium, pro gemitu laudem.

ET DAREM EIS CORONAM PRO CINERE, OLEUM GAUDII PRO LUCTU, PALLIUM LAUDIS PRO SPIRITU MŒRORIS. — In Hebræo est elegans paronomasia: *Et darem eis* נָתַתִּי לָהֶם *peer pro* נָתַתִּי לָהֶם *epher*, hoc est cidarim pro cinere, q. d. Quam facili transpositione litterarum ex *epher* fit *peer*, tam facile est Deo cinerem in cidarim, luctum in lulum, rictum in risum et gaudium convertere. Solebant Hebræi in luctu cinere caput aspergere; in lætitia, ut in nuptiis, festis, et triumphis, coronas capiti imponere: similiter tunc gaudentes solebant se ungere oleo, ex rebus odoriferis composito, quod proinde vocatur « oleum, » hoc est unguentum, « gaudii. » *Tertio*, promittit « pallium laudis, » id est festivum, decorum et pretiosum (dicitur « laudis, » quia festivis diebus induebatur ad laudandum Deum, eique gratias agendum pro victoria, aliove beneficio adepti), pro « spiritu mœroris, » id est pallio mœroris, sive veste atra et lugubri, qua animi et spiritus mœrorem testabantur. Sic Josepho patriarchæ, pro veste sordida carceris, data est stola byssina, torques aurea, et annulus a Pharaone, *Genes. xli, 42.* Per has tres antitheses idem significat: nimirum commutationem mœroris in gaudium, et abjectionis in gloriam: quam facile quisque in se deprehendet et cernet, si aspiciat qualis quamque spiritu obtenebrato, perturbato et anxio fuerit, cum in peccatis viveret; et qualis sit post conversionem per gratiam Christi, cum jam quasi par Angelis, coram Deo ambulans spirituali lætitia exsultat, spe gaudet, in tribulationibus gratias agit, in pœnitentia suaves consolationis emittit lacrymas; quia pro luctu et lacrymis exspectat lætitiã sempiternam, et stolam immortalitatis ac gloriæ cœlestis, in qua hæc perfectissime complebuntur. Ita Rupertus, Forerius, Sanchez et alii. Aliter Procopius, Hieronymus et Cyrillus; ipsi enim hæc referunt ad luctum Apostolorum de infidelitate Judæorum, qui versus est in gaudium per conversionem Gentium.

Nota: Per *oleum*, id est unguentum, recte si-

gnificantur consolatio et lætitia; quia hæc ita animum afficit, sicut unguentum bene olens et refrigerans corpus. Ita Vatablus.

Rursum, « pallium laudis » potest accipi, q. d. Laus ipsa erit pallium, vel instar pallii cinget, obruet et operiet illos. Ita Vatablus. Sic enim, cap. *LIX*, vers. 17, « pallium zeli » vocatur ipse zelus instar pallii Deum obtegens; et « galea salutis » vocatur ipsa salus, instar galeæ caput ejus circumdans.

Symbolice nota, Christianos olim abstinuisse a coronis, nec eas gestasse: *primo*, quia Gentiles idola coronabant; hinc ne viderentur Gentilium ritum recipere, coronas vitabant; *secundo*, quia in hac vita est tempus cineris, pœnitentiæ et luctus; *tertio*, quia Christus coronatus fuit corona spinea; *quarto*, quia corona in cœlis nobis dabitur post crucem, postque victoriam et triumphum; sic enim Christus « favos post fella gustavit. » Scripsit hac de re Tertullianus librum *De Corona militis*; cum enim milites a Severo Imperatore donativum acciperent, miles Christianus Tribunum accedens, qui donativum singulis ex ordine erogabat, lauream castrensem manu gestabat, quam cæteri in capite. Causam expostulatus, cum Christianum se esse respondisset, et non licere sibi coronatum incedere, russatus suo sanguine in carcerem rapitur: de quo cum variæ essent sententiæ, Tertullianus scripsit hunc librum, quo factum dictumque ejus defendit. Unde cap. *VII*, coronas ab idolis et idololatriis esse inventas, et in usum deductas, ita per exempla commonstrat: Pandoræ caput coronatum fuit a Charitibus; Saturnus ante omnes coronatus, Jupiter post devictos Titanas; Priapo tæniæ, Ariadnæ sertum ex auro et Indicis gemmis adscribitur; Juno vite coronata; Hercules populum capite præfert, oleastrum, aut apium; Apollo, interfecto Delphico dracone, lauream induit; Liber nunc hederatus scribitur, nunc princeps coronæ aureæ in qua ex Indis triumphavit? Isis repertas spicas capite circumtulit. Ac tandem librum concludens: « Serva, ait, Deo rem intaminatam; ille eam coronabit. Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ. Esto et tu fidelis ad mortem; decerta et tu bonum agonem, cujus coronam et Apostolus sibi repositam merito confidit. Accipit et Angelus victoriæ coronam præcedens in candido equo ut vinceret, et alius iridis ambitu ornatur cœlesti. Porro sedent et presbyteri coronati, eodemque auro et ipse Filius hominis micat. Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? illas aspice, illas odorare. Quid caput strophiole aut dracontario damnas diademati destinatum? Nam et reges nos Deo et Patri suo fecit Christus Jesus. »

Tropologice, hæc et sequentia hoc capite et sequent. facile est adaptare animæ peccatrici et pœnitenti, cujus conversionem, gaudia, decus et felicitatem graphice hic depingit Propheta.

ET VOCABUNTUR IN EA (Sion, id est Ecclesia) FOR-

Secundo.

Christiani olim abstinebant a coronis, ob quatuor causas.

Pallium laudis, quod? Primo.

Fortes
justitiae,
qui?

TES JUSTITIAE.— Hoc est potentes et eximii in justitia, praesertim ejus praepositi et principes, puta Apostoli; hi enim suis concionibus ita gloriose et potenter celebrabunt Deum, ut ejus fidem et justitiam toto mundo propagent, in eaque desertas a saeculo civitates Gentium aedificent. Tales fortes justitiae jactitant Gentiles. *Primo*, Aristidem, cognomento justum, qui abhorruit ab omni factione et amicitia, ideo, ne adigeretur ad aliquid faciendum, quod justum non esset; aut cogere abstinere ab eo, quod judicasset reipublicae conducere, ait Plutarchus in *Apophthegm. Graecorum*.

Secundo, Pompeium, qui Phraati Parthorum regi per legatos postulanti, ut Euphratem Romanae ditionis terminum esse vellet, respondit: « Imo illud magis postulandum, ut Romanorum fines a Parthorum regno justitia dirimat. » Ita Plutarchus in *Roman. Apophthegm.*

Tertio, Trajanum Imperatorem qui strictum ens publicè tradidit praefecto Urbis, dicens: « Cape ferrum hoc, et si quidem recte imperium gessero, pro me; sin aliter, contra me hoc utere. » Ita Nicephorus, lib. III *Histor.* cap. XXIII. Verum hi fuerunt umbræ, si cum fidelibus conferantur.

Secundo, Forerius: « Fortes, » inquit, « justitiae » vocantur, quos justitia habet quasi ministros, sicut potentes Davidis vocantur milites validi Davidis, per quos bella conficiebat: nullos enim unquam fortiores duces aut milites habuit justitia, quam Apostolos, qui totum orbem ei subdiderunt.

Pro fortes hebraice est *צדק* ele, quod verti potest, *dii justitiae*. Apostoli enim quasi dii quidam, non tantum daemone imperium everterunt, sed et reges, gentes, totumque orbem sibi et Christi justitiae subjugarunt. Quin et Gentium inveteratos, et injustos impiosque mores in pios et justos converterunt. *Secundo*, Vatablus *ele* vertit, *arbores justitiae*, homines scilicet, qui quasi arbores fructus bonos justitiae producant. Unde Septuaginta vertunt, *generationes justitiae*.

PLANTATIO DOMINI AD GLORIFICANDUM.— Qui prius vocati sunt « fortes justitiae, » hic vocantur « plantatio, » id est plantæ, puta germina vel arbores plantatæ a Domino, ad ejus gloriam ubique celebrandam. Vide dicta cap. LX, vers. 21. Vox *plantatio* notat eos bene radicatos, fundatos et firmatos esse. Alludit ad *Exodi* XV, 17: « Plantabis (eos) in monte haereditatis tuae. » Vide ibi dicta.

4. ET AEDIFICABUNT DESERTA A SAECULO, — *q. d.* Apostoli desertas a multis saeculis et derelictas a Deo Gentium provincias et urbes aedificabunt in cultu et religione Christi. Ita Procopius. Hoc est quod dixit cap. LVIII, vers. 12: « Aedificabuntur in te deserta saeculorum; fundamenta generationis et generationis suscitabis. » Vide ibi dicta.

Anagogice, Apostoli et fideles aedificabunt Jerusalem caelestem, per resurrectionem corporum, quæ in ea inferent; tumque omnes ruinas ex lapsu tum Angelorum, tum primi parentis ortas, restaurabunt. Ita S. Augustinus in *Psalm.* CX et *Psalm.* CXI.

Vers. 5.

5. ET STABUNT ALIENI, ET PASCENT PECORA VESTRA, — *q. d.* Ex Gentibus et alienigenis ad Christum ab Apostolis conversis, eligentur Episcopi et Pastores, qui pascant et excolant Ecclesiam ortam in Sion apud Judæos, ut ex sui origine Judæorum propria dici et vocari possit. Hos ergo ex Gentibus Episcopos vocat pastores, agricolas, vitatores Sionis, sive Judæorum, id est Ecclesiae, cujus primi pastores et fideles fuerunt Judæi. Ita Procopius, Forerius, Vatablus, Adamus et passim alii. Quin et S. Hieronymus qui ait: « Quotus enim quisque Ecclesiarum princeps est e Judæis, et non de alienigenis, atque externarum gentium hominibus? » Hoc est quod Judæis praedixit Christus, *Matth.* XXI, 41, Deum vineam suam a Judæis translaturum, ac traditurum aliis agricolis.

Hic sensus symbolicus videtur et mysticus. Quocirca recte Sanchez ad litteram hæc plane, ut sonant, accipit, *q. d.* Judæi et Gentiles, qui vos, o Apostoli et Christiani! antea duro ministerio premebant in lapideis, arenariis, fodinis metallicis, agricultura, catabulis ad pascendas bestias (uti Marcellus Pontifex ad eas damnatus, pædore contabuit, et extinctus est), aliisque servilibus operibus; hi vobis subjicientur, tumque stabunt quasi ministri vestri, ut præsentent vobis talem operam, qualem a vobis exigebant, ut pascant greges vestros, ut colant agros et vineas vestras. Unde subdit: « Vos vero, o Apostoli! Sacerdotes Domini vocabimini, » qui scilicet Deo jugiter assistatis, agrosque et vineas non per vos, sed per ministros vestros colatis, uti faciebant sacerdotes Aaronici: hi enim a populo alebantur, ut toti vacarent Deo. Idem promittit hic sacerdotibus et pastoribus legis novæ. Unde subdit: « Fortitudinem Gentium comedetis. » Et hoc est quod dixit cap. præcedenti, vers. 7: « Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi. »

6. VOS AUTEM (o Apostoli, inquit S. Hieronymus, Vers. 6. vestrique assecle!) **SACERDOTES DOMINI VOCABIMINI.** — Antonomastice scilicet, quasi hierarchæ et principes sacrorum, ac mediatores inter Deum et populum. Perperam Calvinus « sacerdotes, » inquit, id est prædicatores Evangelii, qui non victimas, sed gentes Deo convertant et offerant. Negat enim ipse in lege nova esse proprie dictum sacerdotium et sacrificium. Hæc est hæresis, de qua vide Cardinalem Bellarminum tract. *De Eucharistiae sacrificio*. Porro proprie dictos sacerdotes hic ab Isaia intelligi et prædici liquet, tum ex ipsa voce *sacerdos*, quæ non prædicatorem; sed sacrificatorem significat; tum ex eo quod subdit vers. 8: « Odio habens rapinam in holocausto. » Ergo sacerdotes hic intelligit eos qui sacrificant holocausta.

Secundo, « sacerdotes, » id est intimi ac familiares, consociique secretorum regis Christi, utpote qui cum eo toto prædicationis ejus tempore versati, ea conspexeritis et audieritis; ac proinde uti

Sacerdos,
id est
princeps.

Vrs. 4.

in Ecclesia, ita et in cœlo proxime ei assistatis quasi administri et primi in regno Christi. Sic enim filii David vocantur sacerdotes, II Reg. viii, 18, id est principes aulæ Davidis; et « primi ad manum regis, » uti exponitur I Paral. xviii, 17. Sic II Reg. xx, 26, cum dixisset: « Sadoc et Abiathar sacerdotes, » subdit: « Ira autem Jairites erat sacerdos David, » per quem scilicet David peculiariter sua sacrificia offerebat, uti nos dicimus: Talis est primus et intimus Sacellanus regis, ejusque confessarius. Vel, ut Chaldæus et Recentiores, *sacerdos*, id est princeps, vel intimus Consiliarius atque Secretarius Davidis.

FORTITUDINEM GENTIUM COMEDETIS. — Chaldæus, *Divitias Gentium comedetis*; hisce enim ad pedes suos oblatis, ad libitum usi sunt Apostoli. Hebræum *חיל* *chel* significat opes, robur, industriam, gloriam, uti dixi cap. lx, 5.

Mystice, S. Hieronymus: « Fortitudo, inquit, Gentium est triumphus Martyrum; » hac enim Martyrum fortitudine mire recreati et pasti sunt Apostoli.

ET IN GLORIA EORUM SUPERBIETIS. — Hoc est, eritis gloriosi, et, ut Septuaginta vertunt, *eritis admirabiles*. Gentes enim suam omnem gloriam vobis consignabunt; itaque gloria eorum erit gloria vestra. Aquila vertit: *In gloria eorum purpura vestiemini*, q. d. Reges eritis, regio ornata illustres. Ita Pontifices triplicem in capite gestant coronam, quæ proinde Romæ vulgo *regnum* vocatur.

7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI ET RUBORE, LAUDABUNT PARTEM SUAM. — Ita hæc nectunt Biblia omnia, etiam Romana. S. Hieronymus, Haymo, Forerius, Vatablus, Adamus et alii passim, sensumque dant, q. d. Licet duplicem, id est magnam et multiplicem, contumeliam, probra, spolia et verbera Apostoli patiantur a Judæis; tamen ipsi sortem eorum, id est suam, sui que ministerii, laudabunt, sibi que gratulabuntur, Deoque gratias agent, quod quasi primogeniti Christi, primitias spiritus ejus et charismatum acceperint, æque ac communionem et societatem crucis; quod nimirum digni sint habiti pro nomine Jesu contumeliam pati. Est enallage Hebraica: mutatur enim secunda persona in tertiam; pro *laudabitis* enim dicitur *laudabunt*, quod frequens est Hebræis. Vide Canon. XVI.

Aliter hæc nectit et dispungit Sanchez, nimirum sic: *In gloria eorum superbietis pro confusione vestra duplici et rubore*. Deinde punctum. *Laudabunt*, scilicet Gentes et peregrini, *partem eorum*, id est suam, quod scilicet in societatem Ecclesiæ et Apostolorum ab eis admissi sint. Hæc dispunctio plana est, sed nova.

PROPTER HOC IN TERRA SUA (in Ecclesia) DUPLICIA (id est maxima et eximia dona Spiritus Sancti) POSSIDEBUNT. — Sic enim *duplex* sæpe significat id quod est magnum et multiplex, uti ostendi Jerem. xvii, 18, et I Timoth. v, 17. Alludit ad Eliæsum, qui ab Elia rabiendo in cœlum petiit:

« Obsecro fiat in me spiritus tuus duplex, » ut quasi filius tuus primogenitus, duplicem spiritus tui portionem accipiam et hæreditatem; idque impetravit. Simili enim modo Apostoli, quasi primogeniti Christi, duplicem, id est eximiam, Spiritus Sancti portionem præ aliis fidelibus, imo præ Patriarchis et Prophetis acceperunt.

Septuaginta vertunt, *secundo possidebunt terram*, quod S. Cyrillus et Procopius sic exponunt, q. d. Sicut Josue primo Hebræis fidelibus divisit terram Chanaan, sic secundo Jesus ejus antitypus, non tantum Chanaan, sed totum terrarum orbem credentibus distribuet.

Anagogice, Beati possidebunt duplicia, id est eximiam gloriam, eamque duplicem, puta tam in corpore quam anima in cœlo. Ita S. Augustinus, serm. 4 *De Innocent.*, Gregorius, lib. XXXV *Moral.* ix, et Haymo: ibi enim « laudabunt partem suam, et lætitia sempiterna erit eis, » ut sequitur.

Huc alluisse videtur Christus, cum Apostolis eorumque asseclis centuplum in hac vita promissit; hæc enim sunt duplicia, id est multiplicia. *Matth.* xix, 29: « Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. »

LÆTITIA SEMPITERNA ERIT EIS. — Apostolorum enim lætitia hic in terra inchoabitur, et perficietur in cœlo, ubi durabit in æternum.

8. QUIA EGO DOMINUS DILIGENS JUDICIUM, ET ODI HABENS RAPINAM IN HOLOCAUSTO. — Per *rapinam* omnem dolum, fraudem, vim, iniquitatem, impietatem, omniaque scelera accipe: hæc enim, æque ac bona per ea parta, displicent Deo, etiamsi in ejus vertantur holocaustum. Taxat avaritiam et impietatem Pharisæorum et Sacerdotum tempore Christi, qui prætextu sacrificii et oblationis Dei, expilabant viduas, orphanos et pauperes, imo jubebant filiis, ut parentes debita alimonia privarent, q. d. Ego hæc præstabo Apostolis meis, quia eos pios et justos elegi, et statui principes Ecclesiæ, pro impiis et sceleratis Pharisæis: eorum enim rapinas, et avara impiaque lucra in oblationibus et holocaustis meis exsecror et detestor; atque, ut ait S. Hieronymus, « illorum justorum, licet pauperum, munera plus diligo, quam munera horum divitum, quæ fiunt de rapina et iniquitate. »

Symbolice, Leo Castrius: Deus, ait, odio habet rapinam in holocaustum, id est raptum Christi innocentis ad crucem.

ET DABO OPUS EORUM IN VERITATE. — Hebraice *אמת* *emeth*, id est veritas, tum veritatem, sinceritatem, fidelitatem; tum firmitatem et constantiam significat; veritas enim firma est, semperque sibi constat. Unde, primo, veritatem Apostolorum opponit rapinæ Pharisæorum, de qua præcessit, q. d. Faciam ut Apostoli non tantum

exterius non dolere, non avare et rapaciter, non hypocritice, ut Pharisei, sed interius sincere operibus vere justis et sanctis, in spiritu et veritate me colant et honorent, ut exteriora eorum opera interioribus, et signa signatis congruant et convenient. Ita S. Hieronymus, Forerius, Vatablus.

Rursum, q. d. Faciam ut Apostoli in opere sint veraces, id est constantes; nec a pio prædicationis incepto ullo hostium aut difficultatum metu, aut terrore desistant. Ita Forerius.

Tertio, q. d. Faciam ut opus, id est fructus, æque ac merces eorum sit vera, id est firma et stabilis, ut scilicet Ecclesia, quam ipsi fundabunt, semper perduret, utque ipsi cum suis quos converterint, æterna mercede et gloria donentur. Ita Sanchez. Quocirca Leo Hebræus vertit: *Reddam opus eorum firmum*; hinc et sequitur: *Feriam eis fœdus sempiternum*, hoc est, fœdus sive testamentum novum, quod Deus cum Apostolis et Ecclesia sanxit: ex quo fit ut nec ejus fides et gratia unquam deficere, nec Deus eam deserere possit.

Vers. 9. 9. ET SCIATUR IN GENTIBUS SEMEN EORUM; — *q. d.* Conspicuum, nobile et illustre erit etiam apud Gentiles semen et germen, id est filii spirituales, Apostolorum, puta fideles ab eis conversi: erunt enim inter Gentes, eisque prælucebunt, quasi luminaria et specula virtutum: videbunt enim eos sobrie et caste vivere, opes et honores contemnere, cœlestia ambire, in tribulatione esse patientes, cum omnibus mites et humiles, martyria constanter obire, spiritu fervere, et zelo Dei agi. Unde admirabundi dicent: «Isti sunt semen, cui benedixit Dominus.» Hi sunt sancti, sanctorum filii, quos Deus sua gratia et beneficentia cumulat: hi sunt Angeli in carne mortali: hi sunt filii Dei, cives sanctorum, æmuli Patriarcharum et Prophetarum. Alludit ad benedictionem Isaac datam Jacobo filio: «Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus,» *Genes. xxvii, 27*; fideles enim sunt filii et hæredes Abrahami, Isaaci et Jacobi.

Vers. 10. 10. GAUDENS GAUDEBO IN DOMINO. — Nota cum S. Hieronymo, S. Cyrillo, Procopio, Ruperto et aliis, ab hoc loco ad finem capituli esse carmen eucharisticum, et quasi chorum Ecclesiæ jubilantis et in Deo exultantis, eo quod ab eo maxima salute, justitia et gratia donata sit, et circumdata undique quasi veste, eaque quasi cyclade regia mire ornata et decorata sit instar sponsæ, quæ sponso regi copulatur. Vide *Canon. XIV.*

Ita Anna mater Samuelis effecta jubilat, dicens: «Exultavit cor meum in Domino,» *I Reg. ii, 1.* Et Virgo Deipara concepto jam Verbo: «Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,» *Luc. i, 47.* Præclare S. Bernardus, serm. *De S. Magdalena*: «Est gaudium, inquit, continua sibi jucunditate firmissimum, quo animus ab hujus mundi aspergine pure pressequè detersus, et in di-

vinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino.»

QUIA INDUIT ME VESTIMENTIS SALUTIS (hoc est, salute quasi veste induit et obtexit me. Unde more rhythmici Hebraici idem repetens et explicans subdit): ET INDUMENTO JUSTITIÆ (id est justitia mihi in justificatione infusa, ejusque actibus et operibus quasi indumentis) CIRCUMDEDIT ME. — *Salus* ergo hæc est justitia, quæ est inchoatio salutis, et via ad salutem æternam. Sic, cap. *LIX, 17*, «pallium zeli» vocatur zelus, quasi pallium Deum vestiens, et hoc cap. vers. 3; «pallium laudis» vocatur ipsa laus plena et abundans. Hic sensus uti simplex et planus, ita genuinus est.

Hinc S. Hieronymus, per salutem et justitiam accipit Salvatorem et Justificatorem nostrum: ipse enim sua salute et justitia nos vestit. Unde huc alludens Apostolus, *Galat. v, 27*, ait: «Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio,» ut idem ait *I Corinth. i, 30.*

Aliter Sanchez: *Salus*, inquit; idem est quod victoria et triumphus, *q. d.* Induit me vestibus triumphalibus aut nuptialibus: aut salus est pax, *q. d.* Induit me veste tranquillitatis et pacis, puta veste, quæ tempore non belli, sed pacis indui solet: sic per *indumenta justitiæ* intelligit ipse ea quæ a justo judice Deo meritis et operibus justitiæ juste redduntur. Unde Septuaginta pro *justitia* vertunt, *jucunditatem et lætitiã*; justitia enim in arcano sermone idem est quod salus. Unde Christus a Malachia, cap. *iv, 2*, vocatur «sol justitiæ,» id est sol salutis, sol maxime salutaris. *Psal. cxxxi, 9*: «Sacerdotes tui induantur justitiam,» hoc est, ut explicat vers. 16: «Sacerdotes ejus induam salutari,» puta salute et salvatore Christo.

QUASI SPONSUM DECORATUM CORONA, ET QUASI SPONSAM ORNATAM MONILIBUS SUIS. — Comparat hic Ecclesia se suaque decora et ornamenta ornamentis sponsi et sponsæ in nuptiis. *Primo*, quia utriusque ornamenta a Deo accepit, nimirum et sponsæ pulchritudinem, et sponsi prudentiam ac fortitudinem. Hac de causa comparatur non tantum soli et lunæ, sed et castrorum aciei, *Cant. cap. vi, vers. 9*: «Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?» Nimirum luna notat Ecclesiæ pulchritudinem, sol intelligentiam et prudentiam, acies fortitudinem.

Secundo, quia Ecclesia est sponsa respectu Christi; eadem est sponsus, respectu novarum Ecclesiarum Gentilitiarum, quas sibi copulavit, imo in Christo generavit.

Tertio, S. Hieronymus et Haymo: Sponsi, inquit, sunt viriles in Ecclesia et perfecti; sponsæ, debiles et imperfecti. Huc accedit Cyrillus qui censet sanctos dici sponso ob robur et con-

Ecclesia est sponsa et sponsus, qua ratione?

stantiam; sponsas ob fecunditatem, pulchritudinem, gloriam, quæ hic inchoantur, et perficiuntur in cælo. Unde

Quarto, vox sponsus denotat Apostolos et Prælatos Ecclesiæ. Sic enim Episcopi in sua consecratione donantur annulo, quasi sponsi, qui despondent sibi Ecclesiam hanc illamve; sponsa vocantur cæteri fideles et plebs cætusque Christianorum: hæc enim quasi parit fideles; illi quasi sponsi eosdem procreant et generant, tum verbo Dei, tum Baptismo et Sacramentis. Quocirca sponsi hi in Hebræo vocantur sacerdotes: sacerdotium enim, in Ecclesia, est summa dignitas et pulchritudo. Sic enim habent Hebræa: *Tanquam sponsum יְהוָה יִעָהֵן* *iecahen*, id est *sacerdotavit* (sacerdotem fecit) *me mitra*. Ita Septuaginta, Vatablus et Pagninus. Accedit et Aquila, qui vertit: *Quasi sponsus ἱερατευόμενος στέφανος*, id est *sacerdotii portans coronam*. Et Chaldæus vertens: *Sicut sponsus qui prosperatur in thalamo suo, et sicut sacerdos magnus qui ornatur vestimentis suis*. Olim enim in lege veteri Sacerdotes et Pontifices erant sponsi et conjugati, ut significarent Apostolos et Episcopos legis novæ fore sponso spirituales, id est Sacerdotes et Pastores Ecclesiæ. Porro alludit ad vestes et ornatum Pontificis, qui mirus erat, uti et apud Christianos est, ut patet *Exodi xxviii, Levit. cap. viii*. Quæ mystice adaptata animæ sanctæ, mirum ejus decorem repræsentant.

Denique Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* cap. xi, et S. Augustinus, epist. 120 *ad Honoratum*, Rupertus et Origenes in cap. xxvi *Genes.*, putant hoc carmen et hæc verba esse Christi, gratias agentis Patri, quod se summis gratis et ornamenti quasi sponsum et sponsam, et quasi summum Sacerdotem ac Pontificem exornarit. Christi enim vox fuit vers. 4 et deinceps. Dices: Quomodo ergo hæc verba competunt Ecclesiæ? Respondent iidem Ecclesiæ quoque hæc convenire, quia Christus et Ecclesia unum sunt, unumque corpus politicum et mysticum constituunt. Unde S. Augustinus in *Psal. xxx*: « Loquitur, ait, in Christo Ecclesia, et in Ecclesia Christus; corpus enim in capite, et caput in corpore. » Vide *Canon. XL*. Illa enim sacerdotii corona sive mitra proprie tam Christo quam Apostolis et eorum vicariis competit. Participative vero et metaphoricè omnibus fidelibus: illi enim sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, offerentes Deo victimas labiorum, puta laudes ac preces; ac manuum, puta sanctas operationes et virtutes: ac cordis, puta internam devotionem, religionem et amorem.

Vis exemplum? Illustre est quod in *Vita S. Stephani* primi Hungarorum regis legimus, scilicet utramque coronam, tam regni quam beatitudinis et gloriæ cælestis, antequam nasceretur, a Deo ei decretam, et parentibus ejus revelatam fuisse

ac promissam. Matri enim ejus gravidæ apparuit S. Stephanus Protomartyr, dicens: « Confide, mulier, in Domino, et certa esto te filium parituram, cui primo hujus gentis et regnum et corona debetur. Tu vero illi nomen impones meum. » Mater ergo pariens filium vocavit eum Stephanum, id est coronam (hæc enim græce vocatur *στέφανος*), qui primus creatus Hungarorum rex, gentem totam ad Christifidem convertit. Quocirca Pontifex ei misit coronam quasi regi, et crucem quasi Apostolo, eamque quasi apostolatus insigne illi præferri mandavit. Multa ergo a suis perpessus, adeo ut quatuor Palatini in ejus necem conjurarint, et triennio continuis morbis afflicto et consumptus, tandem regnum animamque suam reginæ cæli commendans, spiritum in ejus manus exhalavit, anno Domini 1034, ipso festo Assumptionis ejusdem: hoc enim ipse optaverat et precatus erat. Ab ea ergo pro corona regni terrestris, virtutum merito, coronam gloriæ et cælestis accepit; ideoque multis post mortem miraculis claruit, ac manus ejus dextera, qua largissimas dare solebat eleemosynas; multis deinde annis illæsa et incorrupta permansit. Ita habet ejus *Vita*, ab Episcopo Chartuitio conscripta ad Colomannum, qui fuit octavus Hungariæ rex.

11. SICUT ENIM TERRA PROFERT, etc., SIC DOMINUS GERMINABIT JUSTITIAM ET LAUDEM. — *Tò germinat* significat copiam et abundantiam. Sicut enim in vere germina terram in hieme squalentem, nudam et aridam, undique operiunt et vestiunt: ita et Deus Gentes antea desertas et nudas, per Christum vestivit omni gratia et virtutibus: quæ hic vocantur *justitia et laus*; quia eos laude dignos et celebres inter Gentiles efficiebant. Hi enim mirabantur suorum concivium per fidem Christi morum mutationem, puta sobrietatem, castitatem, modestiam, patientiam, charitatem, devotionem, etc. In voce *hortus* alludit ad Paradisum terrestrem: hic enim erat hortus Dei vernans jugiter omni fronde, flore et fructu; ex quo per Adæ peccatum expulsi sumus, sed reducti per Christum, imo ipsimet effecti paradisi. Nam v. g. SS. Andreas, Thomas, Philippus, erant una stirps vel arbor paradisi, qui translata in Achaiam, Indiam, Phrygiam, etc., se proseminavit totamque regionem paradisi virtutum hortumque Dei effecit, germinante, id est gratiæ succum et vigorem dante, ac fecundante Deo. Ita Forerius.

Rursum in voce *laus* est metonymia, aut metalepsis: ponitur enim *laus* pro virtute quæ parit laudem. Quomodo ait Poeta: « Sunt et sua præmia laudi, » id est virtuti laudabili.

Denique addit, « coram universis gentibus: » *Laus unum* quia laus dicta est *ἀπο τῶν λαῶν*, quo proprie laus *de dicta* sit gentium, puta populi, de aliquo recte et honorifice loquentis.

CAPUT SEXAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub typo Synagogæ Babylone liberatæ, et redeuntis in Jerusalem, describit redemptionem et salvationem Ecclesiæ. Unde primo, dicit se a precibus non cessaturum, donec ejus salus et salvator Christus adveniat, per quem ipsa fiet corona gloriæ, et diadema regni in manu Dei. Secundo, vers. 4, prædicit eam a Domino nomine novo vocandam, scilicet Voluntas mea in ea; quodque erit ei plena pax, et gaudebit super eam Deus. Tertio, vers. 8, jurat Deus, quod non tradet eam amplius hostibus diripiendam: ac vers. 10, jubet ut omnibus ad eam adventantibus viam præparent, et signum elevent. Denique, vers. 11: Dicite, ait, filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit, et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino (1).

1. Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. 2. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum: et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. 3. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. 4. Non vocaberis ultra Derelicta: et terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te: et terra tua inhabitabitur. 5. Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. 6. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, 7. et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra. 8. Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ: Si dederò triticum tuum ultra cibum inimicis tuis: et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti. 9. Quia qui congregant illud comedent, et laudabunt Dominum: et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. 10. Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos. 11. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo. 12. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis: Quæsitæ civitas, et non Derelicta.

Vers. 1.

1. PROPTER SION NON TACEBO. — Sion et Jerusalem vocat Ecclesiam Christi in Sione ortam, uti sæpius dixi, q. d. Ne quis miretur me identidem repetere, et quasi non aliud ingeminare et canere, quam Sionis salutem: Ecce palam dico et profiteor, Sionis, utpote summe a me dilectæ, salutem ita mihi in votis esse, ut ab hoc voto meo enuntiando, et identidem repetendo apud Deum et homines non sim cessaturus quoad vivam, donec videam ipsum justum, puta Christum justificato-

rem et salvatorem, nasci et oriri instar solis orientis et splendentis; et si eo usque non vivam, uti revera non vivam, non cessabo clamare per hæc scripta mea, perque me ipsum in limbo patrum. Notent hoc Christiani, quibus tam jucundus et jugi gratiarum actione celebrandus debet esse adventus Christi et salus, quam fuit Isaïæ optabilis et in votis. Nota: Tò splendor significat omne tempus ante Christum fuisse nocturnum et tenebrosus, Christique adventum ita in mundo fore lu-

(1) Propheta patriæ et civitatis amicus, inquit Forensis, sed multo magis illius civitatis quam terrena Jerusalem designabat, scilicet Ecclesiæ, cujus laudes et gloriam non semel cecinerat, veritus ne forsitan quisquam eum prolixitatis damnaret, et quod in eodem argumento diutius hæreret, vitio daret, non solum non desistendum sibi putavit, ut etiam sciens vidensque inceptum persequeretur, vers. 1.

Nam ad Ecclesiam amplificandam et illustrandam, PRIMO, faciet Christi præsentia ut fax splendens gentibus

manifestata, 1, 2; et Dei prædilectio Ecclesiæ gloriosa, vers. 3, 4.

SECUNDO, multum conferet, primo, fidelium mutua charitas, amoris divino correspondens, 5; secundo, Angelorum et pastorum custodia et admonitio, 6, 7.

TERCIO, juvabit, primo, tuta ab hostibus salus et gratiarum abundantia, 8, 9; secundo, præparatus omnibus accessus per divulgatum undique Evangelium, 10, 11; tertio, præmium et gloria inde in Ecclesiam redundantia, vers. 11-12.

cidum et lætum, ac est solis orientis post longas noctis tenebras.

Christus lampas, id est fax, or. ET SALVATOR EJUS UT LAMPAS ACCENDATUR, — ut scilicet Christus quasi lampas lucens et ardens orbi præfulgeat. Idem dicit aliis verbis. Hebræum **לפיד** *lappid*, id est lampas, etiam tædam ac facem significat : hocque aptius est; Christus enim potius fuit fax orbem illuminans, quam lampas, cujus lumen exiguum exiguo loco clauditur.

Vers. 2. 2. ET VIDEBUNT GENTES JUSTUM TUUM. — « Et, » id est *quia, q. d.* Non tacebo, sed assidue orabo, ut justus Messias adveniat; quia certus sum eum venturum, et Gentes eum visurum. Orabo ergo ut cito veniat, utque adventus ejus acceleretur.

ET VOCABITUR TIBI NOMEN NOVUM, — *q. d.* Hactenus vocata es Sion; id est specula futuræ felicitatis, sub Christo; et Jerusalem, id est visio pacis futuræ in Ecclesia: at jam per Christum dabo tibi nomen novum et illustre. Quæres, quodnam sit hoc nomen? Respondent *primo*, S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Lyranus hic, Nazianzenus et S. Chrysostomus, apud Leonem Castrium esse hoc: « Ecclesia Christi, » aut ut S. Hieronymus et Eusebius, lib. II *Demonstr.* cap. XLIX: « Christiani et cœtus Christianorum; » cum olim populus Dei vocaretur Israel. Rursum Procopius: Promittitur, ait, Ecclesiæ, mutato nomine, eam futuram esse coronam gloriosam. Cum ergo Christiani nominis appellatione, veluti corona redimiti simus, coronam hanc opus est fulgentibus margaritis, et ardentibus velut pyropis splendere. Unde S. Chrysostomus: « Nemo profecto, ait, Gentilis esset, si ipse, ut oportet, Christiani esse curaremus; nemo ita esset fera bellua, ut non statim ad cultum veræ religionis accurreret, si quod nomine Christiano præferimus, re ipsa et vita præstaremus. » Nota hoc, Christiane, et si secus faxis, pudeat te nominis tui, imo notius vitæ tuæ.

Secundo, S. Thomas et Cyrillus, lib. *De Fide ad Theodos.* prope medium, censent hoc nomen novum esse nomen « Jesu, » impositum Christo Domino in circumcisione. Verum hic agitur de nomine novo Ecclesiæ, non Christi; nisi dicas hoc quoque Ecclesiæ esse nomen, ut a suo capite denominetur et vocetur « Ecclesia Jesu. »

Tertio et genuine, hoc nomen novum est: « Voluntas mea (Dei) in ea. » Hoc enim exprimit Propheta, vers. 4.

Vers. 3. 3. ET ERIS CORONA GLORIÆ IN MANU DOMINI. — *Primo*, Forerius. Est, inquit, hebraismus: « in manu Domini, » id est in Domino, nimirum in Domini capite: aut quam ipse manu sua capiti suo imponet; corona enim capiti, non manui imponitur. *Secundo*, S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius sic exponunt: « In manu Domini, » quam scilicet Dominus manu sua imponet capiti Christi; sicut enim filii parentum, subditi principum sunt corona et gloria: ita fideles et Ecclesia sunt corona Christi triumphatoris. Simili sensu

dicitur *Proverb.* cap. XVII: « Corona senum filii eorum; et gloria filiorum patres eorum. » Audi S. Hieronymus: « Erit quasi corona decoris in manu Domini, quando eam coronaverit turba credentium; et diadema imperii, quod Martyres gemmarum suarum varietate distinxerint, fuerit in manu Dei, ut filium suum eorum coronet victoriis. Unde et Paulus loquebatur ad sanctos: Gaudium et corona mea. » *Tertio*, Sanchez censet

« coronam » et « diadema » posse vocari quodvis ornamentum; unde hic sumi pro annulis aut armillis, in quibus notari solent nomina eorum aut effigies quos amamus, ut semper occurrent oculis: ut idem hic dicat quod dixit cap. XLIX, 16: « In manibus meis descripsi te. » *Quarto*: « Eris corona gloriæ, » *q. d.* Deus tibi, utpote sponsæ suæ, erit instar coronæ, tuum caput teque totam cingens et ornans, et tu vicissim quasi sponsa eris Deo, instar coronæ eum decorans et ornans. Nam nihil aliud est esse coronam gloriæ in manu Domini, quam esse sponsam quam Dominus sibi, apprehensa manu, sociaverit; nam uxor est gloria viri, et vir uxoris. Unde subdit vers. 5, quod Deus gaudebit super eam, sicut sponsus gaudet super sponsam.

ET DIADEMA REGNI IN MANU DEI TUI, — *q. d.* In Dei scuto quod manu tenet, depicta est Jerusalem, pro regis, puta Dei, insignibus et quasi trophæis cum hac inscriptione: « Rex Hierosolymorum. » Merito enim « diadema regni » vocatur ea civitas, a qua cognomen sortitur rex, cum primum coronatur. Ita S. Hieronymus Prado in cap. XVI *Ezech.* vers. 14, pag. 190. Verum corona hæc, æque ac diadema, est regni: regalis ergo potius est, quam nuptialis.

Dico ergo, sensus planus et genuinus est hic: O Sion, o Ecclesia! « eris corona gloriæ, » id est inclyta et gloriosa, ac « diadema speciei, » id est speciosum et illustre, « in manu Dei, » id est apud Deum, vel a Deo, quia Deus manu sua faciet et evehet te ad coronam regni, id est ad regnum coronatum, gloriosum et magnificentum, imo faciet te regnum suum sibi que proprium, ut regni tui corona sit corona regni et regis Dei. Per Apostolos enim, perque Ecclesiam Deus totum orbem, quasi regnum suum spirituale, fidei et gratiæ, occupavit et possedit. Quanta est illorum hominum gloria, ex quibus regni sui coronam conficit Deus! corona ergo Martyrum est corona Dei; corona Apostolorum, Virginum, Doctorum, etc., est corona Dei: hisce coronatur, imo coronat se Deus. Alludit in sensu allegorico ad id, quod Deus per Mosen dixit Hebræis, dans legem et iniens cum eis fœdus, *Exodi* XIX, 6: « Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, » id est in regnum et sacerdotium, sive eritis mihi reges et sacerdotes. Idem enim et potius, hic per Isaiam dicit de Ecclesia et Christianis, scilicet id quod iisdem ait S. Petrus, *epist.* I, cap. II, 9: « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. »

Corona
Sancto-
rum suarum
corona
Dei.

Nomen
novum
Ecclesiæ,
quod?

Vers. 3.
Ecclesia
est corona
gloriæ
Dei.
Primo.

Secundo.

In manu
Dei quid?

Porro *in manu Dei* multa significat, primo hoc regnum spectare ad manum, id est ad jus et partem Dei, hoc est esse divinum, non humanum, imo esse ipsum Dei regnum; secundo, regnum hoc Deo in pretio esse, et in deliciis; utpote rem gloriosam et speciosam quam manu tenet, et semper oculis suis objicit, illaque eos pascit, ut capiti suo, si velit, quasi coronam regiam imponere possit; tertio, regnum hoc esse opus manus Dei, atque Ecclesiam non per seipsam, sed per manum robustam Dei, evectam esse in regnum, ab eaque in illo conservari; quarto, hoc regnum esse securum, foreque perpetuum; est enim in manu, id est tutela et protectione Dei, inquit S. Thomas, Adamus et Sanchez. Unde sequitur: « Non vocaberis ultra Derelicta; » et: « Super muros tuos constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. »

Jam hoc regnum Ecclesiae inchoatur in hac vita per gratiam et virtutes, praesertim heroicam charitatem et fortitudinem, qua Sancti dominantur, primo, irae, gulae, superbiae omnibusque vitiis et concupiscentiis; secundo, morbis, persecutionibus, tormentis, morti, martyrio; tertio, opibus, honoribus et creaturis omnibus quae in mundo sunt; quarto, Paganis, infidelibus, haereticis omnibusque improbis, quos sua doctrina aut vitae sanctitate convertunt, aut confundunt. Sic enim Apostoli et viri Apostolici regnum Christi propagarunt per totum orbem, cum eum fidei Christi subdiderunt. Perficietur vero hoc regnum in caelesti gloria; ibi enim erit Ecclesia, sive coetus Beatorum corona gloriae in manu Dei, hoc est, Deus dabit Beatis coronam et gloriam regni et principatus caelestis; dabit eis coronas regales et sacerdotales. Hebraeum enim *תְּנִיפָה* *tseniph*, id est diadema, significat cidarim et tiam, tam Pontificis quam regis. Hoc est quod Beati in caelo aiunt Christo, *Apocal. cap. v, 10*: « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram; » dominabimur enim toti mundo, quasi reges; et triumphabimus, quasi victores; et offeremus Deo juge thymiana laudis, quasi sacerdotes.

Hoc est ergo regnum sacerdotale, hoc diadema, haec corona Sanctorum, pro qua nobis fortiter ad mortem usque certandum est. O si vidissemus coronas haece caelestes, quam resistere-mus concupiscentiis et peccatis! Quam eas ambiremus! quot labores, quot agones pro iis exantlaremus! has jugiter habuerunt praec oculis Martyres, omnesque Sancti, earumque intuitu omniumque poenarum et tormentorum genera superaverunt, imo riserunt.

In Martyrologio Romano 15 maii, celebris exstat memoria S. Stephanae sive Coronae, et Victoris, Martyrum in Syria, sub Antonino Imperatore. Dum enim Victor a Sebastiano iudice variis et horrendis afficeretur cruciatibus, Corona uxor

ejusdem militis, cum cepisset eum beatum praedicare ob martyrii constantiam, vidit duas coronas de caelo lapsas, unam Victori et alteram sibi missam; cumque hoc audientibus cunctis testaretur, diceretque iudici: « Ego vocor Stephana, cui corona in caelis reposita est, » Victor decollatus est; ipsa vero incurvatis violenter duarum erectarum arborum cacuminibus alligata, dimissis arboribus fissa et discissa, coronam caelestem quam viderat adepta est, cum sedecim esset annorum. Hinc et Martyrum coronae, nominatae in Martyrologio, ut 13 januarii ita in eo legimus: « Romae, via Lavicana coronae sanctorum Militum quadraginta, quas sub Galieno Imperatore pro confessione verae fidei percipere meruerunt. »

Valerianus sponsus S. Caeciliae, jam baptizatus domum rediens, invenit S. Caeciliam orantem in cubiculo, et Angelum Domini stantem prope eam, fulgentem pennis flammeis, et scintillanti specie, duas coronas habentem in manibus, rosis et liliis splendentes. Quarum unam dedit S. Caeciliae, alteram Valeriano, dicens: « Has coronas corde immaculato et puro corpore custodite; eas enim ex paradiso Dei ad vos attuli. » Quare Valerianus virginitatem cum Caecilia servans, operibus sanctis se dedens, tam virginibus coronam, quam martyrii lauream adipisci meruit.

Ita et Christus S. Catharinae Senensi duas coronas obtulit: unam spineam, alteram gemmeam, ut, si spineam in hac vita eligeret, in altera pro ea reciperet gemmeam: quocirca ipsa mox arripuit spineam, capitique fortiter impressit.

Quadraginta milites sub Licinio Imperatore Sebaste in Armenia ab Agricola praefecto in stagnum gelidum coniecti sunt. Mox vidit eorum custos angelos e caelo descendentes, qui triginta novem coronas militibus distribuerent. Mirabatur ubi esset corona quadagesimi; et mox vidit eum animo deficientem e stagno exiliisse: quare ipse se in ejus locum substituens in stagnum insiliit, ejusque coronam obtinuit. Ita S. Basilius, *hom. 20*.

Narrat Eusebius, lib. VI *Histor. cap. iv et v*, S. Potamienam, illustrem virginem et martyrem, cum a Basilide satellite ad martyrium duceretur, et ab eo a petulantia populi defenderetur, promisisse se post mortem ei peculiarem gratiam a Deo pro mercede impetraturam. Ergo tertio post martyrium die, noctu ei assistens, coronam capiti Basilidis imposuit, dixitque se pro eo gratiam a Domino postulasse, postulata obtinuisse, et Dominum post breve tempus eum ad suam gloriam recepturum. Quare Basilides christianum se professus, et baptizatus, postero die securi percussus praecelara martyrii corona donatus est. Dies ejus natalis Martyrologio adscriptus habetur 28 junii.

Merito ergo S. Agapetus Martyr, qui puer 15 annorum furori Aureliani se quasi adamantem objecit, anno Christi 275, atque virgis, nervis

Corona
caelo
Sanctis
ostensa.

S. Caeciliae.

S. Catharinae Senensi.

Quadraginta Martyribus.

S. Potamienae et Basilidis.

S. Agapeto.

igne, fumo, aqua bulliente, aliisque gravissimis tormentis excruciatum et dilaceratum, cum in caput ejus congererentur carbones ardentem, gratias agens Deo dicebat: « Parva res est, si caput coronandum in cœlo comburatur in terra; quam decorabit corona gloriæ, plagas et vulnera excepta pro Christo! » Ita habet ejus *Vita* 18 augusti.

4. SED VOCABERIS VOLUNTAS MEA IN EA. — « Vocaberis, » id est eris, ut jure ita vocari possis: hoc est ergo nomen novum quod Ecclesiæ promisit vers. 2, scilicet hebraice חפני כרי *cheptsiba*, id est *voluntas mea in ea*; *voluntas*, id est beneplacitum, complacentia, delectatio et deliciæ meæ, q. d. Hæc est Ecclesia mea, sponsa mea, dilecta mea, in qua complacuit animæ meæ, ut sequitur, cum ante Christianismum vocaretur, et esset a me derelicta. Sic Samson poposcit a parentibus uxorem Thamnatheam: « Quia, inquit, placuit oculis meis, » *Judic.* xiv, 3.

Hæc est bona voluntas Dei erga homines, de qua Christo nato cecinerunt Angeli: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, » quibus scilicet Deus suam bonam voluntatem, id est suam benevolentiam, pium affectum et amorem, ostendere decrevit. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Forerius, Adamus, Vatablus et Sanchez.

Secundo, Haymo et Hugo sic exponunt: « Vocaberis Voluntas mea; » quia semper obediens voluntati meæ, eamque prompte exequeris. Hic sensus sequitur ex primo. Ideo enim Deus sibi complacet in Ecclesia, quia ipsa conformat se in omnibus voluntati Dei, oratque jugiter: « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. » Et vicissim ideo Ecclesia facit voluntatem Dei; quia Deus sibi in ea complacet, eam diligit, eique gratiam copiosam aspirat ad adimplendam legem et voluntatem Dei. Hoc est quod in novo fœdere Ecclesiæ promittit Deus, *Jerem.* xxxi, 33: « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. »

ET TERRA TUA (vocabitur, non Desolata, uti vocabatur ante Christianismum, sed) INHABITATA — et frequens numero fidelium, puta Christianorum, hebraice est בעולא *beula*, quod Vatablus et Pagninus vertunt, *maritata*, quam scilicet Deus sibi maritavit. Verum sponsa maritatur, non terra. Ergo *beula* proprie veritas, *occupata et possessa*, ut vertit Aquila. בעל *baal* enim significat rem aliquam tenere et possidere, sive ut maritus uxorem, sive ut herus servum suum, sive ut dominus terram, aliamve rem suam.

5. HABITABIT ENIM JUVENIS CUM VIRGINE. — *Prohabitabit* hebraice est יבאל *iibal*, id est *maritabit*, ducet, desponsabit, q. d. Terra tua erit habitata et frequens, quia poteris plena pace, in qua solent juvenes cum virginibus contrahere connubia, qui alias tempore belli seliguntur et ducun-

tur ad castra, nec nuptias cogitant, sed prælia.

Secundo et melius, Chaldæus et Septuaginta subaudiunt more Hebræo voculam *sicut*, ex quibus sic veritas et explices, q. d. Sicut habitat jucundissime juvenis cum virgine sua sponsa: ita pacifice et jucundissime in uno spiritu vivent fideles quivis, licet natura et moribus dissimiles, in Ecclesia.

Tertio, Lyranus et Glossa sic exponunt, q. d. Habitat jucundissime et sanctissime juvenis Joseph cum conjugē sua Virgine Maria Deipara. Hic sensus est accommodatitius.

ET HABITABUNT IN TE (hebraice יבאלוך *iibaluch*, quod verti potest, *maritabunt te*, vel *maritabuntur tibi*) FILII TUI. — Hoc est quod ait Psaltes: « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. » Ex filiis enim Ecclesiæ constituti sunt præfecti et Episcopi Ecclesiæ, quasi mariti; Episcopi enim sponsam Ecclesiam sibi maritant.

ET GAUDEBIT SPONSUS SUPER SPONSAM, ET GAUDEBIT SUPER TE DEUS TUUS. — Hoc est, ut ex Septuaginta, Chaldæo et S. Hieronymo, sicut lætatur sponsus super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus, et tibi maritatus magnas et clarissimas proles ex te procreabit, scilicet magnam vim et copiam SS. Martyrum, Confessorum, Virginum, etc. Ita ex S. Cyrillo Castris.

Nota cum Forerio: Deus, qui felicissimus est et immensa Majestas, suas voluptates, gaudia et delicias in homine collocat; homines enim sibi desponsat, in illis sibi complacet, illis gaudet et fruitur, uti sponsus sponsa: quare indignum est, si homo, relicto Deo, alias in creaturis quærat delicias et amasias.

6. SUPER MUROS TUOS, JERUSALEM, CONSTITUI CUSTODES (tum Prædicatores, Prophetas, Pastores et Prælatos, ut S. Cyrillus, S. Thomas et S. Hieronymus, tum SS. Angelos, qui) TOTA DIE ET TOTA NOCTE NON TACEBUNT, — id est nunquam cessabunt vigilare, teque monere, ut hostium, putæ dæmonum, insidias, et concupiscentiarum illecebras caveas. De Angelis hoc accipiunt S. Hieronymus, Hugo et S. Bernardus, serm. 4 *De Dedicat. Ecclesiæ*. Angeli enim sunt custodes Ecclesiæ et fidelium, qui eos a periculis tuentur, docent, monent, et jugiter ad piam vitam laudesque divinas excitant (1).

Nota: Tacere significat *quiescere*, per catachresin; quæ enim quiescunt tacent.

QUI REMINISCIMINI DOMINI. — Hebraice מזכירם *mazkirim*, id est commemorantes Dominum, seu

(1) Juxta Samuelem Burder et Lowthium, Propheta hic alludit ad excubias quas nocte ac die Levitæ in templo agebant. Tavernier, in *Itinerum relations*, notat in Oriente morem esse ut excubitores in ædificiorum fastigio collocentur, qui tenentur per noctem alta voce horam indicare, ut certum sit illos accurate munia sua adimplere. Ista consuetudo, ut omnes norunt, in multis Occidentis regionibus, præsertim in Germaniæ urbibus, usu recepta est.

Tacere
pro quiescere.

quorum officium est jugiter Deum Deique beneficia, tam sibi quam populo proponere, et in memoriam revocare, puta Pastores et Prophetæ, quos paulo ante vocavit custodes. Sic olim reges Hebræorum, Persarum aliarumque gentium habebant suos *maskirim*, id est admonitores, qui singula gesta et gerenda regi in mentem revocarent, quos noster Interpres vocare solet, « qui regi sunt a Commentariis. » Dicit ergo : Vos, o Pastores! ne taceatis, id est ne cessetis a vigilia, ab exhortatione apud populum, et oratione apud Deum.

7. ET NE DETIS SILENTIUM EI, — scilicet Deo; hebræum enim *לֹא לו*, est masculinum, unde Deum respicit non Jerusalem, *q. d.* Non detis quietem Deo, jugiter ad eum clamate, jugiter precibus vestris aures ejus pulsate; uti ego Isaias jugiter clamo, ideoque vers. 1 dixi : « Propter Sion non tacebo; » vult enim Deus sibi per preces afferri vim, et, ut ait S. Chrysostomus : « Vult nos rogando accipere, quod ipse impertiri desiderat. » Ita S. Hieronymus. « Qui custodiunt, inquit, muros Ecclesiæ, ne adversarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens circuit, et quærit quomodo possit intrare, occasionem accipiat ad gregem Domini devorandum, nec diebus debent nec noctibus tacere, nec in lætis nec in tristibus, sed semper Domini clementiam exorare; » et mox : « O vos qui recordamini Domini, ejusque clementiam die ac nocte precibus fatigatis, cavete ne unquam in ore vestro sileat oratio, ne detis silentium ei (subauditur Domino), sed semper molesti sitis opportune, importune. »

DONEC STABILIAT, ET DONEC PONAT JERUSALEM LAUDEM IN TERRA. — Hoc est donec mittat Messiam, qui in Jerusalem erigat et stabiliat Ecclesiam, eamque ubique propaget, ut toti orbi sit in laudem et gaudium, ut ab omnibus gentibus laudetur et celebretur.

Monet ergo hic Isaias Prophetas et Pastores populi, qui post se futuri sunt, ut jugiter orent Deum, ut cito Messiam mittat, qui Sionem restituat, Ecclesiamque instituat et illustret. Id fecisse Jeremiam, Danielelem, Ezechielem aliosque Prophetas liquet ex eorum oraculis. Unde censent Doctores eos suis precibus meruisse accelerationem adventus Messie, et incarnationis Christi, ut dixi *Daniel. ix, 23*, ubi ad preces et desideria Danielis, dicuntur « abbreviatæ septuaginta hebdomades, ut finem accipiat peccatum, et ungatur Sanctus sanctorum, » puta Christus.

8. JURAVIT DOMINUS IN DEXTERA SUA, ET IN BRACHIO, — hoc est per dexteram et brachium suum. Hebræum enim *בְּיָמַי*, id est *in*, est jurantis, significatque *per*. In dextera notatur fides (hæc enim datur dando dexteram) et fidelitas Dei : in brachio, fortitudo et omnipotentia. Per hæc ergo duo jurat Dominus, promittitque Ecclesiæ securitatem et felicitatem. Unde sequitur :

SI DEDERO TRITICUM TUUM ULTRA CIBUM INIMICIS TUIS. — Si est vox juramenti execratorii, in qua

supplendum est, *q. d.* Si permisero te ab hostibus spoliari, non habear fidelis vel omnipotens. Alludit ad pacem Hierosolymæ post reditum ex Babylone, vel potius post Madianitas a Gedeone profligatos, *Judic. vii*. Madianitæ enim segetes Judæorum expilabant, *Judic. vi, 3*. Ita S. Hieronymus. Sed de ea loqui non intendit. Constat enim hanc pacem non fuisse perpetuam, nec diuturnam : nam non diu post a Philistinis, Idumæis, Syris vexata, et tandem a Romanis excisa est Jerusalem. Ergo loquitur de pace et abundantia rerum in Ecclesia, eamque significat per triticum et vinum, *q. d.* Ante Christum, o Judæi, o Gentiles! vestros labores, studia et opera, utpote vanitatis, concupiscentiæ et idololatriæ, rapiebant dæmones : at efficiam ut Christus ab eorum potestate vos liberet, utque bonis vestris, id est operibus et virtutibus vestris, non dæmones, sed vos ipsi fruamini in atriis Ecclesiæ, tum terrestris, tum potius cælestis, « ut quicumque in lacrymis seminaverint, in gaudio metant; et qui messuerint, abjectisque paleis purum frumentum in horrea congregaverint, ipsi comedant labores manuum suarum, et Dominum æterna laude sustollant, et bibant vinum in atriis sanctis ejus, » ait S. Hieronymus. Hoc est quod canit Zacharias : « Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, ut de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris, » *Luc. i, 69*.

Symbolice, in vocibus *triticum et vinum*, alludit Propheta ad Eucharistiam; hujus enim species et symbola sunt panis et vinum; hæc enim non desinent in Ecclesia usque ad Antichristum, qui Eucharistiæ sacrificium tollet, ne fiat publice : nam privatim illud tollere non poterit. Hinc enim dicitur Eucharistia, quasi gratiarum actio, et laus Dei in qua omnes gentes laudant Deum. Rursum, panis et vinum Eucharistiæ anagogice significant frumentum et vinum Beatorum; hæc enim in cælo erunt nova, delicatissima et firmissima. Hoc est quod ait Christus in ultima cena : « Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei; » et : « Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, » *Lucæ xxii, 16 et 18*. Ita S. Hieronymus. Denique, cum ait : « Bibent in atriis sanctis meis, » alludit ad decimas et hostias pacificas, quas Judæi Deo offerebant in gratiarum actionem pro frugibus, aliisque beneficiis a Deo acceptis. Hæc enim post oblationem comedebant gaudentes et laudantes Deum in atrio templi, ut patet *Deuteron. xiv, 23*.

In cælo ergo comedemus et bibemus panem novum et vinum novum, præsertim quod hic in torculari mortificationis expresserimus; unde *Psal. lxxxiii* : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine! » inseribitur : *Pro torcularibus*, inquit Sanchez.

10. TRANSITE PER PORTAS. — Adhortatur primos Sionidas, id est Apostolos, ut Sione et Jerusalem per portas celeriter et strenue exeuntes, præparent

vias venturis undique gentibus ad Sionem, id est Ecclesiam. Ait eis ergo : Planum facite iter, facite ut viæ sint faciles et amœnæ, quæ ad ambulandum per eas advenas provocent et alliciant.

ELIGITE (id est ut Septuaginta, *Seligite et projicite*) **LAPIDES**, — hoc est, amovete omnia viæ impedimenta, et quidquid pedes venientium offendere possit. Alii vertunt : *Sternite viam lapidibus*. Hebræum enim לִּפְנֵי הַדָּבָר *sakal* aliquando significat lapides removere, aliquando lapidibus sternere.

ELEVATE SIGNUM AD POPULOS, — scilicet vexillum crucis, ad quod omnes fideles, quasi milites Christi, confluant. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Forerius et alii.

11. ECCE DOMINUS AUDITUM FECIT IN EXTREMIS TERRÆ, — *q. d.* Ecce Dominus clanget tuba Evangelii per Apostolos, eaque insonabit toto orbe, ut omnes gentes ad suum crucis vexillum convocet. Porro clangor hic est qui sequitur :

DICITE FILIÆ SION : ECCE SALVATOR TUUS VENIT. — Jubet Deus Apostolos clangere toto orbe se edixisse : « Dicite » vos, o custodes Sionis, de quibus vers. 6 : « Filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit! » ut per gentes excitentur, ut ad Sionem, id est Ecclesiam, accedant, cum ei soli advenerit Salvator, *q. d.* Prædicate ubique, o Apostoli! Sioni dictum esse, quod promissus ei Messias jam venerit. Dicite : Ecce Messias adest; ecce iste est quem digito demonstravit Joannes Baptista, dicens : « Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi. » Ad eum ergo properate, omnes gentes, ut Messie et salutis ab eo allatæ fiat participes : « Eia, venite, et ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et ambulabimus in semitis ejus. »

Citat hunc locum, æque ac *Zachar. cap. ix, 9*; *S. Matthæus cap. xxi, 5*, dicens : « Dicite filiæ Sion (hæc enim verba sunt Isaie, non Zachariæ) : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. »

Secundo et aptius Forerius hæc refert ad victoriam et triumphum Christi. Prævidens enim Propheta, quod, postquam Apostoli exissent e Sion, parassent viam, prædicassent Christum Salvatorem in extremis terræ; plurimi hanc eorum vocem suscepturi essent, Christoque se subdituri, exultans subjungit : « Dicite filiæ Sion, » hoc est, annuntiate Ecclesiæ primæ, in Sione et Judæa degenti, ut congratuletur sibi et Christo : « Ecce Salvator tuus venit, » *q. d.* Ecce Christus venit, non in carnem, sed jam devictis gentibus, quasi triumphator, adducens ad te, o Ecclesia! magnam captivorum, id est subditorum, multitudinem: sicut cum Jacob ex Mesopotamia rediret, rediit cum magna gregum, filiorum et familiæ turba, *q. d.* Christus abiit in regionem longinquam, difficile bellum initurus : ecce jam redit victor, secum adducit laboris sui mercedem et præmium, scilicet gentes omnes quas adducit, quæ omnes sunt populus ejus sanctus, et ab eo redempti, qui te, o Ecclesia! laudibus celebrent, ut posthac dicaris civitas ab omnibus gentibus requisita et exoptata.

Hic sensus optime cohæret cum cap. sequenti, quod alioqui difficile est cum hoc capite connectere.

Porro apposite citat Matthæus, cap. xxi, 5, hæc verba : « Dicite filiæ Sion, » cum Christus quasi Messias triumphans ingressus est Jerusalem : quia tunc ipse hanc victoriam et triumphum inchoavit; certus enim de victoria sua futura per mortem et crucem, ante eam triumphare cœpit : unde turbæ ei acclamantes Hosanna, erant typus et quasi primitiæ turbarum e Gentibus ei subdendarum, quas ad Ecclesiam cum triumpho erat adducturus.

ECCE MERCES EJUS CUM EO, ET OPUS EJUS CORAM ILLO. — *Primo*, « merces, » id est fructus adventus et laboris Christi, quem eo sibi meruit, non tardabit, sed est « coram eo, » id est accelerabit, estque in promptu, et quasi in manu ejus, ut scilicet ipse mundum possideat. Hæc est enim merces ei promissa *Psalm. ii* : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » Ita Forerius.

Secundo, *q. d.* Christus in promptu habet mercedem et præmium, quod det sibi credentibus et obedientibus, tum in hac vita, præmia scilicet gratiarum; tum in futura præmia scilicet gloriæ. Ita S. Hieronymus, Haymo et alii.

Tertio, *q. d.* Christus Salvator et Redemptor noster secum adfert mercedem, id est lytrum et pretium redemptionis, libertatis et salutis nostræ, scilicet sanguinem suum et vitam, quam vix conceptus statim offert Patri : statim ergo procurabit et peraget opus redemptionis et salutis nostræ, ita a se desideratum. Ita Sanchez. Hic sensus apte cohæret præcedentibus; dixit enim : « Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit, » *q. d.* Age, Sion, accelera; Salvatorem tuum suscipe : præsto enim in manu ejus est salus et redemptio tua; et sequentibus, cum subdit : « Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino, » scilicet per hanc Christi mercedem et lytrum.

Quarto et optime, juxta expositionem posteriorem, paragrapho præcedenti datam, merces Christi bellatoris, sunt Gentes ab eo devictæ et subactæ, quas quasi in triumphum adducit in Ecclesiam, ut ibi dixi.

ET OPUS EJUS CORAM ILLO. — *Primo*, Vatablus; « opus, » id est præmium operis. Idem enim est, « opus ejus coram illo, » quod « merces ejus cum eo. » *Secundo*, H. Pintus : Opus Christi, inquit, ac Dei est misericordia : hanc ergo ob oculos et in manu semper habet. *Tertio*, alii per opus accipiunt retributionem operum, tam bonorum quam malorum : hanc enim in oculis et manu sua habet Christus, ut in die judicii justo libramine singulis reddat præmium, vel pœnam, juxta opera sua. *Quarto*, Adamus et Sanchez : Opus Christi, inquit, est redemptio nostra; hæc semper est cum illo : quia hanc semper spectat, huic totus intendit, hanc omnibus viribus et nervis procurat; hoc enim est proprium et adæquatum opus Redemptoris. Vide cap. xl,

Quintuplex opus Christi.

vers. 10. *Quinto* et optime, opus Christi sunt gentes bello partæ et subactæ, ut dixi superius.

vers. 12. **12. ET VOCABUNT EOS, POPULUS SANCTUS.** — «Eos,» scilicet populos, ad signum, ut præcessit, id est vexillum crucis Christi, in Jerusalem, id est Ecclesiam, confluentes, Christique militiæ nomen dantes, qui sunt merces et opus Christi, *q. d.* Omnes gentes, videntes pietatem et sanctimoniam Christianorum, dicent: Hi sunt Populus sanctus, hi sunt redempti a Domino, hi sunt « semen cui benedixit Dominus,» uti dixit capite præcedenti,

vers. 9, ideoque eorum vitam sanctam ambientes, requirent eorum societatem, optabuntque Ecclesiæ ascribi: ac proinde Ecclesia vocabitur, id est erit, et jure vocari poterit: « Quæsita civitas, et non, Derelicta. » Sic Roma, caput Ecclesiæ, est civitas quæsita, ad quam multi ex omnibus gentibus, pietatis et religionis causa, confluunt. Alludit ad *Psalm. CVI*, vers. 2: « Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos. »

CAPUT SEXAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christi victoris, et de gentibus sibi subactis triumphantis, speciem videt et describit Propheta. Unde rogatus Christus cur rubrum sit vestimentum ejus, respondet: Calcavi hostes in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Secundo, vers. 7, ait Propheta se jugiter recordaturum misericordiarum Domini, quas Israeli, hoc est fidei populo, olim per Moysen aliosque contulit: mox queritur eundem jam ob peccata a Deo derelictum: Ubi est, inquit, qui eduxit eos de mari? Unde tertio, vers. 15, rogat ut zelum hunc et miserationes populi sui resumat: Tu enim; ait, es pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Miserere ergo filiorum tuorum, id est, populi tui, ab hostibus afflicti et oppressi (1).

1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. 2. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? 3. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. 4. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. 5. Circumspexi, et non erat auxiliator: quæsivi, et non fuit qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. 6. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem honorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. 8. Et dixit: Verumtamen populus meus est, filii non negantes: et factus est eis Salvator. 9. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et Angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione

(1) In quatuor capitibus quibus Isaïæ prophetiæ absolvuntur, exponitur divini consilii ratio in utroque opere tum Synagogæ repudiandæ, tum Ecclesiæ eligendæ, de quibus separatim actum est a cap. LV ad cap. LXII.

Jusserat Deus in præced. cap. nuntiare Sioni quod adveniret Salvator ejus:

PRIMO, Propheta in isto capite, primo, eum appropinquantem civitati inducit et de hostibus triumphantem, vers. 1-3; secundo, narrat ordinem rei, et designat tempus, apparatus et fructus victoriæ, 4-6; tertio, celebrat indulgentem et liberalem Dei beneficentiam, 7-9; quarto, perstringit tum recentem, tum antiquam populi Israeliæfici contra Deum ingratitude, 10-14.

SECUNDO, prævidens Judæos adveniente redemptore

pejus habituros et in peccatis permansuros, orationem ad Deum fundit, quæ durat usque ad finem cap. seq.; cujus analysim hujus rei causa hic anneximus, ut clarius constet series, cujus maxima habenda est ratio in propheticis orationibus.

PRIMO igitur, implorat Dei misericordiam, propositis motivis ex parte Dei, populi et hostium, desumptis, 15-19; SECUNDO, provocat ejusdem vindicem contra inimicos potentiam, cap. LXIV, 1-3;

TERTIO, laudat magnificam Dei benevolentiam erga fideles, 4, 5;

QUARTO, subdit confessionem culpæ, deprecationem veniæ, querulam expositionem pœnæ, et postulationem indulgentiæ, 6-12.

sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi. 10. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt spiritum sancti ejus : et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos. 11. Et recordatus est dierum sæculi Moysi, et populi sui : Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui? 12. Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum : 13. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. 14. Quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor ejus fuit : sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. 15. Attende de cælo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ : ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? super me continuerunt se. 16. Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos : tu, Domine pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum. 17. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. 18. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. 19. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

1. **QUIS EST ISTE, QUI VENIT DE EDOM?** — Queritur, quis hic loquatur et interroget? Respondeo ad litteram vel loqui Isaiam, ut vult Sanchez; vel potius Sionem et Hierosolymam, id est primitivæ Ecclesiæ cives. Pendent enim hæc a cap. præced. vers. 11, ubi Christus victor rediens cum ingenti turba gentium, fidei suæ per Apostolos subactarum, jubet dici Sioni : « Dicite, ait, Sion : Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. » Jam ergo Propheta Christum Sioni civitati appropinquantem, cum sua gentium turba, et triumphantem (per schema quasi in scenam) inducit. Cives itaque Sionis effusi, ut Christi sui triumphum spectent, videntesque tantam ejus gloriam et gentium turbam, admirabundi rogant : « Quis est iste, qui venit de Edom? » Quis est ille triumphator, qui Idumæos, omnesque gentes post se, ad Sionem captivas, sed sponte et volentes, trahit? non quod Christum non cognoscant, sed quod mirentur ejus gloriam, præsertim in Gentium vocatione et fide. Hoc enim mysterium ignorabant etiam Apostoli, putantes solos Judæos vocandos ad Ecclesiam, uti soli vocati fuerunt a Mose ad Synagogam, donec Petrus, cælesti visione edoctus *Actor. x*, intellexit gentes quoque Christi Ecclesiæ et salutis participes fore. Ita Forerius.

Allegorice, vel potius anagogice, communiter Patres hunc locum accipiunt de triumpho Christi ascendentis in cælum, ut hic sit quasi dialogus Angelorum interrogantium, et Christi respondentis, cur ita triumphans de victis Satana, morte, idololatria et peccato ascendat? Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo et S. Dionysius, cap. vii *Cælest. Hierarch.*; Justinus, *Contra Tryphon.*, S. Augustinus, serm. 5 *De Ascensione*; Ambrosius, lib. *De Institut. virg.* cap. v; Origenes, homil. 14 *in Matth.* Imo S. Dionysius putat hanc esse vocem et interrogationem Angelorum inferiorum cu-

piantium de tam miro Christi triumpho et ascensu edoceri a supremis.

Huc referri potest expositio S. Athanasii, lib. *De Salutari Christi adventu*, qui putat hæc verba esse diaboli, a Christo victi et pudefacti, quasi ipse stupens ad tantam Christi gloriam, indignansque roget et dicat : « Quis est iste, qui venit de Edom? » id est de terra, et fæce hominum miserorum et peccatorum, incedens et ascendens cum tanta potentia et robore? Quare, quod aliqui, ut Hugo, ad litteram hæc accipiunt de Idumæorum et Moabitarum contra Judæos pugnantium strage, et Dei vindicta, frigidum et Judæicum videtur.

DE EDOM. — Per *Edom et Bosra*, quæ civitas erat in Edom, et alia eodem nomine in Moab, significantur omnes gentes a populo Dei alienæ, imo ejus hostes. Sicut enim Idumæi et Moabitæ fuerunt perpetui hostes Judæorum, sive populi Dei : sic gentes fuerunt hostes Dei, Christi et Christianorum. Vide *Canon. XXII*. Alludit ad etymon Edom et Bosra : *Edom* enim hebraice significat rufum, *Bosra* munitionem, tribulationem, vindictam. Munitæ autem fuerunt gentes; et rubræ ac cruentæ tum sanguine Christianorum, tum proprio, cum cæsæ et subactæ fuerunt a Christo, de quo vers. 3.

Edom et Bosra quid?

Hinc Patres, per *Edom et Bosra*, intelligunt mundum, ac præsertim Judæam incredulam, e qua victor in cælum ascendit Christus. Hæc enim cruenta fuit sanguine Christi, Prophetarum et Martyrum. Ita S. Hieronymus, S. Thomas, Lyranus, Vatablus, Adamus et alii.

Sionidæ ergo, et mystice Angeli, videntes Christum, quasi fortissimum bellatorem, edita tantam hostium strage, eorum sanguine vestes suas cruentasse, et quasi fœdasse; admirabundi et lætabundi rogant quis sit ille, qui quasi miles acerrime pugnans, cruentatus sanguine hostium

Triumphus Christi ascendentis in cælum.

magis quam suo, formosus tamen et gradiens in multitudine fortitudinis suæ, ascendat in Sion et in cœlum; quasi dicant, ait S. Hieronymus: « Unde carnem tuam niveam et virgineam, o Christe, o Agne immaculate! cruentasti! unde sanguine rubricasti? magis enim tibi clementia convenit, quam crudelitas; magis candor, quam cruor. »

Hinc veteres docent idem hic ab Isaia dici quod dicitur a Psalte *Psalm. xxiii, 9*: « Attollite portas, principes, vestras: » quod explicans S. Augustinus, serm. 178 *De Tempore*, qui est quintus *De Ascensione Domini*: « Ascendebat enim, inquit, cruoris rubore perfusus, a trophæis victricibus laureatus. Viderunt cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata: et admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes: Quis est, inquiunt, iste rex gloriæ? et aiunt: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. » At quis hic? Audi Augustinum prosequentem: « Hic est ille candidus et roseus, compunctus a multitudine. Hic est ille, qui non habuit speciem neque decorem. Infirmus in laqueo, fortis in spolio; vilis in corpuseculo, armatus in prælio; fœdus in morte, pulcher in resurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cœlo. »

TINCTIS VESTIBUS (hebraice *rubricatus vestibus*, scilicet ex sanguine hostili; Septuaginta, ἐρυθρὰ ἱμάτια, id est *habens ruborem vestium*; S. Hieronymus vertit, *fulvis vestibus*) DE BOSRA. — Idem rogant aliis verbis. Idem enim est, venire de Edom, quod venire de Bosra: Bosra enim erat metropolis Idumææ, eratque in rupe, ideoque munita; unde a munitione dicta est Bosra. Significat et *vindemiam*; huc alludit hic Propheta, *q. d.* Venis de Bosra, id est de vindemia et torculari; habes enim vestes rubro musto, id est sanguine, tinctas. Ex *Bosra*, per metathesin, dicta est *Byrsa*, arx munita Carthaginis: Carthaginenses enim fuerunt orti a Tyriis et Phœnicibus: unde et eorum linguam, puta Syriacam, sive Hebraicam, in multis retinuerunt. Pro *Byrsa* Romani dixerunt *Burgus*: unde dicti sunt Burgundiones, eo quod in burgis, id est in arcibus, et locis contra hostium incursus munitis, habitarent.

ISTE FORMOSUS IN STOLA SUA (hebraice *הדר הדור* *hadur*, id est decorus in veste sua, puta in militari chlamyde, aut potius paludamento regio), GRADIENS IN MULTITUDINE FORTITUDINIS SUÆ. — Hoc est incedens gradu imperatorio, valido, potenti et magnifico, ipsoque gressu, habitu, forma et gestu præ se ferens vires validas, spiritus ingentes, animosque heroicos. Quomodo Agesilaus rex Lacedæmon, videns Epaminondam ducem Thebanorum cum sua acie generose incedentem, exclamavit: « O virum magnificum! » ait Plutarchus in *Epaminonda*.

EGO, QUI LOQUOR JUSTITIAM, ET PROPUGNATOR SUM AD SALVANDUM. — Est vox Christi, qui interrogatus

quis sit? respondet: Ego Christus sum, qui loquor justitiam, et sum propugnator meorum fidelium. Interrogant ergo illi: Quis est iste revertens e prælio, qui tantam præ se fert majestatem, tantam animositatem? Respondet Christus: Ego sum Messias, qui justitiam et salutem quam promisi, propugnando et expugnando comparavi.

Jam *primo*, Forerius et Sanchez « justitiam » accipiunt pro veritate et fidelitate, *q. d.* Ego sum qui, id quod loquor et promitto, fideliter præsto, nempe quod miserorum sim propugnator et salvator. Hoc enim promisi per Isaia, cap. xix, vers. 20, dicens: « Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos, » et alibi sæpe.

Secundo, alii « justitiam » sumunt pro justificatione, *q. d.* Ego sum qui loquor et doceo modum quo homines a peccatis expiari, justificari et salvari possint.

Tertio et genuine, « justitia » hic proprie sumitur, opponiturque misericordiæ et salvationi. Hæc enim duo, scilicet misericordia et iudicium, sæpe sacra Scriptura conjungit, tribuitque ea Deo et regibus. Regum enim est, *primo*, tueri justitiam et justos, ac punire iniquos, qui eos vexant et turbant; *secundo*, esse clementes et misereri, ac succurrere miseris et afflictis. Talem se hic profitetur Christus, *q. d.* Ego sum qui justam sententiam profero pro genere humano; a diabolo tyranno, et a peccatis ac morte afflicto et oppresso, eamque exequor, diabolum hac sua tyrannide deturbando, hominesque potenter ab ea liberando. Quocirca sum eis propugnator ad salutem. Ita Adamus, Forerius et alii. Justitiam enim hic capi pro justa sententia et vindicta patet ex vers. 3, ubi ait se hostes calcasse in ira et furore suo. Et ex *Apocal. xix, 11*, ubi huc alludendo Christus vocatur « Fidelis, et Verax, » qui « cum justitia judicat et pugnat. » Idem patet ex interrogatione præcedenti. Rogarant enim: Quis est iste, qui venit de Edom, terra hostili, formosus, gradiens in multitudine virtutis suæ? Hisce apte respondet se esse justum hostium vindicem, et fortem populi sui propugnatorem ac salvatorem. Unde S. Dionysius loco citato putat Christum hic annuntiasse modum et rationem suæ incarnationis Angelis supremi ordinis, et hos deinde annuntiasse eandem inferioribus.

PROPUGNATOR. — Hebraice *רב* *rab*, id est multus, inde magnus, puta princeps et propugnator ad salvandum.

2. QUARE ERGO RUBRUM EST INDUMENTUM TUUM? — Vers. 2. Duo interrogaverant Sionidæ: *primum*, Quis es? *secundum*, Cur es tinctis et cruentis vestibus? Priori respondit Christus, se esse regem justitiæ, et propugnatorem populi. Posteriori non respondit, ut rursus quærendi et urgendi, pleniusque respondendi daret ansam. Urgent ergo, dicuntque: Si es justus et salvator, quare ergo rubricatas et sanguine tinctas habes vestes? Salvatorem enim ma-

Ex Bos-
ja Byr-
saet Bur-
gus, un-
de Bur-
gundio-
nes.

gis candida, utpote innocentiae et misericordiae, aequae ac gloriae index, quam rubra et sanguinea decet vestis.

• Ex hoc loco Fredericus Nausea, in Catechismo, cap. xxxvi, censet Christum in veste rubra et purpurea (qualis est Pontificis et Cardinalium), ascendisse in caelum. Favet S. Joannes *Apocal.* cap. xix, vers. 13: « Vestitus, inquit, erat veste aspersa sanguine, » nimirum ut sua veste repraesentaret illustrem et cruentam victoriam suo sanguine partam. Alii ex adverso censent Christum stola candida ascendisse. Hic enim color et vestis decet Beatos: unde in transfiguratione Christi vestimenta facta sunt candida ut nix. Et Beati a Joanne visi sunt vestiti stolis albis, *Apocal.* vii, 5, et bysino candido, *Apocal.* xix, 14. Verum quia Christus coram Apostolis gloriae suae splendorem abscondit, ut cum iis familiariter agere, colloqui, videri et tangi posset; hinc crediderim eum in veste communi, simili ei qua in vita uti solebat, iis apparuisse, ut idem videretur esse qui resurrexerat; non alius; ac in eadem ascendisse; ita tamen, ut ascendendo radios gloriae suae in eam transfunderet, eamque radiantem ex claritate partim candidante, partim purpurascente efficeret. Dos enim claritatis in Martyribus (quorum caput fuit Christus) erit purpurea, in virginibus candida, in doctoribus viridis, ait Dominicus Soto in IV, dist. xlix, in fine.

ET VESTIMENTA TUA SICUT CALCANTIUM IN TORCULARI? — Quasi dicant: Cur vestes tuae sunt rubrae, ac si in Bosra calcasses uvae in torculari, et earum liquore aspersisses et tinxisses eas?

3. TORCULAR CALCAVI SOLUS. — Septuaginta vertunt, *plenus sum percalcato*, id est humore rubeo expresso per calcationem torcularis. Respondet Christus, *q. d.* Recte dixistis me esse eo habitu ac si calcassem et pressissem torcular: ego enim pressi, calcavique in eo, non uvae, sed hostes meos omnes validissime; ego, inquam, solus: qui mirum ergo, si omnia mea vestimenta ex tanta tamque continua sanguinis expressione, eodem sint aspersa? Sensus est, *q. d.* Ego victoriam hanc difficilem et cruentam solus mihi peperit, solus hostes calcavi: neque enim fuit vir, id est aliquis, me adjuvans, mecumque contra hostes depugnans. Ita S. Hieronymus et Chrysostomus in *Psal.* xliv. Et patet ex seqq.

Nota: « Torcular » in Scriptura proverbialiter significat vehementem oppressionem, cladem, stragem: qui enim illum subeunt, perinde sunt ac uvae, quae premuntur in torculari. Sic *Thren.* i, 15, dicitur: « Torcular calcavit Dominus virgini filiae Sion, » hoc est, gravi supplicio pressit et afflixit Hierosolymam. Vide ibi dicta.

ET ASPERSUS EST SANGUIS EORUM SUPER VESTIMENTA MEA. — Nota poeticam catachresin: non enim loquitur hic Propheta proprie et directe de sanguine, quem fudit Christus in torculari crucis, quoque cruentavit suum corpus; sed de sanguine

hostium Christi, diaboli scilicet et sociorum, putagentium idololatrarum et impiarum. Agit enim de victoria Christi: non quod diabolus vere sanguinem habeat, quem fuderit Christus; aut quod gentes transfixerit aut occiderit; sed quia in victoria hominum multus solet fundi sanguis. Ad eam enim alludit, praesertim quia carnales Judaei, quibus haec scribit Isaias, talem Messiam expectabant, et etiamnum expectant, scilicet, qui instar Davidis potens sit et bellicosus, multoque hostium sanguine regnum suum paret et propaget. Est ergo catachresis: nam, ut ait S. Hieronymus, per sanguinis fusionem et aspersionem vestium, non aliud significat quam plenam victoriam, et plenae victoriae signa, quibus ipse fiat Rex regum, et Dominus dominantium. Huc enim alludit S. Joannes, *Apocal.* xix, 13, dicens: « Et vestitus erat veste aspersa sanguine; et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et habebat in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium. » Nota: Pro *aspersus est sanguis*, hebraice est, *aspersa est*, *כִּנְשָׁם* *nitscham*, id est excellentia eorum, id est sanguis eorum, uti vertunt Septuaginta, Vatablus et alii: in sanguine enim consistit vita, ac consequenter excellentia hominis.

Hinc secundo, Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. xl; Cyrillus et Rupertus hic, S. Cyprianus, lib. II, *epist.* 3; Origenes, tract. IX in *Joan.*; S. Augustinus, homil. 178 *De Tempore*, per torcular accipiunt passionem Christi, qua sanguis ejus aspersus est super vestem, id est super carnem ejus: quasi idem hic dicatur, quod de Christo dicitur, *Genes.* xlix, 11: « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum. » Hic sensus non est directus, sed indirectus, sicque recte huic loco adaptari potest, *q. d.* Passio fuit torcular Christo, quo ejus sanguis expressus fuit; itaque fuit torcular, quo daemones a Christo pressi sunt et calcati. Christus enim suo sanguine peperit victoriam, fuditque sanguinem hostium, suaque morte hostes occidit; quocirca vulnerum suorum cicatrices, quasi trophaea, Christus triumphans caelo intulit, eaque in aeternum servabit. Ita Procopius. Unde S. Gregorius, homil. 13 in *Ezech.*, sic explicat: « Torcular calcavit solus; quia solus torcular in quo calcatus est calcavit, quia sua potentia eam quam pertulit passionem vicit, et ex morte cum gloria surrexit. » Et hoc vult S. Joannes, cum ait *Apocal.* xix: « Et vestitus erat veste aspersa sanguine. » Vestis enim haec Christi est ejus humanitas a Judaeis cruentata, quam caelo intulit; ubi etiamnum vulnerum cicatricibus remanentibus est rubicunda, *q. d.* Christus ascendens secum detulit notas et memoriam sanguinis cui et suorum impie ab impiis effusi, cujus nunc ultionem expetit, eaque se ad ultionem acuit et accendit, *q. d.* Dabunt mihi poenas effusi sanguinis qui me cruentarunt, tingar eorum cruore a quibus vulneratus sum, faciam ut totus madeam sanguine hostium qui me laeserunt.

Torcular fuit passio Christi, cur?

Torcular est acris pressura.

Vers. 4. 4. **DIES ENIM ULTIONIS** (quam concepi, destinavi et designavi) IN CORDE MEO. — Repete per zeugma « venit. » Idem enim est dies vel annus ultionis hostium, et « redemptionis » (ita enim legendum est cum Romanis, Hebræis, et Septuaginta non *retributionis*) civium, puta annus et dies quo Christus morte sua nos redemit. Vide *Can. XVI*. Hoc est quod ait Christus *Joan. XII, 31* : « Nunc iudicium est mundi; nunc princeps hujus mundi eicietur foras; » et *Osee XIII, 14* : « Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne. »

Vers. 5. 5. **QUÆSIVI**. — Hebraice **שׁוֹמֵר עֵצְמוֹ** *estomem*, id est obstupui, scilicet ad tantam vim hostium, inquit Vatablus, et ad bellum adeo difficile, quod passione et morte tam acerba mihi conficiendum erat. Unde, ut Septuaginta vertunt, *consideravi ac respexi*, num quis mihi auxilium ferret. Forerius vertit, *devovi meipsum*.

SALVAVIT MIHI (hoc est salvavit me, vel salutem mihi fuit et victoriæ in hoc ultionis bello) **BRACHIUM MEUM**. — Est hebraismus. Hebræi enim verbum **יָשָׁע** *iasca*, id est salvavit, construant cum **יָד** *lamed* dativi.

ET INDIGNATIO MEA IPSA AUXILIATA EST MIHI. — Hæc sunt duo arma Dei, quibus omnia vincit, scilicet brachium, id est potentia; et indignatio, id est zelus, acuens et stimulans potentiam, ut in opus, puta bellum et victoriam, sese exserat. Vide dicta cap. *LIX*, vers. 16, ubi panopliam Dei descripsit.

Vers. 6. 6. **CONCULCAVI POPULOS**, — non eos mactando et perdendo, sed convertendo et subigendo, sive vitia eorum mactando, homines vero salvando. Major enim victoria Christi fuit, gentes impias ad Christi fidem adducere, dæmonum vim et peccata interimere, concupiscentias mortificare, virtutes inserere, facereque ut diis suis desertis, et carnis illecebris abdicatis, Christum dura, ut humilitatem, abstinentiam, continentiam, patientiam, mortificationem, imperantem sequerentur, quam si ducto exercitu omnes trucidasset. Ita Forerius. Vide dicta *Ezech. XX, 36*, et *Canon. XLVI*.

Secundo, S. Cyrillus, Procopius, Rupertus, hæc intelligunt de Christi hostibus, puta Judæis, quos Christus calcavit per Titum et Romanos, aliisque quos vel in hac vita calcavit et protrivit, vel in die iudicii calcabit et proteret. Vide *Canon. X*. Et sic videtur explicare S. Joannes *Apocal. XIX, 13*. Hoc sensu Christus apposite dicitur aspersisse vestem suam sanguine, quia eodem aspersit vestem ducum suorum, puta Titi et Romanorum.

INEBRIAVI EOS IN INDIGNATIONE MEA, — hoc est supplicio meo, quod mea indignatio eis propinavit et inflixit. Est metonymia: ponitur enim causa pro effectu, et indignatio pro supplicio.

Vers. 7. 7. **MISERATIONUM DOMINI RECORDABOR**, — *q. d.* Beneficia misero Judæorum populo, olim a Deo misericordialiter collata, commemorabo. Est hic versus sequentis orationis et cantici titulus et exordium. Hactenus Propheta triumphum Christi, gentesque ab eo subactas, quasi in theatro spectan-

das proposuit: nunc in spiritu prævidens Judæos plerosque veniente Christo, eum non recepturos, ideoque a Christi gratia ac salute excludendos, orationem ad Deum fundit, quæ durat usque ad finem capituli sequentis: in qua primum misericordias et beneficia, ab olim Judæis a Deo collata recenset, videlicet quod eos Deus ex omnibus gentibus, sibi in populum et Ecclesiam selegerit; quod per Mosen ex *Ægypto* eduxerit, et per Josue induxerit in terram Chanaan, etc.

Deinde inducit Judæos conquerentes, quod captivitatem Assyriacam, Babylonicam, Romanam, aliasque ærumnas sint perpassi, ideoque optent adventum Messiae. *Tertio*, Messiam exoptatum advenisse narrat; sed ex eo nihilo melius, imo pejus habuisse Judæos ingemiscit. Tandem quasi Deus Judæos reprobasset, magno doloris sensu orationem concludit, dicens: « Sion deserta est; facta est in exustionem ignis, etc. (Numquid super his continebis te, Domine? tacebis, et affliges nos vehementer?) » Cui respondet Dominus, cap. *LXV*: Hæc est series totius orationis Prophetæ, quæ miram ei lucem affert, et sine qua difficile est eam connectere et explicare. Ita Forerius.

8. **ET DIXIT: VERUMTAMEN (utique, certe) POPULUS MEUS EST, FILII NON NEGANTES**, — supple, erunt: Hebraice, *fili qui non mentientur, vel non fallent fidem mihi datam*, *Exod. XXIV, 8*. Loquitur Deus humano more: præsciebat enim quid reipsa facturi essent Judæi; sed more hominum prudenter ex re præsentis iudicat de futuro, licet secus et aliter, sed per accidens, ob malitiam Judæorum, eventuro. Prudenter enim sperat et iudicat Judæos patrum fidem et mores secuturos, fidemque quam Deo solemniter in Sina dederunt, servaturos: licet illi sponte sua eam postea violarent. Unde ex hac spe sua « factus est eis salvator, » salvans et educens eos ex tyrannide Pharaonis et *Ægyptiorum* per Mosen, deducensque eos illæsos et intactos per desertum.

9. **IN OMNI TRIBULATIONE EORUM NON EST TRIBULATUS**, — non est coarctatus, aut in angustias redactus Deus: sed eos ad tempus deseruit, ut cogeret ad se redire, seque invocare, tumque statim eos facile et levi manu liberavit, cum misit « Angelum faciei suæ, » id est Angelum jugiter sibi præsentem et assistentem. Fuit enim hic Angelus Michael, qui vel primus, vel unus e primis Angelis est, ideoque unus e septem primariis Angelis, qui coram Domino, ejusque throno stare dicuntur, *Apoc. IV, 5*, et *Tobiæ XII, 15*. Rursum vocatur hic Angelus faciei, qui scilicet faciem et præsentiam Dei referebat, et quasi vicarius loco Dei Hebræis aderat, eratque quasi facies Dei, ut quasi ductor ex Dei nutu præiret eorum castra, et ostenderet quo loco ea movere aut figere deberent. Hic enim Angelus in columna nubis præcedens castra Hebræorum, dux fuit eorum usque in Chanaan. Unde de Angelo hoc ait Deus Mosi, *Exod. XXXIII, 14*: « Facies mea præcedet te. »

Angelus faciei Dei Michael, cur?

Notat S. Hieronymus hic esse duplicem lectionem, scilicet aliquos codices legere אָלּוּ per *aleph*, id est *non*, uti legit et vertit Noster, eo sensu quem dedi: alios vero legere וָלּוּ per *vau*, id est *ei*, tuncque vertendum est contrarie, scilicet *in omni tribulatione eorum ei*, scilicet Deo, *fuit tribulatio*, id est indoluit, compassus est, *q. d.* Cum affligebantur Hebræi, ipse Deus tenere eos amans, pariter affligi videbatur: unde sollicite rationes quærebat levandæ afflictionis eorum. Ita Vatablus et passim Hebræi, S. Thomas et Hugo. Hic sensus pius est et appositus. Sic enim *Judic. x, 16*, et alibi, Deus dicitur dolere super miseriis populi sui. Nam, ut ait Zacharias, cap. ii, 8: « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. »

Tertio, Chaldæus active vertit: *In omni tribulatione eorum non tribulavit eos*, id est non permisit eos diu tribulari; sed mox inde eos eripuit, uti cum permisit Pharaonem eos insequi et coarctare ad mare Rubrum, mox in eo illum demersit, populumque salvavit. Idem fecit eis, cum laborarent penuria aquæ, cum impugnaret eos Amalec, Og, Seon, etc. Hoc est quod ait S. Paulus, *II Cor. cap. iv, 8*, et *cap. i, 5*: « Tribulationem patimur, sed non angustiamur: » quia « sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. » Notent hoc tribulati, cumque in arcto sunt positi, animum non dejiciant, sed Deum invocent, moxque ejus consolationem et opem sentient.

Denique Septuaginta pro צָרָא *tsar*, id est *tribulatus*, legentes alio puncto צָרִי *tsir*, id est *legatus*, atque repetentes per hebraismum negationem quæ præcessit, vertunt: *Non legatus, neque Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos, eo quod diligeret eos, et parceret eis, ipse redemit eos.* Pari modo nostram versionem explicat Sanchez, *q. d.* Non est tribulatus, nec Angelus faciei ejus salvavit eos, sed ipse Deus ob dilectionem suam. Moses enim non contentus Angelo duce, petiit ut Deus ipse castra præcederet, et duceret in Chanaan, idque se facturum promisit Deus, *Exod. xxxiii, 17*. Quod Patres allegorice explicant de Christo, *q. d.* Solus Christus Deus nos a peccato et morte redimere potuit, et reipsa redemit, non homo, non Angelus. Ita S. Athanasius, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Epiphanius, Cyrillus, Chrysostomus, Theodoretus, Irenæus, Hyginus et Pelagius Papæ, apud Leonem Castrium.

10. IPSI AUTEM, etc., AFFLIXERUNT SPIRITUM SANCTI EJUS. — Aliqui per *spiritum* accipiunt Spiritum Sanctum. Hic dicitur « Spiritus Sancti, » id est Christi: quia ab eo procedit, et a Christo missus est in Apostolos. Unde S. Athanasius, lib. *De Natura humana suscepta contra Apollinarem*, et Niceas in orat. Nazianzeni in *S. Pentecosten*, hinc probant Spiritum Sanctum esse Deum.

Secundo, simplicius et melius, « spiritus Sancti » fuit spiritus et animus Mosis. Alludit enim ad *Psal. cv, 16*: « Et irritaverunt Moysen in castris,

Aaron sanctum Domini, » et vers. 32: « Et vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbaverunt spiritum ejus. » Ita et Thomas, Adamus, Lyranus et Sanchez. S. Clemens, lib. *V Constitut. Apostol. cap. xv*, legit: « Irritaverunt Spiritum Sanctum, et conversus est eis in inimicitiam: » explicatque de Judæis qui noluerunt credere Christo: « Cæcitate enim, ait, affecti sunt propter malum animum suum; qui cum Jesum viderent, non crediderunt esse eum Christum, Verbum Deum, quem propter infidelitatem neque ex factis ejus, neque ex prophetiis de eo scriptis agnoverunt. »

ET IPSE (Deus, peccatis et murmuribus Hebræorum irritatus) DEBELLAVIT EOS, — subjiciens eos servituti, nunc Philistinorum, nunc Madianitarum, nunc Moabitarum, nunc Syrorum.

11. ET RECORDATUS EST (scilicet Deus, Judæos peccantes, debellans et affligens. Cum enim videret eos afflictos et pœnitentes) RECORDATUS EST DIERUM SÆCULI (id est antiquorum) MOYSI ET POPULI SUI, — quam sibi Moses fidelis et gratus fuerit quamque populum Hebræorum dilexerit, eumque effecerit populum Dei. Itaque ob gratiam et merita Mosis, ac ob amorem populi sui, olim a se electi et dilecti, misertus est ejus, ac misit ei salvatores, nunc Gedeonem, nunc Jephthe, nunc Samsonem, et alios judices.

Alii, ut Forerius, hæc referunt ad populum Judæorum, *q. d.* Populus videns se in captivitate, vel aliter afflictum, recordatus est dierum Mosis, dixitque: Ubi est prisca illa Dei in Mosen et patres nostros providentia et munificentia?

UBI EST? — Isaias induit hic personam populi afflicti, ex eaque prorumpit in patheticam orationem, ut eum Deus liberet, mittatque salvatorem Christum, tot votis et sæculis exoptatum, *q. d.* O Domine! misertus es toties populi tui, nunc dando ei Mosen, nunc Josue, nunc alios protectores et liberatores: vides nunc eundem graviter affligi; quin ejus misereris? ubi est prisca tua in populum tuum pietas? ubi Israelis amor? ubi robur brachii tui? videris jam nostri oblitus, nos despicere et abjicere: disrumpe ergo cælos et descende, ac libera et salva eum. Hoc est quod dixit cap. *LXII, vers. 1*: « Propter Sion non tacebo, donec egrediatur justus, » etc. Ita et Cyrillus et alii. Dicit ergo: « Ubi est Deus qui eduxit eos (Hebræos) de mari » Rubro « cum pastoribus gregis sui? » puta cum Mose, Aarone, Josue, aliisque ducibus et rectoribus populi sui. Ubi est qui posuit in medio ejus, « gregis, » id est populi sui, « spiritum Sancti sui, » spiritum Mosis? Deus enim destinans Mosen ad Pharaonem, ut eum frangeret, cogeretque dimittere populum, utpote populum tantum, iamque durum regeret, magno eum multiplici- quæ donavit spiritu, tum fortitudinis et constantiæ, qua eum fecit Deum Pharaonis, tum prudentiæ, patientiæ et mansuetudinis, qua populi murmura et mores ad stuporem tulit, eique se accom- modans occurrit et succurrit. Hunc spiritum Mosis

Deus communicavit septuaginta senioribus, qui Mosen levantes onere sub eo et cum eo populum rexerunt, *Numer.* cap. xi, vers. 25. Addit Sanchez, per *Spiritum Sancti*, posse accipi spiritum Christi, puta spiritum amoris, obedientiæ, mansuetudinis, consilii, toierantiæ, quem Deus communicavit Mose, ut instar Christi, imo quasi typus Christi, populum gubernaret, sine quo id ei fuisset impossibile. Hinc Moses, in Christum respiciens, ait *Deuter.* xviii, 15 : « Prophetam de gente tua..., sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies. »

Qui ergo recte populo præesse volunt, petant imbiantque cum Mose spiritum Christi, ut dicere possint cum S. Paulo : « Christi bonus odor sumus. » Aliter Forerius qui per *spiritum* accipit ventum, quem Deus misit in mare Rubrum jam divisum, ut illud siccaret ad transitum Hebræorum; vel Angelum, qui erat in medio Israelis.

Vers. 12. 12. QUI EDUXIT AD DEXTERAM MOYSEN BRACHIO MAJESTATIS SUÆ, — *q. d.* Qui brachio suo divino apprehendens dexteram Mosis, eduxit eum cum populo ex Ægypto. Ita Septuaginta, Vatablus, Forerius et alii. Nominat dexteram, tum quia dextera est symbolum felicitatis, æque ac roboris, quæ duo Moses a Deo accepit, iisque Pharaonem superavit, et populum eduxit; tum quia Moses in dextera gestabat virgam Dei, per quam scilicet Deus plagas infixit Ægypto, mare divisit aliaque miracula patravit. Deus ergo, id est Dei virtus et præsentia, erat ad dexteram Mosis, eam adjuvans, roborans, dirigens ad hæc tam magnifica operandum.

QUI SCIDIT AQUAS — maris Rubri.

Vers. 13. 13. QUI EDUXIT EOS PER ABYSSOS (per voragines maris Rubri), QUASI EQUUM IN DESERTO NON IMPINGENTEM, — *q. d.* Sicut equus in deserto, utpote terra æqua et firma, non solet impingere aut labi: sic Hebræi, etiam imbecilles, pueri et femine, in fundo maris Rubri, utpote siccato et complanato a vento, per Deum immisso, non hæserunt in salo, non inpegerunt, non corruerunt in luto. Ita Vatablus.

Vers. 14. 14. QUASI ANIMAL IN CAMPO (Forerius et Vatablus vertunt, *per vallem*) DESCENDENS (*q. d.* Sicut jumentum per vallem placide et facile descendit et incedit, cum e contrario ascendendo montem laboret et anhelet), SIC SPIRITUS DOMINI DUCTOR EJUS FUIT (hoc est, sic spiritus Domini placide et facile deduxit eos per mare Rubrum. Unde per apostrophem ex gaudio conversus ad Deum, subdit): sic ADDUXISTI POPULUM TUUM, — supple, sicut equum in deserto, aut animal quod in campo placide graditur, uti dixi.

UT FACERES TIBI NOMEN GLORIÆ, — gloriosum per omnes gentes, æque ac sæcula. Porro per *spiritum Domini*, S. Hieronymus accipit Angelum. Simpliciter tamen accipi potest ipse Deus, suo spiritu animans et roborans eos in hoc transgressu.

Vers. 15. 15. ATTENDE DE COELO. — Est oratio Isaïæ vice

populi, ut dixi vers. 7, maxime paulo ante et sub tempora Christi obdurati, et a Deo rejecti. Orat ergo flebiliter pro eo Isaïas, ut Deus oculis gratiæ suæ eum respiciat, pristinumque zelum in eum ac fortitudinem ostendat, Christique gratiæ ac salutis participem faciat. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

MULTITUDO VISCERUM TUORUM, — hoc est, ut explicans subdit, « miserationum tuarum. » Viscera enim sunt symbolum, æque ac sedes, miserationis.

SUPER ME CONTINUERUNT SE, — *q. d.* Cohibuerunt se tuæ solitæ miserationes, zelus et potentia, ne, uti solent, nunc mihi opem ferrent.

16. TU ENIM PATER NOSTER, ET (id est *quia*) ABRAHAM NESCIVIT NOS, ET ISRAEL IGNORAVIT NOS. — Nota hic Abrahamum et Israel, patres Judæorum, comparari cum Deo, de iisque asseri, quod respectu Dei, et comparatione ejus, parum vel nihil contulerint, aut conferant Judæis, tum quia quidquid habuerunt aut dederunt, id acceperunt a Deo, qui eorum est pater; tum quia corporum fuerunt parentes, non animarum; cum Deus utrorumque, imo omnium sit parens, ait Procopius: maxime, quia jam pridem mortui erant, cum Deus semper viveret. Deus ergo erat, qui populum hunc elegerat, formaverat, deduxerat per mare Rubrum et desertum, duce Mose et Josue, in Chanaan, uti præcessit. Hoc non fecerat Abraham, nec Israel. Unde Chaldæus vertit: *Tu es pastor noster: quia Abraham non eduxit nos de Ægypto, et Israel non fecit nobis mirabilia in deserto: Tu es, Domine, Deus noster; Syrus et Arabicus: Tu es pater noster: nos ignoramus Abrahamum, et non novimus Israellem; tu es, Domine, pater noster, et redemptor noster.* Sensus ergo est, *q. d.* Abraham et Jacob jam pridem mortui, non habuerunt nostri curam (imc nos non cognoscunt), sed suorum tantum filiorum, qui tum vivebant; eos enim solos videbant et cognoscebant: tu vero, o Deus! es pater noster, qui nos ab omni sæculo novisti, et nostri habuisti curam et providentiam, qua nos ex Ægypto, Babylone aliisque ærumnis mire liberasti. In te ergo omnes spes nostras collocamus, te imploramus, non Abraham: tui filii sumus, non Abrahæ: non quasi Abraham patrem nostrum negemus; sed quod te præferamus, et quod Abraham præ te nihil sit, et sine te nihil opis nobis adferre possit. Ita S. Cyrillus, Theodoretus, Forerius et alii.

Dicitur ergo Abraham nescire, id est non curare, posteros, perinde ac si eos nesciret, et non cognosceret. *Primo*, quia exigua, et quasi nulla erat cura et auxilium Abrahæ, si cum Dei cura et auxilio conferatur.

Secundo, quia esto in limbo oraret pro posteris, nullam tamen curam aut directionem eorum habebat talem, qualem parentes dum vivunt, et præsentibus sunt, suorum filiorum habere solent; de tali enim cura et providentia hic loquuntur

Abraham non cognoscit posteros, qua ratione? Primo,

Judæi : et talem eorum curam habebat Deus ; ut nimirum apprehensa manu Mosen et populum deduceret, ut dixi vers. 12.

Tertio.

Tertio, quia eorum captivitas et ærumnæ tam animæ, quam corporis, superabant vires Abrahamæ et Jacob, atque a solo Deo tollendæ et sanandæ erant. Unde sequitur : « Tu es Redemptor noster. »

Nota hebraismum. Hebræi enim præcellentiam unius præ altero significare solent per negationem unius quod minus est, ut *Matth. xxv, 9*, ait Christus : « Patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. » Non enim vetat quin parentes nostros patres vocemus, hoc enim dictat et poscit jus naturæ ; sed jubet Deum Patrem omnibus præferri, *q. d.* Nolite in terris vocare patrem eo modo, ut putetis eum præcipuum esse vitæ auctorem, hæreditatis et alimentorum curatorem, ut ab eo toti, vel magis pendeatis quam a Deo, uti faciunt Gentiles et athei, aliique non Deo, sed hominibus fidentes, quia talis pater est solus Deus. Sic *Matth. ix, 13*, ait : « Misericordiam volo, et non sacrificium, » id est malo misericordiam quam sacrificium. Certum enim est Deum velle quoque sacrificium : tantum ergo misericordiam ei præfert. Pari modo Judæi hic non negant Abraham suum patrem, sed Deum in paternitate et cura paterna ei præferunt.

Quarto.

Quarto, aliter explicat S. Hieronymus. Abraham, inquit, nescit nos, id est nos abjicit et spernit : quia te offendimus sumusque tibi hostes. Abraham enim, cum sit amicus Dei, odit nos, qui sumus hostes Dei.

Quinto.

Quinto, Adamus apposite : Abraham, inquit, et Jacob nesciunt nos, resque nostras : quia sunt in obscuro limbo patrum, ubi tam egent luce et ope Dei, quam nos : non ergo eos imploramus, qui nostras res et ærumnas nesciunt, atque satis negotii habent ut sibi consulant, sibi que liberationem ex inferno procurent : sed te, Domine, qui solus potes juvare et liberare, tam Abraham, quam nos. Hac enim de causa in veteri Testamento non legimus, quod viventes invocarint Patriarchas, aut Sanctos degentes in limbo.

Secus est in novo Testamento, ubi Sancti triumphant in cœlis cum Christo, atque in Deo revelante nostras preces audiunt et cognoscunt, nosque et nostram salutem amant et sitiunt. Perperam ergo hæretici hunc locum torquent contra invocationem Sanctorum. Esto enim animæ patrum in limbo orarent pro posteris, tamen preces et afflictiones suorum audire non poterant : quocirca frustra posteri eorum opem implorassent ; ad Deum ergo recurrere, eumque invocare debebant. Rursum etsi patres per suas preces et merita posteris apud Deum commodare possent, ea tamen quasi captivorum, non nisi in quantum volebat et donabat Deus, eis commodabant. Tota ergo hæc res pendebat a Deo, Deique nutu : ad Deum ergo posteris confugiendum erat. Secus se res habet in Beatis, jam in cœlo Deo fruentibus.

Patres in limbo non erant invocandi, cur?

Dices, S. Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. xiii, ex hac Isaïæ sententia probat Sanctos etiamnum in cœlis nescire res nostras. Respondeo : S. Augustinus hoc, æque ac hunc Isaïæ locum, intelligit de naturali vi rationis, seu de naturali modo cognoscendi, quod scilicet animæ Beatorum per suas vires luminis naturalis, perque aciem sui intellectus, naturaliter non agnoscerent res nostras : quoad naturam enim et naturæ vires pares sunt animabus olim in limbo existentibus : tantum enim vult docere animas hasce non interesse naturaliter et ordinarie rebus nostris, ut eas coram videant, curent et dirigant, uti faciebant dum viverent. Id eum velle patet ex tribus capitibus seq., ubi hoc suum dictum confirmat ex eo quod ipse a matre sua jam defuncta consolationem non accipiebat, nec in tristitiis visitabatur ; cum non esset probabile, quod ipsa facta esset vita feliciore crudelior. Rursum ex eo quod Dominus promisit, *Josia iv, Regum xxii*, eum prius moriturum, quam videret mala gentis suæ. Denique ex cap. xvi, ubi diserte docet Sanctos non sua, sed Dei virtute res nostras cognoscere, easque adjuvare et promovere.

Porro hunc Isaïæ locum non juvare causam Hagiomachorum ingenue fatetur Calvinus, licet Hagiomachus. Audi eum : « Neque tamen ex hoc loco elici potest, Sanctos vita functos nostri curam non habere. De re ipsa non loquimur, sed dicimus verbis istis non probari, Abraham, et reliquos fideles non habere amplius curam rerum humanarum. » Nōtet hoc Marloratus, qui hunc locum contra invocationem Sanctorum torquet.

A SÆCULO NOMEN TUUM, *q. d.* Hoc nomen, quod scilicet sis pater et redemptor noster, tibi non nupta ætas, sed ante omnem sæculorum memoriam, dedit æternitas ; æterna nimirum tua de nobis redimendis prædefinitio et prædestinatio.

17. QUARE ERRARE NOS FECISTI ? — Hoc est permissisti, vel occasionem erroris ob peccata nobis objecisti? Vide *Canon. XXVII*. Est occupatio, *q. d.* Si propter scelera nostra opem et misericordiam tuam negas, cur, quæso, permisisti, et permittis nos in scelera labi, in iisque hæere et obdurari? Vere notat hic Forerius ingratitudinem fere esse causam, cur Deus permittat nos in peccatum mortale labi : ingratitudinem enim licet venialem tantum, hominem ad amissionem gratiæ divinæ disponere. Vide hic quam peccata venialia cavere Deique gratiæ cooperari, eique grati esse debeamus. Adhæc, dicitur Deus errare fecisse Judæos a viis suis, quia eos a deviis itineribus non abduxit ; et obdurasse cor illorum ne timerent Deum, quia eos timore sui non emollivit, ait Sanchez. Vide dicta, *Exodi vii, 3*.

Obiectio ex S. Augustino. Responso.

Vers. 17

Ob ingratitudinem venialem Deo sinitur in peccatum mortale

CONVERTERE (*q. d.* Faciem a nobis ob peccata aversam, ad nos converte, et benigno vultu nos aspice, nosque adjuva) PROPTER SERVOS TUOS (qui sunt duodecim) TRIBUS (Israel), HÆREDITATIS TUE, — quæ scilicet sunt tua hæreditas, *q. d.* Memento

duodecim Patriarcharum, æque ac tribuum Israel, qui sunt tui servi, id est fideles, tuaque Ecclesia et hæreditas. Vel, ut ait Vatablus, *q. d.* Convertere ad nos propter Abraham, Isaac, Jacob, etc., servos tuos, qui sunt patres nostri, et ob tribus duodecim, quæ sunt tua hæreditas. Solebant enim Judæi precantes, merita non sua, sed Abrahæ, Isaac et Jacob apud Deum allegare.

Vers. 18.

18. QUASI NIHILUM POSSEDERUNT POPULUM SANCTUM TUUM (*q. d.* Hostes nostri, præsertim Herodes et Romani possederunt et tractarunt nos quasi essemus res nihili, quisquiliæ, fæces et purgamenta mundi; unde et CONCULCAVERUNT SANCTIFICATIONEM, — id est profanaverunt templum sanctum tuum. Loquitur maxime de tempore, quo, deficiente sceptro de Juda, Herodes Idumæus regnum Judææ per Romanos invasit et occupavit. Propheta enim, sicut cœpit orationem a prima Israelis electione, ita et terminat in ejusdem vas-

titate, ultimoque excidio, quod factum est sub tempora Christi. Romani enim polluerunt templum, cum Pompeius cum suis in Sancta sanctorum ingressus est, cumque sequentes in eo statuum Cæsaris, aquilamque Romanam collocaverunt.

19. FACTI SUMUS QUASI IN PRINCIPIO, CUM NON DOMINARERIS NOSTRI (*q. d.* Sumus a te derelicti nunc quasi alieni, ut fuimus olim in Ægypto, antequam nos in tuum jus, dominium et Ecclesiam ascisceres): NEQUE INVOCARETUR NOMEN TUUM SUPER NOS, — cum necdum vocaremur, nec essemus populus Dei, quasi heri et domini nostri: hæc enim phrasis significat dominium herile. Loquuntur de derelictione tum culpæ, tum pænæ. Vide quid sit a Deo derelinqui, et sine Deo vivere; nimirum talis traditur omni culpæ, et consequenter omni pænæ, uti Judæi traditi sunt tempore Christi.

Vers. 19.

CAPUT SEXAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judæi putant hoc cap. esse verba et vota decem tribuum, quibus petant, orentque Deum, ut denuo descendat in montem Sina, ibique edat illa miracula, quæ olim edidit sub Mose, Exodi, XIX, 16, ut impios Israelitas revocet ad avitam fidem et pietatem. Verum hi judaizant, frustra que expectant descensum Dei in Sina, æque ac Messiam e cælo. Secundo, Lyranus censet hic Isaïam optare, ut Christus descendat in vallem Josaphat, ad peragendum extremum judicium, ut regnum impiorum et impietatis aboleat. Tertio et genuine, pergit hic orare Propheta pro populo tot peccatis et malis afflicto et oppresso, uti exposuit in fine capituli præced. Ergo orat hic, ut rumpantur cæli, et nascatur Messias, qui populum tot malis liberet et salvet. Unde quam felix, salutaris et jucundus futurus sit Christi adventus, describit. Deinde, vers. 5, dicens Christo: Occurristi lætanti, et facienti justitiam, puta gentili populo, Christo credenti et obsequenti, prævidensque quod Judæi tempore Christi nolent eum recipere, nec lætabuntur, aut facient justitiam, ideoque a Deo rejicientur, dolet et gemit, aitque, vers. 6: Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ. Quocirca, vers. 8, orat ut Christus Hierosolymæ desertæ, et Judæorum derelictorum misereatur, nec in æternum eos abjiciat. Ita S. Hieronymus, Forerius, Adamus et alii passim (1).

1. Utinam dirumperes cælos et descenderes! a facie tua montes defluerent. 2. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. 3. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, et a facie tua montes defluerunt. 4. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. 5. Occurristi lætanti, et facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, et peccavimus: in ipsis fuimus semper, et salvabimur. 6. Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ; et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. 7. Non est qui invocet nomen tuum: qui consurgat, et teneat te: abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. 8. Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum

(1) Vide annotat. ad synopsim cap. præced.

tuarum omnes nos. 9. Ne irascaris, Domine, satis et ne ultra memineris iniquitatis nostræ : ecce respice, populus tuus omnes nos. 10. Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. 11. Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. 12. Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer ?

1. UTINAM DIRUMPERES COELOS, ET DESCENDERES (1)!

— *q. d.* Utinam vel disruptis cœlorum repagulis ad nos liberandos e tantis malis descenderes! Est catachresis: loquitur enim de Deo humano more; homo enim in cœlo existens, si descenderet, deberet dividere et dirumpere cœlos, sive ætherem; quia corpus habet spissum et impenetrabile: at Deus, qui purissimus est spiritus, et per omnia penetrat ac permeat, ut descendat nihil dividit aut dirumpit, quasi dicas: Utinam omnes obices et moras tolleres, atque adeo, si opus esset, cœlos dirumperes, ut ad nos descenderes, non loco (cum ubique sis), sed nova operatione et assumptione nostræ naturæ! Simili catachresi ait supra, cap. XLV, vers. 8: « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem; » qua tantum significat quanta sit humana miseria, quantumque desideret adventum salutis et Salvatoris, qui ei medeat.

Anagogice, Lyranus, cum Alexandro de Ales quem citat, hæc accipit de adventu secundo Christi, puta, cum veniet ad iudicium extremum; præcessit enim de exterminatione Antichristi, qui illud immediate præcedet. Significatur ergo hic præceps Christi adventus ad iudicium, late fisso cœlo ad percellendum impios; tunc enim reipsa montes defluent, et quasi ustione consumpti tabescent, et aquæ per ignem conflagrationis ardebunt, ut majestatem iudicii revereri, et coram eo tremere et deficere videantur. Tunc enim plenam salutem et felicitatem Christus electis suis afferet.

A FACIE TUA MONTES DEFLUERENT, — *q. d.* Si ad nos descenderes, statim, sicut olim, fumarent et liquescerent montes, uti solent res igni adustæ solvi et liquari. Alludit ad descensum Domini in Sina, cum legem dedit Mosi et Hebræis, in quo mons ille contremuit, et quasi liquefactus est coram Domino, ex muta et naturali quadam Dei reverentia, *Exodi XIX, 18*: « Totus, inquit, mons Sinai fumabat: eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace. » Quin et terræ motu concussum fuisse montem Sina docent Apostolus, *Hebr. XII, 26*, et Psaltes, *Psal. LXVII, 9*. Hic enim descensus Domini

(1) Iste versus est finis ultimi versus præcedentis capituli apud Hebræos. Male igitur, inquit Rosenmüller, qui veteris Testamenti libros in capita distinxerunt, hic novi capituli initium constituerunt, cum hic versus et qui sequuntur cum superioribus tam arcte cohæreant, ut invicem divulsi aptum sensum vix præbeant.

ad Hebræos typus erat descensus Christi ad homines, qui montes, id est superba mortalium corda, vi gratiæ suæ æque ac exempli sui, emolliet et inflectit ad humilitatem, patientiam, omnemque virtutem, ut solvi et liquari videantur. Ita S. Hieronymus et Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XXVI; S. Justinus, et ex eo Leo Castrius, qui hæc omnia impleta docet tum in baptismo Christi, tum in Pentecoste; tunc enim a facie Christi et Spiritus Sancti, superba Judæorum corda mollita et liquata sunt, fidemque Christi ab Apostolis prædicatam susceperunt: tunc etiam aquæ, id est frigida et torpida eorum, æque ac Apostolorum corda, igne charitatis arserunt, tunc gentes turbatæ sunt, cum audientes prædicationem Evangelii, metu Dei et inferni, damnarunt suam infidelitatem, et mores pristinos; ac compunctæ novam piamque vitam inierunt, ut ex terrestribus fierent cœlestes.

2. AQUÆ ARDERENT IGNI. — Vatablus vertit: *Utinam montes ab incendio ignis colliquescant, ignis, inquam, qui fervere et ebullire facit aquas*. Alludit primo, ad fulmina et tonitrua, quæ in nube aquis gravida, emicuerunt in Sina; secundo, ad plagam Pharaonis et Ægypti per Mosen, in qua ignis mixtus grandine, stravit ejus segetes, æque ac pecora, *Exodi IX, 24*. Sic Christo descendente ad nos, aquæ, id est mollia, et concupiscentiis humecta, ac viscosa hominum corda, igne charitatis et spiritus siccata et inflammata sunt. Tertio, Alcazar in *Apoc. cap. X, vers. 1*, notat. 3, censet Isaiam hic alludere ad factum comparis sui, Eliæ prophetæ ejusque ignem, de quo dicitur *III Reg. XVII, 38*: « Cecidit ignis, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens. » Hoc Eliæ facinus imitatus est Nehemias, *II Machab. I, 20*; cum enim in puteo sicco et alto, ubi repositus fuerat ante captivitatem Babylonicam ignis Domini, loco ignis inventa fuisset aqua crassa, eam ipsam aquam jussit hauriri Nehemias, « et ipsa aqua aspergi sacrificia et ligna. Utque hoc factum est, et tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, » et consumpsit « sacrificium. » Et eo facto « ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est; sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. » Ignis ergo Domini aquis non exstinguitur, sed pasceatur et augetur. Porro Elias jubens aquæ copia perfundi sacrificium, videtur respexisse ad illud

Cantic. viii, 6 : « Lampades ejus, lampades ignis atque flammaram : aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Jam aqua contraria et resistens igni significat contradictiones, resistantiam et persecutiones infidelium et impiorum resistantium fidei et charitati Christi et Christianorum, præsertim Apostolorum. Sed tanta fuit vis ignis, id est efficacia charitatis eorum, ut aqua hac pasti fuerint, imo aquam in suum ignem converterint. Talis mysticus Elias et Nehemias, id est consolator Domini, fuit S. Paulus, qui aquis persecutionum magis accensus, aquas, id est gentiles ipsos persecutores igne suo inflammatos, quasi holocaustum Deo obtulit. Hoc est enim quod ipse ait, *Rom. xv, 16* : « Propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus : sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto : » ubi gentes a se conversas vocat suam victoriam, se vero ejus sacerdotem et sacrificatorem, ut ibi ostendi.

3. CUM FECERIS MIRABILIA (per Christum præsertim in conversione gentium) NON SUSTINEBIMUS — hanc Christi gloriam et efficaciam : quia illa sui amore, æque ac tremore et stupore nos percellit et subiget, ut demus ei manus, et colla subdamus. Ita S. Hieronymus. Alludit ad terrorem Hebræorum, qui videntes ignem et fumum in Sina, ac audientes clangorem buccinæ Dei, non sustinuerunt, sed metu percussi fugerunt a monte, *Exodi xx, 18*. Sic enim et Gentes audita Evangelii buccina, visisque miraculis, fugerunt, non a Deo, sed a seipsis, id est a pristinis suis vitiis et moribus, ad Christum et novam vitam. Aliter Forerius, *g. d.* Cum Gentes turbabuntur, et commovebuntur ad pœnitentiam, nos Judæi videntes mirabilia, quæ Christus in eis operabitur, ea non sustinebimus, sed affixi nostro judaismo, ea spernemus, imo calumniabimur : sensim enim videtur transire Propheta ad Judæorum reprobationem.

DESCENDISTI, ET A FACIE TUA MONTES DEFLUXERUNT, — *Primo*, Sanchez exponit : Si descendas, a facie tua montes defluent; ut repetat et inculcet quod dixit vers. 4, sitque duplex hebraismus : prior, quo intelligitur vocula *si*; posterior, quo præterita ponuntur pro futuris.

Secundo, planius et simplicius, loquitur hic Propheta, quasi exauditus a Deo composque voti factus, *g. d.* Factum est uti optavi et oravi; ecce enim in spiritu video et prævideo, te ad nos descendisse, factumque esse hominem, ideoque montes jam dictos a facie tua defluxisse.

Porro, Theodoretus per montes accipit idola quæ colebantur in montibus. Idololatria enim omnis cum idolis defluxit, et dissipata est prædicatione Evangelii. Verum æque probabiliter per montes accipias principes potentes et superbos : hos enim ad humilitatem crucis descendere fecit Christus.

montes Christo descendente defluerint, gentes turbatæ, et aquæ igni exustæ sint : quia nimirum a sæculis non est auditum, nec cor hominis comprehendit ea bona, gratias et charismata, quæ Deus præparavit sibi credentibus, seque expectantibus, et, ut Paulus ait, diligentibus, per Christum, tum in hac vita, tum in futura : ad utramque enim respexit Propheta.

Nam de incarnatione et præsentis vita Christi et Christianorum ad eum convertendorum, hæc actenus egit, de eaque accipiunt S. Paulus, *I Corinth. cap. ii, 9*, et S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus ibidem, atque Adamus, Forerius, Leo Castrus et Sanchez hic, item Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, Theophilus Antiochenus, Marcus Eremita, Missa S. Jacobi, quos citat et sequitur Gabriel Vasquez, *I part. disp. 2, cap. ii*. Porro hæc bona Christi fuerunt miracula, ut docent S. Chrysostomus et S. Ambrosius. *Secundo* et potius, ejus cœlestis sapientia, doctrina et vita. Quem enim non trahat ad se, Verbum propter nos caro factum ? quem superbum non faciet descendere, seque demittere, ille Filius Dei ad naturam nostram descensus et exinanitio ? Quis cholericus iram non ponat, visa et audita mansuetudine Jesu ? Quis dolores et tormenta non ferat fortiter, si Jesum in cruce tam patientem spectet ? Quis eum toto corde non amet, a quo ita se amatum videt ? *Tertio*, bona Christi fuerunt ejusdem Sacramenta et copiosa gratia, tum excitans et præveniens, tum justificans, tum gratis data ; tum mentis quies, consolatio et gaudium, aliique fructus Spiritus Sancti. Hisce enim, quasi cœlestibus et divinis instrumentis, totum mundum ad se convertit. Sensus ergo est, *g. d.* A sæculis, id est ex quo natus est Adam, nemo unquam audivit, nec vidit, imo cogitare et suspicari non potuit, tanta et tam augusta gratiarum dona, quæ præparasti in lege nova expectantibus te. Erant enim inter Judæos, qui victi longa mora Salvatoris, desierant credere et expectare Messiam. Alii vero, ut Prophætæ et pii, licet dura paterentur, constantes manebant in fide Christi venturi, eumque expectabant. Hisce ergo præparavit et attulit sua dona Christus, æque ac Gentibus, qui inaudierant de Christo, eumque avide expectabant. Porro *absque te* idem est quod *præter te*, uno te excepto, ut vertunt Vatablus et Forerius. Unde S. Paulus, *I Corinth. ii* : « Absque te, » explicat, « absque spiritu Dei, » *g. d.* Solus Deus, Deique spiritus hæc bona cognoscit, et ille cui ipse ea voluerit revelare.

Secundo, quod etiam de futura fidelium gloria hic locus, et quidem aptius, accipiatur, patet *primo*, ex ipsis ejus verbis : illam enim gloriam nemo mortalium vidit, audivit, aut mente comprehendit ; quia illa omnem sensum, omnem intellectum, omnem conceptum naturalem superat et transcendit ; *secundo*, quia ait : « Occurristi

Bona in
effabilia
quæ
Christus
dat in
hac vita,
quæ?

Et in fu-
tura,
quæ?

lætanti, et facienti justitiam; » ergo loquitur de fructu operum justorum, scilicet vita æterna. Nam fructus incarnationis, puta gratia præveniens et excitans infideles et peccatores ad fidem et conversionem, non occurrit facientibus justitiam, sed sedentibus in tenebris et umbra mortis. Admirans ergo tantam Christi fidelium in cœlis gloriam Propheta, ad eum de more transcendit et avolat. Hic enim est terminus, finis et effectus incarnationis Christi. Ita S. Hieronymus et Haymo hic, S. Dionysius, *De Cœlest. Hierarchia*, cap. XII; Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XXVI; Cyprianus, *epist.* 56; S. Thomas et Anselmus in *I Corinth. II*. Vide ibi dicta.

Porro, quæ et quanta sint hæc bona Sanctis in cœlo reposita, paucis perstringit S. Bernardus, serm. 11 in *Cantic.*, ubi citans et explicans hunc Isaia locum: « Dic, inquit, nobis tu, qui præparas, quid præparas? replebimur in bonis domus tuæ, sed quibus bonis? vino, oleo, frumento? sed hæc novimus, videmus et fastidimus. Id quærimus, quod oculus non vidit, etc. Erit, inquit, Deus omnia in omnibus; in hoc sæculo et ratio sæpe in judicio fallitur, et voluntas quadruplici perturbatione jactatur, et memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subjecta est non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas et æternitas! o beata et beatificans Trinitas, ad te mea miseria trina miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exsulat. Discedens a te quantis se intricavit doloribus, timoribus! Heu me, qualem pro te commutavimus trinitatem! cor meum conturbatum est; et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde pavor: et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. En quam dissimilem Trinitatem, o animæ meæ trinitas exsulans, offendisti! » Sed audi consolationem: « Verumtamen quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis abscesserit, et successerit illi quam speramus mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa pietas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria veritati indeficienti æternaliter inhærente. »

Audi et S. Hieronymum Eustochium accendentem, *epist.* 18: « Egredere, ait, paulisper de carcere, et præsentis laboris ante oculos tuos tibi pingere mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quahs erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini occurret choris comitata virgineis, cum post

Rubrum mare, submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris: Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare! Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus. Tunc et ipse sponsus occurret, et dicet: Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea; quia ecce hiems transivit, pluvia abiit sibi. Tunc angeli mirabuntur et dicent: Quæ est ista prospiciens quasi diluculum, speciosa ut luna, electa ut sol? Videbunt te filia, et laudabunt reginæ, et concubinæ prædicabunt. Tunc parvuli, de quibus in Isaia Salvator effatur: Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus; palmae victoriæ sublevantes, consono ore cantabunt: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. Tunc centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni et seniorum tenebunt citharas, et cantabunt canticum novum, etc. Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradysum mente transgredere: esse incipe quod futura es, et audies a sponso tuo: Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo. »

5. OCCURRISTI LÆTANTI, ET FACIENTI JUSTITIAM. — Vers. 5. Beneficium hoc est Christi, non tam recenter nati, quam regnantis in membris suis, *q. d.* Bona hæc quæ nemo audivit, nec vidit, contulisti iis, qui de tuo adventu lætantur, tibi credunt et obediunt, faciuntque justitiam, ambulantesque in viis mandatorum tuorum, jugiter te habent præsentem, tuique recordantur (est enallage; transit enim a numero singulari colectivo ad pluralem distributivum, scilicet a « lætanti et facienti » ad « recordabuntur »); hosce enim in gratia et amore promotes, novisque et miris in dies donis et gratiis cumulas, hosce salvas, hosce glorificas, ex quacumque gente aut regione sint prognati. Sed heu! miseros nostros Judæos, qui non lætati sunt de tuo adventu, sed potius contristati et exacerbati, pejoresque effecti, ideoque tu eis iratus es, ut sequitur. Ita Adamus, Forerius et alii.

Secundo, Vatablus sic explicat: O Domine! occurristi, scilicet in oratione, id est exaudire scies eos qui lætantur in legibus tuis, et faciunt justitiam, hoc est, præcepta, et viarum tuarum recordantur.

Tertio, alii vertunt: Sustulisti de medio lætantes in præceptis tuis, eo quod mundus esset eis indignus, ipsique digni essent cœlo.

ECCE TU IRATUS ES, ET PECCAVIMUS, — *q. d.* Occurristi gentibus lætantibus in te; at nobis Judæis iratus es: « et, » id est quia, peccavimus et prævaricati sumus in te, te spernendo, vexando, et occidendo, et in hoc tui contemptu et odio jugiter persistendo. Transit enim hic Propheta ad Judæos, de eorumque reprobatione querelam et orationem longam pertexit. Ita Forerius et Adamus,

IN IPSIS (peccatis : hæc enim continentur in verbo *peccavimus*, quod præcessit. Vide *Canon. XVII*) FUIMUS SEMPER, ET SALVABIMUR. — Forerius *in* *salvabimur* interrogative legit, *q. d.* Cum in peccatis et odio Christi perstiterimus semper, et persistamus, an salvabimur? *q. d.* Minime, quia salutis auctorem aversamur. Unde Septuaginta pro *et salvabimur*, vertunt, *idcirco erravimus. Secundo*, « et salvabimur, » id est salvati sumus : quia Christus salutis nostræ pretium persolvit, ac reipsa « salvabimur » aliquando, puta, cum credemus in Christum in fine mundi. Romana enim aliaque Biblia hoc legunt sine nota interrogationis, *q. d.* Christus pro peccatis totius mundi satisfacit, et omnes salvi esse possunt si velint : sic ergo et nos Judæi, quantum est ex parte Christi, salvati sumus, et reipsa salvabimur, si ei credamus : at, cum Salvatorem advenientem, et salutem ab eo oblatam amplecti debuissemus, eam sprevimus, imo sumus effecti immundi omnes, quasi pannus menstruatæ : erit tamen aliquando, cum eum amplectemur, et salvabimur ; sed eheu, sero ! Ita Forerius. Unde et S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Qui semper fuimus in peccatis, tua tantum misericordia salvabimur. Nam per nos immundi sumus, et quidquid videmus habere justitiæ, simile est panno menstruatæ. Hic sensus planus et obvius, ideoque genuinus est.

Tertio, Vatablus vertit : *In ipsis (peccatis) consenuimus, alioqui salus nobis contigisset.*

Quarto, Sanchez, *q. d.* Ecce olim nobis irascebaris, et nos tamen peccabamus ; et cum in peccatis semper versaremur, tamen salvabamur a nostris hostibus, captivitatibus et ærumnis : at nunc facti sumus immundi omnes, rejecti, derelicti et reprobati.

6. ET FACTI SUMUS UT IMMUNDUS OMNES NOS. — Alludit ad leprosos, seminiifluos, aliosque ex tactu morticini, aut alterius rei immundæ, juxta legem veterem immundos et contaminatos, quos proinde omnes vitabant, ne pariter polluerentur, *q. d.* Nos Judæi facti sumus coram Deo et hominibus immundi, rei et contaminati, quos proinde non tantum christiani, sed et gentiles fugiunt et aversantur. Ita Forerius.

QUASI PANNUS MENSTRUATÆ UNIVERSE JUSTITIÆ NOSTRÆ, — quasi dicas : Omnes nostræ justitiæ pollutæ sunt, instar panni menstruo fœdati. Est vox Judæorum impiorum, qui peccantes, peccatorum expiationem et justificationem quærebant in suis purificationibus et sacrificiis pro peccato. Hæ enim vocantur « justitiæ, » vel, ut ait Paulus, *Hebr. cap. IX, 1* : Justificationes legis veteris, quæ jam per Christum abolitæ sunt et mortuæ, imo mortiferæ ; ideoque Deus eas, quasi immundas et putidas aversatur, uti aversamur pannum menstruatæ. Unde Arabicus vertit : *Jam facti sumus omnes velut abominatio (abominabiles), et universa justitia nostra facta est sicut frustum panni*

cadaveris. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus, Forerius, Sanchez, Adamus et alii passim ; idque ita esse patet ex eo quod Isaias loquatur de Judæis tempore Christi, a Deo ob peccata rejectis et reprobatis ; horum autem peccatorum primum, et cæterorum origo, fuit pertinax amor legis et justitiæ Mosaicæ, sive judaismi, indeque odium Christi et christianismi. Quia ergo Judæi repulerunt justitiam veram a Christo allatam, eamque quæsierunt in suis justitiis carnis et victimarum a Deo reprobatis, hinc ipsi quasi immundi, infideles et rebelles a Deo rejecti et proscripti sunt. Hinc patet per *justitias* hic intelligi purificationes et ritus Judaicos. Audi S. Hieronymum : « Considerandum, quod justitia quæ in lege est, ad comparationem Evangelicæ puritatis, immunditia nominetur. » Idque variis Scripturæ locis confirmat, ac tandem concludit : « Si quis igitur post Evangelium Christi, et adventum Filii Dei, pædagogæ legis observat cæremonias, audiat populum confitentem, quod omnis illa justitia panno sordidissimo comparatur. »

Ex hisce liquet, *primo*, hic non agi de justitia Christianorum, sed Judæorum adhuc judaizantium ; *secundo*, Isaiam hic loqui in persona horum Judæorum, non sua. Nam illa verba : « Ecce tu iratus es, et non peccavimus, in ipsis fuimus semper, » clarum est non ad Isaiam, similesque viros sanctos, sed ad impios Judæos jam dictos pertinere. Idque fatetur hic Musculus Lutheri discipulus ; apud Marlortatum. Idem fatetur Calvinus : « Si quis, ait, quærat quomodo Propheta de scelerum inquinamentis loquens, sine exceptione Judæos omnes exprimat ? facilis responsio est ipsum non loqui de singulis, sed de universo corpore, quod, cum infra omnes homines abjectum, atque extrema clade affectum esset, recte immundum et pollutum dici poterat. »

Nota : Viegas in *Apoc. cap. xx*, in fine ; Vatablus et alii vertunt : *Quasi vestimentum centonum universæ justitiæ nostræ, q. d.* Uti vestimentum totum ex centonibus confectum variis et abjectis, varium est et vile : ita et omnes justitiæ nostræ, totaque justorum vita ex variis infirmis, imperfectis, et quasi vilibus virtutum actibus contexta videtur.

R. Abraham vertit : *Sicut vestimentum prædæ*, quod videlicet in præda capitur, aut a latrone per vim vindicatur, quod in ipso conflictu et contentione disrumpi et dilaniari necesse est. Sic enim dæmones, tanquam insidiantes latrones, nobis bona opera, tanquam pallium de manu conantur eripere, nimirum solent ea opera, per eam vim et conflictum, quasi dilacerari ac disrumpi, hoc est levioribus quibusdam nævis maculari, ut jure vestimenta prædæ appellari possint.

Perperam ergo ex hoc loco Isaiæ colligunt Calvinus, Lutherus et eorum asseclæ, quod omnia opera bona, non tantum infidelium et impiorum,

In omni opere bono peccato justus, ait Lutherus.

sed et fidelium ac sanctorum, peccato aliquo et labe aliqua concupiscentiæ sint polluta. Lutherus enim in articulis damnatis a Leone X affirmat omnem actionem humanam esse malam. Unde, art. 31, sic ait : « In omni opere bono justus peccat; » addit tamen in ejus defensione, hoc peccatum illi non imputari ad culpam mortalem propter fidem qua illi imputatur justitia Christi; in iis autem qui hanc fidem non habent, vult esse peccatum mortale, et imputari ad peccatum. Idem docet Calvinus, lib. III *Institut.* III, paragrapho 12 : « Adeo, inquit, vitiatæ et corruptæ sunt omnes facultates, ut in omnibus actionibus emineat perpetua *ἀνομία* et intemperies. » Verum hæc ut hæretica merito damnavit Leo X, et Concilium Tridentinum, *Sess. VI*, cap. VII. Perperam, inquam, hoc loco abutuntur : nam *primo*, ut dixi, non loquitur Propheta de fidelibus et justis, sed de Judæis Christo non credentibus et impiis; *secundo*, « justitias » eorum vocat, non opera justa, sed sacrificia expiatoria, quæ jam fœtent et putent. Adde *tertio*, etsi per « justitias » acciperemus hic opera et actus justitiæ, nihil haberent hæretici. Nam Isaias tunc exponendus esset, quod loquatur de iis, non divisim, sed collective sumptis, *q. d.* Hi Judæi sua opera bona variis sceleribus contaminarunt; quocirca tota eorum vita est inquinata, omnes eorum actus collective sumpti sunt immixti et conspurcati multis peccatorum maculis : perinde ac pannus menstruatæ variis menstrui maculis inficitur, licet hinc inde pars aliqua ejusdem panni munda relinquatur. Tantum enim vult docere Propheta Judæos hosce esse impuros, impios, ac variis sceleribus varie contaminatos, ideoque a Deo derelictos et reiectos. Denique S. Macarius, *homil.* 20, et ex eo Delrio, *adag.* 808 : Omnia, inquit, etiam sanctorum, opera bona et justitiæ, si præscindantur a gratia Dei, et accipiantur ut procedentia tantum ex naturæ lapsæ libero, sed vitiato arbitrio, omnes indignæ sunt oculis Dei, et reputantur ut pannus menstruatæ. Opera enim ex operante æstumat Deus. Hic autem operans est homo lapsus, vitiatus, concupiscens et peccator.

CECIDIMUS QUASI FOLIUM, — *q. d.* Sicut folium in arbore virens vento discussum dispergitur, marcescit, et in sterquilinum evertitur : ita nos Judæi olim stante Synagoga florentes, nunc ea a Deo ob peccata, præsertim cædis Christi, rejecta et prostrata, cum ea cecidimus, perdidimus omnem vigorem et succum sapientiæ et virtutis; atque defluximus per varias iniquitates, ideoque facti sumus quasi sordes et purgamenta mundi, atque a facie Dei flatu diabolico dispersi, toto orbe vagamus quasi exules, scelerati et infames. Pulchre S. Gregorius, XI *Moral.* cap. XXII : « Homo, ait, qui arbor fuit in conditione, folium a semetipso factus est in tentatione; sed post stipula apparuit in dejectione. » Et paulo ante explicans illud *Job.* cap. XIII : « Contra folium quod vento

rapitur, ostendis potentiam : Quid est enim, inquit, homo nisi folium, qui tentationis vento rapitur, et desideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana quod tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc enim plerumque ira perturbat; cum recedit ira, succedit inepta lætitia. Aliquando hanc superbia elevat; aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit, etc. Unde bene per Isaiam dicitur : Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos pondere in vanam elationem, levavit, »

7. NON EST QUI INVOCET NOMEN TUUM, — ea fide, mente, sanctitate et justitia, qua par est, ut te iratum, tuamque manum nos punientem teneat, uti fecere Jacob, Moses, Daniel, Esdras, aliique Prophetæ. Judæi enim etiamnum orant Deum, sed fide, mente et pietate, id est impietate judaica, quæ Deum magis irritat, quam conciliat. Nota hic sanctos viros continere manus et iram Dei; illi ergo sunt salus et columen reipublicæ; si illi cadant, cadit et respublica, ejus peccata ulciscente Deo : sicut cadente columna ruit domus, excusso scuto occiditur miles. Hinc Deus, populo suo vitulum adoranti iratus, dicit ad Mosen pro populo orantem, et Deo quasi manus tenentem ac ligantem : « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam, » *Exodi* XXXII, 10.

ALLISISTI NOS IN MANU INIQUITATIS NOSTRÆ, — id est propter iniquitatem nostram. Ita Sanchez. *Secundo*, melius et efficacius, « in manu, » id est per, *q. d.* Tradidisti nos peccato quasi lictori cruciandos et allidendos. Unde Vatablus vertit : *Contabescere nos sinis in manu iniquitatis nostræ*; et Forerius : *Liquefecisti, vel resolvisti nos in manu iniquitatis nostræ*, hoc est tradidisti nos peccatis nostris, ut illa quasi manu sua nos comminuerent, resolverent, et omnem virtutem nostram exhaurirent, ut consistere nequiremus, sed sicut cera quæ liquescit, difflueremur, ac tota respublica nostra, regnum, cultus, religio, dignitas, insuper fides, spes, charitas et virtutes omnes, et quidquid virium est tam corporis quam animi, dilaberetur et evanesceret : has enim vires habet iniquitas in sui auctores, ut, si in manus ejus tradantur, sive homines, sive integra imperia, brevissimo tempore comminuantur, velut vas testaceum, magna vi lapidum obrutum et obtritum, aut sicut cera a facie ignis liquescit et tabescit.

8. ET NUNC, DOMINE, PATER NOSTER. — Vertit se hic ad deprecationem Propheta, ut Deus Judæorum tam miserorum et cæcorum misereatur. Movet autem ei affectum commiserationis dicendo : « Pater noster et fictor (figulus, ut vertit Vatablus, qui Adamum patrem nostrum omnium e luto formasti) noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. »

Vers. 9. 9. NE IRASCARTIS, DOMINE, SATIS. — Pro satis hebraice est, usque valde, hoc est ultra modum, nimis. Orat ne Judæorum derelictio duret in æternum.

Vers. 10. 10. CIVITAS SANCTI TUI (hebraice, sanctitatis tuæ, id est sanctuarii tui, in qua scilicet erat sanctum tuum templum) FACTA EST DESERTA. — Aliter Forerius, « civitas sancti tui, » scilicet Davidis, qui in ea olim rex sanctus regnavit. Verum priori sensui favent Hebræa et sequentia : « Domus sanctificationis nostræ (hebraice, domus sanctitatis nostræ) et gloriæ nostræ, in qua laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, » id est templum illud, quod putabamus sanctum esse et inviolabile, de quo gloriabamur quod esset tuum, æque ac nostrum et patrum nostrorum, exustum est.

Vers. 11. 11. DESIDERABILIA NOSTRA (Vatablus, expetibilia nostra, id est palatia, aliaque loca splendida, quæ habemus in deliciis) VERSA SUNT IN RUINAS. — A quibus? a Chaldæis, inquit Vatablus. Verum dico, a Tito et Romanis. Ita S. Hieronymus, Justinus, Contra Tryphon., Forerius, Adamus et alii passim. Sub Tito enim omnia Israelis bona, tam spirituaia, quam temporalia, corruerunt et interierunt. Unde orationem per pathos commiserationis gentis suæ, ita desolatæ et deploratæ, concludens Propheta ait :

Vers. 12. 12. NUMQUID SUPER HIS CONTINEBIS TE, DOMINE, ET AFFLIGES NOS VEHEMENTER? — Cui quid respondeat Dominus, audiemus cap. sequenti.

Audi S. Hieronymum : « Judæi hæc omnia Assy-

riorum et Babyloniorum temporibus putant esse completa. Nos autem juxta ea quæ ex persona Salvatoris sequuntur : Apparui his qui non interrogabant, inventus sum ab his qui me non quærebant; ad tempus Romanæ victoriæ universa referimus, quæ Josephus Judaicæ scriptor historiæ septem explicat voluminibus, id est περί ἀλώσεως, sive de bello Judaico, et superfluum est ea sermone edisserere, quæ oculis pateant, cum omnia desiderabilia eorum versa sint in ruinam, et templum toto orbe celebratum in sterquilinum urbis novæ, quæ a conditore appellatur Ælia, et in habitaculum transierit noctuarum : frustra que quotidie dicunt in Synagogis suis : Super his omnibus, Domine, sustinebis, et affliges nos, atque humiliabis vehementer? »

Tropologice, idem S. Hieronymus hæc refert ad Ecclesiam, vel ad sancti viri animam : « Quæ recte, inquit, appellari potest specula, et visio pacis, quoniam Pater et Filius et Spiritus Sanctus habitaverunt in ea. Sin vero vitio vel nostro, vel populi, hujuscemodi Sion a Domino fuerit derelicta, statim patebit incendio ignitarum diaboli sagittarum. Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum, Osee VII. Et expulso pudicitiae frigore, libidinis in templo Dei flamma grassabitur, ut quidquid gloriosum in nobis prius et inclytum fuit, corruat, deleatur et pereat; et impleatur illud Psalmi: Combusserunt igni sanctuarium tuum, profanaverunt in terra tabernaculum nominis tui. Quod solus potest ille restinguere, de cujus ventre fluunt aquæ viventis flumina. »

CAPUT SEXAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Respondet hic Deus Isaicæ querelæ de Judæorum reprobatione, asseritque ejus causam esse non Deum, sed ipsosmet, eo quod ad illos manum extenderit, et illi eam abmuerint; gentes vero ultro eam requisierint: quare merito se a Judæis ad gentes transiisse; præsertim cum parentes eorum idola et Fortunam coluerint; ipsique aliis peccatis propriis, ac præsertim spernendo Deum et Messiam, mensuram peccatorum parentum suorum adimpleverint, ideoque a Deo reprobat, et excidio destinati sint. Deinde, vers. 8, hanc suam contra Judæos sententiam emollit, aitque paucos ex eis ad Christum convertendos esse, et salvandos, qui deinde sparsi per gentes eos subjicient Christo. Denique, vers. 13, incredulorum infelicitatem, credentium vero felicitatem miram describit, scilicet quod dabit illis nomen novum, quod oblivioni tradentur angustiae priores, quod creabit cælos novos et terram novam, quod creabit Jerusalem exultationem, et populum ejus gaudium, quod non audietur ultra vox fletus et clamoris, quod copia rerum fruentur, eruntque longævi et benedicti a Deo, qui eos exaudiet antequam clament, facietque ut lupus et agnus simul pascantur (1).

1. Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me, dixi : Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. 2. Expandi manus meas

(1) Dat Propheta responsum Dei decretorium, quæstioni factæ in præced. cap., quo ipse Deus,
Primo, promittit gratuitam gentium vocationem, 1;

Secundo, denuntiat Judæis propter propria et patrum scelera pœnalem ultionem, 2-7;
Tertio, ne propter ea quæ in superioribus improbis mi-

tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. 3. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper : qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres : 4. qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt : qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum. 5. Qui dicunt : Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es : isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. 6. Ecce scriptum est coram me : Non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum. 7. iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum, simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi, et remetiatur opus eorum primum in sinu eorum. 8. Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. 9. Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos : et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. 10. Et erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum, populo meo qui requisierunt me. 11. Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam. 12. Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis : pro eo quod vocavi, et non respondistis : locutus sum, et non audistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis. 13. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis : 14. ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. 15. Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis : et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio. 16. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen : et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen : quia oblivioni traditæ sunt angustiae priores, et quia absconditæ sunt ab oculis meis. 17. Ecce enim ego creo cælos novos, et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. 18. Sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo : quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, et populum ejus gaudium. 19. Et exultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo : et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris. 20. Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos : quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. 21. Et ædificabunt domos, et habitabunt : et plantabunt vineas, et comedent fructus earum. 22. Non ædificabunt et alius habitabit : non plantabunt, et alius comedet : secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei, et opera manuum eorum in veterabunt : 23. electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. 24. Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. 25. Lupus et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas : et serpenti pulvis panis ejus : non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus

1. QUÆSIERUNT ME (Est vox Dei respondentis querimoniam Isaiaë, q. d. Gentes, quibus hactenus ignotus et incognitus fui, cœperunt avide me requirere, mox ut per Apostolorum prædicationem

natus erat, desperent pii, in eorum solatium temperamentum aliquod pœnæ addit, et ab ea excipit portionem Judæorum fidelem et exponit beneficia quibus illam prosecutus sit Deus, 8-10 ;

Quarto, ad illos iterum convertens qui patriæ religionis, verique Dei obliti, gentium idola colentium religiones, imo superstitiones, sequebantur, contra eos repetit damnationem, 11, 12 ;

Quinto, amplificat utramque sententiam per antithesin

eis innotescere cœpi. Unde) DIXI : ECCE EGO (relictis Judæis incredulis, convertam me, et abibo) AD GENTEM QUÆ NON INVOCABAT NOMEN MEUM, — utpote cum jam tanto studio me Christique legem

promissionum et comminationum ; et ostendit jam variis imaginibus, quid sit futurum discriminis inter sortem eorum qui Deo fidem servassent, et aliorum qui ab ejus religione ad peregrinas superstitiones defecissent, 13-16 ;

Sexto, promittit Ecclesiæ regnique Christi sub imagine novi mundi novam formationem, 17, 18, et multiplicem illius benedictionem et prosperitatem futuram describit, alludendo ad benedictiones quæ sunt in lege servantibus mandata Dei, vers. 19-25.

et gratiam quærat : quare eos per Christum ad me et ad salutem adducam.

Moraliter, nota hic alacritatem nostram erga Deum, vicissim Dei alacritatem et beneficia in nos provocare. Deus enim munificentissimus munificentia se vinci non patitur, sed volentibus sponte occurrit, eorumque vota adimplet, imo superat et transcendit. Hoc significat hæc iteratio : « Ecce ego, ecce ego. » Ita explicat S. Paulus, *Rom. x, 20*, additque : « Isaias autem audet, et dicit; » quia nimirum magnæ audaciæ fuit, apud Judæos prædicare gentium vocationem, et Judæorum reprobationem, adeoque Origenes et alii censent hanc fuisse causam mortis et martyrii Isaïæ.

Hæc verba apposite usurpavit S. Menas Martyr. Cum enim per quinquennium mire austeram in deserto egisset vitam, parans se ad martyrium, Dei monitu egressus in urbem solemnem gentilium festo, theatrum conscendit, et e loco sublimi alta voce exclamavit : « Inventus sum ab iis qui me non quærunt; manifestus evasi iis, qui me non interrogant. » Qua voce omnium in se convertit oculos, ductusque ad præsidem, libere et intrepide Christi fidem prædicans, nervis boum cæsus, ferreis unguibus laceratus, ardentibus facibus ustulatus, aliisque horrendis modis excruciat; hæc omnia ridens, et constanter Christum celebrans, tandem gladio percussus, gloriosum pro Christi professione obiit martyrium sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, cujus triumphum anniversaria memoria recolit Ecclesia 11 novembris.

Vers. 2. 2. EXPANDI MANUS MEAS TOTA DIE AD POPULUM INCREDULUM, — *q. d.* Ad Judæos jam inde ab initio sinum et manus expandi, quasi profundens in eos mea munera et charismata, ac præsertim manus expandi in cruce, aiunt Theodoretus et Forerius, ut eos ad me etiam moriens, licet ab eis occisus, allicerem et amplecterer. Verum ab eis nihil impetravi : nam prisca idololatriæ et sceleribus patrum, filii nova crimina addunt; et sicut patres increduli fuerunt Deo colendo idola, ita filii increduli sunt Christo, sequentes suas cogitationes, et pertinaciter adhærentes Mosis et Judaismo. Ita explicat Apostolus, *Roman. x, 20*, et ibidem Ambrosius, Origenes, Chrysostomus, atque S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus hic, et Hilarius, lib. V *De Trinitate*, et Cyprianus, lib. I *Contra Judæos*, cap. XXI.

Vers. 3. 3. POPULUS QUI AD IRACUNDIAM PROVOCAT ME ANTE FACIEM MEAM SEMPER. — Nam patres in templo, quasi ante faciem Dei, immolabant idolis, ait Cyrillus; filii vero Christo in faciem resistebant, eumque conviciabantur.

ET SACRIFICANT SUPER LATERES, — id est super altare constructum ex lateribus, more gentilium, inquit S. Hieronymus. Unde Judæis id vetitum erat : eis enim jusserat Deus, ut altare construe-

rent ex terra, aut lapide impolito. Causas dedit *Exod. xx, 21*. Verum nota : Pro qui sacrificant hebraice est מקטרין, id est ut Septuaginta θυμιάσκον, thymiama adolent, thurificant, incensant. Judæi enim ex lege *Exodi xxx, 1*, thymiama adolebant in altari, non holocaustorum sed thymiamatis, quod factum erat ex lignis setim auro obductis : hi vero ex gentilitio ritu idem habebant altare holocaustorum et thymiamatis, illudque ex vili latere factum et fictum. Hoc taxat et ridet hic Propheta (1).

4. QUI HABITANT IN SEPULCRIS. — Septuaginta **Vers. 4.** vertunt : Qui in sepulcris et specubus dormiunt propter somnia, ut scilicet per ea edoceantur de veritate rei arcanæ, vel futuræ, quam quærunt, eamque aliis revelent, itaque quasi prophetæ divinent : quomodo Pomponius Mela et alii narrant, Libyas mortuos colere pro numinibus, et sepulcris incubare, ut a mortuis petant somnia, quibus admoneantur quid in rebus arcanis et dubiis facto sit opus. Ita Cyrillus, Theodoretus et alii.

Dormire in sepulcris genus divinationis.

Erant enim sepulcra veterum, uti etiamnum sunt regum et Religiosorum, ampla et spatiosa, instar camerarum vel cubiculorum, in quibus proinde dormire, quin et habitare poterant.

Unde secundo notantur hic magi et sagi, qui in sepulcris degebant, ut ibi dæmonem consulerent, cum eoque colloquerentur. Dæmones enim sepulcra adamare patet ex dæmoniacis habitantibus in monumentis, quos Christus sanavit, *Matth. VIII, 28*. Dæmones enim, quia fœtidissimi et spurcissimi sunt, hinc fœtidissima induunt corpora, et fœtidissima ambiunt loca, utpote sibi similia, qualia sunt sepulcra, patibula, cavernæ, etc. Adde, nutu Dei hoc fieri, ut simul significetur illos delectari hominum morte, et inter mortuos versari : perinde ac carnificis et reorum plectendorum locus est Golgotha, sive Calvaria. Denique tertio, S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius in *Matth. VIII*, tradunt id eos facere, ut hominibus persuadeant hominum animas in dæmones commutari, ac suis corporibus sepultis assidere. Unde S. Chrysostomus : Dæmoniaci, ait, clamant : « Anima illius ego sum. »

Dæmones amant sepulcra tres ob causas. Prima.

Secunda.

Tertia.

ET IN DELUBRIS IDOLORUM DORMIUNT. — « Ubi stratis pellibus hostiarum, inquit S. Hieronymus, in-

(1) Rosenmuller hic notari putat ritum aliquem supersticiosum, nobis ignotum, quo in lateribus, formulis forsitan magicis insculptis, quales illi sunt qui litteris cuneatis inscripti hodie in veteri Babylone reperiuntur, in honorem idoli alicujus, aut alia superstitionis causa thura adolebantur : sunt לנבים, hoc loco tecta lateribus, tegulisve strata indicare velint, inter quos David Millius, qui in *Dissert. de idolo אחר*, observat fuisse consuetudinem in tectis super tegulis sacrificandi, eorum qui expiationibus et magicis artibus studerent, præsertim mulierum, quæ tegulariæ ob eam causam dictæ essent. sane in tectis ædium thura adolevisse idolis impios Hebræos, constat eo *Jerem. XIX, 13*; *XXXII, 29*; *Sophon. I, 5*; *IV Reg. XXIII, 12*. Notandum etiam juxta Chardinum, tecta domorum in pluribus Orientis partibus vocari lateres, eo quod lateribus constrata sunt.

cubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent. Quod in fano Æsculapii usque hodie error celebrat Ethnicorum, multorumque aliorum, quæ non sunt alia nisi tumuli mortuorum. » Sic in Æsculapii delubro dormisse ægros, ut ab eo sanitatem impetrarent, testatur Aristophanes in *Pluto*. Sic Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. LIV, asserit, « Nasammonas propria oracula apud parentum sepulera mansitando captare, ut Heraclides scribit: et Celtas apud virorum fortium busta eadem de causa abnoctare, ut Nicander affirmat. » Quocirca Isaias delubra hæc jungit sepulcris, quia juxta sepulera suorum solebant erigere delubra, vel ut deos suis defunctis facerent propitios et provisos, vel ut in iis defunctos heroes et principes, quasi inter deos relatos colerent. Unde Ascinius in *Divin.*, censet in delubris ablui solita mortuorum corpora, indeque loca ante aras dicta *delubra*, quod in iis essent labra, id est conchæ et vasa, ad abluendos mortuos; vel, ut alii, delubra dicta a *diluendis* tum cadaveribus, tum manibus sacerdotum ante sacrificium; licet Festus delubrum dici putet quasi *delibratum*, id est decorticatum fustem, quem venerabantur pro Deo. Servius vero: Delubrum, inquit, dictum est, quod uno tecto plura complectitur numina, ut est Capitolium, in quo est Minerva, Jupiter, Juno. Videntur ergo gentiles in delubris, æque ac in sepulcris, divinationes captasse et oracula per necromantiam (1).

Perperam ergo Vigilantius, et nostri hagiomachi, hoc detorquent contra basilicas Martyrum, in iisque vigilias fidelium et orationes. «Hoc enim, ait S. Hieronymus, non tam illi faciunt, quam habitantes in illis dæmones, fortitudinem et flagella sancti cineris non ferentes. » Nota hoc, Calvine.

Rursum in delubris idolorum, præsertim Veneris, dormiebant vacantes libidini, uti ostendam *Baruch* VI, 24. Secus fiebat in vigiliis Christianorum; illi enim in templis pernoctabant vacantes orationi. Porro quam hoc gratum sit Deo et Sanctis, multis miraculis sæpe declararunt. Audi unum illustre quod Romæ in basilica S. Petri contigit anno Christi 649, Martino I Summo Pontifice, quodque narratur in Concilio Toletano VII, in fine. Cum in Hispania non inveniretur prima et secunda pars *Moralium* S. Gregorii, Taio Cæsaraugustanus Episcopus Romam profectus est, ut eos inde transferret in Hispaniam. Cumque Romæ chartophylaces ei moram necterent in perscrutandis archivis et scriniis, Taio nocte ad sepulcrum S. Petri pervigilans, oransque sibi indicium librorum S. Gregorii dari, vidit totam ecclesiam immenso lumine repleri. Deinde conspexit magnam augustamque albatorum præsulum multitudinem binos et binos altare S. Petri tendere. Ex hisce duo ad Taionem diverterunt, unus-

que ex eis scrinium, in quo libri quæsitae continerentur, ei digito ostendit. Quæsit Taio: « Quænam hæc tam præclarorum virorum est processio? » Protinus ille respondens: « Duo, inquit, illi quos præcedentes, seque invicem manu inserta vides complectentes, sunt SS. Petrus et Paulus. Reliqui vero quos post eos cernis stantes, ipsi sunt successores eorum, hujus Apostolicæ Sedis ex ordine Pontifices. Et sicut hanc Ecclesiam in vita sua dilexerunt, ita et nunc post obitum diligunt, et frequenter eam invisere veniunt. » Tunc Episcopus: « Oro, inquit, mi domine, ut dicas mihi quisnam tu ipse sis. » Ille respondit: « Ego sum Gregorius, pro cujus libris tanti itineris laborem sustinui. » Rursum Episcopus: « Obsecro, ait, domine mi (si hic est), mihi dicas, quisnam istorum est S. Augustinus, cujus libros non minus quam tuos dilexi? » Cui S. Gregorius: « S. Augustinum virum excellentissimum alius a nobis continet locus. » Non enim Romæ in ista basilica sepultus est. His dictis ad cœtum aliorum cum socio rediit, omnesque simul ad altare S. Petri reverenter submissis capitibus inclinantes, eodem quo venerant ordine et lumine recesserunt. Denique Taio libros in scrinio sibi ostenso quærens reperit, et in Hispanias detulit.

Accipe alterum. Theodosius Senior magnificum templum exstruxit Constantinopoli in honorem S. Joannis Baptistæ, eoque transtulit sanctum ejus caput, qua de causa etiamnum celebramus festum decollationis S. Joannis Baptistæ 29 augusti, uti testatur Prosper in *Chronico*, Sozomenus, lib. VII, cap. XXI, Cedrenus, Sigebertus, anno Domini 391, et alii. Exorto postea bello periculoso inter Eugenium tyrannum et Theodosium, Theodosius, magis Deo et Sanctis quam armis nixus, in hoc templo ardentem precem effudit, invocavitque opem S. Joannis, ut ipse esset protector ejus et bellidux. Exaudiit Sanctus, ac remuneratus est pietatem Imperatoris: nam cum prælium committeretur, cæsus est Eugenius, dux ejus Arbogastes fuga elapsus, se ipsum interemit. Porro id factum esse ope S. Joannis patuit ex eo quod narrat Sozomenus, lib. VII, cap. XXIV: « Fertur, inquit, quod eo tempore quo collectis copiis Imperator in templo Dei, Hebdomo dicto, orabat, dæmon quidam egressus, et in sublime raptus, Joanni Baptistæ conviciatus sit, et capitis amputationem exprobrando exclamaverit, dicens: Tu me vincis, et exercitui meo insidiaris. Qui adfuerunt, etc., diem quo ista acciderunt, conscripserunt, et paulo post de bello ab illis qui interfuerunt, sic ea gesta esse cognoverunt. »

Nota: vitia quæ hic taxat Isaias spectant Judæos non tam tempore Christi (tunc enim non coluerunt idola), quam eos qui vixerunt sub temporibus, et post tempora Isaïæ: horum enim, æque ac posterorum, peccata arguit. Solent enim Prophetæ de posteris ita prophetare, ut tamen parentum vitia moresque sui ævi taxare non negligant.

(1) Vide Jahn, *Archæolog. Bibl.* part. III, cap. VI *De divinationibus*.

Forerius, ut ostendat hæc etiam Judæis tempore Christi convenire, mystice omnia et symbolice explicat: Pharisæi, inquit, *primo*, immolabant in hortis diis suis, non Priapo aut Jovi, sed gulæ, ventri, veneri et cupidini suo. *Secundo*, immolabant super lateres: quia in vasis testaceis adolebant thus, aliosque suffitus ad mollitiem et delicias. *Tertio*, habitabant in sepulcris, id est erant hypocritæ, et eorum instar exterius speciem præferrebant pietatis, cum intus essent pleni dolo et avaritia: erant ergo ipsi sibi quasi sepulcra dealbata. *Quarto*, dormiebant in delubris, id est horrenda facinora patrabant. Verum hæc mystica sunt, non litteralia. Unde et Pythagoras tertium hoc symbolum habuit, sed alio sensu: « In sacro, ait, sepulcro dormire periculosum est, » id est res superis consecratas ad voluptatem et socordiam substernere periculosum est, quia hoc iram et vindictam Dei provocat.

QUI COMEDUNT CARNEM SUILLAM, ET JUS PROFANUM. — Taxavit Judæorum idololatriam, nunc taxat gulam et inobedientiam, quod scilicet carnes lege vetitas, uti porcina, coquerent et comederent. Hinc earum jus vocatur « jus profanum, » id est vetitum. Cum enim caro comedi vetatur, etiam jus carniū vetatur. Rursum jus profanum erat, quod ex victimis pacificis coctis, in secundum, aut, si ex voto esset, in tertium diem relinquebatur: eodem enim die comedi debebat; unde si in tertium diem reservaretur in vasis, erat פִּגְגֻל *piggul*, id est res immunda et inquinans, *Levit. VII, 15*, et cap. *XIX, 7*. Ita Forerius. Porro caro suilla, sive porcina, quia sordida, vetita fuit Judæis, *Levit. XI, 7*. Unde porcum a spurcicie dici censet Rupertus, lib. II *De Trinit.* cap. *XXXIII*: « Latinus, inquit, caballum a *cavando* nuncupat, eo quod terram cavet ungula: asinum ab *assidendo*; porcum quasi *spurcum*, eo quod spurcus sit: et canem, eo quod *canorum* continet venando latratum. » Ita ipse, de quo judicent Onomastici.

5. QUI DICUNT (gentili): RECEDE A ME, QUIA IMMUNDUS ES, — quasi dicat: Hi Judæi ex fastu aversantur gentiles, quasi immundos, quod suilla aliisque carnibus lege vetitis vescantur; cum tamen ipsimet easdem comedant: ac proinde immundiores sunt gentibus, cum contra legem suam faciant; gentibus autem nulla lege hæc carnes vetentur.

ISTI FUMUS ERUNT IN FURORE MEO, IGNIS ARDENS TOTA DIE, — *q. d.* Isti ibunt in fumum et ignem tum Titi et Romanorum, qui Hierosolymam comburent; tum in fumum et ignem, hoc est in ignem non lucentem, sed fumantem, tetrum, fœdum et caliginosum gehennæ. Est metonymia: « ignis » enim et « fumus » vocantur, objecta et fomenta ignis et fumi, qualia erunt corpora damnatorum, v. g. Judæorum horum Christum respuentium. Ita S. Hieronymus, Forerius, Adamus et alii.

6. ECCE SCRIPTUM EST CORAM ME, — *q. d.* Scripta sunt eorum peccata tum in ipsorum conscien-

tia, tum in memoria et mente mea; ac proinde jugiter oculis meis observantur, pulsantque justitiam meam, ut justam vindictam in eos exserat. Alludit ad *Deuteron. XXXII, 34*: « Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore. » Sic et ait Jeremias, cap. *XVII, 1*: « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, » de quo ibi.

NON TACEBO, — non quiescam, non cessabo a vindicta Judæorum. Respicit ad id quod dixit cap. *XLII, 14*: « Tacui semper, silui, patiens fui, quasi parturiens loquar; » sæviam nimirum in Judæos tempore Christi, cum ipsi mensuram peccatorum patrum suorum plane impleverint; tunc enim et parentum et filiorum peccata, totius gentis excidio mulctabo. Vide dicta *Genes. XV, 16*. Hoc est quod Christus ait Judæis, *Matth. XXIII, 32*: « Et vos implete mensuram patrum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justii usque ad sanguinem Zachariæ, » etc.

7. QUI SACRIFICAVERUNT SUPER MONTES (in locis Vers. 7. altis, quæ excelsa dicta sunt), ET SUPER COLLES EXPROBRAVERUNT MIHI. — Qui enim colunt idola quasi deos, exprobrant Deo arrogantiam divinitatis, eamque a Deo, quasi falso usurpatam, in idola, quasi illis debitam, transcribunt. Adde solere idololatras sua idola laudare, iisque adscribere suas opes, victorias et fortunas; atque e contrario Deum Judæorum conviciari et subsannare, uti fecerunt Judæi adorantes vitulum aureum, *Exodi XXXII, 4*: « Hi sunt, inquiunt, dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. »

ET REMETIAR OPUS EORUM PRIMUM IN SINU EORUM, — *q. d.* Prima et prisca Judæorum opera remunerabor rependamque, pœnas meritas effundendo in sinum eorum.

8. QUOMODO SI INVENIATUR, etc. — Hic querelam Isaïæ mulcet et mitigat Deus per consolationem aliquam, quam desolationi Judæorum immiscet, *q. d.* Sicut si quis in botro corrupto, v. g. congelato, pedibus contrito, aut putrido, unum granum vel acinum (ita et Septuaginta et Vatablus; perperam ergo Marloratus pro grano vertit, *mustum*) illæsum et integrum inveniret, diceretque alteri: Ne carpas illud, aut abjicias; sed sine ut seratur, germinet et crescat in vitem, novosque botros procreet: *Quoniam benedictio in eo est* (ita habent Hebræa); *benedictio*, id est fecunditas, puta semen, et spes propaginis. Sic enim *benedicere* in Scripturis sæpe significat *benefacere* puta facere ut crescat et multiplicetur. Sic Deus benedixit homini, animalibus et plantis, dicens: « Crescite, et multiplicamini, » *Genes. I, 22*. Pari modo ex Judæis paucos aliquos, instar acini ex botro, id est ex tota gente illæsos servabo, ut non tota gens pereat, sed maneat semen, puta Apostoli, alique pauci credentes in Christum, qui suam deinde fidem et gratiam in alios propagabunt. Hoc est

quod dixit Isaias, cap. I, 9, et ex eo Paulus, Rom. IX, 29 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset. » Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Rupertus et Eusebius, lib. II *Demonstr.*, cap. XLIX.

9. (Hoc est quod subdit Isaias) : ET EDUCAM DE JACOB (de Jacobitis, sive Israelitis) SEMEN (jam dictum), ET DE JUDA (de Judæis) POSSIDENTEM MONTES MEOS. — Puta Apostolos eorumque successores, qui possidebunt Jerusalem sitam in montibus, id est Ecclesiam, cujus doctrina et vita excelsa est et cœlestis. Ita Forerius, Vatablus et alii.

10. ET ERUNT CAMPESTRIA IN CAULAS GREGUM. — Pro *campestris* hebraice est שָׂרֹן *saron*. « Saron autem, ait S. Hieronymus in cap. XXXVII *Isaiæ*, omnis juxta Joppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur. » Unde vertunt *campestris*, quomodo campestris regio in Italia et Gallia fertilissima est, quæ vulgo Campania vocatur. *Saron* ergo per synecdochen significat arva vernantia, et quemvis locum fertilem et amœnum, q. d. Fidelibus in Ecclesia, quasi in montibus amœnissimis et pascuis uberrimis, dabo uberrima et lætissima pascua, ut ibi pascantur et stabulentur, uti greges in caulis campestribus. Est continua metaphora, sive allegoria.

ET VALLIS ACHOR IN CUBILE ARMENTORUM, POPULO MEO. — « In cubile, » id est instar cubilis. Nota : Vallis Achor erat juxta Jericho, Josue VII, 26, ac proinde pinguis et fertilissima. Talis enim erat ager Jericho; ibi enim balsamum provenit, et nusquam alibi : abundat rosetis, cannis mellis, palmetis; unde et civitas palmarum est appellata. Dicitur « Achor, » id est turbationis, eo quod in egressu Terræ Sanctæ sub Josue, ob sacrilegium Achan, ibi Israel turbatus sit et cæsus; sed punito et occiso Achan, per Josue, qui typus erat Jesu Christi, ei et sociis mœror in gaudium est versus; ibique aperta est spes victoriæ et quietis, ubi fuerant desperatio et turbatio. Jam « vallis Achor » hic, primo, accipi potest mundus, in quo nos turbant homines, caro et dæmon, q. d. Licet mundus sit vallis Achor, id est turbationis, in eo tamen per Christum omnes fideles suaviter requiescent; nam vi gratiæ et fortitudine Spiritus Sancti omnem turbationem vincent, aut generose sufferent. Secundo, « vallis Achor » est regio gentium, sive gentilitas ante Christum. Ita Cyrillus. Tertio, et optime, « vallis Achor » est Judæa. Achan enim significat Judæos incredulos Christo, et Christianorum hostes ac turbatores. De Judæis enim hic egit a vers. 8 et deinceps, et sic « vallis Achor » pro Judæa capitur, Osee II, 15, q. d. E Judæa Christi et Christianorum turbatrice prodibunt, in eaque quiete agent, pascentur, aliosque pascent, armenta, id est Apostoli alique Christiani. Loquitur enim de Judæis fidelibus et Christianis; nam de infidelibus agit in sequentibus. Vide *Can.* VI et VII.

11. ET VOS QUI DERELIQUISTIS DOMINUM (Transit ad Judæos impios et infideles, tum suo tem-

pore, tum patrisantes tempore Christi; utrorumque enim impietatem et infidelitatem, horum in Christum, illorum in Deum, arguit. Unde ait) : QUI OBLITI ESTIS MONTEM SANCTUM MEUM, — puta Sion, ejusque templum, et confugitis ad excelsa idolorum, ac tempore Christi relicta Ecclesia, quæ cœpit in Sion, pertinaciter adhæretis impiis Scribis et Pharisæis.

QUI PONITIS (disponitis, instruitis) FORTUNÆ MENSAM. — Pro *Fortunæ* hebraice est גַּד *Gad*, id est felicitas fortunæ. Unde Lia filium ex Zelpha ancilla sua natum vocavit *Gad*, dicens : *Feliciter*, scilicet hic mihi filius natus est, Genes. XXX, 11. Hinc ergo patet *Gad* fuisse deum Gentium, a quo in bellis fortunam et victoriam pendere censebant, quem proinde alii Martem, alii Fortunam vocabant. *Gad* enim deducitur a גִּדְדִּי *gedud*, id est a turba vel globo militari, cui Martem præesse censebant. Atque hinc Germani, olim bellis et rapinis addicti, deum suum vocaverunt *God*, quasi fortitudinis æque ac fortunæ bellicæ præsidem. In prælio enim, ut ait Poeta, « sors et virtus miscentur in uno. » Hinc pro *Gad* Forsterius et Forerius vertunt, *Martem*; R. Moyses, *Jovem*; Noster, Vatablus, Syrus et alii, *Fortunam*; Arias, *bonam gratiam*, vel bonum eventum. Hac de causa « primus, inquit Plutarchus, lib. *De Fortuna Roman.*, Fortunæ templum dedicavit Ancus Martius, sorore Numæ natus, videturque fortunam cognominem fecisse fortitudini, cui ad obtinendam victoriam fortuna plurimum confert. » Et inferius : « Quæ vero ad Tiberim dedicata est, fortuna fortis scilicet, vi omnia vincendi prædita et generosa, ei fanum in hortis populo a Cæsare legatis ædificaverunt; quod hunc quoque favore Fortunæ ad summum imperium evectum judicarent; quod et ipse testatus est. » *Gad* ergo est Fortuna fortis, sive Mars et Fortuna.

Audi et S. Hieronymum : « Est in cunctis urbibus, et maxime in Ægypto, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponant mensam refertam varii generis epulis, et poculum musto mixtum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant Israelitæ omnium simulacrorum portenta venerantes. » Sicut Apim, quem in Ægypto coli viderant, vitulis aureis quos fabricarunt et adorarunt, tum in deserto, tum in Chanaan, imitati sunt. Atque hic mos gentilium apud eosdem ad Christum conversos mansisse videtur. Hinc enim videtur manasse illa consuetudo Christianorum, ut ultimo die anni æque ac primo convivia ineant, ut præteriti anni felicitatem lætitia terminent, et novi prosperitatem eadem auspiciantur, et invicem appresentur.

Certum ergo est gentiles fortunam coluisse ut deum aut deam. Unde Virgilius :

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.

Causam quæris? Assigno. Multa in rebus humanis fortuita sunt, et fortuito eveniunt, uti opes,

Gad et
God erat
deus,
Mars vel
Fortuna.

Mos epulandi in
tione anni
unde?

vers. 10.
Saron
pro ferti-
li.

Vallis
Achor
quæ?

honores, victoriæ in bello. Rursum, probis sæpe adversa, impiis prospera, non merito, sed quasi fortuito accidunt; unde plebs fortunæ hæc tribuit, nesciens fortunam regi a Dei providentia. Hinc multi dicunt illud Herculis: « Ut quid incubi virtuti, quam video subjacere fortunæ? » Hac ergo de causa gentiles coluerunt fortunam, quasi deam potentissimam, suosque beantem. Quin et apud Christianos non desunt, qui fortunæ plus tribuant, quam prudentiæ aut virtuti. Ita avarus ille apud Nazianzenum, in tractat. *De Fortuna*, dicebat: « Gutta bonæ sortis sive fortunæ, potior mihi est bonæ mentis sive prudentiæ cado. »

Bupalus, inquit Giralduus, *syntag.* 16, primus omnium Fortunæ statuam Smyrnæis effecit, polum capite sustententis, manuque Amalthææ cornu. Post hæc Pindarus deam ipsam celebravit. Verum jam ante Orpheus Fortunæ hymnum cum thuris thymiamate concinuit. Fuit et in Ægera urbe Fortunæ simulacrum, gestantis similiter cornu copię, juxta quem Cupido erat alatus. Quare significari putat Pausanias, quod ea etiam quæ ad amorem pertinent, fortunæ magis quam pulchritudine mortalibus succedant. Sic et Lactantius, lib. III, cap. xxviii, docet Fortunam effigiari cum cornu copię et gubernaculo, tanquam opes tribueret, et humanarum rerum regimen obtineret. Hinc Plinius, lib. II, cap. vii, exclamat: « Toto mundo et locis omnibus omnibusque horis, omnium vocibus sola Fortuna invocatur, et una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitur; sola laudatur, sola arguitur, et cum conviciis colitur, volubilisque existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque faulrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, adeoque obnoxie sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus. » Fuit ergo hæc fraus diaboli, ait S. Augustinus, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. xix: « Ut homines recte vivere, perinde ac Deum non curarent, conciliata sibi Fortuna, quæ illos sine ullis bonis meritis faceret fortunatos. »

Porro Fortunam pingebant, primo, cæcam, uti fecit Cebes Thebanus in *Tabula*: « Sed mulier, inquit, illa quænam est, quæ cæca atque insana, super rotundo quodam lapide consistere videtur? Fortuna, ait, vocatur: ea autem non solum cæca, sed insana etiam et surda est. Quænam hujus sunt partes? Obambulat, inquit, quocumque gentium, et aliis quidem facultates eripit, aliis tradit, ab eisque rursum aufert quæ tradiderat, atque aliis temere tribuit. » S. Augustinus, lib. VII *De Civit. Dei*, cap. iii: « Fortunam, ait, deam antiqui dixere, non rationabili dispositione, sed ut temere acciderit, sua cuique dona conferre. De hac Sallustius: Sed profecto Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis quam ex vero celebrat, obscuratque. » Verum Sallustio sapientior Seneca in *epist.*: « Nihil, ait, neque boni, neque mali dare potest Fortuna: valentior enim omni fortuna est animus, qui in utramque partem

res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est. » Et Juvenalis:

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus, Fortuna, deam, cæloque locamus.

Et Plautus, *Trin.*: « Sapiens pol! ipse fingit fortunam sibi. » Et Attius apud Sallustium, ad Cæsarem dixit: « Fabrum esse suæ quemque fortunæ. » Et Fabius apud Livium, lib. XXII: « Bono imperatori haud magni momenti fortunam esse, mentem rationemque dominari. »

Secundo, eam mulierem pinxerant. Audi Artemidorum: « Mercurius, ait, juvenis et adolescens, Hercules juvenulus, Jupiter vir, senex Saturnus, Dioscuri gemini adolescentes, Spes virgo, Diana et Minerva: Spes quidem ridens, Diana casta facie, Minerva Gorgonem intuens. Fortuna mulier juvenis, vetus Vesta. Parcæ tres mulieres vestitæ, nudæ Horæ, lavantes Nymphæ. »

S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. xix, tradit muliebris Fortunæ simulacrum Romæ a matronis dedicatum et appellatum fuisse, quod et sæpius locutum esse tradiderunt. Causam dat Giralduus, *syntag.* 16, et Plutarchus, lib. *De Fortuna Roman.* Cum enim Coriolanus exsul bellum patriæ, nimirum Romæ, intulisset, nec armis resisti posset, nec precibus; mulierum tamen lacrymis placatus est, ideoque templum exstructum Fortunæ muliebris, via Latina, quarto ab urbe lapide.

Tertio, alii, inquit Giralduus, *syntag.* 16, inter maris undam velificantem finxere Fortunam, alii in saxi aut montis cacumine ventis expositam, plerique rotæ insistentem pinxere. Certe Apelles cum Fortunam ipse sedentem pinxisset, rogatus cur id fecisset? « Quia, inquit, nunquam stetit. » Apud Scythas vero sine pedibus fingebatur, ut manus tantum et pennas haberet, instar avium quas apodas vocant, quod pedibus careant; alii cypselos nominant, de quibus Plinius, lib. X, xxxix. Fuere et qui vitream, propter fragilitatem, vocaverunt. Alii Fortunam in equo velocissimo constituerunt, et currentem eam Fatum arcu intento insequi, fortunæ instabilitatem pernicitatemque significantes; eamque Fati vi semper agi: hinc adagium: « Fortuna Euripus, » significans ejus inconstantiam.

Quarto, pingebatur cum cornucopiæ. Hinc et Mammosa a Romanis nuncupata est, ob ubertatem et fecunditatem; item Obsequens, hoc est favens et indulgens, et a Virgilio, Omnipotens, ait Lactantius, lib. II, cap. xxviii. Unde Romani imperium magis fortunæ quam virtuti debent, inquit Plutarchus, lib. *De Fortuna Romanor.* Ubi et addit exemplum illustre: Fortuna, ait, Cornelium Syllam e gremio Nicopolis scorti sublatum; super Cymbricos Marii triumphos et septem ejus consulatus extollens, unius in rempublicam potestate ac dictaturis affecit: qui sane palam se, et res a se gestas Fortunæ in adoptionem dedit, clamans cum Ædipo Sophocleo: « Ego meipsum

Quisque
sibi for-
tunæ esse
faber.

Secundo
mulie-
rem.

Tertio,
rotæ in-
sisten-
tem.

Quarto,
cum cor-
nucopia.

Utr gen-
tes colue-
runt For-
tunam?

Fortu-
nam pri-
mo pin-
gebant
cæcam.

Sylla puto Fortunæ filium. » Subdit deinde : « Numa, et qui eum secuti sunt reges, Fortunam admirati sunt, ut principem alumnamque Romæ, et quod (ut Pindarus dixit) revera urbem ferret. » Sic etiam rex Narsingæ late dominans in India Orientali, se indigat *sponsum subvasthi*, id est bonæ fortunæ, uti liquet ex epistolis Indicis.

Quinto, auream. Aurea Fortuna in cubiculis Imperatorum habebatur. Hæc et morituro ipso præsentem transferebatur ad successorem : unde factum est ut Fortunam auream alicui dicamus. Hanc vero et regiam Spartianus in Severo nuncupavit.

Dionysius Halicarnassæus, lib. IV, scribit Servium Tullum Romanorum regem, superatis Etruscis, Romæ duo templa Fortunæ construxisse, qua per omne vitæ tempus usus erat prospera (nam e servo evectus est ad regnum, idque felix et prosperum), alterum in foro Boario, alterum ad ripas Tiberis. Addit Plutarchus Servium prædicasse consuetudinem sibi esse cum Fortuna, eamque per fenestram quamdam ad se delabi in cubiculum solitam, et subdit ab ipso in Capitolio fanum constructum Fortunæ Primigeniæ, de qua Poeta :

Tu quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper, Fortuna, meorum,
Accipe quæ pietas ponit tibi dura merenti.

Causam addit, quod Fortuna urbi et imperium et originem præstitit. Ita ipse, lib. *De Fortuna Roman.*

Exstat hic Romæ in palatio illustrissimi Cardinalis Farnesii, cuilibet visendum priscum Fortunæ simulacrum. Statua est lapidea ingens et pro-cera, muliebri forma, manu orbem continens, cum hac inscriptione : « Fortunæ reduci, domus Augusti sacrum. »

MENSAM. — Nota : Gentiles diis suis instruebant mensas, putantes eos deliciis nostris pasci et delectari, æque ac ipsi delectabantur. Ex se enim et suo appetitu, deorum suorum appetitum metiebantur. Ita Belo ponebant mensam, putantes Bel cibos omnes in ea positos devorare, cum sacerdotes eos vorarent, *Daniel. XIV, 14.* Ita *Judic. IX, 27*, in fano dei sui convivantes Sichimitæ, conviciabantur Abimelech. Peculiariter autem Fortunæ, quasi deæ festivæ et lætæ, omnemque prosperitatem aspiranti, instruebant mensam et convivium, ut deam quasi hilarinam hilaritate colebant, cum eaque quasi convivarentur, et genio indulgerent. Hac superstitione correctâ, Deus transtulit ad sui cultum, voluitque in suo altari sibi apponi carnes quasi ad cibum, et vini libamen quasi ad potum, indeque altare dictum est mensa Domini, ut dixi *Levit. I et II.*

ET LIBATIS SUPER EAM. — Hebraice, *impletis ipsi Meni potionem*, vel *libamen*, quod Septuaginta vertunt, *impletis ipsi dæmoni potionem*. Videntur enim ipsi cum Symmacho legisse מני *minni*, id est *absque me*, q. d. *Qui paratis Fortunæ mensam, et impletis absque me potionem, ut doceat eam non sibi fieri, sed dæmoni*, inquit S. Hieronymus. Dæmon ergo

dicitur *minni*, id est absque me, quia est sine Deo, imo contra Deum. *Secundo*, alii, ut Pagninus, *minni* vertunt, *planetis*; alii, *fato*, ait Vatablus. *Tertio*, Forerius per *Meni* (ita enim ipse aliis punctis legit) accipit Mercurium; erat enim ipse præses computuum et negotiationum, a radice מנא *mana*, id est numeravit, supputavit. Mercurio ergo libabant, ut in negotiationibus feliciores essent. Nam eidem etiamnum astrologi vim quamdam adscribunt divinam in illos qui eo horoscopo seu ascendente nascuntur, qua sint in negotiationibus cæteris feliciores. *Quarto*, valde probabiliter Sanchez, למני *limni*, vertit, *ad numerum*, putatque aludi ad antiqua sacra in Annæ Perennæ memoriam instituta. Anna enim dea, ab annis quibus præsidebat, vocata est, et illi mense martio sacrificabant, quo eis annare et perennare liceret. Fuit ipsa Beli filia, soror Didonis, quæ Laviniam Æneæ uxorem sibi insidiantem fugiens, in Nemicum amnem se præcipitem dedit, ac persequentibus se loqui visa :

Placidi sum nympha Numici,
Anne perenne latens, Anna perenna vocor.

Ita Ovidius, lib. III *Fast.* In sacris ergo Annæ superstitiosi gentiles ad numerum bibebant, putantes tot annos vitæ sibi adjiciendos, quot cyathos in ea solemnitate hausissent, de quibus Ovidius, ubi supra :

So.s tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt,
Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Qui sit per calices facta Sibylla suos.

Sic et Arias, et Delrio, *adagio* 810, putant hic notari eos, qui in honorem dei sui tot bibebant cyathos, quot litteras continebat ejus nomen. His ergo denuntiari jubetur Propheta, cyathos illos vitæ annos non addituros, sed detracturos; neque enim ipsi numerabunt annos, sed potius ipsos numerabit gladius, ut sequitur.

Septuaginta *meni* vertunt, δαίμων, dæmoni, vel genio. Nam Scholiastes Apollonii, lib. I, tradit tria fuisse præcipua et sacra pocula in conviviis, *primum* Jovis sospitatoris, *secundum* Boni Genii, *tertium* Mercurii præsidis somni. *Primum* « Jovis servatoris » dictum est, « bonæ valetudinis, » unde Galli sumpserunt, *boire à la santé.* *Secundum*, « Boni Genii » est « Fortunæ, » quod post cœnam in illius honorem hauriebant, ita illam venerantes, et quasi abnegantes Dei providentiam. Ex hac superstitione manavit superstitio recentior, epulas nocturnas instruendi dominibus bonis, seu Sibyllis albis, et earum reginæ Abundantiæ. *Tertium* bibebant ad conciliandum somnum, quod etiamnum bibunt Germaui. Hoc est quod dixit Antiphanes apud Athenæum, lib. X :

Ad usque tria pocula venerandos esse deos.

Hæc fusius ex Athenæo, Nicostrato, Eripho, Dipphilo, et aliis probat et elucidat Delrio, *adagio* 811. Ubi et addit, *primo*, Septuaginta Fortunam vocare dæmonem, nonnulla allusione vocis Hebrææ *lameni* ad Græcam *δαίμων*. *Secundo*, hinc videri manasse morem Belgarum et Germanorum bibendi post dictas gratias. *Tertio*, nostrum Interpretem hæc omnia complexum uni Fortunæ tribuisse, quia hæc gentilium erat Jupiter, id est deus. Notare ergo eum unius idololatriæ geminam actionem, Fortunam videlicet colentium, *primo*, mensæ appositione; *secundo*, post mensam libatione facta dæmoni; et quia hoc poculum tantum degustabatur, illum usum voce *libandi super mensam*, hoc est, post mensam finita cæna.

Noster ergo Interpretes videtur secutus Septuaginta et Symmachum, ideoque interpretationem *Meni* omisit, quasi satis contentam in nomine *Fortunæ*, quod præcessit; qui enim Fortunæ libant, non Deo, sed dæmoni libant: unde S. Hieronymus in *Comment.*, aliam *Meni* explicationem non adfert. Aut potius id fecit, ut videtur, eo quod per *Meni* intellexerit Fortunam, quasi ea dicta sit *Meni*, a numero vel ferculorum, quæ ei in mensa apponebantur, et, ut Hebræum *עורכי* *orechim* significat, ordinabantur, id est ordinate disponebantur; vel cyathorum, quos in ejus honorem ebibebant, uti jam dixi; vel opum, mercium et honorum, quæ sibi a Fortuna dari precabantur (inde enim fortunæ dictæ sunt opes, quod eas a Fortuna dari et affari putarent), vel turbarum et copiarum militarium. Has enim proprie significat Hebraice *גדוד* *gedud*, a quo nomen *Gad*, id est Fortuna, deductum est: hanc enim illis præesse, ac prædas et victoriam dare credebant. Unde hebraice ad verbum est: *Qui ordinatis Gad mensam, et impletis Meni libamen*, ubi, more Hebræo, idem dicitur posteriori hemistichio quod priori. Idem ergo est, implere *Meni* libamen, quod ordinare *Gad*, id est Fortunæ, mensam: quare sicut Fortuna hebraice dicitur *Gad*, a copiis militaribus et prædatoriis; ita et dicitur *Meni*, ab earum numero et multitudine. Perperam ergo Musculus vertit: *Et impletis numero libamen*: quia scilicet, inquit, Judæi certum astrorum vel deorum numerum colebant; aut quia iis certo libaminum numero juxta numerum offerentium sacrificabant: quales superstitiones multas habent Papistæ, dum non tantum oblationes, sed et orationes suas ad certi numeri præscriptum alligant: ita hæreticus. Cui respondeo Judæos taxari hic non ob certum libaminum numerum præcise, sed quod eum suis idolis et diis libarent, eumque falsorum deorum suorum numero adæquarent: taxat enim eorum idololatriam. At Christiani non sunt idololatræ, sed Deum verum jam per preces certas et numeratas, jam per incertas et indefinitas ad libitum colunt. Porro sciunt omnes S. Scripturam sæpe mysteria

divina per numeros consignare, ut patet in duodecim millibus signatorum, *Apocal.* vii, et alibi passim. Quis ergo reprehendat eum, qui in honorem S. Trinitatis ter, in honorem quinque vulnerum Christi quinquies orationem Dominicam, etc., recitat? Vide Petrum Bongum, *De Numerorum mysteriis*, P. Canisium, Costerum, et alios, *De Rosario*. Denique nostro Interpreti plane consentiunt Syrus et Arabicus, vertunt enim: *Replestis mensas Fortunis* (Arabice, *idolis*), *et miscuistis eis lagenas vini*.

12. NUMERABO VOS IN GLADIO, — cum scilicet **Vers. 10.** omnes et singulos, quasi numeratim, et ex ordine gladio feriam. Est metalepsis, ex numero enim plectendorum, intelligitur eorundem cædes. Unde Vatablus vertit, *numerabo vos ad gladium*, id est numeratos vos gladio objiciam. Loquitur maxime de gladio Titi et Romanorum. Alludit ad *Meni*, id est numerum, in voce *מניתי* *maniti*, id est numerabo, *q. d.* Quia vos ad numerum bibendo, coluistis Fortunam, hinc pariter ad numerum ego vos gladio trucidabo.

13. ECCE SERVI MEI. — Hoc plane impletum est **Vers. 13.** in discipulis Christi, qui deliciis spiritualibus sapientiæ, virtutum et consolationum cælestium inebriati sunt a Deo, cum Judæi iis prorsus privati et destituti fuerunt, deliciis, inquam, tum gratiarum jam dictarum, tum Eucharistiæ; de hac enim hunc locum intelligunt Cyprianus, lib. I *Contra Judæos*, cap. xxii; Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. ix; Cyrillus et Hieronymus hic.

Anagogice et perfectissime hæc implebuntur in mensa illa cælesti a Christo promissa, *Luce* xxii, 30, ubi Beati jugiter fruuntur nectare et ambrosia divina. Ita S. Hieronymus et Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion*, cap. xviii. Pie et pathetice narrat S. Hieronymus in *Vita S. Paulæ*, hæc in ipsa adimpleta fuisse: « Paula, ait, implevit cursum suum, fidemque servavit; et nunc fruitur corona justitiæ, sequiturque Agnum, quocumque vadit. Saturatur, quia esurivit, et læta decantat: Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! flevit, ut semper rideret; despexit lacus contritos, ut fontem Dominum reperiret; vestita cilicio est, ut nunc albis vestimentis uteretur, et diceret: Scidisti saccum meum, et induisti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabat, et potionem suam cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ut in æternum pane Angelorum vesceretur, et caneret: Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus; et: Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Ut Isaïæ, imo Domini per Isaïam, in se cerneret verba compleri: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis: ecce qui serviunt mihi, bibent, vos autem sitiatis: ecce qui serviunt mihi, lætabuntur, vos autem confundemini: ecce qui serviunt mihi, exultabunt, vos au-

tem clamabitis ob dolorem cordis, et propter contritionem spiritus ululabitis. »

15. ET DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN JURAMENTUM, — id est in execrationem; nimirum cum alicui male precari aut dejerare volent, dicent: Fiat tibi quod factum est Judæis; gladius, clades et desolatio Judaica te comprehendat. Ita S. Hieronymus. Similiter ait Jeremias, cap. XXI, 9: « Dabo eos in vexationem, etc., in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem, » et cap. XXIX, 22, de Achab et Sedecia: « Assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab. »

Septuaginta pro *schin* legentes *sin*, scilicet pro שבוּעַ *scebuæ*, id est juramentum, שבוּעַ *sebuæ*, id est saturitas, vertunt: *Relinquetis nomen vestrum in saturitatem* (id est in nauseam et fastidium) *electis meis.*

ET SERVOS SUOS VOCABIT NOMINE ALIO, — scilicet Christi, *q. d.* Vocabit eos Christianos, quo nomine primum vocati sunt fideles Christi Antiochiæ, *Actor. xi, 26.* Vide dicta cap. LXII, 2. Unde hoc nomen in sequentibus vocatur benedictum, aitque, quod per illud jurabunt; subdit enim:

16. IN QUO (scilicet Christo, sive Deo Christianorum) QUI BENEDICTUS EST SUPER TERRAM, BENEDICETUR IN DEO AMEN, — id est *in Deo vero*, ut vertunt Septuaginta. Hinc patet Christum esse verum Deum. Sensus enim est, *q. d.* In aureo Messiæ et Evangelii sæculo, benedictiones et juramenta fient per nomen Christi, quasi veri Dei, ut qui in nomine ejus benedicetur, benedicatur in nomine veri Dei, ac proinde vere sit benedictus. Dicent enim fideles: Benedicat mihi vel tibi Deus Christianorum, Deus, inquam, amen, id est verus; aut: Ita me Deus amet, ita mihi benefaciat Christus, qui est Deus amen, uti ipse benefecit suis Christianis.

Nota: « Amen » non est hic adverbium approbantis, sed et nomen in regimine genitivi; dicitur enim באֲלוֹהֵי אֱמֵן *belohe amen*, id est in Deo ipsius amen, puta in Deo veritatis et fidelitatis, qui scilicet est Deus verus, fideliterque promissa servat, suosque cultores benedicat, ac fœdifragos et perjuros vindicat et punit, *q. d.* Eveniat mihi vel tibi benedictio, quæ Christianis data est a Christo, qui est Deus amen, id est veritatis et fidelitatis, id quod promisit suis fidelibus et dilectis.

Huc allusit Apostolus, II *Corinth. i, 19*, dicens: « Dei Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, etc., non fuit, Est et Non, sed Est in illo fuit; quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo et per ipsum amen Deo ad gloriam nostram. » Vide ibi dicta.

Et (repete *in quo*, scilicet Christo) QUI JURAT IN TERRA, JURABIT IN DEO AMEN, — *q. d.* Non jurabunt fideles per Jovem, Junonem, Herculem, uti

olim, sed per Christum, per sacra Christi Evangelia, per fidem, per Sacramenta Christi, quasi Dei amen, id est Dei veri: dicent enim jurantes: Juro per Christum, qui est Deus amen, me hoc crimen non fecisse: Ita me salvet aut perdat Christus, qui est Deus amen, si hoc feci. Ita Forerius, Adamus, Sanchez et alii.

QUIA OBLIVIONI TRADITÆ SUNT ANGSTIÆ PRIORES.— Septuaginta: *Obliviscentur tribulationis suæ primæ.* Hebraice enim צָרוֹת *tsarot* proprie significat tribulationes. Sic Joseph e carcere ad principatum Ægypti exaltatus vocavit filium suum *Manasses*, id est oblivio, dicens: « Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum » *Genes. cap. xli, 51.*

Loquitur de benedictionibus et donis Christi in Ecclesia tum militante, tum triumphante: hæc enim tanta sunt ut malorum pristinorum sensum obruant. Addit S. Hieronymus, in cælo omnem memoriam malorum abolendam; ait enim: « Licet possit et hoc dici, quod in cælo novo et in terra nova omnis conversationis pristinae memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit prioris angustiae recordari. » Verum hoc refellit S. Augustinus, lib. XXIII *De Civit. cap. xxx*, ex Psalte qui ait: « Misericordias Domini in æternum cantabo; » neque pars malorum, sed bonorum est prioris angustiae recordari, si ab ea in gloriam ingentem evaseris. Hic enim verum est istud:

Durate, o socii, quondam meminisse juvabit.

« Jucunda est afflictionis recordatio, dum eam effugeris, » ait Aristoteles, lib. III *Rhetic.* Hinc Beati cantant Canticum Mosi exsultantes, quod, sicut Hebræi post angustias Ægyptiorum et maris Rubri, illis demersis, ipsi salvi in littus evaserunt, ita et ipsi ex tot periculis et naufragiis incolumes ad portum salutis appulerint, *Apoc. cap. xv, vers. 3.* Rursus, cap. vii, vers. 14, unus ex beatis, et quidem senioribus, ait: « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, » etc.

Verius ergo est quod prius dixit Hieronymus: « Obliviscentur malorum, non oblivione memorie, sed successione bonorum, » et, ut S. Augustinus ait, « oblivione experientiae, non scientiae. »

Secundo, Forerius hanc angustiam putat esse non tribulationem, sed legis et legalium angustias, præsertim parvam et arctam benedictionem veteris Testamenti, puta abundantiam vini, olei et similibus bonorum terrenorum. Horum enim obliviscentur fideles Christi, cum per eum accipiunt benedictiones amplas et cælestes de gratia et gloria æterna. De hac enim subdit Propheta: « Ecce enim creo cælos novos et terram novam, » atque de his recte ait Deus: « Quia absconditæ sunt ab oculis meis. » Jam enim legales benedictiones, æque ac caeremonias, obliviscitur et respuit Deus. Tribulationes tamen etiam dici possunt absconditæ, id est remotæ et elongatæ ab oculis Dei: quia ipse

In cælo non erit memoria malorum, ait S. Hieronymus.

eas removet a cœlo, ut eas non videant, id est non sentiant, nec ob eas doleant Beati. Hic sensus satis genuinus et connexus videtur: egit enim de benedictionibus Christi, dixitque eas fore benedictiones Dei amen, id est veritatis, ac proinde eas fore veras et solidas, quales non fuerunt Mosis et legis veteris. Prior tamen expositio planior et communior est.

Vers. 17. Ecclesia est novus mundus et regnum Christi.

17. ECCE EGO CREO CÆLOS NOVOS ET TERRAM NOVAM. — Nota hic regnum Christi in Ecclesia vocari novum mundum, qui multo amplior, ornatio, augustior est isto quem cernimus, ut patet consideranti ejus gratias, charismata, Sacramenta, miracula, sapientiam, efficaciam, sanctitatem, ejusque principes Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, etc. Hoc autem regnum hic inchoatur, sed perficietur in resurrectione, quando cœlum et terra vere et materialiter innovabuntur, *Apoc. XXI, 1*. Vide dicta cap. xxxiv, vers. 4. Quare non recte hæc referunt alii ad lætitiã redeuntium e captivitate Babylonica. Nimis enim exilis illa fuit, quam ut de ea dici possit: « Ecce ego creo cœlos novos et terram novam. »

18. QUIA ECCE EGO CREO JERUSALEM (Ecclesiam) EXSULTATIONEM, ET POPULUM EJUS GAUDIUM. — « Exsultationem, » id est exsultantem; « gaudium, » id est gaudentem: ponuntur enim abstracta pro concretis, juxta *Canon. XXXVIII*, ut significetur quod valde exsultabit et gaudebit, ita ut tota videatur converti in exsultationem et gaudium. Hæc et sequentia ad genuinos Ecclesiæ filios, putas sanctos, pertinent, non ad impios et sceleratos. Vide *Canon. IX*.

Vers. 20. Infans dierum quis? Resp. primo.

20. NON ERIT IBI AMPLIUS INFANS DIERUM, — scilicet paucorum, inquit Forerius, *q. d.* Non rapientur immatura morte parvuli, qui paucos dies vixerunt: neque etiam inde efferetur senex, qui dies suos non impleverit. Parvuli, antequam ad maturam ætatem perveniant, non moriuntur: neque qui jam canescere incipit ex vita exhibit, antequam ad decrepitam ætatem perveniat.

Secundo, « infans dierum, » scilicet multorum, inquit Sanchez, est is qui ætatis multos dies et annos habet, sed quoad sapientiam et mores est infans. « Infans » ergo « dierum » idem est quod « puer centum annorum, » *q. d.* Tempore Christi veri Christiani nulli erunt ætate viri, et morum levitate ac pravitate pueri; sed omnes vitæ puritate, gratia et virtute erunt viri, licet gradu dispari: alius enim major erit, alius minor in sanctitate.

Tertio et simplicissime, *q. d.* Renati per baptismum non erunt infantes dierum paucorum, sed instar virorum gratia et virtutibus erunt pleni et validi. Loquitur de adultis baptizatis, qui mox crescunt in virum virtute perfectum, quales erant primi Christiani.

Hunc esse sensum patet ex eo quod sequitur: « Et senex qui non impleverit dies suos, » *q. d.* In lege nova non erit infans, nec senex dierum,

qui scilicet non impleat dies suos virtutis et sanctitatis. Senes ergo in christianismo, æque ac juvenes, implebunt virtutibus annos, ut tot dies et annos habeant virtutum, quot ætatis in fide; tamque senes sint moribus, quam annis quibus vixerunt in christianismo: « Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » Tales erant primi Christiani, qui statim a baptismo currebant ad martyrium. Quicumque ergo vitam in otio transigunt, vel ambitiones sequuntur, non implent dies suos, etiamsi viverent annos Mathusalem. Præclare S. Ambrosius, libro I in *Lucam*, explicans illud *Lucæ* cap. 1: *Erit enim magnus coram Domino*. « Est, inquit, coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis: est etiam parvitas animæ, et pueritia virtutis. Juxta enim animæ et corporis numeramus ætates; non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis: ut vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, et lubricum adolescentiæ animi maturitate non sentiat; pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum. Erit igitur Joannes magnus, non virtute corporis, sed animi magnitudine; parvulus in sæculo, magnus in spiritu. »

Anagoge S. Hieronymus, Cyrillus et Procopius hæc referunt ad resurrectionem Beatorum. Hi enim resurgent in ætate perfecta, puta virili; quocirca huc allusit Apostolus, *Ephes. cap. iv, 13*, dicens: « Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. »

QUONIAM PUER CENTUM ANNORUM MORIETUR: ET PECCATOR CENTUM ANNORUM MALEDICTUS ERIT. — *Primo*, Forerius exponit, *q. d.* In lege nova peccator fidelis non morietur civiliter, id est non ejicietur ab Ecclesia, non maledicetur, non excommunicabitur, antequam fuerit filius centum annorum, id est antequam in peccatis consenuerit; in iisque inveteratus, impudens et contumax fuerit. Favet Arabicus qui vertit: *Juvenis morietur, cum fuerit filius centum annorum; et qui peccat non maledicetur, nisi post centum annos*. Nihil ergo aliud hic locus commendat, quam peccata, quæ per fragilitatem vel ignorantiam committuntur, facile condonatum iri: neque ex eis hominem ignominiam et damnationem in Ecclesia incursum; sed si doleat, mox ab ea ad pœnitentiam et reconciliationem admissum iri. *Secundo*, S. Hieronymus, Cyrillus, Castrius et Delrio; *adagio* 812, exponunt, *q. d.* In Ecclesia Christi etiam pueri quoad ætatem regenerationis in baptismo, erunt in sapientia et virtute christiana viri, id est perfecti. *Tertio* et genuine, dat causam cur dixerit in Ecclesia non fore senem, qui non impleat dies suos moribus et virtutibus: quia scilicet, si quis senex esset, qui moribus esset puerilibus, essetque puer centum annorum, id est ætate esset senex centum annorum, sensibus vero et vitiosa vita esset puer; is non perseverabit in Ecclesia, ut ex militanti eat ad triumphantem; sed punietur morte

æterna, ac maledicetur a Deo, ibitque ad tartara, ut socius sit dæmonum et damnatorum. Idem ergo est: « Puer centum annorum morietur, » quod: « Peccator centum annorum maledictus erit, » ut sequitur. In rhythmo enim Hebræi posteriori hemistichio iterant et confirmant prius. Ita S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus. Sic apud Romanos proverbium erat: « Sexagenarios de ponte dejicere. » Quod multis explicat Erasmus, *chiade* 1, Cent. 5, *adagio* 37.

Nota: Peccator centum annorum vocatur *puer*, ob amores et mores pueriles. Similis phrasis est in Belgio, ubi vocantur *pueri* Hollandici, etiam viri proceri et grandævi: quia matres Hollandicæ præ aliis matribus mire filios suos etiam grandævos amant, ideoque eos vocant et tractant ut pueros. Audi et Hesiodum, lib. I *Oper. et dier.* :

Sed centum quidem annis puer apud matrem sedulam Nutriebatur, crescens valde rudis domi suæ.

Ex adverso justus, licet quindecim tantum annorum sit, vocatur *vir*, ob viriles mores et facta.

Ita Barlaam, teste Damasceno in ejus Historia, cap. XVIII, roganti Josaphat quot esset annorum, respondit 45, miranti Josaphat, regerentique: Atqui facies tua et rugæ te septuagenario majorem indicant. Ita est, et major sum, ait Barlaam, si computem annos vitæ quibus cum muscis mundo vixi: at, « si computem annos quibus Deo vixi, ii sunt tantum quadraginta quinque; et hos tantum annos vitæ computo; cæteros quos in vanitate transegi, mortis. »

Ex adverso veteres laudabant in puero sapientiam et mores seniles, ac talis vocabatur παιδαγωγός (uti vocatus est S. Macarius, teste Nicephoro, lib. IX, cap. XIV), *q. d.* Puer senecio, qualis fuit Salomon juvenis dirimens litem meretricum, Daniel Susannam liberans. Sic Philo Judæus citatus, lib. II *Melissæ*, cap. XVIII: « Qui multum, inquit, temporis in vita corporis vixerint sine ulla virtute ac probitate, eos longi temporis pueros appellare licet. » Et rursum: « Quousque nos senes adhuc pueri erimus? Corporibus quidem propter temporis longinquitatem, senes; animis autem, propter ignorantiam et hebetudinem, admodum pueri. » Hinc gentilium proverbium: « Bis pueri senes, » de quo Suidas in voce καταγρηγόριον: « Consenescas, inquit, Tithono profundius, Cynira diutius, Sardanapalo deliciosius, ut in te compleatur proverbium: Bis pueri senes. » Et Seneca: Nos, ait, « non bis pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper; verum hoc interest, quod majora nos ludimus. » Senes enim repuerascunt, et quasi ad pueritiam redeunt. Nam, ut ait Aristoteles in *Problem.*: « Quomodo accipienda sint, quæ priora dicuntur ac posteriora: » in senibus redit albor simul et raritas capillitii, deinde balbuties, velut altera infantia. Ad hæc gingiva exarmatur dentibus, aut certe perpaucis, et eis vacillantibus instructa, uti accidit pueris. Insuper senibus omnia

corpus ad puerilem decrescit modum: consimilis virium imbecillitas, consimiles cibi. Postremo morum ineptia, levitas animi, et hoc ipsum parum vel nihil sapere infantiam refert. Auctor est enim in *Polit.* Aristoteles, post annos 48, ingenij vigorem evanescere. Hinc fit ut senes pueris mire delectentur, quasi similes, jam ad similitum amorem propensi.

Moraliter, audi Eusebium Emissenum (vel potius Eucherium), hom. 9 *ad Monachos*: « Videte, ait, vocationem vestram, fratres: venire ad eremum summa perfectio est; non perfecte vivere in eremo summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies et silentium sit, et in habitatoribus vitiorum tumultus et colluctatio passionum; si exteriora serenitas teneat, et interiora tempestas? Solemus annos nostros et temporum spatia, quibus nunc vivimus, supputare: non te fallat quicumque ille est, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti: illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit; qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit. Illum diem vixisse te computa, qui pietatis et sanctæ meditationis habet lucem. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cujus usus pervenit ad animam tuam. » Ex quo sub finem infert: « Elaborate, ut laudabili æmulatione certetis; sit unusquisque vestrum in opere Dei promptior, in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate purior, in sobrietate parcior, in lacrymarum largitate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior, in ira mitior, in mansuetudine moderatior, in risu rarior, in compunctione ferventior, in gravitate fundatior, in charitate jucundior. » Ad hæc suggerit medium, scilicet exactum conscientie examen, ut ipsa se quotidie castiget, sibi que dicat: Hodie profecisti, an defecisti? « Puto quod illum incipientem hodie destruxi, hodie senjori meo inobediens fui, mentitus sum, ira vel gula victus sum, plus hodie risi, plus otio et somno quam decebat indulsi, minus legi, minus oravi quam debui. Quis mihi reddet hunc diem, quem in fabulis vanis perdiidi? Sic de omnibus negligentis compungamur in cubilibus, id est in cordibus nostris. »

Symbolice S. Hieronymus: Puer, ait, centum annorum est Christus, qui de Abrahami stirpe est genitus. Abraham enim est puer centum annorum; quia anno centesimo genuit Isaacum, qui fuit typus et parens Christi; peccator vero centum annorum est Judaicus populus, qui ex Abrahami stirpe secundum carnem prognatus est, atque maledictus est; quia manus iniecit in Christum, verum Isaac, qui fuit semen Abrahæ benedictum.

Moraliter S. Gregorius, lib. XVII *Moral.* cap. IV: « Puer centum annorum morietur, etc., ac »

Morale,
anni vi-
tae soli
sunt ii,
quibus
vivimus
Deo.

aperte nos deterreat dicens : Vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur; sed si a peccati perpetratiōe, nec temporis longinquitate compescitur, hæc ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accipit, ei ad cumulum maledictionis crescit; unde necesse est ut, cum nos diutius exspectari conspiciamus, ipsa prorogatae pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia iudicis crescat supplicium peccatoris, et unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat.

21. ET ÆDIFICABUNT DOMOS. — Domos et vineas accipe spirituales Ecclesiæ, puta templa, monasteria, collegia, religiones, sodalitates, aliasque sanctas familias, instituta et conventus, quibus Apostoli ac viri Apostolici et zelosi suam fidem et pietatem stabiliunt, et ad posteros in multa sæcula propagabunt, tum in hac vita, tum in futura et beata : ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Procopius, Forerius et alii : has enim domos spirituales significabant domus materiales promissæ Judæis, Dei legem servantibus, *Deuter. xxviii, 4*, ad quas hic alludit Propheta.

22. SECUNDUM ENIM DIES LIGNI (Hebraice est *illius ligni*, scilicet præstantis et famosi, puta *ligni vitæ*, ut vertunt Septuaginta) ERUNT DIES POPULI MEI, — *q. d.* Fideles mei longævi erunt, imo in cælo in æternum vivent; perinde ac si lignum vitæ, id est cibum immortalitatis, comedissent et comederent. Ita Lyranus, Adamus et alii. Ita ad æternitatem vitæ Beatorum hæc referunt S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus, Lyranus, Castrius, Adamus, Osorius et alii. « Hoc est quod de Dei sapientia ait Salomon *Proverb. iii, 18*. Lignum vitæ est omnibus qui accedunt ad eam, et qui innituntur super illam, quasi super Dominum, firmitas. Nec dubium est quin Verbum Dei significet, qui ipsa est vita et sapientia, et de se loquitur : « Ego sum vita, » ait S. Hieronymus. Addit S. Cyrillus fideles fore sanctos, item felices, et rebus omnibus abundantes, ut fuerunt Adam et Eva in paradiso, dum fruerentur ligno vitæ.

Aliter Arias et Sanchez : censent enim alludi hic ad initium psalmorum, quasi ad tritum vulgo proverbium : « Et erit (justus) tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folia ejus non defluent, » *q. d.* Justus instar arboris, juxta aquas semper vernantis, et fructificantis jugiter, felix erit, locuples, et per omnia a Deo benedictus. « Dies » enim subinde splendorem, opes et felicitatem significat, ut *Jerem. cap. xvii, 16* : « Diem hominis non desideravi. » Et *1 Cor. cap. iv, 3* : « Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die. » Denique Theodoretus per lignum accipit lignum crucis; sed hoc mysticum est.

ET OPERA MANUUM EORUM INVETERABUNT. — Ita hæc puncto dispungenda sunt ab « Electi mei, »

quod sequitur; male ergo hæc conjungunt Forerius et alii. Jam « inveterabunt, » id est ad vetustatem pervenient, erunt longæva, non tabescent; non marcescent, non perdent suum virorem aut fructum; sed cum suis heris perdurabunt et perpetuabunt.

23. ELECTI MEI NON LABORABUNT FRUSTRA, — sed laboris et patientiæ suæ uberem accipient fructum et mercedem. Ita legendum et dispungendum cum Romanis : aliter hæc dispungunt Planiniana.

NEQUE GENERABUNT IN CONTURBATIONE, — sed in pace degentes et gaudio, generabunt filios Christo, et etiamsi oriantur conturbatio et persecutio, eam fortiter et quiete sustinebunt, nec turbabuntur, per eamque crescent prole et sobole fidelium.

Rursum, non generabunt filios, qui mox ab hoste conturbentur, elidantur, præcipitentur, et quorum immatura morte ipsi parentes conturbentur et contristentur, sed vivent diutissime et quietissime. Hoc est enim quod sequitur : « Quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. » Unde pro *in conturbatione*, hebraice est *לבהלה* *labbehala*, id est ad conturbationem, vel ad præcipitantiam; Septuaginta, *in maledictionem*, ut scilicet filii mox nati cedant in cædem, servitium, ludibrium et execrationem, uti cesserunt olim filii Judæorum et Synagogæ Babyloniis, *Thren. cap. v, 13*, et *Psalm. cxxxvi*, vers 8 et 9, ac postea Tito et Romanis : uti etiam fuerunt ipsi fideles ante christianismum. Nam filios quos generabant, generabant peccato, dæmoni, morti et inferno. Symmachus, Aquila et Theodoretus vertunt, *in festinationem*, ut scilicet festine et cito occidantur, aut pereant.

Aliter S. Hieronymus : *In festinatione*, inquit, at nequaquam festinent absque ratione credere Christo et Apostolis, sed imitentur Nathanael inquirentem et rogantem : « A Nazareth potest aliquid boni esse ? »

QUIA SEMEN BENEDICTORUM DOMINI EST, — id est quia sunt filii parentum fidelium, qui a Domino sunt benedicti, tum in se, tum in suis filiis, ut utrique sint felices et longævi.

ET NEPOTES EORUM CUM EIS, — scilicet erunt « semen benedictorum Domini, » vel cum eis, puta parentibus et avis vivent, *q. d.* Nepotes non morientur ante parentes et avos, sed eis claudunt oculos, eisque succedent. Hæc enim avorum et parentum solent esse vota, scilicet ut videant filios et nepotes, in tertiam, quartam et quintam generationem, cum iisque diu et læte vivant, ac tandem saturi dierum eos post se stirpis ac virtutis suæ propagatores relinquunt. Ita diutissime vixerunt S. Joannes Apostolus, S. Polycarpus, S. Simeon, Dionysius, alique primi præcones Evangelii, videruntque spirituales filios et nepotes toto orbe propagatos, cum iisque jucundissime vixerunt; nepotes vero usque nunc propa-

gantur. « Apostoli, inquit S. Hieronymus, et Apostolici viri ita filios generabunt, ut de Scripturis sanctis instruant, ut non imitentur maledictionem Judæ, sed cum Propheta dicant: A timore tuo, Domine, in utero concepimus, et pariturivimus, et peperimus. De his enim dictum erat: Benedicta progenies uteri tui. Tales sunt filii Abraham, qui faciunt opera ejus, et in veteri historia appellantur filii Prophetarum: quales et in novo Testamento Apostoli genuerunt, Paulus Timotheum, Lucam, Titum, multosque alios; Petrus Marcum Evangelistam, et cæteri cæteros, quorum benedictum semen est, et hucusque benedicuntur, et permanent filii filiorum, de quibus Propheta dicit: Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur, et alibi: Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. »

Vers. 24. 24. ANTEQUAM CLAMENT, EGO EXAUDIAM, — *q. d.* Præveniam eorum vota et preces: visa eorum necessitate, aut desiderio occurram et satisfaciam, antequam ipsi illud precibus votisque mentalibus aut vocalibus expriment. Exaudiam ergo, non solum preces, quas fundunt, sed eorum nutum et silentem affectum.

Vers. 25. 25. LUPUS ET AGNUS (v. g. Paulus et Ananias: « Paulus enim fuit Benjamin lupus rapax, » inquit S. Hieronymus,) PASCENTUR SIMUL, — *q. d.* Homines antea contrariis moribus et vitiis addicti, per Christi legem et gratiam mores mutabunt et component, invicem non lædent, sed antipathiam in sympathiam convertent, unanimes et concordēs vivent in Ecclesia, iisdemque spiritualibus cibis, puta doctrina Evangelii, Sacramentis, ritibus aliisque pietatis officiis sibi commodis, utentur et fruentur. Vide dicta cap. xi, 6. Ita S. Hieronymus, Forerius, Vatablus et alii. Hoc est quod ait Christus: « Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, » ut scilicet homines superbos, feros et barbaros ad vestram agninam innocentiam ac mansuetudinem, ac ovinam patientiam traducatis, ut videantur vobiscum esse unius gentis, generis, indolis, æque ac fidei et religionis, parcimonie et temperantie. Unde Forerius, τὸ leo et bos paleas comedit, recte symbolice adaptat jejuniis et abstinentiis Ecclesiasticis et religiosis. In his enim homines olim semper carnivori herbis et fructibus vescuntur. Rursum, ait S. Hieronymus, cum vir disertus et potens in sæculo, Scripturarum se tradit rusticitati, tunc « leo et bos paleas comedit. »

SERP. NTI PULVIS PANIS EJUS, — *q. d.* Serpens

antea carnivorus, ideoque homini noxius, non carnes comedet, sed pulverem et terram, uti ei initio mundi præcepit, et in pœnam seductionis Evæ statuit Deus, *Genes. cap. iii, 14*: « Superpectus tuum gradieris, et terram comedes. »

Rabbini per *serpentem* intelligunt dæmonem Azazelem, quem aiunt *Levit. xvi* (vide ibi dicta vers. 10), principem deserti appellari. Illius enim potestati subditum esse pulverem deserti, id est corpus humanum, quod ex pulvere factum est, donec in spiritualem naturam fuerit conversum. Sic Pausanias meminit dæmonis Eurynomi, quem Delphici credebant mortuorum carnes, exceptis tantum ossibus, devorare. Sic Græci μελιτροῦταν, id est mellitam placentam, ori mortui statim imponebant, quam ipse in inferno objiceret latranti Cerbero, atque διανάκην Charontis naulum, uti probat Alexander Sardus Ferrarius, lib. I *De Moribus gentium*.

Hinc et Forerius ad litteram per serpentem accipit diabolum, *q. d.* Diabolus, qui ante Christum homines, quos in lupos et leones converterat, devorabat; jam post Christum, non homines vorabit, sed pulverem, id est eos qui se sponte ei dediderunt, et devorandos præbuerunt. Verum, cum lupos, leones, boves metaphorice accipi constet, idem de serpente et pulvere dicendum videtur. Sensus ergo est, *q. d.* Homines serpentine, qui alios instar serpentum sua lingua et cauda lædebant, eorumque famam, carnem et vitam vorabant, jam per Christum ponent venenatam hanc rabiem, non nutriuntur aliorum interitu, sed cibo innocuo facile obvio, sibi a Deo dato, qualis est pulvis, puta doctrina Evangelica, quæ est lex humilitatis, modestie et simplicitatis, vescuntur et pascentur. Mystice, serpenti, id est diabolo, cibo erit pulvis, id est homines terreni et carnales, qui in terra repunt, ejusque pulverem vertunt, *q. d.* Ait S. Hieronymus: Diabolus, qui prius hominum mortibus pascebatur, deinceps eos tantum comedet, qui pulvis ac terra sunt, qui scilicet toti terrenis bonis et desideriis inhiant.

Aliter S. Ambrosius, lib. I *De Pœnitentia*, cap. xiii: Serpens, ait, id est diabolus, pulveri, id est carni mee dentem infigat, eique noceat: tantum animam custodi, ut ægritudo carnis peccatum repellat, et spiritum roboret.

NON NOCEBUNT, etc., — quia regnabit charitas in Ecclesia et regno Christi, inquit Forerius. Hoc est quod ait S. Paulus *Galat. cap. vi, 16*: « Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. »

CAPUT SEXAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput simile est præcedenti, ejusdemque cum eo argumenti: pergit enim in vaticinanda Judæorum reprobatione; et Ecclesiæ gentium vocatione et propagatione, gloria et felicitate. Quocirca primo, Deus rejicit Judæorum templum et victimas, eo quod ipsi se vocantem spreverint, minaturque eis confusionem et cladem. Deinde, vers. 7, prædicat partum et sobolem numerosam Ecclesiæ, cui promittit ubera consolationis, pacem, delicias et gloriam gentium. Tertio, vers. 15, transit ad extremum judicium, aitque Deum in igne venturum et turbine, ut dijudicet et interficiat idololatrias et impios. Quarto, vers. 19, recapitulat toto libro dicta de missione Apostolorum ad gentes ut iis gloriam Dei et Christi annuntient; ac prædicat eas ad Christum et Ecclesiam magno numero et lætitia commode et facile venturas, ex eisque assumendos fore sacerdotes et levitas, qui in æternum perseverent. Denique, vers. 23, ait eis fore perpetuum festum et gaudium, quodque videbunt cadavera impiorum, quorum vermis non morietur, et ignis non exstinguetur (1).

1. Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? 2. Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus; ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? 3. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. 4. Unde et ego eligam illusiones eorum: et quæ timebant, adducam eis: quia vocavi, et non erat qui responderet: locutus sum, et non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt. 5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur. 6. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. 8. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos? 9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? 10. Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, 11. ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus:

(1) Rosenmüller et alii Rationalistæ restringere conantur hunc prophetiarum Isaiaë quasi epilogum ad Judæos in patriam reversos, et ad dissidium ortum ex una parte inter Judæos et Benjaminitas, et ex altera inter Ephraimiticos, eo quod primi templum denuo excitandum sibi solis vindicarent, neque in structuræ atque sacrorum in illo perficiendorum societatem admittere vellent posteros reliquarum tribuum, quæ olim regnum Ephraimiticum constituissent. Unde invehitur vates hoc sermone in arrogantiam eorum ex Judæis, qui templo exstruendo Deum sibi demereri opinarentur, ostenditque parum illum curare templum manufactum, cum, si aliud non suppeteret templum, cæli et terra sufficerent.

Sed quam exilis, et coangustata et indigna totius contextus serie sit ista interpretatio, nemo est qui non videat, præsertim cum antecedentia, universa traditio, et fere omnium interpretum catholicorum consensus ad augustiorem sensum et quidem litteralem nos erigat, scilicet

de mysterio manifestius patefacto tum Judæorum reprobationis, tum Ecclesiæ vocatione.

PRIMO igitur, notatur veræ religionis character, per-versa Synagogæ hypocrisis, et decreta obstinationi pœna, vers. 1-4.

SECUNDO, præmunitur contra hypocritarum sannas prima fidelium paucitas, promissionibus incrementi subitanei et amplissimi, 5-9.

TERTIO, confirmatur Ecclesia a congratulantibus, lætitia, solatio, et gloriæ præsagio, 10, 11: primo, ob panis abundantiam, principum favorem, et Dei auxilium, 12-14; secundo, ob redditam inimicis vindictam et hypocrisis pœnam, 15-17.

QUARTO, prædicatur divulgatio Evangelii per universum orbem, et gentium ad fidem conversio, 18-20, et primo, describitur innovata cultus sacri constitutio, 21-23; secundo, subnectitur triumphus de hostibus Ecclesiæ æterni damnatis, 24.

ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. 12. Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis : ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. 13. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. 14. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus : reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis : 16. quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino, 17. qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, et abominationem, et murem : simul consumentur, dicit Dominus. 18. Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum, venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis : et venient et videbunt gloriam meam. 19. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam tendentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, 20. et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. 21. Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus. 22. Quia sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. 23. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato : veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. 24. Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni

1. COELUM SEDES MEA, TERRA AUTEM SCABELLUM. — Inepte hinc Petrus Martyr, lib. I *Contra Gardinerum*, part. I, argumentatur : Deus est in cœlo, ergo non est in Eucharistia : « In cœlo ergo quærendus est, inquit, non in templo vel pixide, nisi velimus sedem Dei et cœlum in pixide contineri. » Inepte inquam, Deus enim in cœlo est; sed eo non concluditur : est enim etiam in terra, in aere et ubique.

Pro sensu ergo Prophetæ nota : Ne montem sanctum, de quo cap. præced., vers. ultim. intelligeremus esse Sion; rursum, ne ea quæ ab Isaia a cap. XL, hucusque de diruenda Jerusalem, ejusque reædificatione et Sionis gloria dicta sunt, carnaliter cum Judæis acciperemus de terrena et Judaica Sione et Jerusalem; hac de causa aufert et elidit hanc opinionem Deus, docetque se eam rejecturum, et ejus loco Ecclesiam gentium sibi adoptaturum. Sensus ergo est, *q. d.* Vos, Judæi, putatis me Sionem vestram ejusque templum deperire, meque illi quasi throno meo affixum esse, ut ab eo avelli nequeam; ac proinde vos illo gloriamini, illud invictum et æternum fore putatis, illo scelera vestra obtegitis, putatisque vos esse inexpugnabiles, dicentes : Templum Domini, templum Domini; fallimini, toto cœlo erratis, miseri crassique homines. Ego enim sum spiritus omnipotens et immensus, quare loco non capior, non delector; utque hoc ostendam, Sionem cum

templo ejusque sacrificiis abolebo. Nam cœlum et terram ego impleo, imo supero, et ulterius per immensa vacui spatia me extendo. Totum ergo cœlum tantum exiguus mihi est thronus, in quo meam gloriam et magnificentiam regiam, imo divinam Angelis et Beatis ostendo : tota terra mihi est instar parvi scabelli (loquitur de se quasi homine et rege, sedente in solio, anthropopathos); porro delector spiritu peccatoris contrito et obedienti, et, ut Septuaginta, humili et quieto. Ita S. Hieronymus, S. Cyrillus, Procopius. Quocirca Theodoretus et Ambrosius in *Psalm. xxx*, ex hoc loco docent humiles et mansuetos esse templum Dei, in quo Christus, verus Salomon, qui est pax nostra, requiescit. Unde S. Gregorius, V *Moral. xxx* : « Cum, inquit, humilem diceret, quietum protinus adjunxit. Si ergo ita quietem mentis subtrahit, suam Sancto Spiritui habitationem claudit.»

Quærit S. Hilarius, lib. *De Trin.* : Si cœlum est sedes Dei, terra scabellum, quomodo ergo alibi dicitur Deum continere cœlum palmo, terram pugillo? ac respondet anthropopathos hæc dici de Deo, ut varia ejus attributa denotentur : nam in throno et scabello, secundum habitum considerantis, protensio corporis, puta majestas regia intelligitur : in continentia vero palmi et pugilli, Dei immensitas describitur, ut cœlo et terra significetur, quod Deus intra et extra est, supereminens et internus, id est circumfusus et infusus in omnia;

palmi vero et pugillo continente omnia, ejus infinita magnitudo monstratur, qua extra omnia creata se porrigit in immensum, eaque quaquaversum continet pugillo, imo digito. Vide et S. Gregorium, II *Moral.* VIII.

Allegorice, Origenes in *Matth.* cap. XXI: Ecclesia, ait, hic militans, est scabellum Dei, de qua dicitur: « Cum subjecta illi fuerint omnia; » et, quod ponet inimicos scabellum pedum suorum. Magna beatitudo est, ex inimicis scabellum Dei fieri, et subijci Deo.

Symbolice, cœlum est divinitas, terra humanitas. Unde S. Augustinus illud *Psal.* xcvi: « Adorate scabellum pedum ejus, » sic explicat, *q. d.* Adorate humanitatem Christi.

Denique eleganter S. Bernardus, tract. *De Gradibus humilitatis*, in gradu 1, hinc probat diabolium nec in cœlo, nec in terra, cum Deus illa occupet, sed in aère locum habere: « Quid facies, inquit, e cœlo pulsus? in terra remanere non potes; elige ergo tibi in aère locum, non ad sedendum, sed ad volandum, ut qui tentasti concutere statum æternitatis, poenam sentias propriæ fluctuationis. »

QUÆ EST ISTA DOMUS, QUAM ÆDIFICABITIS MIHI? — Isaias in personâ Judæorum questus est, cap. LXIV, vers. 11, exustam esse domum Dei per Romanos: « In qua, inquit, te laudaverunt patres nostri, » quasi postulans ut Deus eam iterum reædificari curaret. Huic Deus respondet exiguam esse domum, quam Judæi reædificari cupiant, aut cogitent. Adhæc, cœlum et terram, et consequenter omnia quæ ad fabricam templi adhibenda essent, creata esse a Deo, ideoque ea uti in manu sua habet, ita iisdem non indigere, nec oblectari. *Tertio*, suum templum non esse materiale, sed spirituale, uti ipse spiritus est, puta contritos spiritu, et tremantes sermones Dei. Vide dicta cap. LVII, vers. 15.

2. PAUPERCULUM, — id est humilem, ut vertit Vatablus: cognati enim sunt humiles et pauperes: paupertas enim excelsos spiritus deprimit et humiliat. Unde Hebraice *ani*, et pauperem, et humilem significat. Est ergo paupertas thronus sapphirinus, in quo Deus cum majestate residet. Audi S. Bernardum, homil. 4 super *Missus est*: « Super quem, inquit, requiescit Spiritus meus nisi super humilem et quietum? Super humilem dixit, non super virginem. Si ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Respexit, ait ipsa, humilitatem ancillæ suæ, potius quam virginitatem; etsi placuit ex virginitate, tamen concepit ex humilitate. Unde constat quia, etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit. »

TREMENTEM. — Hæc vox significat ingentem reverentiam et metum: inde enim oritur tremor, uti pueri contremiscunt ad vocem acriorem parentum, vel præceptorum. Quis non tremat ad vo-

cem Dei, Regis regum, et Domini dominantium?

3. QUI IMMOLAT BOVEM, QUASI QUI INTERFICIAT VIRUM. — Deus hic asseverat se detestari sacrificia Judæorum, eaque comparat homicidio, mactationi canis, oblationi sanguinis suilli et idololatriæ: quæ omnia Judæis ex lege vel naturæ vel Mosaica erant vetita et abominanda, idque ex eo, non quod sacrificia vetera detestaretur Deus, cum ipse ea instituerit; sed *primo*, quod ipsos offerentes et sacrificantes exsecraretur, upote qui omnem pietatem in cultu sacrificiorum ponebant, interim legem violabant; et rapinis, libidinibus aliisque sceleribus vacabant. Hoc est enim quod ait in fine vers. 3: « Hæc omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. » Hoc quoque est quod initio quasi prophetiæ totius argumentum proposuit (unde et hic, in eodem ipsam claudit et terminat) Isaias dicens cap. I, 11: « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? etc. Quis quæsit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atris meis? Incensum abominatio est mihi, » etc. *Secundo*, ita loquitur de victimis Mosaicis, quia respicit ad tempora Christi, quando hæc sacrificia abolita sunt, imo facta mortifera. Ad Christum enim hæc spectant, uti jam sæpius ostendi, et patet hic vers. 7 et sequent. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus et alii passim.

QUI MACTAT PECUS, QUASI QUI EXCEREBRET CANEM. — Hebraice *oreph*, id est *decervicans*, sive cervicem amputans cani; Chaldaice *excorians*; Septuaginta, *occidens*. Idem dicit alia similitudine fœda et horrida: id enim importat *excerebret*, *q. d.* Qui pecus mactat Deo, facit rem illi ingratham, invisam et indignam, ac si ei mactaret canem. Recte enim notat S. Hieronymus ex lege veteri: « nec mercedem meretricis, nec pretium canis, in domo Dei offerri posse, quia utrumque animal primum est ad libidinem. » Adde canem vilissimum esse animal, et abominandam esse victimam, si is Deo excerebretur.

OBLATIONEM. — Hebræum *mincha*, est sacrificium farreum, de quo *Levit.* II; extenditur tamen ad quamvis oblationem.

QUI RECORDATUR (recordando offert et adolet, est metalepsis) THURIS, QUASI QUI BENEDICAT IDOLO, — *q. d.* Eum qui mihi adolet thus vel thymiama, exsecror ob causas jam dictas, atque si illud adoleret idolo. Nota: Thurificatio hic vocatur recordatio et benedictio; quia in ea solebant Dei, vel idoli, cui thurificabant, recordari, eumque benedicere, id est eum laudibus et hymnis celebrare.

HÆC OMNIA ELEGERUNT IN VIIS SUIS, — *q. d.* Hac fucata religionis specie ipsi non me, sed se decipiunt: quia ipsi interim in suis abominationibus, id est abominandis peccatis, delectantur et perseverant.

4. UNDE ET EGO ELIGAM ILLUSIONES EORUM, — *q. d.* Vers. 4 Victimis suis ipsi scelerati non tam honorant me, quam rident et alludunt: ficta enim illa et lar-

Dæmonis
locus est
aer.

Humili-
tas thro-
nus Dei.

vata pietatis species, qua velant sua crimina, non tam Dei cultus est quam illusio et irrisio. Hinc pariter ego illudam eos, immittamque eis illusiones, ut nimirum capiantur, cædantur et illudantur a Romanis. Ita Cyrillus et Procopius.

5. AUDITE VERBUM DOMINI, QUI TREMITIS AD VERBUM EJUS (Ab impiis et incredulis Deus hic se convertit ad pios et credentes, de quibus vers. 2, puta a Judæis ad Christianos, ab Israele obdurato ad Israellem obedientem Christo, nimirum ad Apostolos et primos fideles, quos ex Israele elegit Christus. Hisce ait consolator Deus) : DIXERUNT FRATRES VESTRI ODIENTES, etc., — *q. d.* O Apostoli mei, vestri fratres secundum carnem, scilicet Judæi, vos oderunt et abjecerunt propter nomen meum, puta ob fidem Christi mei, dixeruntque irrisorie : Glorificetur Dominus, id est ostendat gloriam suam Christus, vester Deus crucifixus resurgendo, aliaque miracula patrando, ut lætèmini, et nos videamus vestram lætitiã et ejus gloriam, *q. d.* Nequaquam a Deo mortuo et crucifixo vobis lætitiã aut gloria, sed potius mœror, confusio et probrum obvenient. Verum hi sanniones ipsimet confundentur; Christus enim, resurgens, per Paulum et alios Apostolos ostendet gloriam suam, ac convincet confundetque eos, et tandem per Titum et Romanos extrema clade et confusione eosdem plectet. Ecce enim jam videor mihi audire vocem sonantem populi de civitate, scilicet percusi et ululantis ad obsidionem Romanorum, et vocem angelorum clamantium e templo : « Migremus hinc; » et vocem Domini clamantis tum per Prophetas, tum per alios, præsertim per Jesum quemdam, excidium imminere Judæis hostibus suis. Jesus enim Anani filius, homo rusticanus, imminente Tito atque excidio, per quadriennium hæc Isaïæ verba usurpavit, atque entusiasmo actus, assidue die et nocte plateas obiens clamabat : « Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox in Hierosolymam et templum, vox in omnem populum : Væ, væ, væ Hierosolymis ! » donec in muro idem de more contentiori voce in-clamans, addensque : « Væ Hierosolymis et mihi ! » lapide tormento misso ictus interiit, teste Josepho, lib. VII *Belli*, cap. XII. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Haymo, Adamus, Forerius et alii. Audi S. Hieronymum : « Glorificetur Dominus, et vivemus in lætitiã vestra, cujus versiculi hic sensus est : Quid nobis humilem introducitis Deum ? quid crucifixum et virum dolorum, et scientem ferre infirmitates ? volumus eum in sua (ut dicitis) majestate conspiciere regnantem, suspiciemus et in sua gloria triumphantem ; humilem atque abjectum videre non possumus. »

Nota hebraismum, « videbimus in lætitiã vestra, » id est videbimus lætitiã vestram. Hebræi enim verba contactus, tam corporalis, quam spiritalis (qualis est visio, quæ rem visam suo intuitu quasi attingit) construunt cum ׀, id est in et ablativo.

7. ANTEQUAM PARTURIRET, PEPERIT. — Loquitur de cœtu piorum, puta Apostolorum et fidelium, qui tremunt ad verbum Domini, ut dixit vers. 5, hoc est de Ecclesia. Masculus est Christus, vel, quod eodem redit, Christiani, quos persecuti sunt Herodes, Judæi aliique, ut olim Pharao masculos Hebræorum enecabat, *Exodi* cap. I, 16; eo enim alludit.

Sensus ergo est, *q. d.* Synagoga sub Abrahamo et Mose sensim et lente crevit, et propagata est per generationem filiorum et nepotum, quos Pharao occidere conatus est. At Ecclesia Christi, « antequam parturiret, » id est subito sine longo ministerio, cruciatu et labore, qualis est parturientium, per Apostolos, qui ex Sion prodierunt, christianos plurimos per totum orbem pariet Christo, illo tempore, quo Judæi eorum irrisores cædentur a Romanis, uti præcessit. Hunc esse sensum patet ex seqq. Ita factum esse constat, *Act. II*, 3, ubi prima concione Petri, tria hominum millia, et mox alia quinque ad Christum conversa, et in baptismo ejus regenerata narrantur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus hic, Ambrosius, *Exhort. ad virgines*. Non negat parturitionem et dolorem Apostolorum, sed ait eum fore brevem et simultaneum cum partu lætissimo, qui proinde omnem parturitionis cruciatum mox sopiet et absterget.

Alludit ad partum B. Virginis : hæc enim « peperit masculum, » tum sexu, tum robore, puta Christum, « antequam parturiret, » id est sine dolore, mora et sordibus parturientium, inquit Nyssenus, *orat. De resurrect.*, et Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. xv (qui hæc de B. Virgine explicant); unde Septuaginta vertunt : *Antequam veniat dolor parturientium, effugit et peperit masculum*. Quocirca ad litteram partui Christi hæc ita aptari possunt, *q. d.* Cœtus timentium Deum, puta Synagoga fidelis et pia, per B. Virginem peperit masculum, qui deinde plurimos alios masculos peperit. Rursum, Synagoga Apostolorum christum peperit in animis credentium, dum eos Christianos, Deumque diligentes effecit; qui sunt masculi, id est masculo et fortissimo animo, quales fuerunt Martyres innumeri, qui pro fide; Virgines invictæ, quæ pro castitate; Anachoretæ, Monachi, aliique Confessores, qui pro virtute et sanctitate usque ad mortem generose laborarunt et certarunt. Unus ergo est masculus, ait S. Ambrosius loco citato, quem peperit B. Virgo, quemque Ecclesia parit in fidelibus : quia Christus cum iis, utpote suis membris, unum est corpus, et quasi una persona civilis, et unus homo. Vide dicta I *Cor.* cap. XII, 12 et 27. Huc alludit S. Joannes, *Apocalyp.* cap. XII, 1, ubi symbolice loquitur de Ecclesia, quasi muliere, quæ in fine mundi pariet masculos, id est martyres robustissimos, qui cum dracone, id est diabolo et Antichristo, dimicabunt usque ad mortem. Hoc ergo masculo notatur mascula populi fidelis contra omnes carnis illecebras

fortitudo : « Non enim, inquit Cyrillus, effeminatur mollitie populus christianus, sensu virili præditus est et juvenili. » Unde constat christiano nomine et Ecclesia matre indignos, qui a virili statu in femineas illecebras degenerant.

Christus
poscit
masculos.
Hinc tropologice disce sanctos in Scriptura vocari « masculos; » ad virtutem enim christianam vi opus est; vis poscit animum masculum. Hoc est enim quod ait Christus : « Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. » E contrario, impii, utpote molles et voluptarii, vocantur « feminae. » Ita S. Hieronymus hic, et in cap. II *Ecclesiastæ*, et S. Ambrosius, lib. I *De Caino et Abele*, cap. x, in fine.

8. NUMQUID PARTURIET TERRA IN DIE UNA? (*q. d.* Non : nam multo eget tempore, ut semen germinet, crescat, fructificet : AUT PARIETUR GENS SIMUL? (*q. d.* Minime : nam tam numerosa proles quæ gentem efficiat, non generatur uno die, sed multis annis et sæculis, uti videre fuit in prosapia Abrahami. Hoc ergo est mirabile et omnibus sæculis inauditum, uti præcessit, quod Ecclesia uno die, id est brevi tempore, multa millia, gentesque integras Christo pepererit, idque non successive, nec cum magno dolore et angore ;) QUIA (simul et quasi in eodem instanti) PARTURIVIT ET PEPERIT SION (id est Ecclesia), FILIOS SUOS. — Nota : Tò quia est adversativum, idemque valet quod *verumtamen, at vero*. Vide Canon. XXIV.

Vers. 9. 9. NUMQUID EGO, QUI ALIOS PARERE FACIO, IPSE NON PARIAM? — Ad litteram loquitur de partu, id est conversione gentium ad fidem in baptismo Christi, *q. d.* Hæc tam subita generatio et multiplicatio Christianorum, non fiet naturali vi, uti præcessit, nec viribus Apostolorum aliorumve hominum; sed mea divina. Ego enim, qui alios parere facio, maxima et infinita pariendi vi præditus sum; ac proinde in instanti possum infinitos parere, id est generare.

Doctores scholastici a pari hinc probant fecunditatem naturalem in Deo esse immensam et efficacissimam, scilicet Deum Patrem ab æterno posse, et de facto generare Verbum sibi consubstantiale et æquale : quia ipse facit ut homo hominem sibi consubstantialem et in natura æqualem generet, ipseque omnibus generantibus et parientibus tribuit vim generandi et pariendi : quidni enim, qui facit alios naturaliter parere, ipse naturaliter pariat, id est generet, filium sibi homouision? Verum hoc non intendit hic Propheta, ut patet ex dictis.

10. LÆTAMINI CUM JERUSALEM. — Invitat hic fideles, ut exsultent de Jerusalem, id est Ecclesiæ, propagatione et gloria, quia antea lugebant, cum videbant ejus exilitatem, scilicet tam paucos et abjectos esse christianos, quos Judæi et gentes persequerentur.

Vers. 11. 11. UT SUGATIS (id est et sugite, vel, quia sugetis). — Tò enim *ut*, hic et alibi non finem, sed connexionem ac consecutionem, vel causam lætitiæ signi-

ficat. Vide *Can. XXIV*. Alludit ad infantes lugentes et flentes, quos matres quietant et consolantur, applicando eos uberibus, ut sugendo flere desinant.

12. ECCE EGO DECLINABO SUPER EAM QUASI FLUVIUM PACIS, — hoc est, pacem exuberantem, ut videatur non tam esse pax, quam torrens et fluvius pacis, qui vos rerum omnium affluentia (hanc enim Hebræis significat *pax*) inebriabit, imo obruet. Hæc est causa lætitiæ fidelium, sive cur dixerit : « Lætamini cum Jerusalem, » etc.

Hæc vera sunt in Ecclesia militante; veriora erunt in triumphante : unde ad eam hæc et sequentia refert S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. XXI : ibi enim erit plena pax, copia deliciarum, ibi perfectissime æque ac blandissime consolabuntur nos Deus, Christus, Virgo Deipara, omnesque Angeli et Sancti. Ita et S. Hieronymus et alii. Nam in hac vita Ecclesia manet sub cruce et morte, habet tamen sua ubera consolationis et gloriæ. Unde sequitur :

AD UBERA PORTABINI, ET SUPER GENUA BLANDIENTUR VOBIS. — Pro *ad ubera* hebraice est לַיָּדָי *al tsad*, id est *ad latus*. Unde Septuaginta vertunt, $\text{ἐπὶ ὤμων ἀρβήσονται}$, id est in humeris portabuntur. Noster vel pro לַיָּדָי *tsad*, legit לַיָּדָי , id est uber : aut latus per catachresin accepit pro ubere, quod est ad latus, idque apposite et prudenter. Nam præcessit « sugetis : » suguntur autem ubera. Rursum quia sequitur : « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. » Matres autem solent parvulis suis blandiri, eosque consolari dum flent, dando eis ubera. Sic cap. LX, vers. 4, ubi dicitur : « Filia tuæ de latere surgent; » alii vertunt, *filia tuæ ad ubera nutriuntur*, quia nimirum latus significat uber laterale. Ab Ecclesia transfert sermonem ad ejus fideles et filios : unde a singulari transit ad pluralem. Porro ubera et genua intelligit tum gentium, de hisce enim dixit : « Gloriam gentium sugetis; » tum Dei et Ecclesiæ, de quo vers. 11, *q. d.* Vos, o fideles, fovebimini et nutriemini, tum a gentibus divitibus et potentibus, imo regibus et principibus; tum a Deo et Ecclesia, ejusque pastoribus et præfectis tam blande et largiter, quam solent parvuli a matribus : hosce enim solent matres ad ubera portare, statuere super genua, iis blandiri, eos osculari. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Vide Clementem Alexandrinum, lib. I *Pædagog.*, cap. v.

14. OSSA VESTRA QUASI HERBA GERMINABUNT. — Symmachus vertit, *florebunt*, *q. d.* Tanta erit vestra lætitia, ut ossa vestra mœrore squalida, marcida et quasi emortua, reviviscere et reflorescere videantur. Sicut enim tristitia exsiccat ossa, medullamque consumit, ita lætitia ea suo succo et medulla irrigat, humectat et vegetat. Hoc est quod ait Sapiens, *Prov. xvii, 22* : « Animus gaudens floridam efficit juventutem, spiritus tristis exsiccat ossa. » Hinc Judæi, in Babylone captivi et afflictivi, comparantur ossibus aridis, quæ Deus reviviscere

fecit, cum eos e Babylone in patriam reduxit, *Ezech.* cap. xxxvii, 1 et sequent.

Secundo, proprie hoc fiet in resurrectione: tunc enim ossa Sanctorum jam pridem emortua et tabida reviviscunt; sicut herba in hieme emortua in verè revirescit et reviviscit, dum germinare incipit. Ita S. Hieronymus hic, et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. xxi; Irenæus, lib. V *Contra Hæret.* xv; Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. xxxi.

Hac de causa sæpe etiamnum in tumulis ossa Sanctorum germinare, et quasi reviviscere visa sunt, ut futuram resurrectionem portenderent et quasi inchoarent. Referunt Evagrius, lib. II, cap. II, et Nicephorus, lib. XV, cap. III, e corpore S. Euphemie virginis et martyris profluxisse copiosum humorem rubeum instar sanguinis, adeo ut eo non solum Imperator et Episcopus, sed et totus populus, qui ibi congregari solebat, perfrueretur; neque guttas illas ullo tempore defecisse; neque sacrum illum sanguinem aliqua ex parte mutatum esse, sed suum colorem rubeum jugiter retinuisse. Adduntque, ex ejus tumulo odorem mirificum, qui odores omnes humanos superat, exspirari. Insuper Nicephorus, lib. XVIII, cap. xxxi, narrat Mauricium Imperatorem de fide miraculi dubitantem, rem sagaciter pervestigasse ejusque veritatem experientia deprehendisse, cum eo accedente, copiosior solito sanguis suaveolens ex ejus ossibus profluxit.

Idem Nicephorus, lib. XVIII, cap. xxxii, narrat e corpore Glycerie martyris similem liquorem manasse, qui pelvi subjecta excipiebatur; cumque Episcopus inscienter argenteum vas, quod ad magicas artes fuerat adhibitum, supposuisset, stetit liquor. Re nova percussus Antistes ad preces confugit, divinoque impulsu vas illud removit, aliudque substituit, ac protinus liquor sicut ante, scaturire cœpit.

E corpore Euthymii Abbatis, et Elisabethæ Hungaricæ, oleum fluere solebat, qua multi ægri sanabantur.

Ex ossibus S. Hedwigis Ducissæ Poloniæ liquor purus et clarus, instar olei suavissimi mirique odoris, profluxit.

Idem accidit ossibus S. Solomeæ, quæ Boleslai regis soror fuit, et post obitum Colomanni mariti vixit in castitate, atque sub annum Domini 1263 excessit e vita, de qua Cromerus, lib. IX.

Procopius, orat. 1 *De ædific. Justin.*, refert Justinianum Imperatorem morbo incurabili laborantem, cum desperaret omne medicorum consilium, petiisse ad se ferri quasdam reliquias tunc forte inventas, genuque in quo maximus erat dolor, imponi: quo facto, non modo dolor abscessit, sed et ex iis oleum subito manavit, quo et arcula reliquiarum, et pedes vestisque Imperatoris purpurea tota sunt perfusa.

Notum est S. Januarii sanguinem in ampulla, dum prope caput ejusdem sancti collocatur, cum

antea rigeret, protinus colliquefieri, commoveri, et ebullire ac si spiritu vitali polleret.

S. Nicolai Myrænsis Episcopi, quod Barii servatur corpus, liquorem emittere, qui plurimis morbis medetur, sciunt omnes, et testatur Emmanuel Imperator *Novella de feriis*, ubi et meminit aquæ quæ defluit e corpore S. Andree, quod Amalfi servatur.

Celebris in Monte Falco urbe Italiæ est ampulla sanguinis, quæ e corpore S. Claræ effluxit: is concretus, quoties aliquid calamitatis imminet reipublicæ christianæ, solet colliquefieri, subsilire et effervescere, idque paulo antequam Cyprus a Turcis caperetur, accidisse testantur oculati testes.

Hæc et plura Thomas Bozius, tom. II *De Notis Eccles.* signo 66, lib. XV, cap. x. Vis ossa Sanctorum proprie germinantia? Ex ore cranii S. Magdalene vitis germinavit, eoque indicio ipsa reliquias suas demonstravit Carolo, Siciliæ regi, apparens ei in carcere, ex eoque eum liberans, uti refert doctor Silvester Prieras, et ex eo Surius in *Vita S. Magdalene* 22 julii.

S. Dorothea, martyrio affecta, media hieme rosas vernantes misit Theophilo advocato, qui irrisorie ante mortem id ab ea expetierat: qui proinde, iis visis, ad fidem Christi conversus, et martyr effectus est. Ita habet ejus *Vita* 6 februarii.

Ita ex sanctarum Virginum sepulcris non semel lilia vel rosas germinasse, in *Vitis* earum legimus. Unde merito canit Ecclesia: « Sancti tui, Domine, flore bunt sicut liliū, et sicut odor balsami erunt ante te. »

Sed audi quid mirabilius. S. Edmundi, regis Anglorum et martyris, corpus ita sanum et incolume post multa tempora repertum est, ut non dicam caput redintegratum et compaginatū corpori, sed omnino in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit, ut viventi esset simillimus: tantum in ejus collo, ob signum martyrii, rubebat tenuissima riga in modum fili cocceini; quin et succrescebant ei ungues et capilli, quos quotannis præcidere solebat matrona quædam pia, quæ ad ejus tumulum multos annos commorata est. Ita refert Abbo Abbas Floriacensis in ejus *Vita*, qui et addit, cum beato regi caput esset amputatum, et ab impiis satellitibus in sentibus occuleretur, nec quæsitum reperiretur, caput ipsum vocem edidisse, significans inquirentibus, quonam loco esset. Denique lupum a Deo missum esse custodem, qui illud sacrum caput inter brachia complexus, procumbebat humi, exsequias impendens martyri, nec permittens illud ab aliqua bestiarum lædi. Ita in bestiis verum fuit illud Didonis votum, quo de suis ossibus Annibalem contra Æneam atque Romanos evocat, aiens *Æneid.* IV:

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanio ferroque sequare colonos.

COGNOSCETUR MANUS DOMINI SERVIS EJUS, — q. d.
Tunc fideles Deum timentes cognoscent Domini

Ossa
Sancto-
rum ger-
minan-
tia.
Exem-
pia.

Proprie
germi-
nantia
Sancto-
rum ossa.

manum, id est primo; Dei paternam erga se curam et indulgentiam; secundo, ejusdem virtutem et potentiam, qua faciet ut pauci piscatores, rudes et illitterati, puta Apostoli, totum orbem subjiciant Christo crucifixo. Hinc Apostolus crucem Christi vocat Dei virtutem et sapientiam, I Cor. I, 23.

ET INDIGNABITUR INIMICIS SUIS, — tum Judæos vastando per Titum et Romanos, tum eos omnesque impios damnando in die judicii: ad eum enim transit dum subdit:

Vers. 15.

15. QUIA ECCE DOMINUS IN IGNE VENIET. — Primo, Forerius refert hæc ad primum Christi adventum, de quo ipse dixit: « Ignem veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendatur? » Lucæ XII. Et: « Non veni pacem mittere, sed gladium, » Matth. X. Evangelium ergo est ignis vitalis piis et sanctis, quos ad Dei dilectionem inflammat, et ad zelum pro domo et gloria Dei accendit; pestilens autem et mortifer est impiis, qui eo indurantur, ob quod et alteri igni inexstinguibili in gehenna tradentur. Rursum Evangelium est gladius vitæ piis, quos a mundo et rebus perituris, et, ut ait S. Basilius, a cogitatione secundum carnem separat: impiis vero, qui mundo et carni dediti sunt, est gladius mortis, tradens eos inferno, ubi est mors secunda et æterna. Evangelium ergo quasi gladius separat justos ab injustis. Hinc Christus dicit venisse se in judicium, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. Et de eo ait Simeon cum venisse in ruinam et in resurrectionem multorum.

Evangelium est ignis et gladius separans piis ab impiis.

Secundo, aptius S. Hieronymus, Cyrillus hic, et S. Augustinus, lib. XX De Civit. XXI; Cyprianus, lib. De Bono patientiæ, sub finem, hæc referunt ad extremum judicium. Unde per ignem intellige ignem conflagrationis mundi, de quo Psalm. xcvi, 3: « Ignis ante ipsum præcedet. »

Rursum, ignis symbolice significat, primo, in judicio Dei omnia fore clara et perspicua, inquit Theodoretus et Cyprianus, loco citato; secundo, potestatem, zelum et efficaciam divinæ justitiæ et vindictæ, inquit S. Hieronymus et Augustinus, lib. XX De Civit. XXI.

Porro, per currus et quadrigas metaphorice significatur majestas victoris et judicis Dei. Ita S. Hieronymus, licet S. Augustinus et Cyrillus intelligant angelos. Turbo significat celeritatem et impetum ejus. Ad hæc per gladium intelligit supplicium. Vide Can. XXVI, unde subdit: « Et multiplicabuntur interfecti a Domino, » q. d. Christus multos, puta omnes, reprobos interficiet, hoc est trudet in gehennam et mortem æternam.

17. QUI SANCTIFICABANTUR, ET MUNDOS SE PUTABANT IN HORTIS, — q. d. Qui sanctificabant et purificabant se in hortis, abluendo se aquis expiatoriis, et sacrificando idolis. De hisce enim aquis ait Aeneas apud Virgilium, lib. II: « Donec me flumine vivo abluero, » et Persius, satyra 2: « Qui noctem (nocturnam venerem) in flumine purgas. »

Hosce enim gentilicios ritus imitabantur Judæi tempore Isaïæ, quos, uti et posteriorum, omnium-

que hominum peccata in die judicii judicabit et vindicabit Christus. Adde, licet tempore Christi Judæi publice et communi consensu non coluerint idolâ; tamen nonnullos ex conversatione cum idololâtris, ea privatim et occulte coluisse, quis neget? Sane de his videtur hic loqui Isaïas.

Addit S. Hieronymus eos in hortis luxuriam exercuisse. « In locis, ait, deliciarum et voluptatum, id est in hortis amœnissimis, baptisteria extruebant, adulteria et omnem libidinum turpitudinem simplicibus aquis abluere se putantes. » q. d. Isaïas: Post venerem, quam exercent in hortis, sanctificant se, id est, abluunt se ibidem post januam intrinsecus, itaque crimen se expiasset censent.

Post JANUAM. — Est hic in Hebræo varia lectio, indeque varia versio, et magis varia explicatio. Primo, Chaldæus vertit, turba post turbam; videtur legisse אחר אחר achar achar, id est alter alter, id est alteri post alteros continue, hoc est turba post turbam. Secundo, Symmachus et Theodoretus legentes אחד אחד echad echad, vertunt unus post unum. Tertio, communiter legunt אחר אחר achar achad, quod primo Syrus vertit, unus post alium. Secundo, Forerius alienus unus, scilicet Deus, q. d. Deus alienus erat in medio illorum, cum comederent suillam. Tertio, quidam insignis Hebræus vertit, post unum, id est post Deum: quia enim Deus est unus, hinc Deum vocabant echad, vel achad, id est unus: atque ab illo achad videtur deductum Adad nomen Dei, de quo Macrobius, lib. I Saturn. cap. xxx, ubi sic ait: « Assyrii Deo, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt: ejus nominis interpretatio significat Unus (id ipsum significat Hebræum achad). Hunc ergo ut potentissimum adorant Deum. » Subdit deinde, « Adad » esse solem, ideoque pingi « radiis inclinatis, quibus monstratur vim cæli in radiis esse solis, qui dimittuntur in terram. » Hinc Trismegistus in Pimandro, cap. iv, de Deo ita ait: « Deus monas est; unitas illa, quæ est principium omnem numerum continens, a nullo contenta. » Et Psellus: « Unitas, ait, cum numerus non sit, numerorum tamen procreatrix est, fons, radix, et causa multitudinis omnis, expressaque Dei imago, qui cum rerum naturalium nulla sit, est tamen rerum naturalium effector. » Parmenides cum asseruit, « unum esse id quod est, » Deum intellexit: soli enim Deo veram Entis appellationem concedebat; quoniam ipse per se est, omniaque alia per ipsum, juxta illud Exod. cap. III: « Ego sum qui sum. »

Adad Deus Assyriorum unde?

Unus nomen Dei.

Denique Noster optime vertit, « post unam, » scilicet januam; hæc enim una est in domo via: unde et Septuaginta vertunt, in liminibus.

Quæres, cur post januam hæc faciebant? Respondeo primo, ut loco penitiori, in latebris et secessu, clausis ostiis, idololatriam suam et venerem exercerent: utraque enim pudenta est, ideoque latebras quærit; secundo, quia in ingressu

domus, post fores ponebant idola, sive lares suos, ut felix esset ingressus et egressus. Unde S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. viii: Tres, ait, isti deos custodiendis ostiis posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini: unde et coram iis juxta ostia instruebant convivia, et inter ea diis hisce libabant. Et hoc hic vult Isaias, et idem innuit cap. LVII, 8, hæc autem faciébant in domibus tum privatis, tum magis publicis et sacris, sive in delubris, quæ de more ad amœnitatem in hortis inter arbores extruebant; uti etiamnum ibidem suas moscheas exstruunt Mahometani. Ita Arias.

ET ABOMINATIONEM, — id est cibos immundos, et lege velitos, uti jus triduanum hostiarum pacificarum, inquit Forerius. Item cibos idolis immolatos sive idolothyta: taxat enim hic idololatricam et luxum, sive intemperantiam ciborum lege prohibitorum.

ET MUREM. — Hebræum עֲבָרָה *achbar* quoque glirem significat: muris enim seu gliris esus vetitus est Judæis, *Levit.* xi, 29. Porro glires etiam a Romanis habitos fuisse in deliciis, docet Varro lib. III *De Re rustica*, cap. xv, ubi pro gliribus saginandis facta fuisse vivaria testatur: glires enim pingues sunt, quin et somno pinguescunt. Audi Martialem, lib. XIII, glirem depingentem:

Tota mihi dormitur hiems, et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Glis ergo symbolum est obesi, somniculosi, acedi.

18. EGO AUTEM OPERA EORUM. — Supple, plectam et puniam acriter, aut potius, ut Septuaginta, *inveni*, q. d. Vidi et cognovi scelera eorum, quæ post januam, vel alibi in occulto patrant. Est aposiopesis, Romana enim per dispunctum hæc dividunt a sequentibus; licet Adamus cum iis connectat. Verum sive connectas, sive divides, ad ea referenda sunt: ad hoc enim cogit nos versio nostra Vulgata.

VENIO UT CONGREGEM CUM OMNIBUS GENTIBUS ET LINGUIS. — « Congregem, » quos, vel quæ? aliqui subaudiunt et repetunt ex vers. 2, trementes sermones Dei. Verum hæc nimis longa et remota est repetitio. Quare melius, « ut congregem, » scilicet opera et operantes impie, de quibus immediate præcessit. q. d. Venio ut impios Judæos, eorumque opera sacrilega congregem cum omnibus gentibus in valle Josaphat, eaque ibi quasi in publico orbis theatro omnibus spectanda proponam: ibi enim tam Judæos, quam gentes congregabo, ut publice coram omnibus angelis et hominibus eos dijudicem, puniam aut præmiem pro meritis cujusque: ibi ergo videbunt gloriam meam, id est gloriosam vindictam impiorum et gloriosa præmia Sanctorum. Rursum videbunt Judæi gloriam meam, qua scilicet gloriosus cum omnibus sanctis et angelis e cælo descendam cum potestate magna et majestate

quasi rex et judex orbis, cujus humilitatem in primo adventu viderunt et contempserunt. Ita sentit Adamus.

Quocirca planius cum Septuaginta, Chaldæo, Pagnino, Forerio et Vatablo, ex Hebræo verti potest: *Venio ut congregem omnes gentes et linguas, et venient, et videbunt gloriam meam, scilicet iudicis Christi jam dictam.*

19. ET PONAM IN EIS SIGNUM. — Resilit hic Isaias ab impiis ad pios, a secundo Christi adventu ad primum. Facit enim hic brevem prophetiæ suæ anacephalæosim, qua summatim repetit et recapitulat totum opus redemptionis Christi, de quo egit toto hoc libro, puta gratiam novi Testamenti, præsertim fidei propagationem per omnes gentes a tempore Christi usque ad finem mundi, diemque iudicii et resurrectionis universalis, ibique finit prophetiam. Ita S. Cyrillus et Adamus hic, et S. Augustinus, XX *Civit.* xxi. Sensus ergo est, q. d. Antequam congregem omnes gentes in valle Josaphat, prius erigam inter eas signum, quasi vexillum, crucis, ad quod convocabo et congregabo omnes nationes; ideoque mittam ex primis illis qui salvati, id est justificati et sanctificati fuerint a Christo, ac vocati ad æternam salutem, puta mittam apostolos, ad gentes in mare (ad insulanas et transmarinas gentes) et in Africam, et in Lydiam, etc., ut ex toto orbe populos convocent ad vexillum crucis, fidemque et salutem Christi. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

Aliqui per *signum* accipiunt templa et altaria, passim inter gentes ab Apostolis erecta. Alii per *signum* accipiunt characterem Baptismi et Confirmationis, quo suum gregem suosque milites consignat Christus, idque probat Cardinalis Bellarminus, lib. II *De effectu Sacram.* cap. xx, sub finem. Alii denique et aptius per *signum* hoc accipiunt charismata Spiritus Sancti, ut linguas igneas datas Apostolis in Pentecoste. Hisce enim tunc signati sunt, non tantum quasi amici et ministri, sed et quasi Apostoli Dei et Christi, indeque profecti in mare, Africam et Lydiam, etc., hoc signo gentes ad Christum converterunt.

QUI SALVATI FUERINT. — Verti quoque potest cum Forerio *qui salvent alias*.

TENDENTES SAGITTAM. — Refer ad vocem « gentes, » quæ præcessit, q. d. Mittam Apostolos ad gentes, puta Afros et Lydios, sagittandi peritas, id est armatas et crudeles; sed faciam ut eas non timeant, imo convertant, ait S. Hieronymus. Pro *tendentes* hebraice est מוֹשְׁכֵי *moseche*, quod Septuaginta retinent quasi nomen proprium, per quod Leo Castrius Moschos sive Moscovitas accipit. Alii *tendentes* referunt ad Apostolos: illi enim fuerunt sagittarii Dei, imo sagittæ potentis acutæ, qui corda gentium amore et timore Dei confixerunt et compunxerunt.

ITALIAM. — Hebraice est תּוּבַל *tubal*: per quod,

Vers. 19.
Anacephalæosim
Isaiæ

Tres dii
custodes
ostii.

Glires
Romæ in
deliciis.

Vers. 18.

ait S. Hieronymus, potest quoque accipi Hispania. Tubal enim filius Japhet incoluit Hispaniam, ut dixi *Genes. x, 2*, et ab eo ferunt conditam et denominatam urbem *Setubal*, quæ exstat in Lusitania.

QUI NON AUDIERUNT DE ME, NON VIDEBUNT GLORIAM MEAM, — uti viderunt Judæi in Sina et in templo Salomonis, *q. d.* Gentibus non ostendi gloriam meam in Synagoga, sed ostendam eam, et quidem augustiorem, in Ecclesia.

20. ADDUCENT FRATRES VESTROS DE CUNCTIS GENTIBUS DONUM DOMINO. — Convertit sermonem ad primos salvatos, id est fideles ex Israel, quos nominavit vers. 19, *q. d.* O Israelitæ conversi ad Christum, Apostoli adducunt vobis fratres ex gentibus, puta credentes in Christum, quasi donum, imo oblationem Domino. Pro *donum* hebraice est מנחה *mincha*, id est donum, oblatio, sacrificium.

Moraliter, nota nobilissimum donum et victimam Dei esse animam, si eam ab infidelitate ad fidem, vel ab iniquitate ad sanctitatem perducas. Ita Apostolus, *Rom. xv, 16*, dicit se esse sacerdotem, cujus missa sive liturgia est Evangelium; victima sunt gentes conversæ. Quocirca vere et recte S. Gregorius, homil. 12 in *Ezech.*: « Nullum, ait, Omnipotenti tale est sacrificium, quale est zelus animarum. »

IN EQUIS ET QUADRIGIS. — Nota per hæc accipi quævis auxilia et solatia, tum humana, tum angelica, tum divina, *q. d.* Commode et facile per tot adminicula gentes ad fidem et Ecclesiam adducuntur: licet enim via crucis, pœnitentiæ et mortificationis, per quam eis incedendum est, sit aspera; tamen eam molliunt Apostoli verbo et exemplo, angeli sua ope, Christus sua gratia suisque consolationibus spiritualibus: quibus facit ut gustato spiritu desipiat caro, utque ex amore Dei et spe gloriæ cœlestis, omnia dura lætanter superent, et nihili æstiment; imo in iis gloriantur. Ita S. Hieronymus et Augustinus *XX De Civit. xxi.*

Alludit ad Judæos Babylone redeuntes in Judæam: hi enim, favente Cyro, commode et exultantes remearunt in patriam.

QUOMODO SI INFERANT FILII ISRAEL MUNUS IN VASE MUNDO IN DOMUM DOMINI, — *q. d.* Quam pretiosa grataque erant Deo munera munda, a mundis in vase mundo ei in lege veteri oblata, tam mundi, pretiosi et grati erunt Deo gentiles jam sanctificati per sanctos Apostolos, ei oblata in sancto baptismo. Baptismus enim aliaque Sacramenta sunt vasa munda et sancta Dei.

21. ASSUMAM EX HIS (gentilibus) IN SACERDOTES ET LEVITAS, — id est diaconos aliosque Ecclesiæ ministros. Olim soli Judæi, imo soli ex tribu Levi oriundi, poterant esse sacerdotes et levitæ: at Christus ex omni gente eos elegit. Ergo non omnes christiani sunt sacerdotes, ut vult Kemniti-
tius. Hos enim nemo sanæ mentis dixerit ex christianis seligi et assumi, uti recte inter alios nota-

vit Gregorius de Valentia, *De Eucharistiæ Sacrif. disp. 6, Quæst. XI, puncto 1.*

22. QUIA SICUT CŒLI NOVI ET TERRA NOVA, QUÆ EGO FACIO STARE CORAM ME, — *q. d.* Sicut dominus ministrum suum facit stare coram se, ut jussa sua excipiat et exsequatur, eique ad nutum serviat; ita cœli et terra stant coram me, mihi que ad nutum famulantur. Porro cœli novi et terra nova sunt cœli et terra in resurrectione innovanda: mystice sunt regnum Dei, sive Ecclesia, de qua cap. præced. vers. 17. Sensus est: Sicut cœli hi cum terra innovandi in æternum perseverabunt, mihi que servient; sic semen vestrum, id est fideles a vobis conversi, o Apostoli, nomenque vestrum perdurabit in æternum, *q. d.* Vetus sacerdotium et Testamentum finem accipiet in Christo: at novum sacerdotium, puta ministerium ministrorum sacrorum ex gentibus assumptorum, sive Petri et Pauli, aliorumque Apostolorum progenies, tamdiu durabit, quamdiu cœlum et terra, nimirum durabit in omnem æternitatem: per eam enim in omni gloria et jubilo Deo astabunt, Deumque laudabunt: itaque juges ei offerent victimas oris et cordis, puta hymnos, gratiarum actiones, doxologias, etc. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Forerius, Adamus et alii. Sensim Propheta transit latenter ad sæculum futurum, ut in eo prophetiam finiat.

23. ET ERIT MENSIS EX MENSE, ET SABBATUM EX SABBATO. — *Primo.* Forerius sic exponit, *q. d.* Fideles singulis mensibus et sabbatis, id est Dominicis et festis diebus, venient ad templum, ut audiant Sacrum et verbum Dei: item, ut confiteantur, communicent, etc., uti in primitiva Ecclesia fiebat, et hoc sæculo rursus (Deo sit laus) fieri incipit.

Alludit ad vetera festa et sacrificia, quæ Judæis in Babylone captivis cessabant, sed iis redeuntibus restituta sunt.

Secundo, Sanchez exponit, *q. d.* Olim in lege veteri certis tantum diebus, puta festis, ut in neomenia, sabbato, etc., offerebantur sacrificia, et ter tantum in anno omnes adibant templum; at in lege nova erit continuum festum: quotidie enim offeretur Deo sacrificium Eucharistiæ augustissimum, quod quilibet quotidie offerre poterit, per se, si sit sacerdos; per sacerdotem, si sit laicus. Rursus in Ecclesia quotidie est festum ex festo, quia quotidie memoriam et festum alicujus sancti Martyris, Virginis vel Confessoris celebrat in Officio Ecclesiastico. Hoc maxime Romæ locum habet, ubi pene quotidie novos Romanos martyres, eorumque ecclesias, stationes, reliquias in eorum die natali veneramus et visitamus, tum ut eorum patrocinia imploremus et obtineamus, uti revera obtinemus. Unde S. Brigittæ a Deo revelatum est, Romæ facilem esse ad cœlum viam: qua de causa ipsa Romæ vivere et mori elegit. Tum ut eorum exemplis ad heroica virtutum opera excitemur. Miram enim

In Ecclesia quotidie est festum.

vim accendendi animos torpentes habent hæc eorum domestica, et oculos nostros assidue ferientia, tam illustria fortitudinis, castitatis et charitatis exempla ac triumpho. « Solemnitates martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat, » ait S. Augustinus, serm. 47 *De Tempore*. Quapropter multi pii reges et principes, tum ex Anglia, tum aliunde, olim Romam venerunt, ut ibi vitam agerent, eamque pio fine et transitu concluderent.

Ita fecit Ceadualla, rex Britonum, de quo audi Bedam, lib. V *Histor.* cap. vii : « Venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, ut ad limina B. Apostolorum fonte baptismatis ablueretur; simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia jam mundus transiret, quod utrumque ut mente disposuerat, Domino adjuvante, completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati Paschalis, anno ab incarnatione Domini 689, et in albis adhuc positus, languore correptus, xii Calend. Martiar. solutus est a carne, et Beatorum est consortio sociatus in cœlis. » Subdit eum nomen Petri sumpsisse in baptismo, et in S. Petri basilica esse sepultum; cujus et epitaphium recitat.

Sic et Coenredus rex Merciorum, cum sex annos regnasset, Romam transmigravit anno Domini 709, uti Beda in Epitome scribit.

Anastasius in Constantino de duobus aliis regibus ita scribit : « Hujus temporibus duo reges Saxonum ad orationes Apostolorum cum aliis pluribus venientes, velociter (ut optabant) vitam suam finiverunt. » Idem scribit Paulus Diaconus, qui et subdit : « His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et femine divini amoris instinctu, Romam venire consueverunt. »

Huu rex Britonum, Ceaduallæ successor, « cum regnum tenuisset 37 annis, eo relicto, ac junioribus commendato, ad limina Apostolorum, Gregorio II Pontifice, profectus est, cupiens in vicinia locorum sanctorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius a Sanctis recipi mereretur in cœlis, » ait Beda loco citato. Romæ ergo ad limina Apostolorum monasticam vitam amplexus, sancto fine in Domino quievit, uti refert Baronius ex *Anal. Angl.* anno Christi 740.

Neque vero viri tantum principes, sed et femine id ipsum præstiterunt. Nam Eadburga cognomento Buggan, consanguinea Hedilberti regis Cantie, Romam se contulit ad limina Apostolorum. Quod priusquam faceret, litteras ad S. Bonifacium Frisiorum et Thuringorum apostolum dedit, quibus eum sui desiderii et propositi conscium reddidit, scilicet, optare se jam senescentem solum patriam relinquere amore quietis, et Romam petere, ut ibi apud sancta limina Apostolorum degens incognita, illic divinis tantum vocans re-

bus, ultimam diem præparans se ad obitum expectaret, petens ab eo super hac profectioe consilium. Cui S. Bonifacius in hæc verba rescripsit : « Melius mihi videtur, si propter libertates sæculares, in patria libertatem quietæ mentis habere nullatenus possis, ut peregrinatione libertatem contemplationis, si valueris et possis, acquiras, quemadmodum soror nostra Wictburga faciebat, quæ mihi per suas litteras intimavit, per talem vitam quietem invenisse juxta limina S. Petri, qualem longum tempus desiderando quæsivit. » Porro Wictburga hæc, ut patet ex *epist.* 47 ejusdem S. Bonifacii, Romæ spontanee se apud S. Petrum cella instar carceris clausit : ibique inclusa vitæ contemplativæ operam dedit. Recenset utrorumque epistolas Cardinalis Baronius, anno Christi 725.

Denique Carolus Magnus, anno Domini 774, peregrinatus est Romam; cumque ad urbem accederet, ex equo descendens, pedes perrexit ad S. Petrum, ac gradus S. Petri sigillatim deosculans, ab Adriano Pontifice exceptus, alias deinde ecclesias pari devotione visitavit. Quocirca Deus ei benedixit. Nam rediens Ticinum cepit, ac Desiderium Longobardorum regem captivum abduxit, regnumque Longobardorum tot annis Italiæ molestum, exstinxit. Deinde Saxones subjugavit. Ita ex Anastasio et aliis Baronius, anno Domini 774, ubi et ostendit Carolum Magnum quater peregrinatum esse Romam, scilicet *primo*, anno 774, uti jam dixi; *secundo*, solvendi voti causa; anno Domini 780; *tertio*, adversus Ducem Beneventanum, anno Domini 786; *quarto*, ad restituendum Leonem Papam in suum locum, anno Domini 800, quando et creatus est Imperator.

Tertio et genuine, transit hic Propheta ad sæculum futurum, felicissimum bonis, infelicissimum impiis, ut ejus vel horrore, vel amore et desiderio aculeum infigat lectori, itaque librum finiat, ut doceat concionatores conciones finire infixi simili auditoribus stimulo.

Nota ergo hebraismum : *mensem* enim vocat primum diem mensis, qui erat festum neomeniæ, quod hebraice dicitur *חודש* *chodes*, id est innovatio, scilicet lunæ et mensis, nimirum novilunium, quod Judæi celebrabant ob duas causas : *primo*, ob beneficium gubernationis divinæ; *secundo*, ut sicut frugum, ita etiam temporis et mensis primitias Deo dependerent. Vide dicta *Num.* xxviii, 11.

Sensus ergo est, *q. d.* Fidelibus in Ecclesia, præsertim cœlesti et triumphante, perpetua erit solemnitas, perpetua quies et exultatio, perpetuus sabbatismus, perpetua neomenia, id est perpetua gaudii, gratiæ et gloriæ innovatio; cum ex adverso impiis et damnatis æternus erit ignis et vermis, ut sequitur. Ita Theodoretus, S. Augustinus et Tertullianus locis citatis.

OMNIS CARO, — omnis homo : puta omnis fidelis et sanctus, omnis beatus; de his enim solis agit.
24. ET EGREDIENTUR ET Videbunt cadavera viro-

RUM. — *Primo*, Sanchez hæc pergit exponere de Ecclesia præsentî, *q. d.* Fideles in Ecclesia securi et tuti, cogitatione exhibunt et contemplantur funera quotidiana eorum, qui extra Ecclesiam expositi sunt dæmonis laqueis, et gladio Domini.

Rursum, ut Forerius, exhibunt meditando pœnas damnatorum in gehenna, qui sane prudens et utilis est egressus, ut peccata vitentur, ne in gehennam ingredi cogantur. *Secundo*, S. Cyrillus hæc refert ad vastitatem Judæorum per Titum. *Tertio* et genuine, S. Augustinus, Hieronymus, Adamus, et alii passim hæc referunt ad futurum sæculum, *q. d.* Beati mente et contemplatione, vel etiam naturaliter et localiter, si velint, egredientur cœlo, ut cominus intueantur damnatorum supplicia, quæ ipsi singulari Dei ope evaserunt, et in quæ hostes suos impios in æternum volutari videbunt. Hoc enim ingens eis erit gaudium. Sic, inquit Theodoretus, Lazarus in sinu Abrahamæ existens, vidit animam divitis epulonis in inferno. Quinimo S. Thomas in *Supplemento*, III part., *Quæst.* LXXXIV, cap. II, vers. 2, docet Beatos quandoque re ipsa cœlo exituros, tum ut dotem agilitatis exerceant, tum ut visum aliarum creaturarum specie pascant et oblectent.

Nota: Corpora damnatorum, licet animata, dicuntur « cadavera. » *Primo*, quia fœda, gravia et olida erunt instar cadaverum. *Secundo*, Hebraice פִּגְרֵי *pigre*, etiam significat pigra; et membra frigore torpentia, aut tormentis delassata. Ita Theodoretus et Castrius. *Tertio*, quia שׁוֹרְפֵי in morte æterna; et simul in pœna æterna: ut enim mortem significaret « cadavera, » dixit et « vermes; » ut vero vitam omni morte acerbiorum ob pœnam demonstraret, ignem dixit inexstinguibilem, et vermem eorum non moriturum.

VERMIS EORUM NON MORIETUR.—« Vermis, » id est vermes. Alludit ad « cadavera » damnatorum, de quibus præcessit; hæc enim solent in hac vita scaturire vermes: sed hi sunt mortales; illi in gehenna erunt immortales; hinc addit, « non morietur. » Cum enim hic moritur homo, mox caro ejus humida et putida producit serpentes, bufones, lumbricos et alios vermes. Hi carnem defuncti rodunt et depascuntur usque ad ossa, cumque nihil amplius restat quo pascantur, emoriuntur sensim, et vertuntur in terram. Ita impletur illud Dei ad Adam: « Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. » Verum in inferno uti cadavera; ita et vermis et ignis erunt æterna, Deo ea semper conservante ad æternam reprobatorum punitionem. Arabicus vertit: *Culpa eorum non moritur, et vermis eorum non dormit, et ignis eorum non exstinguitur.* Porro loqui Prophetam de damnatis in inferno certum est. Ita enim explicat Christus, *Marc. ix, 42*: « Bonum, inquit, est tibi debilem introire in vitam æternam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. » Et ita accipiunt

omnes interpretes: quare et præcedentia de sæculo futuro, non præsentî accipienda sunt, ut ibi dixi.

Quæritur hic, an in inferno sint veri et proprie dicti vermes, qui torqueant damnatos? Calvinus, lib. III *Instit.* xxv, § 12, sicut ignem inferni tropice accipit, ut nil sit aliud quam ipsa Dei indignatio apprehensa a damnatis: ita consequenter tropice accipit et vermes. Aliqui per vermes intelligunt flammulas tenues, quæ mille locis e carne impiorum, instar vermiculorum, erumpent. Rursum multi catholici ignem proprie, vermem tropice accipiunt, scilicet ut vermis sit dolor ac mœror quasi vermis ortus ex putredine peccati, arrodens et torquens animum ex amissione tantæ felicitatis, quam facile fuerat consequi; et tantæ miseriæ incursu, quam per difficiles peccati vias sibi accersiverunt. Ita S. Hieronymus et Procopius hic, Ambrosius in *xiv Lucæ*, lib. VII, Augustinus, lib. XX *De Civit.* XXI, qui tamen contrariam sententiam asserit esse æque probabilem; Jansenius in *Concord.* cap. LXXI; D. Thomas in IV, dist. I, *Quæst.* II, art. 3, ad 1 et 2. Ibi Soto et communiter Scholastici. Unde et Isidorus, lib. I *De Summo bono*, cap. XIII, duplicem ponit damnatorum pœnam: « Nam et eorum mentem, ait, urit tristitia, et corpus flamma. » Verum videtur potius hic vermis esse tropologicus.

Dico ergo hic intelligi proprie dictos vermes, qui in inferno erunt horribiles, fœdissimi, mordacissimi et æterni; sicut naturaliter salamandra et pyraustæ vivunt in igne: idque ad hoc, ut damnatorum, qui carni et concupiscentiæ tum corporis, tum mentis, et maxime superbiæ, indulserunt, acerrimi sint vindices. Erit ergo hoc vermium tormentum æque ut ignis, horribile et acerrimum; non enim erunt hi vermes naturales, sed Dei miraculo eformati ad impiorum afflictionem: itaque vermes hi non affligentur igne, sed tantum impios affligent.

Ubi nota quatuor locis horum vermium sacram Scripturam meminisse. *Primus* est hic Isaia, post eum *Judith xvi, 21*; *tertius*, *Ecclesiast. vii, 19*; *quartus*, *Marc. ix, 45*. Nunc hæc sententia probatur primo, quia Isaia ait cadavera, id est corpora, damnatorum fœda, putida et cadaverosa, projecta in gehennam videnda esse a Beatis, et statim addit: « Vermis eorum non morietur, » ubi satis insinuat vermes hosce fore corporum, quæ ideo vocat cadavera: hæc enim ex se scatent vermibus. *Secundo*, quia id clare explicat *Ecclesiast. vii, 19*, et *Judith xvi, 21*, ubi non animæ, sed carnis vocantur vermes: ergo carnei erunt. Sic enim ait *Ecclesiast.*: « Vindicta carnis impii ignis et vermis. » Et *Judith*: « Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant in sempiternum. » Licet enim *in carnes* aliqui sic exponant, *q. d.* *In carnalem vitam eorum*, ad eam scilicet puniendam: alii, *in carnes*, quas scilicet vermes comedent in sepulcro, tamen hæc frigida sunt, et re-

An in inferno sint veri vermes

Resp. fo-
ra-

Probatur primo.

Secundo.

Corpora damnatorum dicuntur cadavera, cur?

pugnant ei quod subditur : « Ut sentiant in semipiternum, » et quod ait Christus, *Marc. ix, 45* : « Vermis eorum non moritur. » *Tertio*, igni jungitur vermis : ergo sicut ignis verusest in inferno, uti fides docet; ita et vermes : quia verborum nexus non patitur, ut ignis proprie, vermis tropice capiatur, maxime cum, sicut semper dicitur ignis, ita et semper dicatur vermis, nec usquam tropum in voce *vermis* explicet Scriptura. Et sane si verum ignem, verum sulphur, veram picem intelligimus inferni in Scriptura, cur non et vermes? maxime cum regula sit S. Augustini et aliorum Patrum in Scripturis omnia proprie accipienda, non tropice, nisi cogat absurditas sententiæ : nihil autem in vermibus, eorumque vita in igne, et modo agendi, mordendi et torquendi damnatos est absurdum, non magis quam in corporibus damnatorum, et in modo agendi ignis et sulphuris non tantum in corpora, sed et in animas eorundem. *Quarto*, quia Beati habebunt quædam suavissima omnium sensuum oblectamenta, ut docent Theologi : ergo et damnati vermes et sordes habebunt, quæ omnes sensus affligant, et voluptates illicitas quibus in hac vita se oblectarunt, congrue puniant. *Quinto*, quia ita sentiunt Ilaymo hic, Augustinus, *XXI De Civitat. ix*; Basilius in *Psalm. xxxiii*, ad illum vers. : *Timorem Domini docebo vos* : « In inferno, ait, vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum erit, esitans quidem, nec tamen se satians, intolerabiles dolores morsibus infligens. » Auctor *De Triplici habitaculo* apud S. Augustinum, tom. IX : « In inferno, inquit, est ferocitas bestiarum, dilaceratio immortalium vermium. » Innocentius III Pontifex, lib. III *De Contemptu mundi*, cap. I, II et seq. : « Erit in gehenna vermis, inquit, duplex : interior qui rodit cor, exterior qui rodit corpus; » et cap. IV : « In inferno erunt vermes indeficientes. » Prosper, lib. III *De Vita contempl.* cap. XII, ait damnatos « edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. » Hugo Victorinus, lib. IV *De Anima*, cap. XIII : « In inferno, ait, omnes comburantur, et vermibus corroduntur, nec consumuntur, quorum vermis non moritur, et ignis non exstinguitur. » S. Anselmus in *Elucidario* : « Tertia, ait, pœna in inferno est vermes immortales, id est serpentes et dracones visu et sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma. » Idem indicat Cyrillus in orat. *De exitu animæ*, ubi fœdum et olentem vermem appellat : ergo corporalis erit, non spiritualis. Idem docent Chrysostomus, Theophylactus et Guilielmus Parisiensis, quos citat et sequitur noster Serarius in *Judith* cap. XVI, *Quæst. II*. Sic et sentit Gregorius de Valentia, III part. *De Beat. et damnat. corp.*, disp. 13, *Quæst. V*, punct. 3. Certe Scriptura cum toties minatur improbis vermes, æque ac ignes gehennæ, propriam aliquam, novam et miram pœnam damnatorum voluit significare; qualis non est mœror vel remorsus conscientiæ : hic enim est in omni pœna, et nemo, ne

Calvinus quidem, dubitavit unquam, quin ille esset in gehenna. Quis enim nesciat in tanta pœna, eaque æterna, damnatos dolere et cruciari, quod pœnas illas sibi accersiverint? Denique apposite damnati punientur verme : cum enim omnis caro corruerit viam suam, et pleraque reproborum peccata sint carnalia, videamusque passim grassari libidinem, gulam et crapulam, etc., apte Deus puniet eos putidis vermibus, qui ex gula, libidine, indeque putenti carne oriri solent : idque toties prædici voluit, ut ejus horrore homines sibi a peccatis hisce temperent. Hoc est quod scribit S. Gregorius, XVI *Moral. cap. ult.* : « Carnalis dulcedo delectationis, in conscientia nutrit vermem doloris. Quid namque caro, nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia, testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui, tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quæ sit exanimis et intelligitur quid amatur. » Causam subdit : « Nihil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet quam unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset. Considerata etenim corruptione carnali, citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tabes desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur : Dulcedo illius vermibus : quia is qui in desiderio carnalis corruptionis æstuat, ad fœtorem putredinis anhelat. »

Quocirca S. Ambrosius, lib. VII *in Luc. cap. xiv*, tract. *De parata cœna magna* : « Ut multæ, inquit, ex cruditate febres nascuntur et vermes, quando quis intemperanter cibum sumit : ita si quis peccata peccatis accumularet, nec decoquat ea pœnitentia, sed misceat peccata peccatis, cruditatem contrahet veterum et recentium delictorum, indeque igne quasi febre aduretur proprio, et vermibus consumetur, id est torquebitur, » et cruciabitur usque ad consumptionem et mortem, ita tamen ut nunquam sit consumptus, nec mortuus. Hujus rei symbolo Deus quosdam valde impios vivos vermibus corrodendos tradidit, uti Antiochum, e cujus corpore vermes scaturierunt, II *Machab. ix, 9*; et Herodem infantidam, cujus

« verenda putrefacta scatebant vermiculis cum fœtore gravissimo, » ait Josephus, lib. XI *Antiq. cap. viii*; et Calvinum, quem phthiriasi, id est pediculari morbo, consumptum tradit Bolsecus medicus, ejusque discipulus, in ipsius Vita.

Mystice, vermis hic erit remorsus conscientiæ, qui ut vermis jugiter eam mordebit et rodet, de quo pulchre Innocentius III, loco citato : « Vermis, ait, conscientiæ tripliciter lacerabit : affliget memoria, sera turbabit pœnitentia, torquebit angustia. Venient enim in cogitationem peccatorum suorum timidi, et traduent illos ex adverso iniquitates eorum dicentes : Quid profuit nobis superbia? et jactantia divitiarum quid contulit no-

Herodes
Antiochus
Calvinus
a vermibus consumptus

Mystice
vermis
quid

bis? transierunt illa omnia tanquam umbra, et sicut navis quæ pertransiit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est invenire vestigium; sic et nos nati continuo desivimus esse. Virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, sed in malignitate nostra consumpti sumus (Vide *Sapient.* v). Cum ingenti turbatione recogitabant, quæ cum nimia delectatione gesserunt, ut stimulus memoriæ pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiae stimulavit ad culpam.»

Ferunt Poetæ Prometheum, quod arundine ignem e cœlo deduxerat, a Jove Caucasio monti alligatum, ubi ab aquila cor illius perpetuo exeditur: Tityum vero terræ filium, eo quod Latonam adamasset, ab Apolline sagittis confixum, et damnatum apud inferos hac pœna, ut vultur ejus jecur perpetuo arrodatur: arrosus enim et exesus semper renasci. Ita referunt Hesiodus, Ovidius, Lucanus. Unde Virgilius, VI *Æneid.*, de eo ita canit:

Rostroque immanis vultur adunco
Immortale jecur tundens, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Hoc symbolo significarunt improbos a sua conscientia, velut a carnifice ac furiis nocte dieque torqueri. Unde ex Virgilio pulchre hunc Isaïæ versum ita carmine reddidit Carpentarius:

Supplicium quæris? Jecur immortale cerastæ
Semper victuri tudent, fœcundaque pœnis
Viscera corrodent, nostroque alimenta furori
Suffectura dabunt, nec erunt sine fomite flammæ,
Flammæ vivaces, insopitique vapores.

Quocirca merito S. Bernardus, lib. V *De Consid.* cap. XII: «Hic est, ait, vermis, qui non moritur, memoria præteritorum; semel injectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis et vitæ morientis. Hæc est secunda mors quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.» Quapropter S. Pachomius, vir mire sanctus tempore Constantini Imperatoris: «Si quando eum cogitatio pulsasset illicita, mox eam repellebat, atque in timore Domini perseverabat affixus, æternarum memor pœnarum, et dolorum sine fine manentium, ignis scilicet illius inexstinguibilis, et vermis nunquam morientis,» inquit Auctor *Vitæ* ejus, cap. XVI.

NON MORIETUR. — Vere S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. VII: «Anima, inquit, mortaliter est immortalis, et immortaliter mortalis: ita enim immortalis est, ut mori possit; ita mortalis est, ut mori non possit. Nam beate vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdit. Essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per suppli-

cium perdit.» Animæ enim essentia nunquam interit, sed est immortalis; moritur tamen spiritaliter, cum Dei gratiam quasi animam suam amittit. Unde Damascenus in *Historia Barlaam.* cap. XVIII: «Peccatum, ait, est immortalis animæ mors.» Rursum moritur, cum in gehenna morte æterna, id est agonia et doloribus mortis, in æternum punitur et cruciatur.

ET ERUNT USQUE AD SATIETATEM VISIONIS OMNI CARNI. — Pro *satietaem visionis* hebraice est *דַּרְאֵן דַּרְאֵן*, quod primo, Syrus et Arabicus Antiochenus vertunt, *erunt admiratio vel stupor omni carni*; secundo, Arabicus Alexandrinus, *erit exemplum omni carni*, puta omnibus hominibus; tertio, Vatablus et Forerius, *erunt in fastidium vel nauseam*; alii, *in abominationem*: abominamur enim cadavera foetentia et verminosa, qualia maxime sunt eorum qui in deliciis ventris et veneris vixerunt. Melius Noster cum Chaldæo et aliis Hebræis *deraon* accepit quasi compositum ex *דַּרְאֵן דַּרְאֵן*, id est satietaem, et *דַּרְאֵן דַּרְאֵן* *raon*, id est visio, quasi dicas *satietaem visionis*. Unde Chaldæus vertit: *Et erunt impii judicati in gehennam, donec dicant super eos justis: Vidimus satis.* Alii et melius, *q. d.* Erunt sempiternum justis spectaculum. Ita S. Cyprianus *Contra Demetrium*, tract. 1, in fine. Sensus ergo est: Gaudebunt Beati videntes tantas reproborum, hostium Dei et suorum, pœnas, videntes se eas evasisse. At damnatos mire torquebit hoc suæ pœnæ spectaculum, et gaudium Beatorum, quodque nulla suorum ita exercitatorum pœna et lamentis moveantur, sed potius rideant, Deique justitiam laudent. Nullus ergo eis in æternum erit consolator, nullum dolorum lenimen; sed potius insultabit eis Deus, qui dixit *Proverb.* I, 24: «Quia vocavi, et renuistis, etc., ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.» Insultabunt eis Sancti et Angeli, *Psal.* LVII, 11: «Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.» De voce *deraon* plura dicam *Dan.* XII, 3, in fine. Terminat hic Isaïas suam prophetiam subjiciendo oculis ultima et summum damnatorum supplicia, tum Beatorum gaudia. Quis enim stimulus hoc possit esse acrior ad omnem virtutem prosequendam, et omne peccatum abominandum: «Ad hoc Propheta terminavit librum, ad quod terminabitur sæculum,» ait S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* XXI.

Vide ergo hic et jugiter considera, o christiane, infelicem impiorum exitum plane disparem ab exitu piorum. Præclare S. Hieronymus, epist. 24 *ad Marcellam*, ostendit quam mors S. Leæ illustris femine, sed religiosæ, dispar fuerit a morte consulis infidelis, qui per id tempus obierat. «Humilitatis, ait, fuit tantæ (S. Leæ) ut quondam domina plurimorum, ancilla omnium putaretur. Inculca vestis, vilis cibus, neglectum caput. Nunc igitur pro brevi labore æterna beatitudine fruitur. Excipitur angelorum choris, Abrahæ sinibus confovetur, et cum paupere quondam Lazaro di-

S. Leæ
felicis
mors.

vitem purpuratum, et non palmatum consulem, sed atratum stillam digiti minoris cernit inquire. O quanta rerum mutatio! Ille qui ante paucos dies quasi triumpharet Capitolinas ascendit arces, nunc desolatus et nudus, non in lacteo cœli palatio, ut uxor mentitur infelix, sed in sordentibus tenebris continetur. Hæc vero quam unius cubiculi secreta vallabant, quæ pauper videbatur et tenuis, cujus vita putabatur amentia, Christum sequitur, et dicit: Quæcumque audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri. » Unde pathetice concludit: « Quapropter moneo, et flens gemensque contester, ut, dum hujus mundi vitam currimus, non duabus tunicis, id est duplici vestiamur fide; non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus, prægravemur: non divitiarum nos pera ad terram premat: non virgæ, id est potentiaæ sæcularis, quærat auxilium; non pariter et Christum velimus habere et sæculum; sed pro brevibus et caducis æterna succedant, et cum quotidie (secundum corpus loquor) præmoriatur, in cæteris non nos perpetuos existimemus, ut possimus esse perpetui. »

Hæc et ego suspirans gemensque scribo, dum cogito tot quotidie pereuntium et in gehennam descendentium ruinas, ubi « vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur. » Atque te, o lector, per viscera misericordiae Dei nostri, per tuam ipsius salutem, per unicam animulam tibi creditam, tuæque curæ commissam obsecro et obtestor, ut æternitatis et æternorum tormentorum, æque ac gaudiorum, tibi a Deo utrinque propositorum, de quibus hic unam jadis aleam, eamque irrevocabilem, memoriam vivam tibi semper ob oculos ponas; hæc duo non recedant a mente tua: In hoc sæculo « vanitas vanitatum, et omnia vanitas: » o quantum est in rebus inane! o sine Christo quam vanum omne quod vivimus! In futuro, veritas veritatum, et omnia veritas, stabilitas stabilitatum, et omnia stabilitas, ÆTERNITAS ÆTERNITATUM, ET OMNIA ÆTERNITAS: in cœlo felicissima, in gehenna miserrima, ubi « vermis non morietur, et ignis non exstinguetur. » Ergo in medio constitutus sic vive, ut in æternum vivas. Unica et brevis est vita tua; ubi mortuus fueris, ad vitam hanc redire non licebit: sapere, et errores commissos corrigere non dabitur: clausa erit pœnitentiæ janua. Hæc prævidens sapito, dum tempus habes.

Hic momentum quod delectat, ibi æternum

quod cruciat; hic momentum quod cruciat, ibi æternum quod delectat. Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur; gloria horum non morietur, et felicitas non exstinguetur. Ito nunc juvenis, lætare in adolescentia tua, ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum, et scito quod pro his omnibus adducet te Deus in iudicium. Ito vane, vanis inhia; mox perituris te satia, cras moriture. O vani filii Adæ, mendaces in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum! O umbra, o somnium, o universa vanitas omnis homo vivens! Memento Creatoris tui antequam veniat tempus afflictionis, antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, vel superam, vel inferam. Intra per angustam portam, quia lata et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci qui inveniunt eam (1)!

(1) Quanquam omnia vaticinia sint Isaia, quæri tamen potest an volumen, quale nunc est, ab eodem editum sit. Isaia non omnia quæ per revelationem edoctus fuit, mox chartæ mandasse, liquet ex inscriptione, cap. vi, 1. Anno mortis Ozia, quod ante hanc mortem, cum nondum constabat regem moriturum esse, scribi non potuit; neque etiam visio hæc post mortem Ozia contigit, quo casu dictum esset: Anno primo regis Jothami. Inscriptio (juxta propositam conjecturam: Anno mortis Jothami) innuit, jam aliquod temporis spatium, cum scriberet Isaia, præterlapsus fuisse, quocum consentit inscriptio, cap. vii, 1: Accidit tempore Achazi filii Jothami filii Ozia, quod æque aliquod temporis intervallum inter factum et scriptionem indicare videtur.

Hinc explicandus est turbatus ordo vaticiniorum, quæ ita collocanda fuissent, ut caput vi inchoaret librum, dein sequeretur cap. ii-v, tandem cap. vii-xi cum cap. i. Quidquid sit, Isaia videtur edidisse vaticinia sua sigillatim, ut cap. vi, cap. ii-v, cap. vii-xii, et cap. i; xiv, xxiv-xxvii, xxviii-xxx; et sic porro. Hæc deinceps, probabilius jam defuncto Propheta, in nostrum volumen collecta sunt. Hinc quæpiam vaticinia deperdita, et quæpiam manca esse vidimus. Qua autem ætate collectio facta sit, dici nequit. Qui plura vaticinia Isaia abjudicant, contendunt, ea sub finem exsili Babylonici, vel post reditum Judæorum in patriam, collecta fuisse, quod idoneis argumentis evinci nequit. Verisimilior est sententia, minores collectiones, ut cap. i-v, cap. vi-xii, cap. xiii-xviii, cap. xxiv-xxv, moriente Propheta jam adfuisse, quæ paulo post in nostrum volumen conscripta sunt. (Jahn.)

JUBILUS

EX MAGNIFICIS ISAIAE ORACULIS,

eorumque ordinata synopsis, quibus ecclesiae redemptionem, gratiam, pacem, exultationem, victoriam, impietatis et impiorum excidium, charismata spiritus sancti, coelestium bonorum affluentiam, ac perennem felicitatem, et triumphum per Christum danda promittit.



I. Audite, caeli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivit, et exaltavit: ipsi autem spreverunt eum.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.

Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!

Omne caput languidum, et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus, et livor, et plaga tumens.

Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorrha similes essemus.

Audite verbum Domini, principes Sodomorum: percipite auribus legem Domini nostri, populus Gomorrhæ.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Si volueritis, et audieritis me, bona terrae comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.

Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, pupillo et viduæ non iudicant.

Propter hoc, ait Dominus, fortis Israel: Heu, consolabor super hostibus meis; et vindicabor de inimicis meis; excoquam ad purum scoriâ tuam.

Et restituum iudices tuos ut fuerunt prius. Post hæc vocaberis civitas iusti. Sion in iudicio redimetur: et conteret scelestos, et peccatores simul.

II. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Domus Jacob, venite; et ambulemus in lumine Domini.

Dies Domini super omnem superbum et excel-

sum. Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragine terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.

Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.

III. Ecce enim Dominator Dominus auferet a Juda validum et fortem, omne robur panis et aquæ, consiliarium et sapientem. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis.

Provocaverunt oculos maiestatis eius: peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt. Vae animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala!

Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.

Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion: et erit pro suavi odore fetor, pro zona funiculus, pro fascia pectorali cilicium.

IV. In illa die erit germen Domini in magnificentia. Omnis qui relictus fuerit in Sion, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita, cum abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicii et ardoris.

V. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei. Vineam factam est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et plantavit eam electam.

Nunc ergo, viri Juda, iudicate inter me et vineam meam.

Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ? an quod exspectavi ut faceret uvam, et fecit labruscas?

Auferam ergo sepem eius, et erit in direptionem.

Vae qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis! numquid habitabitis vos soli in medio terræ?

Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam! Cithara, et lyra, et tibia, et vinum in conviviis vestris: et opus Domini non respicitis.

Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.

Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanita-

tis, et quasi vinculum plaustrum peccatum! Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum!

Væ qui sapientes estis in oculis vestris! væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem!

VI. Vidi Dominum sedentem super solium exæsum et elevatum: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem suam, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant.

Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.

Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum! Et volavit ad me unus de Seraphim, et « calculo » tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua.

Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mitam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

Et dixit: Vade, et dices populo huic: Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata: semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

VII. Dices ad Achaz: Noli timere a duabus caudis titionum fumigantium, Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ.

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Sibilabit Dominus muscæ Ægypti, et api quæ est in terra Assur: et radet in novacula conducta Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam.

VIII. Accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: accelera spolia detrahare: festina prædari.

Quia, antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.

Dominum exercituum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, et in petram scandali domibus Israel; et habitantibus Jerusalem.

Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum Israel.

Cum dixerint ad vos: Querite a pythonibus: Numquid non populus a Deo suo requirit, pro vivis a mortuis? Ad legem magis, et ad testimonium.

IX. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

PARVULUS enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis,

Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

X. Væ qui condunt leges iniquas, ut opprimant pauperes, viduas et pupillos decipiant! Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis?

Væ Assur, virga furoris mei! ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi.

Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, visitabo super fructum magnifici regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus.

Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? propter hoc mittet Dominus in pinguibus ejus tenuitatem: et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis.

Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundabit justitiam.

XI. Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.

Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis.

Et replebit eum spiritus timoris Domini: non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet.

Sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.

Et erit justitia cingulum lumborum ejus: et fides cinctorium renum ejus.

Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos.

In die illa, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.

Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.

Et volabunt in humeros Philisthim per mare; simul deprædabuntur filios Orientis. Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt.

XII. Et dices in die illa: Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Exsulta, et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

XIII. Onus Babylonis. Super montem caliginosum levate signum; exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces.

Ego mandavi sanctificationis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea.

Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium : vox sonitus regum, gentium congregatarum : Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul a summitate cœli : Dominus et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.

Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet.

Quoniam stellæ cœli, et splendor earum, non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.

Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, incluta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrhæam.

XIV. Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices : Quomodo cessavit exactor, quievit tributum ?

Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.

Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solis suis, omnes principes nationum.

Universi respondebunt, et dicent tibi : Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es.

Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum : subter te sternetur tineæ, et operimentum tuum erunt vermes.

Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ?

Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.

Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacu.

Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient : Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna ?

Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui : de radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbeas volucrem.

Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipsa sperabunt pauperes populi ejus.

XV. Onus Moab. Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit : quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.

Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem : per ascen-

sum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.

Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum : ad torrentem salicum ducent eos.

XVI. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.

Audivimus superbiam Moab, superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus.

Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit : his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris.

XVII. Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina.

Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami.

XVIII. Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ!

Qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas.

Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam : ad populum terribilem, post quem non est alius : ad gentem expectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.

Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinavit, et præcidentur ramusculi ejus falcibus : et quæ derelicta fuerint, absceidentur, et excutientur.

In tempore illo, deferetur munus Domino a populo divulso et dilacerato.

XIX. Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus.

Stulti principes Taneos, sapientes consilarii Pharaonis, dederunt consilium insipientis. Quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum ?

Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.

Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis : et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.

In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum : civitas scilicet vocabitur una.

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus.

In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio : benedictio in medio terræ.

Cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio; hæreditas autem mea Israel.

XX. Dixit Dominus Isaïæ : Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus.

Et dixit Dominus : Sicut ambulavit Isaïas nudus, sic minabit rex Assyriorum Ægyptios et Æthiopes, juvenem et senem, nudum et discalceatum.

XXI. Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.

Pono mensam, contemplare in specula bibentes : surgite, principes, arripite clypeum.

Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli : et contemplatus est diligenter multo intuitu.

Et clamavit leo : Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem : et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.

Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum, et respondit, et dixit : Cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram.

Onus Duma ad me clamat ex Seir : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?

Dixit custos : Venit mane et nox : si quæritis, quærite, convertimini, venite.

Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.

XXII. Onus vallis visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta?

Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans : interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.

Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci.

Et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : comedamus, et bibamus ; cras enim moriemur.

Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum : Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Vade, ingredi ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum :

Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.

Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te.

Et erit in die illa : Vocabo servum meum Eliaim filium Helciæ.

Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus : et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda.

Et dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudit, et non erit qui aperiat.

XXIII. Onus Tyri. Ululate, naves maris : quia vastata est domus, unde venire consueverant.

Erubescet, Sidon; ait enim mare, fortitudo maris, dicens : Non parturivi, et non peperivi, et non enutrivivi juvenes, nec ad incrementum perduxivi virgines.

Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ;

Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi.

Et erit in die illa : in oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius : post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.

XXIV. Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus.

Et erit sicut populus, sic sacerdos : et sicut servus, sic dominus ejus : sicut ancilla, sic domina ejus : sicut emens, sic ille qui vendit : sicut fœerator, sic is qui mutuum accipit : sicut qui repetit, sic qui debet.

Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.

Clamor erit super vino in plateis : deserta est omnis lætitia : translatum est gaudium terræ.

A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. Et dixi : Secretum meum mihi, vae mihi ! prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.

Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.

Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

XXV. Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles amen.

Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum : ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur.

Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.

Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua : spes a turbine, umbraculum ab æstu. Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem.

Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

Præcipitabit mortem in sempiternum : et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.

Et dicet in die illa : Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos : iste Dominus, sustinuimus eum, exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus.

XXVI. In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda.

Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.

Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.

Vetus error abiit : servabis pacem ; pacem, quia in te speravimus.

Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

Domine, nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.

Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.

Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis.

Morientes non vivant, gigantes non resurgant : propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.

Concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum : salutes non fecimus in terra ; ideo non ceciderunt habitatores terræ.

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent : expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.

Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum ; donec pertranseat indignatio.

XXVII. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est.

In die illa vinea meri cantabit ei.

Ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei, ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam.

Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israël, et implebunt faciem orbis semine.

Et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.

XXVIII. Væ coronæ superbæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exsultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguisimæ, errantes a vino !

Pedibus conculcabitur corona superbæ ebriorum Ephraim.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui.

Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.

Quem docebit scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.

Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.

Et erit eis verbum Domini : Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi : ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur.

Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.

Idecirco hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit, non festinet.

Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit : flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem ; sola vexatio intellectum dabit auditui.

Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat : et pallium breve utrumque operire non potest.

Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus : sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur : ut faciat opus suum, alienum opus ejus : ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.

Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam ?

Et erudiet illum in judicio : Deus suus docebit illum.

XXIX. Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David !

Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel.

Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, et jaciæ contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam.

Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum musitabit.

Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum sorporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet.

Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos, et quis novit nos ?

XXX. Onus jumentorum Austri. In terra tribulationis et angustæ, læna et leo ex eis, vipera, et regulus volans, portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit.

Qui dicunt videntibus : Nolite videre ; et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt ; loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

Hæc dicit Dominus Deus Israel : Si revertamini et quiescatis, salvi eritis ; in silentio et in spe erit fortitudo vestra, et noluitis.

Et dixistis : Nequaquam, sed ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo velociore erunt, qui persequentur vos.

Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare ultra doctorem tuum : et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

Et aures tuæ audient verbum post tergum momentis : Hæc est via, ambulate in ea : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui.

Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

XXXI. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; et super equitibus, quia prævalidi nimis : et non sunt confisi super Sanctum Israel, et Dominum non requisierunt.

Ægyptus homo, et non Deus : et equi eorum caro, et non spiritus : et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consummentur.

Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.

XXXII. Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.

Princeps vero ea quæ principe digna sunt cogitabit, et ipse super duces stabit.

Donec effundatur super nos spiritus de excelso : et erit desertum in Charmel ; et Charmel in salutem reputabitur.

Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum.

Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Beati, qui seminatis super omnes aquas, immitentes pedem bovis et asini,

XXXIII. Væ qui prædatis nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis; cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.

Domine, miserere nostri : te enim exspectavimus; esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.

Et erit fides in temporibus tuis, divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus.

Eccæ videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt.

Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas : quis poterit habitare de vobis

cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.

Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.

Cor tuum meditabitur timorem : ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?

Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.

XXXIV. Et tabescet omnis militia cælorum, et complicabuntur sicut liber cæli : et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu.

Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum.

Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.

Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur, et erit terra ejus in picem ardentem.

Et possidebunt illam onocrotalus et ericius : ibi et corvus habitabunt in ea : et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendicularum in desolationem.

Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum : ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem.

XXXV. Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi liliium.

Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans : gloria Libani data est ei : decor Carmeli, et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.

Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt.

Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum : in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci.

Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

XXXVI. Et dixit Rabsaces, dicite Ezechiæ : Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum : Quæ est ista fiducia, qua confidis?

Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me?

Ubi est Deus Emath, et Arphad? ubi est Deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?

XXXVII. Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

Et dixit ad eos Isaias : Hæc dicetis domino vestro : Hæc dicit Dominus : Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruiere eum faciam gladio in terra sua.

Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens : Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super Cherubim : tu es Deus solus omnium regnorum terræ; tu fecisti cœlum et terram.

Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus : et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.

Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum.

Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me.

Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas : ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti.

Egressus est autem angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes, cadavera mortuorum.

XXXVIII. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem : et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.

Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit Dominum.

Et dixit : Obsecro, Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.

Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens : Vade, et dic Ezechiaë : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos : et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam.

Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est.

Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz, in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.

Scriptura Ezechiaë regis Juda, cum ægrotasset, et convaluisset de infirmitate sua.

Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi; quæsi residuum annorum meorum.

Dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium, non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima : tu autem eruisti animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

XXXIX. In tempore illo misit Merodach Baladan, filius Baladan rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam : audierat enim quod ægrotasset et convaluisset.

Et ostendit eis Ezechias universa quæ erant in thesauris suis.

Et dixit Isaias ad Ezechiam : Audi verbum Domini exercituum.

Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem.

Et dixit Ezechias ad Isaiam : Bonum verbum Domini quod locutus est. Et dixit : Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

XL. Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester : loquimini ad cor Jerusalem.

Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas ejus.

Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.

Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.

Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos : verbum autem Domini nostri manet in æternum.

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester.

Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit; fœtas ipse portabit.

Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera?

Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi?

Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.

Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?

Numquid sculptile conflavit faber? aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius?

Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ : qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.

Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transivit?

Qui dat lasso virtutem : et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.

Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent.

Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem; assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

XLI. Quis suscitavit ab Oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.

Et tu Israel serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei.

Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei.

Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: et redemptor tuus Sanctus Israel.

Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivis aquarum.

Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul.

Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.

Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, et Jerusalem evangelistam dabo.

XLII. Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.

Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.

Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet: in veritate educet judicium.

Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponam in terra judicium, et legem ejus insulæ expectabunt.

Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.

Ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

Tacui semper, silui, patiens fui: sicut parturiens loquar, dissipabo, et absorbebo simul.

Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt, ponam tenebras coram eis in lucem. Surdi, audite: et cæci, intuemini ad videndum.

Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?

XLIII. Et nunc hæc dicit Dominus, creans te, Jacob, et formans te, Israel: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu.

Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.

Quia ego Dominus Deus tuus. Sanctus Israel, salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te.

Noli timere, quia ego tecum sum, ab Oriente

adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te.

Dicam Aquiloni: Da; et Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.

Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator.

Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.

XLIV. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Jacob: et hic scribet manu sua, Domino, et in nomine Israel assimilabitur.

Plastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis, ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur.

Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.

Laudate, cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur.

Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: Edificaberis; et templo: Fundaberis.

XLV. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam: et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur.

Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. Ego Dominus, et non est alter.

Formans lucem, et creans tenebras: faciens pacem, et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.

Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiat terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.

Væ qui contradicit fitori suo, testa de samitis terræ. Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, et opus tuum absque manibus est?

Væ qui dicit patri: Quid generas? et mulieri: Quid parturis?

Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ et Sabaim, viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manibus pergunt, et te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, et non est absque te Deus.

In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur: quia mihi servabitur omne genu, et jurabit omnis lingua.

In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israel.

XLVI. Confractus est Bel, contritus est Nabo : facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.

Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.

Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo : ego feci, et ego feram : ego portabo, et salvabo.

Vocans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meae. Et locutus sum, et adducam illud : creavi, et faciam illud.

XLVII. Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra : non est solium filiae Chaldaeorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera.

Et dixisti : In sempiternum ero domina : non posuisti haec super cor tuum, neque recordata es novissimi tui.

Venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas et viduitas.

XLVIII. Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aerea : transgressorem ex utero vocavi te.

Propter nomen meum longe faciam furorem meum : et laude mea infrenabo te, ne intereas.

Ecce excoxi te, sed non quasi argentum : elegi te in camino paupertatis.

Utinam attendisses mandata mea ! facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris.

Non est pax impiis, dicit Dominus.

XLIX. Audite, insulae, et attendite, populi, de longe : Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei.

Et posuit os meum quasi gladium acutum : in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam : in pharetra sua abscondit me.

Et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.

Et ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi ; ergo iudicium meum cum Domino, et opus cum Deo meo.

Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.

Haec dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui : et servavi te, et dedi te in foedus populi, ut suscitares terram, et possideres haereditates dissipatas.

Ut diceretis his, qui vincti sunt : Exite ; et his, qui in tenebris : Revelamini. Super viis pascentur, et in omnibus planis pascua eorum.

Non esurient, neque sitient ; et non percutiet eos aestus et sol : quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.

Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi.

Laudate, caeli, et exsulta, terra ; jubilate, montes, laudem : quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur.

Et dixit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei.

Numquid oblivisci potest mulier infantem suam, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui coram oculis meis semper.

Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos ? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva : et istos quis enutrivit ? ego destituta et sola : et isti ubi erant ?

Et erunt reges nutritii tui, et reginae nutrices tuae : vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.

Et cibabo hostes tuos carnibus suis : et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur : et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.

L. Haec dicit Dominus : Quis est hic liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam ? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos ? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo : erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.

Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus : ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar.

LI. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos : quia unum vocavi eum et benedixi ei, et multiplicavi eum.

Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus ; et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.

Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis.

Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tineas : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini : consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ?

Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt ; fugiet dolor et gemitus.

Ego, ego ipse consolabor vos : quis tu ut time-
res ab homine mortali, et a filio hominis, qui
quasi foenum, ita arescet?

LII. Consurge, consurge, induere fortitudine
tua, Sion, induere vestimentis gloriae tuae, Jeru-
salem, civitas Sancti : quia non adjiciet ultra, ut
pertranseat per te incircumcisus et immundus.

Quam pulchri super montes pedes annuntian-
tis et praedicantis pacem; annuntiantis bonum,
praedicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus
tuus !

Paravit Dominus brachium sanctum suum in
oculis omnium gentium : et videbunt omnes fines
terrae salutare Dei nostri.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite
tangere : exite de medio ejus, mundamini qui
fertis vasa Domini.

LIII. Quis credidit auditui nostro ? et brachium
Domini cui revelatum est ? et ascendet sicut vir-
gultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi.

Non est species ei, neque decor : et vidimus
eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nos-
tros ipse portavit : et nos putavimus eum quasi
leprosum, et percussus a Deo et humiliatum.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque
in viam suam declinavit : et posuit Dominus in
eo iniquitatem omnium nostrum.

Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os
suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi
agnus coram tondente se obmutescet, et non ape-
riet os suum.

De angustia et de judicio sublatus est : gene-
rationem ejus quis enarrabit ? quia abscissus est
de terra viventium : propter scelus populi mei
percussi eum.

Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro
morte sua : eo quod iniquitatem non fecerit, ne-
que dolus fuerit in ore ejus.

Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet
spolia; pro eo quod tradidit in mortem animam
suam, et cum sceleratis reputatus est : et ipse
peccata multorum tulit, et pro transgressoribus
rogavit.

LIV. Lauda, sterilis, quae non parit : decanta
laudem, et hinni quae non pariebas : quoniam
multi filii desertae, magis quam ejus quae habet
virum, dicit Dominus.

Ad punctum in modico dereliqui te, et in mise-
rationibus magnis congregabo te.

Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla
consolatione. Ecce ergo sternam per ordinem la-
pides tuos, et fundabo te in sapphiris.

Et ponam jaspidem propugnacula tua, et por-
tas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos
tuos in lapides desiderabiles.

Et in justitia fundaberis : recede procul a ca-
lumnia, quia non timebis : et a pavore, quia non
appropinquabit tibi.

LV. Omnes sitientes, venite ad aquas : et qui

non habetis argentum, properate, emite, et co-
medite : venite, emite absque argenteo, et absque
ulla commutatione vinum et lac.

Quare appenditis argentum non in panibus, et
laborem vestrum non in saturitate? audite audien-
tes me, et comedite bonum, et delectabitur in
crassitudine anima vestra.

Feriam vobiscum pactum sempiternum, miseri-
cordias David fideles.

Ecce testem populis dedi eum, ducem ac prae-
ceptorem gentibus.

Quaerite Dominum, dum inveniri potest, invo-
cate eum, dum prope est.

Quia in laetitia egrediemini, et in pace deduce-
mini : montes et colles cantabunt coram vobis lau-
dem, et omnia ligna regionis plaudent manu.

LVI. Quia haec dicit Dominus eunuchis : Qui
custodierint sabbata mea, et elegerint quae ego
volui, et tenuerint foedus meum.

Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum,
et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sem-
piternum dabo eis, quod non peribit.

Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt uni-
versi : canes muti non valentes latrare, videntes
vana, dormientes, et amantes somnia.

LVII. Justus perit, et non est qui recogitet in
corde suo : et viri misericordiae colliguntur, quia
non est qui intelligat; a facie enim malitiae col-
lectus est justus.

Quia haec dicit Excelsus, et sublimis habens
aeternitatem.

Propter iniquitatem avaritiae ejus iratus sum, et
percussi eum; abscondi a te faciem meam, et in-
dignatus sum, et abiit vagus in via cordis sui.

Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere
non potest.

Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

LVIII. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem
tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et
domui Jacob peccata eorum.

Quare jejunavimus, et non aspexisti? humilia-
vimus animas nostras, et nescisti?

Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas
vestra.

Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dis-
solve colligationes impietatis, solve fasciculos de-
primentes.

Frangere esurienti panem tuum, et egenos vagos-
que induc in domum tuam : eum videris nudum,
operi eum, et carnem tuam ne despexeris.

Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sa-
nitas tua citius orietur; et anteibit faciem tuam
justitia tua, et gloria Domini colliget te.

Et aedificabuntur in te deserta saeculorum : fun-
damenta generationis et generationis suscitabis :

Et vocaberis aedificator sepium, avertens semi-
tas in quietem.

Si vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum
Domini gloriosum, et glorificaveris eum dum non
facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua.

Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

LIX. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.

Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur.

Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum.

Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum.

Viam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.

Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus.

Et conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit: quia corrui in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.

Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret.

Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem.

Ova aspidum ruperunt, et telas aranæ texerunt: qui comederit de ovis eorum morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum.

Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis atrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantés gememus: exspectavimus iudicium, et non est: salutem, et elongata est a nobis.

Et vidit quia non est vir; et aporiatuſ est, quia non est qui occurrat: et salvavit sibi brachium suum, et iustitia ejus ipsa confirmavit eum.

Indutus est Dominus iustitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli.

LX. Surge, illuminare, Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.

Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.

Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.

Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Ephra: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.

Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?

Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et

non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem.

Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis: et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.

Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum: et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam.

Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio: populus autem tuus omnes justii, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.

LXI. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetiſ misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.

Ut prædicarem annum placibilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes.

Ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis.

Omnes qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis; et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.

LXII. Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.

Et cris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

Non vocaberis ultra Derelicta: et terra tua non vocabitur amplius Desolata; sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua Inhabitata: quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur.

Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt: qui reminiscimini Domini, ne taceatis.

Et vocabunt eos populus sanctus, redempti a Domino.

LXIII. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.

Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.

Attende de cælo, et vide de habitaculo sancto tuo: ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? super me continuerunt se.

Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos: tu, Domine pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum.

LXIV. Utinam dirumperes cælos, et descenderes! a facie tua montes defluerent.

A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abque te, quæ præparasti expectantibus te.

Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ: et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

Et nunc, Domine, pater noster es tu; nos verolutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.

Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.

Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer?

LXV. Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum.

Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos; et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi.

Et vos qui dereliquistis Dominum, qui oblitistis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam.

Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocavi, et non respondistis:

locutus sum, et non audistis: et faciebatis malum in oculis meis; et quæ nolui elegistis.

Ecce enim cælos novos creo, et terram novam: et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.

Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.

LXVI. Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, et quis est iste locus quietis meæ?

Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.

Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum.

Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus.

Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam.

Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.

Quomodo sicut mater blandiatur, ita et ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini.

Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus; reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis.

Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes, et adducam omnes fratres vestros donum Domino in equis, et in quadrigis.

Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.

Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ HIS IN ISAIAM COMMENTARIIS CITANTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat; si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

EX VETERE TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. ix, vers. 26. Sit Chanaan servus ejus, pag. 75, col. 1.
 xiii, 10. Erat sicut paradus Dei, 152, 2.
 xxvii, 29. Esto Dominus fratrum, 75, 1.
 xxx, 33. Respondebit mihi cras justitia mea, 578, 2.
 xlix, 9. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti, 206, 1.

EX EXODO.

Cap. v, vers. 2. Nescio Dominum, 617, 2.
 xix, 6. Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, 724, 2.
 xxxiii, 17. Teipsum novi ex nomine, 550, 1.

EX LEVITICO.

Cap. xvi, vers. 29. Mense septimo affligetis animas vestras, 676, 1.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. xiii, vers. 18. Quid quæris nomen meum, quod est mirabile, 233, 2.

EX LIBRO I REGUM.

Cap. ix, vers. 18. Ubi est domus videntis, 104, 1.
 xii, 7. State ut judicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis, 578, 1.
 xix, 24. Numquid et Saul inter Prophetas, 48, 2.
 xxv, 34. Non remansisset Nabal, etc., mingens ad parietem, 80, 2.

EX LIBRO II REGUM.

Cap. viii, vers. 2. Mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos: unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, 481, 2.
 xiv, 7. Quærent extinguere scintillam meam quæ relicta est, ut non sit viro meo nomen, 658, 2.
 xvi, 10. Deus præcepit Semei, ut mihi malediceret, 244, 2.
 xx, 26. Ita autem Jairites erat sacerdos David, 720, 1.
 xxiii, 8. Tenerrimus ligni vermiculus, 513, 2.

EX LIBRO III REGUM.

Cap. iii, vers. 9. Dabis servo tuo cor docile, ut populum suum judicare possit, 501, 2.
 xxi, 13. Benedixit Naboth Deum, 79, 1.

EX LIBRO IV REGUM.

Cap. xi, vers. 12. Posuit super eum testimonium, 116, 2.
 xviii, 31. Facite mecum quod vobis est utile, 461, 2.

EX LIBRO I PARALIPOMENON.

Cap. xxv, vers. 1. Qui prophetarent in citharis et psalteriis et cymbalis, 48, 2.

EX LIBRO JUDITH.

Cap. xvi, vers. 21. Dabit ignem et vermes in carnes eorum, 767, 2.

EX LIBRO JOB.

Cap. xxvii, vers. 7. Qui signat in manu hominum ut norint singuli opera sua, 47, 2.

EX PSALMIS.

Psal. i, vers. 1. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, 70, 1.
 — 3. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, 755, 1.
 x, 4. Dominus in cælo sedes ejus, 264, 2.
 xiii, 6. Quoniam Dominus in generatione justa est, 73, 1.
 xxi, 22. Et a cornibus unicornium humilitatem meam, 450, 2.
 xxiii, 2. Super flumina præparavit eam, 121, 2.
 xxxv, 6. Domine, in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes, 449, 2.
 xxxvi, 20. Quia peccatores peribunt, 73, 1.
 xl, 1. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, 620, 1.
 xlii, 1. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, 123, 1.
 xliii, 21. Non recessit retro cor nostrum, quoniam humiliasti nos, 73, 1.
 xlii, 13. Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, 354, 1.
 xlvii, 8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis, 129, 2.
 l, 6. Tibi soli peccavi, ut justificeris in sermonibus tuis, 73, 1.
 lxxvi, 7. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, 167, 2.
 lxxvii, 27. In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel, 573, 1.
 lxxix, 5. Tu es, Domine, patientia mea, 77, 2.
 lxxxi, 10. Reges Tharsis et insulæ munera offerent, 703, 2.
 — 14. Castigatio mea in matutinis, 437, 2.
 lxxvii, 20. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, numquid et panem poterit dare, 73, 1.
 — 41. Conversi sunt, et tentaverunt Deum, 184, 1.

LXXXVI, 1. Fundamenta ejus in montibus sanctis,	79, 2.
LXXXVII, 7. Tu conversus vivificabis nos,	184, 1.
LXXXVIII, 13. Aquilonem et mare tu creasti,	77, 2.
— 38. Testis in cœlo fidelis,	652, 1.
xcviii, 11. Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam,	79, 2.
1, 8. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ,	437, 2.
2n, 11. Secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se,	653, 2.
cv, 3. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari,	77, 2.
cviii, 24. Caro mea immutata est propter oleum,	250, 1.
cix, 3. Tecum principium in die virtutis tuæ,	705, 1.
cx, 9. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi,	74, 2.
— 2. Facta est Judæa sanctificatio ejus,	79, 2.
cxviii, 95. Testimonia tua intellexi,	620, 1.
— 106. Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ,	356, 2.
cxxxi, 9. Sacerdotes tui induantur justitiam,	721, 2.
cxxxvi, 11. Beatus qui retribuet tibi retributionem quam retribuisti nobis,	76, 2.
cxxxvii, 1. In conspectu Angelorum psallam tibi,	172, 1.
cxxxviii, 2. Tu cognovisti sessionem et resurrectionem meam.	467, 2.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

Cap. viii, vers. 27. Quando præparabat cœlos, aderam,	121, 2.
xxii, 15. Virga disciplinæ fugabit eam,	630, 2.
xxiii, 13. Noli subtrahere a puero disciplinam,	ibid.
xxxiii, 19. Quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentia,	193, 2.

EX ECCLESIASTE.

Cap. ii, vers. 8. Feci mihi cantores et cantatrices,	79, 2.
xii, 5. Florebit amygdalus, et impinguabitur locusta,	501, 1.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. i, 1. Osculetur me osculo oris sui,	79, 2; 142, 1.
Ibid. Melliora sunt ubera tua vino,	151, 2.
— 10. Collum tuum sicut monilia,	686, 1.
iii, 10. Media charitate constravit,	178, 1.
iv, 1. Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet,	568, 2.
viii, 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum,	559, 2.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. iii, vers. 13. Habebit fructum in respectu animarum sanctarum,	661, 2.
xi, 13. Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum,	499, 1.
xiv, 7. Benedictum est enim lignum per quod fit justitia,	76, 2.
xvii, 2. Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti,	717, 1.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. xi, vers. 3. Initium dulcoris habet,	705, 1.
xxxix, 1. Narrationem virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit,	53, 2.
xlviii, 14. Et mortuum prophetavit corpus ejus,	50, 1, 2.

Loca quæ ex quatuor Prophetis Majoribus extra ordinem exponuntur.

EX ISAIA.

Cap. ii, vers. 19. A facie formidinis Domini cum surrexerit percutere terram,	77, 1.
iii, 1. Auferet a Jerusalem validum et fortem,	79, 2.

Cap. iii, 12. Et mulieres dominate sunt eis,	71, 1.
xi, 6. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit,	ibid. 3.
xxv, 24. Juravit Dominus, si non ut putavi ita erit,	79, 2.
xxv, 22. Et post multos dies visitabuntur,	70, 2.
xxix, 7. Væ ariel, ariel, erit mihi quasi ariel,	79, 2.
xxx, 2. Os Domini non interrogatis,	79, 1.
lx, 17. Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam,	77, 2.
lxvi, 8. Quia parturivit et peperit Sion filios suos,	22, 1.

EX JEREMIA.

Cap. i, vers. 10. Ut evellas et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantas,	73, 2.
— 14. Ab Aquilone pandetur omne malum,	77, 2.
iv, 12. Loquar judicia cum eis,	73, 1.
vii, 37. Auferetur vox sponsi et vox sponsæ,	79, 2; 133, 2.
xlvi, 10. Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine,	76, 2.

EX THRENIS.

Cap. i, vers. 15. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Sion,	732, 1.
iii, 1. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus,	80, 1.
iv, 3. Sed et lamie nudaverunt mammam,	453, 1.
— 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus,	130, 1.

EX EZECHIELE.

Cap. vii, vers. 17. Omnia genua fluent aquis,	80, 1.
xvi, 26. Cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium,	ibid.
xxviii, 2. Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt,	80, 2.
xx, 46. Stilla ad Africum,	78, 2.
xxiii, 20. Quorum carnes sunt ut carnes asinorum,	80, 1.
xxvi, 14. Non ædificaberis ultra,	352, 2.
xxxiv, 23. Suscitabo vobis pastorem unum servum meum David,	72, 1.

EX DANIELE.

Cap. ii, vers. 23. Fortitudinem dedisti mihi,	73, 2.
v, 6. Compages renum ejus solvebantur,	260, 2.

EX OSEE.

Cap. i, vers. 2. Principium loquendi Domino in Osee,	58, 1.
— 24. Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum,	418, 2.
ii, 14. Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus,	488, 2.
iii, 5. Revertentur filii Israel, ut quærant Dominum Deum suum, et David regem suum,	72, 1.
iv, 2. Sanguis sanguinem tetigit,	113, 1.
xiii, 1. Secundum dilectionem Dei filios Israel.	71, 1.

EX AMOS.

Cap. v, vers. 6. Non erit qui exstinguat Bethel,	71, 1.
--	--------

EX MICHÆA.

Cap. i, vers. 10. In domo pulveris, pulvere vos conspergite,	74, 1.
--	--------

EX SOPHONIA.

Cap. ii, vers. 13. Ponet speciosam in solitudinem, et in invium et quasi desertum,	74, 1.
--	--------

EX AGGÆO.

Cap. ii, vers. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum,	74, 2.
— 24. Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te, etc.,	72, 1.

EX ZACHARIA.

Cap. iv, vers. 14. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt dominatori terræ, 152, 1.
xi, 17. O pastor et idolum, 341, 2.

EX MALACHIA.

Cap. iii, vers. 5. Et ero testis velox maleficis, 651, 2.
iv, 2. Sol justitiæ, 721, 2.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX EVANGELIO S. MATTHÆI.

Cap. i, vers. 20. Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est, 194, 1.
viii, 12. Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, 534, 1.
ix, 13. Misericordiam volo, et non sacrificium, 736, 1.
xi, 2. Pauperes evangelizantur, 716, 1.
xvi, 11. Cavete a fermento Phariseorum, 693, 1.
xix, 12. Qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, 657, 1.
xxiii, 9. Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester qui in cœlis est, 736, 1.
xxv, 12. Nescio vos, 652, 2.

EX EVANGELIO S. MARCI.

Cap. vii, vers. 15. Quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem, 570, 1.

EX EVANGELIO S. LUCÆ.

Cap. ii, vers. 23. Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, 79, 1.
iv, 18. Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris, 715, 1.

EX EVANGELIO S. JOANNIS.

Cap. i, vers. 1. In principio erat Verbum, 70, 1.
 — 14. Vidimus gloriam ejus, et gloriam quasi unigeniti a Patre, 109, 2.
 — 45. Erunt omnes docibiles Dei, 645, 2.
x, 39. In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, 73, 2.
xi, 51. Sed ut filios qui erant dispersi, congregaret in unum, 662, 2.
xiii, 1. In finem dilexit eos, 671, 1.
xix, 14. Erat parasceve Paschæ, 71, 1.
xx, 15. Domine, si tu sustulisti eum, 79, 2.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

Cap. ii, vers. 20. Luna vertetur in sanguinem, 363, 2.
vii, 65. Video cœlos apertos, 79, 1.
x, 15. Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris, 570, 1.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. ii, vers. 7. Iis qui secundum patientiam boni operis, 71, 1.

Cap. iii, 23. Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, 701, 1.
v, 10. Lex subintravit, ut abundaret delictum, 72, 2.
viii, 5. Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt, 71, 1.
xiv, 11. Vivo ego, dicit Dominus, 559, 1.
xv, 16. Sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, 533, 2.

EX EPISTOLA I AD CORINTHIOS.

Cap. i, vers. 3. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die, 755, 1.
 — 13. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema, 624, 2.
xiv, 5. Nam major est qui prophetat quam qui loquitur linguis, 48, 2.

EX EPISTOLA II AD CORINTHIOS.

Cap. v, vers. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, 57, 1.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. iv, vers. 19. Semetipsos tradiderunt impuditiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritiam, 672, 1.

EX EPISTOLA II AD TIMOTHEUM.

Cap. i, vers. 10. Illuminavit autem vitam et incorruptionem, 701, 1.
ii, 19. Cognovit Dominus qui sunt ejus, 617, 2.

EX EPISTOLA I S. PETRI.

Cap. iii, vers. 7. Cœli autem qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt igni, reservati in diem judicii, 449, 2.

EX EPISTOLA II S. PETRI.

Cap. i, vers. 1. Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, 662, 2.

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

Cap. iii, vers. 11. Testis in cœlo fidelis, 652, 1.
v, 10. Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, 725, 1.
xix, 20. Ne feceris, conservus enim tuus sum, 659, 2.
xxii, 1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidam tanquam crystallum, 444, 2.

INDEX

RERUM MEMORABILIU

QUÆ HIS IN ISAIAM COMMENTARIIS CONTINENTUR.

A.

Aaron sequester populi apud Deum, 538, 2.
 Abdias propheta quando floruerit, 59, 2. quid tractet, *ibid.*
 Abel fuit propheta, 43, 1.
 Ablactati a lacte et uberibus qui sint allegorice et tropo-
 logice, 595 1.
 Ablaqueari vineam quid sit, 154, 1, 2.
 Abraham cur vocetur petra, 603, 1. antequam a Deo vo-
 caretur, coluit idola, 538, 1. est e Chaldæa a Deo educ-
 tus, ne ab incolarum perversitate inquinaretur, 177, 1.
 qua ratione non cognoverit posteros, 735, 2; 736, 1.
 fuit propheta, 43, 1. antonomastice dicitur justus tres
 ob causas, 510, 1, 2; 513, 1. ejus victoriæ, 510, 2. cen-
 setur ei datum, quod datum posteris. *ibid.*
 Abyssus vehemens vocatur mare Rubrum, 607, 1, 2.
 Achab rex pseudoprophetas consulens victoriã ex illo-
 rum verbis sibi spondit, et tamen victus interiit, 516, 1.
 Achaz idola in templum invexit, 668, 1. ei cur Deus dix-
 erit ut signum peteret, 189, 2. cur recuset signum petere,
ibid. cur ei signum propositum nascituri Messia, 190,
 191. idque anno regni ejus tertio, 196, 2.
 Achor vallis ubi sita, ejus fertilitas, et unæ dicatur, 748,
 1. quid mystice significet, *ibid.*
 Actiones triplices fuerè in Christo, scilicet divinæ, huma-
 næ et theandricæ, 201, 2.
 Actus liberi soli sunt contingentes, 47, 2.
 Acus serviunt ad offensum capitis muliebris, 144, 1.
 Adad deus Assyriorum, unde dictus, 763, 2.
 Adam et Eva quomodo sint principes infideles, 117, 1.
 Adam fuit propheta, 152, 2. habitavit in Judæa, *ibid.*
 Adamantes in adversis simus oportet, 599, 1, 2.
 Adamus Sasbout Isaiæ commentator fuit, 100, 1.
 Additamenta plagarum quæ dicantur, 299, 2.
 Adeptus Hebræis vocatur quod in qualibet re est lectissimum
 et optimum, 650, 2.
 Adhortatio ad homines ad aliquem pro virtute laborem
 suscipiendum, 102, 2; 103, 1.
 Adinventiones quæ in Scriptura dicantur, 137, 1.
 Admirabilis cur dicatur Deus, 232, 2. et admirabilis di-
 citur Christus, 233, 1, 2.
 Adolescentis cujusdam ob jejunia macilenti, responsum
 pium, 286, 2.
 Adramelech filius Sennacherib patrem occidit, 247, 1.
 Adriani Imperatoris pæderastia infamis, 127, 1, 2. quo-
 modo Judæos decimarit, 184, 1.
 Adulatio quam sit noxia, 137, 2.
 Adulatoris mores, 138, 1.
 Adventus Christi ad judicium cum horrore erit, 490, 1. in
 adversis abnegato proprio sensu nos totos subicere Deo
 debemus, 426, 1.
 Ægidius (S.) Minorita quomodo Deiparæ virginitatem per
 miraculum asseruit, 405, 1.

Ægrotos quam pium sit visitare, et eos bonum visitari a
 sanctis, 483, 2.
 Ægyptus a quibus vastata, 316, 1. quomodo in ea florue-
 rit monachismus, *ibid.* 320, 2; 455, 1. ejus simulacra
 corruere eo veniente Christo, 316, 2. facta postea Dei
 templum et paradisu, 316, 1. abundat calamo et junco,
 317, 1. præstans profert linum, *ibid.* 2. prædicitur ad
 Christiana sacra convertenda, 319, 1, 2 et seqq.
 Ægyptiorum hieroglyphica, 81, 1. eorum inania numina,
 130, 1; 413, 2. eorum cum Tyro commercia, 348, 1.
 dati sunt Nabuchodonosori vastandi in mercedem vas-
 tata Tyri, 349, 1. credebant se hominum primos ortu,
 318, 1. et ab heroibus prognatos, *ibid.* vocantur muscæ,
 207, 2.
 Ælam est urbs Persidis, 337, 2. Ælam nomine multi olim
 populi continebantur, 269, 2. postea Ælamitica regio
 contractior fuit, *ibid.*
 Ænigma quoddam Bononiense, 80, 1. ænigma de florè
 hyacintho, 81, 1. sphingis de homine, *ibid.* ænigma so-
 phistæ Ægyptii, 81, 1.
 Aer interdum per cælos intelligitur, 448, 2.
 Æs quomodo in Ecclesia in aurum mutandum sit, 716, 2.
 Æschinis de Socrate sententia, 447, 1.
 Æsculapi (in) templo dormierunt olim veteres, ut ab eo
 sanitatem impetrarent, 745, 1.
 Æsopus cui Nectenabum regem cum suis assimilarit, 548, 1.
 Æstus ex densis nubibus proveniens est vehementissimus,
 366, 1.
 Ætatis nostræ prophetæ, 43, 2.
 Æternitas pœnarum infernalium, 362, 1, et 441, 1, 2. æter-
 nitatis conditiones, 458, 1. ejus memoria efficax, 768,
 1, 2; 769, 1, 2.
 Æthiopes Judæis amici, 310, 1. cur muscis comparentur,
ibid. et 2. navibus suas copias in Ægyptum mittebant,
 311, 1. Æthiopes quomodo sint populus post quem non
 est alius, *ibid.* 2; 312, 1. quomodo dicantur gens ex-
 spectans, 312, 1, 2. eorum clades, 313, 1, 2.
 Æthiopes Christiani dant recens baptizatis lac et mel,
 204, 1. a quibus ad fidem Christi conversi, 313, 2.
 apud eos mire floruit Christianismus, *ibid.*
 Æthiopia est terra cymbali alarum, 310, 1, 2. a quibus
 vastata, *ibid.* cur cymbalo alarum assimiletur, *ibid.*
 et 311, 1.
 Aetites lapis aquilarum calorem temperat, 505, 2.
 Afflictis omnia videntur esse caliginosa, imo volvi et in-
 verti, 281, 1.
 Agapeti pueri Martyris in tormentis constantia, 725, 2.
 Agapeti Pontificis ad Justinianum Imperatorem vox libera,
 111, 2.
 Agar, typus Synagogæ, 641, 1.
 Agathæ (S.) epitaphium posuerunt angeli, 637, 1.
 Agathocles rex Sicilia in figulinis vasis cur semper cœ-
 naret, 553, 1.

- Agathonis eremitæ silentium, 416, 1.
Ager fidelis quis dicatur, 307, 2.
Aggæus propheta qua ætate floruerit, 60, 2. quid scribat, *ibid.*
Agilitas dos in Beatis, 505, 2.
ἄγιοι unde descendat, 619, 2.
Agnus vere fuit Christus, 632, 1. ejus victoria leonina, *ibid.* 2. amat agnos, *ibid.* agnus Moab est Christus ex Ruth prognatus, 301, 1, 2.
Agricolarum opera Deo accommodantur, 400, 2.
Alabanda civitas vocata cista inversa serpentibus plena, 404, 1.
Alæ Seraphin cur addantur, 169, 2; 170, 1. cur item sex, 170, 1. alæ quibus ad Deum evolemus, quæ sint, *ibid.*
Alexander Magnus vinositate virtutes omnes suas obscuravit, 158, 2. ei deum se facienti et in morbum incidenti insultat philosophus Anaxarchus, 472, 2. cur suos milites rädere barbam juberet, 598, 1.
Alexander Imperator præ ebrietate mortuus, 340, 1.
Alexandri Severi Imperatoris mansuetudo, 521, 2. et beneficentia, 431, 2.
Alexii (S.) Romani gradus adhuc hodie Romæ ostenduntur, 268, 2. orbis fuit portentum, 221, 2.
Alfonso rege qui Catholicus dicebatur, e vita migrante auditæ sunt voces in cælo, 666, 2.
Alfonsi Aragonum regis liberalitas, 481, 1. ejus in devictos clementia, 192, 2. ejus modestia in cultu, 145, 1.
Alma Hebræis quid sit, 193, 1, 2; 194, 1, 2.
Almus Latinis quid significet, 195, 2.
Altare lateritium Judæis vetitum, 745, 1. in altari apud Hebræos Deo offerebantur carnes et vinum, 750, 1.
Altare olim vocabatur sepulcrum Martyris, martyrium et confessio, 268, 1. altare symbolum cultus Dei, 180, 1.
Altercationibus mutuo se jugulant philosophi, et hæretici nostri, 230, 2.
Allitudines terræ quæ dicantur, 686, 1, 2.
Amabilis (S.) ossa a S. Gallo Arvernensi transvecta fuere, 267, 2.
Amandus (S.) apparuit S. Aldegondi stipatus magno agmine sanctorum, quos in vita converterat, 713, 2.
Amatoris (S.) animam in cælum columba detulit, 706, 1.
Ambitio est peccatum Luciferi, ejusque mala varia, 155, 2; 292, 1. est mater hæresum, 155, 2; 292, 1. non satiat, 292, 1. variis modis ambitiosi agitantur, *ibid.*
Ambrosius (S.) fugit Episcopatum, 292, 2.
Amen Hebræum quid significet, 365, 1.
Amicitiam semper inter se coluerunt vicini principes, etiam Ethnici, 485, 1.
Ammonius eremita aurem sibi præcidit, ne Episcopus fieret, 292, 2.
Amor fortuna magis quam pulchritudine paratur, 749, 1.
Amos propheta quando floruerit, 58, 2. quid prophetet, *ibid.*
Amos quis fuerit Isaia pater, 93, 1; 104, 1.
Anacreon placuit sibi in paupertate, 158, 1, 2.
Anastasius Imperator scelestus igne cælesti periit, cum ante didicisset quatuordecim vitæ sibi annos ablatos, 476, 2.
Anastasio (S.) Martyris in Perside corpus custodierunt canes, 267, 2.
Androcidis de vino sententia, 158, 2.
Andronicus cum uxore Athanasia duodecim annis silentium servavit, 434, 1, 2.
Angelus psallens duodecim psalmos cum orationum interjectione docuit eundem psallendi modum Ægyptios monachos, 172, 1. Angelus faciei Dei est Michael, cur, 733, 2. Angelus Manue apparens est figura Christi, 233, 1, 2. Angelus castra Sennacherib cædens an fuerit bonus, 468, 2. Angeli veloces qui mittendi in Judæam, 311, 2. Angeli semper laudant et admirantur Deum, 273, 2. sunt custodes Ecclesiæ, 726, 2. quomodo Prophe-
- tis oracula inspirarent, 49, 1, 2. in cælo assument corpora speciosa ex æthere, quibus pascant oculos Beatorum, 553, 1, 2. id probatur quinque argumentis, *ibid.* conditi in cælo empyreo, non in firmamento, 288, 2. Angelorum alii assistentes, alii ministrantes, 177, 2. per Angelos pacis quinam intelligantur, 439, 2.
Angliæ reges totam Angliam Romanæ Ecclesiæ tributariam fecere, 710, 2.
Anglorum schismaticorum castigatio, 135, 1, 2.
Angulus cur principis symbolum, 318, 2.
Animæ nobilitas, 616, 1. per peccatum quomodo desoletur et evertatur, 743, 2. est excolenda præceptis Dei et adversitatibus, 154, 2. dum peccat, diabolo incurvatur, 616, 1. eam mortalem se habere putant voluptuarii, 339, 1. anima sancta plena est gloria Dei, 174, 2. ejus dotes, 434, 2. animæ cæcitas et surditas duplex, una inchoata, altera perfecta, ejus triplex causa, 528, 1. ejus curandæ rationes, *ibid.* animarum conversio, nobilissima Dei victima, et gratissima, 765, 2. eas convertere, vel scandalizare est Ecclesiam ornare, vel dedecorare, 590, 2.
Animalia Sanctis obsecuta, 106, 1, 2.
Animo magno nihil est magnum, 613, 2.
Animositas plurimum valet in bello spirituali, æque ac temporali, 695, 1.
Anna mater Samuelis primo Deum nomine Sabaoth compellavit, 110, 1.
Anna Perenna quæ dea, vocata ab annis quibus præsedebat, fuit soror Didonis, in Numicum amnem se dedit præcipitem, 750, 2. quomodo in ejus sacris veteres biberent, *ibid.*
Annuntiare pro evangelizare, 716, 1.
Annus sabbaticus an fuerit annus ille secundus quo pomis vesci Ezechias jubetur, 468, 1. annus editæ prophetiæ de Virgine paritura ad Achaz, 196, 2. annus quod Theglathalassar Samariam vastavit, Damascum cepit, et Phæce est occisus, 213, 1. anni Prophetarum, quibus, et quibus regibus prophetarint, 84 et seqq. anni septuaginta quinque vastandæ Samariæ quomodo et unde computandi, 182, 2. et seqq. anni vitæ soli sunt ii quibus Deo vivimus, 754, 1.
Anserum silentium, 416, 2.
Antemurale urbis proprie quid sit, 373, 1, 2.
Anthemi blasphemii subita castigatio, 465, 2.
Antichristum Christus percutiet spiritu oris sui, 260, 1.
Antinous Adriani scortum masculum fuit, 127, 1; 135, 2.
Antiochiæ splendor et portenta, 245, 1.
Antiochus a verbibus consumptus, 768, 1, 2. blasphemus vindicem Dei manum sensit, 465, 1. ejus superbia, 289, 1, 2.
Antiquitas Tyri, 349, 2.
Antonini (M.) Imperatoris clementia, 522, 1.
Antonius (S.) virtute crucis dæmonum monstra et terricula superavit, 592, 2. dæmonem apparentem sibi in varia forma irrisit, 385, 2. fuit orbis miraculum, 221, 2. ejus generositas in contemnendo Imperatore, 687, 2. ejus hilaritas vultus, 522, 2.
Apelles cur pinxerit fortunam sedentem, 749, 2.
Aperire autem Hebræis est aperire et indicare quid alicui, sive facere ut aliquis quid audiat vel intelligat, 574, 2.
Aperiri quomodo dicatur Virgo Maria clausa, 552, 2.
Apes sunt virgines, 203, 1, 2. earum quæ sit generatio, *ibid.* unde favos, mella et ceram conficiant, 352, 1, 2. apes dicuntur Assyrii, 207, 2.
Apiariorum sibilum, 163, 1, 2.
Apocalypseos difficultas, 52, 1.
Apollinaris in Isaiam scripsit breves commentarios, 99, 1.
Apollonii monachi clementia, 193, 1. ejus in curandis ægris charitas, 483, 2.
Apollonii Tyanæi pervicax silentium, 416, 2.
Apostoli verbo Dei reges et tyrannos dejecerunt, 513, 2. sunt pedes Christi, 511, 1. structores sunt Ecclesiæ,

- 590, 1. *hici* possunt filii sterilitatis, 591, 1. sunt opera manu Dei, 409, 2. visa Judæorum obstinatione convertentes se ad Gentes, doluerunt, 439, 2. erant egeni, 375, 2. sunt pueri Christi, 218, 2. ipsi pauci inter Gentes omnes justitiam et fidem disperserunt, 247, 2. sunt duces gregis Christi, 540, 2. fuere portentum, 220, 2. sunt dicti principes Zabulon et Nephthali, 223, 2. sunt satores æternitatis, 360, 1. fuere sortes justitiæ, 719, 1. quomodo de Sion exiverint, 63, 1. fuere Prophetarum successores, viamque veritatis docuerunt, 517, 2. fuere boni Judæorum judices, 59, 2. duplicem Spiritus Sancti portionem præ aliis fidelibus et Prophetis acceperunt, 720, 1, 2. ignorarunt mysterium vocationis Gentium, 730, 1. sunt sagittæ Dei, 583, 1. quales esse debeant ex sagittæ proprietatibus ostenditur, *ibid.* eorum partus brevis et simultaneus, 760, 2. eorum potestas quanta, 181, 1. eorum pedes pulchri, 617, 2; 618, 1, 2. evangelizarunt pacem, bonum et salutem æternam animæ et corporis. *ibid.* baculo innixi et pedibus orbem peragrabant, *ibid.* quomodo Christus eos animavit et corroboravit, 609, 1. cælis assimilantur, *ibid.* 2. sunt carbunculi et sapphiri et jaspides, 644, 1, 2. Apostoli et primitiva Ecclesia fuere orbis delicia, 604, 2.
- Apostolici viri ferventes esse debent, 619, 1. et peccatores libere coarguere, *ibid.* 2. et 620, 1. sunt carbunculi et jaspides et sapphiri, 644, 1, 2.
- Apostolorum Petri et Pauli sepulcra quam sint gloriosa, 263, 2. intra eorum basilicam patrem Constantinum vitam functum tumulare non est ausus ejus filius Constantius, 269, 1. eorum elogium, 181, 1.
- Apostrophe ad viros Apostolicos, 588, 2.
- Apparitiones Dei in veteri Testamento factæ sunt per Angelos, 49, 1, 2. accommodatæ fuere rebus ob quas apparuit, 165, 1.
- Appetitus qui sequitur, belluis quodam modo obedit, 456, 2.
- Appion Grammaticus dictus orbis cymbalum, 310, 2.
- Aqua miscenda vino in Missa contra Lutherum, 116, 1.
- Aqua vocatur scaturigo et soboles, 573, 1.
- Aquæ quomodo arserint veniente Christo ad nos, 755, 1.
- Aquæ variæ e Salvatore manantes, 274, 1, 2.
- Aquæ ex petra elicite per Moysen non tantum Israelitas in deserto secuta, sed propter eas perpetuo fluentes Arabia facta habitabilis est, cum antea ob sitim esset inhabitabilis, 536, 1.
- Aquæ Siloe denotant stirpem David et Salomonis, cur, 215, 1. abierunt in proverbium denotantque animi quietem et tranquillitatem, *ibid.*
- Aquila usi sunt Persæ in vexillis, 566, 2. aquilæ alæ attribuantur Sanctis, 503, 2; 504, 1. quomodo ipsa renovetur, *ibid.* ipsius et Sanctorum analogiæ, *ibid.* 2. et 505, 1. item ipsius et Beatorum in cælo, 505, 2; 506, 1.
- Ar metropolis Moabitarum, 298, 1. corrui terræ motu, *ibid.*
- Arabia triplex est, 525, 1, 2. in ea floruit olim Christiana religio, *ibid.*; 703, 2.
- Arabia Felicis feracitas, 703, 2.
- Arabia Petræa dicta ab urbe Petra, 301, 2.
- Arabes juverunt Chaldæos in vastatione Moab, 299, 1. dicti sunt Cedareni, sunt boni sagittarii et feri, a Turca cohiberi nequeunt, 334, 1, 2. vastati sunt a Nabuchodonosore, *ibid.*
- Arabes Scenitæ de loco in locum migrant, habitantque in tentoriis, 281, 2.
- Arabicæ versionis Bibliorum duplex exemplar, Antiochenum et Alexandrinum, utrumque latine convertit R. D. Sergius Risius Maronita, 190, 2.
- Araneorum telas sibi texunt superbus, gulosus, avarus, 692, 1, 2. et alii multi, *ibid.*
- Arca avari est sepulcrum pauperum, 127, 2.
- Arca Testamenti erat typus Ecclesiæ, 149, 1. fuit gloria Israel tripliciter, *ibid.* 2. cur dicatur testimonium, 223, 1.
- Arcades irrisi quod se luna facerent antiquiores, 318, 1.
- Archidamus filias suas nimis noluit ornari, 145, 1, 2.
- Archidiaconus quidam simoniacus non potuit Spiritus Sanctum laudare, cur, 174, 1.
- Ardentes sunt Seraphim, 168, 2.
- Arenæ Cyrenaicæ quam densæ, 328, 1.
- Aretas rex Syriæ fuit infestus Judæis, 206, 1. voluit Paulum comprehendere, *ibid.*
- Argentineses duo milites in carcerem conjecti, unus in Deum, alter in præfectum loci injurius, quorum ille morti adjudicatus est, hic absolutus, 466, 1. argentum sunt eloquia Dei, 576, 1, 2. argentum vocari possunt pura religio, Dei lex, doctores, 115, 1, 2.
- Argonautæ columbam ducem secuti, 705, 2.
- Argumentum Isaïæ, 96, 1, 2.
- Arias Montanus doctius in Isaïas scribit quam alibi, 100, 1.
- Ariel, id est leo Dei, cur vocetur Jerusalem, 403, 1, 2; 404, 1.
- Aristides quam fuerit justus, 719, 1.
- Aristippus quomodo cum Æschine in gratiam redierit, 639, 1, 2.
- Aristoteles cur dictus a Platone mulus, 105, 2.
- Arma cur ungantur, 330, 2.
- Arma militis sunt duo, gladius et sagitta, 582, 2.
- Arma sua in falces quomodo peccator vertat, 124, 1.
- Armilla ornamentum brachiorum, et unde dicantur, 140, 1.
- Armogastis (S.) sepulcrum prodigiosum, 266, 2.
- Aroer civitas Syriæ diversa ab Aroer Judææ, 306, 2.
- Arsenii anachoretæ silentium, 416, 1.
- Aruspicum et ariolorum vanitas, 516, 1.
- Ascensores cameli et asini sunt Darius et Cyrus, 330, 1, 2. item Judæi et Gentes, et apostoli Petrus et Paulus, *ibid.* et 331, 1.
- Asellæ virginis solitudo, 197, 1.
- Asinus in Scriptura Gentium symbolum, 435, 2.
- Asperitas omnis vitæ Apostolis in delicias a Deo mutata, 514, 1.
- Aspidis cujusdam gratitudo, 106, 1.
- Aspidum natura, eis assimilantur voluptates et peccata, 413, 2. edunt ova adinstar reliquorum serpentium, 691, 1. earum morsus insanabilis, *ibid.* 2. *aspidis morsus*, proverbium in quos dicitur, *ibid.* 2. *aspis a vipera*, proverbium in quos quadret, 692, 2.
- Assur vocantur monarchæ et tyranni, 214, 1, 2; 244, 1.
- Assur litteraliter et allegorice Judæis quis fuerit, 244, 1, 2.
- Assyrii unde dicantur hypocritæ, 440, 2. cur dicantur apes, 207, 2. fuerunt Judæis novacula, *ibid.* an flamma et tabe consumpti in castris Sennacherib, 246, 1. cur sint typus tyrannidis et tyrannorum, 616, 2.
- Astra sunt virtutes, 122, 2. quomodo sint innovanda secundum qualitates, non secundum substantiam, 449, 2.
- Atabaliba rex Mexicanus quantum auri vita tuenda Hispanis promiserit, 549, 2.
- Athanasii (S.) libertas in carpendo Constantio Imperatore, 111, 2.
- Athei censent Deum otiosum esse, 162, 1.
- Atlantis insula olim a Hispanis juncta, 309, 2.
- Atra dicuntur profunda, 525, 1.
- Attila Hunnorum rex flagellum Dei, 244, 1.
- Auctor quis libri *De anima et spiritu*, 370, 1.
- Auctor cur Prophetas exponere aggressus sit, ter Lovanii eos docuit, 62, 1, 2. ejus in hisce commentariis methodus, *ibid.* 2. et seqq. ejus ad Deum oratio, 65, 2.
- Auditus pro sermone vel re audita, 623, 1, 2.
- Augures dicti omnes divinatores, 571, 2. e quibus divinantur, 544, 2.
- Augurium quid sit, et unde dicatur, 127, 1.
- Augustinus (S.) Isaïam prophetam ab Ambrosio legere jussum non intellexit, 61, 1. oblatum Episcopatum fu-

- git, 292, 2. quam difficile malam consuetudinem deposuerit, 161, 2.
- Augustinus Martioratus in gloriam sepulturæ Christi et Christianorum injurius, 636, 1.
- Augustus Cæsar cur dicatur rex Assur, 214, 1. divinos ambiit honores, 291, 2. quomodo occupavit Ægyptum, 271, 2. Samariæ et Damasci regna occupavit, 206, 1.
- Aula Romana quam varia, 358, 2.
- Aurea fortuna ab Imperatoribus fingebatur, 750, 1.
- Aureliani Imperatoris de uxoris ornatu aurea sententiâ, 144, 2; 145, 1.
- Aureola virginum particularis, 660, 1.
- Avaritia et cupiditas taxatur, 155, 2; 156, 1.
- Avaritia pro peccandi libidine insatiabili, et pro libidine, 672, 1. avaritia spirituali qui laboret, *ibid.*
- Avari sunt pauperum sepulcra, 159, 2. eorum cupiditas describitur, 127, 2.
- B.**
- B** et **M** litteræ cur facile inter se commutentur, 299, 2.
- Babylon quatuor ne urbes uno murorum ambitu complexa sit, 245, 2. cur dicatur mons caliginosus, 279, 2. sita in loco palustri, *ibid.* et 294, 1. ejus horti pensiles, 279, 2. ejus vastationem perfecit Alexander, 281, 1. vocatur orbis ob frequentiam, *ibid.* erat constructa ad delicias, *ibid.* 2. cur dicatur mare, 326, 1. cur item desertum, 327, 1. ejus muri erant unum e septem orbis miraculis, 329, 1. a quibus sit constructa et ornata, 268, 1. alluitur a Tigri et Euphrate, 535, 2. cur dicta profundum et mare, 545, 1, 2. igne destruenda a Persis dicitur, 571, 2; et deserenda a suis negotiatoribus, 572, 2. ea quomodo Hierosolymæ esse dicatur ad Aquilonem, cum potius ad Orientem sit, 587, 2.
- Babyloniorum stupor adventante Cyro rege Persarum, 280, 1, 2.
- Bacchus cur dictus ignigena, 158, 2.
- Bajazetes Turcarum Imperator Tamberlani equum ascensuro fuit veluti scabellum, 613, 1, 2. in fuga ob equam sitientem interemptus a Tartaris, 703, 1.
- Baladan rex Babylonis idem qui Nabonassar, 484, 1, 2. ejus filius Merodach cur legatos ad Ezechiam miserit, *ibid.*
- Balsasar rex Chaldæus turpiter a Cyro victus, 286, 1. comparatur stellæ lucifero, 287, 1, 2. cur, *ibid.* item dæmoni lucifero, 288, 1, 2. ejus superbia, 291, 1. quomodo retusa, *ibid.* 2. caruit sepulcro, 293, 1, 2. projectus in fossam promiscue cum aliis, *ibid.* ei nemo de stirpe patris successit, *ibid.* ejus filii occisi, *ibid.*
- Baptismi ablutio præsignificata, 113, 2. eo tollitur naturalis malevolentia Judæorum, 141, 2. cur nubi comparantur, 316, 1.
- Baptizati adulti sunt pueri multorum dierum, 753, 1, 2.
- Baptizatis dabatur olim vinum et lac, 650, 1. dicuntur nomen dare Christo, unde eorum nomen catalogo fidelium inscribitur, 541, 1, 2.
- Barbæ vulsio insignem habet contumeliam, 598, 1. barba est decor viri et insigne virilitatis, *ibid.*
- Barnagasus Abyssinorum ductor qua formula pacem cum Lusitanis inierit, 125, 1.
- Baruch propheta qua ætate floruerit, 60, 1. quid scribat, *ibid.*
- Basan fuit regnum Og gigantis, 129, 1, 2. ejus limites et felicitas, *ibid.*
- Basilidi Martyri laurea e cælo ostensa ad quam evenendus esset per martyrium, 725, 2.
- Basilius (S.) Isaiam commentario illustravit, 99, 1, 2.
- Basilius quidam nobilis Michaellem III Imperatorem temulentum de nocte interfecit, 339, 2.
- Beata æternitas quam sit optanda, et quid sit, 370, 2; 371, 1.
- Beati in cælo coronabuntur immarcescibili gloriæ corona, 607, 2. sunt aquilæ; 505, 1, 2. a Deo aluntur, 443, 1. quomodo terram intueantur, *ibid.* erunt non minus beati gloria aliena quam propria, 370, 1, 2; 371, 1, 2. resurgent in ætate perfecta, 753, 2. non condolent, nec consolantur damnatos in inferno, 769, 2. mire gaudent, quod post mundi angustias salvi ad portum salutis appulerint, 752, 2. ipsi soli scribuntur in libro cælestis Jerusalem, 147, 2. eorum gaudia quanta sint, 370, 2; 371, 1.
- Bel Babyloniorum deus, 562, 1.
- Belgium habet formam leonis, 152, 1. dicitur leo, 404, 1. ob luxum vestium punitur, 145, 2.
- Bellum *tenupha* quid sit, 422, 2. bellum pendet a duce, 134, 1. an sit ex se malum, 124, 2. bella Gentilium fuere latrocinia, 125, 1.
- Benadad temulentus occisus, 339, 2.
- Benedicere* in Scriptura significat *benefacere*, 747, 2.
- Benedictus (S.) quomodo totum mundum viderit quasi parvum globum in radiis solis collectum, 104, 1. ejus regula visa esse via quædam lucida, 419, 2.
- Beneficentia Dei principum frænum est, 575, 1, 2.
- Beneficia (ob) Deus summe laudandus, 175, 1. beneficiis vincere inimicos divinum est, 192, 1. beneficiorum Dei recordatione nos animare debemus, ne in adversis animum despondeamus, 531, 1, 2.
- Bernardinus (S.) quam pie pestifera lue infectis inservierit, 484, 2.
- Bernardus (S.) quam esset a contemplatione spiritualium absorptus, 251, 2. sororem suam splendidius ornata ad se venientem videre noluit, 144, 1. ejus ortus præsignatus per catulum latrantem, quem mater visa sibi utero gestare, 663, 2.
- Bestiæ sepelierunt multos sanctos, 267, 2. bestiarum silentium, 416, 2. quomodo in nefarii hominis corde enasci dicantur, 456, 2.
- Beta languida, fatua, insipida est: inde betizare pro languere aut esse insulsum, 612, 2.
- Bibendi post gratias dictas mos unde manarit, 750, 2.
- Biblia multa Flandrica auferunt Christo nomen Dei in sua versione, 235, 2.
- Bibo quidam Germanus in Deum blasphemus quam graviter punitus, 340, 2. item alius uxori prægnanti dæmonem in ventre imprecatus, a monstro quod illa peperit, venenosis ictibus interiit, *ibid.*
- Blaesi videntur solis labiis loqui, 396, 1.
- Blasphemia summus Dei contemptus est, 108, 1.
- Blasphemos quam acriter Deus punit, 465, 1, 2.
- Blesilla febri tacta didicit sæculi pompas fastidire, 472, 2.
- Bombycum natura, 552, 2.
- Bona olim a quopiam vendita, a fratre vel cognato vendentis, pretio persoluto redimi poterant, 542, 1. bona ineffabilia quæ Christus det in hac vita, 739, 2. et in altera, *ibid.* et 740, 1. bona mundi hujus imperfecta sunt, nec satiantia, 650, 2. boni immensi possessio Deus, 370, 2; 371, 1. boni omnis symbolum lux est, 701, 1. bonorum trinitas in cælo, 740, 1.
- Bonaventura (S.) dictus Doctor Seraphicus, 169, 1.
- Bonus nummus Atticus erat, 433, 2.
- Bos et asinus Christum venerati in præsepio, 106, 1, 2. bos arationis et fertilitatis præscis erat symbolum, 435, 1, 2. Judæos denotabat, *ibid.*
- Bosra metropolis Idumææ, unde dicta sit, 450, 1, 2. ea per metathesin dicitur Byrsa arx Carthaginis, *ibid.*; 732, 1. Bosra duplex, una Idumæorum, et alia Moabitarum, *ibid.*
- Brachium in Scriptura symbolum roboris et potentiae, 605, 2. brachium Dei triplex, *ibid.* brachium Domini vel est ipse Christus, vel potentia quam ipse Deus in Christo ostendit, et fortitudo quam Christo communicavit, 624, 1.
- Brevitas vitæ humanæ, 494, 2; 495, 1, 2.
- Brigitta (S.) cur Romæ vivere et mori voluerit, 766, 1.
- Britannia ante Christum inculta et deserta erat, 683, 2.

Bruchus quod genus insecti sit, 438, 1.
 Bupalus primus Smyrnæis fortunæ statuam fecit, 749, 1, 2.
 Burgus Romanis quid sit, 732, 1.
 Butyrum et mel comedere cur dicatur Christus, 202, 1, 2 et seqq.
 Buxo (ex) siebant tabellæ scriptoriæ, 414, 1.
 Byrsa arx Carthaginiis dicta a Bosra, 450, 1, 2; 732, 1.

C.

Cæca fortuna olim pingebatur, 749, 1.
 Cæcilia (S.) virgo spiritualiter Deo conjugem suum, ejusque fratrem peperit, 197, 2; 660, 2. ejus corpus nostro sæculo integrum repertum Romæ, 268, 2. et etiamnum integrum est, 659, 1.
 Cæcitas est peccatum, et pœna et causa peccati, 528, 1. cæcitas duplex, 182, 1. ejus causa triplex, *ibid.* ejus curandæ ratio, *ibid.*
 Cælibatum colentibus et Religiosis promittitur nomen gloriosius et diuturnius quam ex filiis habere possent, 638, 1, 2. perenne in Ecclesia nomen habent, *ibid.* eorum proles spirituales quæ, *ibid.*
 Cæremoniæ Judæorum dici possunt servitus et militia, 489, 1, 2.
 Caius (S.) Pontifex quod Susannam virginem Deo desponsasset, a Maximiano una cum ipsa interfectus est, 661, 2.
 Calamus Ægyptiis est cornu copiæ, 317, 1.
 Calamus aromaticus quid sit, 536, 2.
 Calano quæ sit urbs, postea dicta Ctesiphon, 244, 2. fuit diversa a Seleucia, 245, 1.
 Calcationi uvarum comparatur hostilis vastatio, 303, 2.
 Calcei crepitantes carpuntur, 139, 1. calceos clavis capitatis inter punctos gestandi mos, *ibid.*
 Calculus quo Isaias mundatus, quis et quid fuerit, 177, 2. fuit symbolum pœnitentiæ, gratiæ Spiritus Sancti, et prophetiæ, *ibid.* 1, 2. amoris et zeli, 179, 1.
 Caligula Imperator voluit arroganter coli ut deus, 289, 2.
 Calix significat sortem cujusque lætam vel tristem, 611, 1, 2. calix tremoris quis dicatur et unde, *ibid.*
 Calumnias (per) aucta res hæreticorum in Europa, 415, 2.
 Calvinus sanio est, 116, 1. exploditur dum Deum excæcare docet, 183, 1. negat B. Virginem in partu fuisse virginem, 194, 1, 2. item negat Eucharistiæ mysterium, *ibid.* adimit Christo infanti usum rationis, 204, 1, 2. refellitur, *ibid.* ejus paralogismus de Romanæ Ecclesiæ excidio, 404, 2; 405, 1. qua pœna damnatos in inferno torqueri asserat, 423, 2. negat insulse, principi dæmonum Luciferi nomen ab Ecclesiâ posse imponi, 287, 1.
 Sacramenta Catholicorum sugillans reprehenditur, 179, 2. vota monastica suggillat, 321, 1. arianizat, et Patres omnes Ecclesiæ ridiculos facit, 172, 2. est blasphemus, dum ait Christum sensisse dolores et desperationes inferni, 631, 1. sæpe judaizat et Judæis favet, 635, 2. negat in lege nova esse proprie dictum sacerdotium et sacerdotes, 719, 2. phthiriasi est consumptus, 768, 2. ejus impostura in mortuo ad vitam excitando, 45, 1. ejus imperitia ostenditur, 320, 1. impudens ejus cavillatio, 106, 2.
 Calvitium in usu apud veteres in luctu, 298, 2.
 Cameli natura et etymon, 703, 1. quid mystice designet, *ibid.*
 Caninus Rebillius uno die tantum fuit consul, 358, 1.
 Canum est latrare et fures latratu arcere, 663, 1. eorum impudentia et ingluvies, *ibid.* canes rabidi non latrant, sed silenter mordent obvios, etiam dominos, *ibid.* 1. canes symbolice muti laborant argentangina, *ibid.* viso moveri lunam latrant, *ibid.* 2. canis abominanda victima est si Deo immoletur, 759, 2.
 Canuti regis Danorum arrogans insolentia repressa: quomodo ad veram fidem conversus, 290, 1.

Captivitatem Ægyptiam cur Scriptura passim inculcet, 616, 2. fuit imago captivitatis generis humani sub peccato, *ibid.*
 Caput languidum quid Isaïæ sit, 108, 2. caput sunt principes, *ibid.* et 109, 1. caput et cauda quid sint Isaïæ, 239, 1, 2.
 Carbo Isaïæ fuit carbunculus, 178, 1. carbo in igne est humanitas in Verbo, 179, 1, 2. item Eucharistia, *ibid.* 2. item potestas clavium, *ibid.*
 Carbunculus est coloris stibii, 644, 1. est Christi imago et Christianorum opprobrii et injuriis appetitorum, *ibid.* 2. est pretiosior adamante, 178, 1. respuit ignem, *ibid.* carbunculus, sapphirus, jaspis in fundamentis Ecclesiæ mystice exponuntur, 644, 2.
 Carmelus vocatur exercitus, cur: abiit ob fertilitatem in proverbium, 246, 2; 303, 2; 466, 2. Carmelus significat Judæam, quia mons est in Judæa fertilitate notus, 408, 2. in eo cœpit Ordo Carmelitarum, 466, 2.
 Caro hebraice vocatur propinquus, tum consanguineus, tum quilibet homo, 678, 2. caro brachii dicuntur fratres et cognati, 241, 1. carnes alienas comedere aut sanguinem sitire est signum summi odii et crudelitatis, *ibid.* 2. caro delicate nutrita post mortem magis foetet quam alia, 286, 2.
 Caroli Magni in Romanam Ecclesiam affectus, ideo quater Romam peregrinatus est, 766, 2. ejus de mansuetudine dominorum decretum, 521, 2. pontifices Romanos est reveritus, 592, 2.
 Carolus (S.) Borromæus in Prophetis volendis erat assiduus, 54, 1.
 Carolus V cur urbes ingrediens respiceret ad horologia, templa, plateas, item ad tria P, 134, 2.
 Carthaginenses orti a Phœnicibus retinuerunt linguam eorum in multis, 731, 1.
 Carthago colonia Tyriorum navibus abundabat, 346, 2. unde hoc nomen formetur, 345, 1, 2.
 Casimirus Magnus rex Poloniæ quomodo rem Ecclesiasticam in regno promoverit, 710, 2.
 Castitas grata angelis, 168, 1, 2.
 Catachresis frequens Prophetis et Poetis, 79, 1.
 Catadupa Nili accolentes cur sint surdi, 311, 1.
 Catareptes quid sit, 361, 1.
 Catharina (S.) ab angelis sepulta, 266, 1, 2.
 Catharinæ (S.) Bononiensis corpus adhuc integrum hodie conspicitur, 268, 2.
 Catharinæ (S.) Senensi apparens Christus duas coronas obtulit, ut utram vellet, eligeret, 232, 2; 608, 1; 723, 2. cur voluerit Romæ vivere et mori, 377, 2.
 Catholici inter hæreticos degentes signo aliquo externo suam fidem produunt, 542, 1. Catholici in doctrina concordēs erunt et sunt, hæretici semper varii, 270, 1.
 Caudæ cur assimilentur hæretici, 239, 2. caudæ duæ titinum vocantur rex Syriæ et Israel, 187, 2.
 Caulaca spurcum numen Nicolaitarum, 395, 2.
 Causæ martyrii Isaïæ, 95, 2.
 Ceadualla Britonum rex Romam venit baptizandus, et non multo post ibi mortuus est et sepultus, 766, 1.
 Cedareni Arabiæ incolæ, eorum mores, 334, 1, 2; 704, 1. unde dicti sint, 334, 1, 2. eorum peritia sagittandi, *ibid.*
 Cedareni erat Judæis barbarus, 525, 1. habitabant in tabernaculis, et incertis sedibus vagabantur, *ibid.*
 Celerinus Martyr quam in tormentis invictus, 599, 1.
 Celsitudo animi promittitur Deum colentibus, 687, 1. facit tranquillos et beatos, *ibid.* regnum fortunæ despicit etiam in doloribus, *ibid.* 2.
 Centauri sunt homines ex aqua prognati, 451, 2. unde dicti, 452, 1.
 Carbonius Episcopus unde ab urso nihil damni asperit, 302, 2. ejus mirabilis sepultura, 266, 2.
 Certandum ante coronam, 368, 1.
 Cathim sunt insulæ Cypri, Italiæ et Macedoniæ, 347, 2.

- Chaganus unde ad modestiam computatus sit, 368, 1.
 Chaldæi reges ignem sibi præferri curabant, 288, 1. habebant quoque coronam radiis solaribus distinctam, et solis nomine salutari volebant, *ibid.* nomina sibi indabant a diis suis, 562, 2.
 Chaldæi primo excisi ob crudelitatem, 569, 2. deinde ob fastum, 570, 1. tertio ob incantationes, *ibid.* 2. ob eas male audierunt, *ibid.*
 Chalybs formatur ab Hebræo *Challamis*, 599, 1. est medulla et nucleus ferri, *ibid.*
 Chamos cultus a Moabitibus, 298, 2.
 Chanaan hebraice sonat mercatorem, 351, 1.
 Character baptismi nos consignat Christo, estque indelebilis, 655, 2.
 Charcami quæ sit urbs, 244, 2.
 Charitas Dei pura et ignita aurum est, quo pretio illa comparetur, 649, 1. charitas omnia facilia reddit, 251, 2.
 Cherubinos cur videat Ezechiel, Isaias Seraphinos, 169, 1.
 Chiliastræ fingunt in mille illis annis, quibus post iudicium cum Christo Sancti in terra regnabunt, agnos cum lupis habitaturos: illorum auctor Papias, 261, 2.
 Choreæ descriptio, 452, 2.
 Chorum Ecclesiasticum docuerunt Seraphim Isaiæ, 172, 2.
 Chosroes Persarum rex coluit ut deus, inde ejus currus pluvius, sed a Deo cæli fuit castigatus, 290, 1.
 Christiana fides quam sit ad mores immutandos potens, 263, 2.
 Christiani est in tormentis gaudere, 147, 2. dicitur sanctus, *ibid.*
 Christiani cur dicantur vermis, 513, 1, 2. sunt oves, 497, 1. sunt secunda Dei possessio, 269, 1. sunt pueri quadrupliciter, 218, 2; 219, 1, 2. quanta præ Judæis a Deo beneficia receperint, 535, 2. semper ad majora debent ascendere, 423, 1. vocantur sancti et justi, licet non sint, 713, 1. quatuor ob causas olim coronis abstinebant, 718, 2. Christo sunt obstricti, ejusque religioni et cultui, 657, 1. ubi et unde primum sic dicti, 752, 1. sunt docti a Domino, 645, 2. eorum a Judæis discrimen quoad doctrinam, *ibid.* quomodo suas venerentur imagines, quomodo idola sua Gentes, 543, 2. sunt servi Christi, 527, 1, 2. iis vigilandum semper, 331, 2. ferant mores et vitia proximorum, 521, 1, 2. eorum sepulcra esse debent gloriosa, 266, 1, 2. eorum in suis templis lætitia, 662, 1. eorum holocausta sunt sacrificia Eucharistiæ, *ibid.* eorum est semper Deum laudare, et ei gratias agere, 273, 1; 275, 1. eos ubivis terrarum Deus protegit et manu ducit, 513, 1. eorum sub quovis Prælate obedientia, 262, 1, 2. eorum olim contemptus, sed postea gloria futura in iudicio, 584, 2. Christiani primi a baptismo currebant ad martyrrium, 753, 2. sanctissimi fuere, 248, 1. omnia sua cum fide Christo obtulerunt, imo vel oculos dedissent, si fieri potuisset, 555, 2. in carne candentibus notis Jesu nomen aut signum crucis curabant sibi injuri, 541, 2. Christianis mors ludus est, 599, 2.
 Christianismus maxime vixit in Ægypto, 321, 1.
 Chronologica harmonia Prophetarum, 84, 1 et seqq. usque ad 92, 1, 2.
 Chrysostomum inaugurandum columba supervolavit, 705, 2. episcopatum fugit, 292, 2.
 Cibum quem porrigat Christus, 650, 1, 2.
 Cicadæ locustis sunt affines in multis, 301, 1, 2.
 Ciceronis in Verrem jocus, 68, 1, 2.
 Cidaris quid sit, 141, 2.
 Cilicium priscum quale esset, 323, 1.
 Cingulum quinque res notat, 260, 2. cinguli ejusdam prodigium ad testandum Christum surrexisse et sepulcro lapide obsignato, 266, 1.
 Circumsessio SS. Trinitatis, quæ et qualis, 556, 1, 2. quid hæc sit, *ibid.* et quæ ejus causa, *ibid.*
 Civitas vanitatis attrita quæ, 357, 1. sub ea quælibet civitates intelliguntur, *ibid.* et 2. civitates maritimæ et mercatoriarum male moratæ, 353, 1. civitates cur vineæ dicantur, 303, 2. civitatis cœlestis fortitudo, 373, 1, 2.
 Clamor est omne peccatum quod clamat in auribus Dei, 155, 1. clamoris nomine intelliguntur violentiæ, rapinæ, fraudes, etc., 677, 2.
 Claræ (S.) de Monte Falco sanguis subsilire solet, cum aliquid calamitatis imminet reipublicæ Christianæ, 762, 2.
 Claravallensis cœnobii silentium, 415, 2; 416, 1.
 Claritas Dei in cœlo quæ, 712, 2.
 Clausi dicuntur cæci, 717, 1.
 Clausura est seps et murus Religionis, 684, 1.
 Clavis symbolum prælaturæ cur, 343, 1. notat quoque dexteritatem regendi, *ibid.* clavium S. Petri origo, *ibid.* claves aliæ manu, aliæ humeris gestantur, *ibid.* claves optimæ in crucis formam serratæ sunt, 343, 2.
 Clemens (S.) Pontifex Flaviam Domitillam virginem Deo consecravit, 661, 2.
 Clementia virtus principum, 521, 2.
 Cleopatrarum (in) navî remi ad tibiarum et fistulæ modulos movebantur, 311, 1.
 Clericorum et plebis Catholicæ vitia et dissolutio causa fuere hæreseon, et cur hodie Catholicis hæretici insultent, inque sua hæresi magis obdurentur, 556, 2. clericis malis surrogandi boni, 344, 1.
 Clodoveus rex Francorum, quomodo in bello a Christo adjutus, 374, 1. e Scriptura petiit auspiciam expeditionis suæ bellicæ contra Alaricum regem Gothorum, 224, 2.
 Clotharius rex ad pedes S. Lupi Senonensis Episcopi provolutus est, 592, 1.
 Coccineus color meretricius olim erat, 114, 1, 2.
 Coccus quid esset, 414, 1.
 Cochleæ ænigma, 81, 1.
 Cœlestes epulæ Beatorum quam suaves, 367, 2. vocantur vinum et lac, 765, 2.
 Cœlum est civitas fortium, 365, 2. cœli gloria describitur pluribus, 442 et seqq. cœlo comparantur Sancti ob octo analogias, 609, 1 et seqq. unde dicatur, *ibid.* cœlum jungi terræ, nec esse sphaericum putavit Chrysostomus et alii, 280, 1. in cœlo est, quidquid hic optare vel concipere possumus, 370, 2; 371, 1. cœlos initio prophetiæ suæ tres ob causas invocat Isaias, 104, 2. eorum motus cessabit a die iudicii, 712, 2. quomodo complicandi sunt, 448, 1, 2. idque in fine mundi, *ibid.* quomodo dicantur futuri æterni, *ibid.* et 449, 1. non mutabuntur substantialiter, sed tantum accidentaliter, 449, 1, 2. cœli novi et terra nova quid sint, 765, 2.
 Coenredus Merciorum rex Romam ex pietate transmigravit, 766, 1.
 Cogitatio impia quasi ignis est qui ipsum cogitantem adurit, 440, 1.
 Cognitio Dei parens est humilitatis, 176, 2. ipsa in lege Evangelica exuberat, 264, 1.
 Colentium Deum præmia, deliciae spirituales, celsitudo animi et hæreditas Jacob, 686, 1, 2 et seqq.
 Colles compugnantes qui sint, 467, 1.
 Colonia Tyri variæ, 346, 1.
 Columbanus (S.) regem Theodoricum impium est genere aversatus, 687, 2.
 Columbibus comparantur fideles, 704, 1, 2. columbæ sunt Indipetæ ob varias causas, 705, 1.
 Columna nubis dux Hebræorum quid significet, 148, 2. columna ad quam flagellatus est Christus, ubi et qualis sit, 597, 2.
 Comessiones quomodo puniat Deus, 839, 2.
 Commentariensis quod esset in aulis regum officium ac dignitas, 461, 1.
 Commodus Imperator in Christianos satis fuit mitis, 43, 2.
 Commune Hebræis dicitur, quod sanctitatem amisit, 569, 2; 570, 1.

- Compositio loco habenti orationem necessaria, 174, 2.
 Concionator qualis esse debeat, 496, 1. concionatores esse debent ædificatores sepius, 684, 1. quomodo pathetice creaturas contra peccatorem invocare debeant, 104, 2. qualesesse debeant, 496, 1. canibus comparantur, 663, 1. quod sæpe in populo concionibus suis non proficiant, propriæ tepiditati id impudent, 380, 2. ipsis necessaria acris malorum increpatio, 260, 1. sint tuba, non tibia, carpant, non adulentur, 675, 1. sunt Seraphim, 169, 1. quomodo miscere dicantur aquam vino, 115, 2. vocantur nubes, cur, 705, 1.
 Conciones molles causa hæreseos, 414, 2. conciones Christi et Joannis Baptistæ quales fuerint, 360, 1.
 Concipere ardorem quid sit, 440, 1.
 Concordiæ bona, ejusque ditantis symbola, 262, 1.
 Confessio sacramentalis medium necessarium ad justificationem, 537, 2. designatur per calculum Isaïæ, 179, 2.
 Confirmationis sacramentum ab Isaia significatur, 367, 1.
 Consilia senum, vires juvenum probantur, 325, 2. consilii donum quod sit, 258, 1. consilium efficax ut quis ad salutem perveniat, 578, 1.
 Consiliarii boni principi quam necessarii, 234, 1, 2. consiliarios sapientes sequi magna prudentiæ pars est, 430, 1, 2. varii regum consiliarii sapientes in exemplum afferuntur, *ibid.* consiliarius est Emmanuel quotupliciter, 234, 1, 2.
 Consiliorum Evangelicorum auctor est Christus, 235, 2.
 Consolari mœstos etiam hostes, divinum est: exemplis probatur, 490, 1.
 Consolatio et gratia divina omnia dura emollit, 250, 2. consolatio quæ per Christum allata, 488, 1, 2.
 Consortium improborum quam noxium sit, 692, 2.
 Constantia (S.) Gallicanum virum Christo et martyrio lucrata est, 660, 2.
 Constantinus Magnus quam miraculose Maxentium vicerit, 709, 1, 2. ejus mansuetudo in illatis ferendis injuriis, 633, 2.
 Constantinus (S.) Martyr dum honorifice a Leviano sepelitur, id irridentes cæcitate percutiuntur, 267, 1.
 Constantis et generosi viri descriptio, 688, 1.
 Constantius Imperator patrem Constantinum intra basilicam S. Petri sepelire non est ausus, 267, 1.
 Consuetudo omnia lenit, 251, 1. consuetudo peccandi quam valida, 161, 2.
 Consummatio abbreviata quid sit ad litteram, 248, 1, 2.
 Consus quis deus Romanis, 258, 1.
 Contaminare quadrupliciter accipitur, 569, 2.
 Contritio vera abolet peccata, semperque conjuncta est cum infusione gratiæ justificantis, 415, 2. ad contritionem veram quæ peccatum dealeat, necessarium non est ut penitens singula peccata in memoriam revocet, ac deinde de omnibus conteratur, 481, 1.
 Contritos corde quos Christus sanavit, 716, 2. iidem qui confracti, appellantur, 717, 1.
 Conversio mira cujusdam sæcularis, 113, 1, 2.
 Convivii Eucharistici suavitas et deliciæ, 367, 2.
 Conviviorum mos ultimo die anni et primo unde ortum habeat, 748, 2.
 Cor sunt sacerdotes, 108, 2.
 Corbiniani Episcopi pedibus se advolvit Longobardorum rex, 592, 1, 2.
 Cornelii Musii cruciatus et patiens silentium, 634, 1.
 Cornu dicitur Judæa ob tres causas, 153, 1. cornibus indicatur mysterium sanctæ crucis, 230, 1. cornu copiæ additur fortunæ, 749, 1.
 Corona symbolum non tantum regni, sed et rerum copiæ, 29, 2. corona spinea Christi an prædicta ab Isaia, 393, 1. coronis abstinebant primitivi Christiani ob quatuor causas, 718, 2. sunt coronæ ab idololatris inventæ in honorem idolorum, *ibid.* coronæ Sanctorum, sunt coronæ Dei, 724, 2. coronæ e cælo Sanctis tentens, 725, 2.
 Coronarum sacerdotalium inventio et usus, 208, 1.
 Coronata cur dicatur Tyrus, 349, 2.
 Corpora sanctorum sunt vasa Dei, 619, 2. corpora nonnullorum sanctorum etiamnum hodie integra conspiciuntur, 268, 2. corpora damnatorum cur dicantur cadavera, 767, 1. scatent vermibus mortalibus in terra, in gehenna immortalibus, *ibid.* et 2.
 Corporis gloriosi dotes, quales, 371, 2. corpus pulchrum saccus stercorum est, 163, 1. corpus Christi non est ubique, 498, 1. corpus humanum horologium habet juge et naturale, quod hominem brevitatis vitæ commoneat, 475, 2; 476, 1.
 Cosmiana Severi hæresi infecta a templo sepulcri Domini a B. Virgine repulsa, 265, 2. item alius Severianus, 266, 1.
 Cosymbi quid sint in vestibus, 140, 1.
 Cranium Adæ sepultum in monte Calvariæ, 152, 2.
 Creari in Scriptura res aliqua misera dicitur, cum renovatur, 672, 2.
 Creaturæ sunt opera Dei, 159, 1.
 Crepusculum desiderii cur dicatur Isaïæ Babylon, 329, 1.
 Cristæ galearum quales essent, 696, 2. crista bellatoris Christi fuit crux, *ibid.*
 Crucifixi Christi conspectus Christianis jucundissimus, etiam regibus, 620, 2.
 Crumus Sclavinorum princeps Nicephorum Imperatorem bello profligavit, 182, 2.
 Crux Christi clavis est quam ipse humero gestavit, 343, 1, 2. et qua cælum aperuit, *ibid.* 2. in ea scriptum nomen Christi regis, 255, 2. in cælis quasi æternum Christi trophæum statuatur in die judicii, 635, 1, 2. fuit ejus crista, 696, 2. fuit plastrum quo comminuit impios, 370, 1. ea meruit ut Ecclesiæ universalis ei potestas daretur, 343, 1, 2.
 Cryptæ et catacumbæ Sanctorum hodie a Christianis magna pietate Romæ coluntur, 268, 1, 2.
 Crystallus a gelu Græce, Hebraice a calvitie nomen habet, 645, 1. est purus et durus, *ibid.*
 Cucumerarium quid sit, 110, 1.
 Curæ mordaces, 673, 1, 2.
 Curbici Manichæorum parentis imposturæ et falsa oracula, 44, 1.
 Curiositas refrænanda silentium servare volenti, 417, 1, 2.
 Currentibus Deus magnam gratiam, spiritum, magnos animos et vires aspirat, 506, 1, 2 et seqq.
 Currus bellici quales essent, 330, 2; 332, 1.
 Curvi quomodo sint ad Ecclesiam homines venturi, 798, 1.
 Custos pervigil est leo, 331, 1. custos de nocte venire quomodo mystice intelligatur, 333, 2.
 Cyathos bibebant veteres ad numerum, et nonorem fortunæ et Annæ Perennæ, 750, 1.
 Cyrus quomodo Persas suos ad labores efformavit, 368, 1. cur asinus et mulus in Scriptura dicatur, 330, 2. cur vir bigæ equitum, 332, 1. omnia Babylonis munimenta subvertit, 535, 1. illam occupavit ante Euphrate in varias lacunas derivato, 271, 2. erat vindex Judæorum ad eos e Babylone liberos dimittendos, 545, 2. prophetauit de eo Isaïas ducentis et decem annis ante, 547, 1. ipse hanc prophetiam legens ea animatus sumpsit audaciam Babyloniam invadendi, *ibid.* an publice Deum Judæorum professus sit, *ibid.* jure a Deo accepto monarchiam invadere potuit, *ibid.* etsi magis in eo servierit propriæ ambitioni, *ibid.* fuit typus Christi, *ibid.*; 545, 2; 550, 1. Hebraice vocatur Messias, 547, 1. lingua Persica significat solem, *ibid.* et 2. fuit quasi sol, *ibid.* credidit animæ immortalitatem, 548, 1. ejus mors, a Deo est electus, 549, 1; 577, 1, 2. ejus victoriæ et gloria, *ibid.* ejus opes, 549, 2. postea factus est Iro pauperior, *ibid.* Deum verum non agnovisse videtur, quia mansit in

- cultu idolorum, 550, 1, 2. cur comparetur terræ germi-
nanti et pluvie cœlesti, 551, 1, 2. Babylone eversa pos-
tea fuit infelix, 556, 1. idola Babylonis contrivit et
avexit, 562, 1. cur vocetur avis, 566, 1, 2. est vir vo-
luntatis Dei, 566, 2. fuit vindictæ divinæ administer,
577, 2. a Judæis nullam accepit pecuniam ad redemp-
tionem, sed eam ipse potius dedit ad fabricam tem-
pli, 616, 1. Cyri et Christi inter se comparatio, 545, 1, 2;
550, 1; 562, 1.
- D.**
- Dæmon** est leo, aspis, regulus, 413, 1. est faber omnis
persecutionis et tentationis, 646, 2. ejus odium in
Deum et homines, 244, 2. quomodo post Christi adven-
tum terræ pulverem vorat, 756, 2. ejus locus est aer,
759, 1. ejus vis et arrogantia fracta dato Christo, 253, 1.
ejus superbia, 291, 1, 2. invidit mysterium unionis
cum homine Filio Dei, *ibid.* 2. cur vocetur Leviathan,
384, 1, 2. cur serpens vectis, *ibid.* cur tortuosus, *ibid.*
dicit animæ: *Incurvare*, 613, 2.
- Dæmones** et angeli assumunt corpora ex aere, 453, 1. cur
adament sepulcra, 745, 2. vespertilionibus assimilan-
tur, 130, 2. eos consulebant divini et pythones, 222, 2.
in silvis habitantes specie hircorum apparent, 282, 1, 2.
onocentaurorum formam induunt, ut homines terri-
tent vel ludificent, 452, 1, 2. sæpe apparent pilosi in
specie hirci, *ibid.* et 2. gaudent choreis, *ibid.* vocan-
tur militia cœli, quia modo aere versantur, sed in
fine mundi damnandi sunt publica sententia coram
toto orbe, 361, 2. ignorant initia divinitatis, 515, 2;
516, 1. quomodo prædixerant futura, 516, 1, 2. hor-
renda bestiarum forma se damnatis offerunt spectandos,
453, 1. voces *dæmonia* et *dæmones* male sonant, etsi
etymon eorum sit honestum, 397, 2.
- Dagon** fuit deus Philistiim, 562, 1, 2. ejus forma, *ibid.*
- Damascus** ab Assyriis quando eversa, 305, 2. quando rur-
sus restaurata, *ibid.* signat regnum peccati ob quatuor
analogias, 214, 1.
- Damna**, quæ ex Religiosorum in una domo copia prove-
niunt, 228, 1, 2.
- Damnati æternum** erunt damnati contra Origenem, 362, 1.
eorum cruciatus in corpore et anima, 453, 1, 2. eorum
vermes, 767, 2; 768, 1, 2 et seqq. ab iis eos cruciandos
in inferno, probatur, *ibid.* eorum immortalitas, *ibid.*
- Daniel** propheta quando floruerit, 60, 1. ejus elogium et
scripta, *ibid.* 2. fuit portentum, 219, 2. aquilæ cur
comparetur, 42, 2. ejus emblemata, 80, 2.
- Danielis Stylitæ** sepulturam Rais mulier procuravit, 267, 2.
- Daphidas** oraculo Delphico quomodo illudat, 418, 1.
- Darius** et Medi cur comparentur camelo, 330, 2.
- Davidis** regis clementia in devictos, 192, 2. quomodo
Moabitas mensus sit funiculo, 451, 2. David et Saul
quomodo se denudarint coram Domino, 323, 2. David
sancta fidelia quæ, 651, 1.
- Debitum** vocatur onus, 678, 1.
- Decalvatio** intentatur puellis Sionis: erat hæc habitus
debellatorum, inde servorum et servarum etiam apud
Gentiles, 139, 2.
- Decimatio** intentata Judæis septupliciter intelligitur, 183, 2.
- Dedan** et Theman præcipuæ fuere Ismaelitarum provin-
ciæ, 335, 1.
- Defensor** quidam S. Martino infensus et adversarius,
224, 1, 2.
- Deformitas** Christi quam amica amatoribus ejus, 620, 2.
- Delectationes** terrenas spernenti animæ Deus offert suas,
686, 1.
- Delicati** parant veribus epulum de suo corpore, 286, 2.
- Deliciis** spiritualibus abundabunt colentes sabbatum, 636, 1.
- Delos** dicta filia maris, quod subito e mari emerit, 350, 1.
- Delubri** Mahometici Mechæ magnitudo, 296, 2.
- Demetrii** Phalerei de eloquentia sententia, 597, 2.
- Demosthenis** argentangina, 663, 1, 2.
- Desertum** Sina Hebræis desertum non fuit, sed paradisus
deliciarum, 513, 2; 514, 1.
- Desertum** semper ambierunt viri contemplativi, quia
ipsum schola paradisi, 492, 1. desertum Joannis Bap-
tistæ quam fuerit celebre, 492, 2.
- Deus** dabat Prophetis certa signa sui, scilicet se loqui,
462, 47, 1. est rex mensium, 66, 2. quomodo dicitur
Judæos obdurasse, 73, 1. ordinavit Nabuchodonosoris
tyrannidem ad punitionem Judæorum, 76, 1, 2. omnis
ejus ordinatio vocatur præceptum, *ibid.* 2. quomodo
Chaldæos excitarit contra Judæos, 77, 1. amat celari
nec sua vulgari, 81, 2. tripliciter a nobis cognoscitur,
ibid. est robur et sanitas animæ, 103, 2. est sanctus
Israel, *ibid.* 1. cur dicitur Deus sabaoth, 110, 1. ma-
gnos peccatores cur interdum patienter toleret, 110, 2;
111, 1. Dei in homines humanitas, 113, 2. nolens et
dolens punit peccatores, 117, 2. quomodo peccatorum
punit dum eum in alium hominem mutat, 118, 1. ju-
dicat quadrupliciter, 122, 1. cum aliquid Ecclesiæ vel
Synagogæ quantumvis universalibus verbis promittit,
id de bonis tantum intelligitur, sædus et amicitiam cum
Deo initam servantibus, 124, 2; 125, 1. consolationem
et afflictionem temperat, 149, 1. protegit justos, *ibid.* 2.
apparet commode rebus, 165, 2. quomodo visus sit Isaïæ
sedens in solio, *ibid.* et 166, 1. qualia ejus fuerint firmata,
168, 1. quid ea significant, *ibid.* Deus sedet,
angeli stant, 169, 2. est incomprehensibilis, 171, 1. est
abyssus sanctitatis, ex qua suam Christus, angeli, ho-
mines hauriunt, 173, 1. quomodo vere sit sanctus, *ibid.*
et 2. duplici titulo summe est laudandus, 175, 1. ejus
gloriæ symbolum est fumus et caligo, 175, 2. ejus cog-
nitio est causa humilitatis, 176, 2; 177, 1. quomodo homi-
nem excæcet, 183, 1. non tantum per res et symbola, sed
etiam per nomina solet prophetare, 187, 1. ipse nos
ultro quærit, antequam nos ipsum, 201, 2. quomodo sit
nobiscum, *ibid.* semper suis adest per opem, 202, 1. si-
bilus ejus quid sit, 207, 1, 2. ei militant omnia, 216, 1, 2.
honoratur per spem, *ibid.* quomodo sit hominum pavor,
ibid. dicitur lætari super, vel in populo, quando populus
ejus præceptis obedit, 240, 2. quando item tristari, *ibid.*
ejus humanitas, 244, 1. non est auctor tyrannidis et pec-
cati, sed tantum permissor, *ibid.* ejus mandatum et
jussio dicitur quævis ejus providentia et ejus imperium,
ibid. et 2. est ignis, 246, 1, 2. sicut justitiam in impios
eos conterendo, ita in pios justitiam ostendit, eos sua
gratia cumulando et propagando, 248, 2. ejus auxilium
Ezechii regi datum oleo comparatur, 249, 1. ejus est
de minimis facere maxima, 255, 2. ejus secunda pos-
sessio quæ, 269, 1. omnia fidei impedita ablaturus
promittitur, 271, 2. eum laudare semper et exallare
Christianorum et Angelorum est, 273, 1. septem ejus
laudandi modi, *ibid.* et 2. quomodo semper apud Chris-
tianos sit, 275, 2. cuique ad lineam meritorum vel da-
meritorum dat præmium vel pœnam, 312, 2. delineat
gentes quas exitio destinat, *ibid.* in ejus præscientia
decursus unius regni, imo totius sæculi, unus quasi
idemque est, 320, 2. ejus jussio honestat inonestum,
324, 1. ejus providentiam qui negat, eum negat, 369, 1.
quam punit gulam, *ibid.* 2. in eo veritas est, 357, 2;
358, 1. ejus fruitio quantum sit bonum, 370, 1, 2 et
seqq. tunc maxime irascitur, dum non irascitur, 370, 2;
371, 1. ejus cognitio in sola Judæa erat, 377, 1. sibi quasi
vim facit dum punit, 383, 1. solus vult occupare im-
perium cordis nostri, 399, 1, 2. quasi agricola nunc sœvit,
nunc metit, nunc triturat, 400, 2. in altari ejus forti-
tudo, cultus et majestas maxime relucet, 404, 1. gravis
ejus punitio est, dum doctores et Prophetas a populo
aufert, 407, 1, 2. in protegendis suis, et fortis et cle-
mens est, 426, 2. ejus ignis, quia erat in Sion, hinc Hierosolymam
protegebat, *ibid.* solet afflictos ad extremum

usque redigere, ac tum demum succurrit, 440, 1. est quidam ignis urens, 440, 2. cur dicatur ignis devorans, 444, 1. in blasphemos quam rigide animadvertat, 465, 1, 2. potentiae et majestatis ejus insignis descriptio, 497, 2 et seqq.; 564, 2. est mundi Atlas, 497, 2. est in caelo supra caelum, infra caelum, et ultra in immensum, *ibid.* quomodo videre possit omnia, 498, 1. ejus sanctitas et dignitas immensa, 499, 2. distantia inter mundum et Deum, *ibid.* in imagine apparuit hominibus, 500, 2. ejus potentia in dejiciendis regibus, 501, 2. stellas vocat ex nomine tripliciter, 502, 2. est Dominus aeternitatis, 503, 1. vocat generationes, unam post aliam, 511, 2. est rex saeculorum, *ibid.* est primus et novissimus, *ibid.* et 12, 1. solus novit certo futura contingentia et libera, 515, 2. ratio cur ea videat est ejus infinita vis intelligendi, *ibid.* ejus victoria de Gentibus per Evangelium et Christum, 525, 2. ejus zelus et indignatio, quod homines ita a daemone tyrannice possiderentur, *ibid.* 526, 1. ejus justitia duo continet, punire impios et benefacere piis, 528, 2. est plastes et opifex universi, 542, 2. alternando modo dat lucem, modo tenebras afflictionis immittit, 551, 1. ei attribuenda quae bene a rege etiam infideli et impio geruntur, 555, 1, 2. utitur subinde instrumentis indignis, *ibid.* 2. est absconditus in se, 577, 1, 2. curat suos ab utero ad canos, quomodo, 563, 2. cur toties in idola invehatur, 565, 1. ejus jugis memoria habenda, *ibid.* 2. ejus frænum est beneficentia et tribulatio, 575, 1, 2. ejus gubernatio qualis, 578, 1. primario et ex instituto missus a Patre ad Judæos salvandos, 584, 1. assidue eum laudare quædam vita caelestis est, 605, 1. mundum creavit propter electos, 610, 1. varia ejus nomina, 617, 2. ejus cum Christo pactum de nostra gloria et gratia, 637, 1, 2. est orbis sol, quem abscondunt nebulæ peccati, 642, 2. sitit sitiri, 649, 1. solus ipse mentem satiari potest, *ibid.* quomodo prope sit, et inveniri queat velut obvius, 652, 2. quærendus est dum inveniri potest, *ibid.* quo modo sit quærendus et ubi, *ibid.* ejus in ignoscendo benignitas, *ibid.* et 653, 1. misericordia ejus expenditur, *ibid.* sæpe aufert justos e vita ne videant impendientia et proxima mala, 666, 1, 2. jungit summum et imum, caelum et humilem, aeternitatem et contritionem, 670, 1. quam aeternitatem habitat, *ibid.* et 2. ipse nullo tempore aut loco creato mensurari potest, *ibid.* omnia tempora, præsentia, præterita et futura, infra se habentia et circumstantia fixus et immotus consistens contempletur, *ibid.* vocatur a Syris gigas saeculorum, cur, 670, 2. diligit in finem, 674, 1. quomodo animam hominis expiret, dum eam creat, 671, 1, 2. ejus panoplia describitur, 696, 1. ejus fœdus cum Ecclesia, 698, 1, 2. fideles atque cultores suos et filios Ecclesiae mire extollit, 709, 1, 2. complacet sibi in Ecclesia, 726, 1. ejus deliciae in homine, *ibid.* 2. magis populi Judaici patet est quam Abraham aut Jacob, 735, 2; 736, 1. nostra alacritate ad benefaciendum nobis provocatur, 745, 1. est in caelo, sed eo non concluditur, 753, 1, 2. ejus sedes quomodo sit caelum, terra scabellum, *ibid.* cur aversetur victimas veterum, 759, 2. generatio illius est immensa et efficacissima, 761, 2. est monas, 753, 2. Deus tam est in Patre ac Spiritu Sancto, quam in Filio, 556, 2. Deus fortis est Christus, non tantum fortis, contra Lutherum hanc voculam Deus, cum judaizantibus e Bibliis eradentem, 235, 2; 236, 1. Dii Gentium plurimi et multiplices, 669, 1. Deos praesides urbium esse, rati Gentiles, multa iis ubique delubra extruxere, 427, 2. Diagoras cur præ gaudio exanimatus, 608, 1. Dido unde derivetur, 250, 2. Didymum caecum quomodo S. Antonius sit consolatus, 490, 1. Dies splendorem, opes et felicitatem significat, 755, 1. item

metonymice denotat victoriam et cladem eo dei peractam, 231, 1. dies correptionis quæ dicatur, 463, 2; 464, 1. dies Domini est dies vindictæ, 129, 1. Digitum extendere quid sit, 680, 2. digito medio ostendi grave probrum erat apud veteres, *ibid.* Dilecta cur dicatur Babylon, 329, 1. Diocletianus voluit haberi frater Solis, 289, 2. ejus mors terribilis, *ibid.* Diogenes cur dictus sit Cynicus, 664, 1. ejus in loquendo carpendoque libertas, *ibid.* quomodo Demosthenem irriserit, 680, 2. cur in meridie accensa lucerna homines quæreret, 492, 2. Dionysius Carthusianus quænam uno ante mortem anno carmina cum lacrymis decantavit, 503, 2. Disciplina pro castigatio, 630, 2. Discordia certa est ruina reipublicæ, 135, 2. Discriminalia puellarum quid sint, 140, 1. Dissolute inter Sanctos viventes quam merito culpandi, 377, 1, 2. Distantia inter Deum et mundum, 498, 1, 2; 499, 1, 2. Divinitatis testis est veritas divinationis, 515, 2. divinitas Filii et Spiritus Sancti probatur ex visione Isaïæ cap. vi, 167, 1. Divitiæ sunt idolæ, 157, 1. sunt feræ, *ibid.* Divitiarum perniciæ, 156, 1, 2 et seqq. sunt causa oblivionis Dei et damnationis, 669, 1. divitiæ salutares quæ futuræ sint tempore Christi, 438, 2; 439, 1. Divitibus vae damnationis aeternæ intentatur, 155, 2; 156, 1. divitum bonis cur alieni fruuntur, 109, 2. Doctores Judæorum cur dicerentur argentum, 115, 2. Doctrina Evangelica mentem impinguat, est pluvia caelestis, 154, 2. Dolor vehemens stuporem sensibus et menti inducit, dolores Christus varios habuit in vita, et unde hi causarentur, 626, 2; 627, 1, 2. Dominatores Judæorum qui dicantur, 617, 1. Dominicus (S.) assidue Deum in mente habebat, 565, 2. miti tolerantia censebat hæreticos convertendos, 633, 2. Dominicus (S.) alius in igne libidinis mansit illæsus, 532, 2. Domus gloriæ Dei est templum Salomonis olim, nunc Ecclesia Christi ejusque templa, 704, 1, 2. domus David et Salomonis vocatur templum, 343, 1. domus animæ hebraicæ quid sint, 140, 2. domus et vineæ spirituales Ecclesiae quæ sint, 755, 2. Domus orationis est Ecclesia, 662, 1. Dona Dei non obveniunt torpentibus, sed vigilantibus, 615, 1. Dona Spiritus Sancti septem, 257, 1. non distinguuntur a virtutibus, *ibid.* hæc infunduntur cuiusvis fideli in justificatione, saltem illa quæ virtutibus moralibus identificantur, *ibid.* 2. Dormire in sepulcris genus divinationis apud Ethnicos, 745, 2. Dormientes multi interempti, 331, 2. Dorothea (S.) media hieme Theophilo advocato vernantes rosas misit, 762, 2. Doxologia SS. Trinitatis fugari daemones, 174, 1. Draconis grati exemplum, 106, 2. dracones Arabici volant, 295, 2. dracones imago hominum carnalium, 536, 1. Dromedarii et dromades pulli camelorum unde dicantur, sæpe sitim quatrinduo ferunt, 703, 1. Duma an Roma juxta Judæos, 333, 1. Dunstanus (S.) Cantuariensis Episcopus, malis clericis bonos substituit, 344, 1. Duplex sæpe capitur pro multo et gravi, 489, 2; 70, 1, 2.

E.

Eadburga ex Anglia Romam se contulit, 766, 1. Ebron nullos post Mosen admittebat Prophetas, 43, 1.

- Ebrietas** obruit sapientiam, 394, 1. inducit stuporem, 664, 2. est dæmon voluntarius, 158, 2.
- Ecclesia** dicitur mox, cur, 121, 2. est in vertice montium, 122, 1. in ea omnes erunt concordēs, etsi natura, gente et moribus dispares, 756, 1, 2. est scabellum Dei, 758, 1, 2. ejus partus fecundus, 760, 2. quomodo sit Deo fidelis, 118, 2. in ea sola ortus est sol veritatis, gratiæ et justitiæ, 701, 2. est iudex controversiarum fidei, 647, 2. eam representat Christus, sicut Rex regum, 533, 2. ad eam venere ex omnibus gentibus, *ibid.* et 534, 1. ei magna pax promittitur, 707, 1. ejus pax sita in assidua cum hostibus suis lucta et victoria, 237, 1. ejus umbella Christus, 149, 2. ejus persecutores acriter a Deo puniti, 593, 1, 2. ad eam quomodo omnes gentes confluxuræ sint, 122, 1. est cælum terrenum, *ibid.* ejus partes explicantur, *ibid.* est domus Dei Jacob, *ibid.* 2. ejus muri sunt salus et portæ laus Dei, 711, 2. quomodo dilatanda, 713, 1, 2. cur Deo complaceat, 726, 1. ejus custodes sunt angeli, *ibid.* 2. cur dicatur sanctuarium Dei, 708, 1. ei se subicient omnes gentes, 122, 1, 2. cur dicatur sponsa et sponsus, qua ratione, 721, 2. ei plurimum conferre reges et principes debent et possunt, 710, 2. ejus opes ei a principibus collatæ, *ibid.* habitat hic in tabernaculis quasi hospes, 641, 1. perpetuo futura est, *ibid.* quocumque terrarum se diffundit, *ibid.* ejus semen possidet gentes et terras desertas, *ibid.* ejus cum Deo matrimonium, 642, 1. ante Christum pauper fuit ab illo splendida et dives facta, 643, 2. quomodo regum ornamenta sibi appropriet, *ibid.* fundamenta et fabrica ejus, 644, 1. ejus splendor, *ibid.* et 2. initio exigua et sterilis respectu Synagogæ, et deserta a Deo, fide, gratia, at postea his omnibus magis fecundata est quam Synagoga, 640, 1, 2. sancta semper mansit, 109, 1; 147, 2. Christo facta est in cornu filio olei, 152, 2. quæ ejus rei causa mystica, *ibid.* est vinea, *ibid.* ejus fecundus proventus, 455, 1, 2. in ea tam sunt polluti et peccatores, quam justī et sancti, 457, 1, 2; 615, 2. cur dicatur terra sanctorum, 367, 2. ejus murus et antemurale quæ sint, 373, 2. floruit olim apud Philistinos, 270, 2. Ecclesia Sioni comparatur, 495, 2. ei Christus quomodo duplices iprogarit pœnas, et duplices contulerit gratias, 489, 2. in ea est continuum festum, 765, 2. eam Christus implebit sanctitate et justitia, 438, 2. repletur doctrina prædicationis Evangelicæ, 264, 1, 2. ejus pedes osculantur reges in Pontifice, qui est Ecclesiæ caput, 592, 1, 2. est novus mundus, et regnum Christi, 753, 1. ejus solemnitas, firmitas, charismata, munimen, 442, 2. omnis simul errare non potest 663, 1. in æternum tota non deficiet, *ibid.* cur dicatur civitas sancti, 615, 1. durabit ejus decor in æternum, *ibid.* 2. symbolice cum B. Virgine comparatur, 192, 1. cur vocetur Jacob, Israel, 697, 2. ejus gloria summa fuit, quod Roma et Imperatores Romani ei caput subdiderint, 708, 1, 2. cum Libano comparatur, 409, 1. quomodo sit propagata, 591, 1, et 702, 1, 2; 703, 1, 2. ejus nomen quod sit, 724, 1. est corona gloriæ Dei, *ibid.*
- Ecclesia primitiva** dicitur sedus populorum, 585, 2. quomodo a Deo pasta, *ibid.*
- Ecclesia Romana** perpetua futura est, 405, 1. ab ea pendet omnes Ecclesiæ particulares, 496, 1.
- Ecclesiæ militantis** dotes, 434, 1.
- Ecclesiæ triumphantis** descriptio, 444, 1, 2.
- Ecclesiasticorum** avaritia carpitur, 155, 2.
- Edmundi Angliæ regis et martyris** in tormentis tolerantia, 634, 1. ejus corpus quomodo post mortem integrum repertum et locutum, 762, 2.
- Edmundus Augerius Societatis Jesu** celebris concinator evasit lectione Pauli et Isaie, 54, 1.
- Edmundus Capianus Societatis Jesu** martyr fuit portentus, 221, 1.
- Edom** quid significet, 730, 2.
- Electos** suos quanti faciat Deus, 476, 2.
- Eleemosyna** dantem mire ditat, 682, 1, 2. eleemosyna in morte, est quasi stella matutina, 679, 1. curat omnes dolores et infirmitates animæ et corporis, *ibid.* et 2. cælum pandit, 680, 1. ab ea, nemo se tametsi pauper excusare potest, 678, 2.
- Elesbaan et Abrahamus Arabes** reges Justino et Justiniano Imperatoribus contra infideles magno auxilio fuerunt, 744, 1.
- Elacim** quando Sobnæ in templi præpositura subrogatus, 542, 2. est typus Christi, 343, 1. cur paxillo assimilatur, *ibid.* 2. non est ductus in Babylonem, 344, 1.
- Elias præco** fuit ardens, 169, 1. ejus vestis pilosa erat cœcilicum, 325, 2.
- Elisabethæ (S.) Hungaræ** de mundo sententia, 359, 1. ex ejus corpore oleum fluxit, 762, 1. ejus in injuriis tolerantia, 633, 2.
- Ellychnia fucernarum Romani** accensa non exstinguiebant, sed ea per se languescere sinebant, cur, 520, 2.
- Eloquium mysticum** quod dicatur, 134, 1.
- Emath duplex** est, major postea dicta Epiphania, et minor, quæ postea vocata Antiochia, 245, 1.
- Emmanuelis Sa (de)** in Prophetas commentariis iudicium, 61, 2.
- Emmanuel** quid significet: et ipse est Christus Jesus, 197, 2; 198, 1, 2; 199, 1, 2; 200 et seqq. idque quintupliciter, *ibid.* Emmanuel mystice quomodo dicatur comedere butyrum et mel, 202, 1, 2. Emmanuelis pueri adhuc fortia facta, 212, 2; 213, 1, 2.
- Empusæ** quæ spectra sint, 452, 2.
- Enallage** frequens Prophetis, 71, 1.
- Epaminondas cælebs**, 659, 1. ejus gloria, *ibid.* moriens Bœotis suasit, ut pacem cum hoste quavis conditione componeret, 134, 1.
- Epha** regio unde dicta, 703, 1.
- Ephœbi** prostituti aliquando apud Judæos, 127, 1, 2.
- Ephraim** sunt decem tribus vel regnum Israel, 392, 1, 2. Ephraim in oppugnando Juda fuit semper conjunctus Syris et Damascenis, 306, 2.
- Ephraimitæ blæsi** erant, 396, 1.
- Ephrem (S.)** consolationes spirituales, 251, 2.
- Episcopi** sua debent sanetitate populum protegere, 343, 2. eorum nomen quot annis ante Christum in Scriptura expressum, 711, 1. desponsant sibi Ecclesias suas, 721, 2. post ordinationem ab uxore abstinebant, 211, 1.
- Epistolæ Byblinæ** quid sint, 311, 2.
- Epitheta SS. Trinitatis**, 167, 1.
- Epulandi** mos initio anni apud varias gentes unde profluxerit, 748, 2.
- Equitius Abbas** ab angelo consecratus prædicator, 609, 1.
- Equos Judæis** cur Deus vetaret multiplicari, 428, 1.
- Eremitæ** cujusdam pœnitentia, quod infernalibus supplicia volveret animo, 441, 2.
- Erigere aurem** symbolum est magistri, 597, 2.
- Ermelendis (S.)** ab angelis sepulta, 266, 2.
- Erramus** velut oves dum peccamus, 631, 1.
- Ethelwoldus Ecclesiæ Wentanæ** Episcopus clericis dissolutis moratos surrogavit, 344, 2.
- Eucharistia** est hæreditas Christi, Ecclesiæ testamento relicta, 688, 2. cur vocetur commixtum, 420, 1. est calculus ignitus, 179, 2. est requies Christi, 265, 2. cur dicatur ros lucis, 381, 2. epulum pinguium et medullatorum, 367, 2. quomodo panis arctus, 419, 1. ea alimur velut pane, 443, 1. in ea instigenda mirabile Dei fuit consilium, 235, 1. ejus potentia contra dæmones, 230, 1. ejus mysterium negat Calvinus, sed ipsum contra asseritur, 194, 1, 2; 201, 2. in ea vere latet Deus, 557, 2.
- Eulaliæ (S.)** anima specie columbæ in cælum evolavit, 706, 1.
- Eunuchi infames** erant in lege veteri, 657, 1. non referantur in censum aut familias, *ibid.* iis comparatur popu-

- lus Gentilis, *ibid.* eunuchi voluntarii qui sint et spirita-
 les, iis promittitur nomen gloriosius et diuturnius, quam
 possent habere a filiis suis, 658, 1, 2.
 Eunuchus Candacis reginæ Æthiopiun conversus ad fidem
 Christi, eam per Æthiopiam sparsit, 313, 2.
 Euphemiae (S.) (e) virginis et martyris corpore copiosus
 effluxit humor rubeus, 762, 1.
 Euphrate in varios rivos deducto Babylonem occupavit
 Cyrus, 271, 2.
 Euripi fluxus et refluxus, 673, 1, 2.
 Euripides in quo a Demetrio Phalæreo reprehensus,
 150, 1, 2.
 Eurynomus quis dæmon fuerit apud Delphicos, 756, 1, 2.
 Eusebius historicus refellitur, 206, 2.
 Eusebius Pamphili in Isaiam commentatus est, 97, 1.
 Eusebius Vercellensis Episcopus quas quam patienti animo
 injurias ab hæreticis acceperit, 598, 2.
 Euthymii (S.) (e) Abbatis corpore oleum fluxit, 762, 1.
 Eutropius Ecclesiarum immunitatem infringere conatus,
 ad easdem tamen in necessitate confugere coactus est,
 708, 2.
 Evangelium est breve præceptis, amplum rebus, 249, 1.
 est ignis et gladius separans pios ab impiis, 763, 1. cur
 dicatur iudicium, 520, 1. est prophetia resignata, 56, 2.
 ei rebelles et obsistentes punit Deus, 707, 1.
 Evergistus (S.) Archiepiscopus Coloniensis per contactum
 sacrorum pulverum Thebæorum Martyrum a dolore
 capitis liberatus est, 382, 1.
 Exactorum nomine quos intelligat Isaias, 137, 2.
 Examen conscientiae ante peccatorum confessionem est
 instar iudicii privati et domestici, 537, 2. examen con-
 scientiae quotidianum commendatur, 754, 2.
 Excæcat se homo directe, Deus indirecte, 163, 1.
 Excæcatio cordis quid sit, 182, 1. est pravus affectus, in-
 deque carentia luminis, *ibid.* 2. ad eam duo requi-
 runtur, *ibid.* dupliciter contingit, *ibid.* et 183, 1.
 Excelsa quæ sint, 122, 1.
 Excidium Babylonicum typus fuit excidii mundi, ejusque
 regis diaboli, 280, 2.
 Excommunicatio leviter non est infligenda, 693, 2.
 Exempla, per quæ ostenditur quomodo Deus adsit per
 opem suis, 202, 1.
 Exstinguere vario sensu capi potest, 405, 2.
 Extendere digitum quid sit, 680, 2.
 Ezechias rex fuit Philistæis quasi basiliscus, 295, 1.
 quo anno ægrotarit, 472, 1. cur in morbum incidere
 eum Deus permiserit, 471, 1. cur ad parietem faciem
 converterit, *ibid.* cur flevit audita morte, *ibid.* cogno-
 vit diem mortis suæ, 473, 1. oculis suis vidit umbram
 in horologio Achaz reduci, *ibid.* 2. ejus carmen Eucha-
 risticum recuperata valetudine, quod publice æri inci-
 sum propositum, 477, 1. an ipse ejus auctor et libri Ju-
 dicum, et Proverbiorum Salomonis collector, *ibid.* labo-
 rabat ulcere, 483, 1. ejus sanatio miraculosa fuit, non
 ficibus attribuenda, *ibid.* ostendens thesauros suos Ba-
 byloniis, monetur ab Isaiâ iis privandus, quia peccavit
 aliqua hic vanitate et superbia, 485, 2. ejus humilitas,
ibid.
 Ezechiel fuit portentum, ubi et in quibus, 219, 2. per ho-
 minem designatur in Cherubim, 42, 2. ejus emblemata,
 80, 2. quando floruerit, 60, 1. ejus obscuritas et scripta,
 61, 1.
F.
 Faber fortunæ quisque sibi est, 750, 1, 2.
 Fabiano (S.) Pontifici insidens columba, eum pontificatu
 dignum esse prodidit, 705, 2.
 Fabula de onocentauris unde orta, 452, 1. fabulæ Rabbi-
 norum. *Vide* Rabbi.
 Facere caput Hebræis quid sit, 318, 2.
 Faciei Dei absconsio significat et reipsa adducit omne ma-
 lum et illuminatio vel ostensio vultus omne bonum,
 642, 2.
 Falces in gladios vertuntur tempore belli, 123, 2.
 Fames Jerusalem tempore obsidionis per Romanos, 133, 2;
 159, 2; 593, 1.
 Familia David tempore Christi plebeia erat, 255, 1.
 Fasciculi varii impiorum an faciendi in iudicio juxta va-
 ria scelera, 362, 1.
 Fati vi, fortuna semper agitur, 749, 2.
 Fauni in sylvis habitantes sunt dæmones, 282, 1. horum
 specie aliquando apparent dæmones, 452, 1, 2.
 Febris omnia fortia domat, 472, 1.
 Feminam humiliari dicunt Hebræi, cum cognoscitur et
 violatur, 668, 2. ejus ornamentum capillus, et dedecus
 calvitium, 139, 2. feminæ olim nomen capiebant a viro,
 146, 1. feminæ dicuntur molles et impii, 760, 2; 761, 1.
 Fermentum Phariseorum occidebat animas, 693, 1.
 Ferrandus Flander dum sibi de Gallis victoriam spondet,
 post oracula divinorum, victus Parisios abducitur,
 516, 1.
 Fervor mentis omnia superat et non deficit, 506, 1, 2.
 Festinatio capitur pro pudore et confusione, 398, 2.
 Festum cœtus quid esset apud Hebræos, 112, 2. festum ex
 festo quotidie in Ecclesia est, et præsertim Romæ
 765, 2.
 Fiacrii (S.) monasterium femina nulla immunis ingredi-
 tur, quædam id tentans a Deo punita cæcitate, 685, 1, 2.
 Ficus ulceri per se an prosint an obsint, 483, 1.
 Fideles futuri pauci tempore Antichristi, 369, 1, 2. fideles
 quomodo sacerdotes dici queant, 719, 2. olim scribe-
 bant se esse Christianos et servos Jesu Christi, 541, 2.
 comparantur nubibus ob varias causas, 704, 2. item col-
 umbis, *ibid.* fideles singuli animantur et vivunt Spiritu
 Sancto, 698, 2.
 Fidelis totus mundus divitiarum est, 670, 1. fidelis quisque
 sex alas habere debet, 170, 1, 2.
 Fides principi necessaria, 260, 2.
 Fide (in) novitii, etiam juvenes et pueri, intrepide acturi
 promittuntur cum idololatris et tyrannis, 263, 1, 2. ejus
 bona etiam politica, 683, 2.
 Filia cur dicatur Sion vel Jerusalem, 110, 1. filia Baby-
 lonis est ipsa Babylon, 568, 1.
 Filii decus sunt parentum, 590, 2. filii Orientis in Scrip-
 tura qui dicantur, 270, 2. filii spirituales Christi per-
 petuo duraturi, 637, 2.
 Fimbriæ Dei in solio sedentis quales fuerint, et quid si-
 gnificent, 168, 1.
 Flagella vitis quæ dicantur, 303, 2.
 Flagella orbis sunt tyranni, 244, 1.
 Flammescere quomodo dicantur facies, 280, 2.
 Flatus Domini ignem infernalem acuens quis sit, 423, 2.
 Flavii omnes, excisa Hierosolyma, misere perierunt, 613, 1.
 Flori comparatur vita hominis, 494, 2; 495, 1, 2.
 Fluere tria significat, 122, 1.
 Flumen aquæ vitæ quod sit, 444, 2. flumina gratiæ per
 Christum ubique fluxerunt, 420, 2.
 Fluvius cœlestis quis sit, 444, 2. fluvii impetus omnia
 sternens dici potest efficacia prædicationis Christi et
 Apostolorum, 697, 1, 2. fluvii denotant provincias adja-
 centes, 215, 2. eos adorantur Gentiles, 526, 2.
 Fœcunditas in Deo immensa et fœcundissima, 761, 1.
 Fœdus cum morte qui percutiant moraliter, 396, 2. fœdus
 novum Dei quod sit, 398, 1, 2.
 Fœdus sempiternum vocatur lex Dei, 356, 1, 2.
 Fœnora cur vocentur fasciculi, 678, 1.
 Fœnum est omnis caro, 494, 2; 495, 1, 2.
 Fontes Salvatoris quinque, 274, 2.
 Fontes adorantur Gentes, 526, 2.
 Foramen aspidis dicuntur obsessi a diabolo, 262, 2.
 Formido pro terriculamento, 360, 2.
 Fornicarii cujusdam mira conversio, 113, 1, 2.

- Fortes justitiæ qui sint, et qui tales fuerint, 719, 1.
 Fortitudo et opus quid, 119, 2. fortitudo gentium ad Ecclesiam ventura, quæ sit, 702, 2. fortitudo Sanctorum adversitasibus crescit, 365, 2. fortitudo Christiana quæ et quantæ sit, 273, 1. fortitudo pro clementia capitur, 388, 2.
 Fortunæ Germanis quis deus, 748, 2. cur eam veteres coluerint, *ibid.* et 749, 1. quæ ejus forma, *ibid.* fingebatur cæca, *ibid.* deinde muliebri forma, *ibid.* 2. rotæ insistent, *ibid.* item sine pedibus, vitrea, alata, equo velocissimo insidens, *ibid.* cornu copiæ ei additur, *ibid.* pingitur aurea, 750, 1. eam coluit mire Servius Tullius, *ibid.* ei mensa et convivium a gentibus instruebatur, 750, 1. dicitur dæmon, 751, 1. erat hæc Gentilium deus, *ibid.*
 Franciscus (S.) quomodo erga nomen Jesu et Domini afficeretur, 376, 1. audiens aliquam Dei inspirationem subsistebat, totumque se recolligebat ad eam percipiendam, 400, 2. quomodo scortum expugnavit immissum ab Imperatore, 533, 1. ardens fuit præco Evangelicus, 169, 1. per Seraphim, calculo amoris Dei accensus fuit, 179, 1. visus Innocentio III Pontifici labentem Ecclesiam suffulcire, 683, 1. fuit portentum contemptus mundi, 222, 1. videns vel nominari audiens agnum solvebatur in lacrymas, 632, 1. ejus humilitas, et quomodo per eam sit elevatus, 293, 1. ejus in parendo minoribus humilitas, 262, 1, 2.
 Franciscus Borgia (P.) inferni consideratione ad mundi despectum animabatur, 424, 2.
 Franciscus Forerius e Prophetis hausit omnem suam concionandi gratiam, 54, 1. Isaiam commentario elucidavit, 100, 1.
 Franciscus de Paula (S.) parvam ecclesiam ædificaturus, jussus est in somnis illam multo grandiore constitutere, 633, 1.
 Francisci Riberæ elogium, 61, 2.
 Francisci Vatabli Commentarium ab hæreticis depravatam, 183, 1.
 Franciscus Xaverius (S.) inter ærumnas deliciis abundabat, 251, 1. per pueros in India mira patrabat, 263, 2.
 Fratrum duorum in tormentis constantia in Africa, 561, 1, 2.
 Fredericus II Imperator quam falsus propheta et augur fuerit, 44, 1.
 Fredericus III Saxonie dux quam fuerit pacis amans, 123, 2.
 Frenum Dei est beneficentia, 575, 1. frenum dæmonis et potestatem qua peccatores regit, Deus auferet, 422, 1.
 Fructus lætificat præcones Evangelicos, 228, 1.
 Fulgentius per vim creatus est Episcopus, 292, 2.
 Fumus olim symbolum erat gloriæ Dei, 775, 2.
 Fundamenta Ecclesiæ quæ sint, 643, 2; 644, 1. fundamenta terræ sunt ipsa terra in seipsa a Deo fundata, 500, 2. fundamenta sæculorum sunt sedes cælestes, quarum ruinas implebunt eleemosynarii, 683, 2.
 Funes peccati triplices, 161, 2.
 Furor naso flammante se prodit, 131, 1.
 Furseus (S.) quos viderit ignes mundum succedentes, 601, 2.
- G.**
- Gabrielæ etymon, 236, 1.
 Gad et God erat deus Mars vel fortuna, 748, 2. variæ ejus significationes, *ibid.*
 Gades condiderunt Tyrii, 350, 1, 2. cur dicantur Gadir, id est septum, *ibid.* Gadir unde derivetur, *ibid.*
 Gainas Arianus Joanni Chrysostomo honoris causa, licet inimicus, longo itinere obviam processit, 592, 2.
 Galea Dei est salus, 696, 1. galeæ veterum cristatæ, *ibid.*
 Galilæam Gentium quomodo sit Christus prædatus, 225, 1. cur Judæis esset contemptui et parvi duceretur, 226, 2. dicta terra Chabul. *ibid.* erat duplex, 227, 1.
 Galli facile R in S commutant, 350, 2.
 Gallicani Martyris humilitas et charitas et martyrism, 483, 2.
 Gallus gallinaceus cur dicatur vir, 341, 2.
 Gannire quid sit, vulpium proprium est, etiam ad aves et homines translatum est, 245, 2.
 Gaspar Barzæus quam stupendæ per pueros Armuziæ patrarit, 263, 2.
 Gaspar Sanchez docte et eleganter in Isaiam scripsit, 100, 2.
 Gaudia virginum sunt earum proles, 660, 1, 2. gaudia impiorum de peccatis falsa sunt, 673, 2. gaudium justorum in hoc mundo est comes virtutis eorum, 608, 1, 2. gaudia et bona cælestia Beatorum describuntur, 370, 1, 2; 371, 1, 2; 457, 2. ea quanta sint, *ibid.*
 Gedeon fuit typus Christi, 229, 1, 2 et seq.
 Gehenna scintilla est libido, ira, ambitio, 601, 1, 2. gehenna an creata a Deo die secundo mundi, 423, 1. sex ejus proprietates, *ibid.* et 2.
 Gemmas de naso gestant Indi, 140, 2.
 Generatio Christi enarrari non potest, 634, 2. comparatur rori ob multas analogias, 551, 2; 552, 1, 2.
 Gens linæ quæ dicitur, 312, 1, 2.
 Gentes sub Christo sapere incoeperunt, 430, 1. cur videntur dispersio, 662, 1, 2. earum vesana in efformandis et fabricandis diis superstitio, 662, 1, 2. etiam vitia morbosque in deos retulerunt, *ibid.* earum adolescentia quando fuerit, 641, 2. quæ confusio et viduitas, *ibid.* fuere victimæ Ecclesiæ, et Deo gratissimæ, 533, 2. peregrini vocantur, 706, 2. adorarunt et sacrificarunt montibus, fontibus, fluviis, 526, 2. audita tuba Evangelii quomodo fugerint, 738, 1. visa Christianorum sanctitate obstupescunt, 557, 1. auditis mirabilibus victoriis Hebræorum agnoverunt Dei potentiam, eumque timuerunt, 512, 1. idola sua quomodo contra Deum tuerentur, *ibid.* 2. erant cæcæ et surdæ ante Christum, post ejus adventum et videre et audire cæperunt, 456, 1. item claudæ et mutæ, sed eo veniente salient et loquentur, *ibid.* 2. Judæos et judaismum irridebant, 410, 1, 2. earum conversio prædicitur, 409, 1. fabricando et colendo simulacra lignea et lapidea colebant idola, non Deum, sed Deum iis similem faciebant, 500, 1. pacifice vivent gentes barbaræ in Ecclesia cum simplicibus Christianis, 261, 2; 262, 1. earum Prophetæ quales essent, 50, 2.
 Gentium Galilæa quæ proprie sit, 227, 1.
 Gentilitas quomodo floritura sit tempore Christi, 455, 1, 2. gentilitas sterilis quam præclaros fructus virtutum dederit, et etiam hodie det, 514, 1, 2.
 Genua labantia signum sunt pusillanimitatis et pavoris, quæ ejus rei causa, *ibid.*
 Geometria apud Ægyptios orta ob Nili incrementa, 312, 2; 313, 1.
 Gerardi (S.) corpus translatum humeris Ladislai regis Hungariæ, 267, 1.
 Gerasimi Abbatis leo quam fuerit gratus, 106, 2.
 Germani Constantinopolitani Episcopi libertas in carpando Leone Isauro, 111, 2.
 Germani prisci uxori ducendæ mittebant dotis nomine boves junctos, equum frenatum et scutum cum gladio, et quid his designarent, 435, 1.
 Germaniæ civitates pleræque juxta monasteria conditæ, 710, 2. erat ante Christianismum inculta, 683, 1.
 Germani Judææ Christus quam gloriosum, 146, 1, 2.
 Gigantes cur dicantur morientes, 379, 1. etiam a Gentibus habebantur ut contemptores deorum, *ibid.*
 Gith quod seminis sit genus, 401, 1, 2.
 Glacies filia maris et aquæ est, 350, 1.
 Gladius Dei quomodo sit inebriatus in cælo, 450, 1. gla-

dius verbi Dei et prædicationis, 532, 2. gladius Christum judicem decet, 260, 2.
 Glires Romanis in deliciis ad cibum, 764, 1. glis symbolum est acedi et obesi, *ibid.*
 Gloria competit soli Deo, 524, 1, 2. gloria Libani sunt arbores in ea crescentes, 707, 2. gloria Christi ex operibus, 147, 1. quæ ejus sit gloria post mortem, 275, 2. gloria Domini quomodo plena sit terra, 174, 2. gloria Domini est Verbum caro factum, 303, 2. gloria Domini Christi denotatur adventus, 493, 2. item Dei misericordia et peccatorum condonatio, *ibid.* gloria Israel erat arca, 149, 2. gloria templorum Christianorum, 704, 1, 2. gloria mundi brevis est, 149, 2. gloriæ celestis proprietates et bona, 434, 2.
 Glyceriæ martyris corpus exstillat humorem instar sanguinis, 762, 1.
 Gnoma de consolatione spirituali, 250, 2; 251, 1, 2 et seqq. de tribulatione, 332, 2. de liberalitate principum, 431, 2. de principis in subditos amore, 429, 2; 430, 1. de silentio, 215, 2; 417, 1, 2. de superfluo ornatu corporis, 142, 1, 2. et seqq. de pace, 125, 1, 2 et seqq. de clementia principum, 717, 2. de divitiis, 156, 2; 157, 1, 2 et seqq. de beneficentia et clementia hominum, 192, 1, 2. de Dei jugi memoria, 565, 2. de prudentia Rectorum, 134, 2; 257, 2.
 Gobrias et Gedata Chaldæi ad Cyrum transfugientes primi in Babylonem irruerunt, 328, 1.
 Godefridus Bullonius prælata in bello lancea, qua Christi latus perforatum fuit, victoriam insignem de Turcis retulit, 709, 2.
 Gradus in templis priscis Romanis eür videantur, 268, 1.
 Græci lumen inferentes solebant bene apprecari, 701, 1.
 Gratia naturam superat, 503, 2. gratiam Dei humana fragilitas non exæquat, 401, 2. gratia Spiritus Sancti designatur per calculum Isaïæ, 178; 2. gratiæ spiritus ex parte Dei est æternus, et cum justo manet in sempiternum, nisi ipse sponte eum excutiat, 698, 1, 2. gratia Dei quo prætio ematur, 649, 2.
 Gratis se anima peccato vendit, et gratis a Deo redimitur, 616, 1.
 Gravis pro multo per enallagen accipitur, 461, 1.
 Gregorio (S.) Agrigentino in Episcopum consecrando columba insedit, 705, 2.
 Gregorio Magno libros scribenti insidere visus Spiritus Sanctus in specie colubina; 705, 2. in Ezechielè magnam reperit difficultatem, 61, 1. *Moralia* sua ubi laterent, apprensens Tajoni Archiepiscopo revelavit, 746, 1. ejus animi excelsitas, 687, 2. pontificatum fugit, 292, 2. in Angliam pergens locustam obviam habens, inde ominatus est esse sibi eo loco standum, et Romam redeundum, 501, 2.
 Gregorius Nazianzenus pacis et concordiae fuit amans, 64, 2. ejus in inimicum clementia, 192, 2. quomodo ad solitudinem aspiravit, 492, 1. silentium ejus, 416, 2.
 Gregorius Turonensis e sacra Scriptura didicif infelicem sortem Lendastis, 224, 1.
 Guardiani Franciscanorum Cantuariensium in morte quam pro fide Catholica obibat, exsultatio, 634, 1.
 Guisla monialis Marciniacensis quam fuerit claustrum tenax, illius fide incendium, quod monasterium occuparat, restinctum, 684, 2.
 Gulæ stupor et mala, 339, 2; 340, 1. quomodo a Deo punita, *ibid.*
 Gulonum exempla, 394, 2.
 Gulositas et ingluvies convivorum carpitur, *ibid.*

II.

Habacuc quando floruerit, 59, 2. quid scribat, *ibid.*
 Habonarum laxatio signum est Dei irati, 575, 1, 2.

Habet Deum Episcopus ore obturato quomodo loqueretur, 560, 2.
 Habitum et vestem duram carpunt hæretici, 323, 2.
 Hæreditas Jacob; quæ Deum colentibus præmittitur, 688, 1, 2.
 Hæresiarchæ multi Prophetæ nomen affectarunt, 323, 2.
 Hæretici argentum sunt adulteratum, 115, 2. ebs occidere licet, 264, 1. novi sunt, 566, 1. lenitate exasperantur, asperitate edomantur, 377, 1. quia non mittuntur, apostoli sunt cacodæmonis, 181, 2. eorum Ecclesia navi assimilatur, 445, 2. telas aranearum texunt, 692, 1. apud eos non est vera justitia, 115, 1, 2. hæretici Isaïæ interpretes, 100, 2. hæretici multi nostri temporis in virginitatem Deiparæ injurii, 193, 1.
 Haimo Isaïam commentario illustravit; videtur Hieronymi abbreviator, 99, 1.
 Halitus Dei indignantis vehemens, 421, 2.
 Hanno vox unde formetur, 350, 2.
 Harmonia celestis, 502, 1, 2.
 Harpocrates cultus a Græcis in effigie viri labia comprimantis, 417, 1.
 Hebræi sæpe mutant tempora, 70, 1; 482, 1. sæpe subterfunt suppositum verbi, illudque ex circumstantiis supplendum relinquunt, 71, 1, 2. In præpositio iis generalis est, et pene sola frequens, 72, 2. sæpe notas similitudinis omittunt, *ibid.* aliquando sumunt nomina ut propria, et simul ut appellativa, 74, 1. nomina abstracta sæpe ponunt pro concretis, 77, 2; 511, 1. relativum sæpe referunt non ad id quod expressum est, sed ad id quod quis tacite secum cogitat, 79, 1, 2. honestis verbis rem inhonestam declarant, 461, 2. librum inchoant ab *et*, 121, 1. in juramento subterfunt notam imprecatoriam, 156, 1, 2. per mel omnia dulcia designant, 202, 2. nomine pacis omne bonum designant, 236, 2. viros numeri vocant paucos, 247, 1. iis familiaris est enallage casuum, modorum ac temporum, 264, 1, 2. cum careant casibus, idem nomen usurpant pro quolibet casu, 301, 2; 422, 1. pro pronomine demonstrativo ponunt nomen antecedens, 311, 2. sæpe latenter commutant personas, 370, 1. verbis dant faciem per prosopopœiam, 464, 1. cum omnia significare volunt in aliquo genere, jungunt genus femininum cum masculino, 79, 2; 481, 2. Ob pulchritudinem eloquii pro concionator, dicunt in feminino concionatrix, 495, 2; 496, 1. principes cur vocent judices, 501, 2. eorum formula benedicendi Deum, 503, 1. argumenta vocant ossa, 514, 2. menses habebant lunares ab uno novilunio ad aliud, 571, 2. futurum ipsis consuetudinem significat, 671, 2. in luctu caput inspergebant cinere, in lætitia coronis redimebant, 718, 1. verba contactus tam corporalis quam spiritualis construunt cum *in* et ablativo, 760, 1. novilunium cur celebrarent, 766, 2.
 Hebræi cujusdam pseudoprophetæ nequitia et nex, 44, 1.
 Hector Pintus succulente in Isalam scripsit, 100, 1.
 Hedwigis (S.) quomodo sacerdotes et Pontificem honoravit, 592, 1. ejus corpus purum liquorem emittit, 762, 1.
 Heliogabalus inde dictus quod sol esse et vocari vellet, 289, 2.
 Heliopolis Ægypti civitas, ejus situs, 320, 1. in ea vigeat cultus Solis, *ibid.* maxime initio restitit Evangelio, sed postea Christo cedens mire ei fuit addicta, *ibid.*
 Hemistichium posterius in Psalmis pene semper explicat prius, 123, 1.
 Henoeh fuit propheta, 43, 1.
 Henricus rex Danorum a S. Ansgario Christo assertus, 707, 1.
 Heraclitus quo adagio hydropem significavit, 313, 1. ejus mors sub fimo boum, *ibid.*
 Heraclitus Africæ prætor, post Imperator, Phocam Imperatorem imperio vitæque privat, 340, 1. ejus victoriæ de Persis, cum esset Catholicus; at, cum Monothelitas secutus est, omnia illi infeliciter acciderunt, 709, 2.

- Herbipolis** quam vino abundet, 153, 1.
Herbipolensium mulierum in vestibus simplicitas, 145, 2.
Herodés Ascalonita misere mortuus, 205, 2: quomodo dicitur rex Samariæ, *ibid.* ejus crudelitas, *ibid.* et 206, 1. mortuus est morbo pediculari, *ibid.* ejus prodromus fuit Phæce, 206, 1. utriusque proprietates, *ibid.*
Herodotus tradit milites Sennacherib a muribus fuisse extinctos, 322, 1, 2.
Heroes veterum crediti a suis inter deos relati, 289, 1, 2.
Hesperus quæ stella, cujus rei symbolum 287, 1, 2. fuit hæc culta a Saracenis, *ibid.* et 288, 1.
Hieronymi (S.) versio Bibliorum ab Ecclesia communiter recepta, 115, 2. ejus elogium, 62, 1. in ejus commentariis duo observanda, *ibid.* immortalus est commentario in Jeremiam, *ibid.*
Hieronymi Prado in Ezechielem commentarii sumptu regio excusi, 61, 2.
Hieronymus Osorius paraphrasin in Isaiam edidit, 160, 1.
Hilarioni (S.) quam varia specie diabolus se spectandum dederit, 385, 1, 2. cognoscebat ex solo odore, an quis esset in gratia Dei, 259, 1.
Hilarius (S.) quo nomine vocarit Constantium Imperatorem, 111, 2.
Hildefonsus (S.) Toletanus veste a B. Virgine donatur ob assertam scripto perpetuam ejus virginitatem, 195, 1.
Hilla Anabaptistica quam fanatico spiritu acta, 44, 2.
Hirundinum pulli garruli et queruli, 480, 1.
Hirundines garrientes ad S. Francisci verbum quiescunt, 416, 2.
Holofernes blasphemus quam graves Deo pœnas dederit, 465, 1. temulentus a Judith capite truncatus est, 339, 2.
Homeritæ Martyres in Arabia, 525, 2.
Homo multa potest in iis ad quæ quasi instrumentum a Deo mittitur, ulteriora vero tentans frustra laborat, 345, 2. comparatur locustis ob 12 analogias, 501, 1, 2. est stilla situla, 498, 2. est merum nihil, *ibid.* folium est a vento raptum, 742, 1, 2. Dei ludicrum, 542, 1. homo designat plebeios, vir nobiles, cum simul ponuntur, 160, 1. homo in se continet omnia animalia, 536, 1. ejus vilitas, 494, 2. homines quomodo ab aliis judicandi secundum Platonicos, 259, 2.
Honor cito perit, 291, 2.
Honorii Imperatoris Catholici victoriæ de Gothis, 709, 2.
Horæ etymon unde deducatur, 472, 1.
Horologium primum schiaticum quod fuerit, in eo Plinii error, 472, 1. Latini serius iis uti cœpere, *ibid.* horologii origo, *ibid.* an in horologio Achaz sol retrocesserit cum sua umbra, an vero solum umbra, *ibid.* et seqq. an decem gradus quibus retrocessit, sint decem horæ, 474, 2. dies illa quot horarum fuerit, 475, 1. quota diei hora sol regredi cœperit, *ibid.* 2. quale horologium hoc fuerit, *ibid.* an tunc quoque cœli omnes retrocesserint, 476, 1. cur sol retrocesserit, *ibid.* et 2. quid hoc miraculo edocere Deus voluerit, *ibid.* moraliter, tropologice, anagogice, et allégorice quid eo denotetur, *ibid.*
Hortis (in) exercebant Judæi luxuriam, 763, 1. colebant Priapum, 119, 2.
Horti pensiles Babylonis orbis fuerunt miraculum; lique describuntur, 279, 2.
Horus idem quod sol, 473, 1.
Hostia piacularis fuit hircus emissarius et M. Curtius, 533, 1, 2. hostia quæ pro peccato offerèbatur; suscipiebat in se quasi peccatum, 637, 2.
Hostis quid olim proprie significarit, et quid modo sonet, 450, 1.
Humanitas Christi ejus est vestis, 168, 1, 2.
Humanum genus cur dicatur Justum, 593, 2.
Humérus obedientiæ symbolum, 232, 1, 2.
Humiliare animam est jejunare, cur, 676, 1.
Humiliati exaltabuntur, 359, 1.
Humilitatis fructus varii, 292, 1, 2. est via ad Deum, 293, 1. ipsa propria Sanctorum virtus est et sanctitatis nota, 291, 2. hominem attollit, superbia deprimit, 292, 1, 2. est thronus Dei, 759, 1.
Humiles Deus ad cœlum usque extollit, 671, 1. videntur mortificati, et mortui voluptatibus hujus sæculi, *ibid.* sunt templum Dei, 758, 2. humilis est quasi alter Michael, 293, 1.
Humilis de seipso cogitatio quantum homini bonum afferat, 494, 1.
Hun Britonum rex Romæ pie peregrinatus est, 766, 1.
Hunerici regis ariani Catholicos exagitantis pœna et interitus, 593, 2.
Hungari Bremensem Ecclesiam vastantes quam graviter a Deo puniti, 594, 1, 2.
Hungariæ pars tertia ad sacerdotes spectat, 710, 2.
Hyanthinus color fuit olim impudicarum, modo est conjugatarum, 141, 1.
Hymni tres laudis SS. Trinitatis, 173, 2; 174, 1, 2; 175, 1, 2.
Hymnus trisagius unde originem habeat, 173, 1, 2.
Hypocritica pietas, 676, 1, 2.

fidelibus adæquantur Deo, *ibid.* et 2. eas per Prophetas non carpit Deus, nec prohibet, *ibid.* imagines Sanctorum, et etiam Dei facere fas est, 565, 1.
 Immunda tangentes, in lege veteri habebantur immundi, 619, 2.
 Imperatores Ecclesiam persequentes initio, postea ad eam conversi, magis eam propagarunt, 590, i, 2.
 Impietas mira Hierosolymæ, 410, 2. impietas Israelis comparatur igni immisso, 240, 2. impietatis quinque gradus, 407, 2.
 Impios Christus quomodo det pro sepultura, et divitem pro morte sua, 636, 1, 2. impii antea a se invicem dissidentes, postea conspiratione simul facta justos oppugnant, 244, 2. trahunt funes peccatorum, 160, 2; 161, 1. sunt sine pace animi, 579, 2. gaudent videri ab aliis in sua impietate, 571, 1. impii et superbi cum piis pacifice vivent in Christi Ecclesia, 260, 1, 2. impii et insipientes sæculi hujus Deum esse negant, 408, 2. a sua conscientia, velut a carnifice, et furis nocte dieque torquentur, idque probant fabulæ Poetarum, 769, 1. eorum societas noxia, 177, 2.
 Inaures proprie quid sint, et cur primo adhibitæ, 140, 2.
 Incarnatio Christi ostenditur, 436, 1. ejus mysterium et Eucharistia inter se comparantur, 204, 2.
 Incendium peccatorum quale futurum in die judicii, 246, 2.
 Incensum sunt victimæ incensæ, 112, 2.
 Incircumcisus et immundus quid mystice et symbolice significant, 615, 1, 2.
 Incogitantia numinis est origo omnium scelerum, 570, 1.
 Inconstantes, sunt labruscæ, 153, 2.
 Incurvans apud Isaiam quid sit, 239, 1, 2.
 Indiæ per Christianismum multa bona accessere, 683, 2. fit terra cymbali alarum, 310, 2; 311, 1, 2. India Occidentalis an olim Hispaniæ conjuncta, 312, 1.
 Infans dierum quis dicatur litteraliter et mystice, 753, 1, 2.
 Inferni anima est sinus, 159, 2. infernus est sepulcrum, 159, 2. vel os, *ibid.* infernus quoto die mundi creatus, 423, 1. ejus capacitas, profunditas, insatiabilitas describitur, *ibid.* et 2. ejus nutrimentum quod sit, *ibid.* ejus descriptio, *ibid.* et 424, 1, 2.
 Infernales vermes esse probatur, 767, 2; 768, 1, 2.
 Infirmitas docet hominem orare, 669, 2.
 Ingratitudinem (ob) venialem Deus sinit hominem labi in peccatum mortale, 736, 2.
 Ingratitudo populi Judaici suggillatur, 405, 1, 2.
 Inimici diligendi, 639, 1, 2.
 Injuria interdum capitur pro superbia, 393, 1. injurias ulciscendas, dogma est Gentilium, 638, 1.
 Innocentius quidam hospitalis miraculose a vulnere curatus, 302, 2.
 Instrumentis et flagellis suis postquam est usus Deus ad impios castigandos ipsamet punit, 556, 2.
 Insulæ maris, quæ dicantur, 269, 2. insulæ quomodo impleant mare, 524, 2. insulæ Hebræis vocantur omnes regiones trans mare sitæ, etiamsi essent terra continens, 499, 1; 510, 1.
 Interpres Latinus Bibliorum cur sæpe nomina propria decurtet, 187, 1. sæpe alludit ad fabulas Poetarum, 452, 1.
 Interpretes Prophetarum veteres ac recentiores, 61, 2; 62, 1, 2. interpretum in Prophetis genus aliud Judaicum, aliud allegoricum, aliud medium, 641, 2.
 Involare in humeros hostiles est militum acerrimorum, 270, 1, 2.
 Irati Dei hypotyposis, 421, 2.
 Irreverentia in sepulcra Sanctorum irrogata, quam graviter punita, 268, 1, 2.
 Irrisio regis Chaldæorum ab aliis apud inferos, 285, 2.
 Isaac patriarcha fuit propheta, 43, 2.
 Isaias propheta leoni assimilatur, 45, 1, 2. ab Ambrosio Augustino commendatus, ut eum legeret, 61, 1. ejus elogium, 58, 2; 59, 1. ejus scribendi ratio excutitur, *ibid.*

fuit filius Amos, 93, 1. ejus stirps regia, *ibid.* quando floruerit, *ibid.* fuit conjugatus et habuit filium Jasub, *ibid.* 2; 187, 2. ejus præcellentia unde pateat, 93, 2. est a Deo creatus propheta, *ibid.* a Seraphim factus est Seraphicus, *ibid.* est eloquentissimus, 93, 2. est sublimissimus, *ibid.* ejus prophetia est quasi Evangelium, 94, 1. sæpius in novo Testamento citatur, quam reliqui omnes Prophetæ simul, *ibid.* prædixit ultima Christi et mundi tempora, *ibid.* sua oracula miraculis confirmavit, *ibid.* fuit Apostolus, *ibid.* 2. plurimis annis prophetavit, *ibid.* fuit vita sanctus, *ibid.* 2. fuit martyr sectus æra, *ibid.* 2 et 95, 1. et quidem lignea, *ibid.* morte sua Christum præfiguravit, uti et nomine, 95, 1, 2. duplex causa ejus martyrii, *ibid.* an impetravit precibus fontem Siloe, 96, 1. ejus reliquiæ translatae Paneadem, *ibid.* operis ejus argumentum, *ibid.* ejus libri duæ sunt partes, *ibid.* ejus stylus, *ibid.* alia ejus scripta, 97, 1. integritas vaticiniorum Isaia, 97-99. *Annota.* ejus varii commentatores, 99, 100. cur et quomodo viderit Deum in solio sedentem, 165, 2. vidit eum trinum, *ibid.* 166, 1, 2. et quidem in templo cælesti, 167, 2. vidit tantum duos Seraphim, 171, 2. cur taceat auditis Seraphinis, 176, 1. tacet ob peccatum suum, *ibid.* 2. quodnam hoc ejus peccatum, *ibid.* fuit id veniale, *ibid.* carbone simul et gemma labia ejus ab angelo sunt purgata, 178, 2; 177, 1. cur hoc calculo ea purgata sint, 178, 2. ejus prima visio quæ fuerit, 179, 1. in visione Seraphim fuit compunctus, ut a peccato purgaretur, 180, 1. ejus in jussis Dei parendo promptitudo, 181, 1, 2. prophetavit etiam sub Joatham rege, 186, 1, 2. vidit mentaliter librum in quo visus sibi scribere, et testes adhibuit suæ descriptionis, 210, 1, 2. fuit orbis portentum, 219, 1, 2. an plane nudus per plateas Jerusalem incesserit, 323, 2. probabile quod sic, *ibid.* probatur id variis rationibus, *ibid.* et seqq. ideo caruit hic subligaculis, 324, 1. fecit hoc Dei jussu, et ideo non peccavit, *ibid.* ejus obedientia et mortificatio, *ibid.* 2. cur sic nudus incesserit, *ibid.* an triennio sic ambularit, 325, 1. ambulavit quoque nudipes et disalceatus, *ibid.* et 2. in multis cum Apocalypsi Joannis coincidit, 362, 2. an auctor sit cantici Ezechia, 477, 1. prophetat 210 annis ante de Cyro, 547, 1. ardenti voto optat Messia adventum, 551, 1. ejus zelus animarum, 589, 2. de Christo tam clare scribit, ut Evangelista, 597, 2; 598, 1; 623, 1, 2 et seqq.

Isaias Abbas quomodo de inferno meditaretur, 442, 1.
 Israel est a Deo ab utero electus, 540, 1. cur dicatur *tescuro*, *ibid.* fuit Deo primogenitus, *ibid.* Israel interdum capitur pro Israele spirituali, id est conversis gentibus, 238, 1. Israelem quomodo Isaias coarguat, 407, 2. Israelis seditiones, 241, 1, 2.

J.

Jacob fuit propheta, 43, 2. Jacob capitur interdum pro populo christiano, 539, 2.
 Januam (post) cur veteres idololatriam exercebant, 764, 1.
 Januarii (S.) sanguis occulta vi ebullit, dum prope caput ipsius Sancti collocatur, 762, 1.
 Japonæ suam sapientiam et religionem accepere, 588, 2. eorum in fide zelus et martyria, *ibid.*
 Jaspides faciunt propugnacula Ecclesiæ, 644, 2. earum varia genera, *ibid.*
 Jazer ultima civitas Moab juxta Jordanem, 303, 2.
 Jejunantes olim partim ex debilitate, partim ex penitentia demittentes capita, curvi incedebant, 677, 2.
 Jejunium quale Deo displiceat, 112, 2. ejus finis, fructus et effectus, 676 et seqq. veteres ei addebant cilicium et cinerem, 676, 1. quod jejunium carpatur, *ibid.* jejunium in cholericis acuit bilem, *ibid.* jejunium tam a vitiiis quam a cibis sit oportet, *ibid.* 2. ejus finis, *ibid.* jejunium corporis condiendum jejunio animæ, *ibid.* dies

jejunii erat olim dies precum, 677, 1. jejunabant olim ad
 vesperam, *ibid.* languidis vertiginem capitis inducit,
ibid. 2. jejunii conditiones, *ibid.* et 678, 1, 2.
 Jejunus stomachus male olet, 141, 1.
 Jeremias qua ætate floruerit, 59, 2. ejus elogium, *ibid.* et
 60, 1. fuit figura Christi, quomodo omnes ad pœnitentiam
 invitet, *ibid.* bovi confertur, 42, 2. fuit portentum,
 219, 1, 2.
 Jerusalem cœlestis describitur, 712, 1, 2. Jerusalem olim
 mira impietas, 110, 2. vocatur meretrix, 115, 1. quomodo
 vocanda sit civitas justis, 118, 2. vocatur Libanus ob tres
 analogias, 129, 1. cur vocetur mons pinguis et oleatus,
 152, 1, 2. ejus fames in obsidione Titi, 159, 1. laborabat
 penuria aquarum, 187, 1; 338, 2. cur dicta vallis visio-
 nis, 336, 1. fuit nutrix et parens omnium Prophetarum,
ibid. excidium ejus per Chaldæos, *ibid.* cur vocetur
 Ariel, id est leo Dei, 403, 1, 2. ejus fortitudo, 404, 1.
 ejus vastitas diu duravit, 404, 2. ejus excidii per Titum
 prodigia præambula, 406, 2. ejus restauratio spiritualis
 quæ fuerit, 612, 2; 613, 1. ejus filii seditiosi eam con-
 fecerunt, 611, 2. dicta est civitas Dei, 615, 1. sæpe vo-
 catur vinea, 683, 2.
 Jesu nomen quam admirabile, 232, 2; 233, 1, 2.
 Jesus Anani filius quadriennio obambulans per plateas
 Jerusalem ei exitium imminere clamavit, 760, 1. non
 fuit propheta, 134, 1.
 Jesus Christus præsignificatus a Prophetis, 56, 1, 2; 57, 1.
 cur, *ibid.* Prophetarum scopus et suspirium, 67, 2; 68, 1.
 ab iis cur ut duellator inducatur, 69, 2. eum venerati
 in præsepio bos et asinus, 106, 1; 107, 2. antonomastice
 dicitur Justus et Sanctus sanctorum, 118, 2. ejus re-
 demptio vocatur justitia ob quatuor causas, 119, 1. per-
 fecte redimet Ecclesiam ab omni malo culpæ et pœnæ,
 119, 1. ejus tempus cur dicatur novissimum, 121, 1.
 dicitur mons, *ibid.* 2. gentium dissidia componit, 123, 2.
 quomodo gladios vertit in falces, *ibid.* et 124, 1. quo-
 modo sustulit omnia bella, *ibid.* et quæ bella, *ibid.* 2.
 qua Deus, est celsitudo divina, 131, 2. est germen Ju-
 dææ, 146, 1, 2. ejus gloria tempore excidii Judæorum,
ibid. suis ingens affert gaudium ex pace conscientiæ,
 147, 1. nobis est omnia, 148, 2. Ecclesiæ quasi sponsæ
 suæ umbella est, 149, 2. dicitur ab Isaia patruelis et
 dilectus, 151, 1, 2. est semen sanctum, 184, 1, 2. tunc
 in mundo natus cum esset corruptissimus, 192, 1. cur
 ex virgine nasci voluerit, 195, 1, 2. cur dictus Emma-
 nuel, 197, 2. in eo fuere triplices actiones, divinæ, hu-
 manæ et theandricæ, 201, 2. in quibus esset subditus
 Deo Patri, *ibid.* quintupliciter est Emmanuel, *ibid.* et
 202, 1. butyrum et mel quomodo comesturus dicitur,
ibid. et 2. nulli fuit morbo obnoxius, *ibid.* ab hora con-
 ceptionis instillata ei omnis dulcedo gratiæ, 203, 2. quo-
 modo ovis sit, *ibid.* est apis, *ibid.* habuit ab initio suæ
 incarnationis actum rationis et voluntatis, 204, 2. inha-
 bitavit in eo tunc plenitudo divinitatis, *ibid.* item du-
 plex scientia, beatifica scilicet et infusa, *ibid.* et 265, 1.
 nec non alia acquisita, *ibid.* quamdiu vescetur lacte et
 butyro, *ibid.* sprevit voluptatem omnem, *ibid.* ipse agnus
 adhuc leonem et ursum occidit, 206, 1, 2. cur ab Isaia
 vocetur duobus nominibus idem significantibus, 212, 2.
 ejus accelerata prædatio, *ibid.* ejus prædæ quinque,
 213, 1, 2. quomodo vere fuerit filius Joseph, 214, 1.
 quomodo dicatur rex Assyriorum, *ibid.* et 2. mundum
 et mundana devicit adhuc puer, *ibid.* cur comparetur
 aquis Siloe, 215, 1, 2. ejus silentium, *ibid.* dedit Apo-
 stolis clavem sacræ Scripturæ, 218, 1. ejus filii fuere
 Apostoli, *ibid.* 2. visus fuit portentum, 219, 1. quomodo
 terram Zabulon et Nephtali primo alleviavit, 225, 2;
 226, 1. Galilæam Gentium quomodo prædatus, 226, 1.
 cur dictus a Juliano Apostata per contemptum Galilæus,
ibid. 2. ejus victoria de diabolo et mundo comparatur
 victoriæ Gedeonis de Madianitis, 229, 1. utriusque simi-

litudines et parallela, *ibid.* et seqq. ipse puer quomodo
 natus et datus, 231, 2. ejus nascentis humiliatio, *ibid.*
 dum nasceretur erat princeps, 232, 1. quomodo princi-
 patus ejus super humerum ejus, *ibid.* et 2. per spinas
 adeptus est imperium, *ibid.* Catharinæ Senensi duas
 obtulit coronas, *ibid.* cur dicatur admirabilis, 233, 1, 2.
 ejus nativitas maxime fuit admirabilis, *ibid.* dicitur con-
 siliarius, et magni consilii angelus, 234, 1, 2. factus
 est homo ut daret in se exercitium omnium virtutum,
ibid. quæ consilia proposuerit animæ rationali, 235, 1, 2.
 ad eum in rebus dubiis et perplexis confugiendum est,
ibid. est vere Deus, 235, 2; 236, 1. fuit fortis, *ibid.*
 quomodo sit pater futuri sæculi, 236, 1. ejus et Adami
 antitheses, *ibid.* est princeps pacis, *ibid.* 2. spirituale ejus
 in anima regnum, 237, 1, 2. ejus solium in Ecclesia
 Christiana, *ibid.* regnum ejus cur dicatur solium Da-
 vid, quando id cœperit, et quo titulo, *ibid.* quomodo
 genus humanum zelatus sit, *ibid.* 2. eum Isaïas dat suis
 quasi signum vastationis Syriæ et Samariæ, 238, 1. ejus
 oleum et unctio, 250, 2. ejus victoria de inimicis in-
 ferni prædicatur, 253, 1, 2. est ramusculus tener et quo-
 modo excreverit, 255, 1, 2. est flos, *ibid.* dicitur Naza-
 renus et quasi floridus, cur, *ibid.* dici quoque possit
 virga, *ibid.* 1. cur dicatur surgere de stirpe Jessæ, *ibid.* 2.
 quomodo super eum dicatur requiescere spiritus Do-
 mini, 256, 1, 2. timor Dei quomodo in eo fuerit, et
 unde oriretur, 259, 1. fuit in eo timor filialis et re-
 verentialis, *ibid.* quomodo non secundum visionem
 oculorum judicaturus sit, *ibid.* 2. judicabit in justitia
 pauperes, *ibid.* 2, et 260, 1. suos defendet contra duros
 et superbos, *ibid.* quam acriter Pharissæos increpaverit,
ibid. impium quomodo interficiat spiritu laborum, et
 in primis Antichristum, *ibid.* eum ceu zona cingebat
 justitia et fides, 260, 1, 2. eum decet gladius, *ibid.* sub
 eo habitabit simul lupus cum agno, 261, 1, 2. adhuc
 puer multos et varios Evangelio suo subjicere cœpit,
 262, 1, 2. levaturus dicitur vexillum, ad quod omnes
 gentes confluent, 264, 2. ejus post mortem gloria, 265, 1.
 ejus item sepulcrum gloriosum, *ibid.* 2, et 636, 1, 2. in
 cruce tormenta patiundo, maxime glorificavit Deum,
 273, 2. est laus nostra active et passive, 274, 1. ejus
 fontes et aquæ variæ, *ibid.* et 2. ejus animæ ad inferos
 descendenti an insultarint dæmones, 286, 1. honores fugit,
 292, 1, 2. est quasi serpens alatus, 295, 2. dicitur
 agnus Moab, quia ex Ruth Moabitide prognatus, 301, 1.
 quomodo dicatur remissus de Petra Moab, *ibid.* et 2.
 ejus corpus est nubes levis, 316, 1. nudus prorsus in
 cruce pependit, et cur, 324, 1. ejus typus est Eliacim
 præpositus templi, 343, 1, 2. ejus caro in Eucharistia
 propter unionem hypostaticam cum Verbo habet vim
 physicam vel moralem vivificandi, 367, 2. ipse est mu-
 rus et antemurale nostrum, 374, 1. quibus modis mu-
 rus sit, *ibid.* et 2. curat nos ab omni infirmitate, *ibid.*
 dirigit rectam intentionem ad Deum et salutem, *ibid.*
 est excitamentum humilitatis et spei, *ibid.* est magnus
 ad devotionem stimulus, *ibid.* gratitudinem nos docet,
 quam ei ob beneficia accepta debemus, *ibid.* provocat
 ad obedientiam, *ibid.* invitat nos ad in omni necessitate
 sanctum suum nomen invocandum, *ibid.* ejus nomen
 omnem docet perfectionem, *ibid.* est lapis angularis et
 fundamentum Ecclesiæ, 398, 1, 2. vocatur sanctus Jacob,
 et Deus Israel, 409, 2. est perpetuus fidelium doctor,
 419, 2. est panis arctus, 419, 1, 2. dat fidelibus migma,
 id est doctrinam ex utroque Testamento collectam,
 420, 1. est migma quoque in Venerabili Eucharistia,
ibid. ejus principatus, felicitas, dignitas, beatitudo in-
 dicatur, 429, 1, 2 et seqq. ejus liberalitas, 431, 2. ejus
 descensus et ascensus decem lineis quomodo factus,
 476, 2. dicitur habitator quietis, quia pacificus rex,
 478, 1. est nobis Noe, id est consolator, tripliciter, 486, 1.
 quomodo nos a servitute liberavit, tam spirituali quam

temporali, 489, 1. quantum ipse pro nobis satisfecerit, *ibid.* 2. vere Deus est, 496, 2. quotuplicem sibi mercedem a Patre promissam semper prae oculis habuerit, *ibid.* ejus in oves amor, 497, 1. depingitur a priscis instar pastoris ovem humeris gestantis, *ibid.* ejus corpus non est ubique, 498, 1. servus est Dei quatenus formam cervi assumpsit, factus homo, 519, 1; 534, 2. erit novus justitiæ doctor, 520, 1. est legislator potius quam Moses, *ibid.* jus etiam modo dicit per suos vicarios, *ibid.* prædicatur futurus mansuetissimus, 520, 2; 521, 1, 2. non est tristis neque turbulentus, sed passionum suarum Dominus, 522, 1. quibus armis regnum legemque suam in mundum induxerit, 523, 1. fuit datus Judæis in fœdus, Gentibus in lucem, *ibid.* 2. mentis oculos aperuit occæcatos, 524, 1. ejus victoria de Gentibus per Evangelium, 525, 2. ejus redemptio tribuitur Dei et Christi zelo, 525, 1, 2. ejus typus Cyrus, 545, 1, 2; 550, 1. qua homo, fuit germen cæli et terræ, 551, 2. ejus generatio comparatur rori, *ibid.* et seqq. ipse solus matris uterum aperuit, 552, 2. gratis solvit captivitatem generis humani, 555, 1. in eo, qua Deus, est tota divinitas et SS. Trinitas, 556, 1, 2. in ejus humanitate quasi in templo inhabitat divinitas, imo divinitatis plenitudo, *ibid.* est Deus absconditus in humanitate, et vita obscura, 557, 1, 2. est item absconditus in Eucharistia, *ibid.* 2. illo in orbem veniente siluerunt omnia oracula, et loquaces dæmones, 562, 1. avis est Orientis, 566, 2. fuit vir voluntatis divinæ, *ibid.* quantum ipse propinquat, tantum propinquat salus et justitia nostra et gloria Dei, 567, 1, 2. ejus ab utero vocatio et nominis Jesu acceptio, 581, 2. ejus os gladio comparatur, *ibid.* ejus prædicatio omnia crimina, passiones, et dæmones, et reprobos resecat, *ibid.* per Apostolos et per se gentes vicinas et remotas potenter debellavit, et fidei suæ subjugavit pugnans cominus gladio, et eminens sagitta, 582, 2. est Patris gladius et sagitta tersa, et præ aliis Sanctis electa, *ibid.* cur vocetur Israel, 583, 1. quomodo sit Dei gloria, *ibid.* 2. ejus gloria, 584, 1. ejus despectio et contemptus, *ibid.* 2. ejus majestas in judicio, 585, 1. descripsit Ecclesiam, et singulos ejus fideles in cicatricibus vulnerum quas in manibus accepit, 590, 1. in ejus manibus designatur robur et potentia, et in iis sunt fundatæ Ecclesiæ vires, *ibid.* quam libens legationem suam susceperit, 597, 1, 2; 620, 1; 631, 1. fuit ei lingua erudita, 596, 2. accepit a Patre mandatum moriendi, 597, 2. sponte se obtulit ad verbera et alapas, *ibid.* ejus barba in passione et pili vellicati, 598, 1. fuit in ea adamas, 599, 1. succurrit suis in extremis agentibus, 609, 1, 2. quælibet anima caro ei stetit, 616, 1. eum orbi toti nudavit Pater in præsepi et in cruce, 619, 1. est brachium Domini, 624, 1. est velut virgultum, *ibid.* et 2. ejus in vita obscuritas et humilitas, *ibid.* non fuit ei species, neque decor in vita et in passione, *ibid.* et 625, 1. est pulcher credentibus, *ibid.* cur dicatur novissimus et cessatio virorum, *ibid.* 2. est revera talis suis, *ibid.* actus est novissimus ut hominum superbiam retunderet, *ibid.* et 626, 1. est vir dolorum in anima et in corpore, *ibid.* 2. ejus labores et infirmitates, 627, 1, 2. et scivit eas ferre, 628, 1. cur dicatur vultus ejus absconditus, *ibid.* 2. et 629, 1. quomodo ægrotationes et languore. nostros tulerit, *ibid.* cur nullos tota vita habuit morbos, 628, 2. potuit curare morbos nostros, quia eos in se solvendo suscepit, 629, 1. ei morbi nostri peculiarem dolorem addiderunt, *ibid.* comparatur leproso ob multas analogias, *ibid.* 2. propter hominum peccata vulneratus est, 630, 1. est abyssus doloris et amoris, *ibid.* et 2. disciplina nostræ pacis quomodo super eum, *ibid.* 2. fuit quæ nos promeruimus, 631, 1. ejus mors fuit vere sacrificium, *ibid.* 2. quasi agnus tonsus, 632, 1. ejus mansuetudo, patientia et silentium in passione, *ibid.* et 2. ab omnibus ordinibus fuit damnatus et occisus,

634, 1, 2. quomodo judicium ejus sublatum dicatur, *ibid.* generatio ejus quadruplex enarrari non potest, *ibid.* et 635, 1. est pater novi et aurei sæculi, *ibid.* ejus innocentia, *ibid.* 2. est velut phœnix, 637, 2. meruit executionem omni prædestinationis Dei, 638, 1. quomodo sua scientia justificet multos, *ibid.* quomodo sortium dividat spolia, *ibid.* 2. cum sceleratis reputatus est, *ibid.* oravit ex charitate pro crucifixoribus, *ibid.* et 638, 1. Gentilitatem derelictam et ab adolescentia a Deo repudiata ad se vocavit, ac sibi quasi sponsam copulavit, 642, 1. non est acceptor personarum, 645, 2; 657, 1. est fons vivus qui nunquam exsiccat, 649, 1. quem cibum det animabus, *ibid.* ejus corpus in Eucharistia quomodo dicatur fidele, 651, 1, 2. ipse est facialis pacti inter Deum et homines, item testis, *ibid.* 2. quibus dolibus traxerit ad se gentes, 652, 1. ejus signum et nomen futurum quod sit, 655, 1. dicitur salus, id est salvator, 656, 1. est justus justorum, 666, 1, 2. plenam pacem tam Gentibus quam Judæis attulit, 673, 1. veniens ad redimendos homines inducitur quasi dux cataphractus, 696, 2. quomodo vicem reddat gentibus, dum ipsarum impietatem destruit, 697, 1. invisibiliter unctus Spiritu Sancto in incarnatione, visibiliter in baptismo, 715, 1. Labet gratiam capitis, atque inde vocatus Messias, *ibid.* 2 et seqq. evangelizavit pauperibus, quibus et cur, 716, 1. quos contritos corde sanavit, *ibid.* 2. est medicus et chirurgus, *ibid.* tempus ultionis ejus quod fuerit et erit, 717, 2. est lampas et fax orbis, 724, 1. ejus triumphus de gentibus et impiis, 728, 1, 2. ejus merces fuit orbis possessio, *ibid.* et gentes ab eo subactæ, *ibid.* triumphus ejus in cælum ascendentis, 730, 1, 2. sanguine quomodo vestes ejus rubricatæ sint, 731, 1. ejus passio fuit torcular quod ipse calcavit, 732, 1. ejus victoriæ, *ibid.* 2. ejus adventus qualis fuerit, 738, 1, 2. ejus deitas probatur, 752, 1, 2. est quær centum annorum, 753, 2.

Joachim Abbas novo modo in Isaiam scripsit, 400, 1. multa prædixit, et de ejus vaticiniis judicium et censura, *ibid.*

Joannes Baptista fuit horizon veteris et novi Testamenti, 56, 2. in utero matris polluit usu rationis, 204, 2. dura usus est veste, 323, 2. vox est ob novem causas, 490, 2. 491, 1. hac voce significabat Evangelii prædicationem longe audiendam, et late dilatandam, *ibid.* fuit vox triplex, *ibid.* 2. ejus elogia, *ibid.* habitavit et clamavit in deserto, 492, 1. id carpunt hæretici, *ibid.* 2. biennis a matre eo ductus: ea defuncta angelus eum curavit, *ibid.* cur in desertum abierit, *ibid.* ad litteram ab Isaia significatur per vocem clamantem, 490, 2. ob increpationem incestus Herodis cum uxore fratris martyrio est laureatus, 661, 2. victoriam Theodosio Imperatori contra Eugenium tyrannum obtinuit, 746, 2.

Joannes Baptista Ferrarius Societatis Jesu Syriacæ linguæ peritissimus, 101, 1, 2.

Joannes (S.) Evangelista sospes et illæsus dolio olei ferventis egressus est, 532, 2. revelationes suas in Apocalypsi habitas an intellexerit, 51, 2.

Joannes (P.) Ogilbeus Scotus Societatis Jesu, quam in tormentis constans, 599, 2.

Joannes Silentarius 47 annos siluit, 416, 1.

Joannis Abbatis voluptates spirituales, 251, 2. Theodosio Imperatori prædixit victoriam contra Eugenium obtinendam, 43, 2.

Joannis Decherii Societatis Jesu elogium, 205, 2.

Joannis Eleemosynarii mansuetudo, 633, 1.

Joannis Fischeri Episcopi et Martyris in morte lætitia, 634, 1.

Joannis Leydani Anabaptistæ prophetiam sibi arrogantis nequitia, 44, 2.

Joannis Mathissonii arrogans temeritas, *ibid.*

Joel propheta quando floruerit, 58, 2. quid prophetet, *ibid.*

Jonas propheta quando floruerit, 59, 2. quid scribat, *ibid.*

- Josaphat rex Indorum patrem ejusque regnum Christo asseruit adhuc adolescens, 263, 1. ex iis quæ apud inferos vidit, in ægritudinem incidit, et virium defectum, 424, 2.**
- Joseph (B.) quomodo verè fuerit pater Christi, 214, 1. Jubilare mente et ore semper debent Christiani, 273, 1, 2.**
- Juda et Israel tempore Apostolorum in unam Ecclesiam coaluerunt, 270, 1.**
- Juda tribus cur germen Deo delectabile, 155, 1.**
- Judæa cur vocetur Sodoma, 411, 1. Judææ mærentis et sedentis imago in nummis Vespasiani, 568, 1. lacte abundabat, 202, 2. vocatur cornu ob tres causas, 151, 2; 152, 1. ejus fertilitas et ubertas, *ibid.* cur dicatur insula, 323, 2. cur terra sanctorum, 377, 1, 2. fert vinum rubrum vel atrum, 388, 1. sita est inter Euphratem et Nilum, 390, 2. per Carmelum denotatur, 408, 2. est ad Meridiem confinis deserto, quo itur in Ægyptum, 413, 1.**
- Judæi sæpe a gentibus sunt vastati, 109, 2. ab Isaia cur comparentur bovi et asino, 105, 2. tempore Christi et post captivitatem Babylonicam non coluerunt idola, 128, 1; 390, 2. sed in fine mundi sub Antichristo ea colent, 119, 2. eorum fortitudo et opus quomodo destruenda dicantur, *ibid.* et 120, 1. olim pæderastia infames, unde eam didicerint, 127, 1. cur hodie desolati sint, causa est nex Christi, *ibid.* quomodo a Deo privati sint pane, 133, 2. excidium eorum per Titum describitur, *ibid.* 133, 2; 154, 1; 162, 2 et seqq.; 183, 2; 184, 1. eorum sepulcrum in valle Topheth, 159, 2; 160, 1. eorum in Christo non recipiendo obstinatio, 182, 1, 2. quomodo a Deo excæcati sint, *ibid.* 2. redeuntes e Babylone scripti sunt in catalogo, 147, 2. eorum decem vastationes, 183, 2; 184, 1. Judæi in Christum credentes sunt semen sanctum, 184, 2. iis quomodo obsignata Evangelica, 218, 1. seditionibus mutuis Hierosolymæ corruerunt, 241, 1, 2. eorum tempore Isaie et Christi impietates, 243, 1. eorum varia flagella, *ibid.* 244, 1. eorum consummatio quæ fuerit sub tempora Christi, 248, 2. eorum paucos elegit Deus, *ibid.* per quas sint provincias dispersi, 269, 1. quam benigne a regibus Persarum habiti, 284, 2; 285, 1. ab Assyriis afflicti ad opem Ægyptiorum confugiebant, 510, 1. non solebant uti femoralibus, sed tunicis longis, 324, 1. a Chaldæis obsessi fecerunt puteos et lacunas in urbe, in easque aquas ex fonte Siloe derivarunt, 338, 2. adhibebant mensis musicam et cantiones, 357, 1. cur filii sanctorum dicerentur, 377, 1. in prosperitate æt̄ idola deluxerunt, in tribulatione ad Deum redierunt, 380, 1. convertentur ad Christum visa sui depressione, et gentium exaltatione, 390, 2. eorum, Prophetas dicentes: *Hæc mandat Dominus*, ridentium verba, 395, 1, 2. sed propterea condigne punientur, 396, 2. eorum reprobatio et gentium vocatio prædicatur, 409, 1, 2; 534, 1, 2. cur dicantur jumenta Austri, 413, 1. vocantur leo, vipera, regulus, *ibid.* 2. cum mane immolanda esset victima, totam noctem præcedentem cum lætitia et canticis transigebant, 422, 1. repræsentantur per bovem, gentes per asinum, 435, 2. Deus pactum cum ipsis in initum irritavit, 439, 2. eis vetitus fuit equitatus et equorum copia, 461, 2. eorum cæcitas, 527, 1, 2. sunt venundati et servi Dei, *ibid.* 2. ipsis post reditum e captivitate Babylonica Deus dedit largum imbrem, 514, 1. ut sanctificarentur, Deus ex se præstitit omnia, sed illi attendere ei noluere, 528, 1, 2. cur de Cyro illis Deus præclara prædicæ voluerit, 547, 1. eorum reges unctione consecrabantur, *ibid.* 2. eorum Deus curam gessit ab utero, id est ab ortu Synagogæ, 563, 2; 564, 1. tempore Achaz et Ezechie valde proclives erant in idola, ideoque vastandi a Babyloniis, 565, 1. a templo et urbe sancta dicti populus Dei, populus sanctus et fidelis, 573, 2. ob id putabant se esse impugnabiles, 574, 1. gloriabantur quod essent de domo potentissimi Dei, *ibid.* sunt indociles, duri, inobedientes, *ibid.* 2. fuere viles et probrum omnium gentium, 578, 2. eorum multi Babylone manere, quam in patriam redire maluerunt, 579, 2. ad eos primario missus est Christus, 583, 1. hodie ita abjecti sunt ut videantur fæces orbis totius, 584, 1. Judæi pii dolebant gentem suam olim electam, post a sanctitate et fide deficere, 589, 2. repudii ipsorum quæ sit causa, 595, 1, 2. per Christi occisionem sibi flagellum et excidium Titi accersiverunt, 600, 2. in obsidio illo quam fuerunt molles, et languidi et stolidi, 612, 2. quiete et commode Babylone egressi sunt, 620, 1. Messie adventum perfide hodie negant, 623, 1, 2. putant se exilium et omnia dura pati ob peccata Christianorum, 635, 2. illorum adolescentia, confusio et viduitas quando fuerit, 641, 2. eorum stropa eluditur, 642, 2. cum gaudio et exultatione templum adibant, 661, 2. cur vocentur congregatio Dei collecta in Judæa et templo Hierosolymitano, 662, 1. dicuntur filii auguratrice, 667, 1. linguis exertis irriserunt Christum, *ibid.* eorum idololatria, *ibid.* et 2. idolo Moloch se ornarunt et unxerunt, 668, 2. comparantur viperæ et aspidi, 691, 1, 2. quam sint pavidi, 694, 2. vocant omnes gentes transmarinas, 762, 2. qualem Messiam expectant, 732, 2. peccantes solebant merita non sua, sed Abrahæ, Isaac et Jacob, apud Deum allegare, 737, 1. quia inhæserunt suis justificationibus legalibus, et spreverunt et rejecerunt justitiam veram a Christo allatam, ideo quasi immundi et infideles a Deo rejecti sunt, 741, 1, 2. Deum orantes magis eum a se alienant, quam sibi concilient, 742, 2. eorum desiderabilia omnia versa sunt in ruinas a Tito et Romanis, 743, 1, 2. illorum pervicax obstinatio, 745, 1. iis porcina caro vetita, 747, 1. ipsis post Christi mortem naturalis inest fœtor, hic tollitur baptismo Christiano, 141, 2. eorum victimæ cur displicerent Deo, 112, 1, 2.**
- Judicat Deus quadrupliciter, 123, 1, 2. judicare Hebræis idem quod gubernare et dominari, 606, 1.**
- Judices Hebræorum boni qui fuerint, 118, 2.**
- Judices munera debent contemnere, 116, 1. judices esse debent Principes, 501, 2.**
- Judicium et justitia an ab invicem distinguantur, 155, 1. judicium necessarium principi, 429, 1, 2.**
- Judicii die omnia expiantur, 148, 1, 2. judicium Christus quomodo Gentibus prolaturus sit, 520, 1.**
- Juditham reginam regno pulsam quomodo consoletur S. Gregorius, 490, 1.**
- Jugum computrescere quid sit, 249, 2; 250, 1.**
- Julianæ et Basilisæ (SS.) virginum fœcunditas spiritalis, 197, 1; 660, 1.**
- Julianus Apostata voluit haberi Deus, sed frustra, 290, 1. ejus blasphemii in Christum, tetra mors et feralis, 465, 2.**
- Julianus (S.) Martyr ad nomen Jesu quomodo liquesceret, 376, 1.**
- Julii Cæsaris clementia in victos, 521, 2.**
- Jumenta Austri cur dicantur Judæi, 413, 1.**
- Juncus intelligitur per τὸ *refrenans*, cur, 239, 1. ejus etymon, *ibid.***
- Jupiter Hammon cultus ab Ægyptiis specie capri, 413, 2; 562, 2.**
- Juramento in Scriptura omnis Dei cultus signatur, 320, 2; 559, 2.**
- Jus carniū profanum quod diceretur, 747, 1.**
- Justificatio impii divinius opus est quam creatio universi, 542, 1.**
- Justificatis adaptantur omnia nomina Jesu Christi, 233, 1.**
- Justinianus Imperator quamdiu fuit catholicus, fuit felix; at postquam hæreticus, infelix, 709, 2. contactu reliquiarum sanctorum sanitati restitutus est, 762, 1. jurantem per Dei aliquod membrum ultimo supplicio dari jussit, 466, 1.**
- Justinus Imperator Joanni Pontifici Constantinopolim ve-**

- nienti cum tota urbe occurrit, et ad pedes ejus augustalia ornamenta abjecit, 592, 2.
Justinus Philosophus conversus ad Christum ex lectione Prophetarum, 53, 2.
Justus antonomastice dicitur Christus Dominus, 118, 2.
Justus non peccat in omni opere bono, ut censent hæretici, 742, 1. licet ætate sit juvenis, dicitur tamen senex, 753, 2.
Justi quasi columnæ sustentant rempublicam, 666, 1. sunt in terra ceu germen plantationis Dei, 713, 1. item opus manuum Dei ad glorificandum, *ibid.* soli et lunæ comparantur, 421, 1. iis Deus prope est, non peccatoribus, 652, 2. justorum verorum et fictorum in rerum temporalium penuria et jactura discrimen, 675, 2.
Justitia comes et effectus est veræ fidei, 115, 1. justitia et salus Dei æterna est, mundi temporalis, 605, 1, 2. justitia et potentia in vero principe requiruntur, 260, 2; 559, 2. ea viget tempore pacis, 578, 2. justitia pro præmio justitiæ, sic iniquitas pro pœna iniquitatis accipitur, *ibid.* item pro misericordia, 679, 2. ejus sex fructus, 434, 1.
Justitiæ nostræ omnes quomodo dicuntur ceu pannus menstruatæ, 741, 1, 2.
Juvenes cur dicantur perversi et refrenantes, 319, 1.

K.

- Kiliani (S.) corpus in equili ab equis honoratum**, 107, 1.
Kircharescet an proprium nomen urbis in Moab, 303, 1.

L.

- Labores pro Deo videntur carbones, sed sunt carbunculi**, 178, 1.
Labrusca vitis agrestis, qualis, 453, 2.
Lac symbolum maternitatis, 263, 1, 2. item innocentiae, *ibid.* lac est fides, vinum est spes, quæ est anima fidei, 650, 1, 2. lac a vino serescit, *ibid.* lac camelinum post hominum dulcissimum est, 703, 1.
Lacedæmone exsulavit luxus vestium, 144, 2.
Lacedæmonii quomodo exceperint legatos Darii regis Persarum, 396, 2.
Lacessens ad pugnam sæpe profligatur a lacessito, 313, 2.
Lacrymarum donum undenam monachus quidam adeptus esset, 424, 2.
Lætitia superabundans Beatorum in cœlo, 607, 2. lætitia ossa irrigat suo succo et medulla, 767, 1, 2.
Lagena ficilis Gedeonis imago est Christi, 229, 1, 2.
Laicis vetita Scripturæ cognitio et explicatio, 264, 1.
Lais sive Lais urbs, dicta postea Paneas et Cæsarea, 252, 2.
Lamiæ sunt dæmones succubi, vel illorum spectra, 452, 2. unde dicantur, *ibid.* sunt animalia in Libya hoc nomine, *ibid.*
Lana alba colore aliquo imbibito dealbari nequit, 114, 1, 2.
Languores nostros quomodo tulerit Christus, 628, 1, 2 et seqq.
Lapides e petra excisi, et filii a patre descendentes inter se comparantur, 603, 1, 2.
Lares post domorum fores a Romanis collocabantur, 668, 1.
Latentia abscondita apparent augustiora, 658, 2.
Laudandi Dei septem modi, 273, 1, 2. eum assidue laudare est quædam vita cœlestis, 565, 2.
Laurentius (S.) in craticula assatus exsultavit in spiritu, 687, 2. ejus in tyranno compellendo generositas, 599, 2.
Laus unde dicta, 722, 2.
Leæ (S.) Romanæ felix et sancta mors, 769, 2.
Leo symbolum sævitiae et cladis, 299, 2. leo vocatur Christus et diabolus, 214, 2. leo rugitu suo primo percussit pecora et homines, antequam eos prædetur, 426, 2. leones crediti nunquam dormire, hinc ante valvas

- templorum velut vigiles custodes pingebantur, 331, 2. cum primum in lucem eduntur, curvos habent ungues, *ibid.* leones fossam parabant tumulando corpori S. Pauli Eremitæ, 267, 2. leonis grati exemplum, 106, 1, 2.
Leo Castrius fuse in Isaiam scripsit, 100, 1. eum totum ad Christum torquet, ut eum Judæis extorqueat, 64, 2.
Leo Magnus electus in summum Pontificem exhorruit, 292, 2.
Leo IX Christum meruit hospitio suscipere, 302, 2.
Leonis Pictaviensis sceleste blasphemantis mors, 466, 1.
Leocadia virgo et martyr Hispaniensis post mortem apparuit S. Ildefonso Episcopo, 381, 1.
Leodienses Dal, id est diabolus, etiam suos amicissimos nominant, 397, 2.
Leonardus (S.) captivo cuidam in columbæ specie apparuit, 703, 2.
Leontius Episcopus quomodo defenderit honorem Episcopalem apud Eusebiam Constantii Imperatoris uxorem, 592, 1.
Lepra Ozias rex cur percussus sit, 164, 1, 2. lepra apud Judæos erat sæpe pœna peccati inflicta ob superbiam, murmurationem et rebellionem, 629, 2.
Leudastes Sanctos affligens quomodo a Deo punitus, 224, 2.
Leviathan est balena, cur, 384, 1.
Levitæ dicti quasi adstricti Deo, 657, 1.
Lex Evangelica vocatur iudicium multas ob causas, 605, 1, 2. lex Dei dicitur argentum et vinum, 115, 1, 2. legis Mosaicæ Prophetæ qui sint, 43, 2.
Leges, fœdus, jus quomodo ab invicem distinguantur, 356, 2.
Libanus duplex: hinc in Scriptura aliquando in bonam, aliquando in malam partem accipitur, 253, 2. cur gentes significet, 409, 1. ejus situs, proventus, *ibid.* unde nomen id derivetur, *ibid.* ei Ecclesia assimilatur, *ibid.* Libanus Judæorum ditionis erat, atque inde varia Hierosolymam deferebantur, 405, 2. erat Judææ principium, murus et antemurale, 466, 2.
Liber Jeremiæ scribitur, legitur, exuritur, rescribitur, 87, 1. libri veterum convolviles erant ex variis membranis consuti, 448, 1.
Libera sola sunt contingentia, 515, 2.
Liberalitas est virtus principis, 431, 2.
Liberatio urbis Hierosolymæ et generis humani a tyrannide diaboli, inter se comparantur, 191, 2.
Liberii (S.) ad S. Marcellinam Ambrosii sororem concio, 660, 2.
Libertini cujusdam mansuetudo, 632, 2.
Liberum arbitrium adstruitur, 114, 2.
Lidvina (S.) virga pro injuriis beneficia rependebat, 633, 1. ejus coronam perfecit passio, *ibid.* 755, 1.
Ligni vitæ vis, 755, 1.
Lilium vitæ puritatis et castitatis Sanctorum in Ecclesia est symbolum, 455, 1.
Lingua erudita ingens Dei donum oratione comparandum, 596, 2. lingua maris est sinus maris, 271, 1, 2. item scopuli et promontoria, *ibid.* lingua Chanantitis media est inter Ægyptiam et Hebræam, 319, 2.
Lini usus in sacris erat apud Ægyptios, 317, 2.
Linteamina Judæarum qualia erant, 141, 1.
Liquor e Sanctorum corporibus manans, 762, 1, 2 et seqq.
Litteræ labiales B, M, P, pueris familiares sunt, 396, 1.
Locus ille Romæ, in quo alias Christo nascente oleum fluxit, fuit olim pœnitentiaria, 152, 2.
Locus imus centrum est humilis, 626, 1. estque locus Christi, ideoque nobilissimus, *ibid.* locus creaturæ est nihil, *ibid.*
Locustis comparatur homo ob duodecim analogias, 501, 1, 2. ipsæ describuntur, *ibid.*
Longevi fuere primi præcones Evangelii, 753, 2.
Loquendi quando tempus sit commodissimum, 417, 1.
Loqui ad cor est blaudiri, 488, 1.

Lorica Dei est justitia, 696, 1.
 Loth quia in peregrinos misericors fuit, misericordiam a Deo invenit, 302, 1.
 Lucianus (S.) martyr a Delphino sepultus, 268, 1, 2.
 Lucifer mane oriens, et de cœlo cadens quis sit, 286, 1, 2.
 Lucifer stella cursiv dicatur, 287, 1, 2. est imago secundæ et adversæ fortunæ, *ibid.*
 Luciferi dæmonis casus, 288, 2. quomodo in cœlum conscendere voluerit, *ibid.* quomodo Deo similis esse, 291, 2. quomodo retusus sit, *ibid.*
 Lucifer Calaritanus Constantium Imperatorem vocat Judam, 411, 2.
 Ludibrium Dei est homo, 342, 2.
 Ludovicus Pius Caroli Magni filius mirum in modum Pontifices Romanos est reveritus, 592, 2.
 Ludovici XI Galliarum regis in viros sanctos affectus et liberalitas, 431, 2.
 Lumbi maxime dolent parturientibus, 328, 2; 329, 1.
 Lumen sæpe vitam significat, cur, 701, 1. est symbolum prosperitatis et felicitatis, 681, 1. item gratiæ spiritualis, *ibid.* 2. designatur Christi adventus, 701, 1, 2.
 Lumen Israelis et Sanctus ejus, est Deus vindex, 246, 1, 2.
 Luna quomodo in fine sæculi erubescet, 362, 1.
 Lunulæ ad ornamentum mulierum quid essent, 140, 1.
 Lupanaribus assimilantur nimis se ornantes feminæ, 142, 2.
 Lupus quomodo fuerit Paulus, 214, 2. lupus cum agno sub Christo habitabit quo sensu, 261, 1.
 Lutherus omne bellum sustulit, et impium esse docuit, 124, 2. quam falsus fuerit vates, 44, 1, 2. quibus in rebus arianizet et atheizet, 235, 2; 236, 1.
 Lux an futura sit major in fine sæculorum, 449, 1. lux et tenebræ symbolum libertatis et captivitatis, 693, 2.
 Luxuriosi onocentauris assimilantur, 452, 2.
 Luxus festorum quam merito culpandus, 112, 2. luxus vestium ex SS. Patribus taxatur, 142, 1, 2 et seqq.
 Lycurgus ornatum nimium Spartanis vetuit, 144, 2. cur contra ingratos legem ferre noluerit, 105, 2.

M.

Madian unde dicta, 703, 1.
 Madianitis dæmon assimilatur, 231, 1.
 Magna (quæ) sunt, vocantur Dei, 403, 1.
 Magnanimitatis symbolum aquila, 504, 2.
 Mahometis symbolum quod sit, 557, 1.
 Malachias fuit ultimus Prophetarum, 60, 2.
 Malachias (S.) Ibernæ Episcopus invitatus Episcopatum suscepit, 292, 2.
 Malitia pro tribulatione interdum dicitur, 488, 2.
 Mali ubique sunt præterquam secum, 565, 2.
 Malum Hebræis significat quidquid affligit, 551, 1.
 Mandare verbum militare idem quod mittere exercitum, 351, 1.
 Mane unde dictum, 701, 1. mane pro quotidie, 437, 2.
 Manetis pseudoprophecia, 44, 1.
 Manichæi vetus Testamentum carpebant ut imperfectum, 56, 1.
 Mansueti vocantur in Scriptura sancti, cur, 260, 1.
 Mansuetudo Christi agnina, 520, 2; 521, 1. et patientia et silentium in passione ejus eluxit, 632, 1, 2.
 Marcion vetus Testamentum ut imperfectum rejiciebat, 56, 1.
 Marcus et Marcellianus fratres cantarunt inter tormenta, 125, 2.
 Mare in Scriptura Occidentem significat, 270, 2. item aquarum copiam, 316, 2. mare dicitur Tharsis, 129, 2.
 Margaritarum in calceis puellaribus luxus, 139, 1. margaritæ ater est ros, mater concha, 552, 1.
 Maria Ægyptiaca in sepulcri Dominici templo conversa, 265, 1. ei mortuæ leones fossam pararunt, 267, 2.
 Maria Magdalena (S.) septies per diem audivit angelos

canentes, 172, 1. ipsa est conversionis speculum, 456, 2.
 brevis ejus vitæ compendium, *ibid.* ex ore cranii ejus vitis germinavit, 762, 2.
 Maria Oigniacensis (S.) ex solo odore cognoscebat an quis esset in gratia Dei, 259, 1. vidit matrem suam in inferno sepultam, 424, 2.
 Maria Virgo petra est quæ edidit agnum Christum, 304, 2.
 genuit prolem nobilissimam, quæ innumeros Deo et cœlo filios genuit, 661, 1. semper Dei voluntatem et gratiam attente excepit, eique ex æquo cooperata est, 400, 2.
 terra est e qua prodiit Salvator Jesus, 552, 2. quomodo dici queat aperta, cum manserit virgo, *ibid.* ver spiritale et virgineum mundo induxit, 553, 1. quomodo peperit masculum, 761, 1. cur dicatur nubes levis, 316, 1.
 ejus virginitas in conceptione pluribus probatur, 193, 2; 194, 1. item in partu, *ibid.* ejus elogium, *ibid.* 2. sua virginitate meruit fieri mater Dei, 194, 2; 195, 1. ejus integritas miraculis probatur, 195, 1, 2. vocatur *Alma*, *ibid.* est genitrix filia sponsa Dei, *ibid.* ipsa filio quasi pater et mater nomen imponit, 197, 2. fuit prophetissa vere, 211, 2; 212, 1.
 Marinam (S.) columba in tormentis corroboravit, 705, 2.
 Maris Rubri transitus celebratur, 535, 1, 2.
 Maritus est quasi dominus uxoris suæ, 642, 2. erat is apud Romanos uxoris judex, *ibid.*
 Martinus (S.) sacræ Scripturæ testimonio Episcopatu dignus judicatus, 224, 1, 2. non nisi coactus diaconatum suscepit, 292, 2. ejus patientia in verberibus, 633, 1.
 Martyres retinebunt cicatrices vulnerum suorum in æternum ad gloriam, 655, 2. ignem superarunt, 532, 1. fuere in tormentis adamantes, 599, 1. coronas cœlestes semper præ oculis habuerunt, 725, 1, 2. sunt agri, 633, 2. voce vel scripto testantur se esse Dei cultores vel Christianos, 541, 2. eos vocat Deus interfectos suos, 681, 1. martyres Romæ fuere innumeri, 382, 1, 2.
 Martyrium maxima Dei laus est, 273, 2. martyrium vocatur altare et quævis Ecclesia, et cur, 268, 1.
 Masculos et masculum quomodo pepererit Synagoga Apostolorum, 760, 2. masculi in Scriptura vocantur Sancti, *ibid.* et 761, 1.
 Mater et Deus in homine formando pariantur, 564, 1, 2. et seqq. mater quædam viso filio, quem mortuum putabat, exspiravit, 608, 1.
 Materia sæpe ponitur pro re ex eadem confecta, 520, 2.
 Matrimonium Dei cum Ecclesia, 642, 2.
 Matthæus (S.) eo quod castitatem Iphigeniæ persuaserat, ad aram occisus, 661, 2.
 Matutinum studium optimum, 597, 1.
 Maximiani Imperatoris qui in Christianos sæviit castigatio et pœna, 593, 2.
 Maximini tyranni feralis et acerbus interitus, *ibid.*
 Mecha urbs Arabiæ Petrææ, et in ea Mahometis delubrum, 296, 2.
 Medenema quæ sit urbs, 252, 2.
 Media et Persia vocantur desertum, cur, 328, 1.
 Media via interpreti Prophetarum est sectanda, 65, 1. medius digitus vocatus est impudicus, 680, 2. medium sæpe non capitur geometrice, 359, 1.
 Mel optimum cur sit in imo dolio, 368, 1. mellis usus et commoda, 202, 2; 203, 1, 2. est signum virginitatis, *ibid.* ipsum una cum lacte dabatur olim recens baptizatis, 204, 1. mel est roris medulla, 552, 1, 2.
 Mellitam placentam cur Græci imponerent ori defuncti, 756, 1, 2.
 Melo dicitur Nilus, cur, 348, 1, 2.
 Mem quadratum in medio vocis *למרה* *lemarbe*, quid denotet, 236, 2.
 Memoria jugis Dei habenda, 565, 2. memoria Christi patientis omnia amara nostra dulcorat, 627, 2. memoria malorum nulla erit in cœlo, 752, 2.

- Mendacium sunt idola, quod nomen apud gentes etiam in usu fuit, 397, 2.
- Menæ martyris resolutio in morte oppetenda, 745, 1.
- Meni quid : est dæmon, cur : an Mercurius, 750, 1. unde dicatur, *ibid.* 2. eadem dea quæ fortuna et Gad, *ibid.* et 751, 1.
- Mens eminenter continet visum, omnemque sensum, 66, 1. mens est auris, oculus, et cor, etc., 182, 1. mens a Deo infinito creata infiniti boni capax est, et solo eo satiari potest, 651, 1.
- Mensam veteres cur ponerent diis suis, 750, 1. mensa Beatorum quam plena, 751, 2.
- Menses habebant lunares Hebræi ab uno novilunio ad alterum, 571, 2.
- Mercatorum sua protrudere volentium allecationes vocari possunt canticum meretricis, 552, 2. mercatorum avaritia incusatur, 348, 2.
- Mercatura vocatur meretrecium, et meretricium mercatura, 352, 2; 353, 1.
- Mercenarii anni vastationis Moab qui sint, 304, 1, 2.
- Mercus et laurea Apostolica integra servatur apud Deum strenue; etsi sine fructu laborantibus, 583, 2.
- Mercus Christi bellatoris pro labore suscepto sunt gentes ab eo subactæ, 728, 2.
- Mercurius præses negotiationum, 750, 2. astrologi etiamnum ei multam vim adscribunt in eos qui eo ascendente nascuntur, *ibid.*
- Meretrix vocatur mercatrix, 352, 2; 353, 1. meretrices olim cocco utebantur, 114, 1.
- Meridies symbolum afflictionis et calamitatis, 302, 1.
- Merodach commune fuit nomen regum Babylonis, 484, 1, 2. quis fuerit ille qui legatos ad Ezechiam misit, *ibid.*
- Merovæus Chilperici regis Francorum filius quomodo e sacra Scriptura sortem suam didicerit, 223, 2; 224, 1.
- Mesopotamia Orientalis est Palæstina, 510, 2.
- Messias cur promittatur Achaz regi, 190, 1 et seqq.
- Messia munia et officia quæ sint, 714, 1, 2 et seqq.
- Metu (in) et pavore anxie lux et dies exspectatur, 333, 2. metum immittit sæpe Deus hostibus amicorum suorum, 464, 2.
- Michæas propheta quando floruerit, 59, 2. quid scribat, *ibid.*
- Michael est angelus faciei Dei, 733, 2. fuit ductor et protector Hebræorum, *ibid.* ipse humilis sedem superbi Luciferi obtinuit, 291, 2.
- Michaelis III Imperatoris temulentia et feritas, 339, 2. interiit ebrius, a Basilio ac conjuratis interfectus, *ibid.* et 240, 1.
- Michaelis Stifelli Lutherani impostura et confusio, 44, 2.
- Migma proprie quid sit, 420, 1. cur migma et mixtio vocetur Eucharistia, *ibid.* et 2.
- Miles Episcopus Persicæ cuidam civitati cum malediceret, ipsa ab inimicis subversa est, 707, 1.
- Miles quomodo virginem Christianam a stupro vindicavit, 262, 1. miles quidam defunctus ad vitam rediens qualia se apud inferos vidisse narravit, 424, 1, 2.
- Milites arma poliunt ad ornatum et acumen, 582, 2. milites olim stigma impressum manu ferebant, quo se hujus vel illius ducis esse profitebantur, 541, 2. militum superstitium, et aliorum in acie, nota quæ apud veteres esset, 147, 2.
- Militia cæli proprie in Scriptura quid significet, 361, 2. militia cæli sunt stellæ, 501, 1, 2. quomodo tabescere dici queat, 447, 2. militia est afflictio, 488, 2. militia pro sacerdotum ministerio, 361, 2.
- Millenariorum error de mille annis felicitatis in terra post judicium agendis, 640, 1.
- Minimus quomodo futurus in millia, 713, 2.
- Mirabilis Christus in sanctis suis, 233, 2.
- Miraculis infrenantur increduli, ut credant fidei, 575, 1, 2. miraculis probata virginitas B. Virginis, 195, 1. miracula Isaia, 94, 1.
- Miserere significat propinare vel fundere, 162, 2.
- Misericordia a Deo paratissima misericordie, 679, 1, 2. misericordie Davidi a Deo promissæ, 651, 1. pro mensura misericordie exhibitæ erga miseros, misericordem se exhibet Deus, 399, 1. misericordia Dei dicitur æterna, 642, 2. misericordia in alium, optimum remedium evadendæ miserie propriæ, 302, 1.
- Misericordiam amplitudo, ut quaquaversum se dilatent et multiplicent, 682, 1, 2. illi Ecclesiam lapsam restitunt, 683, 1.
- Missio Dei necessaria omnibus prædicatoribus, 180, 2.
- Mitium nomine dicuntur in Scriptura sancti, 260, 1.
- Mitrae puellarum ornamenta quæ sint, 140, 1.
- Mixtio et pabulum quomodo differant, 420, 1. mixtionis variæ et admirabiles in incarnatione Jesu Christi factæ sunt, 195, 2; 196, 1; 420, 1.
- Moab est pars Arabiæ Petrææ, 296, 1, 2. unde dicta, ejus termini, urbes primariæ, fertilitas, luxur, *ibid.* 297, 1. eam vastavit Nabuchodonosor, *ibid.* ejus incolæ filii noctis, 298, 1.
- Moabitæ perpetui fuerunt hostes Judæorum, 369, 1, 2.
- Mœstis cur stellæ cadere de cælo videantur, 74, 2.
- Molucenses a fide Christi deficientes quas pœnas dederint, 707, 2.
- Momentum stateræ duplex, 499, 1.
- Monachismus quantopere in Ægypto vigerit, 316, 1; 320, 2.
- Monachus de pietate superbiens quomodo a dæmone illus, 291, 2. monachus quidam ebrius et blasphemus est a dæmone vivus assatus, 340, 2. monachi cujusdam patientia, 633, 1. monachi B. Dominici Loricati quam exacte servarent silentium, 416, 1.
- Monarcha quilibet vocatur rex Assur, cur, 314, 1, 2.
- Monarchia optimum regnum est, 503, 1.
- Monasteria et templa felicitant respublikas et civitates, 427, 2.
- Monastica vita cœpit in Ægypto, 321, 1.
- Monicæ (S.) post sumptam Eucharistiam ardor et pietas, 179, 2. Dei inspirationes dignoscere poterat ab aliis suggestionibus, 47, 1.
- Monile quod genus ornamentis, et unde sit dictum, 140, 1.
- Mons præparandus quis sit, 121, 2. in monte cur sit evangelizandum, 618, 1. montes quomodo colliguescant a sanguine, 447, 2. montes a facie Dei et Christi quomodo dicantur defluere, 738, 1, 2. super montes cur dicantur Apostoli prædicaturi, 618, 1. montes stolidæ adorantur gentes, 526, 2; 527, 1.
- Montani hæresiarchæ pseudopropheta, 43, 2.
- Moralia S. Gregorii Papæ quanto in pretio olim habita sint, 746, 1, 2.
- Morbidi quos Christus curabat, viso ab eo se tam benefice curari, compungebantur de peccatis suis, itaque eorum veniam et gratiam ab eo impetrabant, 628, 1, 2.
- Morbus cur leoni assimiletur, 479, 2. docet hominem modeste de se sapere, 472, 1, 2. domat omnes etiam principes et reges, *ibid.* morbos cur Christus nullos habuerit tota vita; 628, 2; 629, 1. morbi nostri peculiarrem pœnam addiderunt Christo, 629, 1.
- Moria mons erat in Jerusalem, eratque idem qui Sion, 336, 2.
- Mors viris justis pax est tranquillitas, 666, 2. iis est suavis instar somni : inde sepulera eorum cubilia sunt, et cæmeteria dicuntur quasi dormitoria, 382, 1. mors instans incitat hominem ad fervorem spiritus, 506, 2. mors Christi fuit sacrificium vere, 631, 2. mortem in se homo circumfert, 600, 2. eam Gentiles habuerunt ut deam, 397, 1.
- Mortuos cur consulerent divini, 228, 2.
- Moses magno multiplicique a Deo donatus fuit spiritu,

734, 1, 2. fuit interpretis populi ad Deum, 538, 2. illius mansuetudo, 522, 2.
 Muliebri forma cur fortuna dea pingeretur, 749, 2.
 Mulier ebria olim a puero concepit, 340, 1, 2. mulier nulla S. Fiacrii monasterium intrare potest, 685, 1, 2. mulieris qualis sit dominatus, 138, 2. mulieres Sioniae colores sacerdotales imitabantur in vestibus, 144, 1.
 Multitudo maris ad Ecclesiam conflutura quae intelligatur, 702, 1, 2.
 Mundana omnia et alta cito evanescent, 357, 1, 2; 406, 2.
 Mundani evanida cur habeant consilia, 339, 1. texunt telas araneorum, 692, 1, 2.
 Mundi et Christi antitheses, 220, 1, 2. mundus in manu Dei est, ut momentum statera, 499, 1. ipsa mundi conversio uni Dei potentiae adscribenda, 556, 2; 557, 1. mundum quomodo vicerit Christus puer, 214, 2; 215, 1. mundus dicitur Aegyptus, 313, 1, 2. est perpetua ruina omnis generis hominum, 427, 1. est plenus fuco, 356, 1. est civitas vanitatis, 357, 2. ejus definitio, *ibid.* et 358, 1.
 Munus omne a se abdicet iudex, 442, 2.
 Murenulae puellarum quid sint, 140, 1, 2.
 Murus et antemurale varie et mystice accipiuntur, 373, 1, 2.
 Muscae cur vocentur Aegyptii, 207, 2.
 Musica apud veteres Hebraeos, Gentiles et Christianos erat in usu, 159, 2. maxime in mensa et conviviis, *ibid.* et 357, 1.
 Mussitatores vocantur Judaei, 410, 2.
 Mutantes leviter vitae genus optime conferuntur labruscis, 153, 2.
 Mutationes caelorum et astrorum an fiant et fieri possint, 449, 1, 2.
 Mutatoria in vestibus quid sint, 144, 1.
 Myrica symbolum hominis pauperis et abjecti, 624, 1, 2.
 Myrtus quia salaciam juvat, Veneri sacra erat olim, 654, 2.
 Mystera Incarnationis et Eucharistiae inter se comparantur, 201, 2.
 Mystera Trinitatis et Incarnationis Dei sunt incomprehensibilia, 171, 1.

N.

N et L litterae quia labiales, saepe inter se commutantur, 562, 2.
 Nabo deus Babyloniorum unde dictus, 562, 1, 2. videtur idem esse quod Merodach, *ibid.*
 Nabonassar pater Mardokempadis, 485, 1.
 Nabuchodonosor non ex se, sed Dei jussu invasit Judaeos, 76, 1. quomodo dicatur Assur cum esset Chaldaeus, 616, 2. vastavit etiam Arabiam, 334, 2. quando vastaverit Aegyptum, 310, 1. Moabitas vastavit, 297, 1. et quando, 304, 1.
 Nahum propheta quando floruerit, 59, 2. quid tractet, *ibid.*
 Natalia Adrianum martyrem virum suum, vocabat dominum, 642, 2.
 Natura generat omnes pauperes et nudos, 157, 2.
 Naufrago assimilantur damnati, 370, 1.
 Naves Aethiopiae cur dicantur cymbalum, 310, 2.
 Naves Tharsis quae sint, 129, 2.
 Navi comparatur tyrannis, 445, 2. navis et naufragi mira gubernatio Dei nutu, 532, 1.
 Nazarenus cur dicatur Christus, 255, 1, 2.
 Necromantia quid sit, 223, 1, 2.
 Neomenia apud Judaeos quid esset, 112, 2. eam cur celebrarent, 761, 2.
 Nephtalim quomodo et quando Christus alleviavit, 225, 2; 226, 1.
 Neronis cubacula unionibus erant instrata, 643, 2. ejus initio imperii clementia, 521, 2. totam Romam deliciis aut ambitioni suae servire fecit, 155, 2. quam misere perierit; ejusdem fuga et mors infamis, 593, 1.

Nicephorus Imperator Iconoclasta horrende a Deo punitus est, 182, 2.
 Nicolai (S.) Myraensis Episcopi corpus suavem liquorem emittit, 762, 2.
 Nihilum pro re tenui, 499, 2.
 Nilus (S.) fundator monasterii Cryptae ferratae Romae, 307, 1.
 Nilus quomodo dicatur mare, 316, 2. semper septem rivis in mare fluxit, 272, 1. vocatur flumina ob illos septem rivos, 311, 1. illius fecunditas, 348, 1. semen secum vehit, *ibid.* unde derivetur vox, *ibid.*
 Nisi apud Hebraeos vox juramenti execratorii, 156, 1, 2.
 Nobilitas vera quae sit, 318, 1.
 Noctuae genus nummi Attici, 663, 1.
 Noe quoto Abraham anno mortuus sit, 641, 2. typus est Christi, 643, 1. fuit propheta, 43, 1.
 Nomen melius quod sit quod virginibus Deus dandum promittat, 658, 1, 2. nomen et vox saepe pro re nominata et vocata ponitur, 706, 2. nomen capitur pro prole et sobole, 658, 2. nomen filiis in veteri Testamento dabat pater, 197, 1.
 Nomen Dei quomodo a Judaeis blasphemaretur, 617, 1. quomodo ab haereticis et Turcis, dum vident Christianos, et praesertim clericos impure vivere, *ibid.*
 Nomen Jesu omnem Christianam edocet perfectionem, 374, 2. ejus suavitas, *ibid.*
 Nomina saepe per aphaeresim decurtantur apud Hebraeos et Belgas, 333, 1. per nomina gentium barbararum Judaeis hostilium, designant Prophetae gentes a Christo subigendas, 69, 2. nomina infamia usu honestantur, 397, 2.
 Nomi, id est praefecturae in Aegypto erant sexaginta sex, 312, 2.
 Non ultra, saepe non aeternitatem, sed longitudinem, id est tempus immemorabile significat, 613, 1.
 Norimbergensium matronarum prisca et mira in vestitu simplicitas, 145, 2.
 Notae scripturae occultae et arcanae, 407, 1, 2.
 Novacula cur dicantur Assyrii, 207, 2.
 Novantes quam in Joannem Baptistam injurii et iniqui, 492, 1, 2.
 Noviluniis notabilis sentitur rerum mutatio, quia luna rebus sublunaribus dominatur, 571, 2.
 Novissimum quomodo in Scriptura accipiatur, 121, 1, 2.
 Novissima sua obliti sunt homines, 570, 1.
 Novitas et nuperitas haereticorum, 566, 1.
 Nox symbolum est refrigerii et refugii in calamitate, 302, 1.
 Nubes levis quid sit, 315, 2. est corpus Christi, 316, 1. item B. Virgo, *ibid.*
 Nubibus comparantur fideles, 704, 2. item praedicatores, *ibid.* et 705, 1.
 Nuditas triduaana Isaiae symbolum fuit triennii spoliationis Aegypti et Aethiopiae, 324, 1, 2.
 Numa primus idola Romam invexit, 543, 1.
 Numenius philosophus cur castigatus, 81, 2.
 Numerorum mysteria in sacra Scriptura occurrunt plurima, 751, 1, 2.
 Numerus pro ordine et composita harmonia, 502, 1, 2.

O.

Obduratio duplex est, 182, 1, 2; 183, 1.
 Obedientiae perfectae documentum et commendatio, 181, 2. ejus fecunditas et merces vitae aeternae, 637, 2.
 Oboda rex Syriae quomodo et quando obierit, 206, 1. ejus typus fuit Rasin rex Damasci, *ibid.*
 Obsidio Judaeorum a Tito quam fuerit arcta, 612, 1.
 Octoginta anni sunt dies vitae hominis, 477, 1, 2.
 Oculi elati indices sunt animi elati et arrogantis, 245, 2.
 Odium daemones erga Deum, 385, 2.
 Ocolampadii expositio de pollutione labiorum Isaiae rejicitur, 176, 2. ejus sycophantia in Romanam sedem, 243, 1.

- Oggannire quid sit, 245, 2.
 Oleum Romæ fluxit Christo recens nato, 152, 2. oleum optimum cur in summo dolii est, 368, 1. oleum capitur pro deliciis, 152, 1. oleo arma corrumpuntur, 250, 1. oleum fluere solet e corporibus S. Euthymii et S. Elisabethæ Hungaricæ, 762, 1. oleum charitatis, et consuetudinis, et consolationis, 250, 1, 2; 251, 1, 2. oleum gaudii quod dicitur, 718, 1. per oleum recte significatur consolatio et lætitia, *ibid.* oleo designatur Dei auxilium, 250, 2.
 Olfactoriola puellarum quænam sint, 140, 2.
 Olympius Abbas in ærumnis ciniphum quomodo se solaretur, 441, 2.
 Olympii in SS. Trinitatem blasphemii punitio, 465, 2.
 Onias pontifex Judaicus in Ægypto templum Deo erexit, sed perperam, 20, 2.
 Onocentauri quales, et qui sint juxta aliquos, 452, 1.
 Onus Prophetis quid sit, 277, 1, 2, onus peccati quam sit grave, 273, 2. per onera undecim mystice quid intelligatur, *ibid.* et 279, 1. et singulis remedia assignantur, *ibid.* onus Babylonis mystice exponitur, 282, 2; 283, 1. item onus Philistiim, 293, 1. item onus Moab, 297, 2. onus Damasci, 306, 1, 2. onus Ægypti, 314, 1, 2. onus deserti maris, 327, 2. onus Duma, 333, 1. onus Arabiæ, 334, 2. onus vallis Visioni, 336, 2. onus Tyri, 346, 2. onus jumentorum Austri, 413, 1.
 Operire Prophetas quid sit, 407, 1, 2.
 Operimentum Judæ quomodo dicatur revelandum, 338, 1.
 Opes variæ Ecclesiæ a principibus toto orbe datæ, 710, 1, 2.
 Opes cur vocentur Mammon, id est tenebræ, 550, 1. eæ quam sint perniciosæ, 156, 2. sunt idola, 157, 1, 2. et feræ, *ibid.* confluunt ad eleemosynarios sicut lac ad ubera, 682, 1. opes avarorum fallaces sunt et mendaces, misericordium vero fideles et constantes, *ibid.* et 2.
 Opus Domini dicitur creatio et gubernatio, 159, 1. et redemptio Christi, *ibid.* et 2. vindicta Dei, *ibid.* opera pia et virtutum sunt velut proles, 658, 2; 659, 1. item opera charitatis, et sanctitatis exempla, 159, 1. in quolibet opere bono non peccat justus, ut docent hæretici, 742, 1.
 Or Abbas quot habuerit sub se monachos, 320, 2.
 Oracula dæmonum vel falsa erant vel ambigua, 516, 2. oracula Prophetarum singulis sæpe capitibus sunt alia et alia, ac novo tempore edita, 79, 1. oracula per idola edebantur clara voce, 223, 1.
 Oratio mire mentem in omni tribulatione ac contritione serenat, 672, 2. orationes non audit Deus nisi piis operibus conjunctas, 680, 1, 2.
 Oriens abundat camelis, 703, 1.
 Orientales loco fœni dant jumentis paleas in pabulum, 369, 2. erant dediti auguriis, 127, 1.
 Origenes commentatus est in Isaiam, 99, 1.
 Ornatus sepulturæ Christianæ commendatur, 266, 1, 2.
 Oronaim erat terminus Moab versus Babylonem, 299, 1.
 Orpheus verbum Dei vocavit *φανερα*, id est illustratorem, 701, 2.
 Oryx quale sit animal, in Ægypto invenitur, caniculum stellam adorat sternutando, ejus descriptio, 612, 1.
 Os aperire, signum inverecundiæ; claudere, pudoris, 621, 2. os dilatare, est conviciari, imo conviciorum plastra evomere, 667, 1.
 Os culum pedum Romani Pontificis, 591, 1. fuit id olim ab Isaiâ prædictum, 591, 2.
 Os omniū Prophetarum scribentium fuit primus, quando prophetare incepit, 58, 2. ejus elogium, *ibid.*
 Ossa vocantur ab Hebræis argumenta, cur, 514, 2. ossa fulcrum membrorum sunt, 681, 2. ossa animi sunt virtutes, *ibid.* ossa Sanctorum in resurrectione germinabunt, 762, 1.
 Ostio (in) tres deos tutelares posuerunt Romani, 767, 1.
 Otho Imperator I quam pacis fuerit amans, 126, 1.
 Οὐρανός unde dicatur et derivetur, 610, 1.
 Ova aspidum rumpere quid sit, 691, 1, 2.
 Oxirinchus Ægypti urbs quot olim habuerit monachos, 320, 2. eam plures inhabitaverunt monachi quam cives, 427, 2.
 Ozias rex quamdiu lepra fuerit percussus, 189, 1. an ob ejus peccatum cessarit prophetia, 164, 1, 2.

P.

- Pacta et lucra injusta rescindenda sunt, 677, 2; 678, 1.
 Pactum Dei cum Christo de nostra gloria et gratia, 638, 1.
 Pæderastiam unde didicerint Judæi, 127, 1.
 Pagani dicti quasi eodem ex fonte potantes, 525, 1. unde ita vocati Ethnici, *ibid.*
 Palæstina tempore S. Hieronymi desierat ferre sycomoros, uti Libanus cedro, 238, 2. Palæstinæ dies quot horarum sint, 475, 1.
 Palæstini triturant rota plaustrum, vel unguulis boum equorumque, 401, 2.
 Palætyrus urbs exstitit ante Nabuchodonosorem, 352, 2.
 Paliurus est genus spinæ et rubi, 451, 2.
 Palliola Judæarum, 141, 1.
 Pallium Dei est zeus, isque triplex, 696, 2.
 Pallium laudis quod dicitur, 718, 1.
 Palmus quæ mensura sit, 497, 2.
 Pambonis Abbatis taciturnitas, 416, 2.
 Pammachi Romani elogium, 55, 2.
 Panis inter omnes cibos maxime alit, 650, 2. est baculus vitæ, 133, 2. panem novum et vinum novum comedemus et bibemus in celo, 727, 2. panis arctus, et aqua brevis mystice quid sint, 419, 1.
 Pantheon columnæ et marmora translata ad basilicas Sanctorum, 638, 2.
 Pantheræ gratæ exemplum, 106, 2.
 Papias S. Joannis discipulus auctor erroris Millenariorum, 640, 1.
 Papyracæ naves tam Ægypto quam Æthiopiæ communes, 311, 2.
 Parabola tres partes habet, 402, 1. parabola duplicem habent sensum, 68, 2. in parabolis quædam magis, imo soli litteræ conveniunt, id est parabola ipsi, quædam vero magis rei per eam denotatæ, 238, 2.
 Parare viam Domino quid sit, 492, 1.
 Paræmiæ tres Isaiæ exponuntur simul, 239, 2.
 Pascua Ecclesiæ cur deserta vocentur, 160, 1.
 Passio Christi exaggeratur et expenditur, 631, 2; 632, 1, 2 et seqq. cur dicatur torcular, 732, 1.
 Pastophoria quid sint, 340, 2.
 Pastoris est vigilare, 663, 2. huic vigilæ nihil ita obstet ac saturitas et ebrietas, *ibid.* et 664, 1. eorum septem peccata, 664, 2.
 Patientia Christi in passione, 632, 1, 2.
 Patres in limbo non erant invocandi, cur, 736, 1.
 Patri in necessitate licebat vendere filios ad tempus, idque Hebræo aut proselyto, 595, 1. hi in anno jubilæi exhibant liberi, *ibid.* eadem lex apud Gentes et Christianos viguit, sed Constantinus Imperator eam abrogavit, *ibid.* patres dabant olim nomina filiis, 197, 1.
 Patruelis est Christus, 151, 1, 2.
 Pauci assumpti ad fidem Christi, 247, 2; 248, 1.
 Paucitas salvandorum, 307, 1. paucitas commendatur in communitate, nocet nimia multitudo, 228, 1, 2.
 Paula Romana portentum fuit, 221, 1. ejus sepultura et exequiæ, 267, 1, 2.
 Paulini (S.) Nolani vox divina de divitiis, 157, 1.
 Paulus (S.) Apostolus Prophetarum fuit studiosus, 42, 2. fuit alter Seraphim, 181, 1. quod Neronis pellicem Christo lucrificasset, ab eodem gladio est percussus, 661, 2. fuit prædo diaboli, 212, 2. quomodo fuit lupus,

- 214, 2. item mundi portentum, 220, 2. cur dicatur ascensor cameli, 331, 1.
- Paulus Eremita fuit orbis portentum, 221, 1.
- Paulus Simplex vidit e vultu communicantium qualis esset singulorum animus, 137, 1.
- Pauperes agnis assimilantur, 160, 1. qui sint pauperes quibus evangelizavit Christus, 716, 1.
- Paupertas et fames et sitis dici potest panis arctus, necnon aqua brevis, 419, 1.
- Pax Hebræis omnium honorum affluentiam denotat, 550, 2; 578, 2. pax fuit in toto orbe, nascente Christo Jesu, 124, 1. pacis bona recensentur, 125, 1, 2. eam quomodo orbi attulerit Christus, 236, 2. pax Judæis data per Cyrum fuit typus pacis et affluentiae honorum spiritualium datæ per Christum, 673, 1. pax Christi tempore prædicatur futura inter gentes olim hostiles, 331, 2. pax spiritus in quo sit sita, 236, 2. item pax Ecclesiæ, *ibid.* pax et suavitas regni cœlestis quanta, 370, 1, 2 et seqq.
- Paxillus est imago Eliacim, 344, 1.
- Peccata tela sunt quæ peccator in Deum vibrat, 537, 2. peccata nostra vulnerarunt Christum, 630, 1, 2. sunt funes, ob quatuor causas, 161, 1. dividunt hominem a Deo et cœlo, 690, 1. vocantur labor et dolor, cur, 690, 2. quomodo clament in cœlum, 694, 2. avertunt a se vultum Dei, 642, 2. sunt morborum et omnis ærumnæ occasio, et inde hæc pro illis capiuntur, 629, 1. ea nubi, et Spiritus Sanctus ea delens vento, apte comparantur, 544, 2. peccata clamantia in cœlum quæ sint, 155, 1.
- Peccatum est lepra, 114, 1. peccatum quodlibet unicuique ipsum admittenti, idolum est, 542, 2. catena est, 680, 2. est linea, 600, 2. cur vocetur sanguis, 113, 1. ejus vis in peccatores quanta sit, 742, 2. peccati confusio, 579, 1.
- Peccator centum annorum vocatur puer, 754, 1, 2.
- Peccatores sibi gehennam accendunt, 601, 1. quomodo igne infernali cruciandi, 441, 2. faciunt Deum sibi suisque peccatis quasi servum, 537, 1. et quasi chirographum scribunt, quo testantur se peccato et diabolo quasi mancipium vendere se, *ibid.* peccatores magnos tolerat interdum Deus ob proles sanctas quas prævidet ex iis nascituras, 110, 2; 114, 1.
- Pelagiæ (S.) pœnitentis conversio, pœnitentia, lacrymæ, 144, 1.
- Pelusium vocatur lingua maris Ægypti, 271, 1, 2.
- Pentacontarchos habebant Judæi in castris, 134, 1.
- Perdere duplici sensu capi potest, 516, 1.
- Peregrini quomodo ædificent muros Jerusalem tum temporalis, tum cœlestis, 706, 2.
- Periscelides quid sint, 140, 1.
- Pernoctare ad sepulera Sanctorum pium est et utile, 746, 1.
- Persæ Babylonem expugnaturi cur dicantur sanctificati, 280, 1. cur comparantur asino, 330, 2. posteriores Persæ luxu difflexerunt, cum priores essent frugales et continentissimi, *ibid.* confœderati fuere olim Chaldæis, hinc simul cum Nabuchodonosore Assyriorum monarchiam everterunt, et cum ea contra Jerusalem venere, 328, 1. eorum monarchia quando incœperit, 91, 2. eorum reges alloqui nemo poterat nisi prostratus in terram, 591, 2.
- Persecutiones et injuriæ fideli non sunt timendæ, 532, 1, 2.
- Persecutores Ecclesiæ acriter a Deo puniti, 593, 1, 2.
- Persia Babylo ni est ad Orientem, 566, 2.
- Perturbationes hominem mentis impotem reddunt, 612, 2.
- Per symbolum affectus est et concupiscentiæ, 685, 2. pedes cur Seraphim velent, 170, 1, 2. sunt symbolum actionis, *ibid.* Dei pedes sunt invisibiles, *ibid.* pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, 618, 1, 2. pedes unde abluerentur Sanctis peregre venientibus in primitiva Ecclesia, *ibid.* pedibus comparantur subditi, 108, 2.
- Petra Mosis fuit typus Christi, 274, 1, 2.
- Petra urbs et metropolis Arabiæ Petrææ, 525, 1, 2. unde dicta, 301, 2. ejus postea amplitudo, *ibid.*
- Petri (S.) Abbatis sepulturam lux cœlestis indicavit, 266, 2.
- Petri Eremitæ visis tormentis inferni ad vitam redeuntis, vitæ emendatio, 424, 2.
- Petro (S.) Apostolo Antiochiæ prædicanti caput fuit ab improbis tonsus in contumeliam, 208, 1. ex Prophetis didicit Christi vitam et gesta, 57, 2. cur dicatur ascensor asini, 220, 2. fuit primarius filius Christi, 218, 2. ejus sepulcrum Romæ quam sit gloriosum, 268, 2. ejus templum demum a Paulo V Pontifice perfectum, *ibid.*
- Petronia femina quam prodigiose precibus S. Stephani sanata, 194, 1, 2.
- Petrus Gnaphæus addidit trisagio, *Qui crucifixus est pro nobis*, sed perperam, 173, 2.
- Phacee fuit prodromus Herodis Ascalonitæ, 206, 1. ambo inter se comparantur, *ibid.*
- Pharao vocatur Assur ob crudelitatem et potentiam, 616, 2. vocatur draco fluvialis, 607, 1. ejus cladi assimilatur strages Assyriorum et Sennacherib, 249, 1.
- Pharisæorum cæcitas, 663, 1. comparantur canibus mutis, *ibid.* eorum hypocrisis tempore Christi, 430, 2; 431, 1. cur dicantur caupones, eorum idololatria qualis esset, 115, 1, 2.
- Philippi Augusti Franciæ regis edictum primum contra blasphemos fuit, 466, 1. item contra ludiones, histriones et tibicines, quos aula expulit, *ibid.*
- Philistinorum clades et attritio per Ezechiam regem, 294, 2. apud Philistinos quam olim vigerit Ecclesia Christi, 270, 1, 2.
- Philosophorum sapientiam omnem, meram esse fatuitatem ostendit Deus per Christum, 443, 2.
- Phocas Imperator temulentus, suis ob multa scelera exosus ab Heraclio Africæ prætore, vita et imperio exiit, 340, 1.
- Phoenix avis est imago Christi resurgentis, 637, 2.
- Phrases et loquendi modi varii Prophetarum, 73, 2.
- Picularibus victimis veteres propitiabant iratum numen, 571, 2.
- Pii levius ferunt adversa, quam impii felicitates, 580, 1. eorum in Deo jucunditas, 149, 2.
- Pila signum est hominis volubilis et mutabilis, 342, 2.
- Pinguis cibus magis nutrit quam macer, 651, 1.
- Pipinus Caroli Magni avus Pontifices Romanos mire est reveritus, 592, 2.
- Placillæ Imperatricis pia in ægrotos charitas, 483, 2.
- Plaga in Scriptura vocatur ignis, gladius, tonitru, terræ motus, turbo, procella, etc., 406, 2. plagas suas quomodo stillat Deus, 78, 2. iis multi fiunt meliores, 399, 1.
- Planula instrumentum fabrorum lignariorum est, 343, 2.
- Plastæ idolorum quomodo nihil sint, 542, 2.
- Plebs Hierosolymitana primo in Christum miracula facientem bene effecta fuit, et eum admirata, postea ab eo facta alienior, 622, 2.
- Plenitudo maris est plenum mare, 525, 2. plenitudo sapientiæ, gratiæ, et gloriæ quomodo in Christo habitare dicatur, 204, 2 et seqq.
- Pluvia est cœlestis doctrina, 154, 2.
- Pocula tria præcipua in conviviis, et quasi sacra, 750, 1.
- Pœna octo recensentur ruentis reipublicæ Judæorum, 133, 1. pœna quasi echo præviæ respondet culpæ, 694, 2.
- Pœni facile litteram R in S commutant, 350, 2.
- Pœnitentia ex carbone facit carbunculum, 179, 2. pœnitentiæ veræ effectus, 678, 1, 2.
- Pœnitenti, cui peccata condonata, etiam alia pœna subeunda postea, contra Calvinum, 630, 2; 631, 1.
- Poetæ fatum sive decretum Dei de quolibet homine per stamina Parcarum explicant, 369, 1.
- Pollutus vocatur gentilis aut peccator: his non patet via ad Ecclesiam, sed tantum pœnitentibus, 457, 1, 2.
- Pontifex Romanus regibus jus dicere debet, 520, 1. in eo honoratur et colitur Christus, 592, 1, 2. pedum ejus osculum asseritur, 708, 1, 2. cur se servum vocet ser-

vorum Dei, *ibid.* Pontificum nullus 35 annis pontificatum tenuit, 473, 1.
 Pontificis Judæorum colores, 141, 1. ipse pontificalibus indutus erat velut propheta, excipiendo Dei oracula, 43, 2.
 Porcina caro vetita Judæis, 747, 1.
 Porcus dictus a spurcitie, *ibid.*
 Portis (in) apud Judæos judicia exercebantur, 295, 2.
 Possessio orbis Christi promissa in mercedem, 728, 2. possessio secunda Dei quæ sit, 969, 1, 2.
 Præceptum capitur pro antecaptum, 271, 1.
 Præcones Evangelici satores sunt æternitatis, 360, 1.
 Prædæ quinque Christi, 213, 1, 2.
 Prædator celerrimus fuit Christus, 212, 2.
 Prædicationis Christi efficacia, 582, 1.
 Prædicatores sint Seraphim, 169, 1.
 Prælatus sex alas habere debet, 170, 1.
 Prælati avari taxantur, 716, 1, 2.
 Prælatos paucos salvari docet Chrysostomus, 202, 1.
 Præparare capitur interdum pro firmare, 121, 2.
 Prætextata quomodo a Deo punita ob cultum Eustochii virginis immulatum, 144, 1, 2.
 Presbyteri conjugati olim, post Ordines susceptos uxore sua abstinebant, 211, 1.
 Primogenitum in Scriptura quomodo accipitur, 295, 2.
 Princeps cur dicatur angulus, 318, 1, 2. est quasi humerus populi, et bajulus reipublicæ, 232, 1. populo esse debet ceu tectum, portus, rivus, umbra petræ in æstu, 429, 2. suis exemplo præluceat, 438, 2. ei curæ esse imprimis debet justitia et fides, 260, 2. digna eo virtus est beneficentia, 431, 2. sit populi pastor, 497, 1. ipse in terra est quasi sol in cælo, id multis analogiis ostenditur, 548, 1, 2 et seqq. est medicus reipublicæ, 156, 1. ejus est obedire legi, 116, 2.
 Principes populi apud Judæos visiones et revelationes a Deo accipere frequens erat, 407, 1.
 Principum peccata perniciose populo, 164, 2. sæpe ob subditorum peccata excæcantur, 407, 2. si tutam et stabile habere regnum velint, fundent id in justitia et sanctitate, 646, 1. eos decet comitas, 717, 2. eorum septem peccata referuntur, 664, 2. principes recensentur, qui se coram Episcopis prostraverunt, 592, 1, 2. eorum virtus propria clementia et misericordia, 522, 2. 717, 2. eorum inane fundamentum est, 501, 2. eorum frænum est beneficentia, 575, 1.
 Principatus et regnum parem non patitur, 399, 2. principatus insignia humeris gestantur, 232, 1, 2.
 Principium pro principatu, 706, 1.
 Pro salivca ascendet abies, quid mystice significet, 654, 2.
 Probi subinde labuntur, nec lapsum advertunt, nisi per morbum aliamve afflictionem, 481, 1, 2. — Vide *Pii*.
 Processi et Martiniani martyrum jubilus in tormentis, 275, 2.
 Procopius Gazæus breviter in Isaiam scripsit, 99, 2.
 Profanari quomodo diceretur sacerdos vel res aliqua, 569, 2.
 Prophetare varie accipitur, 48, 2. interdum accipitur pro miracula facere, *ibid.*
 Prophetæ legis naturæ qui fuerint, 43, 1, 2. et legis Mosis et legis novæ, *ibid.*
 Prophetæ majores quinam sint, sunt quadriga Cherubim, 42, 1, 2. eorum elogia, *ibid.* comparantur quatuor Cherubinis Ezechielis, 45, 2.
 Prophetæ prisca fuere portenta, 219, 1, 2. sunt oculi Synagogæ et Ecclesiæ, 45, 2. dabat iis Deus certa signa sui, 46, 2; 47, 1. fide divina tenebantur credere quæcumque a Deo revelante audiebant, *ibid.* an omnes suas prophetias intellexerint, 51, 1, 2. respondetur negative, *ibid.* causa eos mittendi varia fuit et multiplex, *ibid.* et 2. cur raro contra tribus decem prophetarent, 52, 2. eorum

argumentum multiplex fuit, *ibid.* tria eorum fuere officia: primum docere, *ibid.* et 53, 1, 2. alterum concionari, 54, 1. tertium prædicere futura, 56, 1, 2. Judæos modernos convincunt, *ibid.* sunt pictores virtutis et vitii, 52, 2. sunt liber Dei et Spiritus Sancti, *ibid.* omnes præluserunt Christo, 157, 2. fuerunt ante Pythagoram et veteres Philosophos, *ibid.* et 58, 1. vixerunt omnes intra 300 annos, *ibid.* 2. cur sint obscuro, 60, 2; 61, 1. aliquando per voces, aliquando per visiones erudiebantur de futuris, 66, 1. quomodo spiritum propheticum haberent, *ibid.* non servant ordinem rerum et temporum, 66, 2. visiones suas primo viva voce populo enuntiabant, deinde conscribent, *ibid.*; 67, 1. ad plures et plura diversis temporibus futura oracula sua extendunt, 67, 2. saliant ab uno ad aliud, et cur, *ibid.* congrua occasione has metabases faciunt, *ibid.* dubium sæpe est an loquantur de typo an de antitypo, 68, 1. litteraliter subinde complectuntur typum et antitypum, *ibid.* 2. loquuntur de Sione terrena et spiritali quasi de una et eadem re, cur, 69, 1. per Sion et Jerusalem nunc Judæos incredulos, nunc conversos intelligunt, *ibid.* felicitatem bonorum spiritualium comparant cum ubertate terrena legis veteris, *ibid.* loquuntur de salute parta per Christum velut de acri certamine, *ibid.* 2. primo auditores suos tenent, postea in spem erigunt, et cur, *ibid.* 2. et 70, 1. præteritis cur utantur pro futuris, *ibid.*; 70, 1. sæpe mutant personas, *ibid.* 2. enallage et mimesis in iis frequens, 71, 1. gaudent metaphoris et allegoriis, *ibid.* et 2. nomina propria gentium pro moribus vel morum similitudine commutant, 72, 2. sæpe idem dicunt priori hemistichio quod dixerunt in posteriori, 73, 1. verba mentalia subinde capiunt pro realibus, et contra, *ibid.* 2. multa prædicunt, quæ, quomodo et quando impleta sunt ignoratur, 77, 2; 78, 1. postquam Judæis comminati sunt, cur deinde ad alias gentes transeant, 78, 1. Christi redemptionem describunt quasi bellicam victoriam, *ibid.* 2. loquuntur de Deo humano more, *ibid.* utuntur metalepsi, ut ex antecedentibus ea quæ naturaliter consequi solent intelligant, 79, 1. sæpe ludunt in eadem voce contrarie accepta, item in eadem voce per antiphrasin, *ibid.* 2. gaudent ænigmatibus, proverbiiis, emblematis, 84, 1. ejus rei causæ, *ibid.* utuntur symbolicis figuris, ideis ac phrasibus, *ibid.* 2. eorum chronologica harmonia, 85, 92. licet loquantur Judæis sæculi sui, tamen spiritu prophetico loquuntur etiam futuris, 109, 2. nulli fuere Prophetæ Hierosolymis cum a Romanis expugnarentur, 134, 1. per fluvios denotant provincias eis adjacentes, 215, 2. fuere orbis portentum, 219, 1, 2. post tristia solent læta subjungere, 313, 2. solent redemptionem Christi describere per schema reditus et captivitate Babylonica vel Assyriaca, 390, 2. sunt oculi populi, 407, 1. cum de Christi redemptione loquuntur, duplici contrario nomine, et fere copulato eam significare solent, 696, 2. solent prophetias suas et insignia Dei promissa obsignare, per *dicat Dominus*, 698, 1. suis precibus meruerunt accelerari adventum Messæ, 727, 1. solent de posteris ita prophetare ut ævi sui vitia taxare non negligent, 746, 2.
 Prophetæ proprie sunt qui futura prænuntiant, 48, 2. variae nominis Prophetæ acceptiones, *ibid.* Prophetarum prophetia fuit sensibilis, 49, 1. est ea facta per angelos, *ibid.*
 Prophetia est certa nota veræ Ecclesiæ, 43, 1. ejus definitio, 46, 1, 2. quæ sit prophetia de præsentis et præterito, *ibid.* versatur circa occulta, *ibid.* ejus propria definitio, 46, 2. qua re distinguatur ab augurio, necromantia, a sortibus consultoriis etiam licitis et conjectatione, 47, 2. ejus definitio propria explicatur, 46, 47, 48. prophetia triplex est, 48, 2; 49, 1. intellectualis prophetia quæ sit et quotuplex, 49, 1. imaginaria prophetia quæ sit, *ibid.* prophetiæ varii gradus, 49, 2; 50, 1. alia prophetiæ

divisio, 50, 1, 2. ipsa est Evangelium signatum, 56, 2. nunc vocatur verbum, nunc visio, 66, 1, 2. prophetiæ perfecte in cœlo implebuntur, 690, 2. vocatur visio, quatuor ob rationes, 103, 2; 104, 1. an cessarit ob Ozia peccatum, 164, 1. quomodo dicatur claudi et signari, 217, 2; 218, 1. cur vocetur assumptio, 278, 2. prophetiæ Prophetarum non eo ordine sunt editæ quo collectæ, 305, 1. editæ aliis et aliis temporibus, unde mirum non est si idem obscurius repetant, 327, 1, 2.

Prophetissa ad quam Isaias accessit, quæ fuerit, 210, 2; 211, 1, 2. ipsa vere fuit Deipara, 211, 1, 2.

Prosperitas adversitate, e contra temperanda, 149, 1.

Proverbia Salomonis an Ezechias rex collegerit et digesserit, 477, 1.

Proverbia de magna calamitate post minorem, 295, 1; 299, 2. proverbia significantia suis quemquam artibus perire, 691, 2.

Providentia Dei erga suos, 201, 2.

Prudens beatus est, 257, 2. prudens eloquii mystici quis sit, 134, 1, 2. prudentes viri sunt reipublicæ aurigæ, *ibid.*

Prudentia insigne Dei donum, ejus effectus varii, 257, 1, 2. ejus præcepta tria, 258, 1. prudentia regi maxime necessaria est, 430, 2.

Pruna mundata sunt labia Isaïæ, 177, 2.

Psalmodia opus angelicum, 172, 1.

Pseudoherosus a vero Beroso multum distat, 322, 2.

Pseudoprophetæ sunt hæresiarchæ, 43, 2. pseudopropheta cur dicatur cauda et refrenans et juncus, 239, 1, 2. pseudoprophetæ ad assentationem loquuntur, 431, 1.

Plomæus Philometor Heliopoli in Ægypto templum Judæis exstruxit, 320, 2.

Puellarum tria præcipua vitia, 138, 2. puella basiliscus est, *ibid.* puellæ quomodo plaudere dicantur, 139, 1.

Puer quinquennis blasphemans e sinu paterno a diabolis abreptus, 466, 1.

Pueri sapientes celebrantur, 753, 1, 2. pueri nomine dicuntur Sancti, 231, 2. puer centum annorum quis sit, 753, 2. puer Homerita quam constanter supplicio se obtulerit, 263, 1. alii duo Africani, *ibid.* item alter septennis, *ibid.* item alter Edessenus, *ibid.* 2. pueri et rudes disciplinis adigendi et coercendi, 630, 2. pueri quomodo apud Brasilos majores, et in Religionibus seniores regant, 262, 1, 2. pueri Brasili maxime parentes converterunt, *ibid.* pueri et insensati rectores magna pœna reipublicarum est, 135, 1, 2.

Pulchritudinis superbæ pœna quæ, 141, 2.

Pulvis est signum adventantis exercitus, 296, 1. pulvere apud Hebræos significantur luctus et servitus, 302, 2.

Purificationes Judæorum dicebantur justitiæ vel justificationes legis veteris, 741, 1, 2.

Purpura Tyria præstantissima, 346, 1. purpura olim utebantur meretrices, 114, 1. ejus inventio, *ibid.* et 2.

Putre capitur interdum pro pingui et resoluta, 250, 1.

Pythagoras quomodo dixerit animas improborum degenerare in corpora belluarum, 536, 1. ejus silentium, 416, 2. an fuerit circumciscus et idem cum Ezechiele, 82, 1. ejus triplicia fuere symbola, theologica, *ibid.* ethica, *ibid.* politica, 83, 1. et singula explicantur, 82, 63.

Pythia sacerdos unde dicta, 222, 2.

Pythion unde dicatur, 406, 1. ejus voces sunt graciles et hiulcæ, *ibid.* pythones sunt spiritus divinatores, 222, 2. sæpe per ventrem hominis loquebantur, *ibid.* unde dicantur stridere, *ibid.*

Q.

Quadragesima Martyres viderunt laureas sibi in cœlo paratas, 725, 2.

Quietis fructus, 415, 2.

Quinque primariæ urbes Ægypti lingua Chananitide locu-

turæ quæ sint, 319, 2. quid per eas mystice intelligatur, 320, 2.

Quinti Cæcilii opes, testamentum, sepultura, 357, 2.

R.

Rabbinorum veterum judaizantium commentarii cur non sint legendi, 64, 2. eorum fabulæ, 187, 1; 196, 1; 236, 2; 246, 1; 261, 2; 291, 1; 293, 2; 300, 2; 301, 2; 341, 1; 433, 1; 460, 2; 468, 2; 476, 1; 577, 2; 617, 2, et 756, 2. subvertere nituntur conceptionem Virginis, 193, 1. sunt in tuenda Scriptura Hebraica superstitionosi, 496, 1.

Rabsaces insultat Ezechia regi, 460, 1. ejus mendacium, 461, 2.

Racematio quid sit, 432, 2. sæpe per eam designatur paucorum effugientium strages, *ibid.*

Radegundis (S.) regina in mari periclitantibus apparuit in specie columbæ, 705, 2. ejus in leprosos et pauperes charitas, 484, 1.

Radii vultu Sanctorum emicantes indicia erant serenitatis internæ, 522, 2.

Radix de terra silenti fuit B. Virgo pauperula, e qua prodiit ceu humile virgultum Christus, 624, 2. radix cur familia Davidica appelletur, 255, 2. radicem deorsum mittere moraliter quid sit, 468, 2.

Radulphus silens monachum ignem verbo extinguit, 416, 1.

Rahab in exploratores Judæos misericors misericordiam invenit, 302, 1.

Ramus expansus symbolum est senis rectoris, 239, 2.

Ranarum silentia ad vocem sacerdotis silentium indicentis, 416, 2.

Rasin rex Damasci fuit typus Obodæ regis Damasci, 206, 2.

Redemptio mundi per Christum quam grata sit fidelibus, 390, 2. ea in Scriptura sæpe tribuitur zelo, 237, 2.

Refrenans apud Isaiam quid sit, 239, 1, 2.

Reges et reginæ quomodo sint nutritii Ecclesiæ, 591, 2. numerantur aliquot tales reges et reginæ, *ibid.* reges sunt velut soles terreni, 548, 1, 2. reges super Christum continebunt os suum, 621, 1, 2. reges olim in præliis suos habebant currus quibus insistebant, 330, 1, 2.

Reges Hebræorum, Persarum, aliarumque gentium suos habebant admonitores commentarienses, 727, 1.

Reges Hebræorum vocantur Christi Domini, 547, 2. indebant sibi nomen a Deo derivatum, 562, 2.

Regum Hispaniæ beneficentia in ecclesias, 710, 2.

Regnerus Danorum rex apostata graviter est a Deo punitus, 707, 1.

Regnum Christi spirituale pluribus describitur, 429, 1, 2. et multis, pag. seqq. id est in gratia cordis et pace situm, 237, 1.

Regnum Ecclesiæ triplici titulo Christo debetur, 236, 2. illud inchoatur hic, sed perficietur in resurrectione, quando cœlum, et terra vere, materialiter renovabuntur, 753, 1. id in manu Dei esse quid significet, 742, 2. id in hac vitæ quomodo inchoetur, sed in cœlo perficietur, *ibid.* et 743, 1.

Regna quam facile Deus transmutet, 342, 2. eorum vanitas, 304, 2. regnum cœlorum dicitur mons, 122, 2.

Regna hæreticorum et Turcarum tandem aliquando pesumbunt, 707, 2.

Religionis restauratores, qui, 683, 1. illi sunt viri misericordiæ, *ibid.* et ædificatores sepium, *ibid.* 2. religionibus obest copia, 228, 1, 2. religio facit gentem populosam, 683, 2. religio pura dicitur argentum, 415, 1.

Religiosi cur tondeantur, 208, 1. oleo spiritualium consolationum inunguntur, quo jugum laborum eorum mollescit et dulcescit, 251, 2. non debent pœnitentiis exhaurire vires corporis, 612, 2. eos intelligit Isaias sub nomine eunuchorum, quibus nomen ex stirpe promittitur, 657, 1, 2. Religiosi segnescentes sunt uvæ luxuriantes, sed immaturæ, 153, 2. Religiosi nonnulli

cur nomen mutent, 541, 2. quomodo misceant aquam vino, 115, 2.
 Reliquiæ Judæorum convertentur sub Christo, 248, 1, 2.
 Remigio (S.) attulit columba ampullam sacro chrismate repletam, 705, 2.
 Remorsus conscientiæ per vermem significatur, 768, 2.
 Renes formam et duritiam habent lapidum, 603, 1.
 Renovatio aquilæ quomodo contingat, 504, 1.
 Repentinum in Scriptura dicitur quod inopinato, rebus desperatis accidit, etsi ante promissum sit, 574, 1.
 Requies Christi quomodo dicatur gloria, 265, 1, 2. et varie intelligitur, *ibid.*
 Respublica ruit deficiente prudentia rectorum, 134, 2. reipublicæ quam noceant immorigeri, 262, 2.
 Restauratio Jerusalem spiritualis quæ fuerit, 610, 2; 611, 1. qua Deus reverentia in oratione adeundus, 170, 2.
 Resurrectio mortuorum assertitur, 381, 1, 2.
 Reverti Hebræis quid sonet, 654, 1.
 Rex est regni quasi maritus, Respublica eo mortuo est quasi vidua, 570, 2. ejus clypeus in inauguratione olim ungebatur, 330, 1. ipse obediat legi, 116, 2. ni faciat, justitiam contemnit, *ibid.*
 Rinocolura urbs Arabiæ Petrææ, Judææ limes est versus Meridiem, unde dicatur, 390, 2.
 Rivi gloriæ decurrant in fine mundi in electos, 420, 2. rivi aggerum qui dicantur, 466, 2.
 Roberto Francorum regi apparet Deus, et monet ut blasphemias et notoria crimina de regno suo auferat, 466, 1.
 Roma quando condita, 84, 2. Roma an civitas vanitatis, 357, 1. cur dicatur Babylon, 332, 1. Romæ conversio a gentilismo denotatur in Bosræ incendio et eversione, 450, 1, 2. Romæ pene quotidie novi martyres romani coluntur, 765, 2. ejus sanctitas, *ibid.* ejus loca veneranda, 282, 1, 2. est terra sancta, *ibid.*
 Romani consilio et patientia totum orbem subegerunt, 523, 1. eorum vestis domi synthesis, foris toga, 141, 1. fidem vicinam esse voluerunt Jovi in Capitolio, 261, 1. quomodo sub Pompeio templum Hierosolymitanum profanarint, 737, 1, 2. sua habuere symbola, 82, 1, 2.
 Romana aula et aura varia, 358, 2.
 Romana Ecclesia nunquam evertetur, nec everti potest, 405, 1. ejus dignitas adstruitur, 122, 1, 2. maxime terra sanctorum dici potest, 377, 2. a nulla alia judicanda est, 243, 1.
 Romanus (S.) martyr tortores torquentes irrisit, 599, 1.
 Romualdi senis silentium septenne, 416, 1. orbis fuit miraculum, 221, 2. ejus corpus ab Henrico Imperatore ad sepulturam delatum, 266, 2. Benedictinum institutum reformavit, breve ejus vitæ compendium, 684, 1.
 Rori comparatur Christi generatio ob multas analogias, 551, 2 et seqq. roris proprietates aperiuntur, *ibid.*
 Rosarium SS. Trinitatis, 175, 1. ejus commoda, *ibid.* et 2.
 Rotæ insistere cur fortuna pingatur, 749, 1. rota plaustrum Palæstini frumenta excutiunt, 401, 2.
 Ruffini impudentiam et procaciam quam generose retulerit S. Ambrosius, 664, 1, 2.
 Runcina instrumentum fabrorum lignariorum, 543, 2.
 Rupertus in Isaiam commentatus est, 99, 2.
 Rusticorum Christianorum ad aras oblationes, 704, 1.
 Ruth e Moabitide natus est Christus, 301, 1. an ipsa fuerit filia regis Moab, *ibid.* 2.

S.

Saba quæ regio, 703, 2. quid denotet et unde derivetur, *ibid.* est pars Æthiopiæ, scilicet Abyssia, unde venit eunuchus reginæ Candacis, 533, 1, 2.
 Sabbatum vocatur dies sanctus Dei, sicut reliqui dies vocari possunt dies profani hominum, 685, 2. sabbatum delicatum quod dicatur, *ibid.* in sabbato quomodo nos gerere debeamus, *ibid.* cur Deus in sabbato veterit

Judæos cibos coquere, 664, 1. sabbati religio summa apud Judæos erat, et summa sanctitas, 656, 2. representat id diem Dominicum et festa Christianorum, *ibid.*
 Saccus priscus Prophetarum erat cilicium contextum ex pilis caprarum vel camelorum, 323, 2. cur id induerent, *ibid.* erat vestis pœnitentium vel lugentium, et induebatur vel ad nudam carnem, vel super alias vestes, 463, 1.
 Sacerdos debet esse Seraphim in sumenda Eucharistia, 179, 2. in potestate, *ibid.* sacerdotis nomine intelligitur princeps, 719, 2; 720, 1.
 Sacerdos sacrificaturus cur femoralia indueret, 324, 1.
 Sacerdotes sunt milites cœli, 361, 2. sacerdotes non sunt omnes Christiani, 765, 1.
 Sacerdotium Christi novum successit alteri veteri, 343, 1, 2. sacerdotii in Ecclesia summa dignitas et pulchritudo, 730, 1, 2.
 Sacramenta unde habeant vim justificandi, 631, 1. sunt munda et sancta vasa Dei, 763, 1.
 Sacrificia prisca cur non placuerint Deo, 112, 1.
 Sacrificium Eucharisticum non desinet in Ecclesia usque ad Antichristum, qui illud auferet, ne scilicet publice fiat, 727, 2.
 Sæculum quomodo Christus reformarit, 236, 1, 2.
 Sagis quomodo dæmon imponat, 397, 1.
 Sagittarum Christi efficacia, 582, 2.
 Sal filia maris, 350, 1.
 Salaces asinis cur comparentur, 330, 2.
 Salices esse dicuntur Ecclesia et justi, 540, 2. salices abundant in Babylonia, 299, 1, 2.
 Saliunca quæ sit herba, et unde dicatur, 654, 2. ejus proprietates et potentia, *ibid.*
 Salmanasar quo anno decem tribus in Assyriam captivas abduxerit, 225, 2; 425, 2. an sit Sargon qui vastavit Samariam, 322, 1, 2.
 Salomon an salvatus dubium, 307, 1.
 Saltus Carmeli quid sit, 466, 2.
 Salvandi quam paucissimi, 307, 1.
 Salvatoris fontes quinque, 274, 1, 2.
 Salus pro victoria, 711, 2. salutis æternæ consequendæ optima ratio, 578, 1.
 Samaria in honorem Augusti dicta est Sebaste, 206, 1. est constructa in modum coronæ admirabili ædificiorum superbia, 392, 1, 2. ejus excidii causæ, 238, 1.
 Samia vasa quæ dicantur, 553, 2.
 Samson a Dalila proditi mystica expositio, 161, 1. Samson Philistæorum flagellum fuit, 295, 1. Hebraice idem est quod parvus sol, 547, 2. unde etiam fuit sol Hebræis, *ibid.*
 Sancta David fidelia quæ, 651, 1.
 Sanctus Israel quomodo Deus sit, 108, 1; 172, 1, 2 et seqq. sanctus esse debet qui ad Deum in cœlos ire vult, 173, 1. sanctus major est sæculo, 688, 1. sanctus est Christianus, cur, 147, 2.
 Sancti quæ bona habeant in cœlo, 739, 2. sunt sepes Ecclesiæ, 152, 2. sunt margaritæ, cur, 686, 2. Dei irati manus continent, 742, 2. peccatum semel admissum tota vita plangunt, 481, 1. in cœlo mutabunt fortitudinem, quomodo, 503, 2. sæpe ferventer opus sequuntur, quod tepidius inchoarunt, 506, 2. desiderant Deum semper habere præsentem, et coram eo ambulare, 376, 1. fugerunt dignitates, 292, 2. fuere orbis portentum, 221, 1, 2. sunt cœlum ob octo analogias, 609, 2. quasi amianti in igne illæsi, 532, 2. ipsis Scriptura dat alas aquilæ, 503, 2. et adinstar earum renovantur, 504, 1. quomodo iis pares sint, *ibid.* 2. et 505, 1. in cœlo Deo et Christo revelante preces nostras audiunt et cognoscunt, 736, 1, 2. quomodo id fiat, *ibid.* omnes Dei inspirationes motus, correptiones studiose exceperunt, 400, 2. eorum sepulcra gloriosa, 266, 1, 2 et seqq. eorum ossa quomodo germinet, 762, 1, 2. sancti scribuntur in cœlis, impii in terra et gehenna, 147, 2.

- Sancti tutelares fidelium quomodo colendi, 668, 1.
Sanctificare per antiphrasin pro polluere capitur interdum, 353, 2.
 Sanctitatis fructus est pax animæ, et gaudium in Spiritu Sancto, et contra impietatis fructus est perturbatio, 673, 1, 2. sanctitas perfecta consistit in tribus, 627, 2.
 Sanguinem audire quid sit, 442, 2. sanguinis nomine cur dicitur peccatum, 413, 1.
 Sanitas animæ est Dei timor, 679, 2.
 Sapiens est beatus, 258, 1, 2.
 Sapientia vana translata est ad ea bene utentes, 408, 1. sapientiâ politica ad regimen principibus necessaria, 664, 2. sapientia et prudentia in principe maxime requiritur, 430, 1, 2. sapientiæ symbolum mel est, 202, 1, 2.
 Sapphirus cœli similitudinem refert, ut cœlestem conversationem repræsentet, 644, 2.
 Sara Ecclesiæ est typus, Synagogæ Agar, 641, 1.
 Saracenorum Constantinopolim vexantium fames et punitio, 594, 1. Saraceni colunt stellam Veneris, 289, 1.
 Sardanapali pecuina vita, 339, 1, 2.
 Saron capitur pro quolibet loco fertili, 748, 1.
 Sarrana purpura principum vestis, 346, 1.
 Satanus an post mille annos solvendus, 362, 2.
 Satisfactio Christi quam copiosa sit, 489, 2.
 Saul quomodo sit Propheta, 48, 2.
 Scaba est Arabia, 703, 2.
 Scientia sine Dei timore vana et frustranea est, 443, 2.
 Scipio vitæ panis est, 133, 2.
 Scipionis cognomentum unde P. Cornelio adhæserit, 611, 2.
 Scoria dici possunt Pharisæi, 115, 1, 2.
 Scribarum cæcitas tempore Christi, 663, 1. comparantur canibus mutis, *ibid.* eorum hypocrisis, 675, 2; 676, 1. eorum mulierositas, 137, 2.
 Scripturæ sacræ elogium, 55, 1, 2. ejus studium et lectio, *ibid.* Scriptura per flumina denotat regna et provincias, 311, 1. de urbibus loquitur quasi de filiabus, 71, 2. redit ab una metaphora ad aliam, 72, 1. nomen figuræ tribuit rei figuratæ, *ibid.* ponit pro genere certam speciem, vel pro specie individuum, 74, 2. solet promittere quædam quæ non in eo cui promittuntur, sed in posteris implenda sunt, 75, 1. potest habere varias versiones et sensus litterales, *ibid.* et 2. climata orbis consignat secundum situm Jerusalem, 77, 2; 227, 1. a Christo ad Ecclesiam, et contra transit, 77, 2. res una in ea simul est figura duorum, etiam contrariorum, 78, 1. omnia ejus verba applicari debent in sensu litterali, *ibid.* longe efficacius loquitur de mutatione cœlorum et elementorum quam corporum beatorum in resurrectione, 449, 1, 2. per utrumque genus masculinum et femininum, rei universitatem significare solet, 133, 1, 2. ipsa consulenda in dubiis, non magi, 223, 2. solet sæpe unum tempus pro omnium temporum differentia ponere, 70, 1. in ea frequens est mimesis, *ibid.* 2. quæ de corpore, id est Ecclesia, in Scriptura dicuntur, competunt et capiti, id est Christo, et vice versa, 533, 2.
 Sculpturæ Christi et Sanctorum quæ, 702, 1.
 Sea Jasub Isaïæ filius cur ita dictus, 187, 1.
 Sebastiar us sepultus honorifice in catacumbis a S. Lucina, 263, 2.
 Seditionibus Israelitæ mutuis, et postea Judæi conciderunt, 241, 1, 2.
 Semen Hebræis quam multa significet, 184, 2; 185, 1. semen sanctum est Christus et Christiani, *ibid.* semen Ecclesiæ quod fuerit, 110, 2.
 Semiramis a columbis nutrita, 705, 2.
 Senator vocatur caput, incurvans, et ramus, 239, 2.
 Senatores cur dicantur senes, 138, 2.
 Senes quomodo bis pueri sint, 753, 1, 2.
 Sennaar est Babylonia, 269, 2.
 Sennacherib cur dicatur novacula, 207, 2. comparatur flumini Euphrati et aquilæ grandi, 215, 2. quando Judææ magnam partem vastavit, 216, 1, 2. ejus exercitus ab Angelo cæsus, *ibid.* ejus fastus et arrogantia, 244, 2; 245, 1. ejus superbia retunditur, 245, 2. accepta clade ante Jerusalem fugit, et occisus est a filiis Adramelech et Sarasar, 247, 1. Jerusalem appropinquans, audivit Taracam Æthiopiæ regem, ipsum bello petere, et per Ægyptum transire, itaque per viam qua itur in Ægyptum, contra eum pugnaturus profectus est, 249, 1. secus in ea a Deo percussus est, *ibid.* 2. ejus terror per omnes urbes, 252, 1, 2. ejus copiæ saltui nemoroso comparantur, 253, 2. pulveri cur assimiletur, 302, 2. cur dictus Sargon; 322, 1, 2. plura habuit nomina, *ibid.* vastavit Ægyptum et Assyriam, *ibid.* in persona tantum venit directe contra Jerusalem, sed comitanter etiam contra vicinos, *ibid.* ejus castra cæsa ab Angelo, 427, 1; 437, 1, 2 et seqq. 468, 2. est typus diaboli et persecutorum Ecclesiæ, 437, 1. pactum cum Judæis initum violavit, 439, 2. ejus congrua pœna, 467, 2. distulit obsidionem Jerusalem audito contra se venire regem Æthiopum, 468, 1; 533, 2. biennio bello Æthiopico fuit distentus, 468, 1. ipse cur superstes cladi suorum, *ibid.* 2. post hanc sævire in Judæos indignabundus cœpit, 469, 1. a filiis cur necatus, *ibid.*
 Sepes vineæ, id est Ecclesiæ, est custodia Angelorum vel lex, 152, 2. per sepem intelligitur doctrina cœlestis et timor Dei, 683, 2; 684, 1.
 Septem per mulieres virum unum apprehendentes quid litteraliter et allegorice intelligatur, 146, 1.
 Sepulcra Sanctorum Romæ supersunt, non palatia priscorum Gentilium, 358, 2. sepulcris incubabant veteres ad somnia captanda, quia erant ampla et spatiosa, 745, 1. ea amant dæmones ob tres causas, *ibid.* 2. sepulcrum Christi est gloriosum, 265, 1, 2; 637, 1. sepulcrum inferni nomine dicitur, 159, 2.
 Sepultura quædam mirabilis cujusdam fame enecti, 267, 2.
 Seraphim ardentes sunt septupliciter, 168, 2. stipant solium Dei, 169, 2. non sunt iidem cum Cherubinis Mosis et Ezechielis, *ibid.* cur Seraphinos videat Isaïas, Cherubin Ezechiel, *ibid.* eorum alæ quid sint, *ibid.* et 170, 1. an facies suas velent, an Dei, an utriusque, 170, 1, 2. suas ex reverentia, *ibid.* Dei ob tres causas, 171, 1. sunt schema religiosæ obedientiæ, 170, 2. cur Deum velent, *ibid.* volaturiunt ob tres causas, 171, 1, 2. si stent, quomodo volent, *ibid.* vidit tantum duos Isaïas, *ibid.* docuerunt in choro alternis canere, 172, 1. cur canant ter sanctus, *ibid.* et 2. docent nos semper laudare Deum; 174, 2. Seraphim Isaïæ appareus an fuerit ex ordine Seraphim, 177, 1. Seraphinorum ordo in cœlo assertitur, *ibid.*
 Serapion Abbas quot habuerit sub se monachos, 320, 2.
 Sergius Risius Archiepiscopus Damascenus interpres Arabicæ versionis Bibliorum, 100, 2.
 Serpens vectis est diabolus, cur, 384, 2. serpenti quomodo pulvis sit cibus, 756, 1, 2. serpentes ardentes in Hebræos immisi, 295, 1.
 Servitus quomodo a Christo ablata, 488, 2.
 Servi olim tondebantur, 208, 1.
 Servus Dei est Christus quatenus homo, 519, 1.
 Servius Tullius Romanorum rex ex serva natus, diem festum cur agi præceperit servorum, 417, 2. fortunam cur coluerit, 750, 1.
 Sesostrius regis insolentia, 358, 1.
 Severi Sulpitii decepti fraudulentè silentium, 416, 2.
 Si est Hebræis nota juramenti execratorii, 79, 1, 2; 294, 1.
 Sibilus Dei quid sit, 207, 1, 2.
 Sibyllæ prædixere partum Virginis, 193, 1, 2. quæ, quot et quales sint, 50, 2. unde dictæ, *ibid.* singula Christi tormenta prædixerunt 598, 2.
 Sidon Tyri est mater, 849, 1.

- Sigismundus (S.)** in puteum defectus cœlesti luce significatus, 262, 2.
- Sigismundi Imperatoris** in hostes beneficentia, 192, 1, 2. de auri inquietudine sententia, 158, 1.
- Signa sæpe non prævia, sed sequentia et posthuma dat Deus et rememorativa rei prædictæ,** 190, 1.
- Signa humilitatis,** 293, 1. signa scriptorum in describendo, 407, 2. signum petere a Deo cur noluerit Achaz, 189, 2. signum quod se inter gentes positurum Deus promittit, varia significat, 764, 2.
- Silentium est ex sepibus monasterii,** 684, 1, 2. ejus fructus, 415, 2; 416, 1, 2. ejus commendatio, *ibid.* silentii violator similis est crocodilo oscitanti, 417, 1, 2. ejus servandi media, *ibid.* silentium Christi, 215, 2.
- Siloe fons qualis, ejus nomina, comparatur Nilo,** 215, 1, 2. ei assimilatur Christus, *ibid.* 2. Siloe aqua an ab Isaia precibus impetrata, 96, 1.
- Silva vocatur exercitus, cur,** 246, 2.
- Silvester (S.) pauperum, destitutorum ope in primis maximam curam gessit,** 678, 2.
- Simeon Justus an Virginis partum præcognoverit, et virginitati derogarit,** 196, 1.
- Simeon Salus portentum fuit stultitiæ propter Christum,** 221, 2.
- Simeon Stylites fuit portentum orbis vita sua prodigiosa,** 222, 1.
- Simeonis pueri corpus Tridenti adhuc hodie integrum exstat,** 268, 2.
- Similitudines SS. Trinitatis,** 167, 1, 2.
- Simoniaci perstringuntur,** 174, 1.
- Sinarum extremorum Orientis populorum conversio ab Isaia prædicta, idque variis argumentis probatur,** 587, 2 et seqq. eorum situs, *ibid.* quomodo dici possint terra Australis, *ibid.* cur præ aliis gentibus eos nominet Propheta, *ibid.* eorum numerositas et urbium copia, *ibid.* sunt humani et dociles, 588, 1. item opulentissimi, *ibid.* annuus census regis Sinarum, *ibid.* inaccessi sunt, *ibid.* 2. quomodo manum daturi Evangelio, *ibid.*
- Sindones Judæarum quales,** 141, 1.
- Sion (per) Isaïas et alii Prophetæ nunc pios et fideles Judæos intelligunt, nunc incredulos et impios,** 589, 2.
- Sion quomodo in judicio redimenda sit,** 118, 2. Sion hebraice significat speculum, titulum, siccitatem: et hæc tria Ecclesiæ accommodantur, 709, 1.
- Siren describitur,** 282, 2. huic comparatur dæmon, *ibid.*
- Sitis toleratio juvat cursum,** 703, 1.
- Sobna præpositus templi quis fuerit juxta Hebræos,** 341, 1. superbia et arrogantia peccavit, *ibid.* 2. an fuerit summus pontifex, vel certe ex dignioribus sacerdotibus, *ibid.* verisimile est non fuisse summum pontificem, *ibid.* an idem sit cum Sobna, qui fuit præfectus aulæ, et œconomus Ezechiaë, *ibid.* cur comparatur gallo gallinaceo, *ibid.* 2. ad Sennacherib' fugiens ab eo male habitus, *ibid.* ei Eliakim subrogatus, 342, 2.
- Societas improborum quam noxia,** 177, 1.
- Societas Jesu paucos probatos admittit, noxios dimittit,** 228, 2.
- Sodomæ nomine cur dicatur Judæa,** 111, 1, 2.
- Sol simul et umbra in horologio Achaz retrocessit,** 473, 2. non tamen decem horis, sed quinque, 474, 2. qua diei hora id factum, 475, 1, 2. Vide *Horologium*. Sol in die judicii septuplo erit clarior quam nunc est, 421, 1. solis et principis analogiæ, 548, 1, 2. sol et luna quomodo erubescunt, 363, 1, 2.
- Solitudo decet virgines,** 196, 2. ipsa est silentii mater, 417, 1. solitudo Gentilium quæ dicatur, 590, 2.
- Solium Christi in Ecclesia per vicarium suum Romanum Pontificem,** 237, 1. solium David est regnum Christi, cur, *ibid.* solium Dei quale Isaïa apparuerit, 167, 2.
- Solomæ (S.) ossa humorem suavissimum emisere,** 862, 1.
- Somnus gravis qui incubus et ephialtes dicitur, quomodo contingat,** 482, 1.
- Sophonias propheta quando floruerit, 59. 2. quid tractet, *ibid.***
- Sorec regio optimo abundabat vino,** 153, 2.
- Speluncis abundabat Judæa, utpote confragosa, ad quas se recipiebant Judæi in extrema fortuna,** 128, 1, 2. obscuræ speluncæ nescio quid numinis continere videntur, 667, 2.
- Sperantium in Deum tres gradus,** 507, 1, 2.
- Spes honorat Deum,** 217, 1, 2. extendit animam ad rem speratam, 606, 1.
- Spina arbor est setim, odorata et imputribilis,** 514, 2.
- Spiridionis Episcopi humilitas,** 192, 2. ejus mansuetudo post acceptam alapam in regia, 632, 2.
- Spiritus variæ acceptiones,** 256, 2.
- Spiritus Sancti dona septem, 257, 1, 2. et singula definiuntur, 258, 1, 2. et eorum inter se ordo, *ibid.* 2. adaptantur septem beatitudinibus, *ibid.* Spiritus Sanctus subsistit, et habet in SS. Trinitate suam hypostasin, 578, 1. est spiritus judicii et ardoris, 148, 1. per fidem et charitatem diffusus est in tota Ecclesia, 698, 2. eum Ecclesiæ, id est Pontifici Romano ad finem usque mundi Deus promisit, *ibid.* promittitur corpori universo, non singulis in particulari, *ibid.* est causa donorum Christi et Sanctis datorum, et proinde iis prior est in genere causæ efficientis, 715, 1. ejus divinitas adstruitur, 523, 2.**
- Spiritus Domini plene Christum replevit, 257, 1. isque septemplex, *ibid.* quis sic hic spiritus, varie disputatur, *ibid.* spiritus Mosis fuit multiplex, 734, 1, 2. spiritus in naribus significat furorem, 131, 1, 2. spiritus soporis quis sit, 407, 1. spiritus judicii et ardoris quis, 148, 1.**
- Spolia fortium quæ dividit Christus,** 638, 2.
- Sponsa olim coronabatur,** 457, 2.
- Stanislai corpus occisum et truncatum tutatæ sunt aquilæ,** 268, 1.
- Stanislai Hosii in Scriptura legenda assiduitas,** 53, 1.
- Stanno designantur scribæ Judæorum,** 118, 1.
- Stellæ an animatæ ex sententia Origenis, 361, 2. sunt militia cœli, *ibid.* stellas quomodo Prophetæ de cœlo dicant cadere, 74, 1. quomodo cadent de cœlo in die judicii, 447, 2 et seqq. stellas vocat Deus ex nomine tripliciter,** 502, 2.
- Stephana (S.) vidit sibi et conjugi Victori duas in cœlo coronas parari,** 725, 2.
- Stephano regi Hungariæ antequam nasceretur, promissa corona regni, et gloriæ cœlestis,** 722, 1, 2.
- Stephanus Abbas pro contumeliis illatis egit gratias,** 632, 2.
- Sterilitas apud Gentes et Judæos erat probrosa, 146, 1; 641, 2.**
- Stibium est fossile subnigrum instar marmoris,** 643, 2.
- Stigmata vulnerum in corpore Christi et Beatorum mansura in æternum,** 655, 2.
- Stridor, mussitatio, spumatio pythorum,** 223, 2.
- Struthiones sunt hypocritæ,** 452, 2; 536, 1.
- Stryges cœtus suos in desertis agere solent,** 452, 2.
- Studia quæ inania et vana sint,** 308, 1.
- Stylis olim scribebatur in cera,** 414, 1.
- Stylus hominis quid sit,** 210, 1.
- Subditi etiam impiis Prælati obedire debent,** 555, 1.
- Sullæ fortunæ filius dictus, cur,** 750, 1.
- Sumptio Eucharistiæ quæ bene fiat, quam animam perficiat et inflammet,** 567, 1.
- Sunamitis mulier in Elisæum misericors, filium impetravit,** 202, 1, 2.
- Superbi Luciferi sunt socii,** 392, 1, 2.
- Superbia est peccatum Luciferi, ejusque mala varia, 292, 1. est in homine primum vivens, et ultimum moriens, 626, 1. superbia capitur aliquando pro magnifi-**

- centia, 709, 1. superbia tyrannorum quorundam, 289, 1, 2.
- Superliminaria templi quomodo commota vi clamoris, 175, 2.
- Supinus collis quid proprie sit, 514, 1.
- Supplicium peccati cur dicatur vinculum plaustrale, 161, 1, 2.
- Surdi vocantur gentiles, 409, 1.
- Surditas duplex : una inchoata, altera perfecta, 528, 1. ejus causa triplex, *ibid.* ejus curandæ ratio, *ibid.*
- Susan ansit in Ælamitide, 269, 2.
- Susanna a Daniele quando liberata sit, 87, 1.
- Sycomorus quæ sit arbor, ejus forma, fructus : an eadem cum sicamino, 238, 2.
- Symbola Pythagoræ theologica, 82, 1. ethica, *ibid.* 2. politica, 83, 1, 2.
- Symmachi ethnicismum reducere conati castigatio, 708, 2.
- Synagoga optima olim fuit Deo vitis, 152, 2. eam ab utero et ortu Deus curavit, 564, 1. ejus septem ætates, *ibid.* ejus mors, *ibid.* ejus ruina tempore Christi, 445, 1, 2.
- T.**
- Tabael fuit de stirpe regum, 188, 1.
- Tabernaculo comparatur ætas et vita hominum, 478, 2.
- Tabernaculum Mosis erat Dei templum mobile, 641, 1.
- Tacere capitur interdum pro *quiescere*, 726, 2. item pro *pavere*, 176, 1.
- Taciturnitas Isaïæ in increpando Ozia rege, 176, 1.
- Talpæ dicuntur idola, 130, 1. et homines terreni, *ibid.*
- Tanis metropolis Ægypti et regia Pharaonis, ubi Moses cum eo disceptavit, 317, 2; 318, 1; 412, 2.
- Taraca Æthiopiæ rex misit Judæis suppetias, 311, 1.
- Tartessus Tyri colonia dicta Erythia, 349, 1.
- Tauri et agni Jerusalem quinam sint, 420, 1.
- Tela vitæ, 479, 1.
- Telæ pretiosissimæ in Ægypto confici solitæ, 317, 2.
- Templa marmorea Romæ, 638, 2; 643, 2. templa veterum in montibus erigebantur, 121, 2. templa sunt domus orationis, cur, 662, 1. quæ iis reverentia exhibenda, *ibid.* sunt velut cælum, *ibid.* templum pacis instauratum a Vespasiano Imperatore, 124, 1.
- Templum Salomonis vocatur mons Testamenti, et latera Aquilonis, cur, 290, 1, 2. an habuerit formam leonis, 404, 1. duplex erat, 168, 2.
- Templo sepulcrum Christi exornavit Helena, in quo reges Hierosolymorum christiani sepulti, in eo creantur Equites, 263, 2. ad id christiani peregrinantur, nec Turcæ id demoliri audent, licet sæpe id sint comminati, *ibid.*
- Tempus placiti divini erga Christum et Ecclesiam, quod sit, 585, 1. tempus Christi dicitur novissimum, 121, 1, 2. tempore Christi revelatus est virtutis splendor, 431, 1. tempus legis novæ est jubilæum perenne, 717, 1, 2. tempus quo Christus prope fuit et inveniri potuit, 652, 1; 2.
- Tempora et sæcula omnia circa Dei æternitatem voluntur, 511, 2; 515, 2.
- Tenebræ denotant paganismum, idololatriam et vitia gentium, 701, 2.
- Tentationibus (in) adest nobis Deus, 202, 1. earum brevitæ, 642, 2.
- Terminis (in) urbium et provinciarum christianarum eriguntur cruces et imagines, 645, 1.
- Ternarii numeri mysterium, 172, 1, 2. est perfectionis symbolum, 166, 2; 167, 1.
- Terra stadium nobis est, cælum præmium, 558, 1, 2. terra quomodo sit plena gloria Dei, 174, 2. repleta quomodo scientia Domini, 264, 1. terra tota cur dicatur terra sanctorum, 377, 1. terra quomodo punctum puncti, 498, 2; 499, 1. post judicium non videtur exoranda plantis, ut in ea parvuli sine baptismo defuncti jucunde vivant, 451, 2. ejus extima superficies post judicium plane deserta erit et vacua, 453, 1. terra quæ impio suis deliciis fertilis fuit in luxum, ei abutenti vertitur in tormentum, 451, 1. in terra prosterni ritus est priscus et multorum Orientalium dum quem honorant, 591, 2. terra ruinæ sunt Judæi ab Ecclesia apostatantes, 591, 1. terra sepulcri Dominici quam prodigiosa, 266, 1. terra cymbali alarum quæ, 309, 1, 2. an India, quasi ad eam Hispani navibus profecturi invitentur, *ibid.* 2. an Judæa et Ægyptus, *ibid.* esse Æthiopiam probatur variis rationibus, 310, 1. cur sic dicta, *ibid.* cur eam hæc nomine Scriptura declarat, *ibid.* terræ motus cessavit cantatione hymni trisagii, 173, 2. terræ variæ a marhaustæ, 264, 1, 2.
- Terræ omnia caduca sunt, 358, 2.
- Tertio anno vituli validissimi sunt, 298, 2.
- Tertulliani error dum censet fornicatores licet pœnitentes ab Ecclesia non esse recipiendos, 658, 2.
- Testamentum vetus tripartito distribuunt Hebræi, 42, 1.
- Testis Hebræis subinde vocatur judex, 651, 1.
- Testes prophetiæ suæ cur adhibuerit Isaïas, 210, 1, 2.
- Testudinis ænigma, 81, 1.
- Thalassii silentium, 416, 1.
- Thalæi pœnitentia, quod infernalibus supplicia vereretur, 442, 1.
- Thales qua ætate vixerit, 87, 2.
- Tharsis et Tharsenses, quid et quales fuerint, horumque potentia, 129, 2.
- Theglathphalassar quando Syriam vastavit, 305, 2.
- Theodidacti fuere multi Christiani, 645, 2.
- Theodorici (S.) Abbatis corpus a rege Gothorum Theodorico ad sepulturam elatum, 266, 2.
- Theodoricus rex Gothorum visus est abripi in ollam Vulcaniam, 424, 2.
- Theodori martyris in tormentis jubilus, 273, 2.
- Theodori iconoclastæ strophæ, et assentatio, qua Leoni Armeno Imperatori est adulatus, 500, 1, 2.
- Theodosius Senior Imperator edicto idololatriam sustulit, 130, 1. quam prosper et quare fuerit, 709, 2. ad Ambrosii Episcopi pedes advolvitur, 592, 2. Ægypti simulacra omnia evertit, 316, 2. de S. Joanne Baptista bene meritis, ejus intercessione victoriam de Eugenio tyranno retulit, 746, 2.
- Theodosii Junioris catholici Imperatoris victoriæ de Sarcenis, 709, 2.
- Theodosius Abbas qua specie diabolum conspexerit, 384, 2; 385, 1. ejus silentium, 416, 1.
- Theologia alia ampla et parva, juxta S. Bartholomæum, 249, 1.
- Theonæ silentium, 416, 2.
- Theophrasti de natura expostulatio, 479, 2.
- Theristra quid sunt, 141, 1.
- Theta littera notabantur mortui, 147, 2.
- Thomæ (S.) Aquinatis silentium, 416, 1. an in Isaïam scripserit, 100, 1. aliquem Isaïæ locum difficilem per jejuniū intellexit, 61, 1.
- Thomæ Mori in causis judicandis integritas, 116, 1. ejus de mundo sententia, 139, 1.
- Thomæ de Vio Cardinalis Cajetani humile sepulcrum, et ubi sepultus, 268, 2.
- Thomas Hascelbachius Theologus Viennensis in solum primum caput Isaïæ 25 libros reliquit, nec perrexit, 58, 2.
- Thomyris Cyri caput recisum culeo sanguinæ pleno immersit, 549, 2.
- Thurificatio cur vocetur recordatio vel benedictio, 759, 2.thurificationes Ecclesiasticæ inepte ab hæreticis sugillantur, 112, 1, 2.
- Thymiana adolebatur in altari thymiamatis, 745, 2.
- Tiberius Cæsar fuit violentissimus, 392, 2.
- Tibiæ olim funeribus adhibitæ, 303, 2.

- Tibur fuit situm in ascensu collis, 514, 1.
 Tiburtii (S.) in tormentis jubilus, 687, 1. quam parvi terram fecerit, 358, 2.
 Timantes quomodo Agamemnonem pinxerit in immolatione Iphigeniæ, 174, 1.
 Timor est complementum omnium donorum Spiritus Sancti, 259, 1. quomodo is fuerit in Christo, et unde nasceretur, *ibid.* timor, id est amor, replet cor, non solum in eo requiescit, 259, 2. timor Dei maximus thesaurus et donum, 439, 1.
 Titulus dicuntur templa, crux Christi vel statuæ erectæ in honorem Christi, 321, 1, 2.
 Titulo (in) crucis potius scribitur *notseri* per *zain* quam per *tsade*, 255, 1.
 Titus Imperator Jerusalem ingressus fassus est se Dei ope eam expugnasse, 337, 2. aliquando fuit inter exoletos, 435, 2. ejus clementia, 521, 2.
 Tobias quando sit in Assyriam abductus, 85, 1.
 Tonsio signum fuit servitutis, 208, 1.
 Topheth quis locus juxta Jerusalem, 422, 2. ita dicitur quoque infernus, *ibid.* unde dictus, *ibid.* an in eo cæsæ copiæ Sennacherib, 423, 1. in eo Judæi sepeliebantur, *ibid.*
 Torcular in Scriptura capitur pro acri pressura, 732, 1. torcular dicitur Christi passio, cur, *ibid.* torcular Ecclesiæ est altare, 153, 1.
 Tormenta gehennæ quam gravia, 424, 1, 2. semper nova sunt, et perpetua futura, *ibid.*
 Torrens inundans est proverbium, 369, 2; 370, 1. torrens salicum quis sit, 299, 1. in torrentium origine veteres ponebant aram ad sacrificandum, 667, 2.
 Traditiones Ecclesiæ sunt mandata Christi, 407, 2.
 Trajanus Imperator pæderastia infamis, 427, 1. quam justitiæ tenax esset, 719, 1.
 Trajanus Valentis Imperatoris contra Gothos dux ab hoste cæsus quam libere Imperatorem sit allocutus, 707, 2.
 Transitus maris Rubri duce Mose celebratur, 733, 1.
 Trecenti milites Gedeonis symbolice explicantur, 229, 1, 2 et seqq.
 Tribula et tribulatio unde derivetur, 332, 2.
 Tribulatio optima est ad morbos animi sanandos medicina, 377, 1. tritura Dei est, 332, 2. est laus Dei, 576, 2. tribulationis justorum et injustorum discrimen, 368, 2. fornax est et conflatorium, 448, 1.
 Tribus digitis, palmo et pugillo Deus orbem continet, id est facillime, 497, 2.
 Tribus decem tripliciter a Prophetis vocantur, 73, 2.
 Trinitas (SS.) innuitur, 577, 2. ignis consumens est, 684, 2. ejus veritas, 172, 1, 2. ejus doxologia, 174, 1. ejus circuminsectio, quæ et qualis, 556, 1, 2. ejus mysterium miraculo comprobatur, 473, 2. ea apparuit Isaïæ, 166, 1. 2. ejus professio quotidiana apud Judæos, 167, 1, 2.
 Trisagium suum unde hauserit Ecclesia, 173, 1, 2. idque ex revelatione Angeli, *ibid.*
 Tristari et lætari super populo suo quomodo dicatur Deus, 240, 2.
 Tristes et mæsti sunt vultu tetrico et atro, unde ab Hebræis obscuri vocantur, 702, 2. tristes et anxii habent spiritum obiectum, et obnubilatum, et quasi egredientem e suo statu et loco, 671, 2.
 Triticum quomodo degeneret, 667, 2.
 Triumphus Christi ascendentis in cælum, 730, 1, 2.
 Topologia varia in Scriptura, 78, 1, 2.
 Tubal significat tam Italiam quam Hispaniam, 764, 2.
 Tumores qui ad suppurationem venire nequeunt scibus curandi sunt, 483, 1.
 Turba nocet Ecclesiæ et Religiosis Ordinibus, 228, 1, 2.
 Turbo significat celeritatem judicis Dei, 763, 1.
 Furca an sit Leviathan et serpens oblongus, 384, 2. est Assur virga furoris Dei, 243, 2.
 Turcæ victoriis contra Christianos politici dicunt suum Mahometem Christo potentiorum esse, 576, 2. sepulcrum Dominicum evertere cur nolint, nec audeant, 265, 2.
 Turris Ecclesiæ sunt doctores, 153, 2. turres in vineis ad quid erigantur, *ibid.* 1.
 Typanenses Catholici etiam excisa lingua locuti sunt, 560, 1, 2.
 Tyranni cujusdam immanitas in hominibus excæcandis, 694, 1. tyranni volentes coli ut dii omnes alios deos abolebant, volebantque in cælum conscendere, et Deo superiores aut pares esse, 289, 1, 2. quomodo sint servi et milites Dei, 76, 1, 2.
 Tyrus a Chananæis condita et habitata, fuit attributa tribui Aser, sed nunquam ab ea possessa, 354, 1. a quo restaurata sit, incertum, 352, 2. dicitur meretrix, *ibid.* unde vox *Tyrus* derivetur, ejus situs, opes, navigatio, luxus, 346, 1. cur dicitur sita in corde maris, *ibid.* ejus coloniæ, *ibid.* ejus negotiatio et splendor, *ibid.* antiquitas, 349, 2. obsessa est a Salmanasar et Nabuchodonosor, *ibid.* 2. ejus obsidio longa fuit, *ibid.* ab Alexandro Magno est vastata, *ibid.* cur vocetur insula, 347, 2. cur coronata, 349, 2. in ea fides christiana diu floruit: a Saracenis primo, deinde a Christianis fuit occupata, tandem in Turcarum potestatem venit, 354, 1.
 Tyrii post templi restorationem sæpe miserunt dona illi, 354, 1. sæpe apud eos egit Christus, *ibid.* apud eos postea mire floruit christianismus, *ibid.* et 2.
 U.
 Ubiquetarii hæretici refutantur, 493, 1.
 Ulcus Ezechiæ quale fuerit, 483, 1.
 Ulicem nem injuriarum suadent Ethnici et Mahometes, 639, 1.
 Ultra sæpe respicit tantum sæculum præsens, 615, 1.
 Umbra symbolum est remedii et refrigerii in calamitate, 302, 1. et protectionis, 582, 1. umbræ nonnullis regionibus dextræ, aliis sinistræ, 473, 2. ea mane maxima et vesperi, at in meridie minima, 475, 1, 2. ipsa symbolum brevis vitæ, 476, 1.
 Unctio Spiritus Sancti quæ sit, 250, 2.
 Ungunt sua arma milites, cur, 330, 1.
 Unicornes vocantur Scribæ et Pharisei, 450, 2.
 Unitas expressa Dei imago est, 703, 2.
 Unus nomen Dei apud Assyrios, 763, 2.
 Urbes variæ Palæstinæ et Judææ varia habere nomina, 252, 2. urbes vocantur filiæ ob tres analogias, 71, 2.
 Urias testis Isaïæ quis fuerit, 210, 2.
 Uriel nomen angeli, 404, 1.
 Urinam quomodo honeste vocent Hebræi, 461, 2.
 Ursi rugitus ingens, 694, 1, 2.
 Ursi parens sapientiæ, 62, 2.
 Uxoribus ornatui nimio studentes sugillantur, 142, 1, 2. uxorum caput et dominus vir est, earumque judex, cum illæ capitis aut famæ reæ aguntur, 642, 1.
 V.
 Vaccæ Basan, id est pingues, 129, 1, 2.
 Væ notat exitium præsens et æternum, 107, 2.
 Vagari in via cordis est sequi concupiscentias, 672, 2.
 Vagina apposite dicitur umbra gladii, 582, 1.
 Valentinianus Imperator Martino Episcopo advolvitur, 592, 2.
 Valentinianus Imperator junior quomodo responderit gentilismum reducere conantibus, 708, 2.
 Valerianus vidit sibi et Cæciliæ conjugii paratas ab angelo coronas, 725, 2.
 Vallis Achor quæ, 748, 1.
 Vallis Visionis cur dicta Jerusalem, 336, 1.
 Vanæ sunt omnes humanæ cogitationes, 479, 1.
 Vanitas sunt omnia mundana, 666, 2.

- Vanitatis et veritatis opposita,** 357, 2 et seqq.
Vastatio Judæorum tribus rebus assimilatur, 415, 1. vastationes decem Judæorum, 184, 1.
Vectis cur vocetur diabolus, 384, 2.
Veneris (in) delubris dormiebant vacantes libidini, 746, 1.
Venetia dici possunt filia maris, 350, 1.
Venetorum annona in mari sita, 348, 1.
Verbalia in *biblis* sacra Scriptura sæpe accipit pro participio passivo, 645, 2.
Verba hebraica in Latina et Græca translatione posita corrupta sunt, 83, 2.
Verbis (quibus) Isaiaë Judæi multi Christo accesserint relicto judaismo, 630, 1. verbum Dei triplex animam fecundans comparatur imbri et nivi, 654, 1.
Verbum incarnatum, tum ejus Evangelium, est verbum abbreviatum, 248, 1, 2. Verbum dum caro factum, factum est fenum, 494, 1.
Veritas publica est et cana, 62, 2. veritatis et vanitatis antitheses, 357, 2 et seqq.
Vermes hominem depascuntur in sepulcro, qui consumpto humore emoriuntur, at vermis in inferno erit perpetuus, 767, 2. an vere sint futuri in inferno vermes, ostenditur fore, *ibid.*; 768, 1, 2.
Vermis Jacob cur dicantur Judæi afflicti ab Assyriis et Christiani, 513, 1, 2.
Versiones et explicationes plures ejusdem loci Scripturæ esse possunt, 520, 1, 2.
Vespasianus per fauces Libani exercitum in Judæam deduxit, 466, 2.
Vespertiones dicuntur idola, 130, 1. et lucifugi et amphibii, *ibid.* illorum natura his adaptatur, *ibid.* 2.
Vestis Dei est ultio, 696, 1. vestes sanguine humano cruentatæ comburantur, non lavantur, 231, 1. vestium luxus ex SS. Patribus taxatur, 142, 1, 2 et seqq.
Via vocatur vitæ institutum, 693, 2.
Via agri fullonis Hierosolymis, quæ, 187, 2.
Via maris cur dicantur Zabulon et Nephtali, 226, 2. proprie quæ sit, 227, 1.
Via viri in adolescentula quid sit, et quomodo intelligenda, 193, 2.
Victi a victoribus calcari solent, 613, 2. supplices victoribus tendunt manus, 270, 2.
Victima significatur strages, 450, 1.
Victores victorum verenda detegebant ad ludibrium, vel ad libidinem, 225, 2.
Victoria (S.) quam genere in tormentis pro fide irrogatis manens constans tentationes exteriores superavit, 560, 2.
Victorianus proconsul Carthaginis quam in tormentis pro christianismo impositis fuerit alacer, 560, 2.
Victorinus Martyr Isaiam commentatus est, 99, 1.
Videre est certo cognoscere, 66, 1. *videre* et *audire* sæpe idem sunt, 103, 2.
Videntes dicuntur Prophetæ, 104, 1.
Vigilandum ductori fidelium, ipsisque fidelibus, 331, 2.
Vigiliæ in basilicis et sepulcris Martyrum commendantur, 746, 1.
Vigili Papæ libertas in carpendo Justiniano Imperatore, 111, 2.
Viles, duri, barbari dicuntur e petra, saxo aut caverna prognati, 604, 1.
Vilitas carnis et hominis, 494, 2.
Vincentius (S.) Martyr inter tormenta altius assurgens Dacianum tyrannum ad stuporem adegit, 599, 2; 687, 2. laude Dei infrenatus fuit, et ejus pia mors, 576, 1.
Vincentius Ferrerius duos reos ad supplicium ducendos ita permovit, ut facies eorum accensæ apparerent, 178, 2.
Vindemia sæpe in Scripturis significat excidium, 432, 2.
Vinea semper vult coli, 154, 1. hinc vocatur tinea, *ibid.* vinea est Ecclesia, et vineæ proprietates ei adaptantur, 152, 1. vineam ablaqueari quid sit, 154, 1.
Vinum optimum, quod in suis facibus quasi residet, 367, 2. et quod est in dolii medio, 368, 1. vinum est quasi calor et anima coaguli lactis, 650, 1, 2. vinum atrum fert Judæa, 388, 1.
Violanta Aragoniæ regina punita aorasia, ne S. Vincentium Ferrerium in cella videret, quem in cella videre ex curiositate petierat, 685, 1.
Vipera quomodo pariat, et unde dicta, 691, 1.
Vir justus est agricola Dei, 402, 1, 2. viri constantis imago, 505, 1, 2.
Viri misericordiæ sunt Apostoli et Martyres, 666, 1, 2. viri illustres indicio columbæ sæpe designati, 705, 1, 2. viri fortes quomodo se gerant in aliqua seditione aut tumultu reipublicæ, 216, 1. viri magni quomodo juxta Platonem fiant volucres, 426, 2. viri numeri sunt viri pauci, 247, 2; 248, 1. virorum raritas Hierosolymis quæ fuerit post excidium per Romanos, 145, 1, 2.
Virga est B. Virgo Maria, 255, 1. vel radix, *ibid.* 2. virga et baculus Dei quomodo dicantur tyranni, 244, 1. impii, quibus pios Deus punit, *ibid.* *virga oris* est acris oburgatio, ea necessaria concionatoribus zelosis, 260, 1.
Virginitas et cælibatus Religiosorum excelsus est et admirandus, 657, 2. virginitas est mire fecunda, 197, 1. eam matrimonio æquant hæretici, 658, 1, 2. ejus elogium, 658, 1, 2; 659, 1, 2 et seqq. virginitas B. Virginis in conceptione et partu asseritur contra hæreticos, 193, 1, 2; 194, 1, 2.
Virginis parituræ signum cur proponatur regi Achaz, 190, 1, 2.
Virgo hebraice dicitur *alma*, 192, 1, 2; 193, 1, 2, debet esse abscondita, domi latens, 196, 2. virgo sabbatum qua ratione custodiat, 657, 2. ejus honores et gloria, 658, 2; 659, 1. protegitur a Deo, *ibid.* fit Dei sponsa, *ibid.* ejus nomen perpetuum, *ibid.* sit simulacrum Dei, Deum semper intueatur, 659, 2. virginis cujusdam admirabilis clausura, 684, 2.
Virgines multæ in igne sub tyrannis illæsæ fuere, 532, 2. ubi multæ virgines, ibi conjugatæ sunt fecundiores, 661, 1.
Virgulto Christus, at cedris superbi comparantur, 624, 1, 2.
Virtus perennat, 658, 2; 659, 1, 2. virtutes an distinguantur a donis Spiritus Sancti, 257, 1. virtutes heroicæ olim videbantur impossibiles, nunc per Christum eæ redditæ faciles, 586, 2.
Viscera sedes sunt et symbolum miserationum, 735, 2.
Visio Dei sedentis in solio Isaiaë apparens an fuerit spiritualis, an tantum corporalis, 166, 1. visio prima Isaiaë quæ fuerit, 179, 1. visionum tria sunt genera, 50, 2.
Visitare pro punire capitur interdum, 299, 1.
Vita per lumen, lucernam et lucem representabatur, 701, 1. vita sacerdotis polita et sculpta esse debet, 645, 1. vitæ periodus duplex, una a natura, altera a Deo constituta, 471, 2. ejus brevitæ, 178, 2. vitæ hujus et cælestis discrimen, 479, 1, 2. vita mortalium vigilia, 231, 2. vita hæc piis optabilis ob duas causas, 482, 2. vita cælestis est laudare Deum assidue, 605, 1. vita piorum jucunda in Deo, 149, 2. vita sanctis longa, impii brevis est, 477, 1. vitæ futuræ bona quæ sint, 739, 2; 740, 1.
Vitia (in) iter præceptis et pronum, 413, 1, 2. ea palliant se virtute, 162, 1, 2. monstrosa sunt, 453, 2.
Vitis insana quæ dicatur, 153, 2.
Vitta coccinea linguæ custodia ac diligentia indicatur, 415, 2.
Vitula contemnans quæ, 298, 2.
Vocantem Deum spernere periculosum, 395, 2.
Vocatio gentium profundissimum secretum est, 360, 1, 2.
Vocatus dicitur servus, 577, 1.
Voluptas mala est, quia Christus eam sprevit, 205, 1, 2. voluptates desinunt in sordes et pœnas, 673, 2. voluptas

Beatorum quanta, 370, 1, 2. voluptatum spiritualium torrens et ebrietas, 251, 1, 2.
 Voluptuarii credunt se animam habere mortalem, 339, 1. summa eorum obstinatio in malo suo, 377, 1.
 Voracitas canum, 663, 2.
 Vota parentum et avorum sunt, ut videant post se multas generationes, 753, 2. vota reddituri et sacrificaturi solebant exultantes cum tibiis ire ad templum, sive ad Deum, 423, 1. vota monastica elidere conatur Calvinus, 321, 1. votum virginitatis prima concepit Maria Virgo, 194, 2.
 Vox audita in templo Judaico ante excidium urbis, 175, 2. vox clamantis in deserto quæ sit, et quo referenda, 490, 1, 2. fuit ea Joannes Baptista ob novem causas, *ibid.* et 491, 1.
 Vultus Christi absconditus fuisse quomodo intelligatur, 628, 1. vultus loquitur scelera, 136, 2. est simulacrum mentis, non tantum naturale, sed et supernaturale, *ibid.* et 137, 1.
 Vulnus sagittæ Christi quam salutare, 582, 2. vulnera sua Christus semper gestabit, 589, 2. in iis suos descripsit: inde fluxerunt dona spiritualia, 590, 1. sunt certum in omni tribulatione et persecutione perfugium fidelibus, *ibid.*

W.

Wolfgangi Musculi sycophantia, 112, 1, 2; 114, 1; 123, 1; 751, 1.

X.

Xenocrates certam diei partem silentio assignavit, 417, 1.
 Xerxis regis arrogantia in Hellesponto virgis cædendo, 289, 2.

Z.

Zabulon (e) Christus pene omnes Apostolos collegit, 225, 2. ipsa abundabat piscatoribus, 226, 2.
 Zachæo quam bene repensa hospitalitas a Christo, 302, 2.
 Zacharias propheta qua ætate floruerit, 60, 2. quid scribat, *ibid.*
 Zacharias testis scriptionis Isaïæ, 210, 1, 2. quis is fuerit, *ibid.* tres fuere Zachariæ celebres, *ibid.*
 Zain littera valet *ds*, unde sæpe etiam cum *d* commutatur, 514, 2.
 Zelotes dicitur Deus ab amore et extasi, 526, 1.
 Zelotæ factionibus suis in urbe rempublicam Judæorum everterunt, 135, 2.
 Zelus Dei quid, 237, 2. zeli definitio, ortus et effectus, *ibid.* capitur interdum pro indignatione et contentione, *ibid.* zelus in Deo, angelis et sanctis quam potens, 525, 2; 526, 1.
 Zenonis Imperatoris temulenti misera mors, 340, 1.
 Zeno episcopus Veronensis et martyr quando floruerit, 105, 1.
 Zona hebraice quid significet, 853, 1.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ HIS IN ISAIAM COMMENTARIIS CITANTUR,

ET QUÆ AD EVANGELIORUM DOMINICARUM, AC FESTORUM ET FERIARUM NONNULLARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM
VERBA IN USUM ET GRATIAM CONCIONATORUM ADAPTANTUR.

DOMINICA I ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE, LUNA ET STELLIS. — Sol et luna quomodo et quando erubescant, 363, 1. hæc una cum stellis, sub diem iudicii commovebuntur, 447, 2.

DOMINICA II ADVENTUS.

ARUNDINEM VENTO AGITATAM. — Inconstantes et leves sunt velut labruscæ et uva immatura, 453, 2.

HOMINEM MOLLIBUS VESTITUM. — Cilicium vestis fuit Joannis, et omnium Prophetarum, 323, 2. Isaias nudus plane per urbem incessit captivitatem Ægypti portendens, *ibid.*

PAUPERES EVANGELIZANTUR. — Quibus pauperibus Christus evangelizavit, 716, 1. — *Vide notata in Festo omnium Sanctorum.*

DOMINICA III ADVENTUS.

TU ES QUI VENTURUS EST? — Christus cur dicatur Messias, 715, 1, 2. quæ ejus sint munia, *ibid.* 2.

EGO VOX CLAMANTIS IN DESERTO. — Joannes hæc vox fuit novem ob causas, 490, 2; 491, 1. cur se dicat vocem clamantis, *ibid.* ejus elogia, *ibid.* et 2. quomodo fuerit vere totus vox, et vox omnium virtutum, *ibid.* cur puer in desertum iverit, 492, 2.

DIRIGITE VIAM DOMINI. — Viam Domino parandi ratio est humilitas, *ibid.*

FERIA IV QUATUOR TEMP. ADVENTUS.

Tempus, quo Christus in orbem advenit, vocatur novissimum, 121, 1, 2. illius adventum quomodo veteres patres optarint, 738, 1, 2.

ECCE CONCIPIES IN UTERO. — Humanitas Christi est velut simbria, id est vestis extima et infima divinitatis, 168, 1, 2. in ea corporaliter divinitas inhabitat, 556, 1, 2. tres mixturæ miræ in incarnatione peractæ sunt, 195, 2; 196, 1. Christus conceptus et natus est de Spiritu Sancto, 212, 1. factus est homo, ut in se omnium virtutum exemplum daret, 234, 1, 2. tunc fuit Deus absconditus, 557, 1, 2. in incarnatione invisibiliter est unctus, visibiliter in baptismo, 715, 1. ejus unctio jam inde ab ortu primo conceptionis, *ibid.* tunc quoque habuit plenitudinem gratiæ, *ibid.* — *Vide notata in festo Annuntiationis B. Mariæ.*

NOMEN EJUS EMMANUEL. — Emmanuel quid sonet, 197, 2 et seqq. est nobiscum Deus quintupliciter, *ibid.*

BUTYRUM ET MEL COMEDET. — Quomodo id præstiterit Christus, 202, 1, 2 et seqq. mellis salubritas, *ibid.* id est sapientiæ symbolum, *ibid.* lac symbolum est matris, mel virginis, *ibid.*

DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM. — Prædicator sit velut ardens Seraphinus, 137, 2. — *Vide notata in Communi Confessorum.*

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

Bos et asinus Christum recens natum venerati sunt, 106, 1, 2. eo nascente, oleum Romæ fluxit, 152, 2. partus Dei paræ matris qualis fuerit, 760, 2.

Christus in mundum veniens quomodo omnia bella sustulerit, 123, 2; 124, 1. quomodo parvulus agnus prostraverit leonem, 206, 1. ipse celerrimus prædator fuit, 226, 1. ejus prædæ quinque, 213, 1, 2. mundi fortitudinem, sapientiam et gloriam domuit patiando, non feriendo, 214, 1. es nobis natus et datus, 231, 2. quomodo sub eo habitavit lupus cum agno, 261, 1, 2. quomodo regnum suum tunc in orbem induxerit, 522, 1. est germen Judææ, 146, 1, 2. ejus generatio rori comparatur, 551, 2 et seqq.

ET DEUS ERAT VERBUM. — Verbum dum fit caro, quam se demittat profunde, 494, 1.

PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS. — Christus est Sanctus sanctorum et Justus, 118, 2.

IN FESTO SS. INNOCENTII.

HERODES QUÆRAT PUERUM. — Christus puer et Herodem et Obodam regem Damasci regno et vita dejecit, 206, 1, 2. Herodes metuens ne Christus sibi regnum eriperet, mortem ei parat, sed ipse regnum amisit, *ibid.*

ET FUGE IN ÆGYPTUM. — B. Maria puerum in Ægyptum deferens fuit velut nubes levis, 316, 1. Ægypti idola fuere prostrata, Christo illuc ingrediente, *ibid.* 2.

Quomodo Ægyptus postea abundavit monasteriis, fueritque propterea imago cæli, 316, 2; 455, 1.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS. — Jesu nomen quæ bona includat, 374, 2.

Ejus nomina sunt Admirabilis et Consiliarius, *ibid.* vocatur quoque Fortis et Pater futuri sæculi, 236, 1. item Princeps pacis, *ibid.*

Jesus est nobis murum et antemurale, 374, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Nomen Jesu.*

IN FESTO EPIPHANIÆ.

VIDIMUS STELLAM. — Stellæ cur dicantur militia cæli, 361, 2. Quomodo eas Deus educat in numero, 502, 1, 2. eas ex nomine vocat tripliciter, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo Stella, Thus.*

RESPONSO ACCEPTO NE REDIRENT. — Jussio Dei honestat inonestum, 324, 1.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

QUIA VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM. — Spiritus Sanctus quomodo super Christum descenderit et requieverit, 256, 1, 2 et seqq.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

ECCE EGO ET PATER DOLENTES. — Quomodo Christus vere fuerit filius Josephi, 214, 1.

ET ERAT SUBDITUS ILLIS. — Obedientia quam Religioso omnia faciliat, 181, 2.

PUER CRESCEBAT ÆTATE ET SAPIENTIA. — Christus per omnia similis fuit aliis pueris, 202, 1, 2. ejus infantie Calvinus admittit usum rationis, 204, 1. quæ fuerit sapientia Christi pueri, *ibid.* 2.

Ab eo tempore Christus usque ad prædicationem in mundo obscurus fuit, et in eo latuit ignotus, ideoque apte comparatur virgulto, 624, 1, 2. fuit ipse cessatio virorum, 625, 1, 2.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NOPTIÆ FACTÆ SUNT. — Matrimonium Christi cum Ecclesia quod sit, 642, 2.

Uxores olim maritorum suorum nomina assumebant, 146, 1.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

IN TENEBRAS EXTERIORES. — Per has vulgo capitur infernus; quando hic sit creatus, 423, 1. ejus sex conditiones, 424, 1, 2. incendium ejus, ardor, ignis, *ibid.* quam tormenta ejus sint gravia, *ibid.* pœnarum ejus æternitas describitur, 362, 1, et 441, 1, 2. quam ignis illius sit intensus, 601, 1, 2. veri vermes in inferno sunt, 767, 1. damnatorum corpora cur dicantur cadavera, 767, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Infernus, et notata Feria II post Dominic. I in Quadrages.*

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

MOTUS MAGNUS FACTUS EST. — Passiones in homine velut belluæ sæviunt, 536, 1.

IPSE VERO DORMIEBAT. — Ut Christus tempestatem nihil moratus, dormiebat; sic celsitudo animi tranquillos et beatos facit, 687, 1. regnum fortunæ despicit, etiam in doloribus, *ibid.* 2.

ET FACTA EST TRANQUILLITAS. — Deus suis adest per opem, 202, 1.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

HOMINI QUI SEMINAVIT. — Vir justus est agricola Dei, 402, 1, 2.

SINITE UTRAQUE CRESCERE. — Clericis malis surrogandi sunt boni, 344, 1.

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM.

SINE PARABOLIS NON LOQUEBATUR. — Parabolæ tres habent partes, 402, 1.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

CONDUCTERE OPERARIOS. — Mundi creatio et gubernatio est opus Domini, 159, 1. hinc et creaturæ opus ejus sunt, *ibid.* in via spiritus operandum, et fervor in ea necessarius, 506, 1, 2. si is initio operis non adfuerit, postea assumendus est, *ibid.* omnia bona opera justorum non sunt inquinamenta, ut docent hæretici, 742, 1.

IN VINEAM SUAM. — Ecclesiæ adaptatur vineæ natura et proprietates, 152, 1. ipsa est vinea, facta Christo in cornu filio olei, *ibid.*

NEMO NOS CONDUXIT. — Mitti debent a Deo, qui res magnas aggrediuntur, 180, 2.

QUIA EGO BONUS SUM. — Quomodo Deus tamen creare dicatur mala, 551, 1.

PAUCI ELECTI. — Ubi multi Religiosi in domo habitant, ibi magna turba, parva virtus, 228, 1, 2. ideo pauci, sed electi in Religionem admittendi, *ibid.* salvandi quam sint pauci, 367, 1.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

CECIDIT SUPRA PETRAM. — Peccatores obduratos coarctant creaturæ inanitiæ, 104, 2. cur pervicacia in peccatis hominem in infernum trahat, 160, 2.

SEMEN EST VERBUM DEI. — Concionatores auditorio suo adulantes sunt argentum versum in scoriã, 115, 1, 2. sed efficaces sint oportet, 260, 1. prædicatores muti quinam sint, 663, 1, 2. feriant, non blandiantur, 675, 1, 2. cur dicantur nubes et columbæ, 705, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Prædicator, Concionator, Verbum.*

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

CÆCUS QUIDAM SEDEBAT. — Cæcitas spiritualis quæ sit: ad excæcationem duo requiruntur, pravus affectus, et luminis carentia, 182, 2. homo directe se excæcat, Deus indirecte, *ibid.* animæ cæcitas et surditas quæ sit, 528, 1.

JESUS NAZARENUS TRANSIRET. — Cur Christus dicatur Nazarenus, 255, 1, 2.

Occasione Bacchanalium instantium, agi hic poterit de iis, et de aliis vitiis carnis. Luxus in festis reprehenditur, 112, 2. ebrietas quam saluti animæ et corporis noceat, 394, 1; 158, 1. voluptas est mala, quia Christus eam sprexit, 205, 1, 2. delicati et gulosi parant vermibus epulum de suo corpore, 286, 2. gulosos quomodo Deus puniat, 339, 2; 340, 1 et seqq. id probatur exemplis, 394, 2. eorum symbolum est canis vorax et impudens, 663, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Peccator, Peccatum, Epulæ, Luxus, Libido, et notata Domin. IV post Pascha.*

FERIA IV CINERUM.

MEMENTO, HOMO, QUIA PULVIS ES. — Vilis hominis et carnis, 494, 2. homo est tantum stilla situlæ respectu Dei, 498, 2. est locusta ob 12 analogias, 501, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Homo.*

CUM JEJUNATIS, NOLITE FIERI. — Jejunium tam a vitiis quam a cibis sit oportet, 676, 2. jejunium primorum Christianorum quale esset, 677, 1. quæ ejus esse debent conditiones, *ibid.* est pietate et eleemosyna condiendum, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo Jejunium, Sobrietas.*

FERIA VI POST CINERES.

EGO AUTEM DICO VOBIS. — Christus fuit portentum uti vita, ita et doctrina, 220, 1, 2.

DILIGITE INIMICOS VESTROS. — Ulciscendas injurias dogma Gentilium est, non Christi, 638, 1. inimicos beneficiis vincere divinum est, 192, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Amor, Charitas.*

Cur Christiani vocentur sancti, 713, 1. quas alas habere debeant, 170, 1. sanctitas perfecta in tribus consistit, 627, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Perfectio, Sancti, Sanctitas, et notata in Communi Confessorum.*

CUM FACIS ELEEMOSYNAM. — In morte quasi stella matutina est, 679, 1. est omnium morborum emplastrum, *ibid.* et 2. ditat dantem, 688, 1, 2. ad eleemosynarios opes confluunt, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo Eleemosyna, Opes, Divitiæ.*

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM. — Silentii, quietis et solitudinis fructus, 415, 2; 434, 1. bestiæ etiam suum silentium servant, 416, 2. media ad id servandum, 417, 1, 2. viri sancti semper desertum ambierunt, 492, 1. clausura et silentium sunt sepes monasterii, 684, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Silentium, Solitudo.*

ACCEDENS TENTATOR. — Lucifer comparatur regi Balsasari, et ejus ruina, 288, 1, 2. an Lucifer in firmamento, an in aere sit conditus, *ibid.* 2. ejus superbia, *ibid.* noluit agnoscere Verbi cum homine unionem, 291, 2. dæmon est balæna, 384, 1, 2. et serpens vectis, *ibid.* et seqq. fallax et ambiguus est in responsis suis, 515, 2; 516, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Dæmon, Diabolus, Tentatio.

ASSUMPSIT EUM DIABOLUS. — Si Christum assumpserit, quanto majus erit ejus in animam peccatricem imperium, 613, 2.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA MUNDI. — Mundus vanitas vanitatum est, 857, 2. terræ parvitas respectu cæli, 499, 1. quia dæmon hæc tantum Christo ostendit, hinc doceri poterit, quam pauca et vilia animæ peccanti det, 616, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Mundana, Mundus, Regnum.

VADĒ, SATANA. — Animositas tam in bello corporali, quam spirituali mire valet, 695, 1. Dei panoplia describitur, 696, 1. quas prædas Christus diabolo extorsit, 213, 1, 2.

FERIA II.

INFIRMUS, ET VISITASTIS ME. — Infirmorum visitatio suadet, et exemplis confirmatur, 483, 2.

ITE, MALEDICTI, IN IGNEM ÆTERNUM. — Hujus ignis æternitas describitur, 362, 2; 441, 1, 2. æternitatis condiciones et descriptio, 458, 1. — *Vide notata Dominica II post Epiphaniam.*

FERIA III.

QUIA EX ORE INFANTIUM ET LACTENTIUM, etc. — Pueri quomodo in primitiva Ecclesia docuerint alios, 262, 1, 2. etiam nunc docent suos in India, *ibid.* pueri multi tyrannos confuderunt, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* Puer.

FERIA IV.

AMBULAT PER LOCA ARIDA. — Dæmones amant sepulcra ob tres causas, 745, 2.

INTRANTES HABITANT IBI. — Peccati quanta sit vis in peccatorem, 613, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Peccatum.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

CECIDERUNT IN FACIEM SUAM. — Seraphinis auditis, tacet Isaias, 476, 1.

NUBES LUCIDA OBUMBRAVIT. — Nubes et fumus est symbolum gloriæ Dei, 175, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Nubes.

FERIA V.

SUPER CATHEDRAM MOSES SEDERUNT SCRIBÆ. — Phariseorum nequitia et idololatria, 747, 1.

ALLIGANT ENIM ONERA GRAVIA. — Judæi variis legis oneribus onerati erant ut camelus, 330, 2; 331, 1.

FERIA VI.

AUFERETUR A VOBIS REGNUM. — Cur Synagoga Judaica a Christo repudiata sit, 564, 1.

FERIA IV.

BLASPHEMIÆ. — Blasphemi quam graviter a Deo sint puniti, 465, 1, 2.

FERIA V.

QUI HABEBANT INFIRMOS VARIIS LANGUORIBUS, ADDUCEBANT ILLOS AD JESUM. — Christus ipse nullos habuit morbos, 628, 1, 2; 629, 1. nostras ipse infirmitates portavit. *ibid.* nostros morbos curare potuit, quia eos in se luendos suscepit, *ibid.* morbi nostri peculiarem pœnam ei addiderunt, *ibid.* Christus est medicus et chirurgus, 716, 1.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

UNDE ERUNT PANES? — Panis est vitæ baculus, 133, 2.

panem spiritualem qualem et quomodo Deus auferat per vicacibus, *ibid.*

ET SATIATI SUNT. — Hæreditate Dei quomodo pascamur, 688, 1, 2.

FERIA II.

SOLVITE TEMPLUM HOC. — Templum Salomonis quomodo vocetur mons Testamenti, 290, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Templum.

FERIA IV.

VADĒ, LAVA IN NATATORIA SILOE. — An Isaias precibus fontem et aquas Siloe impetravit, 961. Siloe fons qualis, ejus ortus, fluxus et incrementa, 215, 1, 2. Christus per eum adumbratur, *ibid.*

DOMINICA PASSIONIS.

QUIS ARGUET ME DE PECCATO? — *Vide notata Domin. IV post Pascha.*

TULERUNT LAPIDES, UT JACERENT, etc. — Principes sacerdotum et populi qui fuerunt tempore Christi, vocantur Sodoma, 111, 1, 2. fuere ipsi depravati, et alios depravarunt, 115, 1, 2. hi Christum agnoscere noluerunt, sed respuerunt, 663, 1.

FERIA II.

SI QUIS SITIT, VENIAT AD ME. — Deus sitit sitiri, 642, 2.

DOMINICA PALMARUM.

HOSANNA FILIO DAVID. — Judæorum Christum hodie festive excipientium, et post quinque dies cruci affigentium, exemplo ostendi poterit, quam vita hominum mutationibus et vicissitudinibus obnoxia sit ut pila, 342, 2.

Quia hodie passio Domini multis in locis populo exponitur, hinc quæ ea inveniuntur, huc allata sunt. Spineam coronam Christi Isaias prædixit, 349, 2. principatus Christi, id est crux, quomodo sit super humerum ejus, 349, 2. passio est ejus robur, 590, 2. fuit illa torcular, 732, 1, 2. quomodo ipse fuerit vir dolorum in anima, corpore et aliis rebus, 626, 1, 2. Gedeon, sua victoria fuit typus Christi, 229, 1, 2. Christus fuit ad columnam flagellatus, 597, 2. genæ illius et barba evulsa sunt, 598, 1. fuit quoque consputus, *ibid.* ejus tormenta prædicta sunt a Sibylla, *ibid.* 2. fuit in passione adamas, 599, 2. ejus passio recogitata omnia amara dulcorat, 627, 2. Christus leproso in passione comparatur, 629, 2. peccata nostra eum vulnerarunt, 630, 1. ipse est abyssus doloris et amoris, *ibid.* ejus sanguis nostrum pharmacum est, *ibid.* et 2. sponte se ad pœnas obtulit, 631, 1. ejus mors vere fuit sacrificium, non martyrimum, 631, 2. ejus agnina mansuetudo, 632, 1, 2. quomodo propter scelus populi percussus sit, 635, 2. linguis exertis a Judæis irrisus fuit, 667, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jesus Christus.

IN FESTO PASCHATIS.

Sepulcri Christi gloria, et quæ miracula ad id facta, 265, 1, 2. sepultura ejus gloriosa fuit, 636, 1, 2.

SURREXIT. — Christus resurgens est velut phœnix, 637, 2.

Resurrectio mortuorum asseritur, 381, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Resurrectio.

FERIA II POST PASCHA.

FACTUM EST DUM AMBULARENT. — Deus quomodo prope sit, 652, 2.

QUÆ LOCUTI SUNT PROPHETÆ. — Prophetæ nunquam in Dei Ecclesia defuere, 43, 1, 2. Prophetæ in Scripturis diversimode accipitur, 48, 2. Prophetarum munia sunt docere, ad peccatores concionari, futura prædicere, 53, 1, 2 et seqq. eorum consonantia arguit eos uno spiritu veritatis esse locutos, 45, 1. sunt pictores virtutis et vitii, 52, 2. sunt oculi populi, 407, 1, 2. prophetia est nota verum

fidei, 45, 1. ejus propria definitio, 46, 1, 2. cur dicatur visio, 103, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Prophetæ, Propheta.

INTERPRETABATUR ILLIS SCRIPTURAS. — Scripturæ obscuritas quomodo sit superanda, 606, 1; 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Scriptura.

NOS SPERABAMUS. — Perspem Deus sanctificatur, 217, 1, 2. tres gradus in Deum sperantium, 507, 1, 2.

Apparitiones Christi his diebus variæ sunt, et adaptatæ personis quibus apparet, 165, 1.

DOMINICA IN ALBIS.

OSTENDIT ILLIS LATUS ET MANUS. — Christus in vulneribus suis Ecclesiam et singulos fideles descripsit, 589, 2. stigmata vulnerum in corpore ejus et Beatorum manebunt semper, 655, 2.

DOMINICA II POST PASCHA.

BONUS PASTOR PONIT ANIMAM. — Pastores sunt velut turris vineæ Ecclesiæ, 153, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pastor, Prælati, Princeps.

MERCENARIÛS AUTEM. — Pastorum vitia quam populo sint noxia, 663, 1, 2.

DOMINICA III POST PASCHA.

VOS VERO CONTRISTABIMINI. — Apostoli et concionatores solent exagitari, et persecutionem ac martyrium pati, 95, 1.

TRISTITIA VESTRA VERTETUR IN GAUDIUM. — Lenit consuetudo acerba et tristitia omnia, 251, 1. religiosorum amara, mera sunt gaudia, *ibid.* 2. Apostolis vitæ christianæ asperitas in dulcedinem et consolationes transit, 514, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Tribulatio, et notata in *Communi Martyrum.*

DOMINICA IV POST PASCHA.

DE PECCATO. — Peccatum cur vocetur sanguis, 113, 1. funes peccatorum qui sint, 161, 1. peccata ipsa sunt funes ob quatuor causas, *ibid.* peccati funes triplices sunt, *ibid.* Damascus symbolum est regni peccati, 214, 1. peccatum tinea est, 600, 2. est labor et dolor, 690, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Peccatum, Peccata.

DE JUSTITIA. — Justitia quomodo sit Christi cingulum, 260, 1, 2. ejus sex fructus, 434, 1. ea quomodo de ore Dei egrediatur, 559, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Justitia.

DE JUDICIO. — Spiritus Sanctus est spiritus judicii, 148, 1.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

NOSTIS BONA DATA DARE FILIIS. — Beneficentia frenum Dei et principum est, 575, 1, 2. quæ bona ineffabilia Christus det in hac vita, 739, 2; 740, 1.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

ET NUNC CLARIFICA ME. — Christi gloria post ejus mortem, 275, 2. quomodo ei gloria sit requies, *ibid.*

IN DIE ASCENSIONIS.

Triumphus Christi ascendenti in cælum describitur, 780, 1, 2.

DOMINICA INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.

SPIRITUM VERITATIS. — Veritas est in Deo, et ipse veritas est, 357, 1, 2 et seqq.

DOMINICA PENTECOSTES.

Spiritus Sancti deitas astruitur, 578, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Spiritus, Dona, Timor, Consilium, Sapientia.

SPIRITUS SAPIENTIÆ QUID SIT, 258, 1. Dona Spiritus Sancti sunt virtutes ejusdem nominis, 257, 1, 2.

Quid sint septem dona Spiritus Sancti, 257, 1, 2. qui eorum ordo, *ibid.*

FERIA II.

SIC DEUS DILEXIT MUNDUM UT FILIUM SUUM. — Redemptio Christi vocatur justitia ob quatuor causas, 119, 1. Deus per Christum mundo reconciliatus est, 585, 1, 2. Christus est facialis inter Deum et homines, 651, 2. — *Vide notata in Dominica Palmarum et in Indice Rerum, verbo* Amor, Charitas.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

SS. Trinitatis similitudines, 167, 1, 2. ejus professio erat Judæis quotidiana, *ibid.* cur ei accinatur Sanctus, 172, 1, 2. cur trisagium in Missa usurpetur, 173, 1. SS. Trinitatis doxologia dæmones fugat, 174, 1. ejusdem circuminsessio quæ sit, 556, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Trinitas.

Deus est sanctus per omnia et in omnibus, 173, 2. Dei potentia et majestas quanta sit, 497, 2 et seqq.; 564, 2. Ipse est Dominus æternitatis, 710, 1. ejusdem definitio, 601, 1. in se est absconditus, 557, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Deus.

DOCETE OMNES GENTES. — Christus per legem Evangelicam omnes gentium rixas composuit, 124, 1, 2. Apostoli Judæis relictis, ad gentes abiere, 248, 1, 2. Sinarum conversio ab Isaia prædicta est, 587, 1, 2. Gentium vesania in diis multiplicandis, 669, 1. tempus Evangelicum est perenne jubilæum, 717, 1, 2.

Doctrina Evangelica est velut pluvia cœlestis, 154, 2. cur dicatur iudicium, 520, 1. religio Christiana reddit terras populosas, 683, 2. ei rebelles sæpe a Deo puniti sunt, 708, 1, 2. primi ejus præcones longævi fuere, 755, 2. ipsa est gladius separans pios ab impiis, 582, 2.

BAPTIZANTES EOS. — Baptizatis olim dabatur mel et lac, cur, 240, 1. item vinum et lac, 605, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Baptismus.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

MENSURA EADEM, QUA MENSURI FUERITIS. — Misericordia in alium est remedium propriæ miseræ, 302, 1.

NUMQUID POTEST CÆCUS CÆCUM DUCERE? — A duce perito pendet bellum, 134, 1.

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

Venerabile Eucharistiæ Sacramentum est carbo, 179, 2. quæ mirabilia ejus institutio contineat, 235, 1. ipsa est convivium pinguium, 367, 2. mortuos ad vitam revocat, 381, 2. cur Christus in eadem existens, dicatur arcus, 419, 1. et Deus absconditus, 557, 1, 2. cur ipsa dicatur commixtum, 420, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Eucharistia, Sacramenta.

Christi corpus est nubes levis, 316, 1.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

VILLAM EMI. — Superbi telas texunt aranearum, 692, 1.

JUGA BOVM EMI. — Terreni homines sunt velut talpæ et vesperiliones, 130, 1. bona mundi hujus non satiant, 650, 2. divites camelis gibbosis comparantur, 703, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Avaritia, Aurum, Opes.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

GAUDIUM ERIT ANGELIS DEI. — Deum et angelos quomodo lætificemus, 240, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Peccator, Pœnitentia, et notata in *Festo S. Mariæ Magdalænæ.*

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

IN NAVIM QUÆ ERAT SIMONIS. — Hæc Ecclesiæ typus est: quæ Ecclesia mons est, 121, 2. est in vertice montium posita, 122, 1. est cælum terrenum: ejus sol, luna, stellæ

quæ sint, *ibid.* ejus typus erat arca Mosis, 149, 1. Christus est ejus umbella, sponsus, vindex, *ibid.* 2. persecutionibus crevit, et postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem et divitiis major facta est, at virtutibus minor, 228, 1, 2; 237, 1. zelus Dei et Christi erga eam, 237, 2; 593, 1. ipsa est terra Sanctorum, et maxime Romana, 367, 2. in ea tam sunt polluti quam justi et sancti, 457, 1, 2. salicibus comparatur, 540, 2. ejus fundamentum est ex geminis pretiosis, 643, 2; 644, 1. ejus augmentum quod fuerit, *ibid.* 2. qua ratione sit sponsus et sponsa, 621, 2. est corona gloriæ Dei, 724, 1. est novus mundus, et novum regnum Christi, 753, 1. ejus pax in quo sita, 237, 1. quæ opes Ecclesiæ a principibus toto orbe datæ, 710, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Ecclesia, S. Petrus.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

SI OFFERS MUNUS TUUM AD ALTARE. — Victimæ et oblationes Judæorum cur Deo displicerent, 111, 2.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. — Hæretici, ut hæresi suæ auctoritatem conciliarent, prophetiæ donum ambiunt, 43, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Hæresis, Hæretici.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

QUASI DISSIPARET. — Lucra et pacta injusta sunt rescindenda, 677, 2.

SCIO QUID FACIAM. — Consilium Christiano quantopere necessarium, 258, 1. ejus remorsus, 768, 2.

QUIA PRUDENTER FECISSET. — Prudentia tum naturalis, tum supernaturalis ingens Dei donum est, 257, 1, 2.

DE MAMMONA INIQUITATIS. — Avaritia suggillatur, 155, 2; 156, 1. ex ea promanant omnia Ecclesiæ mala, præsertim ex acceptione munerum, 116, 1. cor avari auro nunquam repletur, hinc est sepulcrum patens, 127, 2. opes vanæ sunt et perniciosæ, 156, 1, 2. sunt idola et feræ, 157, 1, 2. eas repudiantium exempla, 158, 1. avari sunt pauperum sepulcra, 159, 2. — *Vide notata in Dominica II post Pentecosten.*

FILII HUIUS SÆCULI PRUDENTIORES. — Mundani in terrenis sunt lyncei, in divinis talpæ, 130, 1; 339, 1.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

FLEVIT SUPER EAM. — Deus punit nolens et invitus, 117, 2; 388, 1.

CIRCUMDABUNT TE. — Dies Domini est dies vindictæ, 129, 1. ruentis reipublicæ octo pœnæ, 133, 1.

EO QUOD NON COGNOVERIS. — Cognitio Dei est parens humilitatis, 176, 2. Jerusalem quanta fuerit impietas tempore Christi, 110, 1, 2. quomodo fecerit labrascas, 153, 2. cur vocetur leo Dei, 403, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Jerusalem, Judæa, Titus.

Judæorum post occisum Christum fœtor, — 141, 2. eorum tempore Christi cæcitas et surditas, 182, 1; 527, 1, 2. quæ eorum decem vastationes fuerint, 183, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Judæi.

EJEGIT VENDENTES ET EMENTES. — Christus fuit omnium motuum et passionum dominus, 522, 1. zelus in Deo quid sit, 525, 2; 526, 1. mercatorum avaritia reprehenditur, 348, 2. mercatoria ars meretricio assimilatur, 352, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Passio, Ira, Zelus.

DOMUS MEA DOMUS ORATIONIS. — Templum est domus orationis et cælum, 662, 1.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

DEUS, PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI. — Peccator Deum agnoscens quidem ut misericordem, sed non ut judicem, in omnia mala tam culpæ quam pœnæ ruit, 138, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pœnitentia.

OMNIS QUI SE EXALTAT. — Superbia est in homine primum

vivens, et ultimum moriens, 626, 1. superborum quorundam arrogantia a Deo retusa, 289, 1, 2.

QUI SE HUMILIAT, EXALTABITUR. — Humilitatis fructus, 292, 1, 2. est vera ad Deum via, 293, 1. quæ ejus sint signa, *ibid.* locus imus est centrum humilis, et locus Christi, isque nobilissimus, 626, 1. humiles sunt templum Dei, 753, 1, 2. item Dei thronus, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* Humilis, Humilitas, Superbi, Superbia.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

LOQUEBATUR RECTE. — Lingua excisa multi Deum laudant, 560, 2. lingua erudita ingens Dei donum est, et oratione impetrandum, 596, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Lingua, Laus Dei.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

IN LEGE QUID SCRIPTUM EST? — Lex et præcepta sunt velut sepes, 152, 2.

DILIGES DOMINUM EX TOTO CORDE TUO. — Amor et zelus honoris Dei repræsentantur per carbonem Isaïæ, 179, 1, 2. timor sanctus idem est cum amore, 259, 2. jugis Dei memoria habenda est, 565, 2. ignita Dei charitas quo pretio comparetur, 649, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Amor, Charitas.

INFUNDENS OLEUM. — Dei auxilium oleo assimilatur, 250, 2. oleum amoris et consolationum omnia aspera lenit, 250, 1, 2. Judæa vocatur cornu olei et filius olei, 151, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Olea, Oleum, Oliva.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS. — Accommodari hoc potest sacramento Confessionis. Pœnitentiæ symbolum est carbo ignitus, 179, 2. ex carbone efficit carbunculum, *ibid.* confessio est carbo ignitus, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* Confessio, Pœnitentia, Peccatum.

SACERDOTIBUS. — Sacerdotes reipublicæ sunt cor, 108, 2. hinc a sacerdotali ordine corpus politicum velut a capite vigorem et vires accipit, eoque languente languet, *ibid.* sacerdotis sacrificantis quanta debeat esse puritas, 179, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Pontifex, Sacerdos.

MAGNIFICANS DEUM. — Jugiter Deum laudare, et ei gratias agere, est opus Angelorum, 273, 2. et vita cælestis, 565, 2. septem modi ejus laudandi, 273, 1, 2. memoria jugis Dei quantum bonum sit, 565, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Laus, Memoria.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE. — Deus non patitur corrivalem, 399, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Servus, Servitus.

DE VESTIMENTO QUID SOLLICITI ESTIS? — Vestes pulchras fœdi mores coinquant, 113, 1, 2. earum luxus taxatur, 142, 1, 2 et seqq. idem ostenditur exemplis, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo* Puellæ, Vestes.

NE SOLLICITI SITIS QUID MANDUCETIS. — Corporis necessitatibus servire onus est, 286, 1, 2. animo magno nihil magnum est, 613, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Cibus.

QUÆRITE PRIMUM REGNUM DEI. — Regnum Dei in anima quod sit, 237, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Cælum, Regnum.

ET JUSTITIAM EJUS. — Justitia Christiana quid exigit, 258, 1, 2.

ET HÆC OMNIA ADJICIENTUR VOBIS. — Christus nobis est omnia, 148, 2.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. — Vita quam brevis et caduca sit, 478, 2. mors Christianis ludus est, 599, 1, 2. vitæ anni soli sunt ii quibus Deo vivimus, 753, 2. et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo* Mors, Mortui, Luctus.

ET HÆC VIDUA ERAT. — Viduarum et pupillarum causas

defendant principes, 117, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Vidua.*

ADOLESCENS, TIBI DICO, SURGE. — Cur senes dicantur bis pueri, 753, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Senes.*

ACCEPTIT OMNES TIMOR. — Timor sanctus quid sit, 259, 1, 2. quam illi ingens sit thesaurus, 439, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Timor.*

DOMINICA XVI POST PENTECOSTEN.

SI LICET SABBATO CURARE? — Sabbatum et Deum colentium tria sunt præmia, 685, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo Sabbatum, Festum.*

CUJUS VESTRUM ASINUS? — Animalium in suos benefactores gratitudo, 105, 2; 106, 1, 2.

QUOMODO PRIMOS ACCUBITUS ELIGERENT. — Ambitio est peccatum Luciferi, ejus damna, 155, 2; 292, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Ambitio.*

RECUMBE IN NOVISSIMO LOCO. — Locus imus est centrum humilis, et locus Christi, itaque nobilissimus, 626, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Humilitas, et notata Domin. X post Pentecost.*

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

QUID VOBIS VIDETUR DE CHRISTO? CUIUS FILIUS EST? — Christus idem est patruelis et dilectus, 151, 1, 2. solum David est regnum Christi, 237, 1. quomodo Christus sit e familia David, 255, 1. prognatus e Ruth Moabitide, est agnus Moab, 301, 1. qua homo, est servus Dei, 519, 1; 534, 2. item germen cœli et terræ, 551, 2. generatio Christi enarrari nequit, 634, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Jesus, et notata Domin. in Pentecost. et in Festo Nativitatis.*

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

SIMILE EST REGNUM COELORUM HOMINI REGI QUI FECIT NUPTIAS. — Epulæ cœlestes vocantur vinum et lac, 650, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Uxor, Matrimonium, Sponsa.*

MISSIS EXERCITIBUS PERDIDIT ILLOS. — Quomodo Deus dicatur mittere malos ut puniat malos, illique dicantur ejus servi, milites, sacerdotes consecrati, ac missi ab eo ad vindictam scelerum, 75, 2 et seqq. ordinat illos ad punitionem malorum, 76, 1, 2. omnis Dei ordinatio vocatur præceptum, suscitatio, evocatio, *ibid.*

LIGATIS MANIBUS. — Pœna quasi echo respondet culpæ, 694, 2.

TENEBRAS EXTERIORES. — Quomodo infernus animam et sinum aperiat, 159, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Infernus, et notata Domin. II post Epiphan.*

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

CUJUS FILIUS INFIRMABATUR. — Morbus omnes domat, 472, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Morbus, Sanitas.*

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

PATIENTIAM HABE IN ME. — Proximi mores et infirmitates ferendæ, 521, 1, 2.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

SCIMUS QUIA VERAX ES. — Adulatio quam sit noxia, 137, 2. vitia palliant se virtute, 162, 1, 2.

CUJUS EST HÆC IMAGO? — Imaginum cultus adstruitur, 565, 1.

DATE CÆSARI QUÆ SUNT CÆSARIS. — Principis est obedire legi Dei, 116, 2. ejus ruente prudentia, ruit respublica, 134, 2. unde etiam in eo requiritur sapientia et prudentia, 430, 2. est medicus reipublicæ, 136, 1. item bajulus, 232, 1. item pastor, 497, 1. qualis sit eligendus, 136, 1. ei justitia et fides cordi sint, 260, 2 et seqq. sit suis pater, non tyrannus, 429, 2. liberalis sit, 431, 2. ei se populus in vita moribusque adaptat, 438, 2. soli confertur, 548, 1, 2 et seqq. clementia et misericordia propria regum virtus

est, 521, 2; 717, 2. reges Ecclesiæ promotores et Pontifici addictos Deus felicitat, 709, 1, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo Princeps, Rex, Tyrannus.*

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

SALVAM FECIT. — Animæ sanitas et robur est Deus 108, 2.

NON EST MORTUA PUELLA, SED DORMIT. — Mors sanctis non molesta, sed suavis instar somni noctis unius est, respectu resurrectionis, 382, 2. — *Vide notata Domin. XV post Pentecost. et in Commemorat. fidel. animar.*

DOMINICA XXIV POST PENTECOSTEN.

SURGENT PSEUDOPROPHETÆ. — Veri prophetæ fuere portentum orbis, 219, 1, 2. pseudoprophetæ cur vocentur cauda refrenans, juncus, 239, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Pseudoprophetæ, Prophetæ, et notata Domin. I Adventus.*

CUM VIDERITIS. — Futurorum incogitantes nunquam esse debemus, 570, 1.

SOL OBSCURABITUR. — Sol in die judicii erit septuplo clarior, 421, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Sol, Luna.*

VIRTUTES COELORUM MOVEBUNTUR. — Sol, luna, stellæ sub diem judicii commovebuntur, 447, 2. cœli quomodo complicabuntur, 448, 1, 2. cœli et terra quomodo mutanda sint et transitura, 449, 1, 2. ignis conflagrationis mundi quantus tunc futurus sit, 450, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Stellæ, Cœlum.*

In die judicii potestatem dæmoni auferet Christus, 422, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Jesus, Judicium.*

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

S. Paulus fuit velut alter Seraphinus, 181, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Apostoli, Paulus.*

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIE VIRGINIS.

DARENT HOSTIAM AUT DUOS PULLOS. — Masculas victimas poscit Christus, id est, robustos, 706, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Primitiæ.*

SIMEON IN ULNAS SUAS. — Simeon hic an virginitatem B. Mariæ sciverit, 196, 1.

POSITUS EST HIC IN SIGNUM. — Christus est sagitta Patris, corda amore transfigens, 582, 2.

TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS. — Consolationem Deus temperat afflictione, 149, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo B. Maria Virgo.*

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM. — Isaias prædixit osculum pedum Romani Pontificis, 591, 1. quinam principes Pontificem honorarint, *ibid.*; 592, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Apostoli, Petrus, Pontifex, Sacerdos.*

PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBUNT. — Sedes Romana a nemine debet judicari, 243, 1. Ecclesia Romana nunquam deficiet, 405, 1. ejus duratio, firmitas, charismata, munimen, 444, 1. Romæ sanctitas, et sanctæ reliquiæ, 765, 2 et seqq. — *Vide Indicem Rerum, verbo Romana, Roma.*

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

STATUERUNT DUOS. — Quales in rectores eligendi sint, 136, 1.

SORS CECIDIT SUPER MATTHIAM. — Scriptura consulenda in sortitione, non magi vel arioli, 223, 2. Deus etiam in dubiis consulendus, 235, 2. quia S. Matthias præpositus est a Deo Josepho qui dicebatur Justus; hinc ostendi poterit, eum non judicare secundum externa, sed rem ipsam inspicere, 259, 2. divinationis veritas est testis divinitatis, 515, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Sors, et notata in Communi Apostolorum.*

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

QUONIAM VIRUM NON COGNOSCO. — B. Mariæ virginitas

ante partum, et in partu, et post partum probatur, 193, 2; 194, 1. sua virginitate meruit fieri mater Dei, 194, 2. est genitrix, sponsa, filia Dei, 195, 1, 2. quomodo ejus virginitas perpetua in Hebræa scriptione aliquando exprimitur, 236, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo B. Maria Virgo.*

IN FESTO NATIVIT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

QUIS PUTAS PUER ISTE ERIT? — Ministros suos ab utero ad canos curat, 564, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Joannes Baptista.*

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. — Christi Deitas astruitur, 167, 1; 236, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Jesus.*

SS. Petri et Pauli sepulcri quanta sit gloria, 268, 2. comparantur ambo ascensoribus asini et cameli, cur, 220, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Petrus, Paulus.*

IN FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS.

MAGNIFICAT ANIMA MEA. — B. Virgo prophetissa fuit variis modis, maxime quia futura prædixit. — *Vide notata in Festo Annuntiationis.*

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

S. Mariæ Magdalena conversio et amor, 456, 2. ad ejus exemplum peccatores Deum quærant, 652, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Maria Magdalena, Meretrix, Fornicatio.*

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

DIC UT SEDEANT. — Quam sit ambitio intolerabilis, 155, 2; 292, 1. est peccatum Luciferi, ejus damna et mala, 292, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Ambitio, Aula, Prælat.*

Ut hi duo Apostoli regnum ambierunt, sic e contra primi Christiani coronis abstinebant, 718, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Aureola, Corona.*

IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS.

S. Michael est angelus faciei Dei, 733, 2. Seraphim unde dicantur, 162, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Michael.*

ANGELI EORUM VIDENT. — Facies suas velant in Dei conspectu, 170, 1, 2. cur Dei faciem velent, *ibid.* cur coram eo voluturiant, 171, 1, 2. chorum et alternis canere in templo docuerunt, 172, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Angeli, et notata in Festo SS. Innocentium.*

NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI. — Christiani sunt pueri quadrupliciter, 218, 2. justii dicuntur viri, peccatores pueri, cur, 753, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Puer.*

QUI SCANDALIZAVERIT UNUM. — Sua mala vita scandalizantes congregationem, graviter puniuntur, 367, 2.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sancti sunt velut salices, 540, 2. in cælo scribuntur, impii in terra, 147, 2. eorum vita jucunda est in Deo, *ibid.* sunt semen sanctum, 184, 2; 184, 1. multorum Sanctorum corpora adhuc hodie exstant integra, 268, 2. quomodo eorum ossa germinent, 762, 1. Deum, dum viverent, semper præsentem habere desiderarunt, 376, 1. inspirationes ejus semper studiose exceperunt, 400, 2. eorum alæ et pennæ, 503, 2. sunt aquilæ ob varias analogias, 504, 1. item aquilæ sunt jam cælo donati, 505, 1. ob varias analogias sunt cælum, 609, 2. quasi columnæ republicam sustentant, 666, 1. eorum coronæ sunt coronæ Dei, 724, 2. an in cælo divinam essentiam videant, 166, 1. inde nos vident et audiunt, 736, 1, 2. malorum quæ in mundo passi sunt non recordantur, 752, 2. ad eorum sepulcra pernoctare utile est, 745, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Sancti, Pii, Justii.*
Cælestis gloria describitur, 366, 2. ejus gaudia quanta

sint, et in quibus sita, 370, 1, 2; 371, 1, 2; 434, 2; 244, 1, 2. illius bona, 739, 2. illius deliciae et suavitas, 751, 2. visio Dei est fluvius aquæ vitæ, 444, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Cælum, Gloria.*

BEATI PAUPERES. — Natura genuit omnes nudos et pauperes. — *Vide Indicem Rerum, verbo Pauper, Paupertas.*

BEATI MITES. — Christus est mitis simul et generosus, ejusque patientia læsa fit furor, 131, 1.

BEATI QUI LUAGENT. — Consolari mæstos, etiam hostes, divinum est, 490, 1. — *Vide notata Domin. III post Pascha.*

BEATI MISERICORDES. — Misericordia in alium est remedium miseriæ propriæ, 302, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Misericordia.*

BEATI PACIFICI. — Pax quantum sit bonum, et quanta bona adferat, 125, 1, 2. princeps pacis est nomen Christi, 236, 2. pax est mare abundantia, 578, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Pax.*

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. — Sancti in igne adversitatum et tentationum velut amianti illæsi manserunt, 532, 2. tribulatio est laus Dei, 576, 2. diabolus est faber persecutionum et tentationum, 646, 2. ipsa est trituratura Dei, et proinde utilis, 332, 2. persecutiones et calamitates sunt flagella Dei, 244, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Tribulatio, Persecutores, et notata Domin. III post Pascha.*

IN DIE COMMEMORAT. FIDELIUM ANIMARUM.

Christianorum sepulcra gloriosa sunt, hi sæpe ab angelis sepulti fuere, 266, 1, 2 et seqq. eorum sepultura ornatur cereis, cantu, tædis, floribus, campanarum pulsu, etc. *ibid.* bestia etiam Sanctos sepelierunt, 267, 2.

Quomodo Abraham mortuus posteros suos non cognoscat ad eos juvenandos, 735, 2; 736, 1. cur patres in limbo non essent invocandi, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo Limbus, Mors, Purgatorium.*

IN FESTO S. ANDRÆ APOSTOLI.

AMBULANS JESUS JUXTA MARE GALILÆÆ. — Galilæa in sorte Zabulon est: hinc bene Christus primo terram Zabulon et Nephtali dicitur alleviasse, et maxime Galilæam Gentium, 223, 2 et seqq. juxta mare Tiberiadis vocati sunt Apostoli, 226, 2. Galilæa duplex est, 227, 1. Galilæorum conversio prædicta est per Isaiam, 227, 2.

IN FESTO DEDICAT. ECCLESIAE.

ASCENDIT IN SYCOMORUM. — Sycomorus quæ sit arbor, 238, 2. ea arbor et ficus ulceri an obsint, an prosint, 483, 1.

Templorum et monasteriorum curam gerant reges et magistratus, 427, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Templum, Sacerdos, Porta, Porticus.*

Altare est symbolum cultus Dei, 180, 1. templorum cantum docuerunt Angeli, 172, 1.

Sancti tutelares templorum et urbium quomodo colendi, 668, 1.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostolorum potestas quanta sit, 180, 2. fuerunt orbis portentum, 220, 2. et sagittæ Dei, cur, 583, 1. stentorea voce et libere Christum prædicarunt, 618, 2. pedites orbem peragrarunt, *ibid.* — *Vide Indicem Rerum, verbo Apostoli, Concionatores.*

IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

MISIT ILLOS BINOS. — Concordiæ fraternæ bona, 262, 1; 261, 1, 2.

NOLITE PORTARE SACCULUM. — Mundi hujus et opum amor deponendus ut onus, 282, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Evangelium.*

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Lectio S. Scripturæ et Prophetarum Episcopis et Præ-

latis necessaria, 155, 1, 2. quas hi habere debeant alas, 170, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Prælatus, Episcopi, Pontifex.*

Episcopi nomen diu fuit ante Christum prædictum, 563, 2.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Quæ et quanta fortitudo eorum fuerit, 273, 1. iis post certamen promittitur cælum, 367, 2; 725, 1, 1. punitio eorum qui in ipsos asperi fuere, 593, 1, 2. velut adamantes fuerunt, 599, 1. eorum sepulcrum fuit olim altare, 267, 2. eorum cicatrices et vulnera in cælo ut gemmæ rutilant, 712, 1. iis sæpe e cælo coronæ ostensæ adhuc viventibus, 725, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Martyr, Martyrium.*

IN COMMUNI CONFESSORUM.

ESTOTE SIMPLICES SICUT COLUMBÆ. — Columbæ symbolum sunt fidelium, 704, 2. columbæ indicio designati viri magni, 705, 1. — *Vide Indicem Rerum, verbo Columba, Doctores, Justi, Pii, Sancti.*

Religionum fundatores et restauratores sunt velut septimum ædificatores, et viri magnæ charitatis, 683, 1. — *Vide notata Feria IV post Cineres, et Indicem Rerum, verbo Religio, Religiosi.*

IN COMMUNI VIRGINUM.

VIGILATE, QUIA NESCITIS. — Semper nobis vigilandum et circumspiciendum est, 331, 2.

Virgo qualis esse debeat, 196, 2; 659, 1, 2 et seqq. qua ratione sabbatum custodiant, 657, 2. sint simulacrum Dei, eum semper intuentes, 659, 2. eunuchos spirituales quam amicæ habeat Deus, et quod nomen melius iis promittat, 658, 1, 2. hoc nomen est aureola et filii spirituales, *ibid.* quinam eorum sint filii, *ibid.*

CONSILIUM AUTEM DO. — Consilia Christi quæ, et quam sana sint, 235, 1, 2. cur Christus sit consiliarius, 234, 1, 2.

Virginitas illiberis secunda est, 197, 1. ejus elogia, 658, 1, 2. quantum illa laudis pariat, 659, 1, 2. est æmula Angelorum, 658, 1, 2. — *Vide Indicem Rerum, verbo Virginitas, Virgo.*

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise*, de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

***Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!***

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org